BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XLVII
H
1
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

APPARATUS
IN
ANNALES ECCLESIASTICOS
CÆSARIS BARONII
Cum Critice Pagii & Notis.

ANNALIUM
ECCLESIASTICORUM
CÆSARIS BARONII
SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS

Cum Critice ſubjecta P. ANTONII PAGI, *Continuatione*
ODORICI RAYNALDI,

Notiſque Dominici Georgii & P. Joannis Dominici Mansi
Clerici Regularis Matris Dei in Pagium & Raynaldum

APPARATUS,

In quo præter ea, quæ BARONIUS & PAGIUS Annalibus præmiſerunt, alia plura continentur pertinentia ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, quæ integra, caſtigata, optimoque ordine diſpoſita in hac editione exhibetur.



Dom: Fratta In: — *[illegible] Inc.*

LUCÆ
Typis Leonardi Venturini
MDCCXL.
DE SUPERIORUM LICENTIA.



Fratta Bologna 1740 Fran. Zucchi scul. Venezia

NAPOLI



Carolus Ruſpi delin. et incid.

JOANNI V.

AUGUSTISSIMO

LUSITANORUM REGI

Salvator Maria Venturini *Typographi Filius.*

CUI potiſſimum ex ſupremis Chriſtiani Orbis Principibus inſcribendum eſſet hoc Opus, quo pauca certe ampliora, nullum fortaſſe præſtantius magiſque abſolutum hucuſque prodiit in lucem, dubitandum amplius non cenſui, cum in Te defixi oculos, Augustissime Rex,

qui non modo eorum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed antiquitatis etiam memoriam Tua virtute adæquaſti. Tantæ ſunt profecto Tuæ res geſtæ, ſicque præclare veram Regis imaginem in his expreſſiſti, ut nullas umquam litteras poſſe reperiri credam, quæ immortalitatis memoria eaſdem non proſequantur. Et ut ab iis, quæ ad optimarum Artium ſtudia pertinent, initium ducam, permanebunt ad laudem Tui Nominis ſempiternam monumenta celeberrimæ Academiæ, quæ Tuo conſilio ſtabilita, ornatiſſimiſque munita decretis, ad tantam æſtimationem pervenit, ut cum Germanicis, Gallicis, Hiſpanicis, cum cæteris denique Europæ inſignioribus jam de dignitate certare videatur. Sapientiſſimis enim, omnique diſciplinarum genere perpolitis hominibus eam inſtruxiſti, qui ad Regnorum Tuorum hiſtoriam cum Eccleſiaſticam tum profanam conſcribendam ea ſe felicitate contulerunt, ut ex plurimis voluminibus in lucem emiſſis ſelectum uberrimumque ſe doctrinæ fructum collegiſſe Eruditi omnes fateantur. Ecquoniam Tui Populi, quia præſtantiſſimi ingenio, ideo ſemper præter cæteros appetentes gloriæ, atque avidi veræ laudis fuerunt, quam Tibi non debent gratiam, cum plurima antiquiſſima monumenta, quorum alia omnino jacebant in tenebris, alia in Regnorum Tuorum Tabulariis aſſervabantur, Tua auctoritate ſint in medium,

pro-

prolata, ſicque plures res bene geſtas, quæ ante ipſis detrahebantur, aut communicabantur cum exteris, nunc hiſtoricæ veritati reſtitutas, eorum proprias eſſe nemo inficietur! Luſitanæ Gentis auxiſti nomen, Tuique gloria totum Orbem impleſti. Et quæ umquam ætas de Regia ditiſſimaque Bibliotheca a Te inſtituta conticeſcet? Ingenti pecuniæ vi, ſummaque Legatorum Tuorum vigilantia ea tum edita tum manuſcripta in ipſam congeſſiſti opera, ut quæ maxima difficultate in aliis diviſa ſeparataque inveniuntur, in eadem ſimul collecta optimoque ordine diſpoſita videantur. Silentio prætermitto cæteras Academias ad priſtinam dignitatem erectas, Juvenum Collegia ſtabilita, præmiaque bene de litteris meritis tanta animi magnitudine propoſita, ut beatior Tu videaris, qui tam multa concedis, quam ii qui Tua liberalitate fruuntur. Hæc ſane ita præclara ſunt ut eorum decus nulla umquam obſcuratura ſit ætas; ſed illud egregium, quod dum princeps cæteris ad ſuſcipiendam, ingrediendamque optimam ſtudiorum rationem exiſtis, ſimul ad pietatem inflammas, quam ſemper fundamentum omnium virtutum, ac primum Regum ornamentum eſſe duxiſti. Verum enim vero ſi Tua inaudita clementia, ſi in publicis privatiſque rebus temperantia, ſi tantus in ſumma poteſtate rerum omnium modus, ſi latæ leges,

ſi ita-

ſi ſtatuta judicia perſpiciantur, quid aliud inferri poteſt, niſi Tuo exemplo ſapientiaque hoc eſſe perfectum, ut integritas, pudor, jus, æquitas in Regnis Tuis maneant? Ita ſunt faciles ad Te privatorum aditus, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis, ut cum beatiſſimi videantur omnes qui ſub imperio Tuo vivunt, novæ quotidie exterorum catervæ omnium rerum ſuarum ac fortunarum ſedem in Tuis Regionibus collocent. Perditos recreas, afflictos erigis, nullumque tempus dimittis, quin de populorum ſalute cogites; ideoque in ſupremos Miniſtros eos adlegiſti viros, qui feliciter difficillima quæque negocia pertractantes, Te de his, quæ ad Rempublicam pertinent, ita religioſe certiorem efficiunt, ut deinde Tua ſapientia, vigilantia atque auctoritate optime omnia conſtituantur. Singularis ergo pietatis Tuæ in vita omnium virtutum magiſtra, in optima Reipublicæ adminiſtratione, in ipſis denique ſplendidiſſimis operibus argumenta clariſſima præbes. Religioſiſſimum profecto Te prædicant Sacræ a Te conſtructæ ædes, quas cum magnificentia tum deſcriptione non tantum plurimas ſuperare, ſed cum his etiam, quæ longo ſæculorum ſpatio ac innumerabili pecunia exædificatæ fuerunt, contendere nemo unus ignorat. Quibus vero ornamentis ipſas non locupletaſti? Ecquis pretioſas ſuppellectiles in illis con-

ſtitutas

ſtitutas non miretur, in quibus perficiendis celeberrimi hujus ætatis Artifices diligentiſſimam operam inſumpſerunt? Non ſolum autem Eccleſias extruis ac luculentiſſime exornas, ſed attente diligenterque provides, ut iiſdem viri ii præficiantur, qui cum exemplo tum doctrina reliquis antecellentes in cuſtodiendum gregem ſibi commiſſum ſedulo incumbant. Nec minorem curam impendis, ut ad gentes innumeras, quæ adhuc idololatriæ tenebris obducuntur, Catholicæ Religionis lumen proferatur, ideoque in barbaris disjunctiſſimiſque Provinciis copioſum piorum operariorum cœtum Tua liberalitate ſuſtentas. Sed quid mihi affumo, ut in Nuncupatoria Epiſtola de Tuis laudibus differam, in quo etſi eruditiſſimi Viri, quibus ſummam copiam facultatemque dicendi natura largita eſt, omnes nervos ingenii ſui doctrinæque contenderint, nullam tamen Orationem virtuti Tuæ parem inveniri poſſe ſenſerunt. Præclariſſimas igitur Tuas res cum domi tum foris geſtas recenſere prætermittens, Deum Optimum Maximum ut diu SACRAM MAJESTATEM TUAM ad Populorum Tuorum totiuſque Chriſtiani Orbis felicitatem incolumem florentemque præſtet obteſtabor. Ad Tuos denique pedes provolutus, & fidens tum Operis pretio, cui clariſſimi Prædeceſſores Tui, Tuique populi ingentem materiem ſuppeditant, tum

Huma-

Humanitati Tuæ, quæ inter cæteras Tuas virtutes eminet, & nobis etiam maxime abſentibus notiſſima eſt, Te rogo atque obſecro, ut publicum hoc obſequii mei pignus æquo libentique animo excipias. Quod ſi fuero conſecutus, erit profecto cur ego de me magnifice ſentiam, & poſteri omnes in hoc etiam monumento clariſſimam Nominis Tui gloriam animique magnitudinem admirentur & prædicent.

PRÆ-

PRÆFATIO GENERALIS

In hanc Annalium Eccleſiaſticorum editionem.

QUEM præfandi morem omnes ferme, qui aliquid luci mandant, opportunum ſibi arbitrantur, eum nobis in tam vaſtæ molis opere neceſſarium eſſe duximus. Noſtra quippe intereſt de Annalium Eccleſiaſticorum Cæſaris Cardinalis Baronii editione, quæ cum ſubjectis Antonii Pagii Animadverſionibus additaque Odorici Raynaldi Continuatione, noviſſime cura & ſumptibus Leonardi Venturini Typographi Lucenſis prodire jam cœpit, rationem reddere. Quod, ut ordine agamus, primum de ipſo Annalium parente ac de operis ejuſdem præſtantia nonnulla in medium proferre juvat. Deinde quid diligentiæ ad hæc, quoad licuit, illuſtranda atque ad Criticorum cenſuras diluendas nos contulerimus, aperiemus; veniam interim precaturi, ingenii & virium noſtrarum imbecillitatem agnoſcentes, ſi pulcherrimæ picturæ novos colores inducere auſi ſumus.

Immortalis memoriæ vir ſummus Cæſar S. R. E. Cardinalis Baronius, poſt navatam ſtudio Eccleſiaſticæ eruditionis ingenti triginta annorum labore operam egregiam ac diligentem, adornandis tandem Annalibus Eccleſiaſticis manum I. *De Baronio Encomia & laudes.*
admovit. Tanti operis aggrediendi conſilium doctiſſimo Viro fuit, ut impactam ab Heterodoxis in Romanam Eccleſiam calumniam de innovatione doctrinæ ac dogmatum depelleret; & quam illi jactabant Eccleſiæ in veterem ſanctitatem reformationem, deformem potiùs deturpationem eſſe, deducto e veteris Eccleſiæ moribus argumento, probaret. Perpetua etiam omnium ſæculorum traditione aſſerenda erant legitima S. Romanæ Eccleſiæ jura, contra furentes adverſariorum conatus, qui ea convellere nitebantur. Denique ſuo erant lumini reſtituenda tot præclara Sanctiſſimorum Virorum geſta, iis depulſis tenebris, quas caliginoſa vetuſtas affuderat. Rem illi pro voto ſucceſſiſſe perſpicue demonſtrant, tum elogia, quibus erudítiſſimum opus a ſummis Viris celebratur, cum iteratæ atque frequentes præclariſſimorum illorum voluminum editiones, quas inſignia per Europam præla, Eruditis viris faventibus dederunt. Atque ad laudes, & præconia per ſummos Viros collata quod attinet, vix ullum eſt aliud opus tantis eorum encomiis tantoque omnium plauſu exceptum commendatumque, ut me loca ex inſignibus Scriptoribus, ubi laudes Baronii percenſentur, afferre meditantem, & laboris immenſitas primò quidem detinuerit ſuſpenſum, dein conſilium deponere coegerit, ne editionem hanc noſtram onerare potius, quam ornare viderer. Magna enim ſunt & multa quæ de Baronio ſcripſere ac prædicarunt omnium ordinum Viri ſummi atque percelebres. Et ut de Summis Pontificibus Gregorio XIII. Clemente VIII. & Paulo V. ſileam, qui minus verbis quam facto ipſo demonſtrarunt quanti Baronium fecerint, dum ipſum, invitum licet, & reluctantem ad ſupremas dignitates evexerunt; quis e S. R. E. Cardinalibus literis claruit qui maximis laudibus Baronium non celebrarit? *In Eccleſiaſtica Hiſtoria principem & fateor & veneror*, ſcripſit de *Magno*, ut ille ibidem appellat, Baronio, Magnus & ipſe Noriſius, in Præfatione ad Hiſtoriam Pelagianam. *Reſpuit omnem commendationem opus omni commendatione majus & excelſius;* quo elogio Cardinalis Perronius *Herculeum*, ita lucubrationem illam deprædicat, Annalium Opus extollit in Epiſtola ad eumdem Baronium ſcripta. *Opus ingens, & Eccleſiæ neceſſarium* eſt, Cardinali Bona in Præludiis ad Opus Pſallentis Eccleſiæ Harmonia. *Baronio omnem venerationem profiteri* ſe ſignificat Sfondratus in Libro de Regal. Sacerdot. lib. I. §. 5. Quid de illo ſcripſerit & ſenſerit Garſias Loaiſa Ordinis Prædicatorum prius, dein S. R. purpuræ ornamentum; quid S. Franciſcus Saleſius fama eruditionis non minus, quam ſancti-

ſtitate clarus, Marcianus in Tom. I. pag. 328. Hiſt. Congr. Orat. allatis documentis demonſtrat. Scriptores reliqui prioribus hiſce dignitate non merito inferiores in Baronii laudes ſymbolam conferunt: *Baronius vir ſacrè profanèque doctus;* Lipſius in notis ad Librum II. de Cruce. *Baronius immortalis gloriæ vir;* Sirmondus in Cenſura Diſſertationis I. de Suburbicar. Region. cap. VI. *Eminentiſſimi Baronii nomini aſſurgo, ejus commentationes veneror;* De Marca in Reſponſ. ad notas Holſten. Immo, quod mirere, ad tantam veritatis & gloriæ lucem ne Heterodoxi quidem Scriptores cæcutiunt. Voſſius de Philolog. *Negare non poſſumus Baronium præclare meritum eſſe de Antiquitate Eccleſiaſtica.* Hottingerus Biblioth. quadrip. *In Hiſtoricis Baronio encomium, ad ſuperſtitionem laborioſiſſimo Scriptori, nemo negabit.* Quid Muntacutus, quid Caſaubonus de Baronio ſenſerint inferius prodemus. Atque huc effatum S. Hieronymi in Epiſtola ad Pammachium apprime facit: *Verum illud eſt teſtimonium, quod ab inimica voce profertur.*

II. *Spondani de Baronio Elogium in apparatu hujus editionis exhibetur. De cæteris qui Baronii vitam & elogia ſcripſerunt.*

Qui vero uberiora cupiunt, adire eos poterunt, qui de Baronii vita ac laudibus ſcripſerunt, nempe Henricum Spondanum qui elogium de ipſo Baronio tomo primo Epitomæ Annalium Eccleſiaſticorum præmiſit: quod quidem elogium in hocce apparatus volumine recudendum cenſuimus. Legendum & Elogium aliud ab Abrahamo Bzovio exaratum, vulgatumque in Annalium ipſius Baronii Synopſi editionis Colonienſis an. 1617. Legenda Baronii vita a Hieronymo Bernabæo, Congregationis Oratorii presbytero ſcripta & edita Romæ an. 1651. & una cum Baronii elogiis recuſa Viennæ Auſtriæ an. 1718. cura Georgii Fritz, Congregationis Oratorii Viennenſis presbyteri. Conſulendi præterea Janus Nicius Erithræus Pinacotheca I. pag. 87. Joannes Imperialis in Muſæo Hiſtorico, Hieronymus Ghilinus in Theatro virorum doctorum. Denique Auctaria ad vitas Cardinalium ab Alphonſo Ciacconio conſcriptas, ut & Ludovicus Donius d'Attichy Epiſcopus Æduenſis in Vitis Cardinalium tom. III. pag. 596. & ſequentibus. Sed nihil ad Orbis approbationem arguendam conducit magis, quam ſæpe adeo curatæ a ſummis Viris ingentis hujus operis editiones. Quod ſi in Lucubratione unius alteriuſve voluminis glorioſum eſſet; in vaſto duodecim ingentium voluminum opere admirabile merito dixeris. Id autem argumenti genus tractare diligentius rei præſentis eſſe ideo ducimus, quod Lectoribus non ingratum nec otioſum erit, ſi doceantur, ubi & quot prodierint Annalium Baronii editiones, quæque ex illarum collatione oriatur noſtræ hujus Lucenſis neceſſitas, quodque ejus ſit ab aliis meritum & diſcrimen. Ea igitur quæ Venturinus Typographus a Dominico Georgio hujus vaſti operis ſuaſore acceperat, atque in publicum ediderat, dum ſuum conſilium de hac Baronii editione orbi litterario patefecit, aucta & caſtigata repetemus.

III. *De variis Annalium editionibus.*

Primus Annalium Eccleſiaſticorum tomus prodiit Romæ ex typographia Vaticana A. D. 1588. diplomate Sixti V. præmunitus, quo cavetur ne quis typographus Annales Eccleſiaſticos imprimere audeat: quod permagni intereſſet, ut quam diligentiſſime Annales typis mandarentur. Vaticana typographia, ut in monitu hujus tomi primi ſignificat Baronius, tum recens nata erat, nec dum ſuum perfectionis ſtatum attigerat; ideoque primus ille tomus præcox nimis & non nihil mendoſus in lucem exiit; quod cum Baronius animadvertiſſet, eodem monitu ſpopondit in ſecunda, quam parabat, editione, ſe a mendis caſtigaturum, atque pluribus additamentis eumdem tomum aucturum; typographiſque denunciat, ut in nova editione exemplar emaculatum & auctum ſequantur.

Vix in manus doctorum hominum pervolavit primus Annalium tomus ingenti Catholicorum omnium plauſu exceptus, cum de nova ejuſdem editione a mendis expurgata, quampluribus locupletata, ab ipſo denique Baronio neceſſaria judicata, cogitari cœptum eſt. Quamobrem Baronius, conjectis oculis in Chriſtophorum Plantinum, patria Turonenſem, celebrem tunc Antuerpiæ typographum, datis ad eum literis X. Kal. Februarii an. 1589. quæ in Antuerpienſibus editionibus exhibentur, ſignificavit, Annalium tomi primi ſecundam editionem perneceſſariam ſibi viſam eſſe, idque initio primi tomi ſe pollicitum; idcirco Plantinum præſtantiſſimum illius ſæculi typographum, inter cæteros delegiſſe, ut ſecundam tomi primi editionem diligenter curaret. Quod ad ſe attinebat, ani Plantino poteſtatem fecit Annales Eccleſiaſticos recudendi, quandoquidem Apoſtolicis literis cautum erat, ne quis eoſdem Annales abſque Baronii conſenſu typis mandare auderet: quapropter adulterinum ſpuriumque fore declaravit, quidquid Plantinianæ editioni conſentaneum non fuiſſet. Igitur eodem anno 1589. ex officina Chriſtophori Plantini Antuerpiæ prodiit Annalium tomus primus, ſecundæ editionis, eodemque anno Plantinus obiit. Iterum tomus primus Vaticana prela ſubiit A. D. 1607. & in fine voluminis legitur; ex typographia Jacobi Maſcardi 1625.

Secundus Annalium tomus, qui abſolutus fuerat in fine A. D. 1589. anno quinquageſimo-ſecundo ætatis a Baronio inchoato, Romæ in typographia Vatica-

ticana cuſus, lucem vidit A. D. 1590. Romæ interim alia editio tomi primi parabatur; nam A. D. 1591. tomus primus Annalium Baronii vulgatus eſt typis Aſcanii & Hieronymi Don Angeli, in 4.

Tertius tomus Romæ cuſus eſt in typographia Torneriana A. D. 1592. Philippo II. Hiſpaniarum Regi dicatus; cum duo ſuperiores Sixto V. nuncupati fuiſſent. Antuerpiæ præterea in officina Plantiniana Annalium tomi, ſimul ac Romæ prodierant, typis committebantur, curante Jo. Moreto Plantini alumno & genero, qui poſt Plantini mortem regiam typographiam Antuerpienſem moderabatur. Huic enim literas dederat Baronius, quibus de Plantini obitu dolebat atque Moretum hortabatur ut Annalium editionem in Antuerpienſi typographia proſequeretur. Hinc ſecundus tomus A. D. 1592. tertius A. D. 1593. Antuerpiæ cuſus eſt apud Viduam, & Jo. Moretum.

Quartus tomus Clementi VIII. dicatus prodiit Romæ A. D. 1593. nitidiſſimis characteribus ex typographia Congregationis Oratorii apud S. Mariam in Vallicella, excudente Aloyſio Zannetto. Eodem anno 1593. tomus primus Annalium in Vallicellana typographia recuſus eſt, cui Baronius monitum præfixit, quartam hanc eſſe Annalium Eccleſiaſticorum editionem, ab auctore recognitam, auctam & locupleratam, adeoque editionum ab aliis cudendarum ut prototypum eſſe habendam, niſi forte contigiſſet deinde aliam ab ipſo cudi. Annalium tomus ſecundus ac tertius ex eadem typographia Congregationis Oratorii A. D. 1594. prodierunt. Vides ergo cur hæc quarta dicatur Annalium editio; quod ſcilicet prima ſit Vaticana, ſecunda Antuerpienſis apud Plantinum, tertia Romana ex typographia Torneriana, quarta Vallicellana, prætermiſſa tomi primi editione, veluti minus nobili excuſa Romæ A. D. 1591. in forma quarti. Antuerpiæ præterea quartus tomus apud Viduam, & Jo. Moretum in officina Plantiniana A. D. 1594. vulgatus eſt. Iterum tomus quartus in typographia Vaticana editionis ſecundæ procuſus, luce donatus eſt A. D. 1600.

Quintus tomus Romæ A. D. 1594. lucem aſpexit, pariterque Clementi VIII. conſecratus. Rurſus quintus tomus typis Vaticanis editionis ſecundæ publici juris factus eſt A. D. 1607. ut frons ejuſdem tomi præfert; at in calce hæc verba leguntur; *Romæ expenſis Vincentii Caſtellani ſub ſigno Europæ*, apud *Bartholomæum Zannettum* 1611. Antuerpiæ vero tomus quintus A. D. 1595. editus eſt.

Sextus tomus typis Congregationis Oratorii apud S. Mariam in Vallicella, excudente Aloyſio Zannetto, prodiit A. D. 1595. dicatus pariter Clementi VIII. Antuerpiæ autem inſequenti anno 1596. Extat alia hujus tomi ſexti editio ex typographia Vaticana A. D. 1607. in cujus fine habetur, *Romæ apud Jacobum Maſcardum* 1612. *expenſis Vincentii Caſtellani, ſub ſigno Europæ*.

Septimus tomus ex typographia Congregationis Oratorii A. D. 1596. & eodem anno ex typographia Vaticana Romæ prodiit cum dedicatoria Epiſtola in utraque editione ad Clementem VIII. Antuerpiæ vero ſeptimus hic tomus A. D. 1598. & anno 1597. ibidem nova tomi primi editio vulgata eſt, cujus editionis ſecundæ Antuerpienſis etiam tomus ſecundus A. D. 1597. cuſus habetur. Prodiit item & ex typographia Vaticana tomus ſeptimus A. D. 1607.

Octavus tomus Romæ A. D. 1599. tum ex typographia Congregationis Oratorii, tum ex Vaticana, excudente Aloyſio Zannetto, exiit in lucem. Baronius in nuncupatoria Epiſtola ad Clementem VIII. rationem reddit, cur non eadem celeritate, qua cœptus eſt cudi, octavum Annalium tomum proſequi & abſolvere ſibi licuerit. Proſtat ibi gratiarum actio B. Philippo pro Annalibus Eccleſiaſticis. Octavus hic tomus Antuerpiæ a Moreto A. D. 1600. vulgatus eſt.

Nonus tomus in typographia Congregationis Oratorii & Vaticana A. D. 1600. excuſus eſt, Henrico IV. Francorum Regi a Baronio dicatus. Antuerpiæ hic tomus lucem vidit A. D. 1601. Per idem tempus & Venetiis per Hieronymum Scotum, & Moguntiæ per Johannem Gymnicum & Antonium Hieratum bibliopolas Colonienſes A. D. 1601. nova alia Annalium editio procudebatur. Moguntina editio poſtrema & quinta dicitur, ab ipſomet auctore recognita, emendata, aucta & locupletata, aliarumque exemplar, itaut, quæ ab ea diſcreparent editiones minime germanæ eſſent. In fine tomi primi habetur, *Moguntiæ, typis Balthaſaris Lippii* 1601. Tomus ſecundus, tertius, quartus, quintus, ſextus, ſeptimus, octavus & nonus in eadem Moguntina typographia cuſi eundem annum 1601. præferunt. Veneta vero editio Hieronymi Scoti, quæ anno 1601. excuſa eſt, eodem Hieronymo Scoto interim demortuo ante evulgationem ſuæ editionis, non ipſius nomen præfert, ſed hæredis, nempe *Venetiis apud Hæredem Hieronymi Scoti A. D.* 1601. Acceſſerunt deinde in hac editione alii tomi, qui poſtea ab ipſo Baronio Romæ editi ſunt, nempe decimus, undecimus & duodecimus. At hæc editio & charta & charactere omnium peſſima dici poteſt. Editio Veneta prima apud nonnullos incœpta dicitur anno 1595. Colonienſis item prima anno 1596.

Decimus tomus Romæ in utraque typographia Vaticana ſcilicet & Congregationis Oratorii A. D. 1602. impreſſus eſt, Rodulpho II. Romanorum Imperato-

ri dicatus Antuerpiæ prodiit A. D. 1603. Coloniæ vero Agrippinæ decimus tomus cuſus eſt A. D. 1603. ſumptibus Jo. Gymnici & Antonii Hierati.

Undecimus tomus ex typographiis Vaticana & Congregationis Oratorii A. D. 1605. manavit. Sigiſmundo III. Poloniæ Regi inſcribitur. Moguntiæ excuſus eſt A. D. 1605. typis Joannis Albini, ſumptibus Jo. Gymnici, & Antonii Hierati. Ad Antuerpienſem vero hujus tomi editionem quod attinet, cum perſenſiſſet Baronius a Moreto nonnulla prætermitti atque detruncari conſulto velle, minaces ei literas ſcripſit XII. Kal. Martii A. D. 1606. quibus præſtare ſe firmiſſime in ſententia, ajebat, ut undecimus Annalium tomus a Moreto cuſus, non edatur, nec unius quidem verſus diminutione. Significat etiam ſe illum editis literis toto Chriſtiano Orbi librorum corruptorem denunciaturum, ac pœnas temeritatis ſuæ daturum; non Romæ tantum, ſed & Venetiis itidemque Moguntiæ eumdem tomum undecimum abſque alicujus elementi diminutione cuſum fuiſſe. Hæc Baronii Epiſtola nuper lucem vidit, & edita eſt una cum ſylloge Epiſtolarum a Viris illuſtribus ſcriptarum, curante Petro Burmanno, Lugduni Batavorum A. D. 1724. Attamen ſub finem A. D. 1607. Baronio vita functo, Antuerpiæ hic tomus mutilus prodiit. Moguntiæ autem rurſus undecimus tomus, & Coloniæ Agrippinæ per eoſdem bibliopolas Jo. Gymnicum, & Antonium Hieratum A. D. 1609. cuſus eſt.

Duodecimus tomus Romæ primum ex utraque typographia Vaticana & Vallicellana A. D. 1607. prodiit, Paulo V. P. Max. nuncupatus. Hic annus fuit etiam vitæ ſupremus ipſi Baronio; qui ſeſe jam morientem præſentiebat, tum in hujus tomi dedicatoria epiſtola quæ data eſt IX. Kal. Junii, tum in obteſtatione ad lectorem. Obiit autem Cardinalis ampliſſimus hoc anno die 30. Junii. Antuerpiæ tomus hic duodecimus in officina Plantiniana A. D. 1609. cuſus eſt, quo item anno ſeparatim Coloniæ Agrippinæ, Moguntiæ vero A. D. 1608.

Singula porro, quæ propriis Annalium locis inſerenda aut caſtiganda Baronius præmonuerat, diligenter exſcripſit ac ſeorſim dedit Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro; & in editionibus Annalium, quæ ſub annum 1602. factæ ſunt, aſſignatis locis diſpoſita fuerunt. Baronio vita jam functo plures aliæ Annalium editiones identidem factæ ſunt. Nova editio prodiit ex officina Plantiniana Antuerpiæ A. D. 1608. alia ibidem A. D. 1610. 1612. & 1613: Coloniæ vero Agrippinæ, ſumptibus Jo. Gymnici & Antonii Hierati, A. D. 1609. minoribus quidem typis, nam duodecim Annalium volumina ſex tomos conficiunt. Alia denique ibidem A. D. 1624. ſumptibus Antonii Hierati, quæ editio noviſſima dicitur, ab ipſomet auctore aucta, atque recognita. Subſecutæ ſunt deinde Antuerpienſes duæ ex officina Plantiniana A. D. 1642. 1670. & 1697. Veneta demum A. D. 1705. quæ A. D. 1713. completa eſt. At Antuerpienſes editiones fere omnes & Veneta poſtrema alicubi, & præſertim tomo XI. detruncatæ ſunt, omnium accuratior habetur editio Colonienſis A. D. 1624.

IV. Si ergo Annalium editiones, quæ partim inchoatæ, partim omnino abſolutæ, in lucem hactenus prodierunt, ordine numeres, Prima erit Romana typis Vaticanis anno 1588. Secunda Antuerpienſis Plantiniana anno 1589. Tertia Romana minori forma anno 1591. Quarta Romana ex typographia Torneriana anno 1592. Quinta Vallicellana ex typographia Congregationis Oratorii Romæ an. 1593. Sexta Romana typis Vaticanis editionis ſecundæ an. 1594. Septima Veneta an. 1595. Octava Colonienſis, an. 1596. Nona Antuerpienſis an. 1597. Decima Moguntina an. 1601. Undecima Veneta eodem anno 1601. Duodecima Colonienſis item an. 1601. Decima tertia Colonienſis minoribus typis an. 1609. Decimaquarta Antuerpienſis an. 1610. 1612. 1613. Decima quinta Colonienſis an. 1624. Decima ſexta, Decima ſeptima & Decima octava Antuerpienſis an. 1642. 1670. 1697. Ad calcem tomi XI. editionis Antuerpienſis an. 1642. ſeparatim (ementito tamen editionis loco) habetur tractatus de Monarchia Siciliæ, qui in cæteris Antuerpienſibus deeſt. Decimanona Veneta, incœpta an. 1705. & abſoluta an. 1713. Hæc autem ita accipi volumus, ut non toties omnia Annalium volumina e prœlis prodierint; ſed ubi primum quodlibet Annalium volumen Romanis typis lucem viderit, ſtatim variis in urbibus recuſum fuerit. Quæ vero inchoatæ ſunt poſt annum 1607. duodecim Annalium tomos complectuntur. His addi poteſt Veneta ordine vigeſima, cujus tomus primus prodiit an. 1737. ementito tamen editionis loco, nam titulus hoc opus, quod adhuc ſub prælis Venetis verſatur, Auguſtæ Vindelicorum excudi demonſtrat. Rejecta eſt ibi ad calcem cujuſque tomi Pagii Critica nullis caſtigata notis. Noſtra vero, quam, Deo feliciter juvante, moliti ſumus cujuſque primus tomus lucem vidit an. 1738. erit vigeſima prima. Laudantur a Jo. Fabricio Helmſtadienſi tomo ſecundo ſuæ Bibliothecæ pag. 429. editiones Annalium duæ, altera an. 1645. & altera Romana nupera an. 1714. ſed utramque nos ignorare fatemur, niſi is pro more ſuæ gentis a catholica fide alienæ indigitare velit editionem Venetam, quæ an. 1713. abſoluta fuit. Quæ de Baronio ibidem habet idem Fabricius ita nefaria & contumelioſa ſunt, ut niſi cum indignatione & ſtomacho percurri poſſint. Concervat enim omnia convicia quibus Baronium peſſimi hæretici identidem affecerunt.

Duo-

V. *Num Baronius alios Annalium tomos proſequi ſtatuiſſet.*

Duodecim igitur Baronii volumina typis excuſa fuiſſe videmus, quorum poſtremam ad annum Chriſti 1198. pervenit. Decimi tertii etiam voluminis evulgationem, ut numerum eorum adæquaret quæ fuerant a Centuriatoribus edita, cogitaſſe volunt nonnulli qui Baronii vitam ſcripſerunt. Verum affirmant ipſam prævidiſſe nonniſi duodecim ſe perfecturum, dum illa in fine tomi quinti, *duodecim fragmentorum cophinis*, & initio duodecimi, *lapidibus duodecim e medio Jordanis erutis & in titulum ſempiternæ divinæ gloriæ erectis*, comparavit. Demum in dedicatoria epiſtola tomi XII. ad Paulum V. Pontificem Maximum aperte idem Baronius ſcribit poſtremum ſe fœtum edere. Reliquit autem uberem ſegetem ad annos inſequentes: nam ut Spondanus compertum habuit, Baronius jam morti proximus, Patribus ſuæ Congregationis convocatis, eis veluti nuncupativo teſtamento non ſolum tomi XIII. a ſe jam inchoati, verum etiam totius ſubſecuturæ Hiſtoriæ patrimonium commendavit, ac uti avitam a S. Philippo fidei ſuæ commiſſam hæreditatem tranſmiſit.

VI. *De Centuriarum editionibus earumque auctoribus.*

Quicumque vero Baronium ejuſque Annales novit, tantam operis molem ad Centurias confutandas omnino referri ignorare non poteſt. Commodum propterea futurum arbitramur, ſi hoc loco de earumdem editionibus atque auctoribus nonnulla attingamus, diſquiramuſque ſimul qui in Centurias primi ſcripſerint, quique ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam illuſtrandam ſe de induſtria paraverint, ubi Centuriæ prodire cœperunt, quive juſſi fuerint illas impugnare. Opus igitur, quod tredecim Centurias complectitur in lucem primum prodire cœpit Baſileæ An. 1559. quo anno tres primæ Centuriæ cuſæ fuerunt, deinde recuſæ cum additionibus & caſtigationibus an. 1562. Quarta prodit an. 1560. Quinta & Sexta an. 1562. Septima & Octava an. 1564. Nona an. 1565. Decima & Undecima an. 1567. Duodecima an. 1569. Decima tertia an. 1574. Poſtmodum junctim recuſæ fuerunt omnes Baſileæ an. 1624. ſtudio & cura Ludovici Lucii, quamquam in hac editione multa interpolata multaque detruncata paſſim occurrant. Earum titulus iſtiuſmodi eſt: *Centuriæ XIII. Magdeburgenſes ſive Eccleſiaſtica Hiſtoria integram Eccleſiæ Chriſti ideam quantum ad locum, propagationem, perſecutionem, tranquillitatem, doctrinam, hæreſes, cæremonias, gubernationem, ſchiſmata, ſynodos, perſonas, miracula, martyria, religiones extra Eccleſiam, & ſtatum Imperii politicum attinet ſecundum ſingulas Centurias perſpicuo ordine complectentes, ſingulari diligentia & fide ex vetuſtiſſimis & optimis Hiſtoricis, Patribus & aliis Scriptoribus congeſta per aliquot ſtudioſos & pios Viros in urbe Magdeburga*. Qui ſtudioſi viri hic vocantur, peſſimæ notæ hæretici fuere, quorum princeps Matthias Flaccius Illyricus, ita appellatus, quod in Illyrici finibus, idest Albonæ in Iſtria natus eſſet, quique a catholica fide transfuga aliquando Magdeburgi ad Albim moras trahens, tam infame ac virulentum opus concinnavit, uſus opera Martini Copi, Johannis Wigandi, Matthæi Judicis, Baſilii Fabri, Marci Pancratii Veldpock, Andreæ Corvini, & Thomæ Holthuteri, quibus in excerpendis ſcriptorum locis adjumento fuere Ambroſius Hidfeld, David Cicelerus, Caſpar Leunculus, Willelmus Radenſis, Nicolaus Beumulleruis, Bernardus Niger, & Petrus Schraeder. His additur Conradus Agrius amanuenſis officio functus.

VII. *De Panvinii opuſculis in Centuriatores deque ejus Eccleſiaſtica Hiſtoria.*

Permagni intererat Romanæ Eccleſiæ tam peſtilens opus refellere, ne forte Catholicorum animos inficeret. Negocium datum volunt Onuphrio Panvinio, magni tunc nominis viro, qui Faſtis Conſularibus, Epitome Romanorum Pontificum aliiſque vetuſtatis monumentis jam editis clarus habebatur. Verum Panvinio ſuperſtite nullum ipſius opus in Centuriatores prodiit; nam anno tantum 1589. Veronæ lucem vidit ejuſdem Panvinii Opuſculum *de Primatu Petri & Apoſtolicæ Sedis poteſtate contra Centuriarum Auctores*. Panvinius autem e vivis exceſſerat an. 1568. die XV. Martii. Hoc autem anno 1568. excuſum fuit Venetiis ejuſdem Chronicon Eccleſiaſticum a Julio Cæſare uſque ad Maximilianum II. Auguſtum, nimirum uſque ad an. 1567. licet in præfatione moneat, ſe jam tertio Chronicon illud evulgare, in quo elucubrando annos ferme XV. inſumpſerat. Hujuſmodi Chronico præfigitur index Auctorum, tam editorum, quam manuſcriptorum Bibliothecarum variarum ac archivorum, e quibus Hiſtoriam Eccleſiaſticam concinnavit. Quæ quidem Eccleſiaſtica Hiſtoria hactenus MS. & in duos tomos diſtributa in Vaticana Bibliotheca aſſervatur. Verum, qui putant, ut Cornelius Curtius in Elogiis Eremitarum S. Auguſtini pag. 147. aliique tomos duos Annalium priores, quos Baronius evulgavit, a Panvinio delineatos, longe falluntur; ſi enim eamdem Panvinii Hiſtoriam cum primis Annalium tomis conferent, id facile perſpicient. Num vero publico juſſu, an amicorum & patronorum hortatu ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam contexendam Panvinius animum intenderit, non diffitemus; putamus autem cohortatione potius quam juſſu id accidiſſe.

VIII. *De Octavio Pacato.*

Ferunt etiam Octavium Pacatum, quem & Pantagathum appellarunt, patria Brixienſem, Romæ magni habitum a viris doctis, ubi etiam obiit die

XIX. Octobris an. 1567., ſcribendæ Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Alexandri Cardinalis Farneſii hortatu inſudaſſe, cujus aliquot ſchedas ſeu ſolia apud Baronium ſe vidiſſe teſtabatur Octavius Rubeus & ipſe Brixienſis, uti narrat Leonardus Cozzandus in Bibliotheca Brixiana, & in Pantagathi vita; itemque in ejuſdem vita Jo. Baptiſta Rufus.

IX. *Oſii Cardinalis judicium de ratione ſcribendi in Centuriatores.*

Cæterum magnæ curæ fuit, vel ipſis Tridentini Concilii Patribus, & exinde Romanis Pontificibus, ut Centuriæ a doctis viris catholicis publice retunderentur. In has Centurias, quarum octo tum prodierant, & nona expectabatur, jure ſuccenſens Staniſlaus Cardinalis Oſius in Epiſtola ſcripta an. 1565. M. Antonio Cardinali Amulio affirmat, ex hoc hæreticorum labore, contrarium ejus, quod ipſi docere conantur, liquido demonſtrari poſſe; idque ſe facturum divino fultum auxilio ſperare, niſi male affecta valetudo ab hoc onere ſuſcipiendo eum deterreret. Denique in ea ſententia eſt, ut hoc hæreticorum ſtudium in ſcribendo a catholicis ſit imitandum, nempe quod illi faciant pro ſuis falſis dogmatibus, idem a catholicis fiat pro ſana Eccleſiæ doctrina tuenda & confirmanda. Præterea dandam operam eſſe cenſet ut vel iis viis & rationibus, quas Centuriatores perſecuti ſunt, vel aliis quæ viris judicio & doctrina in Urbe præſtantibus tutiores videbuntur veritas in lucem proferatur. In alia vero Epiſtola ad Franciſcum Turrianum Theologum datam ejus conſilium de Centuriatoribus impugnandis laudat.

X. *Qui in Centurias ſcripſerint privata opera.*

Privata interim opera in Centuriatores ſtilum acuerunt Conradus Brunus, Petrus Caniſius Societatis Jeſu, Alanus Copus, ſeu Nicolaus Harpsfuldus, Gilbertus Genebrardus, Guillelmus Eyſengrein de Nemeto, Bellarminus & alii.

XI. *Quibus a Gregorio XIII. demandatum ſit, ut Centurias refellerent.*

Verum, & Romanorum Pontificum cohortatione & monitis viri docti ad Centuriarum mendacia convellenda excitati fuere. Gregorius XIII. P. Maximus, teſte Antonio Poſſevino in Apparatu, ubi de eodem Gregorio verba facit, Michaeli Medinæ Franciſcano & Petro Fontidonio Hiſpano mandavit, ut quod a Pio IV. & V. ex Synodi Tridentinæ ſententia præſcriptum illis fuerat, nimirum ut adverſus Centurias Magdeburgenſium calamum ſumerent, id ſedulo curarent. Quod per alios quoque, inquit Poſſevinus, ita fieri ſtuduit, ut impoſturas illas prorſus denique detexerint. Poſſevino brevibus ſuccinit Ignatius Bomplanus, & is Societatis Jeſu presbyter, qui in Hiſtoria Pontificatus Gregorii XIII. narrat, hunc Pontificem animos vireſque addidiſſe Michaeli Medinæ ac Petro Fontidonio, ut violatam a Magdeburgenſibus impoſtoribus catholicam veritatem graviter & docte, non per convicia vindicarent.

XII. *De Caroli Sigonii Hiſtoria Eccleſiaſtica.*

Carolo quoque Sigonio, Bononiæ tum publice docenti, mandavit idem Gregorius Pontifex, ut Hiſtoriam Eccleſiaſticam conſcriberet. Paruit Sigonius & auſpicii vice libros de Republica Hebræorum in lucem emiſit anno Chriſti 1582. & in nuncupatoria Epiſtola ad eumdem Gregorium XIII. Pontificem Maximum teſtatur, illius juſſu & auctoritate, quatuor ante annis ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam illuſtrandam ac ſupplendam ſe contuliſſe. Quæ quidem Eccleſiaſtica Hiſtoria ex Codice Bibliothecæ Vaticanæ deſcripta & in libros XIV. diſtributa prodiit Mediolani an. 1734. una cum aliis Sigonii operibus ibidem excuſis, haberturque tomo quarto. Incipit ab anno Chriſti primo & ad 311. uſque pervenit. Cujus pretii ſit hoc opus, quoque temporum ordine ibidem ſint res Eccleſiaſticæ pertractatæ, viderint qui noſtra ætate his ſtudiis delectantur. At Horatius Blancus in Prolegomenis ad hanc Sigonii Hiſtoriam affirmare non dubitavit, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ contexendæ curam a Gregorio XIII. Sigonio primum, deinde Baronio fuiſſe demandatam.

XIII. *Num Baronius privata induſtria an juſſu Romanorum Pontificum Annales Eccleſiaſticos ſcripſerit.*

Fallitur autem Blancus dum putat, decreto & auctoritate Romanorum Pontificum a Baronio Annalibus Eccleſiaſticis conficiendis operam datam; nec ullum aptiorem teſtem afferre poſſumus quam ipſumet Baronium, qui in nuncupatoria Epiſtola ad Sixtum V. Pontificem Maximum de ſuis in Martyrologium Romanum adnotationibus, quas (jam illo juſſu Gregorii XIII. emendato & Romæ edito an. 1584.) ſuaſore & impellente Guillelmo Cardinali Sirleto, confecit & in lucem protulit an. 1586. apertis verbis fatetur, ſe ad hujuſmodi opus non omnino imparatum accedere, quippe qui jam per multos annos in tota Eccleſiaſtica Hiſtoria tractanda verſatus fuerat, & in Hiſtoriis legendis Patrum & Bibliothecarum ſcriptis pervolvendis magnam ætatis partem contriverat, affirmatque hujus rei teſtes futuros Annales Eccleſiaſticos, quos diligentius pertexere & perpolire non deſinebat.

B. Philippi Nerii juſſu Annales confecit.

Apertius in Dedicatoria Epiſtola ad eumdem Sixtum V. Romanum Pontificem, primo Annalium tomo præfixa, dataque an. 1588. in qua de inſtituto Congregationis Oratorii verba faciens, ut ſcilicet Eccleſiaſticæ res in ſacris concionibus enarrentur; ea de cauſa affirmat ſe res geſtas Eccleſiæ ſæpe legiſſe ac illius auctoritate & hortatu, qui ſibi parentis loco erat (hic innuit S. Philippum Nerium) in ea lectione accuratius verſari cœpiſſe, eodemque ſuadente atque impellente ad veteres Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores perluſtrandos examinandoſque animum penitus appuliſſe. Cum vero jam per ſex

luſtra

luſtra univerſa Eccleſiaſtica Hiſtoria fuiſſet ab ea ſepties publice repetita, factum fuit ut ſua ſponte & amicorum cohortatione, de Annalibus Eccleſiaſticis perpoliendis ſerio cogitaret. Modeſte porro de ſe ipſo locutus, in eadem Epiſtola ſcribit, ſe timide admodum lucubrationes ſuas in lucem emittere, quas diutius intra domeſticos parietes aſſervaſſet, niſi Antonii Cardinalis Caraſa Bibliothecarii Apoſtolici auctoritas effeciſſet, ut Annales evulgare inciperet. Demum in Præfatione ad Annales narrat, ſe, cum ætate florente Eccleſiaſticis ſtudiis oblectaretur, invitum licet, ub eo qui tunc ſibi Pater erat, ad Annales pertexendos impulſum, ideoque in boc improbo labore per triginta circiter annos iuſudaſſe: pene imberbem fuiſſe cum hæc exordiretur, anniſque onuſtum in lucem emittere. Non loquimur de iis quæ refert in gratiarum actione B. Philippo tomo VIII. Annalium præmiſſa. Hinc videas Baronium unius B. Philippi Nerii ſuaſione & mandatis manum Annalibus admoviſſe; deinde cum ſua ſponte, cum amicorum cohortatione in iiſdem conſcribendis triginta propemodum annos inſumpſiſſe. Quid ita? ſi juſſu Romunorum Pontificum ac præſertim Gregorii XIII. Annales Baronius elucubraſſet, id ſilentio prætermiſiſſet? Et qua ratione tantam operis molem intra domeſticos parietes contiuere potuiſſet, cujus arbitrium penes Pontifices eſſet? Si jam ante annos trigintu opus inceperat, quo pacto a Gregorio XIII. hæc illi provincia fuit impoſita? Quæ cum ita ſint, nemo non videt Baronium ad Annales conſcribendos cohortatione & imperio unius B. Philippi animum iutendiſſe. His confirmandis præſto eſt auctor ſynchrouus Antonius Poſſevinus in Apparatu: nam Martyrologium Romanum u Baronio ſcriptum ſeu amendatum referr Gregorii XIII. hortatu; Annales vero ſinceſo atque chriſtiano dicendi genere, quod ab omni fuco abeſt, elucubratos, urgente neceſſitate Eccleſiæ, ac Deo ipſo per B. Philippum impellente; gravem quippe provinciam de Eccleſiaſtica Hiſtoria conſcribenda alii non ſuſtinuiſſent.

Cum itaque, ut ad Centurias revertamur, Baronio propoſitum eſſet in Hiſtoria Eccleſiaſtica conteaenda eaſdem prorſus evertere, faceſſant ſcioli quidam & nugatores, qui temere exiſtimarunt, Baronium ſæpe extra ſemitam digredi, quod in Annalibus multa de priſcis Eccleſiæ ritibus, multa de dogmatibus ac traditionibus pertractarit, quæ ab hiſtorica narratione procul eſſe videnrut. Nam impugnandæ erant Centuriæ, quæ contra Catholicam veritatem pluru hujuſmodi complectebantur. XIV. *Cur Annalibus multa de ritibus ac diſciplina a Baronio inſerta fuerint.*

Jam vero ud verſiones & epitomas tranſeamus. Via dum primus Annalium tomus prodierat, eum de eo in alias linguas vertendo, nempe in Germanicam, Polonicam, Gallicam & Italicam cogitari cœptum eſt. Ad Germanicam quod attinet, extat tomo ſecundo Annalium epiſtola Marci Fuggeri ad Baronium, A. D. 1589. data, qua rogat ut ſibi facultatem impertiatur transferendi Annales in Germanicam linguam: quamquidem poreſtutem Baronius literis ſcriptis A. D. 1590. eidem Fuggero humaniter fecit; quamquam primum hortatus eſſet ut epitomen potius Germanica lingua conficeret, ne tantum laboris inſumeret. Valentinus quoque Leuchius, S. Severi apud Erfordienſe oppidum parochus, in vertendis Annalibus in Germanicam linguam elaboravit, teſte Antonio Poſſevino in Apparatu ſacro. Alia Baronii Epitome, cujus auctor ignoratur, Germanica lingua edita fuit Coloniæ anno 1600. in 4. Quod vero ad tranſlationem Annalium in Polonicam linguam ſpectat, eam maxime curavit Staniſlaus Canrcovius archiepiſcopus Gneſnenſis, qui per literas A. D. 1592. Baronium rogavit, ut poteſtatem faceret ſingula Annalium volumina in Polonicam idioma vertendi Patribus Societatis Jeſu, qui in Collegio Caliſſii, tunc ab eodem Canrcovio excitato, morabantur; quod Baronius, literis eodem anno Staniſlao datis, perhumaniter permiſit. Hanc provinciam ſuſcepit Petrus Scarga Polonus, Societatis Jeſu theologus, multis editis Polonica lingua opuſculis clarus, ac decem tomos Annalium eccleſiaſticorum in unum volumen contraxit, quod Cracoviæ prodiit A. D. 1602. XV. *De Annalium verſionibus ac epitomis Germanice, Polonice, Gallice, Arabice, Sclavonice, & Italice editis.*

Gallicam verſionem ſummatim moliti ſunt Claudius Durandus Theologus Pariſienſis & Joſephus Plancheus in principe Senatu Galliæ patronus, quibus in ſcriptione ſocius fuit Artus Thomas Embrii dynaſta, uti teſtatur Petrus Frlaonius in vita Henrici Spondani cap. X. Horum epitome hunc titulum præfert, *Les Annales de l'Egliſe de Ceſar Baronius*, Pariſ. 1614. in fol. Verſionis Gallicæ Annalium jam inchoatæ meminit Nicolaus Faber in epiſtola ad Baronium, de cujus evulgatione anno 1616. agunt Ephemerides litteratorum Pariſienſes ad menſem Martii anno 1702. pag. 278. Aliam epitomen Gallica lingua confecit Petrus Coppinus ex Annalibus Baronii & Spondani conflatam, quæ ſex voluminibus in folio Pariſiis A. D. 1656. prodiit. Arabice quoque Annalium epitome ſtudio Fr. Britii Rhedonenſis cum continuatione uſque ad auuum 1612. prodiit Romæ typis Congregationis de propaganda Fide anno 1653. tribus voluminibus in 4. Demum primum & ſecundum Annalium Baronii tomum, in Sclavonicam linguam converſum Petropoli apud Moſcos non ita pridem lucem vidiſſe, nitidiſſimis excuſum typis, diſcimus ea Actis Eruditorum Lipſienſibus anni MDCCXXIX. pag. 311. XVI.

XVII. Ad Italicas modo verſiooes tranſeamus. Franciſcus Panigarola epiſcopus Aſtenſis Annalium Eccleſiaſticorum volumen primum contracte in Italicum idioma vertit, & ſuæ verſioni hunc titulum præfixit: *Compendio della prima parte degli Annali Eccleſiaſtici del Baronio, con annotazioni*. Roma 1590. in 4. Ea de re Panigarolæ, datis literis, gratias agit Baronius, quæ quidem literæ proſtant in primo Annalium tomo editionis Antuerpienſis A. D. 1597. Italicam etiam tomi primi epitomen confecit Franciſcus Maria Tauruſius, presbyter congregationis Oratorii ſumma familiaritate Baronio conjunctus, quique cum eo Cardinalis creatus eſt. De hac verſione Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro tom. I. pag. 285. At omnium diligentiſſima eſt Italica Annalium verſio facta ab Odorico Rayualdo, quæ Romæ primum edita eſt per Vitalem Maſcardum A. D. 1641. tribus voluminibus in 4. deinde auctior Romæ recuſa A. D. 1656. & anno 1668. abſoluta quinque voluminibus in 4. Poſtremo Venetiis (licet Romæ præferat) anno 1683. cum ejuſdem Raynaldi continuatione Italica, quatuor voluminibus in folio. Aſſervatur etiam in aliquibus Bibliothecis alia Annalium epitome Italice exarata per Alexandrum Taſſonum, quæ manuſcripta adhuc habetur, & circumfertur.

XVIII. *De Annalium Latinis epitomis.* Latinas Annalium epitomas ſeu breviaria plures viri docti conficiendas ſuſceperunt. Ipſe Baronius in præfatione tomi ſecundi monet, eruditorum Fratrum Congregationis Oratorii ſtudio factum iri, ut Annales in epitomen redigantur. Latinum compendium Annalium Eccleſiaſticorum, qui anno D. 1599. in lucem exierant, ſedulo confecit Jo: Gabriel Biſciola presbyter Societatis Jeſu, quod editum eſt Coloniæ Agrippinæ per Jo: Gymnicum, & Antonium Hieratum, anno 1600. in fol. ſubinde Epitomen auxit, qua tamen decem ſæculorum tantummodo Hiſtoriam contraxit ediditque Venetiis, duobus voluminibus in 4. quorum primum an. 1602. ſecundum an. 1603. prodiit, iſdemque annis Lugduni, atque Coloniæ. Denique cum Auctario ſæculi XI. & XII. e Spondano petito, tribus voluminibus in 4. iterum Coloniæ an. 1614. Cornelius præterea Schultingius, Coloniæ ad S. Andreæ Canonicus edidit ordine alphabetico *Theſaurum Antiquitatum Eccleſiaſticarum ex ſeptem prioribus tomis Eccleſiaſticorum Annalium Cæſaris Baronii uſque ad Gregorium M. collectum, cum ſcholiis ſingularibus adverſus Centuriatores Magdeburgenſes & Calviniſtas*. Coloniæ anno 1601. in 8. & cum epitome tomi octavi ibidem an. 1603. apud Hermannum Hobergam. At omnium accuratiſſima eſt Epitome Henrici Spondani. Fuit Spondanus, ut viri eruditi norunt, Baronio per quam familiaris. Poſtquam enim A. D. 1595. Calvinianam hæreſim ejuravit, una cum Franciſco Cardinali Surdiſio anno ſæculari 1600. Romam ſe contulit, ubi a Baronio in contubernium exceptus eſt, & aliquandiu typographiæ Vaticanæ in correctione librorum edendorum inſerviit. Per idem tempus Spondanus in compendium redegit omnes Annalium tomos quos Baronius ediderat. Mox in Gallias reverſus veniam ſuæ Epitomes edendæ petiit; Baronius autem quamquam hoc breviandi genus ægre probare ſoleret, adnuit, literis ei datis pridie Kal. Septembris A. D. 1606. Hæc Epitome typis Pariſienſibus mandata eſt A. D. 1612. & Clero Gallicano dedicata; exinde prodiit Moguntiæ A. D. 1614. in ſolio, item Coloniæ Agrippinæ an. 1614. tribus voluminibus in 4. Item Moguntiæ an. 1618. Pariſiis an. 1612. 1630. 1639. Coloniæ an. 1640. & Lugduni an. 1660. Belgice quoque verſa fuit Spondani Epitome, & edita Antuerpiæ an. 1623. in fol. Hanc eamdem Epitomen Gallice reddidit Petrus Coppinus, ediditque Pariſiis an. 1626. duobus vol. in ſol. Poſt Spondanum Abrahamus Bzovius Hiſtoriam Eccleſiaſticam compendiariam ex Baronii Annalibus aliorumque virorum illuſtrium eccleſiaſticis hiſtoricisque monumentis confecit, quæ Romæ & Antuerpiæ an. 1616. deinde Coloniæ Agrippinæ, ſumptibus Antonii Boetzeri an. 1617. duobus voluminibus in folio excuſa eſt. Ab anno Chriſti primo pervenit ad an. 1198. Accedit Jo. Friderici Mateneſii Hiſtoria Eccleſiaſtica ex Annalibus ejuſdem Bzovii ab an. 1198. ad 1300. Latinam denique Synopſin ſcripſit Ludovicus Aurelius, patria Peruſinus, quæ duobus breviſſima forma voluminibus edita Romæ fuit A. D. 1635. dein Pariſiis an. 1637. duobus voluminibus in 12. & Monaſterii Weſtphalorum an. 1638. in 8. una cum ſummaria continuatione ad ſua uſque tempora. Item Pariſiis an. 1665. tribus voluminibus. Hanc Aurelii Synopſin Gallice vertit & ſupplevit ab an. 1636. uſque ad 1664. Carolus Chaulmerus Hiſtoriographus Regis Galliarum, ediditque Pariſiis an. 1664. ſex voluminibus in 12. & iterum Pariſiis an. 1673. octo voluminibus in 12. Hic etiam eodem anno Gallica lingua evulgavit Dictionarium Eccleſiaſticum in duodecim tomos in 12. diſtributum, cujus ſumma a Baronii Annalibus petita eſt. Vix numerari meretur Annalium Eccleſiaſticorum epitome, ſi tamen hoc nomine appellari poteſt, quam Johannes Horatius Scoglius natione Calaber, patria Cathacenſis elucubravit. Edidit igitur operis hujus partem priorem Romæ an. 1622. in 8. iterumque cum continuatione uſque ad an. 1640. Præfert autem hunc titulum *A primordio Eccleſiæ Hiſtoria Jo. Horatii Scoglii Cathacenſis, cum chronologia ab Orbe condito ad A. D. MDCXL. quæ Ba-*

ro-

ronius Cardinalis, & ultra mille biſcentum alii conſcripſere, annis, voluminibus diffuſa innumeris. Romæ per Manciphum 1642. in 4. Ex ipſomet titulo pretiam operis agnoſce. Poſtremo Auguſtinus Sartorius, natione Germanus, Ordinis Ciſtercienſis monachus in lucem protulit, *Compendium Annalium Eccleſiaſticorum Cardinalis Baronii, cum intermixtis Elogiis.* Pragæ 1722. in 8. in duodecim volumina diviſum, quæ tamen in tria ſolummodo compingi poſſent. Elogia vero inepte ſcripta feruntur. His addi poteſt: *Index Alphabeticus rerum & locorum omnium memorabilium ad Annales Baronii, confectus a Laurentio Card. de Laurea;* opus poſthumum, editumque Romæ an. 1694. in 4. Obierat autem Cardinalis de Laurea paulo ante, ſcilicet die 30. Novembris an. 1693.

XIX. *De Hæreticis ac male feriatis Viris in Annales Baronii deque Catholicis eorum oppugnatoribus.* *De Joſepho Scaligero.* *De Petavio pro Baronio.*

Nunc vero nonnulla perſequamur de elucubrationibus in Annales Eccleſiaſticos Baronii, quæ aut ab Eccleſiæ catholicæ hoſtibus ad eoſdem Annales labefactandos, aut a catholicis adverſus eoſdem hoſtes infeſtiſſimos ad Annales illuſtrandos conſcriptæ fuerunt. Primus Annales appetere conatus eſt Joſephus Scaliger, Baronio adhuc ſuperſtite, non aperte tamen, ſed clanculum atque ſubverecunde in Prolegomenis ad Chronicon Euſebii, & in libris de emendatione temporum; ubi tamen interdiu Baronium virum eximia doctrina præditum vocat. Verum Scaligeri criminationes ipſe Baronius in appendicibus, licet Scaligeri nomen reticeat, & paſſim in libris de Doctrina temporum Dionyſius Petavius refellit.

XX. *De Melchiore Goldaſto.* *De Jo. Gretſero pro Baronio.*

Audacior fuit Melchior Goldaſtus, Sectæ Calvinianæ homo, qui circa A. D. 1609. Baronium perſtrinxit, quod in Annalibus S. Gregorii VII. geſta adverſus ſchiſmaticos tueretur. Goldaſto ſeſe acriter fortiterque objecit Jacobus Gretſerus Societatis Jeſu Theologus, qui cum Ingolſtadii A. D. 1609. Apologiam pro S. Gregorio VII. adverſus Sectarios, in qua inerant quædam opuſcula Bernaldi Conſtantienſis presbyteri pro eodem Pontifice, edidiſſet, anno inſequenti 1610. vulgavit opuſculum, cui titulus, *Paulus Benriedenſis de rebus geſtis Gregorii VII. & Herlucæ Virginis, cum notis pro Cardinali Baronio contra Goldaſtum Calviniſtam; ſive Cæſar Baronius a Melchioris Goldaſti inſcitia, & calumniis vindicatur; Ingolſtadii in 4.* Goldaſtus anno 1611. alium libellum edidit, hocce titulo; *Replicatio pro Sacra Cæſarea & Regia & Francorum Majeſtate & Imperii Ordinibus adverſus Gretſerum, & apologiæ pro Henrico IV. adverſus Gregorium VII.* Tum Gretſerus aliis diſceptationibus occurrit Goldaſto: edidit enim, *Geminam defenſionem pro orthodoxo S. R. Imperio adverſus Goldaſtum Calviniſtam: Gerohi Reicherſpergenſis Syntagma pro Gregorio VII. Refutationem elogiorum Annæ Comnenæ in Alexiade contra eumdem Gregorium VII. Retectionem inſipientiæ Goldaſtinæ in tomo III. Conſtitutionum Imperialium; & Arnuldi Brixienſis in Goldaſto Calviniſta redivivi veram deſcriptionem, & imaginem.* Hæc omnia ſeorſim prodiere Ingolſtadii partim A. D. 1611. partim 1612. partim 1613. in 4.

XXI. *De Caſaubono.*

At his miſſis, & aliis quæ ab Hiſpanis Scriptoribus, ob exortas concertationes de S. Jacobo Apoſtolo edita ſunt ante & poſt Baronii obitum ad Iſaacum Caſaubonum celebrem apud Eccleſiæ catholicæ hoſtes Annalium Eccleſiaſticorum oppugnatorem tranſeamus. Hic ſecta Calvinianus, ex Gallia in Britanniam inſulam veluti transfuga A. D. 1610. trajecit, cum paulo ante Cardinali Perronio promiſiſſet in Feriis Pentecoſtes illius anni 1610. hæreſim ejurare; ſed ejus conſilia intervertit Henrici IV. parricidium; idcirco inſidias ab ſuis Calviniſtis metuens, in Angliam profugit. Hæc habes ex præfatione Heriberti Roſveydi adverſus ejuſdem Caſauboni exercitationes. Britannis tum Jacobus I. Rex novorum ſtudiorum cupidus imperabat. Is Caſaubonum, archiepiſcopi Cantuarienſis, qui plurimum apud ipſum gratia pollebat, commendatione humaniter excepit. Caſaubonum etiam Richardo (non Jacobo, ut Collectio Epiſtolarum Pauli Colomeſii habet) Montacutio Epiſcopo Bathonienſi commendarat Petrus Molinæus & ipſe Calvinianus literis datis A. D. 1610. Hæretico aſtu cauſam receſſus Caſauboni ex Galliis aperit, nimirum ex metu & iracundia, quod jam a triennio in religione nutare cœpiſſet. De ejus ingenio ita profatur, nempe in philologicis & linguis virum doctiſſimum eſſe, ſed circa rerum cognitionem non perinde diligentem & in quo acrimoniam judicii mireris, quippe qui plus memoriam, quam judicium exercuerit, & inſita facilitate quamcumque in partem poſſit impelli. Itaque hortatur Montacutium, ut eum honeſtis præmiis obſtrictum occupare ſtudeat circa hiſtoriam Eccleſiaſticam & refutationem Baronii, ad quod opus jam multa congeſſerat. Caſaubonus igitur ſuſcepta ſcribendi provincia adverſus Baronium, huc illuc ad Sectarios plures literas dedit, in quibus plurima jactans Baronium peſſundare ac profligare contendebat. Scribendo animum intendit V. Kal. Maji A. D. 1612. Ab amicis ſedulo monitus fuit, ut ab inceptis abſtineret: ſed abnuiſſe teſtatur Mericus Caſaubonus ejus filius in libello, cui titulus, *Pietas contra Maledicos, patrii nominis & religionis hoſtes* edito Londini an. 1621. in 8. deinde recuſo poſt epiſtolas Caſauboni editionis Gronovianæ P. 1. pag. 74. Acri vero dolore fuit Caſaubonus affectus, quod memoratus Richar-

chardus Montacutius eum plagii coarguiſſet, perinde ac ſi illius ſpicilegia ſuffuratus eſſet. Itaque Caſaubonus ad eundem Montacutium literis die 14. Decembris anno 1612. ſcriptis, ab hoc crimine ſe purgare ſatagit; at quamquam fateatur argumenta a Montacutio conſarcinata, paucis immutatis, ſuis diſputationibus optime convenire, ſeriem capitum eamdem fere eſſe, loca auctorum eadem, propoſitum idem de Præſidum Syriæ numeratione; diſputationes pro Joſepho eaſdem: conqueritur a Montacutio id unum quæſitum ut ſpicilegia deſcripta probaret, affirmatque Pontificios ſuaviter riſuros, quum hanc pugnam competiverint. Caſaubonus etiam plagii Montacutium accuſat Epiſtola 848. data Kal. Januarii 1613. Hæc jurgia Caſaubonum inter & Montacutium interceſſere. Ex his autem qui amice hortati ſunt Caſaubonum, ut a ſcribendo in Baronium deſiſteret, fuit Andreas Schottus Societatis Jeſu datis ad eum literis, idibus Jaunarii anno 1612. ubi monet, ut Polybium expurgare potius pergat, quam in aliud certamen deſcendat, atque extra chorum ſine fructu ſaltet. Prodiere tamdem Caſauboni Exercitationes XVI. in Annales Eccleſiaſticos Londini A. D. 1614. in 4. præfixa iiſdem ſatis longa nuncupatoria Epiſtola ad Jacobum Britanniæ Regem, additiſque prolegomenis, in quibus de Baronianis Annalibus candide & vere diſputari ait. Sed Exercitationes An. D. 34. non excedunt. Recuſæ ſunt Francofurti An. 1615. & Genevæ anno 1655. in 4. in dedicatoria tamen Epiſtola Baronium ſummis laudibus effert, atque de eo ſcribit magnis ſuis laboribus Sacram Purpuram promeritum fuiſſe, ſuaque diligentia, novo exemplo, in contexenda Eccleſiaſtica Hiſtoria univerſali, & iis omnibus, quæ per totum Chriſtianum Orbem geſta ſunt memoria digna, in unius narrationis ſeriem & formam Annalium digerendis, ea perfeciſſe, de quibus ante ipſum perpauci cogitarant: nemo ſimile quid umquam ediderat. Eadem repetit in prolegomenis, ubi & addit ea Baronii fuiſſe in Eccleſiam merita, quæ ſi immoderato ſtudio partium non corrupiſſet, dignus erat ſine controverſia, cui omnes & veteres & recentiores, qui illam eruditionis partem umquam attigerant, aſſurgerent, & faſces ſubmitterent. Ubi primum ergo Caſauboni exercitationes lucem aſpexere, in alias regiones aſportatæ fuerunt. Verum tantum abeſt, ut Caſaubonus id quod minitatus jam pridem erat, ſit aſſecutus, ut non modo catholicis viris doctis, ſed ipſis hæreticis bilem ac ſtomachum moverit. Caſaubonus interim an. 1614. Kal. Julii Londini obiit. Fuere qui ſcripſerunt eum, quod audiiſſet exercitationes ſuas non bene exceptas, mærore ac rabie confectum interiiſſe. *Ajunt*, verba ſunt Roberti Scheilderi Canonici Atrebatenſis in Epiſtola ad Sebaſtianum Tengnagelium Bibliothecæ Cæſareæ præfectum, ſcripta die VII. Septembris an. 1614. *poſt editas Exercitationes gravi dolore confectum, quod illas minus probari videret. Alii aſſerunt, ex abceſſu in renibus exorto, contracta febre continua, debilitatum, vitam cum morte commutaſſe. Dolebunt multi materiam triumphi ſibi ereptam, qui ſtilum in eum jam ſtrinxerant. Abſque dubio melius famæ ſuæ & literis conſuluiſſet, ſi tempus ſuum impendiſſet illuſtrando Polybio.* Hæc de Caſauboni morte.

XXII. *Qui contra Caſaubonum ſcripſerint. De Roſuveydo.* Sane certatim in eum irruerunt viri plerique catholici doctiſſimi, nempe Heribertus Roſvveydus, Julius Cæſar Bulengerus, Andreas Eudæmon, Johannes & alii. Roſvveydus in arenam primus deſcendit atque opuſculum hoc titulo evulgavit, *Lex talionis XII. tabularum Cardinali Baronio ab Iſaaco Caſaubono dicta, retaliante Heriberto Roſvveydo Ultrajectino ſocietatis Jeſu.* Antuerpiæ ex officina Plantiniana apud Viduam & filios Jo. Moreti 1614. in 8. Huic ſtatim occurrit Jacobus Capellus Calviniſta ac vindicias pro Caſaubono contra ipſius oppugnatores ſcripſit; ſed Roſvveydus ei alium libellum objecit, cui titulus *Anticapellus, ſive exploſio naniarum Jacobi Capelli, quas funeri Iſaaci Caſauboni ad legem XII. tabularum in vindiciis ſuis accinuit.* Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1619. in 8. Capellus eodem anno Roſvveydo oppoſuit libellum, cui titulum prædixit, *Aſſertio bonæ fidei &c.* ſed Roſvveydus alium ei objecit, cujus titulus eſt, *Syllabus malæ fidei Capellianæ, excerptus ex Jacobi Capelli mendaci aſſertione bonæ fidei & fictis artibus Romanæ Sedis, pro Anticapello ſuo, & diſſertatione de fide hæreticis ſervanda.* Antuerpiæ ex Officina Plantiniana 1620. in 8.

XXIII. *De Bulengero.* Roſvveydo ſuccinuit Julius Cæſar Bulengerus, qui an. 1615. Diatribas ſcripſit ad Caſauboni Exercitationes adverſus Cardinalem Baronium. Prodiit opus Lugduni anno 1617. in folio. Narrat Bulengerus in dedicatoria Epiſtola Joanni Cardinali Bonſio Epiſcopo Biterrenſi, quæ data eſt Piſis Kal. Feb. A.D. 1615. a ſe cum Pariſiis eſſet, Exercitationes Caſauboni in primam Annalium partem fuiſſe perlectas; at animadvertiſſe duo tantum capita urgeri, unum de Romani Pontificis quod Ildebrandinam Caſaubonus appellat, omnipotentia; alterum de Sacramento Corporis Chriſti; omnem Caſauboni operam impendi ad primatum Petri & auctoritatem Romani Pontificis labefactandam, ad verum & reale Corpus Chriſti in Euchariſtia negandum; Baronium criminari, quod Græca non confu-

fuerit. His calumniis Bulengerus in ſuis Diatribis occurrit. Poſtmodum Caſaubonus patronum invenit adverſus Bulengerum, Richardum Montacutium Ciceſtrenſem ſymmyſtam, deinde Pſeudo-Epiſcopum Norvvicenſem, qui calamum arripiens in Bulengerum ſcripſit Librum cui titulus, *Antidiatriba ad priorem partem diatribæ J. Cæſaris Bulengeri adverſus exercitationes Iſaaci Caſauboni*. Londini in officina Hulſiana 1625. in folio.

Bulengerum ſecutus eſt, & in nonnullis præceſſit Andreas Eudæmonianus, ſeu Eudæmon-Joannes, Societatis Jeſu presbyter, qui primum edidit *Reſponſionem ad caput IV. primæ Exercitationis Iſaaci Caſauboni*. Coloniæ apud Jo. Kinkium an. 1625. (ſugillarat enim Eudæmonianum eo loci Caſaubonus) Deinde ſingularem diatribam in Caſauboni Exercitationes ſcripſit, cui titulus: *Defenſio Annalium Eccleſiaſticorum Cæſaris Baronii adverſus calumnias & mendacia Iſaaci Caſauboni*, Coloniæ Agrippinæ apud eundem Jo. Kinkium an. 1617. in quarto. XXIV. *De Eudæmon-Joanne.*

Sub idem quoque tempus Joannes Dartis Juriſconſultus Pariſienſis Baronio illuſtrando, & Caſaubono refellendo operam dedit, nam A. D. 1616. vulgavit Animadverſiones in Annales Eccleſiaſticos Cæſaris Baronii, & Exercitationes Caſauboni, quæ editæ ſunt Pariſiis anno 1616. in 8. In his identidem caſtigat Caſaubonum: quamquam dum Baronium illuſtrare conatur, peccat & ipſe aliquando, uti notat Spondanus in epitome A. D. 324. §. 19. XXV. *De Joanne Dartis.*

Succenturiator ab Anglis datus eſt Caſaubono paulo ante memoratus Richardus Montacutius. Hic enim in nuncupatoria epiſtola ad Jacobum Magnæ Britanniæ Regem præfixa Analectis Eccleſiaſticarum Exercitationum editis Londini A. D. 1622. teſtatur ſeptimum jam annum effluxiſſe ex quo, ejuſdem Regis juſſu non ſua voluntate, in Baroniana palæſtra ſe exercebat: neque inficiari, quin ante luſtrum alterum, priuſquam exercitationes Caſaubonianas vidiſſet, aliquid in hoc genere fuiſſe meditatum, non uti in vulgus & hominum conſpectum prodirent elucubrationes ſuæ, ſed ut pro ſuorum ſtudiorum ratione multa colligeret ad Annales Baronianos, antiquitatis totius ditiſſimum quoddam penu, illuſtrandos. Caſaubonum aliqua in parte ſpem de ſe conceptam non fefelliſſe. Mox Montacutius, Caſauboni optio deſignatus, collegit Apparatum ad Origines Eccleſiaſticas, qui excuſus eſt Oxoniæ anno 1635. in folio. In hujus Apparatus præfatione de Caſaubono hæc habet. *Sed neque fortaſſis excuſandum, quod cum ex oppoſito proceſſerit in aciem contra Annaliſtam ..... arripit omnia, in ſingula leviſſima plerumque & nullius momenti critica & philologica vitilitia ad ſatietatem perſequitur, ſi non ad nauſeam. Et quod more majorum fieri non debuit, dubia vel dicta amphibologice ad partes pertrahit perverſiores*. Quamquam vero in Baronium ſcribat, eum ſummis laudibus exornat, & præſertim numero 61. ait enim: *Nec ulla ætas talem virum erit emiſſura, ſive molem & magnitudinem operis ſpectemus, ſeu rerum narratarum varietatem, ſive methodum, & diſpoſitionem factam; omnino fateri, quod mihi videtur, neceſſe eſt:* XXVI. *De Montacutio.*

Nil oriturum alias, nil ortum tale.

Quod ſi qui deinceps ad parem laudem aſpirent, in ſecundis omnino tertiiſque conſidebunt, eo quod veſtigia illius conſectentur qui temporis prærogativa prior, exemplo illis præivit conſecuturis. Et numero 70. *Non ego Illuſtriſſimi Baronii Annales examinandos, exercendos, exagitandos ſuſcipio: agnoſco enim libens me multis modis illius opera adjutum, & induſtria plane admirabili in recolendis vetuſti temporis, & Eccleſiaſticorum rerum monumentis antiquis. Nec bonum virum decet & ingenuum, illum velle impetere, aut etiam conviciis onerare, per quem multipliciter profecerit; ſed ita ſe res habet.* Demum numero 75. *Diſſentire mihi neceſſe eſt*, inquit, *ſæpius a Baronio. Et quidni liceat diſſentire? Caſtris Tornellio de la Puente, aliis licuit, & noviſſime ac in primis doctiſſimo Petavio. Non tamen ita diſſentiendum duxi ut contumeliis ſuceſſerem & opprobriis, quod noſtri vellent, & non factum accuſant Zelatores. Virum enim optime de Eccleſiaſtica antiquitate meritum, quod negari nec poteſt nec debet, illuſtri adeo nominis celebritate, in eminentiſſima dignitate conſtitutum, honeſtum, probum præterea, quod commemorant, & fatentur etiam ipſi ejus adverſarii in privata vita ac rigide ſeverum ac tantum non aſceticum, nuſquam niſi honorifice compellavi.* Eadem ferme ſummatim de Baronio ſcripſerat multo ante in præfatione ad analecta Eccleſiaſticarum exercitationum. At a Montacutio Baronium perperam carpi demonſtrat Henricus Cardinalis Noriſius in Cenotaphiis Piſanis, ubi plures Montacutii errores confutat.

Acrius interea urgebant Britanni ut Annales Baronii iterum confutarentur. Quo circa Jo. Gerhardum Voſſium rogarunt, ut hanc provinciam ſuſciperet, eique non ſemel ea de re ſcripſit Guillelmus Epiſcopus Londinenſis, deinde Cantuarienſis Archiepiſcopus, cujus variæ Epiſtolæ ad Voſſium de Annalibus Baronii confutandis ab A. D. 1628. ad A. D. 1634. datæ leguntur inter Philippi Lim- XXVII. *De Jo. Gerardo Voſſio.*

bor.

borchi epiſtolas. Verum nihil adverſus Baronium ſcripſit Voſſius, quamquam id ſe facturum promiſiſſet in literis ad eumdem Guilielmum Epiſcopum, datis nempe Epiſtola 84. ſcripta VII. Kal. Maii anno 1628. & Epiſtola 103. ſcripta anno 1629. Idem cogitabat Centurias Magdeburgenſes cum brevibus notis edere, qua de re litteras dedit anno 1645. ad Jo. Rodulphum Weſtenium; ſed optabat ut alius hoc negocium ſumeret, & Lodovicum Lucium indigitat. Hæc habes ex Voſſii Epiſtola 397. confer & Epiſtolas 251. & 306. ac aliam ad Georgium Carletonum, quæ edita eſt a Colomeſio in notis ad Lilii Gregorii Gyraldi Dialogos de Poetis pag. 299. Hugo Grotius quoque epiſt. 237. hæc Voſſio ſcripſit: *ſed tu jam forte in Baronio deſudas*. At nihil a Voſſio in Baronium editum fuiſſe fatentur omnes.

XXVIII. *Conſilia Calviniſtarum de confutandis Baronii Annalibus. Ea de re Jacobus Gothofredus, & Claudius Salmaſius rogati.*

Jam dudum & Calviniani, qui in Galliarum Regno verſabantur, conſilium cœperant de Baronii Annalibus impetendis. Hinc in eorum Pſeudoſynodo Caſtrenſi anno 1626. ſtatutum fuit, ut ea de re Jacobus Gothofredus Dionyſii filius, tum Genevæ Juris profeſſor enixe rogaretur. Deinde in Carentonenſi Conventu anni 1631. relatum fuit Gothofredum paratum eſſe ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcribendam, in qua ſibi propoſitum erat quinque priores Annalium tomos refellere. In eodem conventu decretum etiam fuit, ut literæ Claudio Salmaſio mitterentur quo Baronii Annales impugnaret. Bernardinus vero myſta Cartejenſis qui aderat, pecuniæ ac librorum copiam petiit, ut Baronii Annales refellere poſſet. Hæc accepimus ex collectione Synodorum Calviniſtarum qua per Jo. Cravettam Aymonium curata fuit. At ipſorum conatus in irritum ceſſere.

XXIX. *Thomas Reineſius de ſupplendis Caſauboni exercitationibus cogitat.*

Thomas Reineſius Lutheranæ ſectæ addictus, aliquando cogitaſſe videtur de ſupplendis Caſauboni Exercitationibus. Hoc certe conſilium aperit ipſemet Reineſius in Epiſtola Jo. Tobiæ Maio, quæ legitur inter Gudianas ordine CCLI. pag. 316.

XXX. *De Blondellianis Animadverſionibus in Baronium ab Amſtelodamenſibus emptis. De iis edendis negotium datum Marquardo Gudio.*

Amſtelodamenſes item proceres qui Davidis Blondelli Animadverſiones nonnullas, ad oram Annalium appoſitas, religioſe, poſt illius obitum, qui contigit A. D. 1655. in Bibliotheca publica ſervarunt; poſtquam diu multumque hæſitaſſent, tandem ſumptu ſatis ſplendido Marquardum Gudium tum admodum adoleſcentem ad Blondellianas Animadverſiones curandas deſtinarunt, jamque Baronii volumina illius domum allata fuerant; ſed alio Gudium ſatis ducentibus res intermiſſa eſt. Id narrat ipſemet Gudius Epiſt. XXI. Jo. Georgio Grævio Amſtelodami die XIV. Octobris an. 1659.

XXXI. *De Blondellianis Animadverſionibus quid habeat Alexander Morus.*

De his Blondellianis Animadverſionibus meminit etiam Alexander Morus, Calvinianus homo in Præfatione ad Euſebii Chronicon, ubi monet a Blondello Baronii Annales mille caſtigatos fuiſſe notis, aliquando prodituris; ad hæc ſe alia etiam ſubnotaſſe, alia eſſe ab aliis animadverſa, quæ ſi jungerentur, juſtum fere volumen implerent. Ultro tamen ibidem fatetur immenſo Annalium labori, non ſolum Romam, verum etiam univerſum Chriſtianum Orbem plurimum debere.

XXXII. *De Tribechovio & Kortholto.*

Adami Tribechovii, ſeu Tribberhovii exercitationes ad numeros Baronii 237. 287. Anni Chriſti 34. in lucem primum prodierunt Kiloniæ anno 1665. in 4. Deinde an. 1677. Kiloniæ itidem editæ fuerunt Chriſtiani Kortolti Diſquiſitiones ſeptem Anti-Baronianæ, quæ cum aliis duobus deinde additis, & cum Tribechovii exercitationibus quinque ad numeros 232. & 287. Baronii An. Chriſti 34. recuſæ fuerunt Hamburgi an. 1708. in 4.

XXXII. *De Magendeo.*

His addes Andream Magendeum Calvinianum, Myſtam Benearnenſem, cujus Anti-Baronius ſeu Animadverſiones in Annales Cardinales Baronii, cum epitome lucubrationum criticarum Caſauboni in tomi primi annos 34. accedentibus quibuſdam animadverſionibus poſthumis Davidis Blondelli lucem aſpexerunt Lugduni Batavorum an. 1679. in folio. In præfatione, quæ ſcripta eſt A. D. 1675. narrat, Adamum Tribbechovium, anno ſuperiore hoc eſt 1674. in Baronium inſurrexiſſe; hujus & Caſauboni Exercitationes annum 34. non excedere, at ipſe quoque Magendeus A. D. 34. non excedit. Blondelli etiam animadverſiones, quæ pure hiſtoricæ & chronologicæ ſunt A. D. 32. ſecundum Baronium non ſuperant. Magendei animadverſiones hæretica commenta, ut quivis intelligere poteſt, continent. Blondelli Animadverſiones pagellas XXV. non ſuperant. Apage mille Notas.

XXXIII. Magendeum paulo ante Jo: Henricus Ottius profeſſor Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ apud Tigurinos, ſcripſerat *Examen perpetuum hiſtorico Theologicum in Annales Cæſaris Baronii cardinalis*. Prodiit Tigurii per Davidem Geſnerum 1676. duobus voluminibus in 4. Hoc examen ſcommatibus & hæreticis deliriis ſcatens, annos Baronianos 300. complectitur. Ex præfatione hujus cenſoris eruitur a fœderati Belgii ordinibus negotium datum fuiſſe Iſaaco Voſſio, Johannis Gerhardi filio, ut Baronium refelleret, ſed non innuit quidquam a Voſſio in Baronium editum fuiſſe. A catholicis quidem viris Ottii conatus reprimi cœperunt, nam Auguſtinus Reding, abbas monaſterii Einſidlenſis edidit Vindicias Baronii, adverſus

cum-

eumdem Otrium, quæ prodiere ex typographia Monaſterii Einſidlenſis per Joſephum Reymann an. 1680. in folio; ſed primam centuriam tantum edidit, aliæ, eo vita functo, nondum lucem viderunt. *De Mayero*

Inter lucubrationes, quas in Baronium hæretici Scriptores edidere, adnumerare poſſumus breve Syntagma Jo. Friderici Mayeri, cui titulus, *de Fide Baronii & Bellarmini* Amſtelodami 1697. in octavo. At grande opus molitus eſt Samuel Baſnagius, qui Annales politico-Eccleſiaſticos a Cæſare Auguſto ad Phocam uſque, tribus voluminibus in folio, editis Roterodami anno 1706. vulgavit. Præmiſerat paucis ante annis Baſnagius exercitationes quaſdam in Baronium, Caſaubonum imitatus. Sed cœptas ab anno, quo Caſaubonus deſiit, ſcilicet A. D. 35. & ad annum 44. perductas, quas edidit Trajecti ad Rhenum an. 1692. in quarto. Baronii autem errores Baſnagius detegere ejuſque Annales ſe labefactare gloriatur; ſed videas undique furentis hæretici inſaniam in his, quæ ad Catholicam fidem & Romanæ Eccleſiæ auctoritatem ſpectant; ut cætera ejus peccata prætereeam quæ hujuſmodi ſunt, ut ſeveriorem ipſe quam Caſaubonus cenſuram mereatur.

Hactenus de Baronio; nunc vero de Pagio nonnulla. Antonius Pagius e Minorum Conventualium familia Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ & Antiquitatum ſtudiis impenſe addictus de Epitome Annalium Eccleſiaſticorum ab Henrico Spondano confecta, de ipſis Annalibus Eccleſiaſticis illuſtrandis & ſupplendis cogitare cœpit, ne ii qui hujuſmodi ſtudiis oblectabantur in ſalebras incidentes, ſe a Baronii lectione diverterent. Præludii vice in lucem emiſit an. 1682. Diſſertationem Hypaticam de Conſulibus Cæſareis, quæ a viris eruditis grate admodum excepta fuit. Mox ad Henricum Noriſium, deinde S. R. E. Cardinalem litteras dedit, quibus eum de inito a ſe conſilio certiorem facit. Noriſius reſpondit, ſe etiam, dum Chriſtianus Lupus viveret (obierat iſte an. 1681. die 10. Julii) eadem cogitaſſe; ſed quum ſciret, id Lupo jam animo conſtitutum, alio ſuas curas convertiſſe. Hæc ipſe Pagius refert in Præfatione num. VII. Poſtquam igitur Noriſius Diſſertationem Hypaticam accepit atque perlegit Epiſtolam Conſularem Bononiæ editam an. 1683. Pagio inſcripſit, cujus pag. 6. monet ſe ex Antonio Magliabechio audiviſſe illum in Annales Eccleſiaſticos notas brevi in lucem evulgaturum, ideoque ſua eſſe putare quædam in medium proferre, quæ eidem in hoc opere inſervire poſſent; præſertim quum ex Diſſertatione Hypatica deprehenderit Jo. Leunclavium ei fucum feciſſe. Paulo vero poſt de fictis Conſulibus, qui in Diſſertationem Hypaticam irrepſerant, verba faciens, vereri ſe ait ne eoſdem Conſules fictis iterum characteribus Pagius ſuis in Sacros Annales notis inſerat. Quamobrem paucis interjectis ſignificat, ſe ex magna Panvinii meſſe non exiguum manipulum mittere, ut non modo Pagii in magnos Eccleſiæ Annales notas promoveat, verum etiam ipſi demonſtret Conſulum Collegia in libro Dionis LVIII. ac in cæteris uſque ad LXXX. non erudita Dionis manu deſcripta, ſed illuc ex Panvinii Faſtis a Leunclavio deportata. XXXV. *De Antonio Pagio ejuſque laboribus in Annalibus illuſtrandis.*

Ad hæc accedebant ampliſſimorum aliquot S. R. E. Cardinalium exhortationes & vota; nimirum Gregorii Cardinalis Barbadici Epiſcopi Patavini, Hieronymi Cardinalis Caſanatæ & Laurentii Cardinalis de Laurea; qui crebris litteris Pagio ſignificarunt, jam diu optaſſe, ut aliquis ex viris doctis ad Annales Eccleſiaſticos Baronii illuſtrandos totis viribus incumberet; quod opus in magnum Eccleſiæ commodum ceſſurum fuiſſet, eique ſtimulos & animum addiderunt, ut numero IX. Præfationis Pagius teſtatur. Ex quibus colligitur ab iis Cardinalibus prædamnata opinamenta vulgi, putantis inde Baronio decrementum imo & injuriam inferri. Dolebant, ni fallimur, piiſſimi illi Cardinales, Baronii immortale nomen ab Heterodoxis tam indigne traduci; itaque ſummopere expetebant, ut Annales a catholicis viris illuſtrarentur. XXXVI. *Annalium illuſtratio a nonnullis S. R. E. Cardinalibus expetita, ea de re ab his Pagius rogatus.*

Prodigii certe loco habendum fuiſſet, ſi Baronius numquam erraſſet in elucubratione Operis, quod tantis rerum ac temporum difficultatibus irretitum mole ipſa quemvis doctiſſimum hominem a ſcribendo deterruiſſet. Hæc viderat ipſe etiam, nam in Præfatiuncula ad calcem tomi X. Annalium editionis Vaticanæ oppoſita, ſapienter monuit, primam cenſendam eſſe Scriptorum felicitatem ſi a veritate nunquam recedant; at libris divinis dumtaxat eſſe conceſſum, ut nullum in eis mendacium deprehendatur: ſecundam vero ſi quæ humana imbecillitate errata noſcuntur, eadem cognita emendentur: *quam nos*, inquit, *aſſequi cum exoptemus, ita comparati ſumus, ut monitores noſtros tamquam inſignes colamus benefactores; a quibus nec etiam ſeparamus eos, qui ſeipſos adverſariorum loco conſtituunt, dum noſtra infenſo animo carpunt, & tamquam harpyæ, ubi laute ſunt epulati, quæ ſuperſunt patore detractionis inquinant.* Mox vero: *Convertamus in noſtrum lucrum aliena diſpendia, & ſiquid vane objectum, confutemus; ſiquid oſtendatur erratum, corrigamus; ſiquid obſcurum elucidemus: inſuper, & ſi quid ſuper addendum devenerit in manus, pariter adjiciamus. Nihil cum oritur, ſtatim perfectum eſt, neque in longa & perdifficili via, illæſo ſemper incedere pede conceditur; atque ubi multæ vigiliæ, non lævem ſaltem irrepere ſomnum, haud patitur humana.* XXXVII. *Quid de mendis & nævis Annalium Baronius ipſe ſenſerit.*

humana condita. Tanti ac tam gravis moniti non immemor Henricus Spondanus in Præfatione ad Epitomen, ſtatuiſſe ſibi exiſtimavit, notas quaſdam Annalium Summæ, minutiori typorum charactere diſtinctas, ſubiicere, quibus nonnullas Baronio factas obiectiones indicaret, & aliquando dilueret.

XXXVIII. *Prima Pagii cura de Epitome Spondani ſupplenda.* Primum ideo Pagii conſilium fuit, ut Animadverſiones quas elaborabat, ad illuſtrandam Spondani Epitomen potiſſimum pertinerent. Hæc animi ſui ſenſa in Præfatione primæ editionis n. XVI. aperuit, ubi diſerte monet, ſe Animadverſiones ſuas Spondani potius Synopſi, quam Baronii Annalibus affixiſſe, quod illa inter omnium, hi ob nimiam fortaſſe molem, inter paucorum manus verſentur; cum tamen utriuſque operis eadem ſit materia; iiſdemque annis, licet diverſis numeris recitata, Annalibus omnia reſpondebunt, ſi ad numeros Annalium in margine poſitos, reſpiciatur. Hinc illud peculiare Pagiani Operis, quod duos diverſos Auctores uno eodemque tempore illuſtret, ſuppleat, & emendet. Cogitabat etiam Pagius ad Epitomen illuſtrandam tres tomos, ad Annalium vero ſingula vix quatuor ſufficere. Verebatur præterea, ſi omnia, quæ in Annalibus habentur, expendenda ſuſcepiſſet, ne morte ſuperveniente tanti laboris opus imperfectum ac rude relinqueret; cum e contra, Epitomes ordini adhærens, octo priora ſæcula jam emendaſſet. *Denique*, inquit, *tertio, ſeu ultimo tomo ad finem perducto, poterunt hæ Notæ, ſi Deus vitam dederit, pluribus augeri, & Annalibus in nova correctiſſimaque eorum editione, quam Librarius meus meditatur, nullo negotio inſeri*. Hæc ſcribebat Pagius in Præfatione primæ editionis, quæ a poſteriore Præfatione ſublata ſunt, quia conſilium immutavit. Ex hoc etiam colligitur cur primi voluminis prioris editionis hic titulus fuerit: *Critica Hiſtorica Chronologica in Annales Eccleſiaſticos Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Cardinalis Baronii, Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Henrici Spondani Appamiarum Epiſcopi, ejus Epitomatoris ordine ſervata*. Sed mutato poſtmodum conſilio, ſuadentibus Amicis editum jam volumen reformandum & ad uſum Annalium Baronianorum transferendum ſuſcepit, tum & Operi ad exitum uſque proſequendo ſe contulit.

XXXIX. *Pagii mens non fuit, ut Baronium carperet, ſed ut illuſtraret.* Nec malo Baronium carpendi lacerandive pruritu Pagius motus fuit ut id operis moliretur; quin potius manus adjutrices ſe admoturum ſpopondit, ut tot tantiſque Antiquitatis monumentis, poſt Baronii obitum vulgatis, adjutus id ageret, quod ipſe per ſe Baronius, ſi viveret, præſtitiſſet, ut quam emendatiſſimos Annales Eccleſiaſticos daret. Ne vero laborioſiſſimum Opus in incertum exponeret, publicum ea de re judicium explorandum cenſuit, vulgata Lugdunenſibus typis Anno Domini 1682. Diſſertatione Hypatica unico volumine in 4. in qua Conſulatuum Cæſareorum regulas a ſe tunc primo traditas digerit atque operoſe confirmat. Ut probari illam ab Eruditis ſenſit; tunc demum priorem Criticæ ſuæ tomum A. D. 1689. in f. Pariſiis vulgavit. Reliquos dum parabat, Operi jam prope abſoluto immortuus eſt. Poſt funus tamen Scriptoris clariſſimi integra ejus Lucubratio Antuerpienſibus, ſeu potius Genevenſibus typis A. D. 1705. prodivit, recuſo pariter & priori volumine, ſecundis Auctoris ſui curis recenſito, ut quatuor in folio Volumina referret. Opus illud curavit P. Franciſcus Pagi, Cl. Auctoris ex fratre nepos, profeſſione vero & ſtudiorum conjunctione ſocius. Eadem iterum præla ſubivit Opus inſigne A. 1727. quam poſtremam editionem nobis hic propoſuimus, utpote quæ præcedenti correctior ſit, & adjunctam ferat Diſſertationem Hypaticam, quam & nos hic damus una cum Epiſtola Conſulari Cardinalis Norisii ad poſtremam Veronenſem editionem expreſſa.

XL. Hanc vero Pagii Criticam modeſtam oppido, & ſummo illo Eruditorum applauſu, quo excepta primum fuit, dignam, huc uſque ſeorſum excuſam, in hac noſtra Baronii editione ſubjungendam ſingulis Baroniani textus pagellis aſſumimus, ut ad unum oculi ictum ſtatim Lectores intelligant, quid in rebus ſingulis a Baronio narratis corrigi, quid addi, quid ad alios annos amandari debeat. Ex quo noſtro conſilio ſicut Pagii laudibus nihil detractum eſt; ita & optamus ne ex frequentia & prolixitate Pagianarum animadverſionum Baronii gloriæ & meritis quidquam derogetur. Non enim ita reputandum eſt, ac ſi totum Pagii Opus perpetua ſit Baronii critica & emendatio. Sæpe enim Baronii vindicem pro critico acturos longam pro illo diſputationem inſtituit. Sæpiſſime etiam, & longe quam exiſtimari poſſit frequentius, pro eo quod Auctoris errata corrigat, quæ non habet in promptu, additamenta ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam e Scriptore aliquo poſt Baronii fatum vulgato (cujuſmodi plures exinde ad Pagium uſque prodierunt) exhibet. Quam facile nobis eſſet, ſi rationem illam agendi inire vellemus in Pagium ſcribentes, grandia implere Volumina? Quam denſa rerum novarum ſylva poſt Pagium ſuccrevit nobis ex Anecdotis Martene, Peziorum, ſcriptis Eccardi, Coletti Collectione Conciliorum, Muratorii Voluminibus Rerum Italicarum, Menkenii Rerum Germanicarum &c. quorum ſi Epitomen dare hic vacaret, materia ſuppeteret prompta ad Volumina?

na? Adda Hiſtorias hucuſque Anecdotas, Acta SS. e Bibliothecis recens vulgata, ex quibus lux nova, novæque rerum circumſtantiæ veteribus Hiſtoriis ſuppeditantur. Ita ex Actis S. Hypatii, a Bollandiſtis ad diem XVII. Junii vulgatis, nunc primo diſcimus Neſtorium deductum fuiſſe Conſtantinopolim, ad Sacerdotium ejus Urbis capeſſendam, a Dionyſio Præfecto militiæ Orientis ab Imperatore miſſo, eumdemque hæreticum convenire, & alloqui recuſaſſe Virum ſanctum, quod ſuperne didiciſſet, quid ex illo periculi immineret Eccleſiæ; ideoque & prædixiſſe poſt triennium & ſemis deponendam fore ab Epiſcopatu, quæ ejus verba fidem oraculi ex eventu obtinuerunt. Ex eo ſpecimine diſcere licet, quam facile eſſet Volumina implere, ſi in ejuſmodi immoraremur; ut non immerito affirmaretur, ſi Pagius quatuor grandia volumina in Baronium dedit, nullo negocio totidem non minora in Pagium ſcribi potuiſſe. Inſuper quædam non raro carpit Pagius, quæ dubia ſunt; nec interim ipſe meliora ſuggerit. Simulacrum Romæ erectum Simoni Mago Samaritano conſecratum fuiſſe Baronius ex Juſtini fide ſcripſerat. Erratum hic a Baronio, erratum a S. Juſtino clamitat cum pluribus Pagius; nec enim ſimulacri epigraphes ita ferebat: *Simoni Deo Sancto*; ſed potius: *Semoni Deo Sango*. Sed adhuc pro Juſtino & Baronio multi nec infimi ſubſellii Critici cum Tillemontio perorant. Hæc igitur & alia plura, in quibus manifeſti erroris argui Baronius non poteſt, ſi demas, in anguſtum vaſtiſſimum Opus redigetur. Denique non ſemel accidit, ut quæ bene a Baronio aſſerta ſunt, non bene a Pagio emendentur. Ita in Hiſtoria S. Ottonis Bambergenſis peſſime erratum a Pagio, & ad veritatem appoſite ſcriptum a Baronio Bollandiſtæ in Actis ejuſdem Sancti ad diem II. Julii notant, & nos ex illis ſuo loco. Sed quorſum hæc? Numquid ut Pagii laudibus & gloriæ caliginem affundamus? Abſit tanta e noſtris hiſce elucubrationibus malignitas, ſicut abeſt a corde. Pagium cum viris doctiſſimis Tillemontio, Dupinio, Montfauconio, Noriſio ſuſpicimus atque obſervamus, ejuſque in rebus præſertim chronologicis, eruditione, veluti prælata face lucem magnam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ affundi agnoſcimus & fatemur. Sed & Baronio ſua manet intacta gloria apud Viros Eruditos, cui etſi quandoque error obrepſit, mens tamen fuit, ingenium & eruditio par tanto operi, chronologico ordine felicius, quam ſperari ætate illa poterat, dirigendo. Supereſt ut de Adnotationibus quas Pagii Criticæ ſubjungimus, quædam præmoneamus. Igitur noſtræ hujus Editionis pretium non conſtituit tantummodo Critica Pagii ſuis aptis locis textui Baroniano ſubjecta, ſed & ſuam laudem merentur adnotationes quibus Pagius ad trutinam revocatur.

Primo, Conſulares Faſti ab anno Urbis conditæ 709. ad annum Chriſti 565. XLI. *De Faſtis conſularibus emendatis et illuſtratis.*
opera *Dominici Georgii* emendantur & illuſtrantur veterum lapidum ac monumentorum fide; de quibus lectorem quoque præmunire oportet, & quorumdam fortaſſe objectionibus obviam ire, quibus ſupervacaneus labor hujuſmodi videri poſſet. Quid enim Faſti, aient, cum Hiſtoria Eccleſiaſtica? Baronius ipſe ea de re eos docebit, noſque ab eorum inſcitia vindicabit. *Tempora*, inquit illo ad A. D. 69. num. XXXVI. *annumerata per Conſules libentioribus ſunt accipienda auribus, quum cæteris illa frequentior, liberalior, & verior noſcatur eſſe Chronographia, atque in uſum frequentiorem accepta, quæ a Faſtis deducta eſt conſularibus. Certe quidem cum vetera monumenta in antiquis ſcriptoribus invenimus eſſe Conſulibus conſignata, magno afficimur gaudio; perinde ac ſi in tenebris obverſanti fax aliqua ex optato compareat. Verum ſicut ad tempora elucidanda nihil his poſſet accidere opportunius; ita ſi ab aliquo falſo conjectore, vel impoſtore commentitii Conſulatus affigantur, omnino ſimul confundi, ac luce patentia mox obſcuriſſima reddi neceſſe eſt.* Hacuſque Baronius, quem eadem in Annalibus paſſim ſentire invenies. At enim actum agi videtur. Scimus profecto in Faſtos egregia cum laude inſudaſſe *Onuphrium Panvinium*, *Carolum Sigonium*, *Stephanum Vinandum Pighium*, *Baronium*, *Petavium*, *Joſephum Scaligerum*, *Noriſium*, *Mediobarbum*, *Antonium Pagium*, *Theodorum Almeloveenium*, *Petrum Relandum*, *Franciſcum Blanchinum*, *Camillum Silveſtrium*, & *Joſephum Mariam Stampam*, ut alios prætereamus, qui laterculos Conſulum pertexerunt. Unuſquiſque eorum alieno labori aliquid ſuperaddendum eſſe putavit. Pagii quidem, cæteris, qui eum præceſſerunt, omiſſis, in edenda diſſertatione Hypatica ea mens fuit, ut Opus Faſtorum Onuphrii ſuppleret & emendaret, ea quæ aſſequi non potuerat aut ejus diligentiam ſubterfugerant proferret & explicaret. Animadverterat enim, tria ab Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſtudioſis jamdiu deſiderari, caſtigatam nempe Conſulum, Imperatorum, & Pontificum Romanorum ſeriem, cujus vitio doctrina temporum maxime nutabat. Animadverterat inſuper ab Onuphrio Orientales Conſules poſt Juſtinum perperam adeo corruptoſque diſpoſitos, ut neque Baronius, neque alius chronologus eis uti potuerit, quod maxime temporum ordinem perturbaret. Hinc loca a nullo ante protrita, ſe peragrare ſcribit. Verum vix in lucem prodierat ejus Diſſertatio, cum

c Henri-

Henricus Noriſius Epiſtolam conſularem elucubravit, typiſque mandatam A. D. 1683. ipſi Pagio inſcripſit. Plura, ne dicam innumera, Pagii ſphalmata Noriſius detexit, licet non univerſum Panvinii opus, aut Pagianam Diſſertationem emendare in animo haberet. Jam rem cogitabat Faſtos conſulares plurium vetuſtarum inſcriptionum ope, quæ poſt Panvinium e terræ ruderibus effoſſæ fuerant, illuſtrare; quod quidem fatetur in Diſſertatione ad Faſtos conſulares Anonymi Vindebonenſis; ſed ad alia vocatus, promiſſæ lucubrationis adhuc deſiderio flagramus. Deinde Theodorus Janſſonius Almelovenius A. D. 1705. Faſtos Romanos conſulares libello exiguæ molis vulgavit, quos etiam aliquo in pretio habendos eſſe cenſemus. Hunc conſequitur Petrus Relandus, qui Faſtos, legum Romanarum, & veterum monumentorum auctoritate ſuffultus, illuſtravit; at non ab initio imperii Auguſtei, aut æræ Chriſtianæ, ſed a dimidio ferme ſecundi a Chriſto ſæculi exorſus eſt. Exinde vir clariſſimus Franciſcus Blanchinus in Chronologia Pontificum & Auguſtorum, editioni Vaticanæ Anaſtaſii Bibliothecarii præmiſſa, Conſules, eorumque nomina & ſeriem emendatius ope antiquorum lapidum diſpoſuit. Blanchinum præiverat Comes Camillus Silveſtrius, patria Rhodiginus, quem etiam honoris cauſa, & ob ſummam, qua Georgium amplexus eſt, benevolentiam, nominamus. Is chronologicum opus confecerat, in quo laterculi conſulum a creatis Conſulibus ad A. D. 668. diſponuntur, variiſque Diſſertationibus exornantur; ſed fato præreptus VIII. Idus Januarias A. D. 1719. opus poſthumum lucem tantum vidit Lipſiæ A. D. 1726. Carolo Comite Silveſtrio ejus filio, Georgio pariter amore conjunctiſſimo, curante. Noviſſime vero Joſephus Maria Stampa Clericus regularis e Congregatione Somaſcha, in nova operum Caroli Sigonii editione, quæ Mediolani parata eſt, multum laboris inſumpſit in Faſtos conſulares Capitolinos, jam pridem a Sigonio commentariis expolitos, eos eruditis adnotationibus locupletando, & ad tertii Chriſti ſæculi finem perducendo. Sua porro eſt ſingulis laus, ut apud eos qui noviſſime ſcripſerunt, quædam offendes, quæ in aliis, qui anteceſſerunt, fruſtra requiras. Viderunt enim, hoc opus poſt tot hominum doctiſſimorum ſtudia, non omnino fuiſſe abſolutum. His nos edocti, in primis ultro fatemur, adhuc multa Faſtis deeſſe, quæ injuria temporum, inſcitia & barbaries e medio ſuſtulit, nempe monumenta plurima, quorum ope corrigi etiam plura poſſent. Multa adhuc prænomina Conſulum, aliqua etiam nomina latent. Faſti ergo illuſtrabuntur uſquequo vetera monumenta in lucem eruentur. Itaque operæ pretium nos facturos eſſe putavimus, ſi Faſtos, quos Pagius purgatiores, Noriſii epiſtola conſulari admonitus, in Critica Baroniana dedit, priſcorum lapidum, tum editorum, tum recens erutorum, ac præſertim eorum qui in Capitolinas ædes Clementis XII. Pont. Max. munificentia tranſlati ſunt, præſidio, & auxilio perpurgare, munire, & ſupplere conaremur. Uſi ſumus præterea vetuſtiſſimo codice Vaticano, litteris quadratis exarato, in quo S. Hieronymi opus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Gennadii de viris illuſtribus continetur; quod codici huic aſſutus ſit Paſchalis laterculus cum Conſulum nominibus ab A. D. 354. ad 437. dein Epitome temporum, & Indiculus Paſchæ, additis ſingulis quibuſque annis Conſulibus ab A. D. 464 ad intermiſſum uſque conſulatum, & ad conſulatum ferme *Mauricii Auguſti*; præter Proſperi Aquitani Chronicon, ab editis in multis diſcrepans. Quod quidem Chronicon una cum laterculis ac tabulis Paſchalibus memoratis in hoc Apparatu edendum cenſuimus. Ubi Pagii Faſtos caſtigavimus, aut monumentis vetuſtis antehac non vulgatis præmunivimus, aſteriſco * in Indice peculiari Conſulum prænotavimus. Quamquam de ſuffectis Conſulibus multum ſolliciti non fuerimus, quod raro ad Faſtos pertineant, eorumdem tamen ſæpe nomina recenſuimus. Hæc ſunt quæ de labore noſtro in Faſtos lectores ſcire volumus.

XLII. *De Indice Conſulum, & vindiciis Donationum Apoſtolicæ Sedi antiquitus factarum.*

Præter adnotationes in Conſulares Faſtos, ac Indicem Conſulum per nomina poſtrema, ſeu cognomina digeſtum, quem ſuo loco exhibebimus, *Georgius* adnotationes alias identidem inſperſit. Diplomata item donationum Apoſtolicæ Sedi antiquitus factarum, nimirum *Ludovici Pii*, *Ottonis Magni*, & *S. Henrici Imperatorum* cum optimæ notæ codicibus collata proferet, & a Pagii aliorumque calumniis vindicabit.

XLIII. *De variis lectionibus ex codicibus Vaticanis excerptis ad illuſtrandas vitas Romanorum Pontificum, apud Baronium ex Anaſtaſio.*

Quoniam vero Baronio in more fuit Annalibus inſerere geſta Romanorum Pontificum ex libro Pontificali, ſeu ex Anaſtaſio Bibliothecario deprompta; ac ad ſæculum Chriſti octavum ſingula ferme, quæ ad cujuſvis Romani Pontificis res geſtas pertinent, ipſiſmet Anaſtaſii verbis referre; non parum conferre putavit *Georgius*, ſi ad oram vel ad imam paginam ubi Anaſtaſii textus affertur, varias lectiones ex codicibus Vaticanis decerptas, ac ex iis præſertim, quibus uſus eſt V. C. Jo. Vignolius in editione libri Pontificalis, cujus tantum prior tomus lucem vidit, & ex variis etiam lectionibus Lucæ Holſtenii, a Sancto Zacharia, ad Nicolaum Pontificem hujus nominis primum, edendas opportune ſuis locis curaret. Ubi ergo editionis hujuſce noſtræ Volumina ad S. Zachariæ Pontificatum pervenerint, ibi Monitum Georgii de hac re dabimus.

His

Digitized by Google

XLIV. *De Actis Paſchalis II. Rom. Pontificis, deque Diſſertatione de Conſulibus, & Ducibus Romanis ævo inferiori.*

His ſuo quoque loco addet Acta quædam ſub Paſchali II. Romano Pontifice a Baronio quidem edita, ſed nunc ad fidem codicis ævo ejuſdem Paſchalis ſcripti, emendata. Opportuna etiam Diſſertationem de *Conſulibus & Ducibus Romanis* ævo inferiori, ſuppeditabit.

XLV. *Epiſtola Pagii ad Nicaſium de ſuis in Annales laboribus.*

Ipſius conſilio in eodem Apparatu recudimus Pagii Epiſtolam Gallica lingua ſcriptam ad Abbatem Claudium Nicaſium de ſuis in Annales Baronii Animadverſionibus, quæ primum ſeparatim prodiit Lugduni, & data eſt die prima Octobris anno MDCXCV. & recuſa fuit in Ephemeridibus Reipublicæ litterariæ, ſeu uti vulgo vocant, *Novellis Reipublicæ Litterariæ*, auctore Jacobo Bernardo, ſcilicet anno 1699. menſe Julio a pag. 40. ad 84. Ibi vero, fortaſſe mendoſe, Pagii epiſtola data dicitur die prima Octobris anno MDCXCVI. In fine hujus Epiſtolæ ſcribit Pagius, ſe eam aditurum eſſe in tomo ſecundo ſui Operis, propterea quod ita etiam Nicaſius ſenſerat.

XLVI. *Pagii Diſſertatio Apologetica de Conſulatibus Cæſareis.*

Neque abſonum viſum eſt, ſi adderetur ejuſdem Pagii Diſceptatio Apologetica de Conſulatibus Cæſareis, Gallice item exarata, quæ lucem vidit in Diario Litteratorum, vernacula Gallorum lingua edito vulgo: *Journal des Scavans*, anno 1686. menſe Novembris pag. 462. Noriſius in Epiſtola Conſulari, non ex ſua, ſed ex quorumdam eruditorum opinione, nonnulla in Pagii theoremata de Cæſarum, & Auguſtorum conſulatibus objecerat. Pagius pro certo habendum docuerat, Imperatores, cum quinquennalia, decennalia, & quindecennalia celebrabant, & Cæſares, cum ad Imperium evehebantur, eodem anno conſulatum geſſiſſe, vel conſules proceſſiſſe. Ut a Noriſii objectionibus ſe purgaret Pagius, *Vindicias regularum conſulum Cæſareorum* ſcripſit, quas edidit anno 1684. inſeruitque Præfationi in ſermones Sancti Antonii de Padua, quæ Antonio Magliabechio inſcribitur. Numero XI. ejuſdem Præfationis vindiciæ incipiunt, in quibus Pagius conqueritur, ab obtrectatoribus regulas Conſulatuum Cæſareorum iniquius oppugnari.

XLVII. *De Diſſertatione de die & anno mortis S. Martini.*

Edidiſſemus etiam Pagii Diſſertationem de anno & die mortis S. Martini, de qua ipſemet Pagius ad A. D. 351. num. VI. an. 375. num. VIII. an. 402. num. XX. & an. 482. num. XXVII. Sed ex Præfatione Pagianæ Criticæ an. 1705. num. XVII. didicimus, eamdem ab eo, morte intercepto, imperfectam relictam. Hanc Diſſertationem aliquando publici juris ſe facturum Franciſcus Pagius promiſerat, hactenus tamen lucem non edidiſſe, ex amicorum litteris, qui anno ſuperiori cum Antonio Pagio juniori ea de re collocuti ſunt, percepimus.

XLVIII. *De Adnotationibus Manſi in hanc noviſſimam Annalium editionem.*

Præter ea, quæ commemoravimus, ad hanc noſtram editionem numeris omnibus abſolvendam conducunt aliquæ ingentes Animadverſiones, quæ a P. Dominico Manſio ſuppeditantur.

Quemadmodum poſt Baronii fatum multa prodierunt vetuſte Documenta, quæ ad id uſque temporis in Bibliothecis delituerant, eorumque beneficio multa corrigere, illuſtrare, addere, demere in Annalibus Eccleſiaſticis Pagio licuit; ita & poſt Pagii deceſſum rariore licet, adhuc tamen quædam vulgate ſunt, quæ Pagium ſupplent, emendant, & illuſtrant. Ex his igitur adnotationes haſce Manſius adornavit; atque in primis diligentiam impendit non exiguam, ut chronologia quam accuratiſſime dirigeretur; idque præſertim a ſæculo VIII. & deinceps, ex quo crebriora vetuſtatis monumenta in rem illam ſuppetunt. Sed nec in Chronologicis tantummodo ſe continuit; quin & Hiſtorica multa a Pagio confuſa, ope novorum documentorum explicavit; Concilia diſtinxit, quæ Pagius ſemel & iterum miſcuit; quædam ab illo oſcitantius lecta, Auctorum locis adductis in medium, reſtituit. Variantes Lectiones non paſſim omnes, ſed quæ majoris momenti viſæ ſunt, non neglexit. Interdum criticæ ope apocrypha arguit quædam, minus caute ab illo admiſſa. Ratio pariter habita eſt auctoritatis & dignitatis Romani Pontificis, ſi quando forte ab illo negligi viſa eſt. Ita Romano Pontifici ditionem in loca quædam Italiæ etiam ante Pipini & Caroli Magni donationem aſſeruit, quod negare ex futili quadam conjectura Pagio ſuccurrit. Denique in Annales Eccleſiaſticos Concilia plura nunquam antehac memorata invexit; quod ipſi adeo feliciter obtigit, ut ad ſexaginta Concilia in adnotationibus retulerit, quæ ne in ampliſſima quidem Veneto-Labbeana Conciliorum collectione recenſentur. Ne quid dicamus de chronologia Conciliari in multis reſtituta. In uſus hoſce valuerunt illi a Miſcellaneis Baluzii Tomus V, VI, & VII, qui poſt confectum a Pagio Opus prodierant. Ex ditiſſimo hoc penu deprompſit Gaudentii Presbyteri adnotationem inſignem, ex qua celebris controverſia de anno emortuali Juſtiniani, & primo Juſtini minoris, ac de Juſtini ejuſdem Conſulatu ad mentem Baronii contra Pagium definita eſt. Profuerunt & Anecdota Cll. virorum PP. Martene, & Durand, quæ tomis 5. in fol. prodierunt Pariſiis A. 1717, quibus nuper ingens acceſſio facta eſt ex Collectione ampliſſima veterum Monumentorum novem in fol. columina implente. Nonnulla hinc hauſit ad Pontificum ſæculi X, & XI, chronologiam re-

formandam aptiſſima; ſicut & Conciliorum quorumdam epocha ex his feliciter ſtabilita eſt. Valuit etiam, & mire quantum, Collectio ingens Scriptorum Italicorum Clariſſimi Muratorii, Volumina XXVII. adæquans, cui Concilia, epochas chronologicas, ignotas ad id uſque Eccleſiaſticarum rerum circumſtantias debemus. Ut autem in vaſtiſſimo illo campo excurrendo labor interdum minueretur, fuerunt inſperſæ hinc inde doctiſſimi Muratorii, & Saxii animadverſiones, quæ utilia quæque excerpunt, offerunt, illuſtrant. Eamdemque gratiam referimus eidem Cl. Muratorio pro erudito Opere *Antiquitates Italicæ Medii Ævi*, cujus Volumen primum & ſecundum Mediolanenſia præla jam dederunt. Eamdem & clariſſimi Saxii animadverſionibus in Regnum Italiæ Sigonii, quæ noviſſimam Mediolanenſem Operum ejuſdem Sigonii Editionem exornant. Symbolam contulerunt Eccardus in Corpore hiſtorico Medii Ævi, unde Annaliſta Saxo, & Annales Boſovienſes, quantivis pretii Opera, ſuppeditata ſunt; Menkenii Collectio Rerum Germanicarum tribus in fol. tomis paucis ab hinc annis excuſa; Ludevvigi Reliquiæ M. SS. omnis Ævi Diplomatum; Galliæ Chriſtianæ Editio nova a laudatiſſimis S. Mauri Monachis adornata. Opportunior vero accidit nova itidem Editio Italiæ Sacræ a Coletto Venetiis curata, & documentis plurimis aucta. Porro Ughellium quamvis non ignoravit Pagius, non ea tamen, qua cætera ſolebat, diligentia excuſſit; unde factum eſt, ut plura, quæ e ſedula ejus lectione didiciſſet, vel neglexerit, vel ignoraverit. Sed de nova Anaſtaſii Bibliothecarii (cui vulgo adſcribitur Opus ex pluribus collectum) Romana editione A. 1731. publicari cœpta, cujus tomus IV. A. 1735. prodiit, quid ſtatuendum? Chronologia Pontificia ibidem operoſe illuſtratur, ſtudio primum Cl. Blanchini ſenioris, dein in poſtremo volumine labore Cl. Cenni Piſtorienſis Sacerdotis. Sed cum illi contra Pagium nonniſi conjecturis plerumque pugnent, ideo non ſemper eorum meditationibus inſiſtendum; conjecturas enim conjecturis opponere tædii multum, utilitatis parum Lectoribus afferret. Ideo ſelecta tantummodo & certiora ex illis decerpta fuere, cæteris omiſſis. Magis e re fuit Indiculus quidam Summorum Pontificum a Symmacho cœptus, & ad Vigilium uſque continuatus, ab Auctore, quantum conjectura aſſequi licet, eidem Vigilio coævo, utpote qui obitus illius Indictionem, feriam, & tempus nocturnum notet, quæ minuta proſequi vix alius quam coævus Scriptor poſſet. Vulgavit illum ex inſigni Capituli Veronenſis Bibliotheca Cl. Blanchinius ſenioris illius Blanchinii ex fratre nepos, una cum veteri Enarratione in Symbolum S. Athanaſii, quam ex eodem penu deprompſit; dein in tomo IV. Anaſtaſii editionis nuperæ Romanæ inſertus fuit; unde demum tranſlatus eſt in Collectionem Rerum Italicarum tomi III. part. 2. col. 45. Ejus ope Pontificum quorumdam chronologiam multo felicius corrigere Manſio licuit. Nec prætereundum eſt etiam ſtudium immortale PP. Bollandianorum in SS. Actis evulgandis atque illuſtrandis, utpote quo Annalium Eccleſiaſticorum correctio pluximum juvatur. Sed labore opus eſt & diligentia in ſeligendo certa ab incertis; ea quæ a coævis Scriptoribus traduntur, ab iis quæ nonniſi poſt evoluta ſæcula litteris mandata ſunt; quamquam & id negocii ſibi plerumque ſumpſiſſe clariſſimos Collectores & ingenue fatemur, & gratias non exiguas rependimus. Dum vero illi dubiis conjecturis rem conficere contra Pagium tentant: quæ illis methodus in Diſſertatione Chronologica de ſingulis quatuor Patriarchatibus perfamiliaris eſt: tunc eadem cum illis circumſpectione, qua cum nuperis Anaſtaſii editoribus uſus eſt. Eamdem etiam & in excribendo Tillemontio, eamdem & in novis SS. Patrum Editionibus, Benedictinorum S. Mauri, Grabii S. Juſtini, Valeſii Lactantii, Fabricii S. Hippolyti, ac demum in nupera Veronenſi S. Hieronymi, per Vallarſium curata, editione adhibuit.

XLIX. His aliiſque plurimis adjumentis augeri voluminibus bene multis Editio hæc noſtra potuiſſet, ſiquidem eadem qua Pagius methodo uſi, non menda tantummodo corrigenda, ſed & ſupplendos Annales ſuſcepiſſemus. Verum id non eſſet Baronii Annales, ſed noſtros obtrudere; quod alterius erit temporis & ingenii. Nunc autem ſatis fore Lectoribus arbitramur, ſi quam emendatiſſimos Baronii Annales habeant, ſuppleta brevi epitome eorum Conciliorum, quorum cognitio ad ſeram poſteritatem poſt Baronii & Pagii obitum pervenit.

L. Baronii Annalibus hoc ordine abſolutis, Odorici Raynaldi Continuatio ſuccedet: cui adnotationes noſtras uberiores ſubiiciemus. Earum ſcopum & conſilium ex Præfatione noſtra ad eumdem Raynaldum Lectores intelligent.

LI. *De fide, & diligentia typographi in edendis noviſſime Annalibus Eccleſiaſticis.* De diligentia nunc, fide, & cura, qua Lucenſibus typis hoc ingens Opus Leonardus Venturinus excudere jam cœpit, nonnulla attingamus. Ut caſtigatiſſimam ipſe editionem emitteret quamvis exemplar Vallicellanæ in primis ſecutus ſit, alias pariter emendatiores, & nitidiores eorundem Annalium editiones, præ oculis habuit; & quæ in Vallicellani exemplaris voluminum fine a Baronio adduntur, vel caſtigantur, in proprias ſedes retulit, & his ſignis ☞…☜ indicavit. Auctorum verba, quæ a Baronio afferuntur diverſo charactere diſtinguit. Quæ vero ipſimet Baronio in poſterioribus editionibus delenda, aut mu-

mutanda viſa ſunt, ad calcem cujuſque voluminis adnotavit, ut, ne quidem ea quæ fuerunt a tanto Viro rejecta, deſiderarentur. Jamdudum, ut ſuperius n. XXXVIII. & XXXIX. vidimus, etiam Bibliopolæ Parifienſes cogitaverant de Annalium Eccleſiaſticorum Baronii, aut Spondani Epitome editione una cum Pagii Animadverſionibus; ut ex ipſis Pagii verbis & ex regio Ludovici XIV. diplomate intelligitur. Ipſorum igitur conſilium Venturinus abſolvit atque perfecit.

Hæc ſunt, de quibus Dominicus Georgius natione Venetus, patria Rho- LII.
diginus, & Pater Joannes Dominicus Manſius Lucenſis, e Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei, curatores hujus editionis, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudioſos præmonendos eſſe duxerunt, ut norint quid hinc expectare quid aliunde petere debeant. Si quid erit in quo legentium commodis & utilitati noſtris hiſce laboribus conſultum eſt, gratias ſibi una nobiſcum referendas norint ampliſſimis Patronis, qui gratia & auctoritate nos animis deſpondentes ſublevarunt, & incitarunt ad curſum. Inter quos principem locum ſibi jure vindicat Proſper olim S. R. E. Cardinalis Lambertinus, qui nuper tandem per ſtratam ſibi ſcientiæ & eximiæ virtutis merito viam ſub BENEDICTI XIV. nomine ad ſolium pontificium bonis omnibus plaudentibus pervenit. Optimi Principis in editionem hanc favorem, ſicut dudum in magna dignitate magnus fuit, ita & nunc in ſumma maximum, ex eo, quo in Eccleſiaſticam hiſtoriam fertur, amore, & quo Venturinum typographum curataſque ab eo editiones fovit, patrocinio, ſperare licet. Secundo a Pontifice loco commemorandi ſunt Nereus Cardinalis Corſinus Clementis XII. felicis recordationis ex fratre nepotis, qui optimi Pontificis voluntati obſequens ſua auctoritate & præſidio plurimum in rem præſentem contulit. Joſephus Firraus, & Joſephus Spinellus Archiepiſcopus Neapolitanus (qui Bernardum Cangianum præſtantem doctrinâ Virum editioni huic Neapoli promovendæ totum addixit) qui ambo Cardinales ſingularibus ſtudiis hanc editionem exceperunt, eamque fovere ultroque tueri, non deſinunt. Commemorandus eſt pariter Antonius Xaverius Cardinalis Gentilis qui ingentes animi dotes liberalis naturæ beneficio acceptas, ingenium, judicium, dexteritatem, prudentiam, ſtudio, diligentia, virtute a ſe excultas, ad ornandam augendamque ampliſſimam illam, quam gerit, dignitatem contulit; eaque demum omnia in commodum noſtræ hujus editionis convertit, ac omni officiorum genere adverſus ingruentia communiit. Hic præſidium, hic favorem, hic conſilium, hic demum omnia nacti ſumus, ut de proſpero Operis ſucceſſu vix dubitare liceat nobis, quoadusque Gentilis ſtabit, & convaleſcet. Id autem ad multos annos, ut contingat Eccleſia, ac Litteraria Reſpublica univerſa exoptat, & orat. Dei tandem opem, quam propitiam jam experti ſumus, ſperamus non defuturam de cætero conatibus noſtris, ut quod in commodum Eccleſiæ ſuæ Opus feliciter omine cœptum eſt, exitu feliciori abſolvatur.

SYLLA.

SYLLABUS

EORUM, QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

HEnrici Spondani Elogium de Baronio pag. 1. & ſeq.
Orationes in funere Baronii, VII.
Elogium in Antonium Pagium, XVII.
Pagii Diſſertatio Hypatica pag. 1.
Noriſii Epiſtola Conſularis ad Pagium, 145.
Pagii diſſertatio apologetica de Conſulibus Cæſareis, 213.
Proſperi Chronicon Vaticanum cum Labbeana editione collatum, & cum Auctario ad idem Chronicon cum Notis Georgii, 223.
Præfatio de ratione Paſchæ, & Laterculus Paſchalis, 237.
Dionyſii Exigui Epiſtolæ Paſchales cum Notis, 247.
Præfatio Pagii in Criticam Baronii, 253.
Ejuſdem Epiſtola ad Abbatem Nicaſium, 263.
Ejuſdem Diſſertatio de Periodo Græco-Romana, 271.
Veterum Pontificum Romanorum Catalogi decem, 309.
Kalendarium Romanum, 325.
Pagii Apparatus Chronologicus ad Annales Baronianos, cum notis, 331.
Appendix ad Notas Sæculi IV. 383.
Baronii Præfatio generalis in Annales Eccleſiaſticos, 395.
Baronii Epiſtolæ dedicatoriæ ſingulis Annalium tomis præfixæ, 403. & ſeq.
Ejuſdem Apparatus in Annales Eccleſiaſticos, 439.

Digitized by Google

JUſſu Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Fabii de Colloredo Archiepiſcopi Lucani &c. vidi Annales Eccleſiaſticos Cardinalis Baronii cum Critice hiſtorico-chronologica P. Antonii Pagii, ejuſdemque diſſertationem Hypaticam, & Epiſtolam conſularem Henrici Cardinalis Noriſii; item conſulares Faſtos illuſtratos, & caſtigatos, adiectaſque animadverſiones in Pagium &c. Quæ quidem omnia cum ſint perutilia, & bonis moribus, atque catholicæ Religioni maxime conſentanea in lucem edi poſſe judico.

Jacobus Antonius Bacci in Seminario Lucenſi S. Theologiæ Lector.

IMPRIMATUR.

OCTAVIUS ARCHIDIAC. SARDI Vic. Gener.

MARCUS ANTONIUS PALMA Præp. Illustrissimi Magistratus Super Jurisd.

HENRICI SPONDANI
MAULEOSOLENSIS
APPAMIARUMQUE IN GALLIA NARBONENSI EPISCOPI

Elogium Baronii ab eo præfixum Epitomæ eorumdem Annalium.

NAtus eſt BARONIUS Soræ in Campania anno Chriſti MDXXXVIII. tertio Calendar. Novembris, familia honeſta quidem illa, & mediocris fortunæ, ſed non tam ſæculi nobilitate, quam antiqua pietate commendanda; quippe cujus ipſemet (*a*) monumenta donationum ante trecentos & quadringentos annos monaſterio Caſemarii, ſeptimo milliario Sora diſtanti factarum a Leonardo & Gregorio de Barono, recenſet: monetque familiam ſuam ita uſque ad ſuam ætatem de Barono dictam, primo ſe derivaſſe in Baronium more Romano. At quot ſunt hujus ſæculi, non ſolum nobiliſſimi viri, ſed illuſtriſſimæ familiæ, quæ ingenti pretio redimere talem proſapiæ ſuæ antiquitatem oſtentare poſſe, eamdemque ejuſmodi pietatis inſignibus nobilitatam? Sed abſit ut præterquam in Domino (*b*) gloriatus ſit Baronius, in ipſa vera nobilitate quam per adoptionem in filiorum Dei familiam cooptatus, feliciter eſt conſecutus.

(*a*) *Annal. Tom. XI. an. 1030. num. XI.*

(*b*) *Ephes. 1.*

Adoleſcens, poſtquam optimis inſtructus artibus & diſciplinis, relictis patria & parentibus Romam venit, divinoque impellente numine B. Philippo Nerio, Congregationis Oratorii fundatori, ſe tradidit ſanctis inſtitutionibus informandum; ejuſdem eximiarum virtutum præclara exempla, quæ admirari ſatis non poterat, imitari pro viribus ingenti cum fructu conatus eſt. Et exinde totos tres annos aſſiduis precibus a Deo flagitare non ceſſans, quam vitæ rationem amplecti ſe vellet, oſtenderet; ut primum a Philippo divinitus illuſtrato, certo cognovit, eam eſſe Dei voluntatem, ut Eccleſiaſticam vitam in ſæculo amplecteretur, continuo ſacris ordinibus initiatus, ejuſdem tunc enaſcentis Congregationis alumnus effectus eſt. Et ne animus ullo umquam propriæ voluntatis vento ad extranea quæcumque circumferri valeret, amantiſſimo Patri in omnibus obedire, perpetui voti ſponſione firmavit: & quod promiſit, adeo implevit, ut nihil aggrederetur, in quo Philippum & ſuæ conſcium voluntatis, & ductorem operis non haberet; ejus autem exequendis mandatis tam paratus eſſet, ut obtemperare prius ipſe, quam Philippus imperare videretur.

Tanta fuit erga ſe in iis quæ ad corpus pertinent ſeveritate, ut vel graviſſimis defeſſus laboribus numquam ad ſatietatem, vix ad neceſſitatem, ſomnum caperet; & quatuor tantum, aut quinque ad ſomnum contentus horis, reliquam noctem orationibus ac ſtudiis impenderet. Perpetuam ſervavit in

cibo potuque parſimoniam, ne iis gravatum corpus curſui perficiendo præpeditus eſſet. Urbis Xenodochia mane ac veſpere adeundi conſuetudinem, per novem continuos annos adeo ſine ulla intermiſſione ſervavit, ut nec febre quidem laborans ab ea umquam deſtiterit; in qua illi non raro divinitus accidit, ut deinde domum bene valens reverteretur. In audiendis confeſſionibus & ſermonibus ad populum ter in hebdomada quaterve habendis, per triginta & amplius annos, diligentiſſima aſſiduitate laboravit. Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium ſumma religione quotidie celebravit. Baſilicam Principum Apoſtolorum ſingulis diebus tam conſtanti perſeverantia per multa annorum curricula viſitavit, ut ab eo pietatis officio, nec æſtatis ardoribus, nec hiemis frigoribus, nec ventorum aſperitate, nec pluviarum exundantia retraheretur. Ad quæ tanta fortiter exequenda, non male quadrabat ſtatura & compoſitio corporis, quæ ei divinitus nec gracilis nimis, nec obeſa, cæteroqui longa & robuſta obtigerat.

Quod autem ad lucubrationes attinet, teſtatur ipſe in gratiarum (*a*) actione ad B. Philippum, quam Annalium tomo VIII. præpoſuit, ſe ejuſdem Philippi iteratis ſæpe juſſionibus eas aggreſſum eſſe invitum licet ac renitentem, propriis diffiſum viribus; ſuſcepiſſe tamen, tamquam divino obſequentem imperio, quo quidem Philippus exæſtuans zelo Eccleſiæ laborantis, ubi mente prophetico afflata ſpiritu, vidit e portis inferi in Eccleſiæ detrimentum progreſſas eſſe CENTURIAS ſatanæ, ex adverſo conſurgens pro domo Iſrael præliaturus prælia Domini, non majori, vel pari ſaltem numero militum, decernendum putavit, ſed ipſum elegit BARONIUM, quem unum tot objiceret hoſtibus; Et cum ex conſuetudine (*b*) ejus congregationis, ſingulis diebus, pomeridianis horis, ſermones quidam haberi ſoleant, quibus non illo ſublimi dicendi genere, quod in ſacris concionibus adhiberi ſolet, ſed aliquando ſubmiſſiore, ac magis ad permovendos audientium animos accommodato, res cominus quaſi ex æquo loco cum unoquoque agi videatur; illud Philippus ſymbolum a Baronio exegit, ut res geſtas Eccleſiæ in medium afferret; adeoque adſtitit operi, urſit præſentia, inſtitit verbis, & durus quaſi diurni penſi extitit exactor, ut quamvis ei adhuc alii ad ſuſceptum munus negotiorum faſces imponerentur, cura videlicet animarum, publicum de ſuggeſtu miniſterium Verbi Dei, præfectura domeſtica, præter alia quamplurima, quæ inopinate & importune moleſtiores quotidie ingererent interventores: tamen nemine penitus collaborante, ſex luſtris ipſa integra Eccleſiaſtica Hiſtoria fuerit ab eo ſepties ordine temporum in Oratorio repetita. Indeque primo proceſſerunt NOTATIONES illæ ad Romanum Martyrologium, tanquam velites inſtructiſſimæ ANNALIUM aciei: quæ lentiori, ſed fortiori gradu ſubſequens, in oppoſitos hoſtium cuneos tanto impetu irrupit, ut facilius eos, quam aranearum telas diſiecerit ac diſſipaverit.

(*a*) *Annal. Tom. VIII. in præfat.*

(*b*) *Ep. nuncup. ad Sixt. V. PP. Tom I. Annal.*

Sed quænam ille ex his victoriis trophæa, quoſve triumphos aucupabatur? quanam ferebatur præceps gloriæ & honoris cupidine? Audi. Confeſtim ut ſacerdos factus eſt, antequam ad ullum dignitatis gradum proveheretur, votis nuncupatis, & iteratis, (teſtem ipſemet appellat Deum, hæc ſcribens (*c*) ac Clementem PP. VIII.) ſæpe firmavit, in privato illo ſimplicique vitæ genere optime inſtituto, bene præcinctum mundi contemptu & expeditum, uſque ad obitum permanere. Itaque licet ab eodem Pontifice, Protonotarius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ex primo ordine eorum qui Numerarii dicuntur, creatus, eam dignitatem, inſtituto quidem Congregationis non plane alienam, at voluntati incongruam, quibus potuit modis a ſe repellere laboraverit: tamen cum inde ſe ad ſplendidiſſimum Cardinalatus fulgorem vocari ſenſit, non ſolum tunc precibus, obteſtationibus, lacrymis, eo illuſtrari conſtantiſſime recuſavit; ſed & publicis poſtea querelis (*d*) apud eumdem expoſtulavit, quod cum a præcedentibus Pontificibus, qui ſe a privatæ vitæ tutiſſimo portu abſtrahere non ſemel voluiſſent, quam deprecatus eſſet, obtinuiſſet bonorum immunitatem, jam ipſum Clementem, quo amantiorem, eo violentiorem expertus eſſet, cum per ejus cubicularios ſeorſum abreptus, clau-

(*c*) *Epiſt. limin. ad Clem. VIII. Tom. VII. Annal.*

(*d*) *Ibid.*

Digitized by Google

clauſuſque, ac vix tandem ut audiretur admiſſus ad conſpectum Pontificis,
poſt ſuam defenſionem, ab eo reſponſum illud unum accepit, quo robuſta
voce diram anathematis protulit ſententiam, ſi amplius reſiſteret, & niſi pe-
nitus acquieſceret. Nimirum ſciebat Clemens, mereri Baronium negando,
quod eſſe nolebat; eoque digniorem eſſe, quo ſe profitebatur indignum, quip-
pe quem etiam, ob probatiſſimam vitæ integritatem, eximiamque Theologiæ
peritiam, & caſuum conſcientiæ (ut vocant) practicam cognitionem, dele-
gerat, cui ſecreta conſcientiæ ſuæ Sacramentali confeſſione aperiret, ac pa-
trem ſuum ipſe Pater Patrum conſtituerat. Ejus autem territus erumpente e
cœlo tonitru Baronius, pugnantibus in ejus animo in invicem propoſitæ vitæ
humilitate & obedientiæ ſublimitate: vicit tandem iſta, nec potuit ipſe non
manus dare, qui ſe proſtratum cernebat timore fulminis, æternæ damnationis,
qui ſi licuiſſet, retraxiſſet eas, ſicuti Zara (*a*) olim, dum e materno ute- (*a*) *Gen.*
ro progreſſurus, ubi ſe altera manu vinctum coccino ſenſit, eam retrahens 38.
uterum repetiit, male ſe non naſci ſignificans, quam vinctum purpura pro-
gredi. Nec tunc temporis dumtaxat, ſed & frequenter poſtea ab ipſo Pon-
tifice enixis precibus flagitare non ceſſavit, ut ſibi liceret ad priſtinum pri-
vatæ vitæ ſtatum regredi. Creatus eſt autem S. R. E. Cardinalis, anno æta-
tis ſuæ LVIII. Chriſti MDXCVI. Nonis Junii.

In ea dignitate, nihil de priſtinis ſtudiis, ac privatis laboribus remittens aliis quoque graviſſimis ſuperimpoſitis pro honoris onere vacare coactus eſt: non ſolum a Pontifice in omnium fere præcipuorum negotiorum conſilium ac participationem vocatus, ſed & in diverſas Illuſtriſſimorum Cardinalium ſacras Congregationes cooptatus, ac præcipue Eccleſiaſticorum Rituum, quorum ipſe ſcientiſſimus eſſet, ac Typographiæ Vaticanæ, edendis SS. Patribus erectæ, cujus ad ipſum potiſſime cura ſpectaret, ob nobiliſſimum munus Bibliothecarii Apoſtolici, a Clemente PP. ei concreditum, quod nonniſi Cardinali eruditiſſimo, & ſapientiſſimo tribui ſolet. Interim vero nihil ipſe ſibi aut ſuppellectili elegantiori, aut menſa lautiori, aut vita delicatiori indulgens, ſed in antiqua perdurans ſimplicitate, & in ſeipſum ſeveritate: gratia, qua pollebat apud Pontificem, utebatur ad aliorum utilitatem: & quod ab ejus liberalitate percipiebat in ſumptus alimentorum, non tam in familiæ ſuæ (modicæ quidem, ſed modeſtiſſimæ) ſuſtentationem impendebat, quam in ſublevandis exterorum neceſſitatibus, aut piis erogandis ſeu publicis ſeu privatis eleemoſynis largiebatur: in quibus eo liberaliorem in cæteros ſe præſtitit, quo ſe frugaliorem ſibi ſuiſque exhibuit. Hanc enim effuſa largitate, non ſolum obviis quibuſcumque miſericordiam impertivit, verecundis ſecreto ſuccurrit, plurimos certis menſtruis ſtipendiis fovit, Virginibus Deo dicandis ſacras dotes conſtituit, Religioſorum cœnobiis victum ſuppeditavit, peregrinos humaniter hoſpitio excepit: Puerorum, quos Literatos vocant, & Puellarum, quæ Diſperſæ nuncupantur, patrocinium ſuſcepit: ſed & SS. Martyrum Nerei & Achillei Eccleſiam, quæ ipſi in Titulum una cum dignitate Cardinalatus tributa fuerat, penitus collapſam reſtituit: S. Gregorii Magni baſilicam, cujus in Urbe exiſtens Abbatia ei collata a Clemente paulo ante obitum fuit, inſigniter exornavit: S. Silviæ, ejuſdem Gregorii matris, Memoriam primitus erexit: religioſis Franciſcanæ familiæ Fratribus, quos vocant Cappuccinos, Soræ in ſolo patrio monaſterium extruxit: aliaque ejuſmodi quamplurima variis locis præſtitit, quibus alterius cujuſvis longe lucupletioris facultate ſufficere poſſe, haud facile aliquis ſibi perſuadere valeat.

Quænam igitur merces tot novis laboribus, quod præmium recentibus iſtis
operibus debebatur? At ut qui in pauca (*b*) inventus eſſet fidelis & pru- (*b*) *Matt.*
dens, ſupra multa conſtitueretur, & qui jam cumulatiſſimus eſſet, non in 24. 25.
Urbe tantum, ſed etiam in univerſo Orbe, honore, gloria, benedictione;
demum in ſupremo & Urbis & Orbis throno collocaretur, ac ſuper omnia
bona Domini, univerſamque ejus familiam conſtitutus, divideret ſingulis ci-
bum in tempore? An hæc forte ipſe expectabat, & in hujus ſpem meſſis ſe-

mentem ſuam ſeverat? Immo contra, adeo vel iſtud umquam ſomniare exhorruit, ut etſi in dignitatibus in ipſum brevi tempore coacervatis, nihil penitus agnoſceret, quod humana ſibi vendicare poſſet induſtria, ſed totum tribuendum eſſet divinæ providentiæ; tamen cum ex præteritis futura conſiderans, ſibi timere inciperet; ne & aliquando ad ſummum culminis Pontificii gradum, cui jam ſe uno proximum cerneret, invitiſſimus licet raperetur: plurimis cernens exemplis, iſtiuſmodi faſce omnes ſanctiſſimos viros nimium prægravatos, & curvatos eſſe pondere (a), quo portant Orbem: ut ſaltem quantum in ſe eſſet, huic ſatis probabiliter imminenti periculo occurreret, totumque quod forte contingere poſſet, eidem divinæ relinqueret providentiæ, cui ſe in omnibus concrediderat: ſubito Cardinalis factus, voto ſe Deo obſtrinxit, nihil umquam facturum, quo viam ſibi ad illud culmen patefaceret. Illudque poſtea adeo ſervavit, ut potius quidvis egerit quo ſe illa intercludi poſſe exiſtimavit: ac præcipue dum non ſolum non Regum ac Principum, nedum aliorum, ſibi gratiam conciliare ſtuduit, ſed potius in Eccleſiæ Rom. divina ac legitima auctoritate, juribuſque, adverſus quoſcumque plurimorum conatus defendendis, nihil umquam tacuit aut diſſimulavit, quin & verbis & ſcriptis invictum ſe ſemper inani timori, & vanæ ſpei exhibuerit. Et ſciunt qui vel rebus geſtis interfuerunt, vel auditu perceperunt, (ut nihil jam aliud apertius dicam) quantum hic ejus veritatis amor obfuerit ejuſmodi ipſius promotioni; cum poſt Clementis ad Deum tranſitum, congregatis in unum ex more ſacri Collegii Patribus, ut digniſſimo Pontifici dignum ſucceſſorem ſubſtituerent, omniumque ferme in unum BARONIUM votis intentis, paratiſque; impedita eſt quorumdam ſubreptitiis conatibus, quæ tam glorioſa electoribus, tam grata univerſo Orbi fuiſſet tanti viri delectio. Cum & alioqui per viginti continuos dies, maxima parte in ejuſdem nominatione, inuſitata prorſus, dixerim, animi obſtinatione, immobiliter perſtante, nullis umquam ipſe, quamtumvis inſtantiſſimis urgentium amicorum ſe publicis ſeu privatis rationibus aut perſuaſionibus, induci potuerit, ut aſſentiretur huic illorum de ſe judicio. Quinimmo qui non ipſe ſecreto egit, ut eum conſenſum diſſolveret? Quod autem ejus gaudium, quanto ſe ab eo periculo, quod omnium maxime formidabat, divino auxilio liberatum vidit? Quæ ipſius jubilatio, & cum amicis congratulatio, poſtquam ab eo ergaſtulo erutus, aperta luce potuit cum iis confabulari.

(a) Job. 9.

Sed quid accidit? Nondum elapſus menſis, cum præmaturo Leonis XI. obitu interveniente, decidit hic noſter in Scyllam, qui adeo lætabatur devitata Charybdi. At hæc non aliis, quam ipſiuſmet verbis referenda: quæ cum publice, & ad ipſiſſimos illos, inter quos, & a quibus res geſta eſt, in ipſo vitæ ſuæ limine conteſtatus ſit, non ſolum nulli poſſunt mendacii ſuſpicioni ſubiacere, ſed & longe ampliora de viro candidiſſimo & modeſtiſſimo ſentiendi anſam præbebunt. Sic enim loquitur (b): *Abſolutus eſt præſens Tomus* (nempe Duodecimus) *cum Pontifex Romanus creatus eſt Paulus PP. V. cui ipſe dedicandus, pro tanto munere Deo immortali perennes gratiarum contineat actiones, quæ acceſſionem accipiant tamquam ex inundante torrente majorem, quod in his a Deo ingentia ſim valde beneficia conſecutus, ereptus è ſummis periculis imminentibus. Nam e profundo maris abyſſo horribili tempeſtate jactati, cum jam incidiſſemus (c) in dithalaſſum, ipſa adhuc naufraga ſpe; Dei ope adoptatum littus, una cum Paulo, in ſalutem Urbis & Orbis evecto, ſalvi tandem emerſimus. Quamobrem partus hic ipſe noſter, præſens Annalium Tomus, qui ob multiplices parientis ærumnas pene interita pereuntis (d), Benoni, filius doloris mei, fuerat nuncupandus: ſubita rerum mutatione in contrarium facta mutato quoque nomine, ſicut & rebus, erit Beniamin, dexteræ filius nominandus; Paulo noſtro jam in dextera collocato. Quis loquetur (e) potentias Domini? auditas faciet omnes laudes ejus? Mirabiles (f) vidimus elationes maris: mirabilis apparuit in altis Dominus. Qualis tunc rerum facies? quam terra horrida, & formidabilis? Qui tunc æſtus mei, cui adeo violenter, licet amicis flatibus abreptus, ferrer in Syrtes, e qui-*

(b) Annal. Tom. XII. in fin.
(c) Act. 27.
(d) Gen. 35.
(e) Pſal. 105.
(f) Pſal. 92.

quibus haud facile eſſet emergendi facultas? Laboravit (a) clamans; raucæ ea ipſæ tunc factæ ſunt fauces meæ, exclamans ad Omnipotentem, Davidicum illud (b), Mitte manum tuam de alto, libera me de aquis multis. Cunctiſque evadendi remediis deſtitutus, tædio vitæ gravatus ſupra modum, ultra vires, in illa ærumnoſa cum Jeremia erupi ſæpe lamenta (c); Væ mihi mater mea, quare me genuiſti virum rixæ, virum diſcordiæ in univerſa terra. Cum vero his tenerer vallatus anguſtiis, & a Deo tantum, qui eſt ſolus omnipotens, præſtolarer auxilium: ecce ſtatim ex inſperata cataſtrophe, facta eſt rerum repentina, ſicut & admiranda mutatio. Excitatus namque tamquam dormiens Dominus clamore ſuorum, qui laborantes erant in remigando, feſtinus exurgens, imperavit (d) vento & mari, & facta eſt tranquillitas magna: atque dicto citius miro conſenſu omnium, ecce provehitur Paulus, tamquam e maris ereptus tempeſtate ſalvus, in Cathedram Petri. Hæc, & alia nonnulla de ea conſtrictatione Baronius: ex quibus abunde intelligitur, & quam ipſe horreret tantum thronum, Angelis ipſis reverendum, conſcendere, & quam ardentiſſimo cuperet deſiderio, ut digniſſimus in eo ſederet loco Petri. Quod certe nemini convenientius potuit accidere, quam Paulo, qui hodieque feliciter Eccleſiam regit, detque ei Deus videre dies Petri.

(a) Pſal. 68.
(b) Pſal. 143.
(c) Jerem. 15.
(d) Mat. 8.

Nimirum quod dicebamus optari Baronio ab omnibus, ut qui in pauca fuiſſet prudens & fidelis, conſtitueretur ſuper univerſam familiam, optavit hoc ipſe aliis relinquere, quos ad cibum dividendum ſe aptiores exiſtimavit, ſibique partem illam benedictionis Domini citius impertiri concupivit: (e) *Intra in gaudium Domini tui:* quam & alii poſtea ſuis temporibus conſequerentur. Etenim qui certum obitus ſui tempus tredecim ante annis, ſingulari Dei beneficio, prænoverat, (cum videlicet ipſi in deſperato morbo conſtituto, bis terve in ſomnis apertiſſime oſtenſus eſt numerus LXIX. & in oratione de ejus ſignificatione adipiſcenda, firma infuſa eſt divina inſpiratio, eum eſſe numerum annorum ſuorum: quem & ideo in multis ſuis libris, aliiſque ſchedulis, notatum reliquit, & aliquando nonnullis amica ſibi familiaritate conjunctioribus ſecreto declaravit:) qui igitur huic revelationi adeo confidebat, ut etiam in principio ac fine Tomi ſui Duodecimi, qui necdum cum ipſe obiit plene editus erat, deficiente adhuc Indice, diſertiſſimis verbis, exitus ſui imminere diem publice prædixerit: quamquam & abſque illa, ſic ab ineunte ætate, ex optima diſciplina Chriſtiana, laborioſiſſime ab ipſo culta, diſpoſitus eſſet, ut extremum illum diem ſemper meditari conſueviſſet, ita ut non in mente ſolum, ſed etiam in ſigillo quo literas obſignabat, mortis imaginem retineret impreſſam, & quicquid audiret, quicquid loqueretur, quicquid ageret, perenni mortis, judiciique meditatione condiret: Tamen ubi tempus revelationis appropinquare conſpexit, ut ad mortem nonniſi paratiſſimus accederet, poſtquam ingreſſus eſt annum ætatis LXIX. ſingulis diebus ſpiritum ſuum Deo Optim. Maxim. quaſi quotidie moriturus commendare cœpit, & ſacroſancto Miſſæ ſacrificio ſanctiſſimam Euchariſtiam tamquam pro viatico ſuſcipere, timens ne ſubito forte caſu præriperetur. Accedente vero tandem expectatiſſima die, cum corporis viribus ob diuturnos labores, & inediam, penitus exhauſtis, jaceret in lectulo perpetuam illam cogitans æternitatem, audito cum ingenti reverentia ſacro, ſacramentiſque omnibus more Chriſtiano & Catholico pie ſuſceptis, intentis in cœlum oculis, & dulciſſimum nomen JESU identidem repetens, poſt diem feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſub eorum patrocinio, quos impenſiſſimo ſemper ſtudio coluerat, integerrimis ſenſibus, placidiſſimoque vultu, adeo ut vix tranſitus a circumſtantibus perceptus fuerit, obdormivit in Domino, prid. Calend. Julii, anno Redemptoris MDCVII. ætatis ſuæ LXIX. nondum expleto.

(e) Matt. 24. 25.

Exenteratus (quamquam contra ipſius prohibitionem) interiora omnia ſana præbuit & integra, præter ſtomachum qui adeo tenuis inventus eſt, ut etiam quibuſdam locis findi inciperet: unde orta ei inappetentia illa, & faſtidium cibi, quo laboravit ferme per annum. Decreverat autem olim ſepeliri

peliri

peliri in Titulo ſuo SS. martyrum Nerei & Achillei, ubi puram ac ſimplicem tumbam ſibi paraverat: ſed poſtea perſuaſus a Patribus Congregationis Oratorii, conſenſit tumulari in eorum eccleſia S. Mariæ & S. Gregorii de Vallicella, in qua & dulciſſimi in Chriſto parentis, B. Philippi ſacræ reliquiæ conditæ eſſent: ibique corpus ejus honorificentiſſime conditum eſt a chariſſimis fratribus, incluſum primo capſæ cedrinæ, hacque intra plumbeam, & iſta demum intra ligneam communem recondita; quippe cum talis mors ejus fuerit, quæ bene anteactæ vitæ cumulate reſponderit, haud dubitarent eum in cœlis præmium recepiſſe, quod ejus optimis virtutum meritis debebatur, futurumque ut corpus ejus in terris ſit venerationi, cujus anima in beatiſſima illa cæleſtium animorum patria requieſcit. Honeſtiſſimo funere elatus eſt, adſtante toto fere ſacro Cardinalium Collegio & aliorum plurimorum Antiſtitum venerando cœtu; accurrenteque infinita populi multitudine, ut quem viventem adeo ſuſpexiſſent, mortuum etiam honorarent, immo & certatim quicumque appropinquare corpori poſſent, avido tactu demonſtrarent, qualem de ejus ſanctitate opinionem concepiſſent. Appoſitum denique eſt ejus ſepulcro Epitaphium, commune ei cum Illuſtriſſimo Cardinale Tauruſio, ejuſdem olim Congregationis presbytero, qui poſt eum obiit, ætate licet multo provectior; ut quorum animi adeo in vita conjuncti fuiſſent, ut ipſum Baronius in Gratiarum (a) actione de utriuſque eadem die Cardinalitia creatione, ad Clementem Papam, alterum ſe, ſuumque unanimem vocaverit, (quem & de virtutibus Apoſtolicis, formaque antiquæ probitatis laudat) æque poſt obitum idem tumulus utriuſque corpora contineret. In quem ſenſum compoſitum Epitaphium, ſic ſe habet: *D. O. M. Franciſco Mariæ Tauruſio Politiano, & Cæſari Baronio Sorano, ex Congregatione Oratorii S. R. E. Presbyteris Cardinalibus, ne corpore disjungerentur in morte, quorum animi divinis virtutibus inſignes, in vita conjunctiſſimi fuerunt, eadem Congregatio unum utrique monumentum poſuit Tauruſius vixit annos LXXXII. menſes IX. dies XIV. obiit III. Idus Junii M.VI. C.VIII. Baronius vixit annos LXVIII. menſes VIII. obiit prid. Calend. Julii M.VI. C.VII.*

(a) *Epiſt. nuncup. To. VII. Annal.*

IN FU-

I N F U N E R E

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI D.D.

CÆSARIS BARONII
S O R A N I,

Ex Congregatione Oratorii S. R. E. Presbyteri Cardinalis Tit. SS. Nerei, & Achillei, & S. Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarii.

ORATIO MICHAELIS ANGELI BUCCII ROMANI
Ejuſdem Congregationis Presbyteri.

Habita in Eccleſia S. Mariæ, & S. Gregorii in Vallicella 3. Idus Julii MDCVII.

FUneſtum, & lacrymabilem illum diem mihi memoriæ repetenti, quo ſublatum nobis præclariſſimum Eccleſiæ Catholicæ lumen Cæſarem Cardinalem Baronium lamentati ſumus, & ſepulcrales iſtas faces exigua illius extincti ſolis indicia contuenti, renovatur PP. Ampliſſ. infixus animo dolor, qui omnem fere ademit ad ejus dicenda præconia facultatem. Verum non patitur tanti viri dignitas, neque grati animi debitum officium, neque veſtra hæc in eum pietas atque benevolentia, me, licet in eo commendando longe imparem, at in diligendo nemini non parem, jam ſilere; ubi nulla neque gens neque natio Chriſtianæ Reip. reperitur, cui non ſit ejus jucunda laudatio, cujus acerbæ mortis magno ſemper erit cum dolore deploranda calamitas. Quamquam autem non ignoro materiæ gravitatem, præſtantiam judiciorum veſtrorum, exiguitatem ingenii mei, & breves anguſtias temporis ad cogitandum mihi datas, & ad loquendum; tamen non ſunt hæc ejuſmodi, ut me a dicendo plane deterreant; quin potius vel jacentem animum erigunt, atque confirmant. Cum enim in Baronio digne ac meretur exornando, ipſius eloquentiam video prorſus deſiderari, nec eſſe quempiam tanta dicendi facultate munitum, qui, ſi eum laudaturus accedat, poſt adhibitas eloquentiæ ſuæ vires, conſumptumque ſpatium longiſſimi temporis non fateatur excuſationis veniam ſibi eſſe tribuendam, in eam ipſe ſpem adducor fore, ut tantum mihi veniæ pro veſtra benignitate concedatis, quantum & eloquentiſſimo cuique tribuere oporteret. Quod ſi ego a vobis me impetraſſe ſentiam, enitar quantum potero, ut ejus admirabilis vitæ imaginem, ſi non expreſſam penitus, ſuiſque, ut par eſſet, coloribus exornatam; at certe delineatam leviter, adumbratamque cernatis. Igitur, ut inde potiſſimum exordiar, unde clariora cœpit indicia virtutum oſtendere, quæ illum univerſo Orbi notiſſimum reddiderunt, Adoleſcens, poſteaquam optimis inſtructus artibus, & diſciplinis, relictis patria & parentibus, Romam venit, divinoque impellente numine, Beato parenti noſtro Philippo ſe tradidit, a quo ſanctiſſimis inſtitutionibus ad Chriſtianam pietatem informaretur, tales in primis progreſſus in humilitate fecit, ut arripuiſſe potius eam, quam addidiciſſe videretur. Cernebat bonæ indolis adoleſcens eximia in Philippo exempla virtutum, & quem admirari ſatis non poterat, imitari pro viribus conabatur. Inviſebat eum frequentiſſime, adhærebat ejus lateri, obſervabat in eo diligenter quicquid decerpere poſſet ad exornandum quaſi virtutum floribus animum ſuum. In quo quidem ei numquam accidit, quod evenire in pleriſque ſolet, ut aſſiduitas familiaritatem, familiaritas contemptum faceret; ſed eum ita ſemper colebat quaſi parentem; ita admirabatur, quaſi quotidie novum cerneret. Exinde non multo poſt Chriſtianæ perfectionis deſiderio incenſus, & divinæ voluntatis explendæ ſtudio inflammatus, totos tres annos aſſiduis precibus, lacrymiſque uberrimis a Deo flagitare cœpit, ut ſibi quam vitæ rationem amplecti ſe vellet, oſtenderet. Etenim de matrimonio cogitare ne poterat; quidem religioſæ vero aſperrimæque vitæ deſiderio quamquam vehementer afficiebatur; tamen latentes fortaſſe Dæmonis inſidias veritus, quid ſibi agendum eſſet, ignorabat. Tandem poſt multas effuſas preces, ut primum a Philippo cognovit eam eſſe Dei voluntatem, ut Eccleſiaſticam vitam in ſæculo amplecteretur, continuo non acquieſcendum carni & ſanguini; ſed S. Spiritus, qui bonæ menti ſemper occurrit, voluntati omnino ſibi obtemperandum exiſtimavit. Quapropter divinæ gloriæ deſiderio, ſuæque ac proximorum ſalutis amore magis magiſque ſuccenſus, ſacris ordinibus initiatus, & noſtræ tunc exaſcentis congregationis alumnus

eſſe-

effectus eſt. Quoniam autem intelligebat optimam futuram fuiſſe humilitatis, Chriſtianæque perfectionis acquirendæ rationem, ſi quam animo conceperat, Philippo in omnibus obediendi voluntatem, perpetui voti ſponſione confirmaſſet; divino fretus auxilio, non prætermiſit vovere, quod cogitarat, & quod promiſit, implevit; uſque adeo, ut nihil unquam aggrederetur, in quo Philippum & ſuæ conſcium voluntatis, & ductorem operis non haberet: nimirum veluti graviſſimum piaculum verebatur, quicquid illo neſciente perfeciſſet. Ad illius vero voluntatem exequendam tam erat paratus, tam expeditus, tam celer, ut obtemperare prius ipſe, quam Philippus, non dicam verbis, ſed nutibus imperare videretur. Quæ animi celeritas non in iis ſolum peragendis quæ eſſent facilia, ſed in arduis quibuſque rebus, ac difficilibus elucebat. Quarum plurimas licet afferra poſſem lectu, ſcituque digniſſimas; tamen, quoniam enumerare omnia longum eſſet, veniam ad ea, quæ præclariora videbuntur, ejus humilitatis, contemptuſque gloriæ teſtimonia. Hæc vero quæ tandem? Primum, quod ſacerdos factus, antequam ad ullum publici honoris gradum proveheretur, illud in animo fixum propoſuit, votiſque nuncupatis & iteratis (ut ipſe ad Clementem VIII. ſcribens teſtatur) ſæpe firmavit, ut in privato ſimplicique vitæ genere optime inſtituto, & uſque feliciter ducto bene præcinctus Mundi contemptu, & expeditus uſque ad obitum permaneret. Itaque, licet ejuſdem Pontificis mandato, ad ſuſcipiundam Protonotarii ſedis Apoſtolicæ dignitatem non ſine magno dolore ac repugnantia fuerit pertractus; tamen ubi ad ampliſſimum Cardinalatus gradum ab eodem Clemente ſe promovendum ſenſit, explicari non poteſt, quibus precibus, quibus gemitibus, quibus lacrymis ut illam a ſe dignitatem averteret, elaboravit. Conſiderabat enim (ut ipſius verbis pauliſper utar) eminentem illam, ſublimemque omnibus abſolutam numeris ſanctitudinem vitæ, quam exigit durus exactor ab eo, qui Cardinalis eligendus eſt, illud aſſidue mente volvens, quod Dominus comminatus fuerat, judicium videlicet ſubituros gravius atque durius, majoremque condemnationem eos accepturos, qui primas indigne cathedras occupaſſent; verebaturque vehementer terribilem illam manum hominis contra candelabrum in pariete publico, in ipſo Eccleſiæ albo ſcribentis, ſtateram & pondera præferentis, quibus expendendus eſſet quilibet ad Cardinalatus dignitatem aſſumendus, & tanquam adulterinus procul ejiciendus, ac reprobandus quiſquis illis appenſus inventus fuiſſet minus habens. Igitur hæc ille, aliaque multa conſiderans, acerbiſſimo dolore angebatur, cum videret, a tutiſſimo privatæ vitæ portu ſe abſtrahi, & iis graviſſimis honoribus cumulari quibus ſuſtinendis, & imbecillis ſibi, pro ſua humilitate, & indignus eſſe videbatur. Verum quanto magis repugnabat, tanto magis in ſe Pontificis ſtudium concitabat, & merebatur negando, quod eſſe nolebat; eoque dignior erat, quo ſe clamabat indignum. Quapropter per ejuſdem Pontificis familiares ſeorſum abreptus, & cubiculo clauſus, vixque tandem ut audiretur multum rogans, admiſſus ante illius conſpectum, poſt multam defenſionem, illud unum tantum ab eo reſponſum accepit, quod robuſta voce diram anathematis protulit ſententiam, ſi amplius reſiſteret, & niſi penitus acquieſceret. Cogitate quæſo, qua fuerit animi perturbatione perculſus, cum talis erumpens e cœlo repente tanto fragore tonitrus, fulmen æternæ damnationis explodens, illius auribus intonuit. Quid hic faceret vir æque obediens atque humilis? At propoſitam ſibi privatæ vitæ humilitatem diligebat. Reſiſteret? At plena illa terroris vibrata ſententia, ut prorſus acquieſceret impellebat. Igitur non potuit ita ſubactus non manus dare; quamquam non æque animum dedit, qui, ſi licuiſſet, etiam manus retraxiſſet, veluti alter Zara, maternum uterum (hujus ſcilicet Congregationis domum) repetere mallens, quam vinctus purpura progredi. Etenim (ut hoc etiam addam) tanto Congregationem hanc, veluti ſpiritualem matrem, amore proſequebatur, ut acerbiſſimum ſibi duceret ab ea, non dicam animo, ſed corpore duntaxat vel ad breviſſimum tempus poſſe divelli. Quocirca in præfatione ſeptimi Annalium Tomi, dum collatam ſibi Cardinalatus dignitatem deplorat, quid inter cætera dicat, attendite. *Tamquam abortivus ſum projectus ex utero, illo, videlicet, in quo ſemel conceptus ſpiritu cupiebam formari in virum perfectum, nec exire, donec transferrer ad tumulum, ne oculus me videret. Maternum jure dixerim uterum domum illam, in qua poſt conceptionem illam meam coaleſcere cum fratribus meis, denique extremum claudere abſque aliqua lucis uſura, fulgore videlicet cujuſlibet dignitatis, in mentis firmo propoſito erat*, Ex quibus verbis apparet non ſolum ejus erga Congregationem hanc amor & ſtudium; ſed & quam humilitatis appetens, & quam ab honoribus eſſet alienus. Jam vero ut ad reliqua progrediamur, ad ſublimem Cardinalatus dignitatem evectus, an priſtinam illam, & eo uſque ſervatam deſeruit humilitatem? an laxiora defluentis purpuræ ornamenta circumferens, eorum aſſiduitate intumeſcere animo cœpit? an exoptare ſupremam illam uno jam gradu proximam culminis Pontificii dignitatem? Tantum abeſt, ut hæc effecerit, ut potius toto reliquæ vitæ ſuæ tempore nihil aliud magis, quam Cardinalem ſe eſſe conquerens, miſero ſibi datam lucem doleret, cum tolerare illius honoris munera cogeretur. Fatebatur nihil ſibi gratius in vita accidere poſſe, quam ſi graviſſimum illud onus aliquando deponeret: tum demum ſibi videri Cœlo pedem ſe illaturum fuiſſe, cum ad ſuum privatæ vitæ ſtatum rediens, Cardinalis eſſe deſiiſſet; id quod non ſolum multis a Deo precibus; ſed etiam ab ipſo Pontifice flagitavit. Nihil enim ea dignitas illi novum afferebat, niſi, ut cum prodeſſet quidem pluribus, ſibi magis metueret, ne illa ſibi a Deo pro laborum ſuorum mercede tribueretur. Atque hinc illud extitit, ut ſubito Cardinalis factus, divinæ majeſtati voto promiſerit, nihil ſe unquam facturum, quo viam ſibi pateſaceret ad Pontificiam dignitatem conſequendam: quod deinde ſic præſtitit, ut potius ea geſſerit, quibus intercludi ſibi ad illam aditum ſentiebat. Nimirum non a conciliata ſibi Regum ac Principum gratia non ab humanis, quæcunque illa eſſent, præſidiis, ſed a ſolius Dei cupiebat voluntate pendere, ſi quid tandem honoris ſibi aliquando contingere potuiſſet; cum interim non id quæreret ipſe, ſed fugeret, immo vero, ut Helias aquam ad ligna flammis de Cœlo deductis comburenda, ſic ille ad dignitates arcendas contraria, quantum in ſe ipſo erat apponeret: ſua videlicet animi demiſſione contentus, & ab omni cupiditate gloriæ remotiſſimus. Atque hæc humilitatis virtus, ut in eo maxima, ſic ſemper aliarum fuit fœcunda parens, cuſtoſque virtutum, in quibus profecto ſic enituit, ut ſi explicare ſingulas vellem, vix ad finem poſſet oratio pervenire. Quid enim dicam de effuſa illa in eleemoſynis erogandis largitate cujus illud præclarum adhuc adoleſcens indicium præbuit, quod ut, cujuſdam familiæ egeſtati ſubveniret, quam audierat a concionatore Populo commendari, cum nihil aliud tunc, præter tria ſolum haberet induſia, quæ a parentibus nuper acceperat, ea in eleemoſynam libentiſſime tradidit, alienæ magis conſultor inopiæ, quam ſublevator ſuæ? Quid dicam de eleemoſynis, quas deinde Cardinalis creatus admirabili charitate largitus eſt? Hac ſanctorum Martyrum Nerei, & Achillei Eccleſiam penitus collapſam reſtituit. Hac ſancti Gregorii cognomento magni templum ex-

orna-

Digitized by Google

ornavit: Sanctæ Sylviæ ejuſdem Gregorii matris memoriam erexit atque illuſtravit. Hac religioſis Franciſcanæ familiæ fratribus, quos Capuccinos vocant, Soræ monaſterium a fundamentis extruxit. Hac puerorum, ac puellarum, quæ diſperſæ nuncupantur, patrocinium ſuſcepit: religioſarum cœnobiis ea, quæ ad victum neceſſaria erant, frequenter ſuppeditavit: Virginibus Deo dicandis dotes impertivit: Inopes, ac præcipue peregrinos humaniter hoſpitio excepit, ac ſuſtentavit: plurimos ſingulis quibuſque menſibus certis ſtipendiis aluit; omnium denique neceſſitates quantum potuit, ſublevavit, ut propterea mirandum non ſit eum ſua fere omnia tam celeriter in eleemoſynam tribuiſſe, quando, ſi potuiſſet, multo plura, charitate compulſus, libentiſſime erogaſſet. Age jam, quid dicam tantam illius erga ſe in iis, quæ ad corpus pertinent, extitiſſe ſeveritatem, ut vel graviſſimis defeſſus laboribus numquam ad ſatietatem, vix ad neceſſitatem ſomnum caperet? & quatuor tantum aut quinque ad maximum contentus horis reliquam noctem ſomno quidem vacuam, ſed orationibus ac ſtudiis plenam traduceret? Mitto, quod is erat in ejus veſtitu ac ſuppellectili modus, ut etiam in Cardinalis dignitate conſtitutus, indumentorum elegantiam, & domeſticorum parietum ornamenta repudiaret. Taceo autem in cibo, potuque parſimoniam, qua ut ad laborum curſum perficiendum expeditior eſſet, utebatur. Non dicam piam illam conſuetudinem Urbis Xenodochia, mane, ac veſpere adeundi a B. Philippo ſibi olim impoſitam, & a ſe per novem annos adeo ſine ulla intermiſſione ſervatam, ut ne febri quidem laborans ab ea umquam deſiſteret, in quo illi non raro divinitus accidit, ut deinde domum incolumis ac bene valens reverteretur. Non commemorabo aſſiduum illum atque conſtantem in excipiendis confeſſionibus & in ſermonibus ad populum ter aut quater in hebdomada per 40. & amplius annos habendi laborem ac diligentiam; in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio quotidie celebrando religionem, erga ſanctiſſ. Virginem Dei genitricem MARIAM eximiam pietatem, erga Beatos Apoſtolos Petrum & Paulum animi ſtudium, & in eorum Baſilica quotidie inviſenda admirabilem per multorum annorum ſpatia perſeverantiam, a quo pietatis officio nec æſtivi ſolis ardoribus, nec glacialis hyemis, ventorumque aſperitate retrahebatur. Omitto ejus in rebus opportune gerendis prudentiam, modeſtiam in proſperis, in adverſis fortitudinem, in omnibus cæleſtis præſidii fiduciam, & ſtabilem cum ipſius Dei voluntate conſenſum. Illum velim Auditores vobis ante oculos inſpiciendum ponatis æſtuantem divinæ gloriæ zelum, & in Eccleſia Catholica defendenda, amplificandaque ſtudium ſingulare, quod ſic perpetuo flagravit, nihil ut unquam eſſet, aut reperiri poſſet tam arduum, tam laborioſum, tanta periculorum multitudine vallatum, quod ei ſuaderet aliquando, ut taceret, aut diſſimularet, aut prætermitteret, quod pro divini nominis gloria, Eccleſiæque dignitate tuenda omnino ſibi agendum eſſe judicaſſet. Hinc Chriſtiana illa, & Apoſtolico viro digna in loquendo, ſcribendoque libertas, a qua invictum ejus animum non dicendæ veritatis admiranda novitas, non inanis hominum timor, non vanæ ſpes, non indoctorum dicta vel facta, non adverſantium ora vultuſque retardare potuerunt. Intelligebat enim verbis ſuis vetuſtiorem eſſe veritatem, eamque rebus omnibus quæ caducæ ſunt, antiquiorem ſibi eſſe debere: neque dubitandum quin illa ſemper de ſuis hoſtibus triumphum eſſet glorioſiſſimum reportatura. Et hic ejus veritatis amor, & Eccleſiæ Catholicæ, quam ſibi veluti cariſſimam ſponſam electam, dilectamque tueri cupiebat, zelus ardentiſſimus tantum illi ſuppeditabat acumen ingenii, tantam verborum ſententiarumque gravitatem, ut adverſus Eccleſiæ inimicos non verba dicere, ſed fulminare; non ſcribere, ſed tela jacere, eoſque altius eruentare atque interimere videretur. Hic ego PP. AA. de illius annalibus pauca dicturus rogo, obteſtorque vos, ut me pro veſtra benignitate paulo attentius audire non gravemini. Neque vero orationem meam, quæ ad finem accedit, in referendis Beato parenti noſtro Philippo gratiarum actionibus inſumam, quas illi Baronius in octavo ſuorum annalium tomo uberrimas refert, quippe quod in iis conſcribendis eum habuerit ob iteratas ſæpe juſſiones auctorem, impulſorem, ſemper aſtantem operi, urgentem præſentia, inſtantem verbis, & quaſi quotidiani penſi, atque operæ exactorem. Neque in laudandis illorum veritate, ordine, ſtylo, multitudine, quos ille quanquam innumeris tum publicis, tum domeſticis occupationibus detentus, nemine collaborante perfecit, ac ſepties in Oratorio noſtro (ubi quotidie excepto ſabbato quatuor ſermones a noſtræ Congregationis ſacerdotibus habentur) repetivit: Sed hoc uno contentus ero, ſi quantum inde utilitatis in Eccleſiam Catholicam promanarit, breviter demonſtravero. Itaque reducite quæſo vobis in memoriam ſceleſtos illos ac nefarios hæreticorum impetus; quibus olim in Eccleſiam invadentes, vel proſternere penitus eam, ſi potuiſſent, vel certe graviter affligere conabantur. Quantum Elaborabant, & iniquis machinationibus ac dolis moliebantur, ut divinum verbum, & ſacrarum hiſtoriarum antiquitatem perverterent aut abolerent, conſarcinatis ab ineunte Eccleſia uſque ad pleraque ſæcula centuriis, unde expugnari antiquarum traditionum veritatem poſſe ſperabant? Quid non egerunt, ut Sanctæ Rom. Eccleſiæ Catholicæ poteſtatem omnem, vel funditus everſam, vel maxime debilitatam atque imminutam viderent? Verum quod fuit Eccleſiæ Catholicæ gaudium, quæ lætitia, cum vidit ex adverſo conſurgere noſtrum hunc Ducem antefignanum Cæſarem Baronium, prælia Domini præliaturum, eaque victoriæ monumenta præferentem, annalium, inquam, volumina quibus, veluti ubieſtis lapidibus & laborantem tueretur Eccleſiam, & confractis inimicorum telis eiſque penitus debellatis triumphale carmen, tota ſibi Eccleſia gratulante, decantaret? In quo quidem certamine qualem ille victoriam eſt conſecutus, niſi eam, quam exoptabamus univerſi: Nam ſi Apoſtolicas traditiones & legitimos Eccleſiæ ritus ita explicatos jam & illuſtratos eſſe gaudemus, quis magis & explicuit, & illuſtravit, quam Baronius? Quis ſacras pleraſque Synodos in occultis tenebris deliteſcentes, & ob præpoſterum ordinem, vel altum ſilentium, haud ſatis manifeſtas, accuratius conquiſivit, & quodammodo redivivas fecit, quam Baronius? Quis præterea ſanctorum martyrum res præclare geſtas, labores, victorias & ſuo ordine apte diſpoſuit, & majore veritatis luce colluſtravit, quam Baronius? Denique quis ejus doctiſſimos evolvat Annales, qui expreſſum ubique non videat acerrimum Catholicæ Fidei propugnatorem, defenſorem antiquitatis, hæreticorum malleum, veritatis cuſtodem, vindicem Eccleſiaſticæ poteſtatis? O virum æterna memoria digniſſimum! qui ea facere potuiſti, quæ ſemper omnis ætas admirabitur, quæ poſteritas alet, quæ vigebunt immortalitate omnium ſubſequentium ſæculorum.

At quid nunc mihi animum concutit? Dicam, an taceam? En converſum eſt in luctum gaudium noſtrum, & extrema gaudii luctus occupat. En quod mortale fuit, periit: quod nolebamus advenit. O deplorabilem tanti viri jacturam! o acerbam mortem, quæ tantum nobis præſidium ſuſtuliſti! Ubi nunc, Auditores, Caput illud ob antiquam Cæſariem reverendum, refertiſſimus ſapientiæ theſaurus, rerum omnium geſtarum abſolutiſſima bibliotheca, vivumque compendium?

Ubi illa manus, quæ tot antiquorum ſcripta evolvere, tam laborioſum ac immenſum eruditiſſimorum annalium opus inchoare, ac fere ad extremum perducere terminum potuit? ubi, inquam, manus illa quæ duodecim annalium tomos dum extruxit, totidem, videtur in Eccleſiæ militanti potuiſſe, cœleſti illi civitati conſimilia fundamenta? aut certe quendam quaſi hortum deliciarum, in quo pacis tranquillitate donatus ſolatium capere, & varios jucundiſſimoſque decerpere liceat ſapientiæ flores? aut denique turrim fortiſſimam videtur erexiſſe militaribus præſidiis communitam, unde belli tempore adverſus Eccleſiæ Catholicæ hoſtes arma ſumere, ac ſtrenue dimicare poſſimus: Ubi totius corporie dignitas, qua veluti quodam venerabili indumento excelſus ille animus veſtiebatur? Ubi Sol ille, qui totam illam illuſtrabat Eccleſiam? Ubi columna illa ſolidiſſima, cujus firmitate Catholicæ Eccleſiæ domus fulciebatur? Pro dolor occidit Sol, obſcuratus eſt ſplendor ejus, retraxit lumen ſuum, & quæ ſteterat columna, jam concidit. Et poterit nunc quiſquam noſtrum, Auditores, in ædificio domus Eccleſiæ coagmentatus & ejuſdem fidei charitatiſque conjunctione compactus non ſentire tam gravem caſum, non contremiſcere, non commoveri: Poterit hæc univerſa Civitas, cui tanti viri conſpectu & colloquio frui jucundiſſime licuit non deplorere, non conqueri; dum exterarum regionum incolæ ad quos ejus ſolum ſcripta famaque pervenerant, auditam duntaxat illius ægrotationem ſic lamentabantur, ut quas Romam ſcribebant litteras, plenas doloris, non tam atramento exaratæ, quam fluentibus lachrymis conſcriptæ eſſe viderentur? Quod ſi cui tantus ex illius morbi fama dolor invaſit; quæ ſuſpiria, quas lachrymas, quæ doloris ſunt argumenta præbituri, cum intelligent Cæſarem Cardinalem Baronium, ſibi amantiſſimum, morte ſublatum? Ergo nos non commoveamur animo præſentes, quando qui longiſſime abſunt, una cum Baronio quodammodo conciderunt? Vereor ſane (quod fere pudet me dicere) ne ab exteris ut dolore, ſic & amore ſuperemur: nimirum neſcio quo modo minoris facere videamur proprie, quæ maxime ſuſpiciunt alieni. Deus immortalis! quas voces, quos gemitus exaudiremus etiam mortuorum, & ſi illi quoque vociferari, & nos illorum ſonos auribus percipere valeremus? imo vero, quid ego mortuos commemoro? imagines quoque (ſi fas eſt dicere) templa, antra, ſolitudines, lapides ipſi ſi poſſent, conclamarent, debitas videlicet Baronio exequias perſoluture, a quo ſuam, quam habent in hominum memoriis vitam ſe accepiſſe teſtarentur. Et poterit quiſpiam noſtrum ne ſignum quidem debiti doloris oſtendere, eum eum amiſerimus, qui ſuis tum exemplis, tum ſcriptis ad Chriſtianam fidem pietatemque mirifice impellentibus ſpiritualem gratiæ vitam plurimis in Chriſto genitis filiis Deo adiuvante largitus eſt, genitos aluit, & ad æternam vitam felicitatemque tranſmiſit? Quid? quod immaniſſimi Catholicæ fidei hoſtes triumphare ſibi gaudio nunc videntur, quod Baronium amiſerimus: nos vero, qui bus inimicorum noſtrorum lætitia dolor eſſe debet, ea carebimus pietate, ut neque de nobiſmet ipſis doleamus? Neſcio, quid jam amplius dicam Auditores. Dolere vos quidem pro tanti viri amiſſione, ut per eſt, & veſter hic luctus oſtendit, crediderim: Ego vero, dum id vobis perſuadeo, ita me affictum ſentio, ita debilitatum, ut plane neceſſe ſit lenire paululum dolorem meum. Verum in quo tandem me ipſe conſolabor; Laudevi Baronium, quia talem habuimus, qui digniſſimus fuit, ut omnium ore laudetur. Dolui quia eum amiſimus, quem nobis utiliſſimum ſentiebamus. Jam vero quid ſupereſt, in quo recreari animus poſſit? Num cogitabo eum hac lege natum, ut mori aliquando debuerit? ſed conſolatio hæc eſt pervulgata maxime, qua una ſe a luctu temperare ſolent etiam ii, qui ſpem æternæ vitæ non habent. Eo me igitur ſolatio conſolabor, quod illud in Cœlis præmium te percepiſſe arbitror Baroni, quod tuis optimis virtutum meritis debebatur, quippe cum talis mors tua fuerit, quæ bene antecedenti vitæ cumulate reſponderit. Etenim Auditores, poſtquam certum mortis ſuæ tempus ſingulari Dei beneficio prænoverat, quod etiam in quibuſdam ſchedulis notatum reliquit, ac ſæpe prædixit, quamquam extremum illum diem ſemper in omni vita meditari conſueverat, ita ut non in mente ſolum, ſed etiam in ſigillo, quod literas obſignabat, mortis imaginem retineret impreſſam, & quicquid audiret, quicquid loqueretur, quicquid ageret, perenni mortis, judiciique meditatione condiret: tamen ut ad eam non niſi paratiſſimus, & quaſi expertus accederet, ſingulis diebus precibus ab Eccleſia inſtitutis, ſpiritum ſuum Deo Opt. Max. quaſi quotidie moriturus, commendabat. Itaque appropinquante jam morte quam a ſe diu expectatam lætus excepit, cum corporis viribus ob diuturnos labores, & inediam penitus exhauſtis, jaceret in lectulo, perpetuam illam cogitans æternitatem, & dulciſſimum Jeſu nomen identidem repetens, ſacramentis omnibus pie ſuſceptis, intentis in Cœlum oculis, poſt di m feſtum SS. Petri & Pauli, ſub eorum patrocinio placidiſſime efflavit animam, & ut confidimus, in beatiſſimam illam cœleſtium animorum patriam evolavit. O te felicem, cujus bene actam vitam felicior mors, mortem vero feliciſſima vita conſecuta eſt! Hoc meum eſt gaudium, hoc levamen doloris mei. Quod in te fuit immortale, mors ulla non læſit; & quod mortale ſurripuit, illud eſt glorioſius redditura. Quamquam non hoc uno duntaxat animi mei lætitia continetur; ſed illud accedit, quod nos & univerſam Eccleſiam, ſicut vivens in terris ſummopere diligebas, ita ſperandum eſt fore: ut in Cœlo jam poſitus, tuis apud Deum precibus multo magis, quam antea protegas atque defendas. Noſtrum nunc eſt Auditores, ut mœſti de illius diſceſſu, læti de felicitate, non ſolum ejus memoriam ſumma cum charitate celebremus; ſed egregias virtutes, quibus in æterna luce conſtitutus, & cum Deo ipſo conjunctus eſt, ſic imitemur, ut ipſi tandem aliquando ex labore ad quietem, ex caligine ad lucem, ab exilio hoc miſero ad feliciſſimam patriam, ab hac funeſta lacrymarum valle ad ſupernas beatorum civium ſedes commigrare valeamus. Amen.

JUSTI BARONII
VETERA CASTRENSIS
THEOLOGI JURISCONSULTI
ET CONSILIARII

MOGUNT.

In Obitum.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DD. CÆSARIS BARONII SORANI, S. R. E. Presbyt. Cardin. S. Q. Apoſtol. Sed. Bibliothecarii, &c.

Ad R. P. Nicolaum Serarium, Soc. Jeſu Theolog. ac Profeſſ. Moguntinum.

PARENTALIA.

POſteaquam mihi renunciatum eſt, SERARI, de obitu Illuſtriſſimi & Beverendiſſimi Cardinalis D. CÆSARIS BARONII SORANI, viri, ſicut ipſe noſti, longe Maximi, & quod ipſa invidia triſte aſſeveraverim, pientiſſimorum omnium doctiſſimi; & doctiſſimorum omnium pientiſſimi: ſane quam pro ea ac debui, quamque res ipſa ac jactura tanti Principis poſtulabat, vulnere doloris perculſus ſum acerbiſſimo, majoremque eam calamitatem exiſtimavi, quam quæ vel verbis a me exprimi, vel ullo lacrymarum fonte ſatis digne deplorari atque expiari poſſet. Equidem poſt beatum CLEMENTIS VIII. Pont. Opt. Max. & numquam ſine præfatione ſempiternæ gloriæ nuncupandi exitum, ſic ſenſi, atque etiamnum ſentio, nullum mihi triſtius aut luctuoſius nuntium obvenire, nullum Eccleſiæ puræque fidei & religioni Catholicæ gravius damnum aut detrimentum, accidere poſſe, quam ſi BARONIO hoc noſtro occumbente, uno quaſi momento & mihi tutiſſimum fortunarum mearum præſidium, & fortiſſimus Chriſti athleta, qui velut alter (a) *Scipiades* validiſſima hactenus fulmina in hæreticorum caſtra contorſiſſet, ſtrageque *immenſa edita*, ac CENTURIIS Satanæ e portis inferi in detrimentum Eccleſiæ productis, glorioſe profligatis & conculcatis, formidine nominis ſui paſſim omnia compleſſet, exanimis ſubito concideret ſimulque de ſtatione vitæ, ac præſidio domus Domini felicioribus regnis ſucceſſurus decederet. Eheu vir maxime BARONII, (b) *Pater mi, pater mi, currus Iſrael & auriga ejus:* tu tantus (c) *Quiris* leto datus es? Quam tuti tuo præſidio, quam glorioſi & illuſtres tua fama fuimus! Nimirum illud ad confertiſſimas hujus ſæculi calamitates ſuperérat, ut te etiam duce atque auſpice militiæ noſtræ deſtitueremur nudataque primipilis agmina hoſtium furori deinceps objiceremus. Sed age, tu ad palmam uſque decertaſti, tu (d) *curſum conſummaſti*, tu *fidem ſervaſti: repoſita eſt* tibi *deinceps corona Juſtitiæ*, corona inquam (e) *immarceſcibilis*, quam juſtus ille agonothetes, (f) *Leo de tribu Juda*, (g) *Princeps paſtorum*, tibi tuique ſimilibus ſtrenuiſſimis bellatoribus in beato illo ævo retributurus eſt; (h) *Ubi non eſt mors, non luctus, non laſſitudo, non infirmitas, non fames: nullus ſitis, nullus æſtus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœſtitia, nulla triſtitia.* (i) Quæ gloria *non minuitur copia poſſeſſorum, nec fit anguſtior numeroſitate cohæredum, ſed tanta eſt multis, quanta paucis, tanta ſingulis, quanta omnibus:* omnibus inquam cœleſtis regni ſociis, hominibus pariter atque (k) *Angelis & Archangelis, thronis & dominationibus, principatibus ac poteſtatibus*, &c. (l) Ubi *dulcis ſolemnitas a peregrinationis hujus triſti labore redeuntium*, ubi *feſtivitas ſine fine, æternitas ſine labe, ſerenitas ſine nube;* (m) *talis* denique *delectatio pulchritudinis, ut ſemper tibi præſens ſit, & numquam ſatieris: immo ſemper ſatieris & numquam ſatieris. Si enim dixero, quod numquam ſatiaberis, fames erit; ſi dixero quod ſatiaberis, tunc tibi nec faſtidium erit, nec fames. Quid dicam neſcio, ſed Deus habet*, quod pro abundantia liberalitatis ſuæ tibi cæteriſque tuis & (n) *Chriſti cohæredibus* exhibiturus ſit. Hanc igitur gloriam tibi BARONI minime nos invidere, ſed gratulari, non præmaturam dicere, ſed ætati & labori tuo tempeſtivam cenſere, adeoque poſitis querelis omnibus, & lingua & mente tranquillo quietis tuæ portui, ad quem ſalvus appuliſti, congratulari oportet: illius inſuper memores, quod præclare a quodam priſci ſæculi authore ſcriptum extat: (o) *Mortalibus univerſis ab rerum natura & accipiendi ſpiritus, & reddendi eodem momento temporis legem dici, atque ut mori neminem ſolere, qui non vixerit, ita nec vivere quidem aliquem poſſe, qui non ſit moriturus.* Et iterum: (p) *Humana vita conditionem*, inquit, *præcipue primus & ultimus dies continet: quia plurimum intereſt, quibus auſpiciis inchoetur, & quo fine claudatur.* IDEOQUE EUM DEMUM FELICEM FUISSE JUDICAMUS, CUI ET ACCIPERE LUCEM PROSPEBE, ET REDDEBE PLACIDE CONTIGIT. *Medii temporis curſus, prout fortuna gubernaculum rexit, modo aſpero, modo tranquillo motu peragitur: ſpe ſemper minor, dum & cupide votis extenditur, & fere ſine ratione conſumitur. Nam etſi eo bene uti velis, etiam parvum ampliſſimum efficies, numerum annorum multitudine operum ſuperando. Alioqui quid attinet inerti mora gaudere, ſi magis vitam exigit, quam approbat.* Hæc ille. Sed longius me dolor atque amor in hoc veſtibulo ſtatim orationis meæ tranſverſum abripit SERARI; ad te ſermonem converto, tibique hæc reliqua PARENTALIA mea dico & conſecro, qui noſti, quanta mihi cum hoc lumine Cardinalium, cum hac columna Eccleſiæ Catholicæ interceſſerit cognatio, quanta ejus in me merita, quantus amor & benevolentia extiterit, qua ta viciſſim mea in ipſum obſervantia, & cultus, ut ſi quis nunc parentandi officium ſibi ſumpturus, juſta illi perſolvere, vel laudum monumenta extruere velit, nemo id meliori jure aut

Annalium in Baronium

- (a) *Virg. 6. Aeneid.*
- (b) 4. Reg. 2. 12.
- (c) *Feſt. in verb. Quiris.*
- (d) 2. Tim. 4. 7. 8.
- (e) 1. Pet. 5. 4.
- (f) 1. Ap. 5. 5.
- (g) 1. Pet. 5. 4.
- (h) *Aug. de Symb. l. 3.*
- (i) *Aug. Sup. Pſal. 40.*
- (k) *Chryſ. de repa. lapſ.*
- (l) *Aug. ſup. Joan. hom. Ego ſum paſtor bonus.*
- (m) *Idem ſup. Joan. hom. 3.*
- (n) *Rom.* 8. 17.
- (o) *Valer. Max. l. 5. c. 10.*
- (p) *Idem lib. 9. c. 12.*

poſſit, aut debeat, quam ego unus, filius ipſius quaſi adoptivus, quem Romæ in Baſilica *S. Joannis Lateran.* anno ab hinc circiter ſexto, ſacramento CONFIRMATIONIS ſoleumter ſibi genuit, impreſſoque perpetuo cognominis arrhabone in familiam ſuam lubens volenſque cooptavit. Qua de re quia jam pridem tertius (a) *Epiſtolarum* mearum liber plenius uberinſque teſtatus eſt, pluribus hic verbis uti deſino. Ac ſane ſi vera ſunt, quæ de funeribus antiquorum Romanorum in diverſis hactenus memoriæ prædita reperiuntur, præcipuas in illis partes FILIORUM ſuperſtitum fuiſſe, ut ſcilicet ipſi primo omnium (b) ablutum perunctumque a funereis, libitinariis & pollinctoribus cadaver parentum, debitoque ornatu ac veſtitu, (c) qualem ſcilicet vel partus in bello honos, vel publice geſtus Magiſtratus requireret) decoratum ad januam ædium componerent, eoque loco ac ſtatu collocarent. (d) ut per ſeptem ipſos dies faciem & pedes haberet extentos ad viam, & in publicum obverſos. Deinde ut (e) iidem in deducendo funere velatis irent capitibus, filiæ vero quo omnia perverſa viderentur, nudato vertice & crinibus ſparſis. Inſuper ut accenſo extra Urbem rogo, (f) cum decurſum fuiſſet a militibus ter ſiniſtro orbe circa eundem projectis armis, verſiſque inſignibus (g) ipſi etiam filii cum univerſo populo ſolenni ritu rogum parentum ambirent; ac tandem cum combuſtis cadaveribus Sacerdotes oſſa legere inciperent, ipſimet ſtatim ad idem ſe officium accingerent, (h) inventoque primo parentis oſſe eidem gratularentur, eumque tamquam DEUM jam factum conſalutarent, &c. Si inquam hæc omnia ita vero conſentanea ſunt, ego in hoc quaſi paterno meo funere, cui præſens Romæ (quod unice deſideraſſem) exornando, deducendo, flendo, atque ambiendo debitum impertiri officium non potui, quomodo me ab reliquis ejus pietatis partibus exolvam: id eſt, quo pacto, ſi non (i) *maxima* quod ajunt *hoſtia*, parentem, vel integras a capite exequias repetam (qua in re jam dudum in Urbe labor multorum atque *Oratorii* in primis patrum, quos tanquam fratres ſub communibus *B. Philippi Nerii* dulciſſimi in Chriſto parentis ſui ſignis militantes unice colebat BARONIUS, graviter deſudavit) hoc ſaltem poſtremum conſalutandi & congratulandi munus citra impietatis atque ingratitudinis notam prætermittere, queam equidem non video. Eſt ſane ſi quæris, virtute ſua atque immortalibus monumentis toto orbe laudatior BARONIUS, quam ut mea qualicumque commendatione vel minimum indigeat. Nec parum reformido Favorini Philoſophi virgulam, (k) *qui turpius eſſe dicebat, exigue atque frigide laudari, quam inſectanter & graviter vituperari. Qui enim male dicit & vituperat*, inquit, *quanto id acerbius facit, tam maxime ille pro iniquo & inimico habetur & propterea plerumque fidem non capit. Sed qui infecunde atque jejune laudat, deſtitui a cauſa videtur, & amicus quidem creditur ejus, quem laudare vult, ſed nihil poſſe reperire, quod jure laudet*. Cui ſuffragatur & alterum (l) Joann. Patriachæ Jeroſolimytani in vita S. Joann. Damaſc. *Ruſticioribus*, inquit, *danda eſt venia, ſi quemadmodum poſſunt orationes rudi atque inelaborato ſtylo proſequuntur, eum eorum, qui Deo placuerunt, res geſtas exponunt. At qui eloquentiæ operam navant, iis ignoſci minime debet, ſi Sanctorum vitas neglexerint, eaſque tumultuaria duntaxat opera conſcripſerint: præſertim ſi virorum eorum vitam litteris complectantur* (audi BARONII noſtri ἐκτύπωσιν) *qui per omnem vitæ curſum libris invigilarunt, atque doctrina adjumento tum mentem ab inſcitia & oblivione, tum animam ab omni turbulento motu repurgarunt, qui huic terræ nobilitatis ornamentum attulerunt, ac mundum omnem per libros a ſe elaboratos illuſtrarunt, non externa duntaxat ſapientia gratia pollentes, verum etiam Paracleti lumen copioſe atque affluenter emittentes*. Hactenus iſti. Verum utcunque ſit SERARI, tua authoritate permotus, tuaque cohortatione roboratus, qui jam dudum ad hoc ſingulare pietatis officium te mihi admonitorem præbuiſti, quique & quid muneris mei rationi, & poſteritatis arbitrio foret, accommodatius, optime proſpexiſti, tribus quod ajunt verbis exponere in præſens conſtitui, quas potiſſimum dotes, & quæ divini numinis ſignacula ego in Principe iſto, a primo cum eodem notitiæ tempore ſuſpexerim maxime, quantuſque mihi adeo BARONIUS cum vivus fuerit, tunc mortuus merito omnibus eſſe debeat. MAGNUS videlicet in primis atque illuſtris animo quem omni virtutum ſcientiarumque genere habebat excultiſſimum atque inſtructiſſimum, ut cum magnis illis & doctrinæ & ſapientiæ heroibus, quos etiamnum hodie admirabunda veneratur Eccleſia, quoſque maximis undiquaque proſequitur laudibus, haud infeliciter comparari poſſit. Argumenta non conquiro: piaculum foret, rei tam teſtatæ, atque ipſorum etiam hoſtium teſtimonio comprobatæ nunc demum anxiis rationum documentis atque experimentis fidem vel quærere, vel aſtruere velle. MAGNUS deinde corpore & ſtatura, quæ ei divinitus *habiliſſima* & ſpectatiſſima contigerat, (m) *quadrata* ſcilicet, *non ea gracilis nimis, neque nimis obeſa*, cæteroqui longa & robuſta, ut excelſus ille animus non niſi ad ingentia natus pari corporis robore ſubnixus, perferendis illis continuis & conſcribendi & commentandi laboribus tanto rectius ſufficere poſſet. Quo minus illam (n) *Valerii* ſententiam probo, *nimio robore membrorum vigorem mentis hebeſcere, quaſi abnuente natura utriuſque boni largitionem, ne ſupra mortalem ſit felicitatem, eumdem & validiſſimum eſſe & ſapientiſſimum*. Nam etſi matris naturæ fœcunditas hac geminata liberalitate non uſquequaque, neque erga omnes utitur, tamen quandoque, & pulcherrimam inde corporis atque animi harmoniam efficit: quod præter variata exemplorum ſegetem, quibus plena ſunt hiſtoricorum monumenta, ipſa etiam communi ſermone trita parœmia adumbrat, εἶδος ἄξιον τυραννίδος: cujus vim atque ſenſum præter cæteros, *Æthiopes* iſti *Macrobii* vel maxime videntur aſſecuti: *qui* (o) Herodoto authore *quem ex popularibus ſuis maximum, & pro magnitudine validum judicarent Regem ſibi potiſſimum deligere conſueverunt*. Sed nunc ad BARONIUM meum redeo quem porro MAGNUM quoque ac ſublimem ſingularis fortuna fecit, honeſto quippe inter ſuos loco natum, mediocribus opibus inſtructum, ac tandem virtutum ſuarum merito ad auguſtum illud *Cardinalitia purpura* decus; quo hodie inter Eccleſiaſticas dignitates via ulla extat magnificentior, aut ſplendoris abundantior, non tam voluntate vel ambitione ſua evectum; quam majorum authoritate pertractum atque Imperio confirmatum. Quo tamen ille dignitatis culmine tanta humilitate & modeſtia uſus eſt, ut purpuram magis gerere, quam noſſe vel æſtimare videretur: Sibique id humanitatis & beneficentiæ, non honoris inſigne collatum crederet: per quam diſſimilis aliis, qui collatis ſibi dignitatum titulis & emblematis non tam ad faſtum ac contemptum cæterorum abutuntur: (p) Valeriano forſan illo Pſeudodogmata imbuti, *quidquid in excelſo faſtigio poſitum humilis, & trita conſuetudine quo ſit, venerabilius vacuum eſſe convenire*. Sed aliter BARONIUS: qui ex innata ſibi atque imperata humilitate & modeſtia & (quæ nova ipſius laus eſt, continentiſſima quoque vitæ ratione, jejuniis & eleemoſynis, hoſpitalitate & benignitate erga pauperes, peregrinos pariter & indigenas, viduas & orphanos, ſacrificiis quotidianis, & ſacrorum locorum, maxime Baſilicæ SS. Apoſtolorum *Petri & Pauli* viſitationibus & ſupplicationibus frequentiſſimis, templorum diverſorum reparationibus,

nec

(a) *Epiſt.* 9. 10. 13. 14.
(b) *Serv. in 6. Aen.*
(c) *Polyb. lib. 6. Liv. lib. 34.*
(d) *Perſ. ſat. 3.*
(e) *Plut. in Probl. Rom. 14. Ovid. 6. Meta.*
(f) *Vir. 11. Aen. Ser. ibidem.*
(g) *Plut. Probl. Rom. 14.*
(h) *Plut. ibidem*
(i) *Cic. 2. de lege.*
(k) *Gell. lib. 19. c. 3.*
(l) *Interp. Jac. Bibl.*
(m) *Corn. Celſ. lib. 2. de remedio cap. 1.*
(n) *Valer. Max. l. 9. c. 12.*
(o) *lib. 3.*
(p) *Valer. Max. l. 2. c. 6.*

nec non aliorum magnificorum operum in honorem Dei & ſanctorum cum *Romæ*, tum *Soræ* factis præclaris extra domum, tantum ſibi authoritatis atque admirationis apud omnes conciliavit pondus, ut in iſta adhuc carnis ſarcina, quæ (*a*) *animam* non immerito *aggravare* fertur, *incarnatus* propemodum & viſu crederetur ſanctus. Appello hic omnes, quotquot Principem gentium Romam proximis ab hinc triginta annis, ſive pietatis, ſive curioſitatis gratia unquam perluſtrarunt, utrum non ſub primum ſtatim ingreſſum lucem iſtam Baronianæ pietatis & ſanctimoniæ quaſi ſidus quoddam illuſtre, ſplendere publice atque in ore omnium oculiſque verſari animadverterint? Hujus quippe nomen celebre in Eccleſiis, celebre in Scholis, celebre in curiis & Tribunalibus, celebre inter magnates ac principes, celebre inter cives ac plebeios. Summa omnes paſſim BARONIUM omnes velut ſingularis exempli & ſanctimoniæ virum, germanumque *Nerianæ* plantationis florem, ſuſcipere, colere ac venerari. Tales nobis ſacrorum ſuorum antiſtites hæreſis quoque ſi poteſt, nominet, qui cum doctrina exquiſita ſeriam quoque pietatem conjungant, expunctaque ex animis omni ſæculi ſolicitudine, abdicatis omnibus carnis illecebris & blanditiis, eo ſe totos componant, ut non (*b*) *quæ ſua ſunt quærere*, ſed quæ DEI, non partiri cultum cum numine, ſed ſe illi totos in holocautomata offerre noſcantur. Hæc, hæc ſunt noſtræ Romanæ Eccleſiæ inſignia hæc teſſera militaris, qua confeſtim omnis allophylorum hypocriſis & prophanitas proditur & hæreticæ malignitatis palam convincitur & condemnatur. Sed jam dudum me ingens illa ſcriptorum BARONII, atque ANNALIUM in primis ECCLESIASTICORUM magnitudo avocat, quæ tanta eſt ad XII. uſque tomum producta (in quo non ſine miraculo, quod omnis obſtupeſcet ætas, proſpecto, atque etiam in veſtibulo ejuſdem Tomi disertis verbis prænunciato ac præſcripto vix menſtruo vitæ ſuæ reliquo ſpatio, calamum poſuit, & quaſi XII. labores Herculis terminavit) ut cum quovis mortalium trophæo, cum quibuſvis literatiſſimorum virorum & hujus & ſuperiorum ſæculorum monumentis certare, multoque, rectius, quam Poetæ illius quiſquiliæ, Titulum illum triumphalem ſibi vendicare queat:

(*a*) *Sap.* 9. 15.
(*b*) *Phil.* 2. 21.

(*c*) *Exegi monumentum ære perennius,*
Regalique ſitu Pyramidum altius.
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum,
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam: uſque ego poſtera
Creſcam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.

(*c*) *Horat. l.* 3. *Carm. Od.* 30.

At ſive ſi quis vel rerum hoc opere digeſtarum, id eſt, univerſæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ a primis naſcentis Evangelii incunabulis, ad ſeram uſque ipſius XII. ſæculi ac prope devexam ætatem continuo filo deductæ præſtantiam atque utilitatem ſecum ponderare; vel ſtyli atque ordinis, quo hæc ab Authore noſtro digeſta ſunt, elegantiam & gravitatem, conſiderare; vel in ſolvendis ſubinde pro tanta rerum ac temporum varietate occurrentium difficultatum nodis, perpurgandiſque hiſtoriis, & ſpuriis a genuinis diſcernendis adhibitam ſingularem induſtriam æſtimare; vel denique molem ipſius operis, ac fructum inde uberrimum ad totius Eccleſiæ florem & ſplendorem hæreticorumque opprobrium, & conſarcinatas in primis illas meriſque dolis & mendaciis conſutas MAGDEBURGENSUM CENTURIAS penitus conculcandas atque extirpandas, jugiter redundantem rectis intueri oculis velit: cui dubium eſſe poteſt quin omnes æqui rerum æſtimatores huic judicio noſtro ſubſcripturi nihilque a nobis vel falſi, vel hyperbolici dictum omnibus libere calculis comprobaturi ſint? Illos vero rigidos Catones parum moror, qui nec ſuæ, nec publicæ ſatis rei providi, neſcio quos in ſcirpo nodos quærere, averruncandoque huic tam præclaro operi faſces etiam ſuas criticas minitari perhibentur. Auſint: cornicum oculos configant: manes laceſſant defunctorum: turbas publice dent: quam belle operam ſuam locaturi, quidque præmii laturi ſint, me vate dolentes paulo poſt experientur. Nobis de BARONIO noſtro honeſtiſſima ſtet ſententia: Princeps eſto mihi pietatis, princeps literaturæ & hiſtoriæ ſacræ, qui ut olim (*d*) *Plato ſtudioſis juvenibus certatim Athenas petentibus, ipſumque Platonem præceptorem quærentibus, Nili fluminis inexplicabiles ripas, vaſtiſſimoſque campos, effuſam barbariem, & flexuoſos foſſarum ambitus Ægyptiorum ſenum diſcipulus luſtrabat*: ſic ipſe ad colligendam certam atque enucleatam ECCLESIASTICORUM ANNALIUM ſeriem, inenarrabili ſtudio, contentiſſimo labore, nullis operarum adminiculis ſublevatus, ſua unius fretus indefeſſa vigilantia, ad extremum uſque vitæ punctum, annum circiter LXX. (paulo minus quam (*e*) *laborioſus ac diuturnus* illæ Academicæ *Sapientiæ Carneades qui nonaginta explevit annis*, & ne extrema quidem hora agitatione ſtudii vacua relicta, cujus *operibus ita ſe mirificum addixerat, ut cum cibi capiendi cauſa recubuiſſet cogitationibus inhærens manum ad menſam porrigere oblivisceretur*, *Meliſſaque* uxoris officio ad inediam arcendam *dexteram ſuam neceſſariis uſibus aptaret*, eumdem & vivendi & philoſophandi finem habuit) omnes omnium quotquot uſquam ſelectiſſimas intra Bibliothecas haberi potuerunt, probatiſſimos & fide digniſſimos commentarios conquiſivit & pervolutavit, ut quod quiſque ſparſim dixiſſet, ipſe in unum faſcem compingeret, atque una tabella lectori (*f*) *incorruptis rerum geſtarum monumentis* conſpiciendum præberet. Quo tam referto & locuplete theſauro, ſi paulo diligentius ad inopiam ſuam ſublevandam, & corrigendos fœdos errores uterentur ii, qui neſcio quo reformati Evangelii deliro ſomnio capti ſeparata tendere caſtra, & pervicaces præferre animos pulchrum ducunt, ne illis facile fraus *Centurionum* ſuorum ſuboleſceret, repetitiſque *veteribus caſtris* in unam nobiſcum ſocietatem & militiam coaleſcerent. Sed illi perſuaſionibus *ſuis vanis pertinaciter inhærentes obdurant ſe* (quod ait Lactantius (*g*) *contra manifeſtam veritatem, non tam de ſuis religionibus, quas prave aſſerunt, bene meriti, quam de ſe mali: qui cum habeant iter rectum, devios ſequuntur anfractus: planum deſerunt, ut per præcipitium labantur; lucem relinquunt, ut in tenebris cæci ac debiles jaceant. His conſulendum eſt* (ita nos ex animo conſulimus) *ne contra ſe pugnent velintque ſe tandem ab inveteratis erroribus liberari*. Quod omnino illis facile, pronum & manifeſtum erit, *modo ne pigeat*, ad percipiendam veritatis πληροφορίαν *legendi vel audiendi patientiam commodare*. Verum revocat nunc Oratio ad BARONIUM noſtrum, alterum illum *Tit. Livium* (*h*) *lacteo eloquentiæ fonte manantem ad quem* non ſolum *de ultimis Hiſpaniæ Galliarumque finibus*, ſed & de cæterarum Nationum remotiſſimis oris, plurimos veniſſe doctos ac *nobiles viros*, cum cæteris, tum mihi etiam, qui co-

(*d*) *Valer. Max. lib.* 8. *c.* 7.
(*e*) *Valer. ibid.*
(*f*) *Liv. in Prol. Dec.* 2.
(*g*) *lib.* 2. *de falſa relig. c.* 2.
(*h*) *Hier. ep. ad Paul.*

ram

ram multis eorum lætus aſpexi, ſalutationibuſque eorum præſens interfui, conſtat: adeo *ut quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxerit*. *Habuitque* adeo etiam *hac noſtra ætas inauditum omnibus ſæculis celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingreſſi, aliud extra urbem quærerent*. Atquæ hæc ipſa ſexta BARONII MAGNITUDO eſt, gloriæ ſcilicet & nominis ipſius immenſa quædam cælebritas, quæ totum pervagata Chriſtianum Orbem, ac longiſſime diſſitis terris & nationibus pervulgata, tantum illi decorem atque ornamentum attulit, ut omnibus cognoſcendi hominis cupiditate accenſis, quemadmodum olim (a) *Demoſthenis commemorato nomine, maxima eloquentiæ conſummatio*: ita nunc BARONII cognomento exaudito, optimi itaque exquiſitiſſimi Hiſtorici, addo etiam ſtrenuiſſimi & fortiſſimi Catholicæ fidei propugnatoris & defenſoris admiratio *animis* ſtatim *audientium oboriatur*. Quibus omnibus ita conſtitutis, quid conſequi poteſt aliud, quam (quod in ſeptima ipſius & potiſſima MAGNITUDINE pono) ſempiternæ gloriæ & cæleſtium a Chriſto eidem BARONIO noſtro retribuendorum præmiorum uberrima quædam ſeges; quem tanto majorem illi atque ampliorem præ cæteris auguramus, quanto fortius hic in terris (b) *prælia Domini prælıatus eſt*, quantoque majori labore ac ſolicitudine in (c) *talenti* ſibi concrediti fœnus multiplicandum ſemper incubuit. Quoniam enim Beat. Gregorio authore, (d) *Electis in hac vita eſt diſcretio operum, in alia quoque vita erit proculdubio dignitatum diſcretio, ut qui hic alius alium ſuperat, illic alius alium retributione tranſcendat*; (e) Et *quemadmodum in domo Patris noſtri manſiones multa ſunt, ita diſtincti bonorum ordines propter meritorum conſortium communiter quidem lætabuntur, ſed tamen una beatitudo diſpari retributionis qualitate inter eos dividetur*.

(a) Valer. Max. lib. 8. cap. 7.
(b) 1. Reg. 25. 28.
(c) Matt. 25. 15.
(d) S. Greg. l. 4. mor.
(e) Idem l. 4. dial. Joan. 14. 2.

Quid ergo? Deſiderat Epilogum oratio mea, quem unde ſatis dignum vel accomodatum depromam, hæſito. Eſt ſane præclara *Ciceronis*, nec multum a fidei noſtræ myſteriis, inſtitutive ratione abhorrens ſententia in Tuſculanis: (f) *Nos*, inquit, *ſi quid tale acciderit, ut a* DEO *denunciatum videatur, ut exeamus e vita, læti & agentes gratias pareamus, emittique nos e cuſtodia & levari vinculis arbitremur, ut aut in æternam & plane in noſtram domum remigremus, aut omni ſenſu, moleſtiaque careamus: ſin autem nihil denunciabitur, eo tamen ſimus animo ut horribilem eum diem aliis, nobis fauſtum putemus, nihilque in malis ducamus, quod ſit vel a Diis immortalibus, vel a natura parente omnium conſtitutum. Non enim temere nec fortuito ſati & creati ſumus, ſed profecto fuit quædam vis, quæ generi conſuleret humano: nec id gigneret aut aleret, quod cum exantlaviſſet omnes labores, tum incideret in mortis malum ſempiternum, portum potius paratum nobis, & perfugium putemus. quo utinam velis paſſis pervehi liceat. Sin reflantibus ventis rejiciemur, tamen eodem paulo tardius referamur, neceſſe eſt*, & cæt. Hæc quidem piæ ſatis Cicero, neque extra rhombum forte, ſicut diximus.

(f) Tuſc. 1. circa finem.

Sed quia hic ad tumulum ſtamus doctiſſimi Theologi, & præſtantiſſimi Hiſtorici, qui tanquam (g) *ſcriba doctus in regno Cælorum* protulit hactenus *de theſauro ſuo nova & vetera*, ſuorumque in ANNALIUM opere coagmentando omni proculdubio animi cura, cogitationeque defunctus fuit: cogites velim, ſi fata eum hic nobis præſentem ſtatuant, iſque de beato ſuo exceſſu ſciſcitantibus nobis quidquam reſpondere velit, an non verba illa (h) *Lactantii* ſua facturus, eaque hic coronidem, Parentalibus meis ſit daturus: *Quod ſi vita eſt optanda ſapienti, profecto nullam aliam ob cauſam vivere optaverim, quam ut aliquid efficiam, quod vita dignum ſit, & quod utilitatem legentibus, etſi non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundiæ rivus eſt ad vivendum tamen afferat: quod eſt maxime neceſſarium. Quo profecto ſatis me vixiſſe arbitror, & officium hominis impleſſe, ſi labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos, ad iter cæleſte direxerit*.

(g) Mat. 13. 52.
(h) De op. Dei c. 25.

Habes SERARI, quæ pro occupata vita mea de funere hoc Baroniano paucula nunc *eſſe legere* conſolandoque luctui noſtro ad te mittere libuit. Reſtat tanti viri manibus non tam bene precemur, eique (i) *terram* (quod antiquitas ſub diſceſſum a lugubri officio perhibetur feciſſe) *levem eſſe jubeamus*: quam ut ſanctis ipſius precibus innixi, & patrociniis defenſi, eandem & virtutis & gloriæ viam capeſſamus, noſque paulatim ad idem iter accingamus: memores quod ad poſtremum vale iiſdem conclamari antiquitus ſolebat, (k) *nos cunctos eundem, ordine quo natura permiſerit, ſecuturos*, & quod D. Paulus ingeminat, (l) *prout quiſque geſſerit in carne, ita mercedem a Domino reportaturos*. Quod ut ſolicita te mente continue cogitare ſcio SERARI, ita ut me in parem tecum ſolicitudinem precibus tuis pertrahas, atque hunc fragilitati noſtræ prope infixum torporem magis magiſque a me exulem facias, ſicuti vehementer cupio, ita a te & beatis BARONII noſtri manibus (ita fas eſt ſperare) quam enixiſſime peto atque contendo.

(i) Serv. in 2. Æn.
(k) Serv. in 3. Æn.
(l) 2. Cor. 5. 10.

PII MANES ILLUSTRISSIMI CARDINALIS CÆS. BARONII.

MUltos purpura purpurans venuſtat. At me
 purpura purpurans gravavit.
Multos purpura Cæſares creavit;
Non me purpura Cæſarem creavit,
Verum v ſperit ante purpuratum
Orbi quam daret eſſe Cardinalem.
O quam ſorduit eſſe purpuratum!
O quam voluit eſſe Cardinalem!
Nunc me purpura deſerens levavit;
Illos purpura deſerens moleſtat.

IISDEM PIIS MANIBUS.

NOn ſervire opibus, ſibi imperare,
Hoc eſt Cæſareum eſſe Cardinalem,
Flammanti Superos amare amore
Hoc eſt purpureum eſſe Cardinalem,
Non ſerviſti opibus, tibi imperaſti,
Igniti Superos amaſti amore;
Hinc jure Cærulæo imperas Olympo
Cæſar, purpureuſque Cardinalis.

Digitized by Google

EPITAPHIUM

S. R. E. Cardinalium Taurusii & Baronii;

Romæ in Sacra Congregationis Oratorii æde.

D. O. M.

FRANCISCO MARIÆ TAURUSIO POLITIANO

ET

CÆSARI BARONIO SORANO

EX CONGREGATIONE ORATORII

S. R. E. PRESBB. CARDD.

NE CORPORA DISIUNGERENTUR IN MORTE

QUORUM ANIMI

DIVINIS VIRTUTIBUS INSIGNES

IN VITA CONIUNCTISSIMI FUERANT

EADEM CONGREGATIO

UNUM UTRIQUE MONUMENTUM

POSUIT.

TAURUSIUS VIXIT ANNOS LXXXII.

MENSES IX. DIES XIV.

OBIIT III. IDUS JUNII

M. DC. VIII.

BARONIUS VIXIT ANNOS LXVIII.

MENSES VIII.

OBIIT PRID. KAL. JULII.

M. DC. VII.

Digitized by Google

E L O G I U M
ANTONII PAGII

Ordinis Minorum Conventualium.

ANTONIUS PAGIUS pridie Kalendas Aprilis anni MDCXXIV. ortum habuit Rognis oppidulo, quod decem circiter millia paſſuum diſtat ab Aquis-Sextiis. Hac in celeberrima Urbe in Societatis Jeſu Schola artes didicit, quibus pueritia ad humanitatem informari ſolet. Cumque infirmiſſimo tempore ætatis, omnibus litteris deditus, vel ſaltem ad illas excolendas aptiſſimus videretur, eum Magiſtri in ſuum Sodalitium cooptare ſtudebant. Verum eventus ex animi ſententia illis non proceſſit: conſilium enim abiecit adoleſcentulus, præcipue quod eum ab hoc propoſito avocaret ejus avunculus Antonius Barrau Vir clarus, apud ſuos provinciales valde honoratus, & Franciſcanorum, qui vulgo *Conventuales* appellantur, in Galliis primarius. Enim vero ſororis filium bona indole præditum Ordini ſuo adſcribere optabat. Igitur Pagius omnia credens homini, cognatione & amicitia ſecum conjunctiſſimo; Franciſcanum inſtitutionem proſequi decrevit, ſolenniaque vota nuncupavit Arelate pridie Kalendas Februarii anni MDCXLI.

Exinde Philoſophicis, deinde Divinis doctrinis imbutus & exquiſite eruditus fuit, ita ut idoneus illico viſus fuerit, qui in ſuggeſtu, licet admodum juvenis, alios doceret. Suſceptum officium diu eſt laudabiliter executus, & tantiſper graves conciones in auguſtiſſimis Templis identidem habuit. Cum idcirco magna hominum de eo eſſet opinio, magna commendatio, brevi apud ſodales ſumma in exiſtimatione fuit: eo ut ab illis Præfectus ſeu Provinciæ Adminiſter crearetur, quantumvis licet nonum annum & vigeſimum ſuum ageret. Poſthac inſuper hoc honore ter, & aliis muneribus ſæpius, optime & præclare perfunctus Franciſcanos ſuos in Galliis, quandiu numeratus inter vivos fuit, ob ſummam, qua pollebat, prudentiam moderatus eſt.

Attamen licet ab operoſis negotiis prorſus ſe removere nequiverit, in maximis occupationibus nunquam intermiſit ſtudia doctrinæ. In omni enim vita, e ſolido die partem non exiguam demere conſueverat, quam in cujuſque generis litterarum cultum impenderet. Verumtamen inter illa multiplicia, quæ exercebat ſtudia, cæteris Sacram antetulit Hiſtoriam, ad quam ſe aſſiduo continuatoque labore applicavit. Nec profanam excludendam, aut ſaltem negligendam cenſuit: utpote, quæ aptiſſimam cum altera convenientiam habeat. Quid, quod certo ſciebat varias & in omnem partem diffuſas Hiſtorias, etiam quæ nihil religionis habent, eſſe teſtes omnis ævi, rerumque veterum ampliſſima monumenta? Sed cum illas, quibus præſertim litteris mandantur res ſingulorum annorum, nemo poſſit conficere, niſi qui rationem temporum inveſtigatam, edere poſſit; huic inquirendæ operam dedit egregiam.

Sane quidem id ante eum reipſa fecerat Baronius, in præclaro Opere, quod duodecim Voluminibus concluſit. Sed Eruditiſſimus Cardinalis, cui ſubjecta erat materia difficillima, quam vix ullus ante eum leviter attigerat, in errorem crebro lapſus eſt; præterquam quod non pauca ignoravit, cum bene multa antiquitatis monumenta, etiam tunc laterent; nec lucem aſpexerint, niſi ſaltem poſt eximii Viri interitum. Quæ cum Pagius perſæpe & conſiderate animo intuitus eſſet, hoc exiſtimavit maxime conducere omnibus Eccleſiaſticarum rerum cupidis, Baronia-

ronianos Annales emendare, & eorum rimas explere; ne plurimi & cumprimis tyrones tot deterriti ſalebris, in quas imprudenter incidebant, ab his ſtudiis deinceps abducerentur. Iſtud igitur fortiter & animoſe aggreſſus eſt negotium Herculeis dignum viribus. Opus, inquam, a nullo propemodum, in Urbibus, aut Academiis, eruditiſſimis hominibus affluentibus, tentatum, homo provincialis in extrema Gallia; licet videatur, tum a divite librorum ſuppellectile, tum ab aliis adminiculis imparatus, diuturno labore complevit *Criticamque Hiſtorico-Chronologicam* inſcripſit.

Dum totus eſt Pagius in Chriſtiana & Romana antiquitate illuſtranda, anno MDCLXXX. hoc interim tempore, ad ipſum affertur inſignis inſcriptio, quæ in columna, nomini Aureliani Imperatoris a Forojulienſibus olim conſecrata, inciſa fuit. Illam e veſtigio dilucidandam ſingulari opuſculo ſuſcepit, ſimul & ampla occaſione data, ex Conſulatu tertio hujuſce Principis ibidem notato, diſſeruit accurate & copioſe *de Cæſareis Conſulibus*, una & Conſulatuum regulas, a ſe dudum, ingenioſe ſolerterque excogitatas, propalam collocavit in ſplendida illa diſputatione, quam appellavit *Diſſertationem Hypaticam*; eamdemque biennio poſt Lugduni typis impreſſam, bene merenti amico ſuo, Viro illuſtri Ludovico Thomaſſino Domino de Mazaugues, Senatori Aquenſi nuncupavit. Inde exteris & longinquis notus fuit maxima celebritate famæ; non illius quidem popularis, plerumque temerariæ, inconſideratæ & merarum nugarum laudatricis: ſed exiſtimationem hominum accepit, qui tunc ingenio præſtanti & eruditione perfecta florebant, non modo in Galliis, ſed in Italia & Germania, ipſaque ultima Britannia.

Tum inde *Criticam* in quatuor priora Baronii volumina abſolutam obtulit Gallicani Cleri Conventui, qui agebatur ad Sancti Germani Ledienſe fanum, anno MDCLXXXV. Sacer autem & ſolennis ille cœtus, non modo ejus conatum & propoſitum approbavit, ſed ut ipſius univerſis lucubrationibus extrema manus ſtudioſius, ſine cunctatione accederet, in beneficiis eum detulit ad ærarium.

Ad incœpta ocyus peragenda, eum inſuper invitarunt honorificentiſſime Cardinales Hieronymus Caſanata; Gregorius Barbarigus, Laurentius de Laurea & Henricus Noriſius, quorum magnum nomen fuit in Viris rerum majorum ſcientia excellentibus. Equidem illum omnes iſti inſigniter dilexerunt, ejuſque magni æſtimavere doctrinam. Atque etiam Noriſius, priuſquam purpureo exornaretur galero, ad calcem Syntagmatis de Epochis Syro-Macedonum, ipſi dicavit, veluti *Amicorum*, ut ipſemet judicabat, *doctiſſimo*, Faſtos Conſulares ex Cæſarea Bibliotheca erutos. tum etiam perpolitam explicationem maxime rari nummi Herodis Antipæ, ubi annus tetrarchiæ ejus XLIII. expreſſus videtur. Poſtquam ibidem multa litterate, acute & prudenter diſſeruit ſeu conjecit Vir ſummus, Pagium ſumit judicem de diſceptatione, quam per id temporis inſtituerat: *Num vero ait, anachroniſmos admiſerim, tu videris, qui me in haſce Chronologicas tricas conjeciſti, quas tamen præ eximia tua eruditione ac ſingulari doctrinæ temporum peritia, longe probabilius expedies*. Dehinc in Epilogo, quanti illum ejuſque ſcripta habeat, his luculentiſſimis verbis teſtatur: *Hos faſtos tui tibi nuncupo, ut dico. Cui enim alteri illos potius inſcriberem quam tibi, qui Cæſareos Faſtos, edita Diſſertatione Hypatica, tanta eruditione illuſtraſti, ut eidem argumento metam terminumque impoſuiſſe videaris. Inſigne tuarum in Annales Baronii animadverſionum apud abs te mihi miſſum, nondum accepi, quod impatienter expecto. Diutinæ tamen moræ tædium leniunt publici plauſus, quibus hocce tuum præclariſſimum volumen exceptum intelligo. Perge, Vir ſumme, magnos Eccleſiæ Annales in meliori, ut feliciter cœpiſti, lumine collocare.*

Magna profecto erant illa externa adventitiaque adjumenta: parum tamen habuiſſent efficacitatis, nec ſemper in propoſito permanere potuiſſet Pagius, niſi animum perpetua roboraſſet conſtantia: adeo materiæ, quam tractabat, incredibilis erat magnitudo & difficultas. Nec progreſſu moleſtia minuebatur, aut levabantur, angores. Præterea optimo Viro anni plurimi acceſſerant: mollius tractari volebat extrema ætas. At ipſi non licebat vel tantulum feriatum eſſe: urgens etenim ſenectus aſſiduiſſime eum monebat, ut ſarcinas colligeret. Monitis paruit diligentiſſime, & ne tunc quidem ſibi paululum pepercit: ita ut grave illud & ingens Opus, ſumma cura, multiſque vigiliis elaboratum tandem perfecerit. Sane peropportune: nam ſimul atque pervenit quo contenderat, & vires & ipſum corpus amiſit debilitatum jampridem & exhauſtum. Poſt hæc incommoda valetudo, e qua non valuit unquam emergere, eum, nullo puncto temporis intermiſſo, tenuit. Verum quemadmodum in corpore, non ſic in animo fuit morbus, nec invaletudo divinæ auræ particulam prægravavit. Quinetiam Vir admodum ſenex contra vim gravitatemque morbi, luctari auſus eſt. Immo enim vero, quandiu in imbecilli corporis compagibus incluſus fuit, tandiu priſtinum ſuſtinuit munus, ad eum modum, ut in lectulo decumbens, adſcito lectore, etiam in litterarum ſtudiis verſaretur, quæſtiones difficiles & obſcuras perſolveret, & nonnulla, quæ jam ſcriptis mandaverat, corrigeret, vel delenda juberet. Nec tamen ipſi licuit ſingula, quæ in priore *Critica* volumine tractaverat recenſere, emendare & interpolare, ut vehementer optaverat; aureolóſque

non-

nonnullos libellos, vel adumbratos, vel ſolum mente conceptos, edere: cum enim ante occupavit extremus vitæ dies, Nonæ videlicet Janiæ anni MDCXCIX. quibus animam efflavit Aquis Sextiis, magnumque ſui reliquit deſiderium, præſertim benevolis & neceſſariis.

Diligebant unice omnes & mirifice obſervabant Virum, a quo ſingularis humanitatis & modeſtiæ petebantur exempla: Virum, inquam, qui de ſe ipſo ſibi non erebebat temere; qui ab hominibus etiam ſine honore & exiſtimatione, modo vere & merito, reprehendi amabat; quod plerique nequidem a litteratiſſimis & celeberrimis patiuntur. Hominem ſe eſſe ſciebat, & humani nihil a ſe putabat alienum: quocirca quæ ſcribebat, aut meditabatur, cum amicis conferebat libentiſſime. Arbitrabatur enim veritatem in Diſputatione limari; nec bonum, idoneumque Scriptorem judicabat illum, qui tanta eſt confidentia, ut aliorum conſilia auxiliaque penitus reſpuat. In nullius tamen magiſtri verba jurare fuit addictus; quippe qui a quavis factione alieniſſimus, in nullis partibus omni tempore fuerit. Superiores Scriptores quantum maxime potuit commendavit, & quidquid ab illis boni didicerat, ingenue profeſſus eſt. Ad extremum Pagius *Critica* ſua *Hiſtorico-Chronologica* certe non Baronianos Annales evertit, ſed inſtauravit: cum vir frugi, minime avidus inanis gloriæ, & oſtentationis, non hoc conſilio nova finxerit, ut vetera funditus deſtrueret.

ELOGIA
CELEBRIUM ALIQUOT
VIRORUM ET SCRIPTORUM

De ANTONIO PAGIO, ejuſque Scriptis TESTIMONIA.

Ex Epiſtola Eminentiſſimi Cardinalis Hieronymi Caſanate, *die 22. Julii anni 1689. ad* Pagium *Romæ data.*

REDDITUS eſt mihi ultimis hiſce diebus primus Tomus Criticæ illius, quam in Baronii Annales conſcripſiſti, Vir Clariſſime. Statim itaque illius lectionem aggreſſus, ex iis quæ huc uſque perlegi, Te maximam curam in eo Opere perficiendo adhibuiſſe cognovi; unde & Tibi laudem non vulgarem, & magnam ſtudioſis utilitatem acceſſuram eſſe arbitror; cum præter obſervationes Tuas ſane doctas, aliorum quoque omnium, qui de rebus Chronologicis ſcripſere, ſententias ſuis locis a Te referri video, &c.

Ex Epiſtola Eruditiſſimi Patris Henrici Noriſii, *poſtea S. R. E. Cardinalis ad* Pagium, *Florentia data.*

KAlendæ ſunt Januariæ anni vulgaris Eræ 1688. quem, ut in Nummo Antonini Pii legitur in hac Gaza Medicea, Tibi Viro Eruditiſſimo, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ bono nato precor A.N. FF. Et hæc ipſa Epiſtola pene ſuperbit, quod omnium prima, anno novo, a Te Virum incomparabilia eruditionis perſcribatur, ac veluti Saturnalium, ad Te miſſorum vicem geret, &c.

Ex alia ejuſdem Noriſii *Epiſtola ad* Eundem, *Florentia data Kalendis Novembris anni 1691.*

NUlla dies mihi ſine Tui præſtantiſſimi Libri lectione elabitur, et quotidie Te Magiſtro jucundiſſime utor, cum maximas rerum ac temporum difficultates feliciter exponas, ac obſcuriora in optimo lumine colloces.

Ex Epiſtola Illuſtriſſimi D. Joannis Ciampini *Magiſtri Brevium Gratia, ac in utraque Signatura Referendarii ad* Pagium, *Romæ data 15. Kal. Julii anni 1692.*

EA eſt virtutis vis, ut ad illam amandam colendamve, etiam invitum cogat compellatque virum. Ne mireris igitur. Amice cariſſime, ſi ſtatim atque Reverendus Pater N. Tuo nomine mihi ſalutem dixit, ac ſi quid in re litteraria Tibi oporteret, ſatisfacere vellem; ſummopere hiſce inſtantiis me addictum protinus exhibui, cum tua ipſa virtus id expoſcat. Nam qualia Tu ſis, Tua ipſa Scripta, Tuaque edita Opera luculenter demonſtrant, &c.

Ex Epiſtola Clariſſimi Emanuelis a Schelſtrate *Bibliothecæ Vaticanæ Præfecti, die prima Maii anni 1690. ad* Pagium, *Romæ data, quæ ſic deſinit.*

VAle, Vir Clariſſime, & illuſtrandis Antiquitatum monimentis ita operam impende, ut Eccleſiæ utilitatem adferre, magnique Baronii famam augere pergas, dum me tibi, ſtudiiſque Tuis juvandis ſemper paratum invenies, &c.

Ex Epiſtola Illuſtriſſimi & Doctiſſimi Viri D. Giſberti Cuperi *Ordinum Belgii Fœderati Senatoris ad* Paulum Voet Van Winſſen, *ejuſdem Notis in Lactantii Librum de Mortibus Perſecutorum ſubjecta.*

VIx finita, *inquit*, hæc erat Epiſtola, cum ecce ad me affertur Antonii Pagi, Viri Eruditiſſimi, & diligentis temporum Reſtauratoris, Critica Hiſtorico-Chronologica in Annales Eminentiſſ. Baronii. Cumque ille mirum quantum Diocletiani & Imperatorum, qui cum eo regnarunt, tempora illuſtret, tuum erit judicare, an non bene rebus ſuis conſulturus Typographus ſit, ſi illa ex Opere, quæ Lactantio elucidando inſerviunt, excerpta Editioni novæ adjiciat; mihi certe iſtud videtur adprime utile, atque Eruditis acceptum fore; cum quia liber ille non omnium manibus teritur, tum quia ita in unum corpuſculum collecta forent omnia, quæ ad melius hunc intelligendum libellum neceſſaria ſunt.

Ex Epiſtola Clariſſimi Viri Henrici Dodwelli A. M. *Dublinienſis, Annales Velleianos, Quintilianeos & Statianos mittentis, pridie Nonas April. anni 1698. in Agro Bercherienſi ad* Pagium *data.*

ANnales hoſce, quos jam accipies, amico meo nuper Aſaphenſi & Tuo itidem amico Reverendiſſimo Noriſio & TIBI inſcripſeram. Sed propter verba mea quædam de amico meo Aſaphenſi, dedicatio ſuppreſſa eſt. Itaque nudatum dedicatione exemplar jam tantummodo accipies. Vos omnes appellaveram tanquam rei Chronologicæ arbitros, in hoc novo, quo verſabar, Chronologiæ Biographicæ ſpecimine, e veſtro quippe commercio literario oriundo, &c.

Ex Libro Gallica Lingua ſcripto, cui titulus, Hiſtoire des Ouvrages des Savans *Tome I. ubi poſtquam Auctor plurima diſſeruit de primo Tomo hujus Criticæ, pag. 221. ſic deſinit.*

LE P. Pagi s'eſt beaucoup plus étendu ſur le quatrième Siecle que ſur tous les autres, parce qu'il y a trouvé une plus grande abondance de matiere. Il y a inſeré un grand nombre d'éclairciſſemens curieux & importans à l'Hiſtoire Eccleſiaſtique, ſans être interrompus par des digreſſions importunes; & cet Ouvrage eſt ſans doute un fruit heureux de l'étude des meilleurs Livres, conduite par un eſprit net & ſolide.

Ex

Ex altero Libro Gallica itidem Lingua ſcripto, cui titulus, Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique *Tom. 25. ubi poſt plura in* Pagii *& Tomi primi Critica laudem, p. 325. legitur.*

En liſant cet Ouvrage on a vû que l'Autheur cite fidelement tous les Modernes, de qui il a tiré quelques lumieres, & que ces citations font une grande partie de ces remarques, quoy que l'Autheur y joigne tres-ſouvent ſon jugement particulier. Ainſi ſans parler de ce qu'il a découvert, on peut regarder cet Ouvrage, comme un recueil des découvertes les plus conſiderables, que l'on aye fait ſur l'Hiſtoire Eccleſiaſtique, pour ce qui regarde les évenemens & la Chronologie, depuis que les Annales de Baronius ont été publiées.

Mitto hic Theodoricum Ruinartum in *Præfatione* generali in Acta Martyrum, Nicolaum Toinardum in Notis ad Lactantium de Mortibus Perſecutorum, Paulum Bauldri in Notis itidem ad eundem Lactantii Librum & alios quamplures tam Catholicos quam Proteſtantes doctiſſimos, qui Pagii cum laude meminerunt, ejuſque, multis in locis, opinionibus adhæſerunt.

VERSUS

Illuſtriſſimi & Eruditiſſimi D. Bernardi Monetæ, *Conſiliarii Regii, & in ſuprema Burgundiæ Rationum Cameræ Cognitoris, ad Animadverſiones* Pagii *in Baronium.*

Fit alluſio ad Piſciculum viam Balenæ monſtrantem.

Difficili Cetus luctatur in æquore dudum;
Grandis mole licet, non tamen inde piger.
Sed quia circumſtant nantem diſcrimina mille,
Et ſcopuli, & ſyrtes, ancipiteſque ſinus;
Hinc ſe ideo Piſcis tandem vix explicet ingens,
Ni minor huic fido lumine monſtret iter.

PIIS MANIBUS

Reverendi Patris Antonii Pagii *Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci Doct. Theol.*

ODENÆNIACA.

PAGI, peritis clare ſcientiis,
Doctrina fecit, quem Celeberrimum,
Eſt auſa nunquid ſub ſepulcri
Condere te Libitina mole?
Cur tam citato non revocabilia,
Heu, Parca vitæ ſtamina forcipe
Cruenta ſcindis? diſſecanda
Multiplices nec adhuc per annos.
Vir ille doctus Conciliis frequens,
Sermone certo dogmata proferens,
Plauſus Virorum doctiorum
Promeritos ſibi ſuſcitabat.
Seu Conſulares Romulidum dies
Faſtos loquatur, tempore dividens,
Arguta ſive antiquioris
Hiſtoriæ monumenta tractet
Ventura chartis poſteritas leget
Mirata libros, ingenioſius
Quos mente deſcripſit ſagaci.
Dicet honore perenne dignos.
Notumque cunctis gentibus extera
Ubique laudes accumulatius
Ornant merentem, nomen aſtris
Tollitur uberiore fama,
Candore morum vir fuit integro,
Eratque ſedes mens, ſapientiæ,
Omniſque virtus fulgurabat
Simplicitate ſacratiore.
Sub fronte ſplendens abdita gratia
Doctorum amorem conciliat ſibi,
Natalibus feliciores
Crediderim genios ſtetiſſe.
Laborioſa ſollicitudine
Totus legendis invigilat libris,
Aut exarandis ſæpe noctes
Præteriit domita quiete.
Huic ſolitudo delicium fuit,
Turbis remotus ſemper inanibus;
Solus vacabat, mortuorum
Cœtibus eximiis Virorum.
Vitamque ducens relligioſius,
Totoque, Chriſto, pectore deditus,
Mundana ſpernit quæque, turmis
Angelicis ſociandus, unis.
Tu docte, ſciſſo tramite temporis;
Pagi, peremit Parca ferocior,
Virtute vives, ſed perennia,
Ac etiam renuente fatu.
Cœleſtis intre templa ſcientiæ,
Imago mentis ſurget eburnea,
Doctura venturos nepotes,
Multiplices celebris per annos.
Et quis fuiſti; quam redolentibus
Grati parabunt floribus undique
Hymnoſque dulci voce dicent,
Dona, tui memores litabunt.
Sic dum ſepulcro membra latent tuo,
Vivet ſuperſtes gloria nominis,
Tuiſque vivet fama Scriptis,
Temporibus peritura nullis.

C. LION Orat. Presb.

APPROBATIO

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISS. APTENSIS EPISCOPI.

CUM ex omnibus Orbis Chriſtiani Nationibus nulla ſit, quæ in Annalibus Eccleſiaſticis ſæpius memoretur, & pluribus Regum, Epiſcoporum & omnium Ordinum factis eoſdem nobilitarit, quam Gallica: Noſtratum gloriæ intereſſe videbatur, ut poſtquam Eminentiſſimus Cardinalis Baronius mira diligentia, immenſoque labore quæ hinc inde mille in libris innumeriſque Antiquitatis documentis, quæ nunquam lucem viderant, ſparſa collegit, ſolidoque criterio explicavit, aliquis ex Eccleſia Gallicana prodiret, qui ea ampliſſima meſſe ita feliciter collecta manipulos concinnaret; in quibus quidquid habet Hiſtoria Eccleſiaſtica præcipuum, contrahendo breviandoque, quaſi ſub oculos poneret, ut ejus lectio non ſolum minus operoſa, ſed etiam majoris commodi ac utilitatis eſſe poſſet. Tantum operæ pretium ante plurimos annos exegit Illuſtriſſimus Henricus Spondanus Appamienſis Epiſcopus, qui duobus voluminibus duodecim a Baronio elucubratos complexus eſt, iiſque duos alios propria induſtria elaboratos ſubſtituit, qui nobiliſſimam illam Hiſtoriam ad noſtra uſque pene tempora perducunt. Hinc tanti momenti ſtudii non parum antea neglecti major apud omnes cupido inceſſit; progreſſuque temporis illud adeo promotum, ut variæ in variis Orbis partibus Eccleſiæ & celebriora Monaſteria peculiares ſuos Annales habere voluerint, quibus Baroniani & majorem lucem accepere, & pluribus in locis augeri & ſuppleri potuere. Cum itaque Illuſtriſſimi Gallicani Antiſtites, & communi Eccleſiæ, & gregum ſuorum bono ſemper intenti perpenderent, Annalium Eccleſiaſticorum Corpus (ut dies diei eructat verbum) novis acceſſionibus locupletari poſſe; idque nunquam pro votis ac dignitate conſequendum, niſi Euſebii Socratis, Sozomeni, aliorumque Veterum Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum editiones priſtino nitori aſſererentur, Opera Sanctorum Patrum, Sacrorum Conciliorum Acta aliaque, quæ ſuperſunt veteris monumenta, correctiora prodirent, & quæ adhuc non ſine magno Chriſtianæ eruditionis detrimento in Bibliothecarum angulis latent, e tenebris educerentur, nullis pepercere ſumptibus, ut ut quæ ex illis jam edita ad MSS. probatorum fidem denuo recuderentur, & doctorum Virorum obſervationibus illuſtrarentur; ac quidquid in ſacris Eccleſiarum & Monaſteriorum Archivis religionis perduellium furorem evaſit, publici juris fieret, ut præmiſſis jam Annalibus quam plurima, veluti gemmæ ad annulos ſuos accederent; neve hoc noſtro ſæculo, quæ præcedentium infelicitas fuit rerum Eccleſiaſticarum Scriptores acta tantum agerent, & jam a pluribus literis mandata, Echonis inſtar recantare ac repetere cogerentur. Neque ſapientiſſimos Antiſtites ſpes fefellit: Quot enim fabulis, quæ Viris etiam oculatiſſimis fucum faciebant, libri purgati? Quot Sanctorum Patrum, tam Græcorum, quam Latinorum, & Conciliorum loca quæ Viros doctiſſimos irretitos tenebant, ſolide enodata? Quæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pars in mottis non ditata? Quot denique Opera poſt tanta ſubſidia in lucem emiſſa, quorum beneficio, quæ hactenus omnes latuerant, ita hodie aperta & manifeſta, ut ea ignorare non poſſit, niſi qui noſtri ſæculi felicitatem ſibi invidere voluerit? Quo tempore Baronius ſcripſit, ultimo ſcilicet ſæculo in finem vergente, noſtroque ineunte varia Concilia, aut Conciliorum Fragmenta non ignobilia, multi Sanctorum Patrum Tractatus, plures veterum Pontificum Epiſtolæ, non pauca Sanctorum Acta, aliaque hujuſmodi ad rerum a noſtra ætate remotiorum pleniorem intelligentiam mire conducentia, quæ hodie in omnium manibus verſantur, nondum lucem viderant: & quæ jam extabant, vix doctorum Virorum laboribus explanata fuerant. Indeque neceſſario factum ut alia in controverſiam vocaverit, quæ nunc apud omnes certa indubitataque; alia prætererit, quorum cognitio non parum utilis; aliaque ſcripſerit, quæ ſi viveret, ut erat veritatis amantiſſimus, ipſemet, libentiſſime retractaret. Vidit Clerus noſter nuper apud Fanum Sancti Germani congregatus, plurimum Eccleſiæ eruditionique Chriſtianæ intereſſe nobiliſſimum illud Annalium Eccleſiaſticorum Opus, cujus Auctori tantum Eccleſia Catholica debet, majori, qua potis eſt, cura illuſtraretur, & idoneus reperiretur artifex, qui non ſolum ſparſos variis in libris poſt Baronii mortem aut editos aut notis elucidatis pretioſos lapides colligeret, & unumquemque ſuo loco atque ordine coaptaret; ſed etiam qui proprio labore & ingenio varias ex tot difficultatibus, quæ adhuc ſolvendæ ſuperandæque reſtant, profligaret, & diſſolveret; exiſtimavitque, ſe tanto oneri parem inveniſſe in Auctore *Diſſertationis Hypaticæ, ſeu de Conſulibus Cæſareis*. Qui enim Faſtos Conſulares Onuphrii Panvinii adeo erudite ſupplevit, & ad tantam perfectionem provexit, rei jam pene periculum fecit, & felicis exitus haud dubiam ſpem dedit. Quare cum eam, quam de ſe concitavit, expectationem ſuſtinuerit, & tam Hiſtoriam, quam Chronologiam Annalium Eccleſiaſticorum egregie illuſtrarit, poteſt hoc Opus & operoſiſſimum & omnigenæ doctrinæ feraciſſimum inoffenſo pede decurri, & maxima cum utilitate perlegi. Hoc noſtrum de *Critica Hiſtorico-Chronologica in eoſdem Annales*, quam ſedulo examinavimus, judicium datum Aptæ anno Domini milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo octavo, die vero vigeſima octava menſis Auguſti.

JOANNES Epiſcopus Aptenſis.

De Mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. mei D.
Du TEMPLE Secr.

AP-

APPROBATIO

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI ARAUSIONENSIS EPISCOPI.

ALienos errores triumphare, ambitioſi; ſed quantum fieri poteſt, tollere, humani juxta ac eruditi ingenii eſt. Hoc certe præſtitit Reverendus Pater Pagius in ſua *Critica Hiſtorico-Chronologica in Annales Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Cardinalis Baronii*, cujus Opus nobile inprimis & neceſſarium tanta diligentia, tam accurato ſtudio illuſtrat, ſupplet, emendat virgula ſua Chronologica, ut in hac parte ne Scaligeris quidem, nec Petaviis inferior ſit. Quæſivit enim viam Vir ſtudioſus, ac ni fallor, invenit, in materia caliginis plena, & in tanta penuria veterum Monumentorum, qua facilis aret paditus, & Faſtis Conſulum corrigendis, & reliquis quæ ad temporum doctrinam faciunt, inveſtigandis. Nihil ergo aliud erit Liber iſte, quam, ut Plinius loquitur, aliquod veluti templum auguſtum totius Antiquitatis. Unde merito cenſemus ex tam præclaro incœpto, tum præſenti ætati noſtræ tum poſteritati maximum emolumentum; quin & ipſi etiam Auctori latam gloriæ ſegetem acceſſuram. Arauſione Secundanorum quinto Kalendas Apriles anno natali Meſſiæ milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo octavo.

JOANNES JACOBUS DOBEILH, Epiſcopus Arauſicanus.

APPROBATIO

D. Franciſci De Bonfils De Guigonnet De Chevalier, *Doctoris in Sacra Theologia, & in utroque Jure Abbatis & Canonici Sanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ Aquenſis, Syndici Generalis Cleri Provinciæ, & Marchionis de Taillades.*

QUod jam diu tot votis expetitum fuerat, ut Sanctorum Patrum tam Græcorum quam Latinorum Opera & correctiora & auctiora prodirent; Acta Sanctorum in Bibliothecis aut Monaſteriis adhuc ſepulta e tenebris educerentur, & quæ a Surio aliiſque Scriptoribus jam publicata, cum MSS. conferrentur, & interpolationibus purgarentur; ac denique ut Annales Eccleſiaſtici, in quibus leguntur quæcumque in Sanctis Patribus Geſtiſque Sanctorum inſigniora, ſupplerentur & illuſtrarentur, id ſummo Orbis literarii plauſu noſtris diebus executioni mandari gaudemus. Euſebius quidem Hiſtoriam Eccleſiaſticam jam a multis ſæculis conſcripſit: ſed quemadmodum is omnes qui ante eum idem argumentum tractarant, longo intervallo ſuperavit; ita Baronius Euſebium, aliosque qui ejus exemplo incitati, res in Eccleſia per aliquot ſæcula geſtas in literas miſere. Euſebius enim, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Evagrius, Et ſi qui alii, rebus in Oriente peractis referendis totam fere operam poſuere: eorumque labor intra pauca ſecula coarctatus. Baronius vero quæcumque apud Græcos & Latinos ab Eccleſiæ primordiis ad finem ſeculi duodecimi contigere, non ſolum narrare, ſingulaque, quantum fieri potuit, ſuis annis conſignare aggreſſus eſt; ſed etiam narrationi & Chronologiæ Chriſtianæ ſolidum criterium addidit. Quod ſi Euſebius, ejuſque Continuatores præſtitiſſent, & tam accurata rerum ac temporum obſervatione Opera ſua confeciſſent, in legenda Hiſtoria Eccleſiaſtica minus cæcutiremus. Qua agendi ratione alios Cardinalis Eruditiſſimus docuit, quantum referat, ut quæ certa, quæ dubia, quæ falſa in Scriptoribus deprehenderint, diligenter annotent, & quæ ab aliis, cujuſcumque nominis & exiſtimationis fuerint, perperam dicta compererint, corrigant; quia præter Sacros Scriptores alii omnes errori & deceptioni obnoxii, ut dicebat Auguſtinus. Quare ſicut omnium qui eum præceſſere, errata caſtigare conatus eſt Baronius, eaque in re ſummam laudem eſt conſecutus; ſic Auctor *Criticæ Hiſtorico-Chronologicæ ad Annales Eccleſiaſticos* maxime commendandus, quod quæ tanti Viri, qui omnia pervidere non potuit, diligentiam ſubterfugerant, feliciter collegit; quæ jam ille diſcuſſerat, novo examini ſubjecit; & Hiſtoriam Eccleſiaſticam, tam ex veteribus Antiquitatis Monumentis poſt ejus obitum e tenebris eductis, quam ex propriis animadverſionibus quamplurimis in locis auxit, emendavitque: idque non inanis gloriæ, ſed unius veritatis detegendæ ſtudio; utque errores Chronologicos ſimileſve Lectores prætereant, non vero tranſcribant aut imitentur. Habent in hoc Opere Eruditi multa quæ hactenus parum cognita erant: alii vero ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam certius faciliuſque addiſcendam, tantum ſubſidium, quantum poteſt ſperari maximum; cumque omnes eam a Baronio hauriant, tempus & labor utilius impendi non potuere, quam in ejus Annalibus ad majorem perfectionem perducendis: nec Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Archiepiſcopus Pariſienſis, in quem intuens Auctor Criticam iſtam ſuſcepit, ab omnibus, præſertimque Clero adſcriptis, majorem gratiam inire, quam cum pro ſuo in Eccleſiam & Literas amore providit, ut ea lucem videret. Quamobrem cum nulla Fidei Catholicæ & probis moribus contraria contineat, & ex ejus lectione ingentia in publicum emolumenta redundatura ſint, eam typis mandari poſſe cenſemus. Datum Aquis-Sextiis pridie Nonas Septembris anni 1688.

DE BONFILS TAILLADES DE CHEVALIER, Abbas & Canonicus Eccleſiæ Aquenſis.

APPROBATIO

Reverendi in Chriſto Patris F. Joan. Cl. Viany, *Prioris Venerabilis Eccleſiæ Aquenſis Sancti Joannis Hieroſolymitani, S. T. D. necnon Facultatis Aquenſis Syndici.*

QUæ prodierunt in lucem volumina Eruditiſſimi Viri Reverendi admodum Patris ANTONII PAGII, quantum famæ & nominis Auctori ſuo, tantum utilitatis & emolumenti Reipublicæ literariæ contulerunt. Quacumque enim Orbis eruditus extenditur, Diſſertatio ejus *de Conſulibus Cæſareis* legitur, & gaudet Provincia noſtra e ſinu ſuo hunc ortum Virum, qui non modo antiquis & poſterioribus Chronologiæ Scriptoribus facem præferret; ſed cujus ſtudio & diligentia Annales Eccleſiæ ad meliorem formam aliquando reſtitui poſſent. Quod avidiſſime expectabant Literati & Antiquitatis amatores, tandem in lucem prodit; & mirantur omnes ſepultam illam rationem temporum, quæ in Quinquennalibus, Decennalibus, Vicennalibus, &c. ſita erat, tanti Viri immenſo labore excitatam, qua innumeras Hiſtoriæ ambages ſolvat, & Chronologiam veritati reſtituat. In primo Opere ſolum ipſe ſibi præluxerat, & vi laboris perfregerat interclusam undique viam: nunc ſe viæ ducem ſequitur, & ſe major effectus novam regulam temporum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Baronii admovet, qua emendatior appareat, illamque vindicet a perpetuis & innumeris cavillationibus Novatorum, qui ab unius anni vel Conſulatus errore quandoque argumenta contra Fidei veritatem ducunt. Et in hoc fortunatiorem video Pagium noſtrum, quam Scaligerum in Periodi ſuæ Julianæ inventione. Periodus enim Græco-Romana Auctoris noſtri non ſolum præſtat omnia commoda quæ Juliana; ſed Æras etiam Chriſtianorum Orientalium complectitur, quas illa rejiciebat, multaſque alias utilitates affert, quas a Scaligeriana ſperare nullomodo poſſumus. Quamvis enim Scaliger methodum ſuam Periodicam ſummo Chronologiæ bono, Græcorum immitatione, ad Latinos tranſtulerit, aliquam tamen integram Græcorum Periodum ab eis accipere, ne in mentem quidem venit. Majori ergo in pretio Pagius habendus mihi videtur, qui tres Æras Græcas in unam reduxit, hancque Latinam fecit, cujus unico auxilio univerſam Chronologiam dirigere nunc edocemur. In Syrtim etiam, in quam Scaliger, non impegit, qui Periodum ſuam nude tantum & ſpeculative propoſuit, quæ nulli Chronico, ut par erat, affixa, a nemine intellecta omnium animos deterruit: unde factum eſt, ut per plures annos ab eruditis Viris contemtui ſit habita, donec Sethus Calviſius tanti Critici inventa tam perſpicue declaravit, ut illius ope e ſtercore ſe ſuſcitatum Scaliger ipſe ſæpius diceret. Ab hoc igitur ſcopulo Auctor noſter prudenter deflexit, qui Methodum ſuam non ſolum luce clariorem exhibuit; ſed etiam Annalibus Eccleſiæ, quæ omnium Chronicorum præſtantiſſima, laborioſiſſime adjunxit, a quibus nunc tanto præſidio roboratis longe major utilitas Orbi Chriſtiano accreſcit. Tale operæ pretium peregit Pagius noſter; quamvis tam demiſſe de ſe ſentiat, ut inter amicorum colloquia ſæpius referat, etſi omni induſtria laboravit in Annalium emendatione, ſe tamen vereri ne in errata ipſe incideret, quæ in aliis arguit: vires enim humanas ſuperare illam diligentiam, quæ omni errore in Antiquitatis caligine immunis eſſe poſſit; & ut multæ ſagittæ a ſcopo deflectunt, dum aliæ attingunt, ita ſibi forſan in ſuis diſquiſitionibus eveniſſe, ut non omnes a ſententia ſuccedant. Ex quo poſſumus intelligere modeſtiam ſingularem in Auctore noſtro conjunctam eſſe cum eruditione non vulgari. Quantum ergo debeat Eccleſia ejus indefeſſo labori, ipſum Opus ad omnem Fidei Catholicæ & Romanæ normam abſolutam per ſe oſtendet. Et forſan illud difficultatibus territus ad faſtigium uſque non perduxiſſet, niſi aſſiduis conatibus aſpiraſſet Illuſtriſſimus Pariſienſis Archiepiſcopus, qui ut eſt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiſſimus, & Eruditorum Mæcenas, nihil non egit, ſive jacentes animos erigendo, ſive librorum auxilia Cleri Gallicani liberalitate ſubminiſtrando, ut ingens Opus promoveret; quod tandem ad certum Eccleſiæ emolumentum Auctoriſque & Patriæ noſtræ decus & gloriam in lucem feliciter prodit. Datum Aquis in Domo noſtra Priorali prid. Kal. Septembris anni 1687.

D. JOS. ANTELMI A. FOROJULIENSIS CANONICI

Epiſtola ad Auctorem.

LEgi codices quos tranſmiſiſti; PATER ADMODUM REVERENDE, & hoc primum lectionis meæ pretium fuit ejus iterandæ cupido: habent enim id proprium quæque ſunt optima, ut quo plus tractantur, eo meliora compareant. Quod ex hac relectione mea magis ac magis expertus ſum, ubi quæ ſemel delibata me plurimum affecerant, mox attentius conſiderata admirationem excitarunt. Et quorſum homini in Hiſtoriæ ſtudiis omne pene otium a pueritia impendenti res aliter vertere poterat, dum tam nova, tam inaudita, tam recondita, & hæc omnia tandem ſuis locis atque temporibus ſic apte diſtributa toto Operis decurſu conſpexit, ut alterum fere Hiſtoriæ Corpus ſibi exhibitum videre videretur? Ordinis ſane res erat, ad illud Opus incomparabile novam etiam Methodum accomodari, ut in eo vetera quæque noviter itidem tractata viderentur. Et illud ipſum ad miraculum præſtitiſti, qui Periodum Græco-Romanam excogitando varias varianteſque omnium ætatum ac gentium Æras ita artificioſe coaptaſti, ut quæ erant inter ſe diſcrepantiſſima turbatiſſimaque, uno deinceps contuitu adhibitis regulis tuis conjungi poſſint & extricari. Quid ſimile profecto in univerſali Hiſtoria, & illud quam præcipuum? Deſiderabatur ut jam vindicatis ac defæcatis poſt tot labores & impenſas nobilioribus rerum geſtarum Monumentis, reperiretur denique modus, quo Docti in verſandis Hiſtoricis argumentis commoda opportuna nanciſcerentur, tyrones in iis ambiendis complanatas eorum ſalebras animadverterent. At id magis hucuſque concupiſci, quam pro dignitate præſtari poſſe credebatur, niſi in poſtremum acceſſiſſes. Vir valentiſſime, qui Gordios illos nodos tua perſpicacitate diſſolveres, & aſpera quæque in vias planas deinceps commutares. Quod ſi gloriæ tam appetens Scaliger ad annos Julianos Periodum ſuam accommodans, immortale nomen ſibi non immerito peperit; major etiam te merces expectat, qui operoſiorem aliam Periodum de tuo concinnans, tanto majus punctum retuliſſe penes omnes videbere, quanto majus eſt omnes Orientalium atque Occidentalium Epochas ad iſtam tuam revocaſſe, quam annorum variorum computum ad Julianam convertiſſe. Unde erit haud dubie, ut quam tu, præ tua ſpectabili modeſtia, Græco-Romanam nuncupaſti, æquiores tibi poſteri PAGIANAM etiam dicitent. At non ex hoc ſolum tua penes eoſdem merita vireſcent, non modo ſiquidem ad

Pin-

Pindari normam *Operis in capite ſplendentem ac renidentem faciem* repræſentaſti, ſeu ad Illuſtriſſimum Pariſienſium Archipræſulem Literatorum omnium, inter quos ſupereminet, ſuaviſſimum Patronum ac munificentiſſimum, præloquens, ad illum, inquam, ut de collega quondam ſuo prædicavit *Apoll. Sidonius* Arvernorum Antiſtes *ſine jactantia literatum, ſine ſuperbia nobilem, ſine invidia potentem, ſine ſuperſtitione religioſum, ſine aſperitate conſtantem, ſine popularitate communem*, omnes tecum celebrant, ac complectuntur: ſeu in Præfatione ac Apparatu Lectorem erudiens, ſed adhibitis in Critices tuæ proſecutione quæ reponis principiis, tum Chronologum agens, tum Hiſtoricum exhibens, omnem omnium diligentiam te unicum prævertiſſe nullus non agnoſcet. Et quidem quod in Prologo de commendatiſſimis Viris *Onuphrio Panvinio*, & Cæſ. Card. *Baronio* tradis, quorum alter Chronologiæ concinnandæ, alter Hiſtoriæ deſcribendæ tam egregiam navavit operam, dum conſidero, effigiem tuam genuine retractatam haud operoſe intueor, qui duorum Ævi noſtri Columinum giganteos auſus in te ſuſcipiens, labores in quibus ambo tam glorioſe viriliterque deſudarunt, unus exantlas, & quod utriuſque commendationi deerat, de tuo cumulate ſupples. Sed dum quantumcumque claritatis a te prodit, in eos refundis, in te etiam copioſius regeris, & hac repercoſſa coruſcatione ſplendidior deprehenderis. Abſit verbo invidia, tam patuli radii illi ſunt, ut non ſolum in alios pleroſque Eruditos ac eruditionis Principes, ſed in me etiam tanto ab utriſque intervallo ſejunctum diffundantur: quippe qui noſcens juxta Sapientis monitum *addendam* tantum *ſapienti occaſionem, ut ſapientior fiat*, ex unius Forojulienſis Inſcriptionis obſervatione, quam tibi ſuppeditavi, *Hypaticam Diſſertationem* tuam omnium Eruditorum ſtudiis ac laudibus acceptam elucubrans, & ea ea ad exquiſitiſſimum Opus iſtud viam tibi ſternens, ejus ſaltem occaſionem præbuiſſe, vel illud acceleraſſe gratulari mihi poſſim: in hoc etiam eorum voluntatem imitatus, quam laudat Hieronymus lib. 2. adverſ. Ruſin. qui *tabernaculo Dei argentum & aurum*, vel *lapides pretioſos*, ſeu *byſſum aut purpuram cum offerre non poſſunt, pelles ſaltem & caprarum pilos offerunt*. Et hoc rurſus pretio cenſebuntur forſan meæ illæ, quæ a te commendantur, circa Eccleſiaſticam noſtrarum Galliæ Provinciarum diviſionem, conjecturæ, de qua me per litteras tecum diſſerere coegiſti: vix enim aliud, quam coram te balbutiiſſe, præſtare mihi poſſum. Sed etſi hac in explicatione tua eos etiam, qui hoc argumentum diligentius pertractarunt, in viam reduxeris, & offucias, quibus adhuc circumfundebatur intricata quæſtio, exerte depuleris; ſcrupulo tamen mihi ſemper inſtat Alpium Graiarum e VII. Provinciis expunctio, cujus loco primam Aquitaniam ſubrogas remotiorem quantumlibet, & *Honorii* reſcripto tacite rejectam. Quorſum enim & qua valida ratione indultum ab Principe, *Novem populania & Aquitania II. qua longius conſtituta ſunt, judicibus*, adeſſe Conventui per *Legatos*, excluſa Aquitania I longius diſtante? At dum ad Aquitaniam primam & ſecundam devolvitur ſermo, quid in Quarta recens creata nobis ambiendum, ſuaviſſima tua Epiſtola innuas, ſatis intelligo, quæ quippe Narbonenſi noſtræ Secundæ deſtinaris opibus jamjam ſuperba cum literatiſſimo nobiſque humaniſſimo * Antiſtite, litteras ac ſelectiſſimam librorum ſupellectilem, quibus ſtudia noſtra excolebamus, ad ſe rapuit. Et poſt hanc jacturam quidem Urbis veſtræ frequentiam minus concupiſco, receſſuſque mei ſtudioſior factus *ad ſecreta Lirinenſia* colluſtranda, ac illoſtranda totus convertor; quæque adeo publica facere ſpero, ex quo noſtræ *de SS. Leonis & Proſperi Operibus Critica Diſſertationes* prœlis exierint: Sed heus! ne illis uſpiam ſupponantur, poſt toleratam illam, quam noſti, tam infidam ſortem, audio nunc poſtremum Lutetiæ diſtractas nullorum hactenus curia ac officiis reperiri potuiſſe. En, inquies, receſſus noſtri, terræque niſi inaquoſæ, *deſerte* ſaltem *& invia* præmia! At hos etiam angores & auſteritates devorarem, ſi quantum mihi, ſic toto pene Orbe diviſo, e librorum copia decedit, tantumdem in frequentiſſimæ collocutionis tuæ compendii, accederet. Vale. Santorpete ad ſinum maris Forojulienſis Ambracium, quem alii perperam *Sambracum* vel *Sambracitanum* ſcribunt, de quo alibi plura. X. Kal. Februarii, Periodi tuæ Græco-Romanæ, ſi recte calculos tuos capimus, ſepties milleſimo centeſimo octuageſimo primo.

* *D. Carolo le Goux tum Aquenſi, nunc Albigenſi deſignato.*

PERMISSIO

REVERENDI PATRIS PROVINCIALIS

Frater Bonaventura du Bruil, Artium & Sacra Theologia Doctor, & in Provincia Sancti Ludovici Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci Miniſter Provincialis.

CUm Opus Patris ANTONII PAGII, ejuſdem Provinciæ Exprovincialis, cui titulus, *Critica Hiſtorico-Chronologica in Annales Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Cæſaris Cardinalis Baronii*, duo noſtri Sacræ Theologiæ Profeſſores, quibus id a nobis injunctum fuerat, recognoverint, ac in lucem edi poſſe, imo & debere cenſuerint, tenore Præſentium facultatem facimus, ut ſervatis de jure ſervandis typis mandetur. In quorum fidem has Litteras manu noſtra ſubſcriptas ac Sigillo Provinciæ noſtræ munitas dedimus. Aquis-Sextiis die decimo quarto Kalendas Septembris anni milleſimi ſexcenteſimi octogeſimi octavi.

F. BONAVENTURA DU BRUEIL, Miniſter Provincialis.

FR. FRANCISCUS PAGI, Secretarius Provinciæ.

ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI
DOMINO D. FRANCISCO
DE HARLAY,
ARCHIEPISCOPO PARISIENSI
Regiorum Ordinum Commendatori, Duci & Pari Franciæ, Sorbonæ Proviſori, Regiæ Navarræ Directori ac Superiori, &c.

JAM dudum Viris doctis animadverſum, ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *Annales Eccleſiaſticos a Baronio inclyto rerum parente, Herculeo labore elucubratos, & a Spondano Eccleſiæ Gallicanæ ornamento mira induſtria in Synopſim contractos, ſupplemento, illuſtratione ac Emendatione variis in locis indigere. Cum enim ante Baronium nulla res in Eccleſia ita neglecta viſa ſit, ac rerum in ea geſtarum vera atque exacta diligentia perquiſita narratio; & in Euſebio, Socrate, Sozomeno, Theodoreto & Evagrio, qui præcipuam earum partem attigere, non raro claudicet veritas: nemini mirum videri debet, ſi in tam vaſto tamque difficili Opere aliqua minus accurate memoraverit, aliqua vero ejus diligentiam ſubterfugerint. Ad has difficultates hæc inſuper acceſſit, quod Chronologia, quæ certior veri inveſtigandi modus, quæque, ut dicebat D. Chryſoſtomus,* eſt inſtar candelæ ſuper candelabrum, ſine quo omnia tenebrarum & confuſionis plena, *ſæculo proxime elapſo, quo ea ſinem vergente Annales Eccleſiaſtici exarati, longe denſioribus tenebris quam nunc obſita fuerit; & inter tot egregios Scriptores, quibus illud abundavit, pauciſſimi extiterint, qui vel alicui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ parti ſolido criterio examinandæ, vel ſeriei temporum exacte diſtinguendæ operam & induſtriam collocarint. Nullus porro inficias iverit, quin plurimum Eccleſiæ interſit, ut geſta in ea per tot ſæcula, quanto certius fieri poteſt, literarum monumentis conſignentur, præclariora quæque annotentur, ſingulaque, quantum temporis obſcuritas patitur, ſuis annis reddantur. Ex quorum defectu plura incommoda, præſertimque tria oriri videmus. Primò enim hominum, potiſſimum Deo ſacratorum, animi Chronologia in multis depravata imbuuntur; ſique ferme, ut quæ faciles in ea primùm illis inculcata ſunt ad omnia, quæ propinantur, imbibenda; ita illa firmiſſime retineant, quæ ſemel tradita, tenerrimis pectoribus ab adoleſcentia hauſerunt. Quare nec grandiores natu & egregia alicujus doctrinæ laudem conſecutos, quæ in ea principia accepere, illos deponere poſſe, quotidiana experientia demonſtrat. Præterquam quod nihil miſerabilius, quam alicujus artis rudimenta ponere, cujus poſtea præcepta dediſcenda ſint. Hoc incommodum aliud conſequitur: cum enim nullos Annales, nec fuſiores, nec univerſaliores, nec utiliores Orbis Literarius habeat, quam qui a Baronio editi & promulgati, eoſdem Librorum omnium, in quibus agitur de Hiſtoria Urbium, Monaſteriorum, Eccleſiarum, aut de quacumque alia materia Eccleſiaſtica, fontem, matricem ac ſeminarium quoddam extitiſſe neceſſe eſt, ideoque menda & errores in immenſum diffundi; dum Auctores, quæ corrigenda fuiſſent, exſcribunt; fundamentis innixi, quæ evertenda erant, innituntur; & ex iis, quæ aliunde vera non eſſe conſtat, certum ſe aliquid deducere arbitrantur. Denique nunquam ſibi magis plaudunt Hæretici, quam cum deprehendunt, in Annalibus Eccleſiaſticis tempora turbari, Faſtos perverti, variaque aut tardius aut citius quam evenerint, in iis conſignari: inde enim anſam avide arripiunt, populis, quos decepere, inſinuandi, factum id plerumque de induſtria, ut veritas obruatur, inſtructique, illos ſiculi ex anachroniſmis, & prochroniſmis atque ex meris figmentis & ſuppoſititiis factis conflatos eſſe. Tria illa damna, quæ nullus æquus rerum æſtimator mediocria judicaverit, Viri literarium ſtudioſi ægre hæc uſque tulere; & Scriptores non vulgaris eruditionis in privatis Operibus, prout ſe dedit occaſio, iiſdem remedium afferre conati ſunt. Sed nemo hactenus fuit, qui integrum Annalium Corpus in cenſum flectere aggreſſus ſit; ſive laboris magnitudine & varietate, ſive diuturnitate temporis in tam longo Opere conſumendi ab eo inſtituto deterriti fuerint. Ad hæc, obtrectatio invidia, quæ ſolet lacerare pleroſque, in cauſa eſſe potuit, cur Opus adeo neceſſarium tandiu fuerit dilatum: illi enim ſolemne alienam ſpeciem rebus obtendere, & quæ ob laudabilem finem moliuntur, in malam partem interpretari. Has ſimiliaque incommoda,* ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *cum primum hujus conſilii cogitatio inceſſit, prævidi; denique ne quid diſſimulem, animo hæſi, meæ tenuitatis conſcius, & ſubſidiis omnibus ad Opus adoriendum tanta diverſitate variatum, ac a nullo ex tot celeberrimis Auctoribus, qui*

Chryſoſt. in hac verba Oſee. Vide Dumium.

hoc ævo floruere, tentatum, non ſatis inſtructæ. Sed ubi in mentem venit, Amplitudinem tuam conatus omnes, qui vel ad majorem facilitatem ſtrutiis conciliandam, vel ad eruditionem amplificandam, vel ad Hæreticos convincendos adhibentur, promovere ac juvare, omni cunctatione abjecta, mare illud literarium, immenſum licet & procelloſum, confidenter ingreſſus ſum. Nec diuturna moreſaque navigationis præivit: ad manuum enim Tuarum oſcula admiſſus, Tuique colloquii honore dignatus, famam, quæ tibi omnium animos devincit, præſentia auxit: & ſerenitas vultus Tui ad hilaritatem compoſiti, ac humanitas pene divina reverentiam & admirationem expreſſere. Crevit etiamque, cum oblato Tibi hoc Opere, innata eloquentia ac ſingulari doctrina explicuiſti, quæ in eo præſtare, quæ vitare, & quibus adhærere debuerim: quid in Actis Sanctorum; quid in Epiſtolis Pontificum; quid in Veterum Patrum monimentis; quid in ſacris Conciliis quid denique in Hiſtoria Auguſta, tum Romana, quam Byzantina Scriptoribus obſervandum fuerit, ut Critica Eccleſiaſtica Reipublicæ Chriſtianæ prodeſſe poſſit. Laudaſti enim memoriter teſtimonia, quibus omnia dicta tua confirmaſti, idque tanta mentis ſolertia, ut ſtupens mecum uſurpare coactus fuerim illud Reginæ illius, non habentis ultra ſpiritum ad primum conſpectum Salomonis, Regum ſimul & mortalium ſapientiſſimi:
3. Reg. 10. Verus eſt ſermo, quem audivi in terra mea, majorque eſt ſapientia & opera tua, quam rumor quem audivi. Sit Dominus Deus benedictus, cui complacuiſti: & poſuit te ſuper thronum Iſrael. *Sed illuſtrium Majorum tuorum imago, quæ animo meo obſervata eſt, illum ab admiratione revocavit: quod enim de Simplicio Bituricenſi Epiſcopo Sidonius, hoc ego potiori jure de Te aſſerere poſſum:* Parentes ipſius aut Cathedris, aut Tribunalibus præſederunt: illuſtris in utraque converſatione proſapia, aut Epiſcopis floruit, aut Præfectis: ita ſemper hujuſce Majoribus, aut humanum, aut Divinum dictare jus aſſui ſuit. *Non hic tamen tot ſummos, quos Familia tua in utroque Ordine tulit Viros, de quibus Poſteritas omnis audiet & loquetur, commemorabo, Egregia eorum facta, & heroicas virtutes proſequantur alii ad hujuſmodi argumenta magis idonei, quam ego Antiquitatis ſine fuco & pigmentis tractandæ innutritus. Sed præterire non poſſum Reverendiſſimum Patruum Tuum, & in Metropoli Rothomagenſi deceſſorem, Diſciplinæ Eccleſiaſticæ acerrimum vindicem, tot libris Eccleſiæ defendendæ cauſa editis celebrem, Hæreticorum debellatorem. Incidit ille in calamitoſa tempora, quibus Hæreſis Calviniana rabida vi, tam in Rothomagenſi Diœceſi, quam in toto hoc florentiſſimo Regno graſſabatur, quibuſve Vipera venenata ac peſtifera perrumpebat latera matris. Nulli ipſe operæ, nullis ærumnis, nullis impenſis pepercit, non ſolum ut oves ſibi a Deo commiſſas in vera Religione contineret; ſed etiam, ut quæ ab ea deſciverant, eidem reſtitueret. Quod ſi Hæreſi a* LUDOVICO MAGNO, *Te conſulente, proſtratæ ac jugulatæ ſuperſtes fuiſſet ac te unice diligebat, & quod primus in Academia Pariſienſi quinque Janſenii Yprenſis Propoſitiones a Sede Apoſtolica damnatas, publicis Theſibus impugnaſſes, & invidiam ac offenſionem multorum generoſe contempſiſſes, Gemmeticenſi Abbatia ſeſe in Tui gratiam abdicavit, ac dein Coadjutorem ſuum a Rege poſtulavit, & magno Eccleſiæ Rothomagenſis bono obtinuit, incredibili lætitia perfuſus fuiſſet, cum ſe a Nepote, in re, quam tot votis & precibus a Deo petierat, ſuperatum vidiſſet. Primis tuis laboribus,* PRINCEPS ECCLESIÆ ILLUSTRISSIME, *ſuccidenda hæreſeos Hydra, graviter ac ſtrenue diſputationibus & colloquiis præluſiſti: tandemque exultante ac plaudente Gallia, & tota Europa gratulante, Pariſienſi Eccleſiæ, totiuſque Cleri Gallicani negotiis a* LUDOVICO MAGNO *præpoſitus, non quieviſti, donec Factio illa, quæ de religione Catholica e Regno eliminanda, partiendoque Sceptro, non cogitarat modo, ſed palam coactis exercitibus alias tentaverat, prorſus extingueretur! O conſilium prudentiæ, magnanimitatis ac fidei erga Deum & Principem plenum! O proviſionem mentis Eccleſiam Gallicanam ad primævam ſuam gloriam ac ſplendorem revocantem! O ævi noſtri felicitatem. Quoties futura ſæcula prædicabunt,* LUDOVICUM MAGNUM *innumerabilia Calviniſtarum per omnes Regni ſui Provincias ſparſorum delubra evertiſſe, ac ne unum quidem remanere voluiſſe: bipartitorum Judicum litibus Hæreticorum decidendis Decretum, quæ tot Catholicis a vera Fide apoſtatandi occaſionem præbuerant, abrogaſſe; Edictum Nannetenſe armata manu extortum, & appellatis externis Regibus defenſum, milleſque tamen ab Hæreticis impune violatum reſcidiſſe: toties Te fautorem tam ſanctarum Legum celebrabunt. Exempla hæc in re imitatus es,* ILLUSTRISSIME ARCHIPRÆSUL, *præſtantiſſimorum antiquæ Eccleſiæ Præſulum, quos tibi in omnibus imitandos proponis. Acholius Theſſalonicenſis Epiſcopus, quem D. Ambroſius* murum Fidei, gratia & ſanctitatis *merito vocat, a Theodoſio Magno aureum ſanctionum piumque & ſalutare Edictum obtinuit, in quo Theodoſius ait:*
Ambroſ. in Epiſt. ad Sacerdot. & Clerum Pleb. Theſſalon. Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit temperamentum in tali volumus Religione verſari, quam divinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, Religio uſque nunc ab ipſo inſinuata declarat. *Theophilo doctiſſimo Alexandrinorum Epiſcopo præclarum Reſcriptum, quo ſacrificia, templorum aditus, omniſque Deorum per ſacrificia cultus in Ægypto ſub capitis pœna ab eodem Imperatore prohibentur, ipſi etiam Gentiles attribuunt, & quod ſummæ ei laudi fuit in crimen vertunt. Eunapius enim in Vita Ædeſii ait:* Vix ex hac vita migraverat, cum & cultus Numinis apud Alexandriam, & Serapidis delubrum diſturbata diſſipataque fuere; non Religio tantum, ſed univerſa fabrica, & omnia eum habuerunt exitum quem Poetarum fabulæ tribuunt Gigantum victoriæ: ſimile enim quid Canobicis Templis accidit, imperante tunc Theodoſio, præſidente Theophilo, piaculari homine & Eurymedonte quopiam, qui

Late Rex tumidos inter ſævoſque Gigantes
Odyſſ. 7. *Primatum tenuit.*

Evagrio tunc Præfecto Auguſtali, & Romano Ægypti Legiones cum imperio obtinente: qui omnes iram adverſus ſaxa & lapicidas aggerantes, ea oppugnabant, & qui bellum numquam auditione acceperant, Serapidis ædem funditus demoliti ſunt, Templique donariis manus hoſtiliter injecerunt, abſque hoſte & citra prælium victoriam adepti.
In Codice Theodoſ. Tit. De Hæreticis. *Denique variæ Leges ab Arcadio Auguſto adverſus Hæreticos, Nectarii & D. Joannis Chryſoſtomi Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum ſuaſu & cohortatione, emiſſæ. Quam glorioſum tibi tanti nominis Pontifices, quibus ſingulare in Catholicam veritatem ſtudium, incredibilis in Eccleſiæ bonum propenſio, totque heroicæ virtutes Te ſimillimum reddidere, non ſolum ſecutum eſſe; ſed etiam eorum veſtigia impleviſſe. Profecto fauſto omine contigit,* ARCHIPRÆSUL ILLUSTRISSIME, *ut de geſtis Antiſtitum Pariſienſium in literas mittendis cogitaveris; Operique Annalibus Eccleſiaſticis locupletandis, non parvo adjumento futuro, primæ notæ Scriptorem deſtinaveris: voluit enim Divina Providentia, ut illa immortalia tua facta, quæ ſuſpiciunt Galli, commendant Exteri, Poſteritatis memoria celebraret ſempiterna. Non hic referam mirum tuam in Deum pietatem, ſervum illum pro Eccleſiæ rebus ardorem, quem in Cleri Gallicani Generalibus Comitiis, quibus ſingulis quinquennis præſides, ubique ſemper demonſtraſti, in adverſis conſtantiam,*

in

in proſpectu moderationem, aliaſque divinas in omni genere virtutes Tuas, ne earum multitudine ac magnitudine ipſemet obruar, aliosque obruam. Sed ſatis mirari non poſſum vehementiſſimam in Regis obſequia animi tui proclivitatem, ac in gerendis, quæ Tibi ſubinde committit, difficillimis negotiis vigilantiſſimam ſollicitudinem ac integerrimam fidem. Licet enim tot graviſſimis occupationibus diſtrictus ab illis accuratiſſime procurandis numquam animum remittis. Si Confluentes demum Regiam, quæ tua opera ad Epiſcopatum acceſſit, aliquando te conferas, ut aliqua quiete fruaris: Ego tuum otium, aliorum negotiis anteverto. Non enim te amœna littora, nec diſpoſiti ad temporum vices habent ſeceſſus; ſed ſive tu agris, ſive oppidis tempus des rem & famam pariter auges, *ut de magno Im-* Pacat. in Paneg. Theodoſii. *peratore eloquentiſſimus aſſerebat Orator. Immo intentum Tuum illud ſtudium in morbo, quo nuper conflictatus es, eluxit. Sicut enim Sanctus Gregorius Papa ægritudine corporis afflictus, innumerabiles pro Eccleſiæ neceſſitatibus epiſtolas dictavit, Paſtoralium virtutum præclariſſima exempla & Scriptis & rebus geſtis dedit;* Baron. ann. 604. n. 111. *conſtantiam mentis & hilaritatem quandam ab optima conſcientia proficiſcentem, ubi aliquantulum cruciatus intermittebantur, ſemper prætulit: ita & Tu, dum boni omnes ingemiſcebant, veriti ne hanc tantam ac tam inuſitatam terris virtutem cælum nobis invideret, cruciatuum inter dolores animi firmitudinem retinuiſſe, & moleſtum illud otium, quantum in te fuit, rebus publicis imperturbatus impendiſti. Macte igitur animo Tuo, ac tua virtute; nec umquam Regi, Eccleſiæ Gallicæ, Literis utilis eſſe deſine, tam ad ſæculi noſtri admirationem, quam ad poſterorum documentum. Cumque hæc Annalium Eccleſiaſticorum illuſtramenta lucem Tibi debeant, nec potius nuncupari poſſint, quam Viro in illis verſatiſſimo patere,* ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *ut nomine Tuo inſcripta ea accipiat Orbis Chriſtianus, nunc dimidia, ſuo tempore integra, quæ vel numquam, vel ſerius, vel minus perfecta, erant a me habitura, niſi amantiſſimis & honorificentiſſimis verbis ad ea continuanda abſolvendaque, me animaſſes, & inter eos adlegiſſes, quos Clerus Gallicanus, in Eccleſiæ gloriam & Literarum incrementum munificentia ſua ac beneficiis fovet. Quod certe eo Tibi honorificentius, quo non in urbe Regia ut cæteri ferme Scriptores, qui magna aliqua aggrediuntur, ſed in ultima Sphæra Galliæ parte, ac in Clauſtri ſeceſſu vivam. Pro qua Amplitudinis Tuæ erga me beneficentia, cum Tu nihil a me expetas, neque ego aliquid præſtare poſſim, ſedulo conabor, ut virtutum Tuarum, ac meæ voluntatis apud poſteros vigeat numquam intermoritura memoria, ampliſſimiſque & æternis monumentis conſecretur.*

DOMINATIONI TUÆ ILLUSTRISSIMÆ

Æternum addictiſſimus
F. ANTONIUS PAGI.

ILLU-

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO VIRO

DOMINO

D. JOANNI BAPTISTÆ COLBERT,

REGI AB INTIMIS CONSILIIS

& Secretioribus Mandatis, Regiorum Ordinum Cancellario, Marchioni de Torcy &c.

UT Operi, cui non vile a rerum gravitate, numeroque pretium eſt, ſummum ſit meritum a Patrono, TE unum adire auſus ſum, VIR ILLUSTRISSIME, Tuique nominis umbram captare, quæ ipſi, & præſidio ſit & ſplendori: Utriuſque acceſſionem mihi non dubiam fore confido, cum ex amplitudine meriti, tum ex faſtigio dignitatis.

Purpuratorum Romæ Procerum non infimum decus Cæſar Baronius ſacrorum Annalium laborioſiſſimum Opus moliri auſus, quantum Eccleſiæ rebus, quantum Litteratorum commodo, quantum nominis celebritati conſuluerit, nemo eſt, qui non videat, nemo qui ſatis poſſit prædicare. Hactenus varii varia, diſſociata locis, diſcreta temporibus, perturbata ordine, remota ſenſu, ſecumque pugnantia, prout ſuus quemque trahebat affectus, effuderant Scriptores fragmenta magis, quam plenam, & numeris omnibus abſolutam Hiſtoriam. Eruenda erat, non e puteo, quod ſomniaverat Philoſophus, ſed ex variarum congerie, atque conflictu opinionum, quæ una primum eſt Hiſtoriæ decus, ac lumen, veritas. Supplenda erant quæ vel priorum iniquitas temporum inviderat poſteris, vel barbarorum pene aboleverat incuria ſæculorum, vel utcumque fefellerant Scriptorum diligentiam. Huic pluſquam Herculeo labori, quot Doctorum elucubrationibus, quot impenſis, quot ſummorum Virorum ſtudiis, totos triginta annos inſudatum ſit, norunt, qui vel invident, vel ignorant. Habent interim opera, manuque Baronii, unde coaptata in unum corpus evaſerint diſcerpta prius membra, paſſimque jacentia. Habent diſparata locum ſuum, præpoſtera ordinem, obſcura lucem, dubia diſcuſſam fidem, ſuppoſititia plurima veritatem. Habent denique Annales Eccleſiaſtici omnium monumenta temporum; habent pene omnium res geſtas populorum; Quid dicam? Habet Bibliothecam integram, eamque toto gravidam mundo, liber unus.

Verum, o fatalem humanarum rerum conditionem! quid quiſque vitet, timeat, caveatque nunquam homini ſatis cautum eſt. Hærent vel poſt ſupremam artificis manum, terſiſſimis quibuſque artis operibus ſui nævi. Sol ipſe, quo nihil ſplendidius, immaculatius nihil occurrit aſpectui, ſuas plerumque umbras, ſua patitur deliquia. Quid mirum, ſi quid in tanto Opere minus accuratum, ſi quid animadverſione dignum irrepſerit? Non poteſt ex tam multa rivulorum colluvie conſtans flumen, nihil contrahere fæcis aut luti: non poteſt tam diverſis, ac ſæpe diſſidentibus via ducibus, humanus animus non errare. Veritatem in terris peregrinam, latebras amare dixeris; nec inde niſi aſſiduo Criticorum conflictu diſtruſam emergere, lucique reddi.

Huic uni veritati pervestigandæ ſe totum contulit, clarus cumprimis, niſi me nimium amor, Eruditorum gregi memoria Antonius Pagius patruus meus, & quantum, quamvis diu in condendis Annalibus Auctor deſudaverat, tantumdem in expurgandis Annotator elaboravit: nec prius in lucem exiit, ejus opera, Volumen primum, quam a compluribus cultioris litteraturæ viris, hortatoriis paſſim Epiſtolis adductus eſt, ut cœpto admoveret Operi ſedulam manum. Admovit ſane, nec alium labori poſuit, quam vitæ finem. Quo opera pretio, Tu judicaveris: quo exitu, Tu ipſe effeceris, & claritate nominis, & patrocinii auctoritate.

Nec vero potuit, VIR EXCELLENTISSIME, conſultius, aut æquius, quam Tuo Nomine nuncupari Opus plane adumbratam exhibens Tuam in regni negotiis administrationem. Etenim animadverſioni Pagii permiſſa ſunt populorum omnium res geſtæ: Tuæ ſollicitudini commiſſæ ſunt exterarum ubique gentium res gerendæ. Explorat ille cenſoria virgula diſſidentium inter ſe Scriptorum ſenſa, indolem, ſtudia, ne fallant: Tu infenſorum Principum, Tu Politicorum pervides motus, fines & reconditiſſima quæque conſilia, ut occurras. Ille temporum, Tu rerum momenta metiris. Refricat ille præterita, ne pereant; Tu futura, ne inopinum occupent, antevertis. Ille fidei publicæ, Tu ſecuritati; Ille rebus Eccleſiæ, Tu Imperii conſulis Majeſtati.

Eſt

Eſt tamen quod inter Vos plane non conveniat, VIR ILLUSTRISSIME; *Illi enim labor unus eſt, digna quæ legantur ſcribere, Tibi digna facere, quæ ſcribantur: at in ejus ſcriptis forte non pauca, in Tuis moribus aut factis, nihil omnino eſt quod veritati diſſentiat. Demum & Auctoris & Annotatoris vitam tanta molis opus abſumpſit, Tu immenſis regni addictus negotiis, adeo non cedis oneri, ut otio diffluere, aut certe labore refici ac reparari videaris.*

Hic profecto ſuo muneri non impares de Tua, imo de Chriſti familia Epiſcopos celebrari æquum eſſet, niſi tantam rerum vim, tantamque copiam, anguſtiores Epiſtolarum anguſtiæ detrectarent, & ſtylus ſimplicior eo vetaret majeſtate aſſurgere, quo par eſt, tot ſummorum Virorum præclare geſta pro dignitate prædicari. Fient ipſi aliquando Annalium Eccleſiæ appendix non modica, & nobile incrementum: hunc eis honoris gradum ſine fuco pietas, ſine amaritudine zelus, ſine faſtu gravitas, ſine anxietate ſollicitudo paſtoralis, nunc ſpondent, olim dabunt.

Verum ne Tibi nimius in dicendo videar, etſi me Tui reverentia ferret, quam par eſt, parciorem, & magis quid paterentur aures, quam quod deberetur virtutibus conſuluerim, cæteris ſuperſedeo, & publicæ veritati, quam privata modeſtia detrahi malo.

Tot annis, tot ſudoribus elucubratum Opus, utilitati, Eccleſiæ, Eruditorum deſiderio, ſed imprimis veritatis amori & aſſertioni Auctor conſecraverat: quanta omnium exiſtimatione, quam luculento labore Clerus Gallicanus, cum primum cœpit Opus aliqua ſui parte prodire, non obſcuris ſignificationibus apud omnes voluit eſſe teſtatum. Prius autem ſupremum diem Auctor obiit, quam adhibita fuerit Operi poſtrema manus: integro labori ſucceſſi, qui dudum in partem adſcitus fueram. Tria poſtrema Volumina Editioni proxime aptavi, primum ordini Baroniano reſtitui, ut ex omni parte ſecum conſentiret Opus integrum ſibique conſtaret. Nulli denique operæ peperci, ut quam ſui expectationem ſuſcitavit, illam ſuſtineat; quod me non dubiis argumentis aſſecuturum ſpero, ſi Tuis ſub auſpiciis in publicam ſe lucem effuderit, qualecumque hoc obſervantiæ, & obſequii erga Te mei ſymbolum. Erit ſua labori merces, erit operæ præmium, ſi benevole ſuſceperis, non rem, ſed pronam in Te voluntatem, Tibique ex eo ſignificatum fuerit, quantis nominibus, quoad in vivis ero, futurus ſim

EXCELLENTIÆ TUÆ

Addictiſſimus & obſequentiſſimus
FR. FRANCISCUS PAGI
Provincialis Minorum Conventualium in Provincia.

DISSERTATIO HYPATICA,

SEU

DE CONSULIBUS CÆSAREIS.

EX OCCASIONE INSCRIPTIONIS

Forojulienſis Aureliani Auguſti.

IN QUA

CÆSARUM ET AUGUSTORUM CONSULATUS Ordinarii, eorumque Decennalia & id genus feſta regulis hactenus nemini obſervatis declarantur; perpetui vero, tam cum Imperii, quam cum Eræ Chriſtianæ annis, juxta accuratam Chronologiam connexi, nunc primum de integro digeruntur: Faſtis Conſularibus Romanis ex parte: Byzantinis ex toto, extrema manu admota.

Accedunt Quæſtiones Selectæ de Conſularibus deſignatis, ſuffectis, honorariis, dimidiatis: Poſtconſulatibus, Imperio Aureliano, aliiſque Chronologiam Cæſaream, ab Auguſto ad Conſtantinum uſque Porphyrogenitum, non parum illuſtrantibus.

AUCTORE R. P. ANTONIO PAGI, ORDINIS MINORUM
Conventualium S. Franciſci Doctore Theologo.

Digitized by Google

NOBILISSIMO, AMPLISSIMOQUE DOMINO,

DOMINO LUDOVICO DE THOMASSIN,

D. DE MAZAUGUES, ET D'ESPIN. IN SUPREMA

Gallo-Provinciæ Curia Senatori integerrimo.

FR. ANTONIUS PAGI.

ANNALIUM Eccleſiaſticorum Continuationi, volviſque hoc ſæculo geſtis totus intentus, ab obſoletis Antiquitatis monumentis, & quorumque aliis ſtudiis alieniſſimum animum habebam, SENATOR AMPLISSIME, *cum quæ familiari colloquio de Inſcriptione Forojulienſi Aureliani Auguſti a viro clariſſimo Joſepho Antelmio, non minus doctrina, quam humanitate præſtanti, ad me Foro-julio miſſa, tecum diſſerueram: ut Orbi Litterario proponerem, voluiſti. Parui lubens, repugnantiam, enim omnem vicit ſummus meus in te amor, & obſervantia; quam cupio eſſe ſingulis notam ſicuti, tua in me publica ſunt beneficia. Occaſionem itaque egregiæ illius animi tui in juvandis Eruditorum laboribus virtutis, Poſteritati conſecrandæ arripio: Neque æquum, ut dum ad rerum vetuſtarum memoriam poſt longam rerum ſeriem ab oblivione reſtituendam, omnem confero operam, hæc ipſa in tenebris jaceat. Domum tuam bonis artibus & ſtudiis hoſpitium, ac portum Litteratis tutiſſimum eſſe voluiſti; & quam a prima ætate ad res optimas propenſionem exhibuiſti, tot quotidie argumentis declaras, ut quaſi alter Peireskius, qui tantam in fovendis litteris, quantam poſt hominum memoriam nullus conſecutus eſt gloriam, ab omnibus jure merito habearis. Bibliothecam libris Græcis, Latiniſque refertiſſimam ingenti cura, ſummiſque expenſis inſtituiſti, non ad ſpeciem, ut multi, ſed ad uſum, tam Doctorum virorum, quam tuum; quod ſcires in hac Gallo-Provincia magis deeſſe libros, quam ingenia. Iis luculenter exerit ſe beneficentia tua, & aliorum vota prætergrediens, libris, quibus indigere præſentes, vel nullibi reperiuntur, vel ſicubi, nullis parcens ſumptibus diu eos privari non ſinis: quod quoties a te erga me præſtitum, non niſi cum magno pudore dicere poſſem. Non ego hic Natalium ſplendorem, divitiarum abundantiam, cæteraque id genus naturæ, vel fortunæ bona, quibus a Deo cumulatus, commemorabo; cum non me lateat, hæc omnia, alterum pretio rara tuo eſſe viliſſima. Scis enim* SENATOR AMPLISSIME, *ubi vera ſit gloria, & quæ homines ambitionis æſtu inflammati venantur, aliquando obſcuraturam ac conſumpturam oblivionem, ſolumque animum bonorum contemptorem nominis æternitatem mereri. Quid mirum igitur ſi ejus amore generoſum pectus tuum plenum, nihil eorum quæ eruditionem multis indigam, ad robuſtam quandam maturitatem provehere tandem poſſint, prætermittat: Aſpice, quod de Sapientia dicebat Tertullianus, ipſam creaturam paulatim ad fructum promoveri granum: eſt primum, & ex grano frutex oritur, e frutice arbuſcula enititur; deinde rami, & frondes convaleſcunt; inde germinis tumor, & flos de germine ſolvitur; & de flore fructus aperitur: is quoque rudis aliquando, & informis paulatim ætatem ſuam dirigens eruditur in manſuetudinem: Sic Eruditio poſt Conſtantinopolim raptam, renata veluti fructus, ſeu granum parvulum fuit, quod Litteratorum laboribus, & Bibliothecarum ope paulatim adolevit. Sæculo proxime elapſo in arbuſtum quoddam tot eximiorum librorum editione excrevit, noſtroque tandem in ramoſa multiplicis cognitionis brachia protenſa eſt, & Nummis, Inſcriptionibus, & id genus aliis in truncum ſolidata. Eorum certe uſus magno mihi auxilio fuit; nulla enim certior ad difficultates enodandas via, ſi cum accurata antiquorum Scriptorum lectione conjungatur. Quam neceſſariam copulam qui diſſolverit, res magis obſcurabit, quam explicabit. Novum probationis genus, ſed firmiſſimum; ſicut enim, licet belli gerendi leges, & politicæ adminiſtrationis rationes eædem, quæ olim, hodie ſint; tum varia tamen Armorum ac Inſtitutorum diſciplina eſt, ut ſi ea ignoretur, vix cuiquam res ex ſententia procedere poſſint: Sic Eruditio, quæ omnis Antiquitatis memoria continetur, nova hac ſubſidiorum copia indigebat, cum non niſi eorum beneficio rerum obſcurarum, & ſuperioribus ſæculis, aut omiſſarum, aut non ſatis clare traditarum: plena cognitio comparari queat. Patere igitur,* SENATOR AMPLISSIME, *ut hoc opuſculum ex varietate adornatum, omnibus beneficentiam tuam referat, prædicet virtutem, commendet humanitatem; interimque id obſequii quod tibi ex animo defero, boni conſule. Vale. Datum Aquis Sextiis Kalend. Septemb. anno 1682.*

PROLEGOMENA.

I. *Conſilium authoris.*

UNius Epigraphes explicationis occaſione, tria hactenus parum cognita, hac in diſſertatione, AMICE LECTOR, habes; accuratam nempe Conſulatuum deſignatorum & ſuffectorum a Cæſaribus & Auguſtis geſtorum tractationem: ordinariorum ab iiſdem aſſumpſorum Rationarium: ac perpetuorum, quæ impoſſibilis videbatur, certam ordinationem. Primum variis hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum locis, quibus viri eruditiſſimi in errorem inducti fuere, lumen affert: Alterum novam Faſtorum Conſularium Romanorum ab Auguſto Imperatore ad Juſtinum Juniorem, in quo deſiere, illuſtrationem; ac Conſulatuum Cæſareorum cum Decennalibus & id genus Feſtis, Triumphis, Ludis ſæcularibus & inſignioribus Imperatorum factis connexionem exhibet. Poſtremam difficultates, quæ in Faſtis Byzantinis digerendis occurrebant, tollit, eorumque uſum jam a multis ſæculis, ſummo Chronologiæ detrimento, intermiſſum revocat.

II. *Tribus Chronologia Eccleſiaſtica indiget.*

In Faſtis porro ordinandis initium ac finem Imperatorum, a quibus res magni momenti non raro pendent, exacte conſignavi. Jamdiu enim animadverti, ab Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudioſis, quibus præſertim ſcribo, tria maxime deſiderari: Conſulum ſcilicet, Imperatorum, & Romanorum Pontificum ſeriem, in qua doctrina temporum non labefactetur. Duo priora hic exhibere conor, & licet argumenta, quibus Cæſarea Chronologia certa redditur, Operis brevitate id non patiente, ubique non afferam: in alio tamen Opere *, quæ in iſto deſunt, ſupplebo. Quoad tertium Daniel Papebrocius clariſſimus eruditiſſimæ Societatis Jesu Scriptor, unius ex ultimis tomis Sanctorum menſis Maii quamprimum in lucem edendis initio Catalogum Chronologicum Summorum Pontificum præfiget, quod nobis, ne eum in menſem Junium differret, enixe rogantibus, ſe facturum per literas ſignificavit. Tribus his præſidiis fulta Chronologia, poſt Herculeos doctorum virorum labores in multis adhuc rudis & imperfecta novam faciem induet, longeque purior evadet.

* nempe Critica in Annales. C. Baronii.

III. *Hac diſſertatio ſupplementum Faſtorum Onuphrii.*

Opus iſtud Faſtorum ab Onuphrio Panvinio magni nominis viro digeſtorum ſupplementi inſtar erit. Quæ enim diligentiam ejus ſubterfugerunt, aut quæ ipſe aſſequi non potuit, invenire & explicare conati ſumus. Is in pluribus non tam nobis ſpicilegium, quam integram meſſem reliquit: neque illi in mentem venit Conſulatuum Cæſareorum cauſas, quo hac in Diſſertatione præcipue collineamus, quæque Faſtis formam dare videntur perſcrutari. In iis itaque rimandis illud poetæ, abſit verbo invidia, uſurpare poſſam:

——— Peragro loca, nullius ante Lucret. lib. 4.
Trita ſolo: juvat integros accedere fontes,
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores.

IV. *Faſti Byzantini nondum recte ordinati.*

Præterea Onuphrius Faſtos quidem Conſulares Romanos, attenta rerum, quæ tunc erat, obſcuritate, diligenter digeſſit: ſed cum ad Orientales, qui in Juſtino Juniore incipiunt, & in Conſtantino Porphyrogenito terminantur, pervenit, in iis ordinandis ita frequenter in errorem incidit; ut neque Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis, neque alius Chronologus in Chronicis condendis, eos adhibendos eſſe cenſuerint; quod eam temporum rationem inconditam imperfectamque, nec quomodo reſtitui poſſet, viderent.

V. *Decennalibus Faſti & Chronologia juvantur.*

Quam ex Decennalibus & id genus feſtis lucem hiſtoria Eccleſiaſtica; ſcriptores hiſtoriæ Auguſtæ, Chronologia, Geographia, Nummographia, & Codex Theodoſianus accipere poſſent, huc uſque ignoratum. Propterea integram eorum ſolemnium tractationem hic inſtituere decrevimus, præſertim cum ſine iis Faſtorum ordinatio haud omnibus ſuis numeris abſoluta ſit; verum quidem eſt, non exiſtimare nos in annis, quibus peracta ſunt, aſſignandis, aliquando non erraſſe, ſed quemadmodum non niſi pluribus navigationibus maris Indici inſulæ detegi potuere; ita non niſi pluribus diſquiſitionibus anni Decennalibus addicti deprehendi poſſunt. Regularum tamen a nobis traditarum beneficio detegentur aliquando anni ſinguli, quibus ea feſta celebrata ſunt, ſicque mirum in modum locupletabitur Chronologia hoc ſubſidio hactenus deſtituta: valde enim falluntur, qui nullum adhuc in eruditione reſtare operis ſibi perſuadent. Plurimum egere qui fuere ante nos, inquit Seneca, ſed non peregere: non præripuere illi quæ dici poterant, ſed aperuere: ſubacta eſt materia, ſed non conſumpta: inventa inveniendis non obſtant. Neque eruditio eum perfectionis gradum attigit, ut nihil ei amplius ſuperaddi poſſit.

VI.

Poterit hoc noſtrum Opus non tantum doctis ſed ipſis etiam tyronibus ſum-

mæ

Digitized by Google

Hæc diſſertatio eruditis & ſemidoctis fructuoſa. mæ utilitatis eſſe, dummodo quibus tota temporum doctrina innititur, principia non ignoreot; advertantque, annos Imperii Principum Romanorum in nummis & inſcriptionibus expreſſos Tribunitiæ poteſtatis annis deſignari, quartamque v. g. Aureliani Imperatoris Tribunitiam poteſtatem quartum Imperii ejus annum exhibere.

VII. *Quid ab authore obſervatum.* Authores tam antiquos quam recentes in fonte, ut ajunt, legi, quod utroſque viderim etiam a viris eruditis aliquando perperam adduci, aut male citari. In Euſebio, cæteriſque hiſtoricis Eccleſiaſticis laudandis, Henrici Valeſii editione, ut prioribus exactiori uſus ſum; & Græcorum verſionibus, ubi ambiguæ, aut ad ſenſum authorum non penetrantes viſæ, alias ſubſtitui. Non tantum porro ægre non patiar, ſed etiam æquo lubentique animo accipiam, quod errores in quos incidere contigerit, detegantur & confutentur. Neque enim ad decipiendum nati ſumus, valdeque refert, ut magnorum etiam virorum, quorum labores miramur, quibuſve diteſcimus, lapſus in manifeſtam lucem producantur, ne eorum auctoritate lectores permoti, quod fugere debuerant, incaute amplectantur. Eo animo quæ in aliis Auctoribus a vero aliena videbantur, impugnavi. Difficultates ab iis intermiſſas, vel non ſatis diſcuſſas ad conjecturam, & e conjectura ad ſcientiam revocare enixus ſum: ac quaſdam aperui, quæ a doctioribus ſolvi poterunt. His prætermiſſis ad ea quæ vel addenda vel corrigenda viſa ſunt, venio.

VIII. *Conſulatu ſuffecto Galli annus emortualis S. Iſidori detectus.* In finem cap. 5. primæ partis hujus Diſſert. Hoc addendum. Ex Conſulatu ſuffecto a Gallo, antequam Imperium conſequeretur, geſto, ut oſtendit vetus inſcriptio apud Onuphrium: ACTUM PR. KAL. AUG. IMPP. NN. GALLO AUG. II. ET VOLUSIANO AUGG. COSS. quo anno S. Iſidorus martyrio in inſula Chio affectus ſit a Decio Imperatore, detegimus. Papebrocius vir eruditiſſimus die nona Maii, quando ejus Acta illuſtrat, dicit, in fine duorum exemplarium manuſcriptorum, quorum alterum in Bibliotheca Vallicellana, alterum in Vaticana aſſervatur, utrobique legi: *depoſitus eſt B. Iſidorus pridie Idus Maias, Gallo & Ulpiano Coſſ.* addereque Vaticanum, *ſub Decio Imperatore*, Baronium quia in Faſtis *Ulpianum* non reperit, legiſſe *Gallum & Voluſianum*, quorum Conſulatus annum 252. indicat. Tandemque concludit Papebrocius, martyrium illud contigiſſe anno Chriſti 252. ſub cujus finem exiſtimat, Gallum non tantum Imperatoris; ſed etiam Conſulis titulum aſſumpſiſſe poſt occiſum ſcilicet Decium: factum autem fuiſſe, ut qui Decii abominabantur memoriam, annum 251. ſignaverint nominibus Galli & Ulpiani; quamvis extrema ſolum anni parte magiſtratu functorum. Quod ſecutus is qui ſcripturis S. Iſidori Paſſionem primus materiam ſubminiſtravit, eoſdem Conſules etiam expreſſerit, addiderit tamen *ſub Decio Imperatore*, ut hoc etiamnum vivente, & priuſquam alii ſufficerentur, res acta intelligeretur. Ita Papebrocius: ſed hæc ejus ſententia ex ipſiſmet, quæ refert, Iſidori Actis, evertitur. Eorum enim initio legitur: *anno primo, quo imperare cœpit*, Decium perſecutionem in Chriſtianos moviſſe, in eaque Iſidorum occiſum. Quare cum anno 249. circa menſem Julium Decius imperare cœperit: Conſulatus ille ſuffectus a Gallo & Ulpiano anno ſequenti menſe Majo geſtus: eodemque S. Iſidorus neci traditus; ſic enim imperante Decio, ac Gallo & Ulpiano Conſulibus eum interfectum, vero in Actis ſcriptum. Et profecto incredibile eſt, ut Author paſſionis Iſidori, ob Decii horrorem Conſulum ſuffectorum poſt ejus mortem creatorum nomine eam notaverit, cum videamus Diocletiani, Maximiani, aliorumque Tyrannorum nominibus, tot martyrum Acta conſignat. Porro Decium anno Chriſti 249. poſt menſem Majum dictum eſſe Imperatorem ex eo conſtat, quod in Codice Juſtinianeo *l. 1. de revocandis donationibus*: Inſcripta: *Imp. Philippus a Caſſiano*, hanc ſubſcriptionem præferat: *datum XV. Kal. Jul. Æmiliano & Aquilino Coſſ.* anno nempe Chriſti 249. Neque enim triginta menſes, quod tradit Victor, imperare Decius potuit, niſi eo anno, menſe Junio, aut Julio, Philippo ſucceſſerit.

Pagina 27. de Clodovei Francorum Regis Conſulatu loquentes non meminimus afferre ſententiam Hadriani Valeſii v. c. lib. 6. rerum Francicarum, omnibus, quas retulimus forſan probabiliorem. Exiſtimat is, *Conſulatus* nomine Patriciam dignitatem apud Gregorium Turonenſem ſignificari. Aimoinus enim Monachus in libro primo tradit, Anaſtaſium principem in Codicillis ad Clodoveum miſſis ſubſcripſiſſe, ſibi & Senatoribus placuiſſe, ut amicus & Patricius Romanorum appellaretur: & Carolum Majorem-domus, qui in brevi veterique Chronico de Viſigothorum rebus, Francorum Rex ac Patricius urbis Romæ fuiſſe dicitur, Fredegarius a Gregorio Papa hujus nominis II. adverſus Leonem Imperatorem ipſi ob defectionem infenſum & Luitprandum Langobardorum Regem auxilium petente, ac Imperatorias ſibi partes ſumente, *Conſulatum Romanum* conſecutum eſſe tradit: quin & nepotem ejus ex Pipino quoque Patricio Carolum Magnum Francorum Regem, qui quemadmodum Carolomanus frater, Patricius fuit, Godiſcalcus in præfatione libri Evangeliorum *Conſulem* appellat. Præterea Caſſiodorus in variarum libro 8. epiſt. 9. Chlamydem, calceoſque Romanos inter inſignia Patriciatus numerat, IX. *Clodovei Conſulatus a Patriciatu non diverſus.*

licet

licet in formula inſignium Conſulatium nullam de iis mentionem habeat. Neque mirari conveniť, Clodoveum ab Anaſtaſio Imperatore Patricium factum eſſe, cum Odoacer & Theodoricus alter poſt alterum Italiæ Reges a Zenone Imperatore Patriciam dignitatem pro ſummo munere acceperint; & Sigiſmundus Burgundionum Rex ab eodem Anaſtaſio Magiſter militiæ, Patriciuſque creatus ſit.

X. *Legatio Conſtantini ad Honorium quo anno accidit.*

Pagina 64. diximus, Conſtantinum Tyrannum, anno quadringenteſimo octavo, Legatos ad Honorium Imperatorem miſiſſe, annoque ſequenti Conſulatum ſumpſiſſe. Zoſimus tamen lib. 5. pag. 818. legationem eam Honorio & Theodoſio III. Conſulibus, anno nempe Chriſti quadriagenteſimo nono contigiſſe ſcribit: quare id minime in dubium vocandum, exiſtimandumque, eodem anno poſt Legatorum reditum, Conſtantinum Collegam ſe Honorii in Conſulatu dixiſſe. Neque enim veriſimile, Conſtantinum, antequam Imperatoriam veſtem, quod docet ibidem Zoſimus, ipſi Honorius miſiſſet, hujus Imperatoris in Conſulatu Collegam ſe dicere auſum eſſe.

XI. *Ludi ſeculares ab Honorio Imp. non celebrati.*

Pagina 69. diximus, Honorium Imperatorem immerito reprehendi, quod anno Chriſti quadringenteſimo quarto ludos ſæculares celebrarit; eoſque poſt annum milleſimum Urbis amplius peractos non eſſe. Videor mihi id evidenter deducere ex Zoſimi ſilentio. Is initio libri 2. de Ludis ſæcularibus loquens ait, Oraculum tradidiſſe ſalvum fore Romanorum Imperium, Urbemque bellis & morbis liberandam, ſi Diti patri & Proſerpinæ rem ſacram ſacerent, quod in ludis ſæcularibus peragi ſolitum docet. Tum poſtquam de prioribus locutus eſt, inquit: *cum rurſus adverſi quidam caſus accidiſſent, Octavianus Auguſtus ludos inſtauravit, factos illos quidem ante L. Cenſorino & M. Manlio Puelio Coſſ.* (loquitur de quatris ludis ſæcularibus, quos celebratos credit anno Urbis 605.) *tunc autem L. Cenſorino, & L. Sabino* (ſupple Conſulibus, anno Urbis 705. licet Cenſorinus cap. 17. exhibitos ſcribat, anno Urbis 737.) *poſt Auguſtum Claudius ludos celebravit, numero præſtitutorum annorum neglecto. Poſt eum Domitianus, Claudio valere juſſo, numeratoque ambitu annorum, ex quo ludos Auguſtus feciſſet, traditam ab initio legem ſervare viſus eſt. Secundum hos Severus cum anni CX. jam adpetiiſſent; cum filiis, Antonino & Geta, ludos eoſdem ordinavit, Chilone Liboneque Coſſ...... Igitur recte, ſicut Oraculum tradit & ipſa res exigit, hæc omnia ſuo modo ac ritu peragerentur: ſalvum erat Romanum Imperium, & univerſum prope dixerim orbem noſtrum perpetuo ſibi ſubjectum habebant. Iiſdem vero ludis neglectis, cum Imperio ſe Diocletianus abdicaſſet: paulatim quaſi deliquit, taciteque redactum eſt ad barbariam majori ex parte; ſicuti res ipſa teſtantur. Libet autem ejus quod dico veritatem, de temporibus ipſis probare. Nam a Conſulatu Chilonis & Libonis, quo Severus ludos ſæculares exhibuit, uſque ad Diocletiani nonum, Maximiani octavum Conſulatum, centum & unus annus elapſi fuerunt. Ac tunc quidem privatus ex Imperatore Diocletianus factus eſt; cujus exemplum Maximianus eſt ſecutus. Verum Conſtantino & Licinio tertium Coſſ. centum & decem annorum tempus integrum aderat, quo jam ludos conſueto more celebrari oportuit. Eo vero non obſervato, ad infelicitatem illam res prolabi neceſſe fuit, quæ hoc tempore nos urget.* Cum itaque Zoſimus Ludorum omnium ſæcularium; qui poſt Auguſtum ſecundum antiquam inſtitutionem celebrari ſuat, mentionem faciat: imo annos memoret, quibus ii peragi debuere, ac nec quidem verbum habeat de ludis ſæcularibus Honorio imperante habitis, licet alterius ordinis non eſſent ab iis; de quibus loquitur: manifeſte liquet, eoſdem celebratos non fuiſſe; alioquin tanto magis de illis ſermonem habuiſſet, quo ſua ætate peracti fuiſſent. Scripſit enim hiſtoriam ſuam Zoſimus poſt annum, Chriſti quadringenteſimum viceſimum quintum, cum citet Olympiodorum, qui hiſtoriam a ſeptimo ejuſdem Honorii Conſulatu ad Placidii Valentiniani imperium, teſte Photio in ſua Bibliotheca, perduxerat. Quare ſi anno quadringenteſimo quarto Honorius, ut vult communis opinio, ludos ſæculares edidiſſet: profecto rem tam a ſe exoptatam ſcribere non prætermiſiſſet Zoſimus: qui contra eoſdem imperante Honorio non fuiſſe actos inſinuat, cum his verbis ſuam narrationem abſolvit: *eo vero non obſervato* (nempe conſueto celebrandorum ludorum ſæcularium more) *ad infelicitatem illam res prolabi neceſſe fuit, quæ hoc tempore nos urget.*

XII. *Zoſimus ſilet de ludis ſæcularibus anni 404. quia non celebrati.*

Baronius anno 249. num. 5. hunc Zoſimi locum eludere conatur ſcribens: *notatur Zoſimi impii, in Chriſtianos infenſiſſimi odium ac invidia, qui mendaciter nimis poſt Severum Imperatorem negat ludos ſæculares amplius inſtauratos; cum conſtet ſub Philippo Imperatore fuiſſe habitos: id Julio Capitolino, antiquis nummis, aliiſque inſcriptionibus: id denique ex noſtris Euſebio & Caſſiodoro aperte teſtantibus. Sed fortaſſe eos tacendos Zoſimus exiſtimavit, quod a Chriſtiano Imperatore cum fuerint celebrati, non more majorum, ut Oroſius teſtari videtur, immolatis ſacrificiis diis, aliiſque gentilitiæ ſuperſtitionis officiis; ſed editione tantum munerum: cætera vero Idololatriæ cultoribus Pontificibus agenda reliquerit. Nam & eadem ratione idem Zoſimus ſequentes tacuit ab Honorio Imperatore celebratos ſæculares ludos, ſexto ſuo Conſulatu, ut Claudianus teſtatur in*

pa-

panegyrico tunc a ſe ſcripto. Sed vana hæc reſponſio. Præterquam enim quod Philippus nondum Chriſtianus erat, quando milleſimum Urbis celebravit, ut alias demonſtrabo; ludi ab eo editi alterius claſſis ac ordinis erant, quam illi, de quibus locutus eſt Zoſimus, quoſque Honorius celebraſſet. Quod ut melius percipiatur, obſervandum; Zoſimum in ea opinione fuiſſe, ut exiſtimarit Rempublicam Romanam nullum detrimentum paſſam fore, quamdiu ludi ſæculares ſecundum traditum a numine ritum, id eſt poſt centum & decem annos ederentur. Quam ob rem ipſum Sibyllæ oraculum integrum recitat, cujus hoc initium.

Aſt ubi mortalis longiſſima venerit ætas
Vitæ centenis denis redeuntibus annis;
Sis Romane memor, nec te ulla oblivia fallant:
Sis memor, ut facias diis immortalibus illa
Rem ſacram in campo, &c.

finis vero:

Itala ſic tellus omnis, telluſque Latina
Æternum tua ſceptra colet, tua juſſa capeſſet.

Quare cum ludi a Philippo exhibiti Urbis centenariis reſponderint, ſeu iis, quos Claudius Imperator octingenteſimo Urbis anno ediderat; non vero antiquæ inſtitutionis ab Auguſto, Domitiano, & Severo obſervatæ: de illis nullam mentionem fecit Zoſimus; ſive quod hanc vim eos non habere putaret: ſive quia præter morem factos ac irregulares crederet. Quod ſi de ludis ſæcularibus a Claudio anno Urbis octingenteſimo celebratis loquatur, qui alterius ordinis non erant, quam qui anno Urbis, milleſimo a Philippo acti ſunt; illud tantum obiter, eoque ſolum fine, ut oſtenderet, cum morem a Domitiano rejectum fuiſſe, & antiquum reſtitutum. Sed cum ludi ſæculares, qui Honorio Imperatori attribuuntur, ejuſdem claſſis ſint, ac ii, quos Zoſimus memorat: profecto ſi celebrati fuiſſent, illos hic auctor non prætermiſiſſet. Blondellus libro contra Primatum Eccleſiæ pag. 1132. & ſequentibus alia via argumentum a Zoſimi ſilentio petitum ſolvere conatur: ait enim, Philippi & Honorii ludos a Zoſimo enumerari non debuiſſe, quod is præcipue reſpiceret ludos poſt centum & decem annos exhibitos: ludi vero, quos Honorium celebraſſe credit, centenarii tantum eſſent, ac ducentis præciſe annis a Severianis diſtarent; ideoque cum non niſi præter morem Severianis ſubrogati fuiſſent, jure a Zoſimo omiſſos. Sed non melior hæc ſolutio. Ex verbis enim Zoſimi a nobis allatis conſtat, eum ad antiquam tantum inſtitutionem attendiſſe: Ludoſque omnes, qui poſt Auguſtum juxta eam celebrati fuere, memoraſſe; ſive ſtato tempore facti fuiſſent; ſive dilati, aut anticipati. Quod manifeſtiſſime liquet, ex eo quod queratur, quod ludi ſæculares tam a Diocletiano, quam a Conſtantino neglecti fuiſſent, quos primus poſt centum annos, alter poſt centum & decem celebraſſet. Zoſimus itaque de ludis ſæcularibus ab Honorio celebratis ſilet, tum initio libri ſecundi, ubi de iis loquendis proprius locus erat: tum libro quinto, ubi res Honorii deſcribit, quia commentitii ſunt, ac doctorum virorum ſomnium.

XIII. *Conjuncti Conſulatus imperio deſtinatis tributi.*

Pagina 72. Continuatus Agrippæ Conſulatus obſervandus venit. Poſt conſtitutum enim ab Auguſto Imperium, duo Conſulatus conjuncti non niſi Principibus re aut deſtinatione attributi: quam in rem Tacitus lib. 1. Annal. cap. 1. ait: *Auguſtus M. Agrippam geminatis Conſulatibus extulit*. Et tamen certum eſt, eundem Agrippam ter Conſulatum ordinarium geſſiſſe. Sed, ut recte Lipſius in notis, ideo id dixit Tacitus, quia poſtremi duo Conſulatus Agrippæ continentes fuere: qui honos raro ea ætate tributus, præterquam iis qui imperabant, aut ad Imperium deſtinabantur, uti Agrippa Auguſti gener.

XIV. *Quindecennalia Proconſularis Tiberii.*

Anno Chriſti 25. Tiberium Imperii Proconſularis Quindecennalia celebraſſe, indicat Tacitus lib. 4. ubi ſub illius anni Conſulibus narrat, Hiſpaniam Ulteriorem, miſſis ad Senatum Legatis oraſſe, *ut exemplo Aſiæ delubrum Tiberio, matrique ejus extrueret*, qui & paulo poſt addit, audita, fuiſſe Lacedæmoniorum & Meſſeniorum legationes de jure templi Dianæ Limenitidis. Segeſta nos ædem Veneris vetuſtate delapſam reſtaurari poſtulaſſe: tractataſque eſſe Maſſilienſium preces. Hæc enim in id genus feſtis haberi ſolita. Neque mirum, quod Tacitus de iis ſolemniis non loquatur; cum ſub præcedentis anni Conſulibus bis tantum verbis Imperii Auguſti Tiberii Decennalia inſinuet: *Cornelio, Cethego, Viſellio, Varrone Coſſ. Pontifices, eorumque exemplo cæteri ſacerdotes, cum pro incolumitate Principis vota ſuſciperent, Neronem quoque & Druſum iiſdem diis commendavere*.

XV. *Caligulæ Conſulatus ordinantur.*

Anno Chriſti 38. tres Caligulæ Imperatoris Conſulatus ordinarii Onuphrius in Faſtis, Calviſius, aliique quidam recentiores hoc modo ordinant. Anno 38. *Caligula II. & Apronianus*. Anno 39. *Julianus & Aſprenas*. Tum duos alios Conſulatus Caligulæ exhibent, ſed perperam. Dio enim in Indice Conſulari, Auctor Chronici Alexandrini, Caſſiodorus in Chronico, Auctor Anonymus, quo Cuſpinianus uſus eſt, cujuſque fragmentum refert Bucherius libro de Doctrina temporum, & fragmentum Conſulare a

Pon-

Pontaco in ſine Chronici Euſebii relatum, annum Chriſti 38. Juliani & Aſprenatis Conſulatu notant; nulluſque ex antiquis Faſtorum conditoribus opinioni Onuphrii favet. Quoad locum Suetonii in Caligula cap. 18. in quo de Caligulæ Conſulatibus loquens ait: *ex omnibus* (nempe consulatibus, *duos noviſſimos conjunxit*, legendum *tres noviſſimos conjunxit*. Duos enim ultimos conjunctos habere non potuit, niſi pariter & duos priores conjunxerit. Quare cum hoc dicat Suetonius, apparet locum illum corruptum eſſe. Affertur & aliud ejuſdem opinionis fundamentum ex Frontino lib. 1. de Aquæductibus deductum, ubi ait: *Cujus Cæſar, altero Imperii ſui anno, M. Aquilio Juliano, P. Nonio Aſprenate Coſſ. anno Urbis conditæ DCCXC. duos ductus inchoavit, quod opus Claudius magnificentiſſime conſummavit, dedicavitque Sullo & Tutiano Coſſ. anno poſt Urbem conditam DCCC. ſexto Kal. Auguſti.* Quare, inquiunt, cum imperante Nerva Frontinus floruerit, & Juliani ac Aſprenatis Conſulatum in annum Chriſti triceſimum nonum contulerit, ejus auctoritas ſcriptoribus ipſa recentioribus anteferenda. At obſervandum, Frontinum Urbem conditam ſupponere anno periodi Julianæ 3963. quare annus Urbis 790. qui ſecundum putationem Varronianam cum anno Chriſti 37. concurrit, ſecundum Frontinum in annum Chriſti, 39. incidit. Quod qui opera Frontini edidere non obſervantes, errores Librariorum, qui in numeris reperiuntur, emendare neſcierunt. Sunt enim ii apud eumdem Auctorem ſæpe mendoſi, ut legenti patebit. Unde hic loco DCCXC. legendum, DCCIXC. Nam alter Imperii Caligulæ annus, Chriſti potius triceſimus octavus, quam triceſimus nonus eſt: cum 38. Chriſti annus correſpondeat novem ejuſdem ſecundi Imperii anni menſibus; 39. vero tribus tantum, iiſque incompletis. Quem locum mendoſum eſſe, alterius Urbis anni a Frontino adhibiti corruptio oſtendit. Loco enim poſt Urbem conditam DCCC. ſcribendum: DCCCIII. Onuphrius quippe lib. 2. Faſt. inſcriptionem refert præfatæ dedicationis tempore factam, quæ ſic habet: TI. CLAUDIUS. DRUSI. FI. CÆSAR. AUGUSTUS. GERMANICUS. PONT. MAXIM. TRIBUNITIA. POTESTATE. XII. COS. V. IMPERATOR. XXVII. PATER. PATRIÆ. AQUAS. CLAUDIAM. EX. FONTIBUS. QUI. VOCABANTUR. CÆRULEOS. ET. CURTIUS. A. MILLIARIO. XXXV. ITEM. ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO. LXII. SUA. IMPENSA. IN. URBEM. PERDUCENDAS. CURAVIT. Eandem inſcriptionem Gruterus pag. 176. & Aldus Manutius de Orthographia pag. 126. referunt: ſed apud hunc perperam legitur: *Tribunitia Poteſtate* XI. Dedicata ea anno Chriſti quinquageſimo ſecundo, quo Claudius Imperator Tribunitiam Poteſtatem XII. die XXIV. Januarii iniit. Quare cum is annus, ſecundum Varronem, Urbis conditæ eſſet DCCCV. ſecundum Frontinum erat DCCCIII. Sicut enim hic Urbis conditum duobus annis tardius conſignat, ita & duos annos minus quam Varro ſemper numerat. Locus itaque Frontini mendoſus, eſt tam quoad annum DCCXC. quam quoad annum DCCC. & eo quo diximus modo corrigendus. Calviſius in opere Chronologico hanc dedicationem anno Chriſti quinquageſimo recitavit multiplici errore: nam Claudius anno tantum ſequenti Conſul V. fuit: deinde Tribunitiam poteſtatem XII. anno duntaxat Chriſti quinquageſimo ſecundo capeſſiit. Denique ſecundum Frontinum, quem Calviſius citat, errore numeri non animadverſo ea dedicatio facta eſſet, anno Chriſti quadrageſimo nono, qui ſecundum Frontinum Urbis eſt DCCC. Sullus porro & Tutianus Conſules tantum ſuffecti fuere, uti obſervat Onuphrius; ſuffectorum enim Conſulum nomina, per hoc ac ſequens ſæculum, in operibus publicis ſæpe leguntur.

XVI. *Quinquennalia Claudii Imp.*

Claudius Imperator quinquennalia anno Chriſti quadrageſimo ſexto edidit. Non enim tantum Euſebius, ſed & Caſſiodorus in Chronico docent, deſcriptionem Romæ eo anno actam, additque Caſſiodorus. *Thracia hucuſque regnum in provinciam redigitur*, quæ horum ſolemnium indicia. Porro Tacitus, qui hanc deſcriptionem in annum Chriſti quadrageſimum octavum differt, ex iis erroris convincitur. Sed quoad *L. Vipſanium*; quem A. Vitellii Collegam in Conſulatu eo anno edit, non alius cenſendus a *L. Poplicola*, quem Dio in Indice Conſulari profitetur.

XVII. *Quinquennalia Imperii Cæſarei Neronis.*

Nero Imperator ſecundum Conſulatum ſumpſiſſe videtur ob Cæſarei Imperii Quinquennalia ſive ea legitimo tempore ediderit, ſive diſtulerit; alii enim ejus Conſulatus ob hujuſmodi ſolemnia ſuſcepti; tertius propter Imperii Auguſtei quinquennalia; quartus propter Imperii Cæſarei Decennalia.

Hæc tamen anno Chriſti ſexageſimo primo celebrata eſſe deducitur ex Suetonio in Nerone cap. 12. ubi quinquennalis certaminis inſtitutione narrata ait: *dedicatiſque Thermis, atque Gymnaſio, Senatui quoque & Equiti oleum præbuit.* Pluribus a nobis exemplis oſtenſum, Thermas in Decennalibus & id genus feſtis & conſtructas & dedicatas fuiſſe, docetque Euſebius ut pag. 74. diximus, eas Thermas a Nerone, anno Chriſti ſexageſimo primo ædificatas fuiſſe. Verum quidem eſt, Caſſiodorum earum conditum in annum ſexageſimum quartum ejuſdem Eræ differre, ſed non videtur dubitandum, quin eo anno dedicatæ non vero conſtructæ fuerint, ipſeque unum pro alio uſurparit. Quoad Gymna-

Digitized by Google

paſiam, de quo idem Suetonius, docet Tacitus, lib. 14. dedicatum illud fuiſſe, *Cæſonio Pæto, & C. Petronio Turpiliano Coſſ.* Id eſt, anno Chriſti 61. ubi obiter obſervabis, C. Petronium Sabinum, ut a Dione vocatur, dictam etiam fuiſſe Sabinum Turpilianum, ut Onuphrius oſtendit.

XVIII. *Quo anno Nero e Græcia redux.* Anno Chriſti 68. Quindecennalia Auguſtei Imperii celebrare decreverat Nero. Annus enim ejus decimus quintus die 13. Octobris inchoari debebat. Hoc colligo ex excerptis Dionis a Valeſio in lucem editis pag. 695. ubi ait, Neronem e Græcia reducem, certamen Gymnicum Neapoli ſpectantem, cum de Vindicis motu certior factus eſſet, nequaquam id moleſte tuliſſe, ſed luxui ac deliciis nihilominus vacaſſe, additque: *Et templum Sabinæ quod tunc forte abſolutum erat, magnificis ornatum donariis dedicavit, hocce titulo faſtigiis templi inſcripto: SABINÆ DEÆ VENERI MATRONÆ FECERUNT*. Quia nempe ex pecunia, quam eis eripuit, hoc templum Nero ædificaverat. Ex quo confirmatur quod pag 14. diximus, Imperatorem hunc anno Chriſti 68. non vero præcedenti, e Græcia in Occidentem rediiſſe, falſamque eſſe communem ſententiam, quæ SS. Apoſtolos Petrum & Paulum anno Chriſti 67. a Nerone morti traditos docet, tunc enim is adhuc in Græcia erat, e qua non niſi anno ſequenti reverſus eſt, idque menſe Martio, ut alibi explicamus: liquet etiam Conſulatum quintum Neronis, qui ſuffectus tantum fuit, non alio quam 68. Chriſti anno aſſumptum fuiſſe.

XIX. *Dies emortualis Galbæ, Othonis, & Vitellii.* Anno Chriſti 69. dies emortuales Imperatorum Galbæ, Othonis, & Vitellii ab Hiſtoricis hiſtoriæ Auguſtæ prætermiſſos, & a recentibus Chronologis perperam conſignatos e tenebris eruimus. Tentaverat id ante nos Scaliger lib. 5. de emendat. Temp. pag. 472. ubi tandem his verbis concludit: *Ex his quæ jam diſputavimus, nihil de iſtis tribus Imperatoribus colligere poſſumus præter argumenta, quæ incerta eorum Imperatorum initia & vacillantes Scriptorum ſententias magis prodant, quam explicent*. Sed Galbam, die decima quinta Januarii Othonem die decima ſexta Aprilis, Vitellium die vigeſima prima Decembris neci traditos, apud me certum. Nam Dio lib. 64. & Suetonius lib. 7. cap. 18. tradunt, Galbam cum in Capitolium proficiſceretur ſacrificandi cauſa, occiſum fuiſſe, poſtquam *ſacrificantem mane Aruſpex identidem* monuiſſet, *caveret periculum*. Tacitus porro Lib. primo Hiſtoriæ ait: XVIII. *Kalend. Febr. ſacrificanti, (nempe Galbæ, Aruſpex Umbricius, triſtia exta, & inſtantes inſidias, ac domeſticum hoſtem prædicit*. Et poſtea quomodo occiſus Galba fuerit, narrat. Onuphrius lib. 2. Faſt. legit XVII. *Kal. Febr.* ſed contra omnium manuſcriptorum & impreſſorum Codicum fidem. Eo itaque Kal. die, qui cum decima quinta Januarii convenit, Galba peremptus. Præterea Suetonius loco laudato ſcribit, Piſonem a Galba adoptatum, *intra ſextum adoptionis diem periiſſe*. Peracta ea adoptio, ut habet, Tacitus citatus, *quarto Idus Janu.* die nempe Januarii decima. Ideoque die decima quinta Galba & Piſo trucidati. Denique idem Tacitus ait: *Nec aliud ſequens quatriduo (quod medium inter adoptionem & cædem fuit) dictum a Piſone in publicum factumve*. Quare dies decima Januarii Piſonis natalis, dies decima quinta emortualis, fuit, quemadmodum & Galbæ. Othonem vero die decima ſexta Aprilis denatum eſſe oſtendit Dio lib. 64. ubi ait, eum regnaſſe *dies nonaginta*; vixiſſeque *annos triginta ſeptem, detractis diebus undecim*. Natus erat Otho ut habet Suetonius in Othone cap. 2. *quarto Kalendas Maii Camillo Aruntio, Domitio Ænobarbo Coſſ.* id eſt, die viceſima octava menſis Aprilis anni Chriſti trigeſimi ſecundi, quo ut docet Sueton. in Vitellio cap. 2. Aulo Vitellio in Conſulatu demortuo Camillus Aruntius ſuffectus eſt. Anno igitur Chriſti ſexageſimo, nono, dieque vigeſima ſeptima Aprilis Otho annos XXXVII. abſolviſſet, deme ex eo numero dies undecim, habebis diem decimum ſextum Aprilis, qui ideo emortualis Othoni fuit. Quando autem Dio tradit, Othonem imperaſſe *dies nonaginta* utrumque extremum terminum, ut ſolet excludit, confirmatque quod diximus, mortuum eum decima ſexta die Aprilis. Vitellius denique die viceſima prima Decembris peremptus eſt. Teſtatur enim Dio lib. 64. imperaſſe eum *annum unum, decem diebus exceptis*. Kalendis Januarii dictus fuerat Imperator a Superioris Germaniæ exercitu, ut docet Suetonius: quamobrem Dio diem mortis ab eo numero excludit. Hæc ab iis, quæ in Faſtis ordinandis diximus, corroborata huic controverſiæ finem imponere debent, ex iiſque corrigendi Clemens Alexandrinus, Theophilus Antiochenus, aliique apud quos numeri corrupti.

Octavus Veſpaſiani Conſulatus quem anno 77. Eræ Chriſtianæ Tito VI. & Domitiano ſuffecto VI. Collegis geſſit, diu animum meum excruciavit: neque enim eum niſi juxta Regulas ſuſceptum exiſtimabam. Tandem Veſpaſianum propter Decennalia Imperii Cæſarei filiorum, dignitatem hanc ſumpſiſſe inveni: quæ & ideo ab utroque Cæſare anno uno anticipata fuere. Id deduco ex eo quod Cajus Plinius Secundus libros ſuos naturalis Hiſtoriæ dedicat Tito *Imperatori* (eo enim nomine Imperii Collegæ exornabantur) *ſextum Conſuli*. Annis enim quibus id genus ſolemnia peracta, Scriptores Opera in lucem edere conſueviſſe pluribus exemplis infra conſtabit. Hæc itaque XX. *Conſe. octavi Conſulatus Veſpaſiani*

Octavi Veſpaſiani Conſulatus cauſa, ideoque juxta III. Regulam ſuſceptus.

XXI. *In Quindecennalibus Domitiani perſecutio aucta.*

Anno Chriſti 95. diximus, Domitianum XVII. Collega Flavio Clemente, Conſulem, Imperii Auguſtei Quindecennalia celebraſſe. Illud egregie ex Euſebio in lib. 3. Hiſt. cap. 18. confirmatur: *Porro*, inquit Euſebius, *his ipſis temporibus doctrina Fidei noſtræ tantopere florebat, ut Scriptores etiam a religione noſtra alieniſſimi, & perſecutionem & martyria noſtrorum monumentis ſatis tradere* non *dubitaverint. Qui quidem etiam tempus ipſum perſecutionis accurate notarunt. Scribunt enim, anno principatus Domitiani quinto decimo, Flaviam Domitillam Flavii Clementis ejus, qui tunc temporis Romæ Conſul fuit; ex ſorore neptem, una cum aliis pluribus, ob confeſſionem Chriſti, in inſulam Pontiam fuiſſe deportatam.* Perſecutio itaque Quindecennalium Domitiani Auguſti occaſione aucta.

XXII. *Ælia aut condita aut dedicata in Vicennalibus Hadriani.*

Anno Chriſti 136. diximus, Hadrianum Vicennalia celebraſſe, horumque ſolemnium indicium eſſe, quod Ælia juxta Euſebium eo anno condita fuerit. Pluribus tamen contendit Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis, ante bellum Judaicum, quod *anno octavo decimo Imperii Hadriani*, finem accepit, ut ait idem Euſebius lib 4. cap. 6. eam urbem conditam fuiſſe. Sed quidquid ſit, ſi illa non eo *anno* condita, ſaltem dedicata fuit; ſolent enim antiqui Scriptores, annum conditus & dedicationis urbium aliquando confundere.

XXIII. *An Ælius dictus fuerit Imperator.*

Anno 137. L. Ælius Verus Cæſar Conſul ordinarius fuit. Aldus Manutius libro de Orthographia pag. 437. *a*ſſert antiquam aræ dedicationem ex ruinis Salonæ urbis Dalmatiæ j*a*m diu erutam, quam dicit, Joannem Baptiſtam Rhamnuſium e mutilo lapide reſtituiſſe: In ea hujus anni Conſules hoc modo exprimuntur: L. Aelio. Cæsare. Imp. P. Coelio. P. Fr. ſed valde dubito, ne Imperatoris nomen perperam intruſum ſit. Neque enim Cæſarum, qui Imperatoris nomen geſſerunt, Conſulatus cum Imperatoris nomine exprimi ſolet. Ac præterea Lucius Ælius Proconſulari Imperio donatus non fuit, ut Imperatoris nomen tulerit. Saltem *a*nte ſecundam Imperii Romani adminiſtrationis formam non inveni eos, qui tantum Cæſares *e*rant, uti Lucius Ælius, Imperatorio nomine cohoneſtatos fuiſſe; niſi forte Imperator, Ælius dictus ſit, quod decreviſſet Hadrianus Collegam Imperii eum creare, niſi fato functus eſſet.

XXIV. *Tricennalia Conſtantini M.*

Conſtantius & Albinus, qui *a*nno Chriſti 335. Faſtis nomen dedere, memorantur in epiſtola, quam durante Concilio Tyri eo anno habito, Presbyteri ac Diaconi Mareotici dederunt. Scripta quippe eſt, *Conſulibus Julio Conſtantio illuſtriſſimo Patricio, Fratre Religioſiſſimi Conſtantini Auguſti, & Rufino Albino, clariſſimis, & Deo gratiſſimis viris.* Quare errat Onuphrius in Faſtis ubi ſcribit: Conſtantium Conſtantini Imperatoris fratris filium fuiſſe. Conſtantio Conſule, Conſtantinus Imperator Tricennalia celebravit: idque Conſtantinopoli, ut docet Euſebius lib. 4. vitæ Conſtantini cap. 46. ubi poſtquam cap. ſuperiori narravit, ſe variis ſermonibus Encæniorum Baſilicæ Hieroſolymitanæ a Conſtantino in Decennalibus ſuis conſtructæ ſolemnitatem decoraſſe, dicit, paulo poſt, e Hieroſolyma profectum ſe eſſe Conſtantinopolim, & orationem in Tricennalibus Conſtantini coram eodem Imperatore recitaſſe. Celebrata ea Tricennali*a* die 25. Julii, qui Natalis erat Conſtantini. Horum ſolemnium plur*a* indicia ſunt, Concilium Tyri, nuncupatio Dalmatii Cæſaris, & Encænia Baſilicæ Hieroſolymitanæ, quæ die decima terti*a* Septembris peracta eſt, ut ex oratione ſancti Sophronii Hieroſolymitani Epiſcopi in Exaltationem S. Crucis itemque ex typico S. Sabæ, & ex Menæis, *a*c Synax*a*riis paſſim omnibus conſtat. In mentem venit, inveſtigare *a*n hoc & ſequenti ſæculo quibus Eccleſiarum dedicationes tanta pompa fiebant, peragerentur die Dominic*a*: comperique illum diem in iis ſolemnitatibus *m*inime obſervatum fuiſſe. Anno enim 335. dies 13. Septembris cum S*a*bbato concurrebat. Notatur quippe Cyclo ſolis 8. litera Dominicali E. Idem patet ex aliis dedicationibus in Rationario Faſtorum videndis. Imo nec ſanctarum Reliquiarum tranſlationes feria prima fieri ſolebant, ut ex*a*minanti liquebit. Ex die porro, quo Tricennalia *a* Conſtantino celebrata, detego tempus, quo Concilium Tyri habitum eſt; ipſo nempe Auguſti menſis initio. Cum enim eidem Euſebius Cæſarienſis, ut docet Epiphanius hæreſi 68. interfuerit, citius illuc proficiſci non potuit. Unde recte Socrates lib. 1. cap. 38. ubi dixit, Conſtantinum Synodum Tyri congregari juſſiſſe, addit: *triceſimus hic erat annus Imperii Conſtantini*, die nempe 25. Julii inchoatus. Tyro Euſebius cum aliis Epiſcopis Hieroſolymam profectus eſt ineunte Septembri, dieque 13. ejuſdem menſis dedicationi Eccleſiæ S. Salvatoris interfuit. Ex quibus liquet, Concilium illud *ante* Tricennalia Conſtantini inchoatum non fuiſſe. Non prætermittendus hic error Gothofredi in Chronologia Codicis Theodoſiani, qui ait, anno Chriſti 335. Conſtantinum Magnum menſe Auguſto in Myſia Viminacii egiſſe, ubi data ab eo lex, quæ his verbis clauditur: *prid. non. Aug. Dat. Viminacio*. Ea eſt lex 21. *de Decurionibus*. Sed cum Conſtantinus die viceſima quinta Julii Conſtantinopoli fuerit; ibique per aliquot dies, ob Tricennaliorum ſolemnitatem, commorari neceſſe habuerit: fieri non potuit, ut die

Quo anni tempore Concilium Tyri celebratum.

Digitized by Google

die quarta Auguſti, Viminacii, quæ urbs eſt ad Danubium in Servia ſita, fuerit. Nimia enim inter Conſtantinopolim & Viminacium diſtantia, quam ut intra tam paucos dies ex una urbe in alteram perveniri poſſit. *Dat.* itaque eo in loco accipi debet pro *Redd.* id eſt, *Reddita*. Ex quibus intelligis, ſubſcriptiones legum Codicis Theodoſiani facile lectores in errorem inducere poſſe.

XXV. *An Baſilica dedicata in Oriente, quando Decennalia in Occidente acta?* Tricennaliorum Conſtantini M. occaſione proponendam placet dubium quod naſci poteſt ex iis, quæ de ejus Decennalibus agens parte ſecunda cap. 3. n. 13. ſcripſi; celebrem nempe Baſilicæ Tyri dedicationem, de qua Euſebius, factam eſſe vel in Decennalibus Licinii, qui tunc Chriſtianis favebat; vel in Decennalibus Conſtantini M. Paulinus enim Antiſtes Tyri in dedicatione pro concione tum Conſtantinum, tum Licinium concelebravit: *adeo ut*, inquit, *quod nunquam antea contigerat, ſummi Imperatores honoris illius, quem Dei beneficio acceperunt, ſibi conſcii, jam in mortuorum ſimulacrorum faciem conſpuant, & profanos Dæmonum ritus conculcent: ac vetuſtum errorem a majoribus traditum irrideant, &c.* Ex eo, inquam dubio aliud oritur, an ſcilicet in Oriente dedicata ſint Templa, Reliquiæ tranſlatæ, aliaque id genus acta iis annis, quibus Imperatores Occidentales Decennalia & hujuſmodi feſtivitates exhibebant; & vice verſa in Occidente? Id quidem in decurſu operis factum fuiſſe, dixi, dum in aliquas dedicationes, incidi, quæ niſi præter morem celebratæ eſſent, aliam cauſam non habuiſſe tunc mihi viſæ ſunt. Fateor tamen, me nihil certi adhuc ea in re detexiſſe, & tantum ex conjectura locutum: proceſſu temporis res illa e tenebris erui poterit; quod hic ſignificandum duxi, ut ſciat Lector quæ certa, & quæ incerta haberi debeant. Interim falſi ſunt viri doctiſſimi, qui ſcripſere, præfatam Baſilicæ Tyri dedicationem peractam eſſe anno Chriſti trecenteſimo decimo quarto, ſtatim poſt datam a Conſtantino M. Eccleſiæ pacem. Non enim dubitandum, quin, ſicut Gentiles templa Diis ſuis dedicabant annis, quibus Decennalia & id genus feſta edebantur: ſic Chriſtiani idem præſtiterint in principio, ubi ſibi permiſſum, cum illud poſtea in frequenti more poſitum fuerit.

XXVI. *S. Paulinus Conſul tantum honorarius fuit.* Annus Chriſti 325. notatus fuit hac formula. *Poſt Conſulatum Gratiani Aug. III. & Equitii*. Ita enim Idacius in Chron. Caſſiodorus, & alii. Neque alia temporis nota leges Codicis Theodoſiani hoc anno datæ conſignantur. Baronius tamen eo anno num. 1. & anno 394. num. 82. dicit, videri illum annum S. Paulino poſtea Nolæ Epiſcopo, Conſuli ordinario aſſignari poſſe, quod Auſonius, qui Conſul ordinarius fuerat Epiſt. 20. ad eundem Paulinum ſcribat,

Apparatus in Baronium
Paulino Auſonius: metrum ſic ſuaſit, ut eſſes
Tu prior, & nomen prægrederere meum.
Quamquam & Faſtorum titulo prior, & tua Romæ
præceſſit noſtrum ſella curulis ebur.

Sed cum nullis in Faſtis inſcriptum Paulini nomen appareat, neque Severus, neque Uranius, neque Ambroſius, neque Hieronymus, neque Auguſtinus, aut aliorum veterum quiſquam Paulini Conſulatus uſpiam meminerit: quod alioquin minime prætermiſſuri videbantur, cum illius in abjiciendis opibus, omnique ſæculi faſtu ſtupendam animi excelſitatem prædicarent, recte inde Petrus Franciſcus Chiffletius in Paulino illuſtrato parte 2. cap. 2. deducit, Conſulatum illum ordinarium Paulini ſuppoſititium eſſe ac commentitium. Quod enim Auſonius Paulino Trabeam & Sellam curulem epiſt. 25. ad Paulinum ac Faſtos epiſt. 20. ad eundem tribuat, id rem non evincit. Fuit enim Trabea etiam Senatorum & aliorum Nobilium Romanorum, præſertim Paulini ævo: & præter Conſules, alii fuerunt curules Magiſtratus, Cenſores Prætores Urbani, & Ædiles curules, quibus jus erat Sellæ curulis; & Faſtis non Conſulum modo, ſed & aliorum Magiſtratuum annalium nomina inſcribebantur. Geſſiſſe tamen Conſulatum, non autem aliam dignitatem hujuſmodi inſignibus decorari ſolitam, Paulinum, oſtendit ipſe Auſonius, cum ait ſeipſo Conſule Paulinum *Faſtorum titulo* priorem fuiſſe. Eſt enim Auſonii comparatio inter æquales, licet diverſi generis. Sed Paulinum Conſulem ſuffectum fuiſſe, quod ſcribit ibidem Chiffletius: minime exiſtimandum. Per hæc enim tempora, quibus Conſules honorarii, non vero ſuffecti in uſu erant.

Anno 381. *Flavius Eucherius, & Flavius Syagrius*: anno vero ſequenti, *Antonius & Afrianus Syagrius* Conſules ordinarii fuere. XXVII. *Conſules anni 381. & 382.* Quod patet, non tantum ex variis Faſtorum conditoribus; ſed etiam ex pluribus legibus utroque anno emiſſis, ut videre eſt in Codice Theodoſiano. In utroque tamen Conſulatu multipliciter erratum eſſe. Primum a Socrate lib. 5. cap. 20. Marcellino in Chronico, ac Proſpero in Chronico ſecundum editionem Pontaci, aliiſque quibuſdam. Eucherium enim, ac Evagrium Conſules profitentur, Evagrii loco *Syagrii* nomine mendoſe edito. In Teſtamento D. Gregorii Nazianzeni a Baronio relato anno 389. num. xxiv. uterque Conſul dicitur *Flavius*. Sed in editione ejuſdem teſtamenti, quam correctiorem dedit Daniel Papebrocius in vita ejuſdem Sancti die nona Maii cap. 14. perperam ſcriptum eſt. *Flavius Evagrius*. Secundo a Baronio in Annalibus, Calviſio in opere Chronologico, & Gothofredo in Proſographia Codicis Theodoſiani, qui priorem

Syagrium cum poſteriori confundunt: quaſi idem Syagrius bis Conſul duobus annis conjunctis proceſſerit. Quem in errorem nos induxit Onuphrius, qui ſcribit, Auctorem Chronici Alexandrini & Caſſiodorum anno 382. Syagrium cum numerali nota efferre. Quod quidem de Auctore Chronici Alexandrini verum, ſed de Caſſiodoro falſum. Sed alii Faſtorum Scriptores, & leges Codicis Theodoſiani in eo anno datæ Syagrium ſina iterationis nota edunt. Præterea Syagrios, qui Antonio Collega Conſul fuit, Afranius vocabatur, ut nos docet Sidonius in libri primi epiſtola ſexta. Tertio erratum ab eodem Onuphrio & a Calviſio, qui Syagrium hunc perperam poſtremum vocant. Solet enim Onuphrius, ut a Sirmondo in Notis ad laudatum Sidonii locum obſervatum, nomina, quæ ſemel in uno quopiam conjuncta invenerit, in omnibus, quos eorum aliquo affectos videt, copulare. Neque etiam verum eſt, quod idem Onuphrius ſcribit, Syagrium, qui Præfectus Prætorio fuit, ut videre eſt apud Gothofredum in Proſographia verbo *Syagrius*, vocatum fuiſſe poſthumum, ut ibidem oſtendit Sirmondus. Denique peccatum ab eodem Onuphrio, qui ex eo quod in Inſcriptione quam refert, legatur: *Fl. Annius Eucharius Epiphanius Præfect. Urbi*, *&c.* perperam deducit, Eucherium dictum etiam fuiſſe Eucharium & Epiphanium. Et quia ea Inſcriptio Romæ extat, eum fuiſſe Conſulem Occidentalem. Eucherius enim, qui anno 381. Conſul fuit, alius eſt ab Euchario Epiphanio etiam dicto, annoque Chriſti 412. Urbi Præfecto, & ab Euchario, qui eodem anno 412. Proconſul Africæ fuit, ut videre eſt in Chronologia Codicis Theodoſiani, ejuſque Proſographia, in quibus eo anno 412. aliquæ leges Euchario Proconſuli Africæ, aliquæ Epiphanio Præfecto Urbi inſcribuntur. Quare Gothofredus laudatus Epiphanium, Eucharium & Eucherium recte diſtinxit.

XXVIII. *Vtraque Honorii Imp. Quinquennalia rectius conſtituta.* Pag. 97. diximus, Honorium Imperatorem Quinquennalia Imperii vivente patre initi ediliſſe, anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo octavo, anno vero quadringenteſimo Quinquennalia Imperii poſt patris mortem ſuſcepti celebraſſe: re tamen magis examinata, comperimus, priora Quinquennalia in annum 399. dilata fuiſſe: eo enim anno, multa eorum indicia extant in Codice Theodoſiano, *l.* 17. *de Paganis*, Paganorum feſtos conventus, voluptatum editiones feſta convivia, profanis tantum ritibus prohibitis, per publica vota conceſſit per Africam Honorius. D. Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei cap. ult. ſcribit, Theodoro Conſule, præfato nempe anno, Gaudentium & Jovium Comites in Africa Carthagine Deorum templa ſubvertiſſe; & ſimulacra fregiſſe Honorii juſſu, XIV. Kal. Aprilis. Præterea quinto Kalendas Maias celebratum eſt quintum Concilium Carthaginienſe, ubi legationem ſuſceperunt Epigonius & Vincentius ad Honorium Imperatorem, ut pro confugientibus ad Eccleſiam reſcriptum impetrarent. Quæ legationes hujuſmodi ſolemnium annis fieri conſueverant. Plura ſuppeditabit Chronologia Codicis Theodoſiani eo anno. Poſteriora vero Honorii Quinquennalia anno quadringenteſimo exhibita fuiſſe, multa indicant. Primum Conſulatus Stiliconis Imperatoris ſoceri, ſecundo hiſtoria Eccleſiaſtica Sulpicii Severi, quæ in Stiliconis Conſulatu deſinit. Concilium quintum Carthaginienſe *die ſexta Kalendarum Junii* Carthagine habitum, quod eo anno, non vero 399. Congregatum fuiſſe, docte oſtendit Schelſtratius differt. 3. de Eccleſia Africana, cap. 9. qua de re idem Auctor legendus. Videndus etiam Gothofredus hoc anno, in Chronologia Codicis Theodoſiani, ubi plures leges horum Solemnium notæ recitantur. Sic etiam Eutropii, cui totam Imperii Orientalis adminiſtrationem Arcadius Imperator tradiderat, Conſulatus Kalendis Januarii anni trecenteſimi nonageſimi noni initus character eſt Quinquennaliorum Arcadii poſt Theodoſii M. patris mortem imperantis eo anno celebratorum.

XXIX. *Quo anno Joannes tyrannidem arripuerit.* Anno 424. loquuti ſumus de Joanne Tyranno, qui anno antecedenti, mortuo Honorio Auguſto, Imperium Occidentale arripuit: Ille in prælio captus, *dextra manu prius amputata. Poſtea etiam capite truncatus eſt, cum per unum ac dimidium annum tyrannidem exercuiſſet*, inquit Philoſtorgius in fine libri 12. Quare ea mors non anno 424. ſed ſequenti contigit. Marcellinus hanc invaſionem perperam conſignat anno 424. rectius Proſper anno 425. oppreſſum ſcribit, ac poſt Honorii obitum, imperium invaſiſſe anno nempe 423.

XXX. *Annus mortis Gallæ Placidiæ.* Quoad Galliam Placidiam, de qua eodem anno egimus, obiit ea Romæ, ut teſtis eſt Idacius in Chronico, non quidem anno 451. ut ille ait, ſed anno 450. *quinto Kalend. Decemb.* ut docet Proſper in Chronico auctiori, quod quantum ad annum, repetit in Chronico Imperiali. Baronius anno 425. num. IV. nummum exhibet, in cujus altera parte Valentinianus Auguſtus repræſentatur cum his verbis circum, DN. PLACIDUS VALENTINIANUS P.F. AUG. dextra volumen, ut creditur, Evangelii, ſiniſtra ſuper globum, geminam crucem, margaritis ornatus tenens. In antica parte conſpicitur Galla Placidia Auguſta ejus mater; dextera erigens, quæ oppreſſa a Joanne Tyranno jacebat, Italiam, ſiniſtra vero gemmatam crucem geſtans, cujus potentia Occidentale Imperium abſque ullo ferme negotio accepiſſet. Ita Baronius, qui addit, nummum illum eo anno cuſum. Sed

res

res longe aliter ſe habet; cuſus enim fuit io Tricennalibus Valentioiani & Gallæ ejus matris, eum circa effigiem Placidiæ legatur: VOTIS XXX. MULT. XXXX. Ex quibus colligitur, ea ſolemnia eodem tempore a matre & filio celebrata. Alibi enim diximus io nummis Imperatorum Chriſtianorum, annis quibus ea ſolemnia edita percuſſis, ſæpe repræſentatam fuiſſe duplicem Crucem ſupra globum, ut eamdem de Orbe triumphaſſe ſignificarent Imperatores.

XXXI. *Initium Epiſcopatus Lupi & Sidonii Quinquennaliorum ope detectum.*

Anno 428. Valentinianum tertium Cæſarei Imperii Quinquennalia celebraſſe, indicat *l. ultima de tyronibus*, quæ lib. 7. Codicis Theodoſiani titulo 13. legitur, qua Proconſularis Africæ Sacerdotes a tyronum præſtatione declarantur immunes. Horum Quinquennalium beneficio ioitia præſulatus duorum Sanctorum Epiſcoporum, Lupi nempe Trecenſis, & Sidonii Apollinaris Arvernenſis, hactenus ignota detexi. Auctor Vitæ S. Lupi apud Suriom XXX. Julii ait, Lupum cum in Inſula Lerinenſi annum unum egiſſet, *ad Trecenſem Epiſcopatum raptum eſſe: exinde biennio exacto, Germanum comitatam ia expeditione Britannica*. Obita ea S. Germani Legatio anno Chriſti quadringenteſimo vigeſimo nono, ut docet Proſper in Chronico. Unde recentiores cum Baronio anno 472. uum. XIV. Lupum anno 427. ſedere cœpiſſe, unanimi conſenſu deducunt. At cos falli, modus numerandi annos Lupi a Sidonio Apollinari uſurpatus, manifeſte oſtendit. In Epiſtola euim prima ad Lupum libri ſexti legitur: *cum primu poſt deſudatas militiæ Lerinenſis excubias, & ia Apoſtolica ſede novem jam decurſa quinquennia, utriaſque ſanctorum ordinis quemdam te conclamotiſſimum primipilarem ſpiritualia caſtra veuereatur, &c.* Scripta ea epiſtola a Sidonio, poſtquam Epiſcopus Arveruenſis creatus eſt, anno nempe Chriſti 473. a quo, ſi novem quinquennia, quæ annos XXXXV. conficiuut, retrocedendo nomeres, perveuies ad præfatum Chriſti annum quadringenteſimum viceſimum octavum, Valentioiani Tertii Quinquennalibus addictum. Neque dubitandum, quin ad ea reſpexerit Sidonius, cum prætex morem, Epiſcopatus annos per quinquennia numeret. Perſtat in eodem loquendi modo lib. 9. epiſtola undecima, ubi de eodem Lupo loquens ait: *jam per quinquennia decem nou aquævis Sacerdotibus tantum, verum & antiquis, quoties collatus, antelatuſque ſis, &c.* Alludit itaque Sidouius ad Valentiuiani Quinquennalia; ideoque & ea anno 428. peracta, eodemque Lupus ad Eccleſiam Trecenſem promotus. Neque refert, quod S. Lupi vitæ Auctor his verbis utatur; *exactu biennio*. Nam tam Græcos, quam Latinos Auctores bienniom incœptum tranſactum vocare, plutibus exemplis alias demouſtrabo, & in hac diſſertatione aliqua me retuliſſe memini.

XXXII. *Præcedens doctrina confirmatur.*

Porro novem ea quinquennia integra eſſe oumeranda; ideoque priorem præfatam Sidonii epiſtolam ſcriptam eſſe anno 473. nou vero antecedenti, ut Baronius loco laudato putabat, omneſque ſibi perſuaſere, colligo, ex aliis ejuſdem Sidonii verbis. Is lib. 9. epiſt. 12. Oreſio ſcribens Pontificatus ſuimet annos per Olympiadas numerat, aitque: *poſtquam in ſileatio decurri tres Olympiadas*. Annos duodecim tres Olympiades reddunt. Quare tot annos jam Epiſcopus fuerat Sidonius, quando, hanc ad Oreſium epiſtolam ſcripſit, ineuuteque aliqua Olympiade, Antiſtes reouneiatus fuerat. Alioquin eo loquendi modo ſibi inuſitato non uteretur. Cum itaque anno Chriſti 463. Olympias trecenteſima decima tertia cœperit, eo anno dictus eſt Epiſcopus Sidonius, eaque ad Oreſium epiſtola non anno 484. ut eo anno num. 136. Baronius autumat, ſed ſequenti data eſt. Si enim Sidonius anno 472. Eccleſiæ Arvernenſis regimen accepiſſet, numquam annos Præſulatus ſui per integras Olympiadas numerare potuiſſet. Ex quibus intelligis, quantum Quiuquennaliorum & id genus feſtorum notitia ad tem Chronologicam conferat, cum eorum ope loca difficillima, clariſſima reddantur, graviſſimique nodi quibus vix alio medio te extricaveris, ſolvantur.

XXXIII. *Libri in Decennalibus Imp. publicari ſoliti.*

Solitos fuiſſe Scriptores opera ſua aut terminare, aut publicare in Imperatorum Quinquennalibus & id genus feſtis, ab iiſque eadem incipere, in hac Diſſertatione obſervavimus. Juvat modo illud aliquot illuſtribus exemplis demonſtrate. Tam Hiſtoria Eccleſiaſtica, quam Chronologici Canones Euſebii, anno treceuteſimo viceſimo quinto, quo Conſtantiuus Nicomediæ Vicennalia celebravit, finiuntur. Socrates & Sozomenus, qui Euſebii hiſtoriam continuarunt, ſuas abſolvuut, ſeptimo decimo Couſulatu Theodoſii Junioris, uti de ea, quam ſcripſit, teſtatur Socrates in illius calce. Cadit is Conſulatus in annum 439. quo idem Theodoſius octava Quinquennalia imperii vivente patre initi edidit. Theodoretus in fine hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ ait: *quinque ac centum aunorum, ſpatiu, res geſtas hæc hiſtoria complectitur: ab Ario quidem veſania duceas exordium; deſinens vero in obitu præſtantiſſimorum virorum, Theodori atque Theodoſi*. Baronius anno 427. num. XXV. & Valeſius io calce Notarum ad Theodoretum, plurimum ſe torqueut, ut a quo anno initium duxerit, & io quo deſierit Theodoretus, iuvenire poſſint. Baronius horum annorum quinque ſupra centum, ioitium deducit ab anno Chriſti 323. finem vero credit, annum Chriſti 427. Valeſius exiſtimat, aono ſequenti eam hiſtoriam terminari. Cæteri Scriptores

vel a Baronio, vel a Valeſio ſtant. Sed ex centum & quinque annis, quos Theodoretus Hiſtoriam ſuam compleſti dicit, ſubodorari promptum erat, eum ab aliquibus Quinquennalibus aut Decennalibus, aut id genus feſtis, hiſtoriam ſuam & incœpiſſe & abſolviſſe; cum numerus ille, XXI. quinquennia conficiat. Quod quantum ad ejas initium, nos docet Gennadias in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ubi de eodem Theodoreto loquens dicit, Incœpiſſe eum *a fine librorum Euſebii, id eſt a Vicennalibus Conſtantini*. Imo & ipſe Theodoretus, qui capite primo libri primi ſuæ hiſtoriæ, inquit: *& Euſebius quidem Palæſtinus a Sanctiſſimorum Apoſtolorum temporibus exorſus, res in Eccleſiis geſtas uſque ad Deo acceptum Conſtantini principatum, perſcripſit: ego vero a fine hiſtoriæ illius initium operis mei ſumam: ubi* Græcum habet ... μέχρι τῆς Κωνςαντίνυ θεοφιλοῦς βασιλείας id eſt, uſque ad monarchiam Conſtantini: alioquin Hiſtoriam ab anno 306. quo Conſtantinus regnare cœpit, Theodoretus inciperet, quod nullas dixerit. Optime itaque Gennadius Theodoretum intellexit, quando ſcripſit, eum a Vicennalibus Conſtantini, Hiſtoriam ſuam exorſum, id eſt, ab anno 325. quo monarchia Conſtantini inchoata eſt; qui locas egregius eſt ad confutandam communem ſententiam quæ eam anno 324. inchoatam credit. Si igitur anno Chriſti 325. addas centam ac quinque, pervenies ad annum 430. qui Theodoreti Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ meta & terminus eſt, quove Theodoſius Imperator, Imperii vivente patre ſuſcepti Tricennalia celebravit. Res tamen anno 430. geſtas Theodoretus non attigit, Euſebii, quem continuat, exemplo, qui rerum anno viceſimo Conſtantini Magni, actarum, nullam neque in Chronico, neqae in Hiſtoria mentionem facit. Quod a Theodoreto eo majori ratione præſtitum, quod Tricennalia Theodoſii, menſe Januario anai 430. celebrata ſunt.

XXXIV. *Ex initio Epiſcopatus Joannis Antiocheni deducitur annus, in quo deſinit hiſtoria Theodoreti.*

Cum vero Theodoretus in obitu Theodori Mopſueſtiæ, & Theodoti Antiochiæ Epiſcoporum ſe hiſtoriam ſuam abſolvere in ejus calce ſcribat: liquet, erratum eſſe a viris doctiſſimis, dum horum Præſulum mortem anno 427. conſignant. Ex quo errore alius naſcitur, ut Joannis nempe Antiocheni in Hiſtoria celeberrimi initium & finem perperam collocent. Sed ex epiſtola Acacii Berœenſis ad S. Cyrilium ſcripta circiter Junii finem anni quadringenteſimi triceſimi, qaæ legitur in prima parte Concilii Epheſini, confutantar; noſtraquæ ſententia valide confirmatur. Ait enim Acacias: *pietatis tuæ epiſtolam ſanctiſſimo Joanai Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopo legi curavi; quam ille quoque ſumma attentione, nec parvo doloris ſenſu audivit. Nam licet recens admodum ad Epiſcopatum venerit: eadem tamen vult & ſentit, quæ nos ſenes.* At ſi anno quadringenteſimo viceſimo ſeptimo, ut vult Baronius, Theodorus vivendi finem feciſſet: eamqae Joannes in Epiſcopatu Antiocheno excepiſſet, anno quadringenteſimo triceſimo non diceret Acacius, Joannem *recens admodum* ad Epiſcopatum veniſſe.

XXXV. *Liber de Scriptor. Eccleſiaſt. ab Hieronymo in Quindecennalibus Theodoſii ſcriptus.*

Denique D. Hieronymus librum de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo tertio, Theodoſii Magni Qaindecennalibus nobilitato, publicavit; cum tam in prœmio, quam in fine teſtetur, ſe illum ſcripſiſſe anno decimo quarto ejuſdem Theodoſii Imperatoris, qui die decima nona Januarii ejuſdem anni Chriſti abſolvebatur. Nec obſtat quod Baronius anno 389. n. XI. ſcribat, librum illum anno antecedenti in lucem editum eſſe, nam Suidas verbo γρηγόριος tradit; D. Gregorium Nazianzenum diem obiiſſe anno Theodoſii Magni decimo tertio, ætatis vero ſuæ nonageſimo exacto, Chriſti nempe trecenteſimo nonageſimo primo. Quomodo autem hoc verum eſſe poteſt, ſi liber de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſcriptus non fuerit, ſeu verius in lucem emiſſus, initio anni trecenteſimi nonageſimi tertii? cum in eo Hieronymus de Gregorio Nazianzeno loquens dicat: *deceſſit ante ferme triennium ſub Theodoſio Principe?* Hæc Hieronymi verba Baronium impulere, ut Gregorii Nazianzeni obitum anno trecenteſimo octuageſimo nono contigiſſe exiſtimarit, ſcripſeritque, Suidam erraſſe tam in anno mortis, quam in anno ætatis ejuſdem Nazianzeni: quem tamdiu vixiſſe a veritate alienum putat. Baronium omnes qui de rebas geſtis D. Gregorii Nazianzeni locuti ſunt, ſequuntur, præter Danielem Papebrocium, qui in Actis Sanctorum die nona Maii S. Gregorii Natali; longævam hujus ſancti Antiſtitis vitam egregie probat; ſed qai in anno ejus emortuali aſſignando, a Baronio non recedit. At Suidam, annum mortis, & ætatem Nazianzeni recte conſignaſſe; ideoqae librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis ab Hieronymo, initio anni trecenteſimi nonageſimi tertii, publicatum fuiſſe, alias manifeſtum faciam.

XXXVI. *Encænia Baſilicæ S. Anaſtaſiæ Theodoſio Jun. imperante celebrata.*

Anno 462. de dedicatione Eccleſiæ S. Anaſtaſiæ juxta Acta S. Marciani a Bollando & Henſchenio illuſtrata locuti ſumus. Poſtea in Actis Sanctorum menſis Maii anno 1681. in lucem editis legimus in vita S. Gregorii Nazianzeni die nona Maii, in notis ad caput nonum, & in commentario prævio ad vitam S. Iſidori Martyris in Inſula Chio, die decima quinta Maii Papebrocium reperiſſe in Bibliotheca Sereniſſimi Sabaudiæ Ducia vitam aliam S. Marciani a Sergio Auctore coævo ſcriptam, ex qua quæ a Bollando & Henſchenio publicata eſt, magnam lucem accipere poteſt. Exiſtimat itaque Papebrocius S. Marcianum Baſili-

cam

cam S. Anaſtaſiæ ædificaſſe circa annum 425. annos natum triginta vel quadraginta; & qui dedicationi ejus interſuerunt Imperatores, ſuiſſe non Leonem & Verinam, uti Bollando viſum; ſed Theodoſium Juniorem, ejuſque uxorem Eudociam, ac ſororem Pulcheriam. Nam quod imperante Marciano, id eſt poſt annum 450. floruiſſe dicatur S. Marcianus; id eo pertinere arbitratur Papebrocius; quod ſub extremos hujus Imperatoris, ac vitæ ſuæ annos primum factus ſit magnæ Eccleſiæ Oeconomus, qui eatenus in S. Anaſtaſia exercuerat ſacerdotales functiones diu antea, uti ex vita a Sergio ſcripta colligitur, & in juventute ſua, ordinatus presbyter. Quomodo enim potuit eam Baſilicam condidiſſe prælaudatus Sanctus ultra annum 458. & illius ut conditæ meminiſſe Sozomenus, lib. 7. cap. 5. qui hiſtoriam ſuam dedicavit Theodoſio Juniori; eamque ultra annum 439. non protraxit: niſi eo Theodoſio Juniore imperante ac S. Marciano adhuc presbytero, ædificata fuerit? Ita Papebrocius. Sed hæc conjectura minime admittenda, cum Theophanes in Chronico, anno mundi ſecundum Alexandrinos 5950. qui Kalendis Septembris anni Chriſti quadringenteſimi quinquageſimi ſeptimi incipit, ſcribat: *eodem anno S. Anaſtaſiæ corpus Sirmio delatum, in ejus templa ad Domnini porticus depoſitum.* Ex quo colligere eſt, templum in ejus honorem, jam tum quidem ædificatum; ſed nondum dedicatum fuiſſe. Standum itaque Metaphraſti, qui Vitam S. Marciani ſcripſit; quique eam Eccleſiam Gennadio Eccleſiam Conſtantinopolitanam adminiſtrante, poſt annum nempe 458. dedicatam inſinuat. Neque mirum, Sozomenum, qui in unno Chriſti 439. hiſtoriam ſuam abſolvit, de egregio illo S. Anaſtaſiæ templo loqui: cum Theodoretus, cujus hiſtoriæ metu annus 429. lib. 5. cap. 39. tradat bellum anno Chriſti 420. Romanos inter & Perſas ortum, *triginta jam elapſis annis* adhuc permanere. Sicut igitur ea his Theodoreti verbis inſerre debemus, hunc Auctorem anno Chriſti quadringenteſimo quinquageſimo hiſtoriam ſuam ſcripſiſſe, quod tamen hactenus non animadverſum: ita ea his, quæ Sozomenus habet de S. Anaſtaſiæ templo poſt Marciani Imperatoris mortem conſtructo, deducendum, eum Scriptorem licet hiſtoriam ſuam ad annum tantum Chriſti quadringenteſimum triceſimum nonum perduxerit: eam tamen in lucem dediſſe circa annum Chriſti 449. Scripſit enim poſt Theodoretum, quem aliquando ſupplet ac emendat, ut obſervat Valeſius in Præfatione ad hiſtoriam Sozomeni; ex quo & ea præfatio ſupplenda, in qua non indicatur annus, quo Sozomenus hiſtoriam ſuam ſcripſit. Exiſtimo itaque, templum illud, quando Sozomenus hiſtoriam ſuam publicavit, ædificatum quidem fuiſſe: at nondum dedicatum. Cujus dedicationis annus adhuc in obſcuro eſt.

Anno Chriſti 463. Vivianum & Felicem ex Marcellino in Chronico edidi. Sed Felicis loco, ſtatuendus *Cæcina Baſilius* quem omnes Faſti exhibent, Caſſiodorus in Chronico, Auctor Chronici Alexandrini, Marius Aventicenſis, Chronicum a Cuſpiniano publicatum, Epiſtola nona Hilarii Papæ ad Leontium, quæ dicitur *data VI. Idus Octob. Baſilio V. C. Conſule*: ac denique Epiſtola undecima ejuſdem Pontificis ad Epiſcopos, qui de Mamerti cauſa cognoverant. *data VI. Kal. Martias P. C. Baſilii V. C. Conſulis*. Ex quo & patet, Conſulem eum Occidentalem fuiſſe. Cum enim Occidentales unius tantum Conſulis in Actis publicis mentionem faciebant, non alium quam in Occidente creatum memorare ſolebant; ſicuti e contra Orientales Orientalem. Quæ regula eſſe poterit ad dignoſcendum, quiſnam ex Conſulibus in Oriente; quiſnam in Occidente annum aperuerit; licet, ut alibi dixi, quamvis rarius, aliter aliquando factum fuerit, præſertim cum Imperatores Conſulatum gerebant. Baſilium porro Cæcinam dictum fuiſſe, docet Sidonius epiſtola nona libri primi, ubi ejuſdem hortatu ait, ſe panegyricum Anthemii dixiſſe. Videtur itaque Marcellinum perperam exhibuiſſe Felicem Viviani Collegam, qui ab aliquibus ea Auctoribus citatis *Bibianus* vocatur; niſi forſan Baſilius dictus ſit etiam Felix.

XXXVII. *Conſules anni 463.*

Anno 456. Leonem Auguſtum III. & Tatianum Conſules profeſſus ſum ex Onuphrio in Faſtis. Baronius tamen eodem anno num.r. tradit, Tatianum ex divinatione abſque aliquo teſte aut veroſimili conjectura ab Onuphrio Collegam dici Leonis: ſed perperam: Utrumque enim Conſulem Auctor Anonymus a Cuſpiniano editus & Marius Aventicenſis proponunt.

XXXVIII. *Conſules anni 466.*

Pagina 103. Non meminimus advertere, Zenonem Imperatorem duplicia Quinquennalia & id genus feſta ediddiſſe; priora a die, quo vivente Leone Juniori filio, in Imperii conſortium adſcitus eſt; poſteriora a die, quo poſt ejus mortem ſolus imperavit deducta. Quod idem de Juſtiniano Imperatore Juſtini Senioris per aliquot menſes Collega, ac poſt ejus obitum ſolo Imperatore, dicendum. Priora itaque Juſtiniani Vicennalia anno 547. acta, ut jam ſubodorati eramus.

XXXIX. *Zeno & Juſtinianus Quinquennalia iterarunt.*

Pagina 27. & 104. primam Theodorici Gothorum Regis Epocham nemini hactenus obſervatam, ab anno 490. petendam eſſe diximus. Re tamen maturius examinata comperimus ab anno antecedenti eam deſumendam. Eo enim anno, Euſebii & Probini Conſulato octavo, ſcribit Caſſiodorus in Chronico: *his Coſſ. feliciſſimus atque fortiſſimus D. N. Rex Theo-*

do-

XL. *Prior Theodorici Italiæ Regis Epocha.*

Digitized by Google

ſorient intravit Italiam, cui Odoüacer ad Iſontium pugnam parans victas cum tota gente fugatus eſt. Eodem anno repetito conflictu Verona vincitur Odoüacer. Hunc etiam Theodorici in Italiam hoc anno ingreſſum memorant Marcellinus & Marius Aventicenſis in Chronicis. Id egregie confirmo ex Eugipio, qui in vita S. Severini Noricorum Apoſtoli de Odoacre loquens ait: *dum memoratum Regem multi nobiles coram ſancto viro, humana (ut fieri ſolet) adulatione laudarent; interrogat, quam Regem tantis præconiis prætuliſſent, Reſpodentibus illis Odoacrem; inquit vir Dei: Odoacer integer erit inter tredecim & quatuordecim annos, videlicet regnum integrum ſignificans.* Anno quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto *levatus eſt Odoacer Rex X. Kal. Septemb.* inquit Auctor Anonymus a Cuſpiniano editus, anno vero quadringenteſimo-octuageſimo nono, exeunte Septembri, victus eſt idem Odoacer a Theodorico, ut docet Anonymus a Valeſio in calce Ammiani. Quare vera fuit S. Severini prædictio, neque dubium, quin ab ea victoria Theodoricus Regem ſe Italiæ dixerit. Quod ex eo magis liquet, quod idem Anonymus Valeſianus de Odoacre ſcribat: *manſit in Regno annos XIII.* licet Odoacer, ſi Regnum ejus numeratur, a die, quo Rex creatus, ad annum quadringenteſimum nonageſimum tertium, quo *tertio nonas Martiae*, ut habet Anonymus a Cuſpiniano publicatus, occiſus eſt, & quo ſecunda Theodorici Epocha, quæ ſola hactenus cognita, inchoatur, Odoacrem annos ſeptemdecim regnaſſe certum ſit. Juxta itaque præfatum annum quadringenteſimum octuageſimum nonum, Decennalia & id genus feſta a Theodorico celebrata eſſe, dicendum: ideoque & Decennalia prioris Imperii Romæ anno quingenteſimo peracta, præter legitimum tempus edita eſſe.

XLI. *Gothi & Romani ab Imperatore Orientis Conſules dicti.* Antequam a Theodorico diſcedam obſervo cum Valeſio in Notis ad Auctorem Anonymum, quem in calce Hiſtoriæ Ammiani edidit, quandiu Gothi in Italia regnavere, Magiſtratus publicos penes Romanos manſiſſe, hiſque ſemper permiſſum fuiſſe, ut ab Orientis Imperatore quotannis Conſulatum acciperent. Teſtatur id Procopius in lib.2. Gothorum cap.5. *omnibus præterea urbanis antehac Magiſtratibus Romani perfungebantur, Gothus vir nemo eorum particeps factus: vel procedat in medium qui profiteri nos iſta non vere exiſtimet: addit & Conſularem quiſpiam dignitatem, qua etſi Gothi ab Orientis Imperatore donati, Romanis tamen perfungi permiſerunt*: ita Procopius. Et Caſſiodorus lib.8. Variarum Epiſt.1. docet, Eutharicum Theodorici Italiæ Regis generum, qui anno Chriſti quingenteſimo decimo nono Faſtis nomen dedit, trabeam Conſularem a Juſtino Auguſto accepiſſe. *Vos genitorem meum in Italia palmata claritate decoraſtis*, inquit Athalaricus Gothorum Rex Eutharici filius, Juſtiniano Auguſto loquens. Ex quo corrigendum quod diximus part.1. cap.8. num.6. & delenda hæc verba, *Sicuti quando his verbis Leonis Junioris Conſulatum profitetur, domino Leone Juniore Aug. Coſ.* quæ neſcio quomodo huc irrepſerint. Theodoricus itaque Conſules Occidentis non deſignavit, ſicuti ſoliti erant Imperatores qui eum præceſſerant.

XLII. *Juſtinus Junior alius a Juſtino Germani filio.* Pagina 106. Juſtinus, qui anno 540. Conſul ordinarius proceſſit, alius eſt a Juſtino, qui Juſtiniano avunculo in Imperio ſucceſſit; licet Noriſius Diſſertatione de Synodo quinta, cap.9. §.2. unum & eundem eſſe ſcripſerit. Diſerte id docet Continuator Marcellini, qui ſub Juſtini Conſulatu, anno nempe 540. ſcribit: *Parthi in Syriam ingreſſi multas urbes ſubvertunt, contra quos Germanus arma arripiens Juſtinum filium, eundemque Conſulem in ipſis faſcibus ſecum ducit.* Juſtinus autem, qui poſt Juſtinianum imperavit, *Vigilantiæ ſororis Juſtiniani Auguſti filius patre Dulciſſimo natus eſt*, inquit Victor Tununenſis, qui tunc vivebat, in fine Chronici ſui. Joannes Biclarienſis, qui Victoris Tununenſis Chronicon continuavit, anno 2. Juſtini Junioris ſcribit: *Juſtinus filius Germani Patricii, conſobrinus Juſtini Imperatoris, factione Sophiæ Auguſtæ in Alexandria occiditur.* Plura de Juſtino Germani filio, qui ob peritiam rei militaris, & ob dignitates, quas geſſerat, in magna gloria erat, Evagrius initio libri quinti.

XLIII. *Quo anno Juſtinus Junior Conſul fuit.* Pag. 117. diximus, Juſtinum Juniorem anno 567. Conſulatum geſſiſſe. Noriſius tamen loco laudato ait: *Faſti plerique circa annum 565. errarunt. Nam Appendix Marcellini Comitis Indict. 14. XXV. poſt Conſulatum Baſilii V. C. quo anno illud Auctuarium terminatur. Sed plane expungendus eſt character ille Conſularis. Nam anno 565. Juſtinus novus Imp. Conſulatum II. geſſit; prior enim ſumptus fuerat*, 540. Sed ex dictis hæc evaneſcunt, certiſſimeque conſtat, Juſtini Junioris Conſulatum anno tantum 567. geſtum eſſe: quod valde obſervare refert, ut Conſulatus & Imperii anni ſine errore conjungi poſſint.

XLIV. *Tiberii Conſtantini Conſulatus.* Pag. 118. & 119. diximus, Tiberium Conſtantinum anno quingenteſimo ſeptuageſimo nono, Conſulatum geſſiſſe, ejuſdemque Imperatoris annos a Cæſarea dignitate eidem anno 574. *menſe Decembri feria ſexta*, collata, plerumque deductos fuiſſe: cujus rei exemplum extat in antiquo Codice relato a Dandulo in Synodo Aquilejenſi apud Gradi Inſulam coacta: *Imperante Sereniſſimo Tiberio Conſtantino Auguſto, anno Imperii ejus quinto eodem Conſule, ſub die tertia Nonarum Novembrium Indictione decima tertia.* Hanc ſubſcriptionem refert Noriſius Diſſert. de Quinta Synodo cap.9. §.3. ex

ca-

Digitized by Google

eaque deducit Tiberium Idibus Novembris anni 574. dictum fuiſſe Cæſarem, quæ & Onuphrii opinio fuit; quod eo die Juſtinus Junior Juſtiniano demortuo ſucceſſiſſet. Sed ex ea ſubſcriptione id minime ſequitur, ſed tantum, Auctorem Chronici Alexandrini erraſſe, qui anno 574. menſe Septembri, Tiberium Cæſarem renunciatum eſſe ſcribit: Character feriæ a Theophylacto Simocatta obſervatus hanc Noriſii, Onuphriique opinionem prorſus evertit. Anno enim 574. Idus Novembris non cum feria ſexta, ſed cum feria quarta concurrunt. Nam is Chriſti annus notatur Cyclo Solis 23. litera Dominicali G. Ex ea ſubſcriptione liquet Conſulatum Tiberii Conſtantini optime a nobis conſignatum fuiſſe.

XLV. *Conſulatus Mauricii anno 584. geſtus.*

Pag. 119. Scripſimus, Mauricium Imperatorem anno tantum Chriſti 584. Conſulatum ſumpſiſſe. Noriſius tamen Diſſert. de quinta Synodo cap. 9. §. 3. eam dignitatem anno antecedenti ab eo Imperatore geſtam ex his Theophylacti Simocattæ verbis lib. 1. cap. 12. deduci exiſtimat: *agebatur annus Mauricii ſecundus, cum hyeme Conſul creatus*, &c. quare inquit, Noriſius anno 583. quo ſecundus Mauritii annus inchoatus eſt, Conſul idem Imperator proceſſit, ideoque annus Chriſti 584. notatus eſt hac formula, *Poſt Conſulatum Mauritii:* annus vero 591. iſta *VII. Poſt Conſulatum*, cum S. Greg. lib. 2. epiſt. menſe Septembri Indict. X. ſcribat: *Temporibus Papæ Gregorii Conſulatus Mauricii Auguſti anno ſeptimo depoſitus eſt Laurentius*. Indictio enim X. character eſt anni Chriſti, 591. At non advertit vir Eruditiſſimus, Gregorium hoc loco uti loquendi modo Marcelliniano; Imperatoreſque Orientales qui anno Imperii ſecundo Conſulatum cepere, ipſum Imperii annum ſecundum jam inchoaſſe, quando eam dignitatem iniere, ut diximus pag. 119. Videndus etiam locus Gregorii a nobis explicatus pag. 120. Conſulatus Mauricii perperam conſignatus Chronologiam per annos fere viginti depravat, ut ex iis quæ ſuo loco diximus, liquet.

XLVI. *Leonis Iſauri duplex Epocha.*

Pag. 125. diximus ſubſcriptionem quæ legitur in Synodo Romana ſub Gregorio ſecundo Papa, anno, 721. celebrata, mendoſam videri. Mabillonius tamen in præfatione partis ſecundæ ſæculi quarti Benedictini cap. 7. num. 115. refert eandem ſubſcriptionem, atque eam legi, tum in fronte, tum in fine Decretorum Gregorii Papæ ſecundi in veteri exemplari manuſcripto in Monaſterio S. Germani in ſuburbio Pariſienſi aſſervato, quod regnantis Caroli Magni anno XXVII. exaratum eſt: in alio ejuſdem ævi Codice eandem quoque utrobique legi, niſi quod in ſubſcriptione non nemo ſecunda manu adjecit *decimo* poſt hæc verba, *P.C. ejus anno ſexta*. Addit, ex alio Exemplari ſimiliter corrupto natam eſſe lectionem editorum, qui tam initio, quam in fine præferunt: *P. C. ejus anno ſexto decimo*; cum legendum ſit indubie *ſexto*, ut probant non ſolum ſuperiores duo Codices veterrimi; ſed etiam collectio Canonum ſub Clemente II. exarata, quam Fronto Ducæus a V. C. Clerico Pariſienſi commodato acceperat, quæ cum hac chronologica nota ſimiliter leguntur apud Baronium & Onuphrium. His accedit modus componendi annos Imperii cum totidem annis Conſulatus Imperatorum. Quæ una ratio ſufficit ad emendandos vulgatos libros in hoc loco Decretorum Gregorii Papæ II. Hæc Mabillonius, qui tamen difficultatem non ſolvit: quomodo nempe annus ſextus Imperii Leonis Iſaurj, qui anno Chriſti 717. imperare cœpit, cum anno Chriſti 721. conjungi poſſit. Cum itaque vulgaria lectio præfatæ ſubſcriptionis in dubium revocari non debeat, exiſtimandum, Leonis Imperium in ea ſubſcriptione deduci ab anno Chriſti 716. quo Leo illud in Aſia invaſit, imperante adhuc Theodoſio, ut Theophanes in Chronico docet. Is nihilominus ab anno 717. Imperium Leonis exorditur, quod eo tantum anno Theodoſius in ordinem redactus ſit: qua in re Eruditos omnes hodie ſectatores habet. Si igitur anno 716. Imperium ſuſcepit, anno 721. currebat annus ſextus ejus Imperii, annuſque ſextus poſt ejus Conſulatum; ut in laudata ſubſcriptione dicitur. Neque id gratis a me dictum putes. Baronius anno 726. affert epiſtolam Gregorii Pontificis Romani II. de ſacris Imaginibus ad Leonem Iſaurum Imperatorem ſcriptam; quæ his verbis incipitur: *Litteras veſtræ a Deo cuſtoditæ Majeſtatis accepimus, imperante te, Indictione quarta decima: etiam XIV. XV. I. II. IV. V. VI. VII. VIII. IX. & X. Indictionum acceptas epiſtolas tuas diligenter ſervamus*. Et paulo poſt: *decem annos Dei benignitate recte ambulaſti*. Scripta ea epiſtola anno Chriſti 726. quo, menſe Septembri Indictio decima cœpit. Ex quo conſequens eſt, priorem Leonis ad Gregorium Pontificem Romanum epiſtolam ſcriptam eſſe anno ſeptingenteſimo, decimo ſexto, Indictione decima quarta notato. Qua epiſtola fultus Baronius Leonis Iſauri Imperium ab anno 716. exordiendum duxit: Quia tamen plura concurrunt, ut illud ab anno ſequenti deſumatur; a communi ſententia recedendum non eſt: ſed tantum obſervandum, duplicem eſſe Leonis Epocham, quarum prior, licet minus in uſu fuerit, ad vetera monumenta intelligenda aliquando neceſſaria.

XLVII. *Diploma Benedicti tertii emendatum.*

In priori Editione Lugdunenſi 4°. pag. 365. quæ eſt 129. hujuſce editionis, Nicolai Pontificis Romani nomen loco Benedicti tertii irrepſit. Mabillonius loco laudato, num. 214. nævos aliquot, qui deprehenduntur in Benedicti tertii diplomate,

mate, facta collatione cum auctographo emendat; & quod ad rem præſentem facit, clauſulam ejuſdem diplomatis his verbis conceptam eſſe affirmat: *Datum V. nonas Octobrias, per manum Theophilacti ſecundi Ceris S. Sedis Apoſtolicæ, imperantibus Dominis noſtris piiſſimis Auguſtis, Hlothario a Deo coronato magno Imperatore, anno tricaſimo nono, & P. C. ejus anno triceſimo nono, ſed & Hludovvico novo Imperatore ejus filio, anno ſeptimo, Indictione quarta*. Notat tamen auctographum facile legi non poſſe ante verbum *Nonas*; incertumque eſſe, an ſcriptum fuerit: *quinto, aut ſexto Nonas*. Ex quibus conſtat, locum illum, antequam hæc Mabillonii legeremus, recte a nobis fuiſſe emendatum.

XLVIII. *Tres Ludovici II. treſque Lotharii Epochæ.* Mabillonius ibidem tres Ludovici II. Imperatoris Epochas agnoſcit, quarum ſecunda cum tertia ab omnibus huc uſque fuerat, confuſa. Neque tam mirum, eas eodem tempore a Mabillonio & a me detectas fuiſſe; quam quod Hiſtoricos Gallicos eæ fugerint; cum diverſæ ejuſdem Principis Epochæ, ad varias difficultates ſolvendas, magnæ ſint utilitatis. In alio Opere oſtendam, tres etiam Lotharii Ludovici ſecundi patris Epochas diſtinguendas eſſe: quod hic iodicare placet, ut qui interim ejus diplomata legerint, ab erroribus caveant, in quos ii, qui ad tres illas Epochas non adverterunt animum, inciderunt.

XLIX. *Supplicatio a Monachis Theodoſio Imp. oblata anno 429.* Pag. 132. diximus, Libellum a Baſilio, ſanctiſque Monachis Theodoſio Imperatori oblatum fuiſſe anno 430. Gaviſi tamen ſumus animadvertiſſe, Joannem Garnerium celeberrimum Societatis Jesu Scriptorem, quem die viceſima ſexta Octobris anni 1681. Bononiæ, naturæ debitum ſolviſſe, ſcripſit ad me Illuſtriſſimus D. Magliabechius Sereniſſimi Etruriæ Ducis Bibliothecarius, literatorum patronus optimus, obſervare in Præfat. ad poſteriorem partem Operum M. Mercatoris, libellum illum anno 429. præſentatum fuiſſe. Quod ex eo deducit, quod in illa ſupplicatione res Neſtorianæ dicuntur perinde ſe habere ac in literis Neſtorii ad Cæleſtinum Romanum Pontificem; augeri nimirum & invaleſcere in dies Neſtorio multos, ut ipſe quidem mentitur, errorem dedocente: ut autem verius Monachi aiebant, minis & verberibus terrente. Ex quo Epocha Concilii Antiocheni poſterioris adverſus Paulum Samoſatenſem magis confirmatur, quæ hucuſque male collocata fuerat ſub Aureliano Imperatore, qui tamen nondum Imperium Romanum adminiſtrandum ſuſceperat, quando Concilium coactum ac finitum eſt.

L. *Liber Noriſii de Inſcriptionibus Piſanis ab Auctore non viſus.* Supereſt, ut moneam, me ſumme exoptaſſe legere librum a R. P. Henrico Noriſio ab aliquot menſibus compoſitum circa duas Inſcriptiones Piſanas Caii & Lucii Cæſarum, Auguſti nepotum. Alias enim eidem Noriſio viro mihi amiciſſimo per literas ſignificavi, quæ mea mens eſſet de Conſularibus deſignatis Cæſarum & Auguſtorum, ejuſque judicium magni apud me ponderis. Præterquam quod non dubito quin de multis ad materiam, de qua ſcripſi, ſpectantibus tractarit. Sed licet Illuſtriſſimus Magliabechius qui quæ in Italia typis mandantur, incredibili munificentia ad me mittere ſolet, hoc opus ad meas manus perferendum curaverit, nondum tamen illud videre licuit.

INDEX CAPITUM,

Quæ in hac Diſſertatione continentur.

PARS PRIMA.

De Conſulatibus Cæſareis, tum deſignatis, tum ſuffectis.

Cap. I. *Cæſares & Auguſti Conſules deſignati, Conſules aliquando abſolute vocati.* Pag. 14.

II. *Conſulatus ſecundus Claudii Imperatoris, in quo Britannicus natus, deſignatus tantum erat,* Pag. 6.

III. *Adoptiones Marci Aurelii, & Lucii Veri in ſecundo Conſulatu Antonini Pii tantum deſignato factæ,* 7.

IV. *Hadrianus mortuus eſt in ſecundo Conſulatu Antonini tantum deſignato.* 11.

V. *De ſuffectis Cæſarum & Auguſtorum Conſulatibus,* 14.

VI. *De Conſulatibus ſuffectis Gallieni Junioris Cæſaris, & Aureliani adhuc privati,* 16.

VII. *Tam Gallieni Cæſaris, & Valeriani, quam Crinitë, & Aureliani Conſulatus reapſe geſtus eſt, unde altera Inſcriptionis Forojulienſis interpretatio deſumitur,* 22.

VIII. *Conſulatus deſignati, & ſuffecti ab honorariis valde diverſi,* 25.

PARS SECUNDA.

De Cæſarum & Auguſtorum Conſulatibus Ordinariis horumque Regulis.

Cap. I. *Imperii auſpicium prima Cæſareorum Conſulatuum Regula,* 28.

II. *Quinquennalia, & id Genus feſta, de quibus generatim agitur, ſecunda Conſulatuum Cæſareorum Regula,* 30.

III. *Decennalium beneficia tum Chriſtianæ, tum Ethnicæ Religionis hiſtoria illuſtrata,* 40.

IV. *Decennalium beneficio Codex Theodoſianus illuſtratus.* 45.

V. *Decennalium beneficio Faſti Conſulares, & hiſtoriæ tum Romanæ, tum Byzantinæ Scriptores illuſtrati,* 47.

VI. *Chronologia, Geographia, & Nummographia Decennalium beneficia illuſtrata,* 50.

VII. *Aliquot Imperatorum Decennalia, & id genus feſta, de quibus major difficultas eſſe poteſt, explicantur,* 55.

VIII. *Tertia & quarta Conſulatuum Cæſareorum Regula explicantur,* 62.

IX. *Triumphi quinta Conſulatuum Cæſareorum Regula,* 64.

X. *Sexta ultimaque Conſulatuum Cæſarearum Regula explicatur,* 67.

XI. *Cæſareorum Conſulatuum ab Auguſto ad Marcum Aurelium, & Lucium Verum Rationarium, ac Quinquennaliorum, & id genus feſtarum ordinatio juxta traditas Regulas,* 70.

XII. *Conſulatuum Cæſareorum a pluribus Auguſtis ſimul imperantibus uſque ad Imperii diviſionem Rationarium, ac Decennalium & id genus ſolemnium ordinatio juxta noſtras Regulas,* 79.

XIII. *Conſulatuum Cæſareorum a prima Imperii diviſione ad eam, quæ Valentiniano & Valente Imperatoribus facta Rationarium; ac Decennalium & id genus feſtorum ordinatio juxta noſtras Regulas,* 88.

XIV. *Conſulatuum Cæſareorum a Valentiniano & Valente ad Imperii Occidentalis excidium Rationarium, ac Decennalium & id genus feſtorum per eoſdem annos ordinatio,* 95.

Ult. *Conſulatuum Cæſareorum ab Imperii Occidentalis excidio, ad Faſtorum Romanorum Conſularium finem Rationarium; ac Decennalium, & id genus feſtorum per eoſdem annos ordinatio & finis,* 103.

PARS TERTIA.

De perpetuis Imperatorum Orientalium Conſulatibus.

Cap. I. *DE Conſulatibus dimidiatis a Conſtantino Magno ad Juſtinum Juniorem in Actis publicis ſæpe occurrentibus*, 109.

II. *De Poſtconſulatibus a Conſtantino Magno ad Juſtinum Juniorem uſu receptis*, 112.

III. *Faſti Conſulares Byzantini a Juſtino Juniori ad Conſtantinum Pogonatum nunc primum de integro ordinantur, & ſecundum accuratum Chronologiam, tam cum Era Chriſtiana, quam cum Imperatorum annis connectuntur*, 116.

IV. *Conſulatus Tribunitiæ poteſtatis inſtar geſtus, hactenus ignotus explicatur. Quando, quave ratione deſierit*, 124.

ULT. *Chronologia Aureliana*, 132.

SYLLABUS

AUCTORUM QUI CITANTUR, NOTANTUR, emendantur, & illuſtrantur in hoc Opere.

Numerus Romanus Prolegomena, Vulgaris paginam Diſſertationis indicat.

ACta S. Marcelli, pag. 33.
Aimoinus num. IX.
Alcuinus, 110.
Aldus Manutius num. XXIII.
Alemannus, 26. 28. 106. 115.
Alfordus, 134.
Ambroſius Morales, 135.
Ammianus Marcellin. 29. 34. 40. 37. 44. 54. 58. 63. 67. 86.
Anaſtaſius Bibliothecarius, 36. 124.
Anonymus Cuſpiniani n. XV. 102. 103.
Anonymus Valeſianus n. XL. 7. 35. 58. 59. 106.
Appianus Alexand. 4. 5. 109.
S. Athanaſius, 134.
Athenæus, 54.
Auctor incertus panegyrici Conſtantino M. dicti, 49.
Auctoris incerti panegyricus Maximiano & Conſtantino dictus, 58.
Auctor Miſcellæ, 120. 125. 126. 127.
S. Auguſtinus num. XXIII. 15.
Auſonius, 31.
Baluzius, 33. 34. 51. 58. 86. 113. 118.
Balſamon, 115.
Baronius n. XII. XXX. XXXIII. XXXV. XLVI. 11. 15. 17. 20. 21. 25. 27. 28. 36. 39. 40. 41. 42. 59. 60. 61. 67. 68. 69. 87. 93. 94. 96. 101. 108. 113. 115. 117. 118. 126. 127. 129. 130. 131. 134. 135. 136.
Baudemundus, 123.
De la Baune, 34. 50.
Blondellus num. XII. 51.
Boeclerus, 68.
Bollandus, 68. 102. 104. 105. 123.
Broderovus, 27.
Bulengerus, 32.
Calviſius n. XV. XXVII. 25. &c.
Capitolinus, 8. 10. 25. 57. 66. 78. 84.
Caſaubonus, 9. 14. 18.
Caſſiodorus n. IX. XVI. XL. XLI. 25. 26. 27. 41. 74. 81. 103. 105.
Catalogus antiquorum Pontificum. 109.
Cedrenus, 38. 84. 115. 118. 120. 127.
Cenſorinus, 31. 67.
Joannes Jacobus Chiffletius, 66. 100.
Petrus Franciſcus Chiffletius num. XXVI.
Chriſtophorſonus, 28.
Chronicon Alex. 7. 15. 25. 33. 34. 37. 40. 41. 43. 44. 52. 118. 119. 120.
Chryſerus, 12.
Claudianus, 65. 69. 70.
Clemens Alex. 8. 12.
Codex Juſtinianeus pluribus in locis.
Codex Theodoſianus pluribus in locis.
Cointius, 27. 21. 27. 87. 115. 116.
Combefiſius, 25. 26. 128.
Corippos Poeta, 118. 127.
Curopalates, 128.
Cyrillus Monachus, 103.
Dio n. XVIII. XIX. 3. 4. 5. 8. 9. 10. 11. 12. 25. 26. 34. 36. 49. 56. 61. 65. 67. 71. 72. 75. 83. 85.
Dionyſius Halicarnaſſeoſis, 5.
Dubletius, 130.
Dufreſnius, 26. 31. 33. 102. 123. 126. 128. 130. 138.
Elmacinus, 126.
Evagrius, 28. 46. 47. 105. 115.
Eugippius num. XXXIII. XL. 119.
Eulogius, 131.
Eumenius, 46. 52. 86. 89.
Euſebius num. XV. XXIV. XXV. XXXIII. 29. 30. 33. 34. 37. 38. 39. 41. 42. 43. 50. 52. 58. 60. 61. 72. 74. 75. 77. 80. 82. 83. 84. 86. 87. 90. 91. 92. 132. 134. 135. 136.

Eutropius, 13. 18. 51. 88.
Fragmentum Conſulare apud Bucherium, 25. &c.
Fredegarius num. IX. 122. 123.
Flamicus, 134.
Frontinus num. XV.
Frontoducæus num. XLVI.
Garnerius num. XLIX.
Georgius Syncellus, 38. 110.
Goltzius, 4. 6. 11. 14. 18. 19. 20. 24. 25.
Gothofredus n. XXVII. 46. 47. 50. 52. 70. 77. 96. 99.
D. Gregorius num. XLV. 120. 121.
Gregorius Naz. XXVII.
Gregorius Turonenſis num. IX. 27.
Gruterus variis in locis.
Hadrianus Valeſius num. IX.
Henricus Valeſius, 15. 27. 28. 29. 32. 37. 38. 41. 42. 43. 46. 52. 54. 58. 59. 61. 63. 67. 92. 95. 96. 102. 113. 115. 232. 134.
Henſchenius num. XXXVI. 9. 15. 98. 102. 104. 105. 135.
Hermannus Contractus, 132.
Herodianus, 27. 37. 64. 66. 68. 69. 81.
D. Hieronymus n. XXXIV. XXXV. 36. 43. 44. 92. 94.
Hervvartus, 2. 5. 6. 7. 9. 50.
Hieronymus Rubeus, 106.
Holſtenius, 114.
Jacobus Goar. 94. 96. 119. 134.
Idatius in faſtis, 34. 38.
Indiculus præfectorum Urbis, 13. 30.
Joannes Abbas Blicarienſis num. XLII. 115.
Joffredus, 19.
Jornandes, 2.
Joſephus, 5. 31. 71. 75. 76.
Iſidorus Peluſiota, 27.
Julianus Anteceſſor, 117.
Julianus Imper. 2. 53. 86.
Juſtellus, 115. 125.
S. Juſtinus, 42.
Kirchmannus, 11.
Labbeus, 63.
Lactantius, 15. 33. 34. 39. 41. 51. 58. 59. 69. 88. 90. 91.
Lambecius, 10. 12. 24. 26. 35. 51. 83. 136.
Lampridius, 4. 26. 64. 65. 79. 80. 83.
Lazius, 11. 13. 17.
Leo Grammaticus, 127. 129.
Libanius, 2. 27. 46. 64. 96.
Lipſius num. XIII. 4. 7. 8. 9.
Livius, 6.
S. Lucas, 2. 8. 73.
Lucretius num. XII.
Mabillonius num. XLVI. XLVII. XLVIII. 110. 119.
Mamertinus, 34. 49.
Marcellinus Comes numer. XLII. XLIII. 32. &c.
Marcus Antonius Capellus, 9.
Marianus Scotus, 15. 125.
Marius Aventicenſis n. XXXVII. XXXVIII. 28. &c.
Margarinus, 111. 130.
S. Maximus 38.
Methodius, 132.
Modeſtinus, 36.
Muretus, 72.
Nazarius, 61.
Nicetas, 128.
Nicolaus Heinſius, 69.
Noriſius num. XLII. XLIII. XLIV. XLV. 1. 8. 10. 11. 13. 16. 24. 31. 32. 35. 56. 59. 60. 61. 62. 63. 65. 68. 75. 82. 83. 86. 100. 109. 127. 132.
Novella Juſtiniani, 28.
Occo, 17. 18. 35. 55. &c.
Olympiodorus n. XI. 27. 99.
Onuphrius n. III. XXVII. 7. 10. 11. 13. 14. 16. 20. 26. 27. 32. 68. 69. 117. 118. 124. 125. 126.
Optatus, 15. 59.
Oroſius, 28. 50. 58. 69. 88. 117. 135.
Ortelius, 85.
Ovidius, 8. 31. 49.
Papebrocius n. VIII. XXVII. XXXVI. 42. 137.
Patinus, 11. 14. 61. 67.
Paulinus n. XXV.
Paulus Aringhus, 118.
Petavius, 6. 7. 8. 11. 15. 17. 19. 21. 24. 38. 39. 40. 41. 42. 44. 49. 51. 52. 54. 67. 68. 69. 72. 76. 81. 82. 96. 97. 102. 121. 123. 133. 137.
Photius num. XI.
Philoſtorgius num. XXIX. 53. 99.
Plinius num. XX. 5. 6.
Plinius Junior, 4. 30. 32. 56.
Plutarchus, 5. 77. 113.
Pollio, 17. 18. 19. 20. 21. 43. 66.
Porphyrius, 29. 62.
Procopius num. XLI. 26. 36. 48. 67. 107.
Proſper numer. XXIX. XXX. 52. 63. 97. 110.
Prudentius, 70. 96.
Queſnelius, 111. 112. 114.
Raderus, 113. 119.
Rodericus, 131.
Roricho Monachus, 27.
Salmaſius, 4.
Samſon Abbas Cordubenſis, 130.
Scaliger n. XX. 12. 14. 24. 25. 27. 32. 38. 42. 49. 50. 61. 63. 67. 68.
Schelſtratius num. XXXVIII. 44.
Scrimgerus, 218.
Sebaſtianus Erizzus, 55. 65.
Seguinus, 6. 134.
Servius, 40.
Sidonius Apoll. num. XXVII. XXXI. XXXII. 27. 30. 32. 46.
Sigonius, 129. 131.
Sirmondus num. XXVII. 27. 32. 63. 101. 124.
Socrates num. XXXIII. 38. 53. 92. 93. 96.
Sozomenus n. XXXIII. XXXVI. 38. 87. 93. 94.
Spanhemius, 6. 8. 18. 31. 37. 136.
Spartianus, 10. 11. 12. 29. 50. 54. 59. 76. 81. 82.
Spondanus, 118.
Suetonius n. XV. XVII. XVIII. 7. 14. 27. 31. 56. 63. 64. 71. 73. 74.
Sulpicius Severus, 40. 46.
Stephanus Byzantius, 134.

Sui-

Suidas num. xxv. 48.
Symmachus, 97.
Syneſius, 37. 53.
Synodus Romana, num. xlvi.
Tacitus, num. xiii. xiv. xix. 3. 4. & ſeq. 7. 12. 14. 33. 64. 73.
Tertullianus, 9. 26. 27. 43.
Themiſtius, 27. 29. 46. 95.
Theodoretus, n. xxxiii. xxxiv. 69.
Theodorus Lector. 103.
Theophanes, num. xxxvi. 35. 94. 95. 100. 101. 102. 108. 113. 122. 127. &c.
Theophilactus Simocatta, numer. xliv. xlv. 118. 127.
Theophilus Alex. 40.
Thucidides, 61.
Triſtanus, 18. 19. 54. 55. 61.
Valeſius Hadrianus, *vide*, Hadrianus.
Valeſius Henricus, *vide* Henricus.
Velleius, 8. 9.
Ughellus, 111.
Victor in epitome, 13. 18. 52. 58. 89.
Victor Schotti, 12. 68.
Victor Vitenſis, 111.
Victor Tunnnenſis, num. xlii. 112.
Virgilius, 16.
Ulpianus, 26.
Voellus, 115.
Vopiſcus, 4. 16. 18. 20. 26. 67. 80.
Uſſerius, 9. 15. 31. 72. 132. 133. 135.
Xilander, 72. 82.
Xiphilinus, 14.
Zonaras, 18. 72. 118. 120.
Zoſimus, num. xi. xii. 15. 29. 46. 69. 87. 89. 90.

LICENTIA PROVINCIALIS ORDINIS.

NOs Fr. Paulus Andiol Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci, artium & Sacræ Theologiæ Doctor, ac in Provincia Sancti Ludovici Miniſter Provincialis facultatem facimus R. P. Antonio Pagy eiuſdem Ordinis & Provinciæ Exprovinciali typis mandandi librum, cui titulus *Diſſertatio Hypatica, ſeu de Conſulibus Cæſareis*, Ordinis noſtri Theologorum judicio approbatum; optamuſque, ut in aliis operibus Chronologicis, quibus ab aliquot annis incumbit, perficiendis; Annalibuſque Eccleſiaſticis illuſtrandis ac continuandis, ſedulam curam adhibeat. Datum Aptæ Juliæ XIII. Kalendis Auguſti, anno M. DC. LXXX.

Fr. PAULUS ANDIOL,
Minor. Povincialis

Approbationes Theologorum Ordinis.

DE mandato Reverendi admodum Patris Provincialis, Ego infra ſcriptus Ordinis Minorum Conventualium Doctor Theologus, ac Provinciæ Sancti Ludovici Diffinitor perpetuus, fidem facio me accurate perlegiſſe librum, cui titulus: *Diſſertatio Hypatica, ſeu de Conſulibus Cæſareis, Auctore R.P. Antonio Pagy, ejuſdem Ordinis Doctore Theologo, & primario Provinciæ Patre*, in quo Conſulatus ab Auguſtis, & Cæſaribus ſuſcepti ſingulari diligentia, ac nova methodo tractantur, plurimaque hactenus ignota eruuntur dubia, incerta diſcutiuntur; vera multiplici authoritate fulciuntur, omniaque ex certis Chronologiæ regulis ad juſtum veritatis pondus, & rigorem reducuntur; ut merito Authoris commendetur eruditio, qui tam ex conjecturis, quam ex indefeſſa Hiſtoricorum, tum Latinorum, tum Græcorum collatione, temporis rationem venatur, & ex varietate temporum incertum vacillantibus, curſum qui teneri debet, oſtendit. Dignum proinde judico prælo, in communem eorum utilitatem, qui Eccleſiaſticæ, Romanæ & Byzantinæ Hiſtoriæ ſtudio feruntur. Datum in Conventu noſtro Aquenſi Idibus Septembris, anno MDCLXXX.

Fr. GAB. TAULANI, Doctor Theologus
& Diffinitor perpetuus Ord. Minorum.

Ex

EX Commiſſione Reverendi admodum Patris Provincialis ego ſubſignatus Sacræ Theologiæ Doctor & Diffioitor perpetuus, *Diſſertationem Hypaticam, ſeu de Conſulibus Cæſareis* ſumma cum voluptate perlegi, nihilque in ea reperi fidei Catholicæ diſſonum, aut bonis moribus adverſum; imo omnia tanta eruditione, & ingenio referta ut exiſtimem opus miræ ioventionis, ac indefeſſi laboris, quibuſque Eroditis & Eccleſiaſticæ, Cæſareæque Hiſtoriæ Studioſis probatum iri: ideoque, ot in litteratorum uſus typis quamprimum detur, lætus ſubſcribo. Aquis-Sextiis, Idibus Septembris anno Domini MDCLXXX.

Fr. FRANCISCUS SIMON Doctor Theologus ac Diffioitor perpetuus Ordinis Minorum Conveotualium S. Franciſci.

DIS-

DISSERTATIO HYPATICA

SEU

DE CONSULIBUS CÆSAREIS,

EX OCCASIONE

Inſcriptionis Forojulienſis Aureliani Auguſti.

PRÆFATIO.

IN Urbe Forojulienſi, antiqua Romanorum Colonia, Inſcriptiones nonnumquam reperiuntur, quæ ad illuſtrandam Antiquitatem, ac ſcopuloſos, difficileſque Hiſtoriæ Auguſtæ locos extricandos, mirum in modum conferunt. Inventa ibidem Columna XV. pedes alta, quæ & hodie in ædibus Epiſcopalibus viſitur, cui Epigraphe ſculpta, eo magis æſtimanda, quo rarior, & rei hactenus obſcuræ dilucidandæ utilior. In ea quarta Aureliani Auguſti Tribunitia Poteſtas tertio ejus Conſulatui illigata legitur; licet in alia ejuſdem Imperatoris, quæ apud Onuphrium lib. 2. Faſtorum, Gruterum pag. 276. Goltzium, alioſque extat, Tribunitia ejus Poteſtas V. cum Conſulatu tertio tantum deſignato connectatur. Ad majorem rei declarationem utramque hic exhibeo.

1. Inſcriptio Forojulienſis ab aliis eodem anno enaratis diverſa.

Inſcriptio Forojulienſis.

RESTITUTOR ORBIS
IMP. CAES.
L. D. AURELIANO
PIO. FEL. INVICTO
AUG. PONT.
MAX. GERM. MAX.
GOT. MAX. PART. MAX.
TRIB. P. IV. COS. III.
PF. P. COS.
V

Legendum Reſtitutori.

Inſcriptio Onuphriana.

IMP. CAES. L. DOMITIO
AURELIANO PIO, FELICI,
INVICTO. AUG. PONTIF. MAXIMO
GOTHICO. MAX. GERMANICO. MAX.
TRIB. POT. V. COS. DESIG. III. IMP. III.
P. P. PRO. CONS. RESTITUTORI ORBIS
INVICTISSIMO. ET VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI.

II. *Unde factum, ut Auctor Conſulatuum Cæſareorum regulas inveſtigarit.*

CONſulatum tertium, ſicuti & Tribunitiam Poteſtatem quintam geſſit Aurelianus anno Chriſti, 275. quo, menſe Januario interfectus eſt; ſecundum vero anno 274. quo menſem circiter Novembrem Tribunitiam Poteſtatem quintam iniit: quo pariter anno Conſulem III. deſignatum, ac Trib. Poteſt. IV. & V. dictum fuiſſe nullus negaverit. Quomodo itaque in Inſcriptione Forojulienſi appellari poteſt *Conſul III. Trib. Pot. IV?* Hic opus, hic labor eſt, quem non tantum hac in Diſſertatione ſuperare, ſed & potiores, quæ de Conſulatibus a Cæſaribus, & Auguſtis geſtis, difficultates moveri poſſunt, enodare, & quo præcipue mentem intendo, cauſar ob quas Conſules illi proceſſerint, non tam ex conjecturis, quam ex certis regulis exprimere conabor. Non pigebit, ut puto, Lectorem, quibus gradibus eaſdem cauſas retexerim, addiſcere. Cum animadvertiſſem, quod primum ni fallor a Jacobo Sirmondo, clariſſimo Galliæ noſtræ ornamento, in Notis ad lib. I. & Epiſtolam nonam Sidonii obſervatum, ſolitos fuiſſe novos Imperatores proximis poſt Imperii auſpicia Kalendis Januariis Conſulatum edere, ſubiit animum cogitatio, cæteros ab iiſdem geſtos ex aliqua etiam norma proceſſiſſe; ac cauſæ aliquid fuiſſe, cur ex iiſdem Imperatoribus alter ter, alter quinquies, aliique ſepties, aut pluries eum Magiſtratum obtinuerint: qui quidem impar Conſulatuum ab Auguſtis ſuſceptorum numerus, quantum animum meum torqueret, vix dici poteſt. Neque enim impetrare a me poteram, ut crederem, eos primum communi ex præſcripto, cæteros vero pro ſolo libito, ac ſine certa ratione iniiſſe. Unde tacitus mecum cogitabam; ſi primus Conſulatus ex præſcripto aſſumptus, cur non & alii? quærebam itaque diligenter in omnibus Imperatorum factis aliquod hujuſce rei veſtigium, perſuaſus evenire non potuiſſe, ut in primo ſuſcipiendo omnes convenerint; in aliis vero non tantum diſcordarint, ſed etiam ſine ratione egerint, & ut ita dicam, inſanierint. Denique veniebat in mentem recte docuiſſe Veteres, ſimile ſimili deprehendi, ideoque ex ratione ſuo loco explicanda, qua prior Conſulatus initus fuiſſet, eruı poſſe rationem cur alii ſuſcepti. Non deerant & alia excitamenta, Conſularis nempe dignitatis præſtantia, Senatus Romani ſapientia, & quod his potentius, ipſa experimenta in rebus non diſſimilibus a me capta, quæ tria animum in ea inveſtigatione penitus obfirmabant.

III. *Præſtantia conſularis dignitate.*

Et quidem quoad ejuſdem dignitatis præſtantiam, Jornandes de rebus Geticis cap. 57. de Theodorici Gothorum regis Conſulatu loquens ait: *Factus eſt Conſul ordinarius, quod ſummum bonum, primumque decus in mundo edicitur.* *Quæ quidem*, inquit Julianus Imperator orat. 3. *privatis velut præmium quoddam eſt, ac merces virtutis, aut fidei, aut benevolentiæ erga Principes, aut eximii alicujus facinoris: Principibus vero ipſis ad ea bona quæ jam poſſident, velut decoris & ornatus acceſſio eſt. Nam reliqua nomina, vel functiones, quæ veteris illius Reipublicæ tenuem aliquam, & obſcuram imaginem retinent, vel propter potentiam ſuam contempſerunt, ac repudiarunt; vel eorum, quæ ſibi impoſuerint appellationem, toto vitæ tempore conſervant. Illam vero duntaxat, neque initio contempſerunt, & quotannis tituli hujus uſurpatione gaudent. Nec eſt, aut fuit unquam privatus ullus, aut Princeps; qui non Conſulem ſe appellari præclarum aliquid atque eximium putaverit.* Ponderatus etiam a me ſuo momento locus iſte Libanii in Panegyrico Juliani Imperatoris. *Quid venerabilius*, inquit, *eſſe poteſt, quam univerſum orbem terrarum Solis inſtar appellatione continere, & in ore cunctorum hominum eſſe nomen pro eo quod a parentibus inditum, cujus memoria multas complectatur neceſſitates, judicia, nuptias, forum, debita, venditiones, contrahentes, paciſcentes, litigantes, fidem per litteras facientes, communicantes, diſſidentes, filiorum opulentorum natales, puerorum in ſcholis inſtitutiones, quorum unum ſtudium eſt nominare Conſules; in quo etiam & acquieſcunt. Quod igitur quidam dixit de Jove omnium ſummo Conſule, Jovis vias omnes eſſe plenas, omnia fora, portus, maria, hoc aliquis dicere poſſit de Conſulibus, qui appellationem cum Deo communem habent.* Habet ibidem & alia, concluditque Imperatorem ab illo dignitatis cumulo ubique celebrari.

IV. *Simile ſimili deprehenditur.*

Inſuper Romanorum ſapientia, quæ libros opplevit, quæque in factis ſolemnibus dies etiam religioſe obſervabat, ut in decurſu Operis videbimus, ac denique duplex experimentum a me factum non parum ad hanc indagationem inflammabant. Cum enim hujus ſæculi initio Joannes Georgius Herwartus, vir plane doctiſſimus, in ſua Chronologia cap. 248. ſcripſiſſet, Tiberium vivente Auguſto Collegam Imperii fuiſſe, hancque ejus opinionem, quæ non tantum ubi primum apparuit, ſed nunc etiam a doctiſſimis Scriptoribus rejecta eſt, veriſſimam eſſe comperiſſem, in mentem venit, ſolitos fuiſſe Imperatores Auguſtum imitandum ſibi proponere, ideoque fuiſſe & alios Imperii Collegas ſtudio & labore detegendos: quæ detectio Tiberium eo honore exornatum fuiſſe certum, indubitatumque redderet. Numiſmatis itaque, tam græcis, quam latinis, hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus aliiſque monumentis, quæ in eam rem conferre poſſent, ſedulo examinatis, reperi Titum cum Veſpaſiano Patre, Trajanum cum Nerva, Antoninum Pium cum Hadriano, ac denique Marcum Aurelium cum eodem Antonino corregnaſſe, & Tiberii exemplo in ejuſdem Imperii conſortium vocatos fuiſſe. Quod cum magni ad locum Lucæ Evangeliſtæ cap. 3. ubi de anno decimo quinto Tiberii, quo Chriſtum baptizatum dicit, loquitur, intelligendum, & Romanam Hiſtoriam magis explicandam, momenti ſit, hoc in Opere, ubi neceſſe fuerit, indicabitur, ſed in alio, (ſc. Critica in Annales C. Baronii) certis argumentis demonſtrabitur. Secundum experimentum fuit novæ Periodi ad univerſam Chronologiam dirigendam inventio. Cum enim ingentia emolumenta, quæ ex Periodo Juliana in eam redundant, perpenderem, in illaque aliqua occurrerent, quæ diſplicebant, quæque tamen melius mutari poſſe arbitrabar, mecum animo volvebam poſſe forſan aliam iis incommodis, quibus Scaligeriana ſubja-

cet,

cet, exemplum reperiri. Quamobrem cum in eam inveſtigationem, operam & ſtudium contuliſſem, novam tandem Periodum, Orbi litterario communicandam, inveni. Hæc, inquam, quæ feceram pericula, quæque mihi proſpere ſucceſſiſſe exiſtimabam, efficiebant, ut cogitationem omnem, diu, noctuque in cauſas Conſulatuum ab Auguſtis ſuſceptorum detegendas figerem ac locarem, certus laborem, licet non parum moroſum, bene poſitum fore, ſi res fortunatum, vel ex parte ſolum, nanciſceretur eventum.

V.
Aliqui Imperatores in Conſulatu ſumendo ab communi more diſſentanei.

At parte alia a ſuſcepto conſilio identidem deterrebar, quod quamplura non ſolum præter communem morem, ſed etiam temere a multis Auguſtis acta deprehenderem, aliquoſque in Conſulatu ſuſcipiendo plane abnormes, ac extraordinarios fuiſſe. Auſonius enim orat. pro Conſulatu cap. II. Gratiani moderationem laudibus extollens ait: *Ipſum te ſæpius hoc honore defraudas, ut & aliis largiaris. Scis enim Imperator doctiſſime, rurſum enim utar laude privata, ſcis inquam, ſeptem ac decem Domitiani Conſulatus, quos ille invidia alteros provehendi, continuando conſeruit, ita in ejus aviditate deriſos, ut hoc eum paginæ faſtorum ſuorum, imo faſtidiorum fecerit inſolentem, nec potuerit præſtare felicem.* Tacitus Annalium lib. 13. tradit continuum Conſulatum Neroni, qui tamen eum non geſſit, poſt Artaxata a Corbulone capta delatum fuiſſe: *Ob hæc conſalutatus Imperator Nero, & Senatus-Conſulto ſupplicationes habitæ, ſtatuæque, & arcus, & continui Conſulatus Principi.* Denique Dio lib. 79. de Heliogabalo loquens ait, ſtatim poſt adeptum Imperium inter cætera, illud innovaſſe, *quod Conſulatus Macrini loco, qui ante geſtus erat, nomen ſuum ſubſtituit, tum nec Conſulatum a nobis accepiſſet, nec prorſus eum attigiſſet.* Ex quibus, ſimilibuſve, legum, morumque perverſitatem ſub pluribus Principibus Romanis frequentem fuiſſe conjectabam, & Conſularem dignitatem non tantum ſine probabili cauſa aliis datam, ſed etiam ab ipſis Imperatoribus ſumptam. Quod ſi ii ut plurimum ea mente fuiſſent, quam ratio, diſciplinæque formula præſcriberent, concludebam, idem eſſe de Antiquitatis arcanis, ac de Artium, & ſecretiorum inventione, quæ, ut ait Baco in novo Organo, felicitatis magis eſt, quam excellentis alicujus facultatis; adeo ut potius pro temporis, quam pro ingenii partu haberi debeat. Anceps itaque ambiguuſque memet in omnem partem verſabam, eumque ex attenta faſtorum Conſularium diſpoſitionis conſideratione aliquod lumen exiliret, ſicut ex lapide percuſſo ſolet, ad priſtinum animum revertebar, & in ſpem, cogitationemque meliorem inducebar, memor Chriſtophorum Columbum (ſi parva licet componere magnis) cum in littore Luſitanico ventum quemdam ſtatis anni temporibus ab alto ſtare obſervaſſet, conjecturam feciſſe eſſe humefactas terras, a quibus procederet, indeque illas navigatione quæſiviſſe, & inveniſſe.

VI.
Conſulatuum tandem detecta.

Poſtquam diu multumque animus huc & illuc fluctuavit, animadverti Imperatores Ludos-ſæculares Trabea indutos edidiſſe, tum cum eodem ut plurimum triumphaſſe: quibus obſervationibus mirum in modum lætus, mente obſtinatiori ad ulteriorem perquiſitionem incubui, deprehendenſque plures Conſulatus ab Auguſtis geſtos quinquennio tantum, aut ſexennio inter ſe in faſtis diſtare, examinavi an Quinquennalia, & id genus feſta cum eadem Trabea Conſulari edi ſolita eſſent, ſicque paulatim non tantum cauſas omnes, propter quas Cæſares & Auguſti Conſulatum inierint; ſed etiam notas quibus annis Decennalia & id genus feſta ediderint indicantes, ſummo Chronologiæ emolumento, ac faſtorum Conſularium illuſtratione inveni. Incredibilem profecto mens mea percepit voluptatem, reperiſſe quod tacito labore inquieta tamdiu perquiſierat. Quid enim magis mirum, quam duodeviginti Conſulatuum a Theodoſio Juniore, ſingularis moderationis Principe, cauſam, rationemque, quæ nullis in libris legitur, e tenebris eruiſſe, ac pari felicitate, cur hoc potius, quam altero anno, ter, vel quinquies, ſinguli Imperatores Conſules proceſſerint, vel quinquennalia, aliaque hujuſmodi ſolemnia celebrarint, detexiſſe. Mihi de Regularum hac de re in hac diſſertatione traditarum præſtantia & utilitate, major quotidie incidit admiratio; cum earum beneficio, non tantum Chronologis, faſtique Conſulares, ſed & Codicis Theodoſiani leges multæ, hiſtoria Auguſta, & Eccleſiaſtica lucem accipiant. Quæ ſi Onuphrio, Scaligero, Petavio, aliiſque multis de Antiquitate optime meritis, innotuiſſent, aliam in quamplurimis viam eoſdem teniſſe non dubito.

VII.
Diviſio Operis.

In hac itaque Diſſertatione non ſolum tertium Aureliani Auguſti Conſulatum, in Inſcriptione Forojulienſi expreſſum, ſed & hujus occaſione, quoſcunque alios a Cæſaribus, & Auguſtis geſtos explicabo. In prima parte de Cæſarum, & Auguſtorum Conſulatibus, tum deſignatis, tum ſuffectis agam, oſtendamque tertium Aureliani Auguſti Conſulatum in Epigraphe Forojulienſi cum quarta Tribunitia poteſtate conjunctum, vel eſſe tantum deſignatum, vel tertium dici in ordine ad ſuffectum quem ante adeptum Imperium idem Imperator geſſerat. In altera de eorumdem Cæſarum, & Auguſtorum Conſulatibus ordinariis, eorumque regulis ſermo erit, ubi & Decennalia, & id genus feſta ad amuſſim diſcutientur. In poſtrema denique de perpetuis Imperatorum Orientalium Conſulatibus, tractationem inſtituam, Faſtoſque Conſulares Byzantinos de integro ordinabo. Quibus omnibus complura circa Cæſareos Conſulatus, ad rem Chronologicam multum conducentia, hactenuſque ignorata, in manifeſtam lucem proferentur.

PARS PRIMA.

De Conſulatibus Cæſareis, tum deſignatis, tum ſuffectis.

CAPUT PRIMUM.

Cæſares & Auguſti Conſules deſignati, Conſules aliquando abſolute vocati.

I. *Conſules anno præcedenti deſignari ſoliti.*

OPpreſſa Republica Romana, non tantum Prætores, & Quæſtores, ſed & Conſules, qui in ſequentem annum Magiſtratum gerere debebant, ab Imperatoribus deſignabantur: Quæ deſignatio vana non erat; Conſules enim deſignati ſententiam primi in Senatu rogabantur, ut variis in locis præcipueque tertio Annalium libro cap. 4. Tacitus indicat: ibi de Tiberio loquens ait: *Exemit Druſum, Conſulem deſignatum dicenda primo loco ſententia*. Quod etiam ex Appiano Alexandrino in Notis ad illum locum, Lipſius confirmat. Potiebantur & peculiaribus aliis prærogativis; obſervatuque dignum quod Dio lib. 56. de Imperatore Auguſto, anno antequam obiret, loquens de iiſdem Conſulibus ſcribit: *Conſularios annuos viginti petiit, cum ante in ſenos menſes, quindecim accepiſſet. Decretum porro eſt, ut quæcumque Auguſtus cum his, Conſulibuſque* (Nempe L. Munatio, & C. Silio Conſulibus ordinariis) *& deſignatis Conſulibus, cum adepotibus ſuis nepotibus deliberans ſtatuiſſet, rata non minus, quam in curia, ſi ſtatuta fuiſſent, haberentur*. Anni Magiſtratum præcedentis initio ea deſignatio fieri ſolebat; Geta enim, qui exeunte menſe Martio anni Chriſti 212. interfectus eſt, in Nummo qui apud Goltzium extat, dicitur, COS. II. DES. IV. legendum tamen III. Quare jam ad eam dignitatem deſtinatus fuerat. Non exiſtimo ipſo menſe Januario eam deſignationem ſemper factam fuiſſe. Plinius enim in Panegyri cap. 57. de Trajano, qui proximis poſt adeptum Imperium Kalendis Januariis Conſul procedere noluerat, loquens inquit: *Conſulatum recuſaſti, quem novi Imperatores deſtinatum aliis in ſe transferebant, ... hoc ergo honore, quem & incipientes Principes, & deſinentes adeo concupiſcunt, ut auferant, tu otioſo ac vacante privatis ceſſiſti*. Non itaque ante diem viceſimum octavum Januarii anni Chriſti 98. Nervæ emortuali, ac Trajani natali, Conſules in ſequentem annum deſignati erant.

II. *Conſulum deſignatorum ordinatio quomodo vocata.*

Dicitur ab Antiquis Conſulum deſignatorum ordinatio *Nundinum*, ratione petita ex veteri more creandorum Conſulum, cum penes populum Comitiorum, & jus campi erat, ut ſcribit Salmaſius in Notis ad Vopiſcum in Tacito Imperatore, explicans hæc verba capitis noni: *Fratri ſuo Floriano Conſulatum petiit* Tacitus, *& non impetravit, idcirco quod Senatus omnia Nundina ſuffectorum Conſulum clauſerat*. Tribus enim Nundinis, vel in *trinundinum* indicebantur comitia creandis Conſulibus. Mutato more, & jure deſignandorum Conſulum a populo in Principem tranſlato, mos tamen idem videtur remanſiſſe, ut candidati Nundinis in comitia venirent, & ab omnibus viderentur. Jam autem a Claudio Auguſto bimeſtres Conſules fuere, ita ut duodecim in annum ordinarentur. Et licet variatum aliquando pro libidine Principum quorumdam, & plures ordinati, hunc tamen numerum, & ordinandi modum tenuere plures, & meliores Imperatores. Unde ſex Nundinia vel Conſulum ſuffectorum Collegia erant. Primum Nundinum ordinatiorum Conſulum a Kalendis Januariis, uſque ad Martias. Secundum ſuffectorum a Kalendis Martiis ad Maias. Tertium etiam ſuffectorum, ſicuti & omnium ſequentium a Maiis ad Julias. Quartum a Juliis ad Septembres. Quintum a Kalendis Septembribus ad Novembres. Sextum & ultimum ad reliquos duos eiuſdem anni menſes. Atque hæc ſunt omnia ſuffectorum Conſulum Nundinia, quæ jam clauſiſſe Senatum Vopiſcus dicit, hoc eſt, omnes Conſules totius anni deſignaſſe & ordinaſſe, cum Conſulatum fratri ſuo petiit Tacitus, ideoque non impetravit, quod minime vacuus locus eſſet relictus. Hinc Lampridius in vita Alexandri Severi ait, eum principem Conſulatum iniiſſe ter tantum, additque, *ac primo Nundino ſibi alios ſemper ſuffecit*. Refert etiam Spartianus, eundem Severum Conſules ordinarios, & ſuffectos ex ſententia Senatus nominaviſſe, & vetera Nundina en ordine inſtituiſſe. Modum enim Conſulum ordinandorum, quem jam deſcripſimus, multi ante Alexandrum Imperatores jam inde a Commodo, ſub quo viginti-quinque Conſules uno anno facti ſunt adeo parum obſervabant, ut alium ejus rei morem agnoſcerent nullum, niſi quem ſua libido ſtatuiſſet. Alexander vetera Nundina in priſtinum ſtatum & formam reduxit, ut ibidem Salmaſius obſervavit. Ea porro deſignatio facile non reſcindebatur, niſi quod novis Imperatoribus proximis poſt initum Imperium Kalendis Januariis, Conſulatus ordinarius deferebatur, & aliis deſtinatus in eoſdem transferebatur, quemadmodum jam ex Plinio notavimus.

III. *Cæſareorum Conſulum deſignatio, in quo ab aliis diverſa.*

Neque alio modo Cæſareorum, & Auguſteorum Conſulatuum deſignatio fieri ſolebat. Videmus hoc in Nummis Veſpaſiani apud Goltzium, in quorum duobus Veſpaſianus dicitur: TRIB. Pot. II. COS. III. DES. IIII. Qui nonniſi anno Chriſti 71. ante menſem Julium euſi eſſe poſſunt, cum Kalendis Juliis anni ſuperioris Imperium capeſſiverit, anno vero 71. ſequenti Conſulatum II. ordinarium geſſerit, eodemque Tribunitiam Poteſtatem II. Kalendis Juliis abſolverit. Si enim deſignatio hæc anno 69. facta fuiſſet, neque Conſul III. neque Tribunitiæ Poteſtatis II. in iiſdem Nummis diceretur, ſed COS. II. TRIB. POT. Idem in aliis ejuſdem Veſpaſiani, cæterorumque Auguſtorum Nummis, quando in iis Conſulatus deſignati exprimuntur, videre eſt. Licet autem is mos invaluiſſet, cum tamen deſignandi ad Imperium deſtinabantur, vel Conſulatibus gerendis immaturi erant, deſignatio ad eandem dignitatem Conſularem ante aliquot annos, quam eandem inirent, fiebat: quod Auguſtus de Conſulatu Caio & Lucio nepotibus decreto in lapide Ancyrano, qui apud Gruterum, Lipſium, alioſque extat, indicat: *Honoris mei cauſa Senatus, populuſque Romanus, annum quintum & decimum tum agentes, Conſules deſignavit, ut eum Magiſtratum inirent poſt Quinquennium*. Idem habet de Nerone Tacitus lib. 12. Annalium: *& Cæſar* (nempe Claudius) *adulationibus Senatus libens ceſſit, ut vigeſimo ætatis anno Conſulatum Nero iniret, atque interim deſignatus Proconſulare Imperium extra Urbem, & Princeps Juventutis appellaretur*. Id fa-

ctum

ſtum anno Eræ Chriſtianæ quinquageſimo primo, & tamen Conſulatus is, non niſi anno quinquageſimo quinto a Nerone jam Auguſto editus eſt. Ipſum Claudium Imperatorem ſe quartum Conſulem biennio ante deſignaſſe, diſcimus ex Joſepho lib.20. Antiq. cap.1. ubi Reſcriptum ab eodem Claudio CONSULE IIII. DE SIGNATO, & Tribunitiæ Pot. V. annum agente, *quarto Kalendas Julias* datum refert. Claudius die vigeſima quarta Januarii anni Chriſti quadrageſimi primi Imperium ſuſcepit, adeoque non niſi anno quadrageſimo quinto Tribunitiam Poteſtatem quintam aſſumere potuit. Quare, eo tantum anno Reſcriptum illud emanatum, & tamen idem Imperator Conſulatum illum quartum non niſi anno quadrageſimo ſeptimo geſſit, quemadmodum in faſtis videre eſt.

IV. *Claudius, Nero, & Commodus deſignati, Conſules abſolute dicti.*

Venio nunc ad arcem cauſæ, oſtendoque eoſdem Cæſares & Auguſtos Conſules deſignatos, Conſules abſolute quandoque appellari, quod non tantum ea Inſcriptionibus, ac nummis, ſed etiam ex hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus eruo, ne tanti momenti res diutius in tenebris jaceat. Cum capite Solis radiato, hiantiſque aris etiamnum nobiliſſima extat Inſcriptio in pariete turris perantiquæ Caſtri Apolliniaci in Velaunis, quam Gruterus pag.30. num.1. refert; ſicuti & Herwartus cap.151. ſuæ Chronologiæ.

TI. CLAUDIUS CÆSAR. AUGU. GERMANICUS, PONT. MAX. TRI. POTEST.
V. IMP. P. P. COS. IV.

Claudius Tribunitiam Pot. V. anno Chriſti 45. Conſulatum vero quartum anno 47. ſuſcepit. Quare quartus hic Conſulatus in Inſcriptione abſolute poſitus, non niſi deſignatus erat: dedicataque ea epigraphe anno Chriſti 45. quo etiam anno idem Claudius Judæis ſacræ ſtolæ cuſtodiam petentibus annuens, Reſcriptum numero præcedenti laudatum dedit, cujus hoc initium: *Claudius Cæſar Germanicus Trib. Pot. V. Coſ. deſignatus IIII. Imp. X. P. P.* alia Inſcriptio Neroni dicata apud Goltzium extat, in qua legitur: NERONI CLAUDIO AUG. F. CÆSARI DRUSO GERMANICO, PONTIF. XV. VIR. S. F. VII. VIR. EPULONUM, COS. PRINCIPI JUVENTUTIS. Ubi vides Neronem adhuc Cæſarem, nondumque Auguſtum Conſulem vocari, licet tantum deſignatus eſſet; cum, ſicuti jam diximus eodem Numero, primum is Conſulatum non niſi jam Auguſtus iniesit. Hæc itaque Epigraphe antequam Nero Imperium capeſſeret, & Conſulatum gereret, exarata. Commodus a Marco Aurelio Auguſto patre, adhuc puer Cæſar creatus, ut Auctor eſt Lampridius in Commodo cap.1. dicitur in duobus nummis apud eundem Goltzium, *Conſul*, licet tantum deſignatus eſſet: L. ÆLIO AURELIO AUG. F. COMMODO COS. in alio nummo: COMMODO CÆS. AUG. FIL. GERM. SARM. COS. Commodus anno Chriſti 166. Cæſar nominatus eſt, tum anno 175. Tribunitia Poteſtate, ut ex nummis conſtat, donatus, anno ſequenti Auguſtus a patre dictus, ac anno 177. Conſul ordinarius proceſſit. Unde cum in præfatis nummis Tribunitia Poteſtas non memoretur, liquet eum deſignatum Conſulem, Conſulemque abſolute appellatum fuiſſe, antequam eandem iniret. Quare exiſtimo Lampridium eam deſignationem tardius conſignaſſe; in Commodo enim cap.2. de rebus anno 176. geſtis loquens ait: *Poſt hæc venia legis annariæ impetrata, Conſul eſt factus, & cum patre Imperator eſt appellatus quinto Kalendarum Decembrium die, Pollione, & Apro Conſulibus.* Ubi *Conſul eſt factus*, aliud non ſignificat, quam *Conſul eſt deſignatus:* Cujus rei paſſim exempla in Scriptoribus hiſtoriæ Auguſtæ leguntur.

V. Veſpaſianus Auguſtus, & Titus Cæſar ac Collega Imperii apud Plinium Conſules vocantur, licet tantum deſignati eſſent. Is lib.2. cap.13. ait: *Nam ut duodecim diebus utrumque ſidus* (loquitur de ſole & luna) *quæreretur* (eclipſim pateretur) *id noſtro ævo accidit, Imperatoribus Veſpaſiano patre IV, & filio iterum Coſſ.* Mendum in numerum dierum irrepſiſſe, & pro XV. perperam ſcriptum fuiſſe a librario XII. non dubitandum; neque enim duodecim dierum ſpatio duas eclipſes accidere non potuiſſe Plinius ignoravit, eo magis, quo de re, quæ ſuo tempore contigit, loquatur. Anno Chriſti 71. die quarta Martii poſt meridiem eclipſis lunæ accidit, die 20. ejuſdem menſis ante meridiem eclipſis ſolis. Quare non dubium; quin de utraque Plinius intelligendus ſit; a quarto enim Martii ad vigeſimum ejuſdem menſis, dies quindecim numerantur, utroque extremo, ut ſæpe ab Antiquis fit, excluſo; & tamen eo anno Veſpaſianus Nerva Collega tertium tantum Conſulatum gerebat, annoque ſuperiori Titus primum Conſulatum inierat. Unde cum anno 72. Veſpaſianus IV. & Titus II. Conſules proceſſerint, utriuſque Conſulatus, licet abſolute a Plinio poſitus, non niſi deſignatus erat. Legitur is Romæ in Aquæductu Aquæ Claudiæ: IMP. CÆSAR VESPASIANUS AUG. PONTIF. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI. COS. III. DESIG. IIII. Legiturque etiam in aliis Inſcriptionibus, quæ apud Onuphrium lib.2. faſtorum extant. Sed Plinius eundem in præfato loco ſine deſignatione expreſſit. In hujus Auctoris operum editione idem locus non intellectus varie legitur. In editione anno 1516. facta, & in ea quæ 1660. in Hollandia prodiit, habetur, *Patre III. & filio iterum Coſſ.* Sed perperam. In editione anni 1548. *Patre IIII. & filio iterum Coſſ.* Quæ lectio retinenda, locuſque in futuris Plinii editionibus reſtituendus; neque enim Conſulatus tertius Veſpaſiani cum ſecundo Titi connecti poteſt, niſi ſuffecto, quem ante adeptum Imperium geſſerat Veſpaſianus, ut ſæpe fit, prætermiſſo; ſed tunc Titus primum tantum Conſulatum geſſerat, eoque anno, quo Veſpaſianus tertium Conſul fuit, ejus Collega non erat. Conſulatuum deſignatorum ignoratio hujus depravationis cauſa fuit. Uſſerius in Annalibus veteris Teſtamenti, *forte IIII. legendum*, inquit, Petavius in Paralipomenis librorum de Doctrina temp. pag. 861. ait: *Vel IIII. Conſul, pro III. lege, vel ut in MS. comparet, ſine ulla numerorum nota, Veſpaſiano patre & filio Conſulibus.* Sed ea emendatio rejicienda, probabiliuſque eo in Manuſcripto numeros omiſſos fuiſſe, quam in editis libris additos. Veram lectionem Calviſius in opere Chronologico ſubodoratus eſt: *error videtur commiſſus*, inquit, *in Coſſ. niſi forte Plinius addiderit*, deſignatis, *quod librario poſtea omiſſum eſt.* Sed deſignationem non omiſſam a librario exempla a nobis allata oſtendunt, in quibus Cæſares & Auguſti, Conſules deſignati abſolute Conſules dicuntur.

Veſpaſianus & Titus Conſules dicti, licet tantum deſignati eſſent.

VI. *Solo Pontificis nomine, Pontifex Maximus intellectus.*

Neque hoc mirum videri debet, cum & ſolum Pontificis nomen, loco *Pontificis Maximi*, aliquando poſitum reperiatur. Quod etiam viros eximia doctrina præſtantes fefellit, eoque adduxit, ut Dionem, & Dionyſium Halicarnaſſenſem, pontificiæ dignitatis nomen ignoraſſe, aut male expreſſiſſe ſcripſerint, dum hic ſolo Ἀρχιερέως, ideſt, *Pontifices* nomine eos deſignat, ille frequentes vocat, *ἱερονόμους, ἱεροφύλακας, ἱεροφάντας*, ſacrorum nempe Interpretes, Præſides, Cuſtodes, quaſi ſolum Ἀρχιερέως nomen, ideſt, *Pontificis*, ſupremam ſacerdotii dignitatem non deſignaret, ſicuti reliquos illius Collegii ſacerdotes, licet non addatur, Μέγιστον, id eſt, *Maximus*. Sic Julium Cæſarem Plutarchus in Julio Cæſare, & Appianus Corinth. lib.11. Ἀρχιερέα, ideſt, *Pontificem*, citra attributum aliud vocant, & apud Joſephum Antiquit. lib.13. cap.17. Cæſar & Augu-

Google

guſtus non ſemel litteris ſuis, ac decretis ſolum *Ἀρχιερέως*, id eſt, *Pontificis* nomen adſcribunt. Quo ſolo etiam Pontificis nomine deſignatur nonnumquam Latinis Scriptoribus. Livius lib. 15. cap. 2. *Regem ſacrificum creant, id Sacerdotium Pontifici ſubjicere*. Alibi, *cætera quoque omnia publica, privataque Pontificis ſcito ſubjecit*, qui non alius, quam Pontifex Maximus, ut egregie Spanhemius diſſert. 6. de præſtantia & uſu Numiſmatum, qui primus omnium hanc de Pontificis nomine obſervationem nos docuit, iiſque, & aliis probationibus confirmavit.

VII, *Conſulatus III. in Inſcriptione Forojulienſi memoratus, deſignatus tantum*. Ex his facile eſt Conſulatum tertium Aureliani Auguſti, in Inſcriptione Forojulienſi expreſſum, explicare. Geſſit is primum Conſulatum ordinarium Pomponio Baſſo Collega, anno Chriſti 272. quo etiam anno ſecundam Tribunitiam poteſtatem iniit; Imperium enim anno anteriori circa menſem Novembrem ſuſceperat. Tum anno 274. Conſul II. Julio Capitolino Collega proceſſit, ac exeunte eodem anno Trib. Pot. V. iniit, & denique anno 275. T. Avonio Marcellino Collega Conſul tertium fuit. Quare anno 274. ante menſem Novembrem Tribunitia Poteſtate IIII. adhuc currente, Forojulienſis Inſcriptio dedicata, in qua ideo Aurelianus Conſul III. dicitur, licet ſecundum tantum Conſulatum tunc gereret; quia in annum ſequentem Conſul tertium deſignatus erat. Quæ deſignatio in Inſcriptione Onuphriana clare & explicite memorata, in Forojulienſi vero non niſi ſubintellecta. Et hæc prima ejuſdem inſcriptionis explicatio, quæ & aliam pati poteſt, uti cap. 7. Num. VII. videbitur.

VIII, *Conſulatus Claudii deſignatus, neque ab Herwarto, neque a Petavio intellectus*. Joannes Herwartus cap. 252. ſuæ Chronologiæ, cui nunquam in mentem venerat Conſules deſignatos, abſolute Conſules aliquando vocatos fuiſſe, utitur Epigraphe num. 4. allata, in qua Claudius dicitur TRIB. POT. V. COS. IIII. ut probet per hujus Imperatoris tempora vulgares faſtos corruptos eſſe, unoque anno abundare, atque, uti ea Inſcriptio falſitatis arguatur, neceſſe eſſe fateri, Claudium in quarto ſuo Conſulatu ordinario Tribunitiam Poteſtatem quintam geſſiſſe. Sed dum vulgares faſtos vir doctiſſimus corrigere nititur, eoſdem infringit, Antiquorum loquendi modis non plene edoctus. Petavius lib. 11. de Doctrina temp. cap. 9. hanc ejus explicationem confutandam ſuſcipit, Faſtoſque vulgares, revera incorruptos, tuetur; ſed doctrinæ a nobis explicatæ defectu, ei minime ſatisfacit: *Plerumque*, inquit Petavius, *quadratariorum, vel exſcriptorum culpa fuit, ut Inſcriptiones veteres, mendoſæ ad nos pervenerint; quorum alterum in illa contigit, quæ in Velaunis extare dicitur, & a Grutero deſcripta eſt. Sed procul dubio ſcriptum fuit, aut ſcribendum certe, Coſ. Deſig. IIII.* At perperam, cum Cæſares & Auguſti Conſules deſignati, Conſules abſolute dicti ſint.

IX. *Conſulatus Neronis male ab Herwarto explicatus*. Idem Herwartus cap. 254. ut probet ſub Neronis Imperio faſtos depravatos eſſe, ſcribit, Neronem & Antiſtium, qui in iiſdem anno Chriſti 55. Conſules ordinarii leguntur, Conſules tantum ſuffectos fuiſſe ante adeptum ab eodem Nerone Imperium, quia inquit in duabus Inſcriptionibus, ubi ille Conſulatus expreſſus, Nero Auguſtus non appellatur. Dedicata eſt prior EID. APRIL. I. ANTISTIO, ET CLAUDIO NERONE COS. poſterior ita ſubſcribitur: NERO CLAUDIUS CÆS. L. ANTISTIUS VETUS COS. Quo in errore ſine dubio magis confirmatus fuiſſet, ſi Inſcriptionem eidem Neroni dicatam, quam ſupra Num. IV. attulimus, obſervaſſet. At inſcriptiones hæ faſtis vulgaribus non obſtant; prior enim poſita videtur, vel ab aliquo imperito, vel potius, poſt Neronis mortem, quæ cum populo Romano gratiſſima fuiſſet, Nero in ultimum locum rejectus fuit, Auguſtique nomine indignus judicatus. Poſterior ab imperito etiam, quod ſæpe accidebat, poſita; nam Auguſti in Inſcriptionibus ſolo Cæſaris nomine appellari non ſolebant: id ſe quidem obſervaſſe in nummis græcis, ac aliquando etiam in latinis, dicit Seguinus, vir clariſſimus lib. de Numiſmat. ſelectis, ſed Collegarum Imperii Numiſmata eum decepere, in iis ſiquidem Antoninus Pius v. g. dicitur *Imp. T. Ael. Cæſar Antoninus Trib. Pot. Coſ. Deſ. II.* ut legitur apud Goltzium. At Antoninus, quando nummus ille cuſus, Collega tantum Imperii erat; ceterique qui eo honore potiebantur, Imperatores appellatos fuiſſe. Unde in Plinii loco ſupra a nobis explicato Titus, qui vivente patre Collega ejus in Imperio fuit, Imperator vocatur, ſicuti & in Nummis apud Goltzium. Quare Numiſmata, in quibus Titus, Antoninus, aliique poſtea Auguſti, Imperatores & Cæſares ſine Auguſti titulo dicuntur, antequam Imperium obtinuiſſent, cuſa.

CAPUT SECUNDUM.

Conſulatus ſecundus Claudii Imperatoris, in quo Britannicus natus, deſignatus tantum erat.

Licet quæ hactenus diximus, ad explicationem Inſcriptionis Forojulienſis ſufficiant, ac ſatis ſuperque demonſtrent, Cæſares ac Auguſtos Conſules deſignatos, Conſules abſolute aliquando vocatos fuiſſe, nihilominus quia res hæc a viris doctiſſimis non animadverſa eoſdem non ſemel in tranſverſum egit, ſequentibus capitibus eam magis declarare viſum; ne veteribus Scriptoribus adeo frequenter dica ſcribatur, neve varia eorum loca Lectores in errorem inducant. I. *Natale Britannici ac Neronis, non aliter conſignatum a Suetonio, quam a Tacito*. Cum enim Suetonium & Capitolinum eundem loquendi modum uſurpantes legunt, iis errores adſcribunt, a quibus illi valde alieni. Suetonius in vita Claudii cap. 27. ait: *Britannicum, vigeſimo Imperii die, inque ſecundo Conſulatu natum ſibi parvulum, etiam tum & militibus pro concione manibus ſuis geſtans, & plebi per ſpectacula gremio, aut ante ſe retinens aſſidue commendabat*, nempe Claudius. Is die vigeſima quarta Januarii anni Chriſti 41. Caligula cæſo, Imperium ſuſcepit; quare viceſimus ejus Imperii dies in duodecimum Februarii incidit, qui ideo Britannici Natalis fuit. Et tamen Claudius non niſi anno Chriſti 42. Licinio Largo Collega Conſulatum ſecundum edidit. Unde Conſulatus ejus ſecundus, qui tantum deſignatus erat abſolute a Suetonio profertur. Nec eſt quod quis dicat, Britannici Natale a Suetonio non recte conſignatum fuiſſe, cum is Tacitum ſibi conſentientem habeat, qui lib. 13. Annalium de Nerone loquens dicit: *Turbatus his Nero, & propinquo die quo quartum decimum ætatis annum Britannicus explebat*, &c. Refert hæc Tacitus ſub ejuſdem Neronis Imperatoria & Antiſtii veteris Conſulatu, qui in annum Chriſti 55. incidit, quove Nero Britannicum veneno ſuſtulit. Quod ſi eo anno decimum quartum ætatis Britannicus explebat, natus erat anno Eræ noſtræ 41. quo Claudius Auguſtus Conſulatum ſecundum nondum inierat, qui tamen Conſul II. a Suetonio dicitur. Ex quo & patet, tollendum eſſe errorem, neſcio an Librarii, an Taciti, in cujus Annalium lib. 12. de Claudio Auguſto dicitur: *Biennio majorem natu Domitium* (nempe Neronem) *filio* (Britannico) *antepoſuit*. Cum enim hæc ſub Conſulatu C. Antiſtii, & M. Suilii, qui in annum Chriſti 54. cadit, a Tacito narrentur, ſine dubio legendum, *triennio majorem*. Nam ſicut is cum Suetonio in Natali Britannici, ita & in Natali Neronis conſignan-

gnan-

gnando conſentit. Suetonius enim in Nerone capite, 6. ſcribit: *Nero natus eſt Antii, poſt novum menſem, quam Tiberius exceſſit, decimo octavo Kalendas Januarias*, anno nempe Chriſti, 37. Tacitus vero lib. 13. Annalium de initio Imperii Neronis loquens ſcribit: *In urbe ſermonum avida, quemadmodum Princeps vix ſeptemdecim annos egreſſus ſuſcipere eam molem, aut propulſare poſſet, anquirebant*. Ubi particula *vix*, uti aliquando alibi, *non*, vel *nondum* ſignificat. Imperium iniit Nero anno Chriſti 54. die decima tertia Octobris. Quod ſi eo tempore nondum annum ætatis decimum ſeptimum egreſſus erat, profecto anno Chriſti 37. in lucem prodierat. Præterea idem Tacitus lib.12. Annalium ſub Junii Silani, & Q. Ætherii Conſulatu, qui in annum Chriſti 53. convenit, ait: *Sedecim annos natus Nero Octaviam Cæſaris filiam in matrimonium accepit*, libro vero 13. Annalium ſcribit menſe Decembri ortum eſſe Neronem. Quod ſi anno Chriſti 36. menſe Decemb, natus eſſet, anno 53, annum ætatis decimum ſextum attingere non potuiſſet. Non biennio itaque, ſed triennio Britannico Nero major natu erat. Quem errorem cum a Lipſio, aliiſque Taciti Commentatoribus obſervatum non viderem, priorem me illum deprehendiſſe exiſtimabam; illum tamen poſtea a Freinsheimio in notis ad Tacitum indicatum comperi. Quare cum in Britannici, Neroniſque annis conſignandis Suetonius ac Tacitus conſentiant, certum, indubitatumque eſſe debet, Claudium Conſulem II. deſignatum abſolute Conſulem a Suetonio vocari.

II. *Natale Neronis a Petavio & Hervvarto perperam emendatum.*

Verum eſt, Petavium libro 11. de doctrina Temporum cap.15. præfatum Suetonii locum, ubi de Natali Neronis loquitur, examinantem ſcribere: *Emendetur itaque locus ille fruſtra vexatus a criticis atque ita reformetur:* natus eſt ante tres menſes, quam Tiberius exceſſit. *Ita verum eſſe poteſt, quod idem Scriptor aſſerit, mortuum eſſe anno triceſimo ſecundo ætatis Neronem; aliter non poteſt. Quin etiam Suetonius idem cap.6. Neronem ſcribit, trimulum amiſiſſe Patrem, & ſubinde Matrem eſſe relegatam. At relegata eſt Agrippina Cuji ſoror, anno Urbis 792. ut ex Dione liquet, Chriſti XXXIX. Quare ſi anno Chriſti XXXVII. exeunte natus ſit, non niſi bimulus tum fuerit. Quod recte Joannes Hervvartus animadvertit.* Sed tam ipſe, quam Herwartus, cui innititur, proculdubio hallucinantur. Obiit enim Nero die nona Junii anno Chriſti 68. *ætatis trigeſimo ſecundo*, ut ſcribit Suetonius in Nerone capite 58. at hic annus cum Natali Neronis anno Chriſti 37. ab eo conſignato minime pugnat, Suetonius enim duos extremos annos incompletos pro completis numerare ſolet. Sic in Auguſto cap.65. ait: *Caium & Lucium in duodeviginti menſium ſpatio amiſit ambos:* Obiit Caius nono Kalendas Martias, ut ex Inſcriptione quæ Piſis legitur, conſtat, anno Chriſti quarto, quo Ælius Catus, & Sentius Saturninus Conſules erant, ut docet Vellejus libro 2. capite 103. Ex quo ſequitur Lucium anno Eræ Chriſtianæ 2. circiter Septembrem, vita exceſſiſſe. Et tamen idem Suetonius in Tiberio cap.15. inquit: *Caio & Lucio intra triennium defunctis adoptatur* (nempe Tiberius) *ab Auguſto*. Quod ſi Suetonius duodeviginti menſium ſpatium triennium vocet, quid mirum ſi Neronem triceſimo ſecundo ætatis anno periiſſe; ac præterea hujus Patrem anno Eræ noſtræ triceſimo nono demortuum, trimulum amiſiſſe ſcripſerit? Perperam itaque Lipſius in Notis ad librum primum Annalium Taciti ſcribit legendum eſſe: *intra biennium defunctis*. Neque ſolus eſt Suetonius, qui eam numerandi rationem uſurpet, Anonymus enim a Valeſio in calce Ammiani editus de Licinio Imperatore loquens ait: *regnavit annos XIX.* iſ tertio idus Novembris anni Chriſti 307. Auguſtus nuncupatus fuerat, ut docet Chronicon Alexandrinum, ineunte vero anno 325. Conſtantini juſſu occiſus eſt. Quomodo igitur idem Anonymus verum dicere potuit, niſi menſes duos, eoſque incompletos anni 307. pro integro anno numerarit? Locus itaque ille Suetonii, in quo de Neronis Natali loquitur, purus eſt. & ideo fruſtra a Criticis vexatus, quia ſibi in animum inducere non potuere, Suetonium dies ſeptemdecim anni Chriſti triceſimi ſeptimi, qui primi vitæ Neronis fuere, pro anno integro numeraſſe. Cum igitur certum ſit, Antiquos hoc numerandi modo uſos eſſe, huic tandem controverſiæ finis imponendus, ac vulgaris lectio minime in dubium amplius vocanda.

III. *Suetonius & Tacitus perperam ab Hervvarto caſtigati.*

Quanti momenti ſit hæc noſtra de Cæſaribus ac Auguſtis, Conſulibus deſignatis, abſolute vocatis Conſulibus, obſervatio, graviſſimorum Scriptorum lapſus patefaciunt. Idem enim Herwartus cap.154. ſuæ Chronologiæ, cum hoc non advertiſſet, exiſtimavit Suetonium de Conſulatu ſecundo Claudii, ſuffecto tantum, non vero ordinario loquutum fuiſſe; indeque deducit Conſulatum ſecundum Claudii Licinio Largo Collega in communes faſtos intruſum fuiſſe, ideoque annum, cui reſpondet, ex Era Chriſtiana relegandum; tum ex eo quod Nero a Claudio antepoſitus ſit Britannico biennio major, ut in Tacito loco laudato legitur, inde ſequi ait Caligulam, quem annos fere quatuor imperaſſe certiſſimum, non ultra triennium Imperatorem fuiſſe, ac ſub ejus Imperio alterum annum in faſtis Conſularibus vacare, tandemque Tacitum in annis Britannici & Neronis conſignandis a ſe ipſo diſſentire. Quæ omnia pluribus oſtendere nititur. Sed ex male conſignato, perperamque intellecto ſecundo Claudii Conſulatu, qui tantum deſignatus erat, omnes iſti errores nati, error, qui in Tacito corrigendus erat, graviori errore confirmatur, alia quæ recte idem Tacitus ſcripſit male in dubium revocantur, & ex uno errore plures ſeruntur.

IV. *Suetonius & Tacitus inter ſe non contrarii, ut putavit Petavius.*

Petavius in doctrina temporum verſatiſſimus, cum loco laudato Herwartum confutandum ſuſcepiſſet, huic illa Suetonii & Taciti de Natali Britannici, Neroniſque ætate tanquam inter ſe pugnantia objicienti, non aliud reſpondet, quam *ambo iſta quadrare non poſſe, ut & viceſimo Imperii die, & in ſecundo Conſulatu Claudii natus ſit Britannicus*. Ac poſtquam probavit ſecundum Claudii Conſulatum in annum Chriſti quadrageſimum ſecundum cadere, quod verum eſt, concludit: *Emendandus igitur, aut ſane non audiendus eſt Suetonius*, quem de Conſulatu ſecundo Claudii tantum deſignato loqui, non intelligebat. Quoad locum Taciti ex libro 12. Annalium deſumptum, nihil aliud reſpondet: *De Tacito perſpicua res eſt, ipſum a Suetonio diſſentire, & Britannici ortum antevertere, Non eſt autem novum iſtiuſmodi Scriptorum in hiſtoria diſſidium*, Et tamen, ut vidimus, inter utrumque egregie convenire certum, quod capite ſequenti dicenda magis confirmabunt.

CAPUT TERTIUM.

Adoptiones Marci Aurelii, & Lucii Veri in ſecundo Conſulatu Antonini Pii tantum deſignato factæ.

I. *Adoptio Antonina exemplo Tiberii facta.*

SUetonii loquendi modum imitatus eſt Julius Capitolinus in Marco Aurelio cap. 5. ubi de ejuſdem Marci adoptione ab Antonino Pio facta loquens, ait: *Octavo decimo ætatis anno adoptatus in ſecundo Conſulatu Antonini jam patris ſui*,

Ha-

Digitized by Google

Hadriano ferente, gratia ætatis facta, Quæſtor eſt deſignatus. Hæc adoptio, ſicuti & Lucii Veri facta eſt quinto Kalendas Martias anno Chriſti centeſimo triceſimo octavo, quo Antoninus, qui jam antea Conſul fuerat, quique Conſul a Capitolino dicitur, tum Conſul tantum deſignatus erat. Capitolini tamen verba Onuphrius lib. 2. Faſtorum, Henricus Noriſius diſſertat. de Votis decennalibus cap. 3. aliique viri doctiſſimi non recte interpretantes exiſtimarunt, illum de ſecundo Conſulatu ordinario ejuſdem Antonini loquutum, ideoque adoptionem Marci, & Lucii Veri anno centeſimo triceſimo nono peractam eſſe; licet uterque non tantum eodem anno, quo Antoninus, nempe 138. Sed etiam eadem dia adoptati fuerint. Verum quidem eſt, Spartianum in Hadriano, & in Ælio Vero, & Capitolinum in Marco, & in Lucio Vero, neque annum, neque diem, quo Marci & Lucii Veri adoptiones factæ ſunt, memorare: Sed ex die adoptionis Antonini, quinto nempe Kalendas Martias, quem idem Capitolinus exprimit, in cognitionem diei annique, quo Marcus, & Lucius adoptati ſunt, veniemus, ſi animum ad Tiberii, Agrippæ, & Germanici adoptiones, ad quarum exemplar iſtæ peractæ, attendamus. Quam viam ſi eruditi viri iniiſſent, non ſe ſe in tot difficultatum laqueos intricaſſent. Lucio igitur, Caioque Cæſaribus Auguſti nepotibus vita functis, is *Ælio Cato, & Sentio Saturnino Coſſ.* anno nempe Eræ Chriſtianæ quarto, *quinto Kalendas Julias*, ut ſcribit Vellejus lib. 2. cap. 103. Tiberium adoptavit, Tribunitiamque Poteſtatem eidem ad annos decem dedit, quemadmodum ex eodem Vellejo, ac Dione lib. 55. diſcimus: *Adoptatus eodem die etiam Marcus Agrippa, quem poſt mortem Agrippa Juliæ enixa erat*, inquit idem Vellejus cap. 104. quo etiam die Germanici adoptionem factam Suetonius in Tiberio cap. 15. ſignificat; *Cajo, & Lucio intra triennium defunctis adoptatur Tiberius ab Auguſto ſimul cum fratre eorum M. Agrippa, coactus prius ipſe Germanicum fratris ſui filium adoptare*. Eodem anno idem Germanicus Quæſtor deſignatus eſt, quod docet idem Suetonius ipſo Caligulæ vitæ initio. Anno dein Eræ Chriſtianæ decimo Auguſtus jam ætate gravit eidem Tiberio Proconſulare Imperium conceſſit, eumque Imperii Collegam declaravit.

II.
Quo die, ac menſe Tiberius Collega Imperii creatus.

Dies, menſis, & annus, quibus ea dignitas Tiberio attributa, fruſtra hucuſque a viris Doctis inveſtigati, licet Clemens Alexandrinus libro primo Stromatum nobis eoſdem tres exhibeat. Poſtquam enim Julii & Auguſti Imperii annos numeravit, ſcribit: *Deinde Tiberius annis viginti ſex, menſibus ſex, diebus novemdecim*. Obiit Tiberius decimo ſeptimo Kalendas Apriles, ut Suetonius in Tiberio cap. 13. & Tacitus lib. 6. Annalium cap. 50. prodidere; Dionem enim, qui lib. 58. eumdem ſeptimo Kalendas Aprilis demortuum tradit, falli alias oſtendam. Annus emortualis Tiberii ea omnium ſententia fuit annus Chriſti triceſimus ſeptimus. Quare ex Clementis verbis laudatis colligitur, Tiberium, anno Chriſti decimo quinto Kalendas Septembres, in conſortium Imperii vocatum fuiſſe, ab eo enim die ad quintum Kalendas Septembris anni Chriſti triceſimi ſexti, viginti ſex Imperii Tiberiani, qua Cæſarei, qua Auguſtei anni abſolvuntur. Ab hoc vero die ad quintum Kalendas Martias anni Chriſti triceſimi ſeptimi ſex illi menſes interjiciuntur, a quinto denique Kalendas Martias, ad decimum ſeptimum Kalendas Apriles, Tiberii emortualem, dies ſunt novemdecim, ultimo termino, ut ſæpe fit, excluſo. Ideo porro Tiberiani Principatus ad annum decimum quintum Tiberii a Divo Luca cap. tertio expreſſum, intelligendum neceſſarii initium recte a Clemente conſignatum, viri Docti in ejus verbis non deprehenderunt, quia Romanorum numerandi morem non obſervarunt, Hi enim dierum intervalla, non a die quinta Septembris, verbi gratia, ad diem quintam Octobris, ſed a Nonis Septembris, ad Nonas Octobris numerare ſolebant; quo modo ſi numeraveris, a quinta die Septembris, in quam Nonæ cadunt, ad quintam diem Octobris, menſem adhuc non colliges, ſed tantum ad diem ſeptimam, cum qua Nonæ Octobris concurrunt. Qua numerandi ratione, in Antiquorum ſcriptis, dum menſes ac dies numerant, non obſervata, loca quæ puriſſima ſunt, depravata eſſe ſæpe viri Docti queruntur, ad quod in poſterum attendendum.

III.
Quo anno Tiberius Collega Imperii dictus.

Clementem vero recte hujus Principatus annum non minus quam menſem ac diem nobis conſervaſſe ex Auguſtæ hiſtoriæ Scriptoribus inter ſe collatis, deduci poteſt. Suetonius in Tiberio cap. 18. narrata clade Variana, quæ anno Eræ noſtræ nono contigit, ſcribit *proximo anno*, Chriſti nempe decimo, Tiberium repetiiſſe Germaniam, ac inde in urbem poſt biennium regreſſum, triumphum, quem diſtulerat, egiſſe: tum ſubjungit: *Dedicavit & Concordiæ ædem: item Pollucis, & Caſtoris, ſuo, fratriſque nomine de manubiis. Ac non multo poſt lege per Conſules lata, ut Provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret*, nempe Tiberius, *in Illyricum profectus eſt*. Dedicatio illa XVII. Kalendas Februarias facta, ut Auctor eſt Ovidius lib. primo Faſtorum, anno vero Chriſti decimo, ut teſtis eſt Dio libro 56. ubi relata clade Variana inquit: *anno ſequente Tiberius ædem Concordiæ ſacravit*, &c. Tum geſta anno Eræ Chriſtianæ undecimo narrare incipiens ſcribit: *M. Æmilio Lepido, Statilio Tauro Conſulibus, Tiberius & Germanicus, cui pro Conſule erat Imperium, impreſſionem in Germaniam fecerunt*. In Græco legitur: *Τιβέριος μὲν, καὶ Γερμανικὸς ἀντὶ ὑπάτου ἄρχων ἐς τὴν Κελτικὴν ἐσέβαλον*, id eſt, *Tiberius & Germanicus, Proconſul in Celticam invaſionem fecerunt*; in Græco enim nullum habetur relativum, apponendaque poſt τὸ Germanicus virgula. Proconſul enim ad Tiberium, non vero ad Germanicum, ut perperam hactenus ab omnibus exiſtimatum, refertur, ita ut ſenſus ſit, Tiberius Proconſul & Germanicus &c. niſi forſan vox *Proconſul* tranſpoſita fuerit, quod in Dione non raro contigiſſe, jam a viris Doctis obſervatum. Anno enim ſuperiori Proconſulare Imperium, ſicuti diximus, Tiberio collatum fuerat, ipſeque caput hujus Germanicæ expeditionis erat, non vero Germanicus, cui ut Auctor eſt Tacitus libro primo Annalium cap. 4. non niſi poſt mortem Auguſti, Tiberius *Proconſulare Imperium petivit*. Fallitur enim Lipſius dum in notis ſcribit, petitum fuiſſe Germanico Proconſulare Imperium perpetuum, quæ pars ſupremæ poteſtatis eſt. Id tamen Petavio libro undecimo de Doctrina Temporum capite ſeptimo, aliiſque viris doctis perſuaſit. Affert Petavius in ejus rei confirmationem locum ejuſdem Taciti libro 2. ubi is ait anno ab urbe condita 670. qui cum anno Chriſti decimo ſeptimo concurrit, permiſſas Germanico Provincias a Senatu, *quæ mari dividuntur, majuſque Imperium quoquo adiiſſet, quam his, qui ſorte aut miſſu Principis obtinerent*. At his verbis contrarium evincitur; Proconſulare enim Imperium, quod inter titulos Principatus, nullis extra Urbem limitibus coarctabatur; & tamen quod conceſſum eſt Germanico, ad Provincias tantum, quæ mari dividuntur, extendebatur.

IV.
Proconſulare Tiberii Imperium a Spanhemio perperam intellectum.

Hæſit & in eadem ſalebra Spanhemius, qui diſſert. 8. de præſtantia & uſu Numiſmat. *Majus Imperium* Germanico delatum nihil aliud eſſe ſcribit, quam Imperium illud Proconſulare, quale Auguſto delatum iiſdem verbis deſcribit Dio lib. 53. *ut major ipſi in Provinciis, quam earum Præfectis poteſtas eſſet*. Si enim hæc ejus explicatio valeret, dicendum eſſet Corbulonem, qui Nerone Imperante contra Vologeſum Armeniam invaden-

Google

dentem miſſus eſt, Proconſulari dignitate, quæ ſolis deſtinatis Imperio concedebatur, inſignitum fuiſſe, & tamen Tacitus lib. 15. Annalium cap. 25. docet Imperium Corbuloni permiſſum, limitatum fuiſſe, cum ab eo comparetur cum Imperio Proconſulari Pompeio magno collato, milliaribus ſexdecim, vel circiter definito, & ad triennium coarctato, ut optime explicat Uſſerius in Annalibus veteris Teſtamenti anno mundi 3937. verba Taciti ſunt: *Scribitur Tetrarchis ac Regibus, Præfectiſque & Procuratoribus, & qui Prætorum finitimas Provincias regebant, juſſis Corbulonis obſequi, in tantum ferme modum aucta poteſtate, quem populus Romanus Cneio Pompeio bellum piraticum geſturo dederat.* Quare quantumcumque fuerit Imperium Germanico & Corbuloni conceſſum, Proconſulatui, qui ſupremi Imperii pars, quique præter Urbem in toto Orbe Romano agnoſcebatur, longe inferius fuit, quamquam idem Spanhemius ſcripſerit a Tiberiano diverſum non fuiſſe.

V.
Tiberius in Inſcriptione Viennenſi Proconſul dictus.

Tiberium porro, non vero Germanicum in hac expeditione Proconſulem fuiſſe, ipſemet Tiberius nos docet in Inſcriptione, quæ Viennæ in Gallia legitur, quæque ab Herwarto cap. 248. ſuæ Chronologiæ refertur.

I. O. M.
T I. C L A U D.
C E N S O. R.
P. P R O C O N.
V. S. L. M.

Id eſt, *Jovi Optimo Maximo, Tiberius Claudius Cenſor, Pontifex, Proconſul, votum ſolvit lubens merito.* Tiberium tunc Viennam veniſſe colligitur ex Dione loco citato; Celticæ enim nomine, non tantum Germania, ſed & Gallia intelligitur, ut teſtis eſt Cluverius lib. 1. de veteri Germania, & manifeſte docet Velleius lib. 2. cap. 121. ubi de Tiberio dicit: *Concuſſis hoſtium viribus, claſſicis, pedeſtribuſque expeditionibus, cum res Galliarum maximæ molis, accenſaſque plebis Viennenſium diſſenſiones, coercitione magis, quam pœna molliſſet, & Senatus, Populuſque Romanus, poſtulante patre ejus* (Auguſto) *ut æquum ei jus in omnibus Provinciis, exercitibuſque eſſet, quam erat ipſi, decreto complexus eſſet; (etenim abſurdum erat non eſſe ſub illo quæ ab illo vindicabantur, & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem, non judicari parem) in Urbem reverſus jam pridem debitum, ſed continuatione bellorum dilatum ex Pannoniis, Delmatiſque egit triumphum.* Quibus etiam verbis colligitur Proconſulare illud Imperium Tiberio abſenti collatum fuiſſe, anno nempe Chriſti decimo; non vero undecimo, ut Marcus Antonius Capellus diſſertat. de anno paſſionis Chriſti cap. 5. & Henſchenius in explicatione veterum Catalogorum Pontificum arbitrati ſunt; neque denique duodecimo, ut Petavius loco laudato, & Uſſerius in annalibus veteris Teſtamenti litteris mandarunt: Circa quem tamen annum mihi adhuc ſupereſt ſcrupulus, infra proponendus.

VI.
Dionis locus de Proconſulatu Tiberii, Suetonii verbis illuſtratur.

Sed redeo, ad Dionis locum hucuſque non intellectum. *Tiberius, & Germanicus, Proconſul in Celticam invaſiones fecerunt*, Nullus vocem *Proconſul* ad Tiberium referri animadvertit, & tamen ex dictis aliter eſſe non potuit. Extat apud Suetonium ipſo Caligulæ vitæ initio locus non abſimilis: *Germanicus Caii Cæſaris pater, Druſi, & Junioris Antoniæ filius, a Tiberio patruo adoptatus, Quæſturam quinquennio antequam per leges liceret, & poſt eam Conſulatum ſtatim geſſit.* Ubi Caſaubonus recte advertit, virgulam ante adverbium *ſtatim* apponendam, licet in libris editis ante vocem *Conſulatum* poſita ſit; hiſtoriæ enim fides, inquit, ſtare non poteſt, &

Apparatus in Baronium

ſtatim referatur ad Conſulatum, cum inter Germanici Quæſturam, ejuſque Conſulatum, quem non niſi anno Eræ Chriſtianæ duodecimo geſſit, anni ſex interjiciantur. Significat igitur Suetonius, Germanicum, ſtatim ut adoptatus eſt, Quæſturam geſſiſſe. Nam cum quinquennio antequam per leges liceret, illud munus conſecutus ſit, quod & de Tiberio Dio lib. ſcribit, & ætas legitima Quæſturæ gerendæ, Auguſti, & deinceps ævo, annus ætatis viceſimus quintus fuerit, quemadmodum obſervavit Lipſius in Notis ad lib. 3. Annalium Taciti, tardius hoc munere Germanicus fungi non potuit: cum anno Eræ noſtræ decimo nono, quo exeunte e vivis exceſſit, triceſimum quartum annum ageret, ut Suetonius ſcribit, & ex Tacito deducitur. Unde anno, quo adoptatus eſt Germanicus, undevigeſimum circiter annum agebat, quo etiam Tiberius Quæſturam geſſerat, ut habet Velleius: *Tiberius Quæſtor fuit, undeviceſimum annum agens.* Is Suetonii locus inducit, ut credam in præfato Dionis nullam verborum tranſpoſitionem ineſſe.

VII.
Tiberius & Antoninus eodem die adoptati.

Hadrianum in Antonino adoptando Auguſtum ſibi exemplar propoſuiſſe, quæ in ea adoptione peracta ſunt, manifeſtum faciunt, oſtenduntque verum eſſe quod Tertullianus lib. 1. adverſus Marcionem cap. 9. ſcripſit: *omnis res anterior poſteriori normam præminiſtravit.* Primum, utrique adoptioni peragendæ idem dies conſtitutus, nempe quintus Kalendas; illi Julias, huic Martias. Neque id caſu factum; dies enim ille in quandam religionem venerat ab eo tempore, quo Auguſtus, M. Antonius, & M. Lepidus anno Urbis Varroniano 711. ſe Triumviros, Reipublicæ conſtituendæ cum ſummo Imperio, quinto Kalendas Decembres in quinquennium renuntiarant; multoque magis ab anno Urbis conditæ 725. quo Auguſtus victis ſuperiori anno Antonio, & Cleopatra, *Minervæ templum, & quod Calcidicum vocatur, tum Curiam Juliam, in honorem patris ſui factam dedicavit, in eaque imaginem victoriæ poſuit..... quo Cæſar nimirum oſtendebat, Imperium ſe ex victoria eſſe adeptum*, inquit Dio lib. 51. pag. 459. Romani enim Victoriam Numen, eamque conſervatricem, ac cuſtodem Imperii ſui arbitrabantur. Electus ad eam dedicationem quintus Kalendas Septembris, ut diſcimus ex antiquo Kalendario marmoreo, quod apud Gruterum pag. 133. extat, in quo ad eandem diem habetur annotatum: ARA VICTORIÆ IN CURIA DEDICATA EST. Stetit ea uſque ad Imperium Conſtantii, qui anno 357. cum Romam veniſſet, juſſit eam auferri, quo tamen mortuo Gentilibus adnitentibus reſtituta, iterumque Gratiani Auguſti juſſu amota. Qua de re legendi Annales Eccleſiaſtici. Secundo, Auguſtus Tiberium adoptando Tribunitiam Poteſtatem eidem contulit, eumque aliquot poſt annos, non alio die quam V. Kalendas Septembris in Imperii conſortium adſcivit: ſic & Hadrianus non tantum Antoninum V. Kalend. Martii adoptavit, ſed & eum Collegam Imperii renuntiavit: *Adoptatus eſt quinto Kalendas Martias die, factuſque eſt pater & in Imperio Proconſulari, & in Tribunitia Poteſtate Collega*, inquit Capitolinus in Antonino cap. 4.

VIII.
Quo die Imperium Proconſulare Octaviano Auguſto attributum.

Ex quibus, ut id obiter obſervem, datæ Auguſto Tribunitiæ Poteſtatis, Imperiique Proconſularis attributi diem, conjectura aſſequi licet, anno Urbis conditæ 731. Auguſtus undecimum Conſulatum geſſit, quem trimeſtrem fuiſſe Suetonius docet, quem cum abdicaſſet: *Senatus Auguſto hos honores decrevit, ut Tribunus plebis perpetuus eſſet...... ut Proconſulare Imperium ſemper haberet, neque id in Urbem intrans deponeret*, inquit Dio lib. 54. pag. 518. Diem, neque Dio, neque ullus alius ex Antiquis memorat, ſed factum id quinto Kalendas Apriles ſub

Conſulatus finem. Onuphrius tamen ſcribit Proconſulare Imperium Auguſto delatum quinto Kalendas Julii, quo die, inquit, tanquam Imperii natalitio Tiberium, poſtea adoptavit. Unde deducit eadem die ac menſe, quo Tribunitiam Poteſtatem Imperatores conſecuti fuiſſent, aliis tradidiſſe: quæ ſententia diu invaluit, donec tandem viri eruditi hanc ejus conjecturam ſatis fundatam non arbitrantes, eam tam quoad diem, quam quoad menſem rejecerunt, Tribunitiamque Poteſtatem Tito a Veſpaſiano, Trajano a Nerva, & ſic de aliis, incerto die ac menſe communicatam fuiſſe ſcripſere. Sed tam ipſi, quam Onuphrius ad Auguſti factum ſatis animum non attendentes, falſi ſunt. Onuphrius quidem in menſe, qui neque ab Auguſto obſervatus, neque huic, abdicato Conſulatu, Proconſulare Imperium, & Tribunitia Poteſtas tandiu dilata. Omnes vero alii in die falſi. Auguſtus enim menſem quidem neglexit, ſed & is, & Antoninus ad diem quintum Kalendarum, quo eidem Auguſto Triumviratus datus, Araque poſtea victoriæ ab eo dedicata, reſpexere: quam conjecturam vanam non eſſe, quæ ſuis locis dicemus, oſtendent.

IX. *Antoninus cum Lucio & Marco adoptatus.*

Tertio Hadrianus Antoninum adoptavit *ea lege, ut ſibi ille duos adoptaret, Annium Verum, & Marcum Antoninum*, inquit Spartianus in Hadriano cap. 24. quod & in Ælio Vero cap. 6. & Capitolinus in Antonino Pio cap. 4. confirmant: niſi quod tam hic quam ille Marcum ante Verum nominant, & tamen idem Capitolinus in Marco cap. 5. ait: *Antoninum Pium Hadrianus ea lege in adoptionem legit, ut ſibi Marcum Pius adoptaret, ita tamen ut & Marcus ſibi Lucium Commodum adoptaret*. Quod & in vita ejuſdem Lucii cap. 2. repetit. Spartianus autem in Ælio cap. 5. de eodem Ælio Vero loquens ait: *Ejus filius eſt Antoninus Verus qui adoptatus eſt a Marco, vel certe cum Marco*.

X. *Marcus poſt adoptionem, ut alias Germanicus Quæſtor creatus.*

Quarto ſicuti Germanicus, quando a Tiberio adoptatus eſt, gratia ætatis facta, Quæſtor eſt deſignatus, ita & Marcus: *octavo decimo ætatis anno adoptatus* (Marcus) *in ſecundo Conſulatu Antonini jam patris ſui, Hadriano ferente, gratia ætatis facta, Quæſtor eſt deſignatus*, inquit Capitolinus in Marco cap. 5. qui tamen ſequenti capite eandem Marci Quæſturam verbis explicat, quibus videtur indicare, hunc non anno 138. adoptatum fuiſſe ab Antonino, ſed anno 139. eodemque Hadrianum demortuum; ait enim de Marco loquens: *Hadriano Baiis aſſumpto, ... juſta implevit, & Gladiatorum quaſi privatus Quæſtor edidit munus*, & infra: *his ita geſtis adhuc Quæſtorem & Conſulem ſecum Pius Marcum deſignavit, & Cæſaris appellatione donavit*. Conſulatus hic Marci in annum Chriſti 140. competit. Quare anno ſuperiori & Conſul deſignatus, & Cæſar nuncupatus, dum adhuc Quæſturam gereret? Sed ſicut Capitolinus Antoninum iterum Conſulem deſignatum abſolute Conſulem vocat, ita & Marcum, qui anno 138. Quæſtor deſignatus fuerat, Quæſtorem abſolute appellat. Mortuo itaque anno 138. Hadriano, Marcus *quaſi privatus Quæſtor*, id eſt, deſignatus Quæſtor, *Gladiatorum edidit munus*. Ex quo & magis noſtra confirmatur ſententia, Conſules nempe deſignatos, abſolute Conſules vocatos fuiſſe, cum & Quæſtores tantum deſignati ſolo Quæſtorum nomine intelligerentur. Quod ſi adoptiones Antonini, Marci & Lucii Veri ad exemplum adoptionum Tiberii, Agrippæ, & Germanici factæ ſunt, hæque eodem die ac anno peractæ, nullus dubitandi locus relinquitur, quin Capitolini locus de ſecundo Antonini Conſulatu tantum deſignato explicandus ſit.

XI. Onuphrius tamen lib. 2. Faſtorum pag. 224. Henricus Noriſius Diſſertat. de votis Decennal. cap. 3. uterque de Romana Antiquitate optime meritus, hicque mihi ſumma neceſſitudine conjunctus, Marci & Veri adoptiones in ſecundo Conſulatu ordinario ejuſdem Antonini, anno ſcilicet 139. factas ſcripſere, poſtquam ſuperiori Antoninus ab Hadriano arrogatus fuiſſet; idque duplici fundamento innixi. Primo, quod exiſtiment, Conſulatum ſecundum Antonini, in quo fuere factæ, ordinarium eſſe, non deſignatum. Secundo, quod Capitolinus dicat Marcum annum decimum octavum egiſſe, quando ab Antonino adoptatus eſt, quod & eodem capite repetit: *Cum poſt obitum Lucii Cæſaris Hadrianus ſucceſſorem Imperii quæreret, nec idoneus, utpote decem & octo annos agens, Marcus haberetur &c.* ac poſtea: *octavo decimo ergo ætatis anno adoptatus &c.* At prius illud fundamentum jam everſum, alterumque ex ipſomet Capitolino deſtruendum.

Locus Capitolini de Marci ætate emendatus.

Scribit is Marcum *ſexto Kalendas Majas ... ſuo iterum & Augure Coſſ.* Chriſti ſcilicet 121. natum eſſe: quem diem etiam Natalem veteris Kalendarium a Petro Lambecio Bibliothecæ Cæſareæ Præfecto, viro clariſſimo editum, & Inſcriptio Romana exhibent. Imo & ex Dione colligitur non alio die, menſe, ac anno Marcum ortum; ait enim eum die decima ſeptima Martii, anno nempe Chriſti 180. obiiſſe, ac annos 58. menſes 10. dies 22. vixiſſe, computato ſcilicet die biſſextili illius anni, aliter dies tantum 21. reperirentur. Quapropter ex Dione Marcus natus eſt anno Chriſti 121. ſexto Kalendas Maias, ideoque anno 138. quinto Kalendas Martias, quo adoptatus eſt, non niſi annum decimum ſeptimum agebat, ſexto Kalendas Maias ejuſdem anni decimum octavum inchoaturus. Præterea idem Capitolinus in Marco cap. 7. ait: *Per viginti & tres annos in domo patris ita verſatus, ut ejus quotidie amor creſceret, nec præter duas noctes per tot annos manſit diverſis vicibus*. Sed ſi ab anno Chriſti 162. dieque ſeptima Martii, quo Antoninus Pius e vivis exceſſit, per viginti & tres annos retrocedas, ad annum Chriſti 138. pervenies. Supererunt tantum undecim dies, quos Capitolinus pro anno computaſſe non videtur, quare Capitolinus ex Capitolino emendandus, legendumque in priori loco *decem & ſeptem annos habens*, in poſteriori vero, *ſeptimo decimo ergo ætatis anno*, niſi quod vero ſimilius, Capitolinus ipſe memoria lapſus ſit. Sed quidquid ſit, certum Marcum anno ætatis decimo ſeptimo in ſecundo Conſulatu deſignato Antonini, fuiſſe adoptatum. Idem Capitolinus in Vero cap. 3. de eodem loquens ait: *Fuitque privatus in domo Imperatoris viginti & tribus annis*. Sed hunc locum depravatum ſuſpicor, ut parte 2. cap. 11. n. 16. videbitur.

XII. *Marci & Lucii adoptiones hoc anno factæ.*

Ex quibus evidens eſt opinionem Onuphrii, & ſequacium, qui Hadriani morte anno 138. recte conſignata, Marci & Lucii adoptiones ab Antonino jam Auguſto, anno ſequenti factas volunt, nullo modo ſuſtineri poſſe. Primo, quia in ſecundo Conſulatu Antonini ordinario, actas fuiſſe, falſum eſſe oſtendimus. Secundo, quia in duobus Capitolini locis corruptis fundatur. Tertio, quia Marcus in ſua adoptione Quæſtor eſt deſignatus, & eo nomine in Hadriani funeribus Gladiatorum edidit munus, annoque ſequenti, dum Quæſturam gereret, Conſul eſt deſignatus; & tamen Onuphrius non niſi poſt Hadriani mortem Marcum deſignatum Quæſtorem ſcribit, verbaque Capitolini, quæ tunc Hadrianum adhuc vixiſſe evincunt, ſupprimit, hæc nempe, *Hadriano ferente*, unde ipſemet, quam parum firma eſſet ea opinio, agnovit. Senſit difficultatem Noriſius, quare eas quidem adoptiones anno 139. cum Onuphrio conſignavit, ſed Hadrianum ad ſextum uſque Idus Julias ejuſdem anni vitam produxiſſe ſcripſit; qui alter error eſt ex ſecundo Conſulatu Antonini tantum deſignato, perperamque intellecto ortus, de quo cap. ſequenti.

Se-

Digitized by Google

XIII. *Tempus adoptionis Antonini, & mortis Ælii a Baronio male conſignatum.*

Sequitur ſecundo Baronium, licet diligentem Antiquitatum exploratorem, neque eumdem ſecundum Conſulatum Antonini deſignatum intellexiſſe, neque harum adoptionum tempus recte collocaſſe. Anno enim 139. num. 1. tradit Ælium Verum Cæſarem ſecundum Conſulatum Kalendis Januariis ejuſdem anni auſpicaturum, diem obiiſſe: eodemque anno, qui ſecundum rectam Chronologiam tantum eſt 137. Antoninum adoptatum fuiſſe, ea lege, ut Lucium, & Marcum ipſe adoptaret: tum anno ſequenti 140. num. 2. refert, Camerino, & Magno Coſſ. ordinariis, Antoninum Pium honorarium Conſulatum adiiſſe, auctumque inſuper Tribunitia Poteſtate, Hadriano demortuo ſucceſſiſſe. Camerinus & Magnus anno 138. Conſules ordinarii fuere: Sed quia Baronius Eram Chriſtianam biennio antevertis, hunc annum 140. vocat. Verum valde fallitur tam in Ælii morte, quam in his adoptionibus conſignandis, & ſecundo Conſulatu Antonini explicando. Primum Conſulatum geſſit Ælius anno 136. qui Baronio eſt 138. cujus anni initio nondum Cæſar erat, ut colligitur ex Dione in Indice Conſulari, & ex duabus Inſcriptionibus, quæ extant apud Onuphrium lib. 2. Faſtorum pag. 223. quæ eodem anno dedicatæ ſunt, in quibus, ſicuti & apud Dionem, Ælius dicitur. tantum Coſ. non vero Cæſar. Quo tamen titulo cohoneſtatus in iis fuiſſet, ſi Kalendis Januariis, quibus Conſul cum Pompejano proceſſit, jam eam dignitatem adeptus fuiſſet. Imo ipſemet Ælius eodem anno 136. Epiſtolam ſcripſit, quam Kirchmannus lib. 3. de funeribus Romanorum pag. 44. affert, cujus initio ſe Cæſarem, & in fine Conſulem; ſed ſine Cæſaris titulo appellat,

Ælius. Cæſar.
Duobus. lib. Sammart.
Quintiliano. ſalutem

Is eſt titulus Epiſtolæ, quæ his verbis concluditur.

Data. XIII. Kal. Julias in hortis
Statilia Maxima
Cejonio Commodo &
Cruttea Pompeiano Coſſ.

XIV. *Tempus adoptionis & mortis Ælii Veri.*

Qua ex Inſcriptione patet erraſſe Petavium in Chronico, quando ſcripſit Ælium anno 137. factum eſſe Cæſarem, cum duodecimo Kalendas Julias anni ſuperioris jam Cæſar eſſet; qui tamen, cum in Conſulatu ſuo exprimendo (vocabatur enim Cejonius Commodus) ſe Cæſarem non appellet, liquet Kalendis Januariis anni 136. quibus Conſul proceſſit, nondum fuiſſe Cæſarem. Spartianus in Ælio cap. 3. dicit Ælium adoptatum Pannoniis ducem fuiſſe impoſitum, Laziuſque lib. 2. Comment. Reipubl. Rom. cap. 6. refert inſcriptionem, quam Taurini in Hungaria, Pannoniæ ſuperioris tractu extare dicit,

HADRIANO AUG. P.
P. TRIB. POT. XXI.
COS. III. IMP. II.
L. ÆLIUS CÆS. FIL.
TRIB. POT. COS.
PR. PROCOS. VIVIR
SACRIS FACI. VII.

Dedicata eſt hæc Epigraphe anno Chriſti 137. poſt tertium Iduum Auguſti, quo Hadrianus Tribunitiam Poteſtatem XXI. iniit. Quare errat Baronius, quando ſcribit Kalendis Januariis ejuſdem anni, dum ſecundum Conſulatum auſpicaturus eſſet, obiiſſe, cum eodem anno menſe Auguſto, poſt quem hanc inſcriptionem dedicavis, adhuc in vivis eſſet. Unde cum ex Spartiano in Hadriano cap. 22. ipſis Kalendis Januariis perierit, nec gratias quidem in Senatu agere potuerit *Hadriano de adoptione*, ſequitur Ælium Kalendis Januariis anni 138. demortuum; neque Antonini adoptionem ante hunc annum

Apparatus in Baronium

factam fuiſſe, cum non niſi poſt mortem Ælii Antoninus adoptatus ſit, & gratiarum actiones quas Ælius reddere non potuit, eſſent de ejus adoptione, non vero de ſecundo ejus Conſulatu, quod Baronio errandi cauſa fuit; qui etiam non advertit, deputatus Imperio non Conſules honorarios, ſed ordinarios deſignari ſolitos fuiſſe: quod quidem de Ælio idem Spartianus loco laudato docet: *& quia erat deputatus Imperio, iterum Conſul deputatus eſt*. Sed de Conſulibus honorariis infra ſermo erit.

CAPUT QUARTUM.

Hadrianus mortuus eſt in ſecundo Conſulatu Antonini tantum deſignato.

I. *Annus mortis Hadriani Inſcriptione probatus.*

CÆſarum & Auguſtorum Conſulatus deſignati errorum ſeminarium fuere, quod nos permovit ut de his accuratius ageremus. Exiſtimavit Noriſius Diſſertatione de Votis decennalibus, cap. 3. uti jam inſinuavimus, Hadrianum Imperatorem, in ſecundo Conſulatu ordinario Antonini, anno nempe Chriſti 139. naturæ debitum ſolviſſe, quod Capitolinus loco capite præcedenti laudato, illud indicare videatur. At hunc Auctorem, de Conſulatu Antonini deſignato tantum, intelligendum annus emortualis Hadriani magis confirmat: eum enim anno 138. demortuum plane certum; & tamen Antoninus non niſi anno ſequenti Conſulatum ſecundum geſſit. Egregia eſt hanc in rem Inſcriptio apud Onuphrium lib. 2. Faſtorum pagina 224.

IMP. CÆSARI
DIVI. HADRIANI
AUG. FILIO. DIVI
TRAJANI. PARTHICI
NEP. DIVI. NERVÆ
PRONEPOTI. TITO
ÆLIO. HADRIANO
ANTONINO. AUG. PIO
TRIB. POT. COS. DES. II.
SCRIBÆ
ARMAMENTARI

Dedicata eſt Inſcriptio poſt ſextum diem Iduum Juliarum quo Hadrianus obiit; cum in ea *Divus* nuncupetur, quod de Imperatore vivente, nondumque conſecrato dici non potuiſſet; & præterea Antoninus Pius in ea vocetur Auguſtus, quod nomen ante Hadriani mortem conſecutus non eſt, ideoque anno Chriſti 138. dicitur in eadem Antoninus Conſul deſignatus II. quem ſecundum Conſulatum cum anno tantum 139. geſſerit, ſequitur eum anno antecedenti Conſulem II. deſignatum fuiſſe, & ante adeptum Conſulatum illum ſecundum ordinarium Hadrianum mortuum eſſe.

II. *Nummis etiam probatur.*

Idem colligitur ex tribus Numiſmatis, quæ apud Goltzium extant. In uno legitur: IMP. T. ÆL. CÆSAR ANTONINUS TRIB. POT. DES. II. Cuſum illud ante Hadriani mortem, cum in eo Antoninus non vocetur Auguſtus, ſed tantum Imperator, quod nomen Imperii Collegis, qualis erat Antoninus, attributum fuiſſe, hic nummus oſtendit, non minus quam alius a Carolo Patino viro clariſſimo relatus, qui in una ſuperficie Hadriani imaginem cum his verbis præfert: HADRIANUS AUGUSTUS, in altera vero Antoninum cum Imperatoris titulo: IMP. T. ÆLIUS. Ex his nummis colligitur anno 138. Antoninum non tantum Cæſarem, ſed & Imperatorem, ac Conſulem II. deſignatum, ipſo adhuc vivente Hadriano, dictum fuiſſe, ſed ex aliis duobus, in quibus Antoninus

appellatur: IMP. T. ÆL. CÆS. HADRI. ANTONINUS AUG. PIUS P. M. TR. P. COS. DES. II. Hadrianum anno 138. mortuum fuiſſe plane evincitur: cum enim in utroque Antoninus dicatur Conſul deſignatus II. liquet percuſſos eſſe ante annum 139. quo Conſulatum ſecundum geſſit; & præterea cum in iis Auguſtus vocetur, certum eſt ante præfatum annum 139. Hadrianum e vivis exceſſiſſe.

III. *Græcorum hiſtoricorum auctoritate confirmatur.*

Inſcriptionibus, & nummis, Scriptores Græci conſentiunt, inter quos Dio narrata Hadriani morte ait: *Vixit annos ſexaginta duos, menſes quinque, dies novemdecim. Regnavit annos viginti menſes undecim.* Natus erat ex Spartiano in ejus vita *Nono Kalendas Februarias, Veſpaſiano ſeptiès, & Tito quinquies Coſſ.* anno nempe Æræ Chriſtianæ ſeptuageſimo ſexto, a quo anno & die, quo etiam Natale ejus conſignatur in veteri Kalendario a Petro Lambecio in Bibliotheca Cæſarea, ad diem ſextum Iduum Juliarum anni Chriſti 138. interjiciuntur anni, menſes, ac dies, quos Hadrianum vixiſſe Dio refert. Cui profecto in iis præſertim quæ ad Hadrianum ſpectant magna fides habenda, cum initio ejuſdem vitæ ſcribat: *Apronianus pater meus, qui Ciliciæ præfuit, quique res ejus* (Hadriani nempe) *omnes certo cognovit, mihi ſingula recenſuit.* Chryſerus quoque Marci Aurelii libertus ac Nomenclator, qui in annum Chriſti 180. quo patronus ipſius obiit opuſculum ſuum deduxit; dicit Hadrianum imperaſſe annos XXI. menſes X. dies XXVIII. Idem habet Clemens Alexandrinus lib. primo Stromatum, in quo & ait: *a David uſque ad ſecundum annum Veſpaſiani M. CLXXIX. deinde ab eo uſque ad decimum annum Antonini, anni LXXVII.* Incipit Clemens Imperium Veſpaſiani a die tertia Julii, quo Judaicus exercitus apud ipſum juravit, ut docet Tacitus libro ſecundo hiſtoriarum, licet Scriptores Latini Natale ejus a Kalendis Julii, uti notum eſt, deducant; incipit vero ejus annos a ſecundo illius Imperii, quo Hieroſolyma capta, anno nempe Chriſti ſeptuageſimo, a quo ad annum centeſimum quadrageſimum ſeptimum, tertiumque Julii diem, anni ſunt integri ſeptuaginta ſeptem, dieque decima Julii decimus Antonini Pii annus inchoatur, ſi Hadrianus anno 138. obierit; contra vero annus tantum minus, ſi ſequenti vivere deſierit, ipſeque Antoninus Imperium inierit. Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis dicit ſe annum unum minus invenire, quia non obſervat Clementem, qui mos multorum Antiquorum eſt, ultimum terminum, decimum nempe Antonini annum excludere. Explodendi itaque errores duo circa Hadriani Imperium. Primus, qui Scaligeri in Libris de Emendatione temporum eſt, Hadriani Imperium anno Chriſti centeſimo decimo ſexto auſpicatur: alter vero recte quidem ejus initium collocat, ſed ejus mortem in annum centeſimum triceſimum nonum perperam differt, quarum opinionum fundamenta hic a nobis penitus evertenda, ne Hadrianei Imperii initium & finis, quæ duo certiſſima, amplius in controverſiam vocentur.

IV. *Error Spartiani in annis vitæ, & Imperii Hadriani.*

Opponunt qui communi ſententiæ adverſantur, Scriptores Latinos hiſtoriæ Auguſtæ, qui annos viginti duos Hadriano attribuunt; quod eſſe non poteſt, niſi is anno centeſimo decimo ſexto imperare cœperit, aut ſaltem in ſecundo Conſulatu ordinario Antonini Pii obierit. Spartianus enim, qui Hadriani vitam in litteras miſit cap. 25. ait: *Imperavit annos XXI. menſibus XI.* Victor Schotti: *interiit anno Imperii abſque menſe viceſimo ſecundo.* Victor in Epitome: *imperavit annos XXII.* Eutropius lib. 8. *Obiit ſexagenario major anno XXI. menſe X. die XXIX.* Scaligero has auctoritates objicienti Petavius lib. 10. de doctrina Temporum capite 22. aliud non reſpondet: *neque Spartiano licet aſſentiri, qui cum Eutropio annos XXI. menſes XI. numerat, alioquin mortem Hadriani in annum Chriſti 130. prorogare neceſſe ſit.* Sed hæc reſponſio, quæ Scaligeri ſententiæ non obeſt, Noriſio favet. Quare ſolutio afferenda, quæ utriuſque opinionem his auctoritatibus male inniti oſtendat. Spartianus itaque, cum ad mortem Hadriani ventum, ſcribit: *vixit annis LXXII. menſibus V. diebus XVII. Imperavit annos XXI. menſibus XI.* Natus erat Hadrianus, ut jam a nobis oſtenſum ex ipſomet etiam Spartiano nono Kalendas Februarii anni Chriſti ſeptuageſimi ſexti. Quare ſi vera ſunt quæ Spartianus ſcribit, mortuus eſt Hadrianus, non anno 138. aut 130. ſed 148. quod nullus dixerit. Sicut igitur locus ille in annis vitæ Hadriani mendoſus, ita & in annis ejus Imperii. Si decem ex annis vitæ, & unum ex annis Imperii demas, recte Spartianus Hadriani annos numeraverit, aliter vel librarius erravit, vel ipſe pugnantia ſcripſit.

V. *Ejuſdem Spartiani error in annis Severi.*

Quoad menſes, alio modo a Dione, alio modo a Spartiano hic numerantur. In eos putat a die viceſimo quarto Januarii, cum quo concurrit nonus Kalendas Februarii, ad diem viceſimum quartum Junii, quo quinque menſes quibus ſupra annos ſexaginta duos Hadrianus vixit, abſolvuntur, ac dies quibus ſupra menſes quinque vixit, incipiunt. Ab eo enim ad decimum Julii ejuſdem Imperatoris emortualem, dies ſunt ſeptemdecim, ultimo termino excluſo. Dio vero eoſdem menſes more Romano numerat, a die nempe nono Kalendarum Februarii ad nonum Kalendas Junii, qui incidit non in diem viceſimum quartum, ſed tantum in diem viceſimum tertium menſis Junii, a quo die ad decimum Julii, incluſo utroque termino, dies ſunt novemdecim. Utraque numerandi ratio in legendis Scriptoribus Antiquis præ oculis habenda. Non diſpari ratione in Severi Auguſti annis numerandis peccavit idem Spartianus, qui ejus Natale conſignat *ſexto Idus Apriles Erucio Claro bis, & Severo Conſulibus*, anno nempe Chriſti 146. & quidem recte quoad Conſules: ſed quoad diem erratum tam ab eo, quam a Dione, qui in fine vitæ Severi ſcribit eum *tertio idus Apriles* natum eſſe. Nam ex veteri Kalendario Lambeciano conſtat Natale Severi die quarto Idus ejuſdem menſis Aprilis contigiſſe. Præterea Spartianus ſcribit Severum vixiſſe annos octuaginta novem, quod tamen prorſus falſum, obiit enim anno Chriſti 211. pridie nonas Februarias, ut habet Dio. Ab anno autem 146. quartoque Idus Apriles, ad annum 211. ac pridie nonas Februarias, ſunt tantum anni ſexaginta quatuor, menſes novem, dies viginti quinque. Unde erravit & Dio quando de Severo ſcripſit: *vixit annos ſexaginta quinque, menſes novem, dies viginti quinque. Erat enim natus tertio idus Apriles.* Siquidem annum plus numerat; & Severi Natalem diem, uti diximus, male collocat. Ex quibus Spartianum in annis Imperatorum numerandis non ſemel lapſum eſſe conſtat: Nec Eutropius, & uterque Victor, etiam quando idem communi conſenſu ſcribunt, eo accuratiores; quod non tantum in Hadriano, ſed & in Heliogabalo patet, qui licet prope quadriennium imperarit, ſeu ut Dio computat, *annos tres, menſes novem, & dies quatuor*, nihilominus Victor Schotti ait: *triceſimo regni menſe oppreſſus eſt.* Aurelius Victor in Epitome: *imperavit biennio, & menſibus octo*, Quod & Eutropius habet. Opponitur præterea contra communem ſententiam hæc Inſcriptio Hadriano in Tranſſylvania dicata quæ a Grutero pag. 251. & Lazio lib. 3. Comment. Reip. Rom. cap. 26. refertur.

L.

L. ANNIO FARIANO III. VIRO CAPITAL. TRIB. LEG. II.
AUG. QUÆSTORI. TURBANTIUM TRIB. PLEBIS
PRÆTORIS CURATORI VIÆ LATINÆ IMP. CÆS.
DIVI TRAJANI PARTH. FIL. DIVI NERVÆ
NEPOTIS. TRAJANI HADRIANI AUG. PONT. MAX.
TRIB. POT. XXIJ. IMP. II. COS. III.

VI. *Explicatur Inſcriptio, in qua anni XXII. Imperii Hadriano tribuuntur.*

Hanc inſcriptionem magnam ſpeciem habere fatendum eſt; nihil enim ad Imperatorum annos firmandos validius quam Tribunitia Poteſtas in eorum nummis, & Epigrammatis expreſſa, quæ eos exhibet; cum facilius a ſcriptoribus vel librariis quam a cuſoribus, vel ſculptoribus errari potuerit: at aliquas Inſcriptiones ac nummos pſeudographos reperiri, inter eruditos conſtat, quibus ſi fides adhiberetur, tota Imperatorum perverteretur hiſtoria, & quæ certiſſima, falſa haberentur. Præfata tamen Epigraphe ex alio capite reiicienda. Hadrianus in Campania longiſſime a Tranſſylvania diſſita, die decima Julii anni Chriſti 138. obiit: die decima vero menſis ſequentis Tribunitiam poteſtatem XXII. initurus erat. Quare Inſcriptio ante decimum diem Auguſti illius anni exarata, eoque adveniente, antequam de morte Hadriani in Tranſſylvaniam nuntium perveniſſet, dedicata. Cum enim in Antonino, qui jam, uti Collega Imperii, Principatum obtinebat, & propter Hadriani infirmitatem, omnia adminiſtrabat, certa ſucceſſio eſſet, mors illa tardius nunciata, & poſtquam relata, lapis qui confringi debuerat, integer relictus eſt, & in Eruditorum offendiculum ad noſtra uſque tempora perſeveravit.

VII. *Inſcriptio vera, licet cum hiſtoria non conveniens.*

Hæc noſtra ſolutio confirmatur ex ſimili quam Henricus Noriſius differtat. de Numiſmate Licinii cap. 4. affert, ubi ex Grutero pag. 284. Inſcriptionem recitat, in qua Ovinius Gallicanus, qui anno 317. Conſul ordinarius fuit, dicitur tantum *Præfectus Urbi*; quem Magiſtratum cum anno 316. ut ex Indice Præfectorum Urbi patet geſſerit, videtur colligendum eam Inſcriptionem dicatam fuiſſe eodem anno 316. cum ſi anno ſequenti id contigiſſet, ejus Conſulatus in ea appareret; erat enim dignitas infra Imperatoriam omnium maxima, quæ in virorum illuſtrium Epigraphis omitti non ſolebat: cum vero in ea Criſpus, Conſtantini Magni filius, Cæſar appelletur, ſi Inſcriptio vera ſit, ſequitur Criſpum ante annum 317. Cæſarem nuncupatum fuiſſe, quod tamen falſum eſſe conſtat. Ad majorem claritatem eam Inſcriptionem exhibeo.

FLAVIO. VALERIO. CRIRPO.
NOBILISSIMO. CÆS. FILIO.
CONSTANTINI. MAXIMI.
ADQUE. INVICTI. SEMPER. AUG.
ET NEPOTI. DIVI. CONSTANTI.
OVINIUS. GALLICANUS. V. C.
PRÆF. URB. ET JUDEX. SACRARUM.
COGNITIONUM. DEVOTUS.
N. M. Q. EJUS.

Sed idem Noriſius ex Libello de Præfectis Urbi rem totam aperit. Gallicanus, ut ibidem patet, deſignatus fuit Præfectus Urbi anno 316. pridie Nonas Auguſti; anno 317. ſucceſſorem accepit Septimium Baſſum *Idibus Maii*. Quare eodem anno Kalendis Martiis, quibus Criſpus nuncupatus Cæſar, Gallicanus Præfectus Urbi erat, quemadmodum in illa Inſcriptione legitur; qui tamen in ea Conſul non nominatur, quia priore parte illius anni nondum ab Auguſtis Conſtantino & Licinio, ordinarii Conſules deſignati fuerant; in eo enim Libello de Præfectis habetur: *Conſules quos juſſerint DD.* NN. *Auguſti. ex die XIII. Kal. Martii Gallicano & Baſſo*. Gallicanus priuſquam delati Magiſtratus nuntium acciperet, Inſcriptionem illam in lapide ſculpendam curaverat ut eadem Kalendis Martii die Natali Criſpi Cæſaris, in hujus honorem publico loco dicaretur. Degebat id temporis Conſtantinus in Dacia apud Serdicam ubi die 26. Aprilis dedit *L. 6. ad L. Iul. de vi publica Cod. Juſ.* Quare cum die XIII. Kalendas Martias Gallicanum Conſulem deſignaverit, ac publicaverit, is poſt dicatum Criſpo Epigramma, ſui Conſulatus nuntium accepit. Ita docte Noriſius præfatam Inſcriptionem communem opinionem non infringere oſtendit. Quod non tantum veriſſimum eſt, ſed præterea ex utriuſque Epigraphis dedicatione colligitur & locorum diſtantiam, & novitatum ignorantiam non raro in cauſa fuiſſe, ut in Inſcriptionibus quædam aliquando legantur, quæ cum hiſtoria non conveniunt.

VIII. *Inſcriptio Hadriani mendoſa.*

Denique hæc opponitur Inſcriptio quæ apud Onuphrium, Gruterum, alioſque extat.

IMP. CÆSARI. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. FILIO. DIVI.
NERVÆ. NEPOTI. TRAIANO. HADRIANO AUG. PONT.
MAX. TRIB. POT. XXII. IMP. COS. III. P. P. ET
DIVÆ. SABINÆ. IMP. CÆS. T. ÆLIUS. HADRIANUS.
ANTONINUS. AUG. PIUS. PONT. MAX. TRIB. POT. II.
COS. DES. III. P. P. IMP. II. PARENTIBUS. SUIS.

Hæc Epigraphe anno Chriſti 139. quo Antoninus Tribunitiam Poteſtatem ſecundam iniit, exarata, ſed uti exiſtimo, neglecta, rejectaque fuit, quod Sculptor in ea dupliciter erraſſet. Primo in nomine *Divi*, quod Hadriano præponi debebat, omittando. Certe in omnibus Inſcriptionibus Antonini Pii, in quibus is dicitur filius Hadriani, præponitur nomen Divi, quod in præfata Inſcriptione eo minus prætermittendum videbatur, quod in eadem, Sabinæ Hadriani uxori illud tribuatur; nam Hadrianum conſecratum fuiſſe, ac inter Deos relatum, Numiſmata, & hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores indubitatum reddunt. Secundo in Tribunitia Poteſtate XXII. loco XXI. ſculpenda. Onuphrius lib. 2. Faſtorum ait Epitaphium illud Sepulcro Hadriani fuiſſe appoſitum, ſed unde id accepit? Longe probabilius rejectum fuiſſe, aliudque loco ejus ſculptum, quod ad nos non pervenit. Gruterus ait Romæ in Burgo in domo Cardinalis Pariſini præfatum Epitaphium legi, ac putari olim inſcriptum fuiſſe moli Hadriani Imperatoris, ſed vana conjectura. Denique idem Onuphrius loco *Trib. Pot. XXII.* ſcribit *Trib. Pot. XXI.* nulla correctionis ſuæ, quod & ei familiare, mentione facta. Quod ſi viris eruditis liceret, quilibet ſuo ſenſu Au-

ctores

ctores & inſcriptiones corrumperet, nihilque certum in hiſtoria eſſet. Eandem Inſcriptionem cum Tribunitia Poteſtate XXI. inter ſuos nummos retulit Goltzius, non advertens Onuphrium eam mutilaſſe, neque ut extabat, retuliſſe.

IX. *Locus Spartiani a Caſaubono non intellectus.*

Cum itaque Sententia, quæ annos XXII. Hadriano Imperatori tribuit, tam infirma habeat fundamenta, neque ſuſtineri poſſit, niſi quis cum Scaligero Domitiani Imperatoris mortem in annum Chriſti 95. retrahat, aut Auguſtei Antonini Pii Imperii initium in annum 539. differat, quæ duo per ea tempora totam convellunt hiſtoriam, prorſus eſt rejicienda, ac pro certo habendum, Hadrianum in ſecundo Conſulatu Antonini tantum deſignato mortuum fuiſſe, & anno 557. Imperium auſpicatum eſſe. Hoc ſi Caſaubonus intellexiſſet, hæc Spartiani de Hadriano verba cap. 26. ejus vitæ: *Natali ſuo ultimo, cum Antoninum commendaret,* (nempe Hadrianus) *prætexta ſponte delapſa caput ei operuit,* non ita interpretatus fuiſſet, cum vota pro Antonino recens in filium adoptato nuncuparet; hæc enim explicatio nullo modo ſubſiſtere poteſt. Natus eſt Hadrianus die vigeſima quarta Januarii, ac die decima Auguſti Imperium ſuſcepit; dies tamen Natalis Imperii ejus decimus quartus fuit; quod eodem exceſſus Trajani ei nunciatus fuiſſet, ut teſtis eſt Spartianus in Hadriano. Sed de quocumque Natali loquatur Caſaubonus, perperam ſupponit aut Hadrianum in ſecundo Conſulatu ordinario Antonini demortuum, aut hunc anno 137. fuiſſe adoptatum. Si enim de genuino, ſequitur Hadrianum anno 137. Antoninum adoptaſſe, ac 138. die viceſima quarta Januarii vota pro illo nuncupaſſe. Si de ſecundo Natali loquitur, vota illa, die undecima Auguſti anni 538. ſuſcepta, ac Hadrianus anno ſequenti vita functus; cum certum ſit diem ejus emortualem decimum menſis Julii fuiſſe. Et videtur Caſaubonus de Natali Imperii intelligendus, cum Antoninum recens adoptatum fuiſſe ſcribat. Hæc itaque vera horum verborum interpretatio. Hadrianus poſt Ælii Veri mortem, *diu anceps quid faceret Antoninum adoptavit,* ait Spartianus in Ælio Vero cap. 6. cui Capitolinus in Antonino Pio cap. 4. ſuffragatur dicens: *Ergo cum cum Hadrianus adoptare ſe velle publicaſſet, acceptum eſt ſpatium deliberandi utrum arrogari ab Hadriano vellet.* Antonini adoptio die viceſima quinta Februarii anni Chriſti 138. peracta. Quare cum Natale genuinum Hadrianus die viceſima quarta Januarii celebraret, Antoninum, quem jam adoptare deſtinarat, non vero quem jam adoptarat, ut perperam interpretatur Caſaubonus, commendavit, ipſeque decima Julii die ejuſdem anni in fata conceſſit.

X. *Nummus Hadriani a Patino non intellectus.*

Denique idem ſecundus Antonini Conſulatus deſignatus Carolum Patinum Numiſmatum doctrina valde excultum decepiſſe videtur. Affert hic in nummis Hadriani, tabulam, quæ Ægyptiorum ac Græcorum vota pro Imperatoribus fieri ſolita in Numiſmatis exhibet; inter quæ unum eſt, in quo Deo Providentia ſtans repræſentatur cum his verbis ac litteris Græcis προνοια K. B. quæ ſic vertit Patinus: *Providentia XXII.* annumque Hadriani viceſimum ſecundum ſignificari dicit. At fallitur, licet enim literis Græci numeros explicent, duæque illæ, quando interjecto puncto non dividuntur, viginti duo ſignificent: quando tamen illud interjicitur, quod & in numeris, quibus utimur, etiam accidit, eæ non idem ſignificatum habent. Quod & videre eſt apud Triſtanum, ubi variis in nummis viſuntur duæ litteræ Græcæ, quæ ob punctum interjectum eamdem ſignificationem non habent, ac ſi illud abeſſet. Eæ porro litteræ K. B. ſignificare videntur nummum illum percuſſum eſſe anno ſecundo Hadriani Kartagine, vel in aliqua alia urbe, cujus nomen incipiat ab eadem Littera K. Et hæc ſatis de Conſulibus deſignatis, qui in Nummis Latinis ſæpe, in Græcis vero numquam apparent.

CAPUT QUINTUM.

De ſuffectis Cæſarum & Auguſtorum Conſulatibus.

I. *Conſulatus ſuffectus ab Impp. aliquando aſſumptus.*

Licet Auguſti & Cæſares Conſules ordinarii ut plurimum procederent; quod id Conſulatus genus nobilius eſſet, ac quidquid toto anno memoria dignum ageretur, eorum nominibus notaretur: Tamen aliquando etiam Conſulatum ſuffectum geſſere, ordinariiſque ſubrogati ſunt in aliquot reliqui anni menſes. Neque enim munus illud dedignati ſunt, quod Auguſtus anno Urbis 711. Q. Pedio Collega Conſulatum ſuffectum iniiſſet. Caligula ipſo Imperii initio; Nero vero anno, quo interfectus eſt, Conſulatum ſuffectum geſſere, ipſeque Domitianus Cæſar, imperante patre Veſpaſiano qui Titum ſibi Collegam in ſuis Conſulatibus ſemper adjunxit, toties Conſul ſuffectus eſſe voluit, quoties Titus frater ordinarius præceſſit, quæ omnia in Rationario Cæſareorum Conſulum infra explicata habes. Ex aliis Imperatoribus quidam etiam alii ipſo anno, quo Imperium iniere, Conſules ſe in aliquot menſes dixere, & proximis Kalendis Januariis Conſules ordinarii proceſſere. Tacitus hiſtoriarum libro primo refert Othonem Conſulem ſe cum Titiano fratre in Kalendas Martias dixiſſe, & proximos menſes Verginio deſtinaſſe, additque: *Cæteri Conſulatus ex deſtinatione Neronis, aut Galbæ manſere.* Quibus verbis receptum tunc uſum nos docet, de quo infra p. 2. cap. 2. n. 9.

II. *Conſulatus ſuffectus Neronis explicatur.*

Conſulatus ſuffectus Neronis, qui inter geſtos ab eo quintus ordine eſt, perperam ab Onuphrio, anno Chriſti ſexageſimo ſeptimo conſignatus fuit, ſub Conſulatu nempe Fonteii Capitonis, & Julii Ruſi: & ratio eſt, quia, ut docet Suetonius in Nerone cap. 40. Nero e Græcia redux Neapoli in Campania motum Galliarum audivit, in quibus Vindex Imperium arripuerat. Quo nuntio ab eo accepto, die quo matrem occiderat, circiter nempe diem viceſimum primum Martii: *Urgentibus aliis ſuper alios nuntiis Romam prætrepidus rediit,* inquit idem Suetonius cap. 41. qui capite ſequenti addit: *credens expeditionem neceſſariam, Conſules ante tempus privavit honore, atque in utriuſque locum ſolus iniit Conſulatum, quaſi fatale eſſet non poſſe Gallias debellari niſi a Conſule.* Quæ omnia non niſi anno Chriſti ſexageſimo octavo contingere potuiſſe certiſſimum; nam cum Xiphilinus ex Dione ſcribat, Galbam, qui Vindicis hortatu in Hiſpaniis Imperium invaſerat, regnaſſe menſes novem, dies tredecim, conſtetque eum occiſum die decima quinta Januarii anni Chriſti ſexageſimi noni, liquet eumdem die ſecunda, vel tertia menſis Aprilis ejuſdem anni Chriſti 68. Imperatorem dictum fuiſſe, & menſem Martium, quo Nero Neapoli nuntium accepit de excitata in Galliis a Vindice ſeditione, (quæ cauſa fuit, ut Galba, *ubi ſupervenerunt Vindicis litteræ, non diu cunctatus,* ut ait idem Suetonius in Galba cap. 9. Imperium ſuſceperit) alium non fuiſſe, quam qui anno 68. in curſu erat; ſi enim menſe Martio anni elapſi e Græcia Nero rediiſſet, defectionemque Galliarum, & Hiſpaniarum tunc accepiſſet, Galba anno amplius integro ab Imperio capeſſendo abſtinuiſſet, ſicque vel Hiſtorici quæ tam longo ſpatio geſta fuiſſent, enarraſſent, vel forte ipſa ſeditio diſſipata fuiſſet.

Sed

Digitized by Google

III. *Quo anno geſtus fuerit.*

Sed non niſi anno Chriſti ſexageſimo octavo Conſulatum hunc iniiſſe Neronem evincit nummus, qui apud Goltzium extat, in quo legitur: NERO CLAUD. CÆSAR AUG. GER. P. M. TR. P. XIV. IMP. P. P. ſumpſit Tribunitiam Poteſtatem XIV. Nero die 13. Octobris anni Chriſti ſexageſimi ſeptimi. Quare eo anno menſe Octobri Conſulatum illum quintum nondum inierat. Ultimum enim in nummis eum Tribunitiæ Poteſtatis currentis anno exprimi ſolitum fuiſſe certum. Sed quis ſibi unquam perſuadere poterit, Neronem anni ſexageſimi ſeptimi initio nuntium de excitata in Galliis a Vindice ſeditione, Hiſpaniarumque defectione accepiſſe, & non niſi poſt menſem Octobrem ejuſdem anni expeditionem adverſus eum paraſſe? Hanc enim ſuſcepti Conſulatus cauſam docet Suetonius. Niſi itaque proferantur nummi in quibus Tribunitia Poteſtas XIII. Neronis cum Conſulatu ejus quinto legatur, Onuphrii opinio, licet inter eruditos communis, non ſolum improbabilis, ſed & incredibilis, mihi videbitur. Nec probabilior Baronii ſententia, qui licet eundem Conſulatum anno 68. conſignet, cum tamen ſupponat Neronem anno præcedenti motum Galliarum audiviſſe, ac ſequenti expeditionem in eas deſtinaſſe, in eadem inconvenientia delabitur. Ex quibus tandem omnibus ſequitur Neronem non niſi anno Chriſti ſexageſimo octavo e Græcia reducem eſſe, ideoque toto anno ſuperiori, Roma Italiaque abfuiſſe, & Apoſtolorum Principes Petrum & Paulum, non eo anno, ut Petavius in Chroniro, Uſſerius in Annalibus veteris & novi Teſtamenti, & communiter viri eruditi exiſtimant, ſed anno Chriſti 65. ut Catalogus veterum Pontificum ab Henſchenio editus tradit martyrio coronatos fuiſſe. Quod Conſulatus ſuffectus Neronis, ni valde fallor, omnino demonſtrat.

IV. *Conſulatus ſuffecti Galerii Maximino.*

Ex his intelligis quam utilis ſit Conſulatuum ſuffectorum ab Auguſtis geſtorum cognitio, cum eorum ope graviſſimæ aliquando difficultates ſuperentur: quos idro e tenebris, quibus plerique circumfunduntur, educere operæ pretium eſt.

Sic ex ſecundo Conſulatu ſuffecto Galerii Maximini, quem cum Galerio Maximiano VIII. anno 311. geſſiſſe docet Lactantius libro de mortibus Perſecutorum cap. 35. eumdem Maximinum anno 307. ſe ipſum Auguſtum nuncupaſſe detexi, quod Conſulatus is ejus Quinquennalibus addictus videatur. Ex primo ejuſdem Maximini, Severo Collega, Conſulatu, cujus mentio apud Marianum Scotum anno 306. ubi de Conſtantii Chlori morte loquitur, confirmari poteſt quod idem Lactantius contra communem omnium ſententiam ſcripſit, Diocletianum & Maximianum anno 305. abdicaſſe; Cæſares enim & Auguſti proximis poſt nuncupationem Kalendis Januariis Conſulatum ordinarium inire ſolebant, qui cum anno 306. Conſtantio Chloro & Galerio Maximiano novis Auguſtis debitus eſſet, non dubium quin Maximinus & Severus Conſules ſuffecti, anno quo illi ordinarii, proceſſerint, quinve idem Marianus ex aliquo optimo Auctore illud hauſerit; licet in eo erret, quod eundem Conſulatum tanquam ordinarium obtrudat. Primi ſuffecti illius Maximini Conſulatus apud nullum alium Auctorem mentio; ſecundi apud Auctorem Chronici Alexandrini, licet non ſine errore his verbis: *Indict. XIII. Maximiano Herculio VIII. & Galerio Maximo.* Ea enim Indictio annum Chriſti 310. denotat. Præterea *Maximum*, loco *Maximini*, familiari Græcis Auctoribus errore, eumque ſine numerali nota exhibet. Valeſius in Notis ad lib. 9. Euſebii cap. 11. oſtendere conatur eundem Maximinum ter ſe ipſum Conſulem ordinarium dixiſſe; ſed poſt librum Lactantii de mortibus Perſecutorum in lucem emiſſum, hoc ejus opinamentum ruit, conſtatque non minus primum Maximini Conſulatum, quam ſecundum ſuffectum, tertiumque plane confictum eſſe.

V. *Conjectura de Conſulatu ſuffecto Conſtantini M.*

Quinquennaliorum Regularum, de quibus infra, beneficio, Conſulatum ſuffectum a Conſtantino Magno anno 310. geſtum, me e tenebris eruiſſe exiſtimabam; erat enim is annus quintus Imperii ejus inchoatus, & per ea præſertim tempora Imperatores anno, quo Quinquennalia & id genus feſta celebrabant, Conſulatum capeſſere ſolebant, uti in Rationario Conſulum Cæſareorum videre eſt. Quare hæc conjectura iiſdem regulis, hiſque fundamentis innixa. Primo *L. de Cenſu* data *XV. Kal. Febru.* relata in Codice Theodoſiano ſubſcriptos habet Conſules Conſtantinum Auguſtum IV. & Licinium III. dataque eſt, ut docet Gothofredus in Chronologia ejuſdem Codicis, anno 313. quo ſecundum communem loquendi modum Conſtantinus & Licinius tertium Conſulatum geſſere. Qua ex ſubſcriptione inferebam, Conſulatum ſuffectum Conſtantini, cujus communiter, ſicuti & aliorum ſuffectorum ratio per ea tempora non habetur, hic memorari. Verum quidem eſt eundem Gothofredum ibidem ſcribere, perperam huic legi adſcriptum eſſe Conſtantinum Aug. IV. cum Licinio III. At ille de hoc Conſtantini Conſulatu ſuffecto non cogitabat. Secundo Chronicon Alexandrinum Indict. XIV. Conſtantinum Auguſtum II. & Licinium, Conſules proponit; quod tamen in eo peccare exiſtimabam, quod ordinariorum loco eoſdem exhibeat. In ſubſequentibus ejuſdem Conſtantini & Licinii Conſulatibus idem Chronicon Conſtantino unum amplius, quam Licinio tribuit, ita ut anno 312. Conſules proponat Conſtantinum III. & Licinium II. & ſic deinceps eodem modo. Quod indicat, in probo aliquo ſcriptore ejuſdem Chronici Auctorem legiſſe Conſtantinum anno 311. Conſulem fuiſſe. Tertio D. Auguſtinus *lib. contra Donatiſtas poſt collationem*, qui ſeptimo ejus Operum tomo legitur, loquens de Judicio Melchiadis pontificis Romani in cauſa Cæciliani anno 313. habiti, inquit: *Melchiades judicavit Conſtantino tertium, & Liciniano* (Licinius enim vocabatur Licinianus Licinius, ut videre eſt in nummis) *iterum Conſulibus, Nonis Octobris.* Ubi vides D. Auguſtinum Conſulatum unum Conſtantino amplius, quam Licinio tribuere. Conſulatum enim a Licinio anno 311. geſtum, quia a Kalendis Januariis, uti diximus, non initum, pro ſuffecto habet, ideoque non numerat. Neque ulla alia ratio aſſignari poteſt, cur anno 313. Licinium iterum tantum Conſulem exhibeat. Quod ſi primum Licinii Conſulatum non numeravit, multo minus ſecundum Conſtantini numerare debuit, cum is mere ſuffectus fuerit, prior vero Licinii Conſulatus ordinarius communiter reputetur, quod poſt diviſionem Imperii anno 305. factam, alterutrius Conſulis nomen in altera Imperii parte anni initio ignoraretur; neque ideo Conſul Kalendis Januariis non publicatus, pro ſuffecto haberetur. Suſpicatur Baronius anno 313. num. 1. errorem irrepſiſſe in textum Auguſtini, cum Optatus lib. 1. & Zoſimus lib. 1. tertium Conſulatum Licinii cum tertio Conſtantini connectant. Sed exiſtimabam textum illum purum eſſe, cum non ita facile a librariis in dictionibus, qualis eſt *τὸ iterum*, quam in notis numeralibus peccetur. Sed poſtquam anno trecenteſimo decimo nullos Conſules ordinarios renunciatos fuiſſe in mentem venit, prætereaque Conſtantinum nullum Conſulatum ordinarium privatis collegis geſſiſſe, hanc conjecturam ſatis fundatam non eſſe arbitratus ſum. Quam tamen proponendam duxi, ut ea magis a viris doctis examinetur. Ex quibus tandem omnibus liquet Cæſarum & Auguſtorum Conſulatus ſuffectos ad nodos Chronologicos explicandos aliquando conferre, ideoque non negligendos eſſe.

CA-

CAPUT SEXTUM.

De Conſulatibus ſuffectis Gallieni Junioris Cæſaris, & Aureliani adhuc privati.

I. *Gallieni Junioris Cæſaris, & Valeriani Junioris Conſulatus ſuffectus hactenus ignotus.*

AUrelianus, cujus tot præclara extabant facinora, a Valeriano Auguſto, anno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo octavo in annum ſequentem Conſul deſignatus eſt, *in locum Gallieni & Valeriani*, ut tradit Vopiſcus in Aureliano, ubi capite undecimo, Valeriani ad Aurelianum Epiſtolam refert, in qua, ille dicit: *Conſulatum cum eodem Ulpio Crinito in annum ſequentem a die undecimo Kalendarum Juniarum in locum Gallieni & Valeriani ſperare te convenit ſumptu publico.* Tum capite 13. ex libro Acholii, Actorum ejus nono hæc habet idem Vopiſcus: *Cum conſediſſet Valerianus Auguſtus in Thermis apud Byſantium, præſente exercitu, præſente etiam officio Palatino, aſſidentibus Memmio Fuſco Conſule ordinario, Bæbio Macro Præfecto Prætoris &c. Valerianus Auguſtus dixit te Conſulem hodie deſigno, ſcripturus ad Senatum, ut tibi deputet ſcipionem, deputet etiam faſces. Hæc enim Imperator non ſolet dare, ſed a Senatu, quando fit Conſul, accipere.* Hæc verba: *in locum Gallieni & Valeriani*, Cimmerium chaos, ac nodus Gordius Caſaubono, Salmaſio, pluribuſque viris doctiſſimis viſa; unde eorum explicatio in Notis ad Vopiſcum, aut ubi ſe offerebat occaſio, ne quidem ab eis tentata. Ii vero, qui difficultatem non pertimuere, cum ab ea ſe ſe expedire non poſſent, Conſules ordinarios ſuo loco moverunt, & giganteo auſu, ut ita dicam, contra cœlum pugnarunt, ordinem temporum intervertentes. Hic lapis, in quo Eruditi offenderunt, labyrinthuſque Cretico non abſimilis, de quo cum Virgilio lib. 5. Æneidos, verſu 128. jure dixeris.

Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta,
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque,
Mille viis habuiſſe dolum, qua ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus, & irremeabilis error.

Auctores qui eundem Conſulatum explicarunt.

Filum Ariadneum, quo inde emergi poſſit, me ſubminiſtraturum ſpero, ſi prius laterculos Conſulum, qui Gallieno imperante, Faſtis nomen dederunt, eorumque, qui a celeberrimis Scriptoribus, hujus difficultatis occaſione confecti ſunt, propoſuero. Quinque magni viri hunc nodum ſolvere ſuſcepere Onuphrius Panvinus, Cæſar Baronius, Dionyſius Petavius, Carolus le Cointe, & Henricus Noriſius; reliqui Scriptores, vel horum veſtigia ſecuti, vel diſſimulata difficultate Conſules per hæc tempora ordinarunt. Quia vero neque Onuphrius, neque Noriſius Faſtos, uti alii tres, perverterunt, quin contra recte eos digeſſerunt, horum ſententiam in vera Conſulum ſerie indicare ſufficiet.

Vera Conſulum ſeries

Anni Chriſti
253. *Vibius Voluſianus Aug. II.*
M. Valerius Maximus.
254. *Valerianus Aug. II.*
Gallienus Aug.
255. *Valerianus Aug. III.*
Gallienus Aug. II.

Hoc anno Gallienus Junior Gallieni Auguſti filius, qui & Publius Licinius Cornelius Saloninus Valerianus dictus reperitur, Cæſarea dignitate exornatus eſt, ut infra videbitur. *Gallienus Junior Cæſar dictus.*

256. *M. Valerius Maximus.*
Acilius Glabrio.
257. *Valerianus Aug. IV.*
Gallienus Aug. III.

His Conſulibus Ulpius Crinitus & Aurelianus, qui poſtea Imperator fuit, in locum Valeriani & Gallieni Augg. ſubrogati ſunt ex Onuphrii ſententia, cui complures viri eruditi adhæſere, quæ mox tamen a nobis evertetur. *Sententia Onuphrii circa annum Conſulatus ſuffecti Aureliani.*

258. *Aurelius Memmius Fuſcus.*
Pomponius Baſſus.

His Conſulibus Valerianus Auguſtus in Thermis apud Byzantium Aurelianum cum Ulpio Crinito in annum ſequentem Conſules deſignavit, ſuffectos nempe a die undecimo Kalendarum Juniarum, in locum Gallieni & Valeriani, Gallieni nempe Junioris Cæſaris, & Valeriani Gallieni Auguſti fratris ejus patrui Conſulum pariter ſuffectorum, quod hactenus ignoratum, quodque ex ſequentibus liquebit. *Hoc anno Aurelianus Conſul deſignatur in ſequentem.*

259. *Fulvius Æmilianus.*
Pomponius Baſſus II.

Hoc anno Gallienus Junior Cæſar & Valerianus ejus patruus Æmiliano & Baſſo ſuffecti ſunt, his vero Crinitus, & Aurelianus, ut infra demonſtrabitur. Eſt hic annus quintus Imperii Cæſarei Gallieni Junioris, qui ad decennalia celebranda cum Conſulatum capeſſiit. *Hoc anno Gallienus Junior Cæſar Conſul ſuffectus fuit.*

260. *Cornelius Secularis II.*
Julius Donatus.

Hoc anno ex Noriſii ſententia, capto Valeriano, ſeptimo Imperii ejus anno, Gallienus alia collegia Conſulum, quam quæ a patre Valeriano ordinata fuerant, pro arbitrio deſignavit. Conſulatumque Aureliano, antequam illum iniret, abrogavit. Quæ opinio ex dicendis corruet. *Sententia Noriſii circa annum Conſulatus Aureliani.*

261. *Gallienus Aug. IV.*
Petronius Voluſianus.
262. *Gallienus Aug. V.*
Pompeius Fauſtinus.
263. *Nummius Cleionus Albinus.*
Maximus Dexter.
264. *Gallienus Aug. VI.*
Amulius Saturninus.
265. *Licinius Valerianus II.*
Lucillus Caſonius Macer.
266. *Gallienus Aug. VII.*
Sabinillus.
267. *Ovinius Paternus.*
Arceſilaus.
268. *Ovinius Paternus II.*
Marinianus.

Hoc anno occiſo Gallieno Claudius *nono Kalendas Apriles* Imperator acclamatur, ut teſtis eſt Pollio in Claudio cap. 4.

Hæc vera Conſulum ordinariorum ſeries. eorundem vero Conſulum laterculi tres ſequentes depravati ac rejiciendi. II. *Prava Conſulum ordinatio.*

CON-

CONSULES Secundum Baronium.	CONSULES Secundum Petavium.	CONSULES Secundum Carolum le Cointe.
256 Valerianus Aug. Maximus.	253. Voluſianus II. Maximus.	255. Voluſianus II. Maximus.
257. Valerianus Aug. II. Gallienus Aug.	254. Valerianus II. Gallienus.	256. Valerianus II. Gallienus.
258. Valerianus Aug. III. Gallienus Aug. II.	255. Valerianus III. Gallienus II.	257. Maximus Glabrio.
259. Maximus Glabrio.	256. Maximus Glabrio.	258. Valerianus II. Gallienus II.
260. Valerianus IV. Gallienus III.	257. Valerianus IV. Gallienus III.	259. Valerianus IV. Gallienus III.
261. Fuſcus Baſſus.	258. Memmius Fuſcus Pomponius Baſſus.	260. Æmilianus Baſſus.
262. GALLIENUS IV. VALERIANUS CÆS.	259. GALLIENUS IV. VALERIANUS CÆS.	261. Secularis Donatus.
263. Gallienus V. Fauſtinus.	260. Æmilianus Baſſus II.	262. Fuſcus Baſſus.
264. Albinus Maximus.	261. Gallienus V. Voluſianus.	263. GALLIENUS IV. VALERIANUS CÆS.
265. Gallienus VI. Saturninus.	262. Gallienus VI. Fauſtinus.	264. Gallienus V. Fauſtinus.
266. Valerianus II. Lucillus.	263. Albinus Dexter.	265. Albinus Dexter.
267. Gallienus VII. Sabinillus.	264. Gallienus IV. Saturninus.	266. Gallienus VI. Saturninus.
268. Paternus Arceſilaus.	265. Valerianus Cæſar II. L. Cæſonius Macer.	267. Valerianus II. Lucillus.
269. Paternus II. Marinianus.	266. Gallienus VIII. Sabinillus.	268. Gallienus VII. Sabinillus.
	267. Paternus Arceſilaus.	269. Paternus Arceſilaus.
	268. Paternus II. Macrianus.	270. Paternus II. Macrianus.

III. *Quo anno Gallienus Junior Conſulatum ſuffectum geſſerit.*

Ex his tribus ſcriptoribus, unus Petavius annos Chriſti cum Conſulibus recte connectit, quia Eram Chriſtianam a Conſulatu Caii Cæſaris & Æmilii Pauli, quemadmodum fieri debet, auſpicatus eſt: Baronius vero, & Carolus le Cointe, qui Annales ſuos male inchoarunt, eamdemque Eram biennio anteverterunt in præfatis laterculis modo tribus, modo duobus, modo anno uno a recta via deflectunt; unde magna in eorum Annalibus per hæc præſertim tempora perturbatio, quæ in Baronianis ad Diocletianum, in Cointæis ad Conſtantinum uſque propagatur. Baronius Gallieno Aug. IV. & Valeriano Cæſari, Petavius Gallieno Aug. IV. & eidem Valeriano, Carolus le Cointe Gallieno etiam IV. & Valeriano Cæſari Crinitum & Aurelianum ſuffectos fuiſſe ſcribunt; Quare præfata Vopiſci verba de Gallieno Imperatore & Valeriano ejus fratre: quem perperam jam tum Cæſarem fuiſſe ſupponunt; intelligunt, cum tamen is de Gallieno Juniori Cæſare, & Valeriano ejus patruo loquatur. Quorum Conſulatum, ſicuti & Criniti ac Aureliani, qui utrique ſubrogati fuere, loco ſuo unde tamdiu exularant, repoſuimus, cujus rei nunc ratio aſſignanda, ne amplius idem Vopiſci locus Lectores in errorem inducat, & Conſulatus ſuffectus tanquam ordinarius in Faſtos intrudatur. Anno itaque Chriſti ducenteſimo quinquageſimo octavo ſecundum rectam Chronologiam, ſine qua in vanum hic laboraretur, Valerianum Auguſtum in Oriente fuiſſe docent Acta Martyrum, variaque Martyrologia, in quibus plures Martyres ſub Gallieno in Occidente paſſi dicuntur, Valeriani nomine non expreſſo. Quod non accidit, quemadmodum Baronius anno ducenteſimo ſexageſimo primo: ſub Conſulatu Memmii Fuſci & Pompotii Baſſi recte obſervat, quod ceſſante Valeriano fuerint illi martyrio coronati, cum Gallienus, capto a Perſis Patre, mox perſecutionem ceſſare juſſerit. Sed quia ſolus Gallienus, Valeriano in Oriente cum exercitu agente, in Occidente imperaret. Dum itaque Valerianus Auguſtus anno 258. Byzantii eſſet, in undecimum Kalendarum Juniarum anni ſequentis diem, Crinitum & Aurelianum Conſules ſuffectos, in locum Gallieni Cæſaris, Gallieni Imperatoris filii, ac Valeriani ejuſdem Gallieni Imperatoris fratris, Conſulum pariter ſuffectorum, deſignavit.

IV. *Valerianus filius Valeriani, & Valerianus alter filius Gallieni inter ſe diverſi.*

Hoc vel ſola Valeriani, Gallieni, ac Salonini nominum explicatio oſtendit, quorum ambiguitas graviſſimos Scriptores decepit, utque eos in unum confunderet, effecit: Et nihilominus diverſarum perſonarum nomina hæc ſunt. Valerianus Junior filius erat Valeriani Auguſti, ac Gallieni Imperatoris frater, alia tamen quam is matre genitus, ut teſtis eſt Pollio in ejus vita. Dicitur in nummis tam apud Goltzium, quam apud Occonem P. LIC. VALERIANUS CÆS. Valerianus vero Gallieni Imperatoris filius, modo Gallienus, modo Saloninus a Cornelia Salonina Auguſta matre, modo Valerianus dicitur in nummis ejus apud Goltzium: P. LIC. COR. SAL. VALERIANUS N. C. PRINCEPS JUVENTUTIS, id eſt; *Publius Licinius Cornelius Saloninus Valerianus Nobiliſſimus Cæſar, Princeps juventutis*. Ubi vides tam fratrem Gallieni, quam ejus filium vocari Publium Licinium Valerianum, ſed ejus filium tantum Saloninum appellari. Hic frater erat, qui etiam Saloninus Gallienus ac Quintus Julius Saloninus Gallienus in nummis apud Goltzium dicitur, de quo mentio apud Pollionem lib. de triginta Tyrannis capite 21. qui de conſecratione Piſonis Romæ facta loquens ait in ſenatu dictum fuiſſe: *Divinos honores Piſoni decerno, Patres conſcripti. Gallienum & Valerianum & Saloninum Imperatores noſtros eſſe conſido*. In Auguſtorum conſecratione de eorum ſucceſſoribus mentionem fieri ſolitam. ex verbis in Aureliani Auguſti conſecratione dictis, & a-

Vopiſco in ejus vita cap. 41. relatis colligo: ibi enim dicitur: *Decerno igitur divinos honores: id quod vos omnes exiſtimo eſſe facturos, nam de Imperatore deligendo ad eumdem exercitum cenſeo eſſe referendam*. Quare qui in Piſonis, unius ex triginta Tyrannis conſecrationis decreto nominantur Principes, non alii ſunt, quam quibus patere Romani decreverant, Gallienus ſcilicet Auguſtus, Valerianus ejus filius, qui & Gallienus Junior dictus, & Saloninus hujus frater uterque Cæſar. Nam Valerianus Gallieni frater nondum Cæſar erat, quando paulo poſt Valerianum in ſervitutem abductum Piſo ſummæ virtutis vir, qui Imperium ſumpſerat, interfectus eſt.

V. *Tres Valeriani, ac tres Gallieni.* Sed ad omnem ambiguitatem magis vitandam obſervandum tres fuiſſe Valerianos, ac tres etiam Gallienos, nempe Valerianum Auguſtum, Valerianum Juniorem hujus filium, qui frater erat Gallieni Imperatoris, ac Valerianum Saloninum ejuſdem Gallieni Imperatoris filium. Tres pariter Gallieni fuere, Gallienus Auguſtus Valeriani Auguſti filius, Gallienus Junior, & Gallienus minor ejuſdem Gallieni Auguſti filii, qui & uterque Saloninus dictus. Quare errat Spanhemius, qui diſſertatione ſexta de præſtantia & uſu Numiſmatum tres quidem Valerianos recte diſtinguit, ſed duos tantum Gallienos Patrem & filium natu minorem perperam numerat, cum uterque Gallieni Imperatoris filius & Gallienus & Saloninus diceretur. Et quidem de minori Gallieni filio quin Gallienus dictus ſit, difficultas eſſe non poteſt, cum ita in nummis apud Goltzium dicatur. Sed nec de Gallieno Juniori ejus fratre negari poteſt; ita enim eum vocat Pollio in Valeriani, Gallieni Auguſti fratris vita: *Saloninus filius etiam Gallienus, qui & Gallienus dictus eſt*. Immo Gallieni Auguſti, & hujus Gallieni Salonini vita ab eodem Pollione inſeribitur: *Trebellii Pollionis Gallieni duo*. Tum in Salonino Gallieno ait: *multi eum Gallienum, multi Saloninum in hiſtoriis prodiderunt. qui autem Gallienum, patris nomine cognominatum ferunt, & avi Gallieni*. Gallieni etiam nomine eum indigitat Zonaras in Annalibus, & quod rem plane evincit, ipſe Valerianus Auguſtus in epiſtola quam Antonino Gallo Conſuli ſcribit, a Vopiſco in Aureliano cap. 8. relata, non alio eum nomine vocat: *culpas me familiaribus Literis, quod Poſthumio filium meum Gallienum magis quam Aureliano commiſerim: cum utique & ſeverior & puer credendus fuerit & exercitus*. Caſaubonus verba hæc de Gallieno Auguſto interpretatur, ſed parum erudite; hic enim qui anno quinquageſimo ætatis, ut Aurelius in Epitome docet, periit, natus erat annos circiter triginta quinque, quando Imperium init, ideoque nullo modo dici puer poterat, ſicuti Gallienus & Saloninus, qui tam a Pollione, quam a Vopiſco puer vocatur. Ille ſiquidem in libro de triginta Tyrannis cap. 3. de Poſtumio loquens confirmat quæ Vopiſcus habet, Saloninum nempe Poſtumii curæ commiſſum fuiſſe: *hic vir in bello fortiſſimus* (nempe Poſtumius) *in pace conſtantiſſimus, in omni vita gravis, uſque adeo ut Saloninum filium eidem Gallienus in Gallia poſitum crederet, quaſi Cuſtodi vitæ, & morum, & actuum Imperialium inſtitutori*. Quando itaque Valerianus Auguſtus apud Vopiſcum in Aureliano cap. 12. ait: *Conſulatum cum eodem Ulpio Crinito in locum Gallieni & Valeriani ſperare te convenit*. Manifeſtum eſt hoc in loco Gallieni nomine non alium quam Saloninum intelligi, qui non tantum a Pollione, ſed & ab ipſo Valeriano Auguſto Gallienus, ut jam diximus, appellatus fuit.

VI. Gallienus itaque Junior a Valeriano avo, & Gallieno patre Cæſar dictus eſt, ut uterque Victor nos docet; idque anno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo quinto. Lib. enim 2. Codicis Juſtinianei *tit. 4. de tranſactionibus l. II.* dicitur *PP. XV. Kalend. Decemb. Valeriano & Gallieno AA. utriſque II. Coſſ.* inſcribitur vero: *Imp. PP. Valerianus, Gallienus AA. & Valerianus nobilis Cæſar Caiano militi*. Is Valeriani & Gallieni Conſulatus cadit in præfatum annum Chriſti 255. Verum quidem eſt Valerianum dici tertium Conſulem cum Gallieno II. ſed plerumque Conſulatus ſuffecti, qualis primus fuit Valeriani Auguſti, per hæc tempora prætermittuntur. Ante hoc tempus nulla in Codice Juſtinianeo Valeriani Cæſaris mentio; quod facit, ut credam eum hoc anno dictum eſſe Cæſarem, quamvis & anno præcedenti ea nuncupatio fieri potuerit, cum Conſulatus ſuffectus ab eo, anno 259. geſtus, ejuſque Quinquennalibus deſtinatus, demonſtret eum alterutro anno eam dignitatem obtinuiſſe, annoque quinto, vel ineunte, vel exacto, Quinquennalia edidiſſe. Nec mirum quod in ejuſdem legis, aliarumque, quæ ſequentibus annis in eodem Codice leguntur, titulo, dicatur Valerianus; cum, uti oſtendimus, modo Valerianus, modo Saloninus, modo Gallienus nuncupatus reperiatur. Gallis imperavit ad annum uſque ducenteſimum ſexageſimum primum, quo a Poſtumio, qui in nummis Poſtumus dicitur, interfectus eſt; Pollio enim in duobus Gallienis ſub Gallieni & Voluſiani Conſulatu, qui in eum annum incidit, refert Gallos Poſtumium ad Imperium vocaſſe, quare quod Aurelius Victor in Epitome ſcribit: *Gallienus in locum Cornelii filii ſui* (id eſt Gallieni Cæſaris) *alterum filium ſubrogavit*, non niſi eodem anno 261. fieri potuit. Corruptus eſt autem Pollionis locus in Salonino Gallieno cap. primo, ubi de eo ait; *tranſiſſe decennium Imperium Gallieni ſatis clarum eſt. quod idcirco addidi, quia multi eum Imperii ſui primo anno periiſſe dixerunt*. Cum enim ex dictis anno Chriſti 261. a Poſtumio interfectus fuerit, manifeſtum fit legendum eſſe *ſexennium*, aut forte *ſeptennium* loco decennii. Corrigendus & obiter alius ejuſdem Pollionis error. *Is* in duobus Gallienis cap. 4. & in libro de triginta Tyrannis cap. 3. ait, per annos ſeptem Poſtumium in Gallis imperaſſe; cum tamen Triſtanus tomo tertio pag. 262. nummum ejuſdem Poſtumii referat, in quo legitur: P. M. TR. P. VIIII. COS. IIII. PP. Quare nonum Imperii annum attigit, imo & decimum. Extat enim ibidem nummus alter, in quo cernitur Victoria ſtans, pede dextro globum calcans, & in uno ex genibus clypeum tenens, in quo ſcriptum: VOT. XX. id eſt, *vota vicennalia*. Decimum itaque Imperii annum inchoavit, recteque ab Eutropio lib. 9. ac Oroſio lib. 7. cap. 22. ſcriptum, eundem per annos decem imperaſſe. Quæ annotare placet, ut pateat quantum a minoribus Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus in Chronologia peccatum fuerit, hancque Nummographia deſtitutam imperfectam eſſe. *Imperium & mors Gallieni Junioris.*

VII. *An Gallienus Junior fuerit Auguſtus.* Gallienum Juniorem inter Divos a patre relatum fuiſſe, patet ex nummis in quibus legitur: DIVO VALERIANO CÆS. vel DIVO CÆS. VALERIANO. Quod ſi ante mortem ab eodem Gallieno patre Auguſtus nuncupatus fuiſſet, titulus hic in nummis poſt Apotheoſim percuſſis non prætermitteretur. Quare non niſi ſubditorum, populorumque amore aut adulatione, Auguſti nomen ei attributum videtur. Extat enim nummus Græcus apud Occonem, in quo Gallienus Junior Auguſtus dicitur. Verum quidem eſt Auctorem hunc ad Valerianum ejus patruum illum referre, ſed perperam, ut recte Spanhemius differt. 6. de præſtantia & uſu Numiſmat. & Inſcriptio manifeſte arguit: ΠΥ. ΛΙΚ. ΣΑΛΩΝ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. id eſt, *Publius Licinius Saloninus Valerianus, Auguſtus*. Immo

ma-

Digitized by Google

pugna mihi ſuſpicio eſt Inſcriptionem, quam Petrus Jofredus vir clariſſimus, a quo Alpium Maritimarum hiſtoriam jam haberemus, niſi ſereniſſimo Sabaudiæ Duci totus addictus eſſet, mecum communicavit, de eodem Gallieno Juniori intelligendam eſſe.

CORNELIÆ SALO
NINÆ
SANCTISSIM. AUG.
CONIUG. GALLIENI
IUNIORIS, AUG. N.
ORDO CEMENEL.
CUR. ANT. AURELIO
IANVARIO. V. E.

Extat en in territorio Nicienſi, a duobus viris harum rerum peritis, ejuſdem viri clariſſimi beneficin deſcripta; cum enim in ejus hiſtoria Nicienſi non videretur pura, eundem rogavi, ut eo prorſus, quo extaret modo, exaſandam curaret, quod & pro ſua erga me benevolentia præſtitit. In ea Gallieni Junioris nomine, Gallienus pater non videtur intelligendus; is enim in nulla Inſcriptione dicitur *Junior*; neque nomen hoc diſtinctivum alii quam minori natu tribui ſolet: alioquin Gallienus pater, & Gallienus filius ea nota potius confuſi quam diſtincti fuiſſent. Sed illud epithetum filio, non patri tributum fuiſſe, docent hæc Pollionis verba de Salonino Gallieno: *fuit hactenus ſtatua in pede montis Romulei, hoc eſt, ante Sacram viam, intra templum Fauſtinæ adveſtis ad arcam Fabianum, qua haberet inſcriptum* GALLIENO IUNIORI, SALONINO *additum*. Verum eſt in libris editis legi MINORI; ſed præterquam quod Gruterus in Notis, dicit Manuſcripta, quæ in Bibliotheca Palatina vidit, habere *Juniori*, ipſeque idem vocabulum in textu repoſuit, inter utrumque in ſenſu de quo agitur, non videtur eſſe differentia. Non levis tamen difficultas, quomodo Gallieni Junioris uxor Cornelia Salonina vocari potuerit, cum Gallieni Auguſti conjux, ipſius Gallieni Junioris mater, eodem nomine appellaretur, ut videre eſt in nummis apud Goltzium & Occonem. Ad quam reſpondendum exiſtimo uxorem Gallieni Junioris a marito nomen illud mutuatam eſſe; ſicut videmus Fauſtam, Conſtantini Magni uxorem mariti nomine Flaviam dictam fuiſſe, ut legitur in nummis. Corneliæ enim nomen etiam ipſa Gallieni Auguſti uxor uſurparat; cum, ut Triſtanus oſtendit, Græca ea fuerit, & in Nummo græco, quem profert, CHRYSOGONES cognominetur: imo Valeriani Junioris Gallieni Auguſti fratris uxor in nummo apud eundem Triſtanum dicitur CORNELIA SUPERA. Adeo verum eſt Corneliæ nomen, Gallienorum & Valeriani uxoribus familiare fuiſſe. Gallienum tamen Cæſarem Juniorem nullos genuiſſe liberos certum videtur, cum Numiſmata eum valdo juvenem exhibeant, nullibique de iis mentio. Sed hanc epigraphem Eruditis magis diſcutiendam relinquo.

VIII. *Valerianus Junior ante patris captivitatem Cæſar non fuit.*

Nec quis porro dicat Valerianum Cæſarem, de quo in laudata lege Codicis Juſtinianei, aliiſque nomen illud præferentibus, Gallieni Junioris patruum eſſe, non vero ipſummet Gallienum Juniorem; nam idem Valerianus Junior ante Valeriani Auguſti captivitatem, Cæſaream dignitatem non obtinuit, quod manifeſte deducitur ex litteris a Balero Caduſiorum Rege ad Saporem Perſarum Regem ſcriptis, & a Pollione in Valeriano cap. 5. relatis. Ille ut ad reddendum Valerianum inducat, ita ad eum ſcribit: *Age ut prudentem decet: nec fortuna te inflet, quæ multos decepit. Valerianus & filium Imperatorem habet, & nepotem Cæſarem. Et quid? habet & omnem orbem illum Romanum, qui contra te totus inſurget*. In Epiſtola vero ad eundem Saporem ab Artabaſde Armeniorum Rege miſſa, ibidemque cap. 6. relata idem Rex ait: *Valerianum & filius repetet & nepos, & duces Romani, & omnis Gallia, & omnis Africa, & omnis Hiſpania, & omnis Italia, & omnes gentes, quæ ſunt in Illyrico, atque in Oriente & in Ponto*. Quid clarius? omiſiſſetne uterque Rex Valerianum Juniorem, ſi tum Cæſar, ſicuti nepos fuiſſet? Ex quibus etiam certum redditur quod ſupra Num. 6. diximus Quintum Julium Gallienum, alterum Gallieni Auguſti filium, qui Cæſar in Nummis apud Goltzium dicitur, ante annum Chriſti 261. eam dignitatem non obtinuiſſe; cum capto Valeriano Auguſto, ex ejus nepotibus unus tantum Cæſar eſſet. Verum quidem eſt eundem Pollionem in Valeriano Juniori de eo ſcribere: *a patre abſente Cæſar eſt appellatus, a fratre, ut Celeſtinus dicit, Auguſtus*. Sed præfatis Epiſtolis major fides habenda; nam eundem Pollionem de ejuſdem Valeriani Junioris rebus parum edoctum fuiſſe, ipſemet in duobus Gallienis cap. 14. oſtendit, ubi de ejuſdem Valeriani morte loquens ait: *quem multi Auguſtum, multi Cæſarem, multi neutrum fuiſſe dicunt: quod veriſimile non eſt. Siquidem capto jam Valeriano, ſcriptum invenimus in Faſtis VALERIANO IMPERATORE CONSULE. Quis igitur alius potuit eſſe Valerianus, niſi Gallieni frater? Conſtat de genere, non ſatis tamen conſtat de dignitate, vel ut cœperunt alii loqui de majeſtate*. Quibus verbis ſatis ſignificat ſe ea etiam de Valeriano Juniore ignoraſſe, quæ certiſſima ſunt; quod nempe Cæſar & Auguſtus fuerit; quæ de ſe nummi nos dubitare non ſinunt. Neutiquam igitur ille audiendus, quando ſcribit Valerianum Juniorem a Valeriano Auguſto patre Cæſarem appellatum eſſe.

IX. *Quo anno Valerianus Junior Cæſar ac Auguſtus dictus ſit.*

Difficile tamen, quo poſtea anno, Cæſar & Auguſtus Valerianus Junior dictus ſit, invenire. Inſcriptio quam refert Onuphrius lib. 2. Faſtorum pag. 255. quæque in Antiquo Arcu Veronæ etiam hodie viſitur, dedicata pridie nonas Decembris, in qua ſecundus ejus Conſulatus exprimitur, nulla Cæſareæ dignitatis mentione facta, videtur ſignificare Kalendis Januariis anni 265. quo Conſul ordinarius proceſſit, nondum illum fuiſſe Cæſarem. Is enim titulus in ſolenni Inſcriptione, non videtur prætermiſſus.

COLONIA. AUGUSTA. VERONA. NOVA. GALLIENIANA.
VALERIANO II. ET LUCILLO. CONS.

MURI. VERONENSIUM FABRIC. EX DIE. NON. APRILIUM
DEDICATI. PR. NON. DECEMBR. JUBENTE. SANCTISSIMO.
GALLIENO. AUG.

N. INSISTENTE. AUR. MARCELLINO. V. P. DUC. DUC.
CURANTE.
JUL. MARCELLINO.

Mos erat ut, in Conſulibus exprimendis non alii iiſdem attribuerentur tituli, quam qui ipſis initio dignitatis competebant; quo ex principio capite 3. N. XIII. oſtendimus Ælium Verum initio anni 136. quo Conſul ordinarius proceſſit, nondum Cæſarem fuiſſe. Et recte id quidem; cum ipſemet Conſulem, ſe non vero Cæſarem in ſubſcriptione dicat: Sed Sculptorum imperitia hoc probationis genus nobis eripuit: non ſemel enim accidit, ut in Conſulibus ordinariis memorandis, Cæſaris, ſimileſve titulos taceant. Patet hoc in Inſcriptione ab Onuphrio lib. 2. Faſtorum pag. 154. relata, in qua legitur:

DEDIC. ID
APR. IMP
CÆS. ANT
PIO. IIII. ET
M. AUR. ALE
XANDRO
COS

Facta ea dedicatio Idibus Aprilis anni Chriſti 222. quo Heliogabalus Aug. IV. & Alexander Severus, Cæſar Conſules ordinarii fuere; is enim jam ab anno præcedenti Cæſar erat, eoque anno pridie nonas Martias eidem Heliogabalo occiſo in Imperio ſucceſſerat. Non mirum tamen quod in præfata Inſcriptione non dicatur Auguſtus, licet quando ea poſita eſt, eam jam dignitatem obtineret, quia quæ poſt Conſulatum adeptum acquirebantur, in actis publicis memorari non ſolebant; ſed non niſi Sculptoris errore factum, ut in ea Cæſar non dicatur; quemadmodum recte in aliis Inſcriptionibus, in quibus ejus Conſulatus exprimitur. Infirmum itaque argumentum, quod ex ſola Inſcriptione Verunenſi deduceretur ad probandum Valerianum Juniorem ante annum 265. Cæſarem non fuiſſe; eoque magis, quo Pollio loco laudato dicat, ſcriptum inveniſſe in Faſtis. VALERIANO IMPERATORE CONSULE, ubi pariter incertum an Imperatoris nomen eidem tribuatur ob Cæſaream, vel ob Auguſteam dignitatem, cum poſt Marcum Aurelium, plureſque Auguſtos ſimul imperantes, Imperatoris nomen tam Cæſaribus, quam Auguſtis datum ſit, licet antea Collegis quidem Imperii, Cæſaribus vero minime tribueretur. Patet id in hac Inſcriptione, quæ apud Goltzium extat: IMP. Q. JULIO PILIO GALLIENI AUG. & SALONINÆ AUG. ubi vides Julium Saloninum Imperatorem vocari. Sic Alexander Severus in nummis Græcis dictur Imperator ante adeptum Imperium. ATT. K. M. AT ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. id eſt, *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Alexander*. Sic Voluſianus, Galli filius qui prius Cæſar, quam Auguſtus fuit, *Imperator Cæſar* in nummis dicitur: neque de hoc quæſtio eſſe deberet, niſi a viris doctis titulum Imperatoris Cæſaribus denegatum fuiſſe quotidie in litteras mitteretur. Nihil itaque certi de tempore, quo Valerianus Junior & Cæſar & Auguſtus dictus eſt. Auguſti tamen titulum tardius ei attributum videtur ſicuti & Cæſaris, neutrumque anno, quo Conſul proceſſit adhuc obtinuiſſe. In Codice enim Juſtinianeo lib. 9. tit. 16. L. 4. *ad Legem Corneliam de Sicariis* dicitur *PP. XIII. Kalend. Feb. Valerio & Lucilla Coſſ.* ubi loco *Valerio*, legendum *Valeriana*, qui cum in ea ſubſcriptione neque Cæſar, neque Auguſtus dicatur, apparet eumdem titulum nondum tunc aſſecutum fuiſſe. At uno vel altero decoratum fuiſſe exiſtimo anno 277. quo Gallienum Auguſtum Quindecennalia celebraſſe eo anno in Rationario faſtorum dicetur. Nuncupationes enim eas in hujuſmodi feſtivitatibus fieri ſolitas fuiſſe infra oſtendemus. Cum igitur in nummo apud Goltzium titulus Auguſti, & Tribunitia poteſtas ſine numerali nota Valeriano Juniori detur, liquet non diu illum ea dignitate potitum, quamvis quod revera eam obtinuerit, & nummus apud Triſtanum, in quo Cornelia Supera ejus uxor, Auguſta dicitur, & duo alii ſimiles, qui in Bibliotheca Cæſarea extant, ac denique hæc Epigraphe, ab eodem Goltzio relata, demonſtrent. IMP. C. P. LIC. VALERIANUS P. F. AUG. P. TR. P. COS. II. His poſitis manifeſtiſſime patet Valerianum eum, de quo loquitur Vopiſcus in loco controverſo non eſſe Valerianum Juniorem Valeriani Auguſti filium, cum conſtet ante ejuſdem Valeriani Auguſti captivitatem, Gallienum Juniorem, Cæſarem fuiſſe, in Galliis ſub Poſtumii cura imperaſſe, & non minus Gallienum Juniorem, quam Valerianum & Saloninum appellatum eſſe: Valerianum vero Juniorem, neque Cæſarem fuiſſe neque in aliqua Imperii parte adminiſtrationem aliquam obtinuiſſe. Quare retineant Faſti Conſules ſuos ordinarios, Conſulatus Gallieni, & Valeriani, de quo Vopiſcus, pro ſuffecto, ſicuti revera fuit, impoſterum habeatur, annoque Chriſti 259. conſignetur. Neque Faſti amplius ſollicitentur, cum nihil adduci poſſit, quod oſtendat per Gallieni Imperii tempora aliter eos ordinari debuiſſe, & quicumque eoſdem reformare tentarint, totam ſeriem temporum perverterint, ſeſeque in inextricabilem labyrinthum induxerint, quod demonſtrandum reſtat. Illud enim magis oſtendet Pollionis mentem nos aſſecutos fuiſſe.

X. *Confutatur opinio Onuphrii circa locum Vopiſci.*

Exiſtimavit Onuphrius libro ſecundo Faſtorum pag. 263. Gallienum & Valerianum, de quibus Vopiſcus, alios non eſſe, quam Gallienum & Valerianum Auguſtos; huncque locutum fuiſſe de tertio Conſulatu ordinario Gallieni filii ſui; de ſuo vero quarto, anno 257. ab utroque geſto; ideoque Crinitum & Aurelianum in eum annum Conſules deſignaſſe eoſque ſibi ac filio ſubrogaſſe. Sed præterquam quod ipſa Vopiſci verba Valerianum Auguſtum de ſe ipſo locutum non fuiſſe aperte indicant, quomodo is anno 256. deſignationem eam coram Memmio Fuſco Conſule ordinario, quod docet idem Vopiſcus, facere potuit, cum idem Memmius non niſi anno Chriſti 258. Conſul ordinarius fuerit? Deinde cur Valerianus Gallienum primo loco nominaret, qui non niſi ſecundo Conſul eſſe poterat? Onuphrii itaque explicatio, licet multis viris doctis probata, penitus rejicienda, utpote quæ vim verbis Vopiſci inferat.

XI. *Confutatur opinio Baronii circa eumdem locum.*

Vidit difficultates has Baronius, & quam infirma Onuphrii ſolutio eſſet; quare aliam viam iniit, certoque ſibi perſuaſit, Valerianum Auguſtum, dum Byzantii eſſet anno Chriſti 258. qui ipſi eſt 261. Crinitum & Aurelianum in locum Gallieni Auguſti IV. & Valeriani hujus fratris in annum ſequentem Conſules deſignaſſe, ita ut Gallienus Aug. IV. & Valerianus ejus frater Conſules ordinarii fuerint, & in omnes Faſtos error irrepſerit, dum in his Voluſianus jungitur cum Gallieno IV. Et Valeriani Gallieni Imperatoris fratris loco, Voluſiani nomen legitur; qui Valerianus, inquit Baronius, Voluſianus etiam potuit cognominari. Sed hac ratione tantum abeſt, ut difficultatem ſuſtulerit, ut contra Faſtos Conſulares prorſus perverterit: Memmium enim Fuſcum, & Pomponium Baſſum, qui non niſi ante Fulvium Æmilianum, ac Pomponium Baſſum, prætereaque ante Cornelium Secularem, & Julium Donatum Conſulatum geſſere, ut Vopiſcum ad ſenſum ſuum traheret, immediate ante Gallienum IV. & Valerianum ejus fratrem Conſules collocavit. Nec hic errorum finis. Conſulatus dein ordinarios, tam Æmiliani & Baſſi, quam Secularis & Donati tamquam falſo appoſitos & adſcititios rejecit. Itaque verum quidem eſt, Valerianum Gallieni Auguſti

Digitized by Google

guſti fratrem Conſulem fuiſſe anno poſt Conſulatum Memmii Fuſci & Pomponii Baſſi, ſed falſum eum Conſulem fuiſſe ordinarium, ſicuti & Gallieni Auguſti Collegam. Conſulatum enim tantum ſuffectum geſſit: cum Gallieno Juniori, qui ideo primo loco nominatur, quia Cæſar erat, & in Galliis imperabat; præterea Valerianus in alias proceſus eſt a Voluſiano, qui cum Gallieno IV. Conſul ordinarius proceſſit. Nam, ut optime obſervat Noriſius diſſert. de Votis decennalibus cap. 5. Valeriani cognomen erat Liciniæ familiæ, ut tam ex nummis Valeriani Senioris, quam Gallieni Auguſti, ac ipſiuſmet Valeriani Junioris patet. At Voluſianus fuit ex familia Petronia, & imperante Gallieno bis præfectus Urbi fuit, ut ex Indiculo Præfectorum Urbis a Cuſpiniano publicato intelligitur. Deinde, ut idem Noriſius ibidem probat, Æmilianus & Baſſus Conſules ordinarii fuere, quemadmodum in omnibus antiquis tabulis Victorii Aquitani, Proſperi, Idacii, Fragmenti Conſularis apud Bucherium, in Chronico Alexandrino, & præfato Indiculo Præfectorum Urbis legitur. Contra vero Gallieni IV. & Valeriani Cæſaris Conſulatus non ſolum in nullis Faſtis comparet, ſed Pollio in Gallieno cap. primo Gallienum cum Voluſiano conjungit, ait enim: *Gallieno igitur & Voluſiano Coſſ.* Denique tot extant Reſcripta in Codice Juſtinianeo, tum *Æmiliano & Baſſo Coſſ.* tum etiam Seculari II. & Donato Coſſ. data, ut iis recenſendis tempus tereretur. Videri tamen poſſunt citata a Noriſio, loco præfato. Profecto pro principio Chronologico haberi debet Conſules omnes, quibus vel Juſtinianei, vel Theodoſiani Codicum, leges ſubſcribuntur, ordinarios eſſe, non vero ſuffectos, contra quod Baronium peccaſſe, ideo minus mirum videri debet, quod ipſemet Onuphrius, cui tantum Faſti Conſulares debent, ad eundem lapidem offenderit, Conſulatumque Probi Imperatoris & Paulini, qui libro 8. Codicis Juſtinianei, *Titulo 56. de revocandis donationibus l. 2.* legitur, expunxerit.

XII. *Confutatur opinio Petavii circa eumdem locum.* Petavius tot egregiis Operibus in lucem editis clarus, exiſtimans ratiocinio Baronii obſiſti non poſſe, aliam quidem viam ab eo iniit, ſed tamen non minus offendit: Gallienum enim IV. & Valerianum Cæſarem, Valeriani Auguſti filium, Conſules ordinarios anno 259. obtruſit, iiſque Crinitum & Aurelianum ſubrogatos docuit. Tum anno 265. Gallienum V. & Voluſianum Conſules ordinarios edidit; ſicque octo Gallieno Auguſto contra omnium Faſtorum, Numiſmatum, & Codicis Juſtinianei fidem, Conſulatus aſſignavit. De Faſtis liquet eos Gallieno ſeptem tantum Conſulatus tribuere, de Codicis Juſtinianei Reſcriptis oſtendit idem Noriſius. Extat enim *Lex. 3. de ordine Judiciorum*, quæ dicitur, *PP. Gallieno Aug. V. & Fauſtino Coſſ.* Rurſus in eodem Codice laudatur *lex 7. de probationibus PP. Gallieno VII. & Sabinillo Coſſ.* At Petavius, qui octo Conſulatus Gallieno perperam attribuit, ſcribit Gallienum VI. & Fauſtinum, & rurſus Gallienum VIII. & Sabinillum, loco *Gallieni V. & VII.* adverſatur & nummis eadem ſententia; apud Goltzium enim unus inſcriptus eſt TR. P. XIIII. COS. VII. & alter: TR. P. XV, COS, VIII. Si enim anno Imperii decimo quinto, quem Tribunitia Poteſtas XV. exhibet, Conſul tantum VII. Gallienus dicebatur, conſtat profecto octavum ejus Conſulatum commentitium eſſe, & non niſi ad hanc difficultatem ſuperandam excogitatum. Quia vero idem Petavius unum Conſulatum intruſit, Gallieni nempe IV. & Valeriani Cæſaris, cogitur alium e Faſtis expungere, placuitque inter alios Conſulatum Secularis & Donati rejicere, licet, uti diximus, in variis Codicis Juſtinianei Reſcriptis legatur. Ac denique Æmiliani & Baſſi Conſulatum, qui cum anno Chriſti 259. connecti debet, in annum ſequentem differre; ſicque ſeriem temporum pervertere.

XIII. *Confutatur opinio Cointii circa eumdem locum.* Carolus Cointius doctiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Francorum Conditor, difficultatem hanc in Tomi primi Chronologico apparatu, fuſius reliquis pertractavit, exiſtimavitque eam ſolvi poſſe, ſi recte ſtatuatur ſextus Valeriani Auguſti annus, quo Romanis contra Perſas infeliciter dimicantibus is in captivitatem abductus eſt. Addit difficultatem in eo tantum ſitam eſſe an primus Valeriani Auguſti annus numerari debeat ab anno Chriſti 255. quo eum purpuram ſumpſiſſe arbitratur, vel ab anno 257. quo Gallum & Voluſianum periiſſe dicit; ac dein ſubjungit: *Sperabamus controverſiam ſublatam iri nominatis Conſulibus, qui ſexto Valeriani Imperatoris anno a Pollione conſignantur, ſed tantum abeſt, ut id Faſti Conſulares præſtent, quin potius rem magis intricatam reddant, cum neceſſario vel Fuſci Conſulatus, vel quartus Gallieni removendus ſit e loco ſuo, ut alter alterum excipiat juxta mentem Vopiſci, cujus auctoritas ipſis Valeriani literis ſuffulta in hac cauſa cæteris anteponi debet.* Poſtea pluribus probat adhærendum eſſe ſententiæ, quæ bellum Perſicum in annum Chriſti 263. ſextumque Valeriani rejicit; ideoque Fuſci Conſulatum, quem anno Chriſti 260. in Faſtis adſcribi dicit, anno 265. reponendum eſſe, concluditque his verbis: *Nullum Chronologia detrimentum fiet, ſi tria Conſulum paria, quæ tertium Gallieni Conſulatum, ſive annum Chriſti 259. ſubſequuntur, hoc ordine collocentur, ut Æmilianus & Baſſus anno Chriſti 260. Secularis iterum & Donatus anno 261. Baſſus iterum & Fuſcus anno 262. reſpondeant.* Jactis fundamentis adeo ruinoſis, molem ſuperſtructam corruere neceſſe eſt. Supponit Cointius Baronium rem acu, ut aiunt, tetigiſſe, quando ſcripſit Gallienum & Valerianum, quibus Crinitus & Aurelianus ſubrogati fuere, alios non eſſe quam Gallienum Auguſtum, & Valerianum ejus fratrem, licet Gallieni & Valeriani Conſulatus, de quo Vopiſcus loquitur, ſuffectus tantum ſit. Præterea Conſulatum controverſum pendere ab anno ſexto Valeriani Auguſti; aliquos Conſules a Pollione, ſexto Valeriani anno, conſignatos fuiſſe; ejuſdem Valeriani Auguſti Imperium numerari poſſe vel ab anno Chriſti 255. vel ab anno 257. ac denique bellum Perſicum in annum 263. rejiciendum eſſe, quæ omnia a veritate aliena non niſi eum in errorem inducere potuere. Jam demonſtravimus Gallienum & Valerianum a Vopiſco memoratos alios non eſſe, quam Gallienum Juniorem Cæſarem & Valerianum ejus patruum, eumque Conſulatum ſuffectum tantum fuiſſe, quo ſolo Cointii opinio penitus evertitur. Sed quam connexionem cum ſexto Valeriani Auguſti anno Conſulatus controverſus habet? nonne tota difficultas pendet ab anno, quo Valerianus Auguſtus Crinitum & Aurelianum Conſules deſignavit, & a cognitione Gallieni & Valeriani, an nempe hi duo Auguſti eſſent, an Conſules ordinarii, vel ſuffecti? Nam ſive anno eam deſignationem ſequenti, ſive biennio poſt, Valerianus captus ſit, hoc nihil prorſus ad rem, cum tam eo capto, quam adhuc imperante, Crinitus & Aurelianus Conſulatum inire potuerint. Denique nullos Conſules cum anno Aureliani Auguſti ſexto, Pollio conjungit, Unde quæcumque a Cointio ſupponantur, nihil ad difficultatem faciunt.

XIV. *Ab annis Imperii Gallieni pendent anni aliquot aliorum Imperatorum.* Quod ſi ea pendeat ab anno adepti a Valeriano Auguſto Imperii, ut ſibi perperam vir doctiſſimus perſuaſit, profecto male hunc aſſecutus eſt. Nam Valerianum anno 253. circa menſem Junium purpuram ſumpſiſſe, eodemque Gallum & Voluſianum interfectos fuiſſe,

pro

pro comperto eſſe debet; licet Petavius & Labbeus in Chronicis, aliique viri Eruditiſſimi non niſi anno ſequenti Imperium ejus auſpicentur. Certa enim per hæc tempora reſtituendæ Chronologiæ via, mors ejuſdem Gallieni Auguſti, quem conſtat anno 268. ante nonum Kalendas Apriles, quo Claudius ejus ſucceſſor Imperator acclamatus eſt, ut habet Pollio in Claudio cap. 8. occiſum fuiſſe, annoſque fere quindecim imperaſſe. Hoc enim docet Euſebius lib. 7. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 28. *Gallienus, Imperio per quindecim continuos annos adminiſtrato, Claudium ſucceſſorem reliquit*, quod Textus græcus magis exprimit Γαλλιῆνε δὲ ἐφ᾽ ὅλοις ἔτεσι πεντεκαίδεκα τὴν ἀρχὴν κρατήσαντος, Κλαύδιος κατέστη διάδοχος Id eſt, ut Chriſtophorſonus optime vertit: *Gallienus ubi quindecim annos integros gubernaſſet*, &c. Quod & Porphyrius in vita Plotini confirmat; ut alibi oſtendemus, cum diuturnitas Imperii Gallieni, trium qui eum præceſſere Imperatorum, Chronologiæ cardo ſit: Si itaque a menſe Martio anni 268. quo Gallienus interfectus, per quindecim annos retrocedas, pervenies ad annum Chriſti 253. quo circa menſem Junium cum Valeriano patre Imperium ſuſcepit, ideoque Gallus, & Voluſianus peremti ſunt eodem anno. Quorum Imperium cum Dexippus a Georgio Syncello pag. 366. citatus octodecim menſium fuiſſe dicat, claret eos illud arripuiſſe ſub finem anni 251. Eo enim major fides eidem Dexippo habenda, quo is tempore Gallieni, ut diſcimus ex Pollione in duobus Gallienis cap. 13. floruerit, & hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores dicant Gallum & Voluſianum biennium imperaſſe numero nempe rotundo loquentes, vel biennium non expleſſe, ut recte Eutropius & Euſebius in Hiſtoria. Præterquam quod niſi hoc dicatur, nec Gallienus quindecim annos imperarit, nec Chronologia per hæc tempora recte ordinari poterit. Duplex porro illa Epocha Valeriani & Gallieni quam Cointius a Baronio mutuatus eſt, quæque Gallum & Voluſianum annos quatuor regnaſſe ſupponit, commentitia eſt, uti a viris doctis jam obſervatum. Denique cum ſummo Chronologiæ detrimento Conſulatum Maximi & Glabrionis e loco movit, & ante Valeriani III. & Gallieni II. Conſulatum, qui ſubſequi debet, ſtatuit. Tum Conſulatum Memmii Fuſci & Pomponii Baſſi biennio moratur, utque immediate præcedere poſſet Gallieni Auguſti IV. ac Valeriani Cæſaris Conſulatum, duo par Conſulum eidem anteponit, nempe Æmilianum & Baſſum, tum Secularem & Donatum, ſicque omnia miſcet.

XV. *Faſtorum perverſio quam detrimentoſa Chronologiæ.*

Vix dici poteſt quantum rectæ Chronologiæ præjudicium hæc Conſulatuum perverſio afferat. Poſſet id pluribus exemplis demonſtrari, ſed unum vel alterum afferre contentus ero. Divus Cyprianus in Actis Paſſionis ſuæ dicitur paſſus *Tuſco & Baſſo Coſſ.* Quod confirmat Chronicon Alexandrinum. Cadit is Conſulatus in annum Chriſti 258. Sed cum Baronius cum anno Chriſti 261. illiget, Cyprianum tertio poſt ejus mortem anno vivum ſupponit, ac martyrium paſſum, licet capto jam Valeriano perſecutio ceſſaſſet. Sanctus Fructuoſus Tarraconenſis Epiſcopus dicitur in Actis Martyrii ſui a Bollando, & Henſchenio viris de univerſa Eccleſia benemeritis, die 21. menſis Januarii relatis, paſſus *Valeriano & Gallieno Imperatoribus Æmiliano & Baſſo Coſſ. decima ſeptima Kal. Februarii, die Dominico*, & dicuntur ſocii cum eodem Fructuoſo ad ſupplicium *producti XII. Kal. Februarii feria ſexta*. Dies decimus ſeptimus Kal. Februarii non poteſt cum die Dominica concurrere, nec duodecimus Kal. Februarii cum feria ſexta, niſi currente Cyclo Solis 26. & litera Dominicali B. Et tamen anno 261. quo Fuſci & Baſſi Conſulatum, ac Sancti hujus Epiſcopi martyrium Baronius conſignat, currebat Cyclus Solis 18. littera Dominicalis F. ſicque non dies Dominicus, ſed dies Mercurii, non feria ſexta, ſed feria ſecunda fuiſſet. Quare non fruſtra diximus ipſum Cœlum ac Sydera, Gallieni & Valeriani Conſulatus occaſione fuiſſe impetita. Mirari autem ſatis non poſſum, cur Petavius in Chronico, ejuſdem Fructuoſi martyrium in annum 259. quem Gallieni IV. & Valeriani Cæſaris Conſulatu notat, conjecerit, cum Scaliger in Prolegomenis librorum de Emendat. Tempor. pag. 19. hunc quidem annum ac præfatas ferias examinet, & Baronius Conſulatum Tuſci & Baſſi ex Actis a Surio relatis, proferat. Quare idem Tuſci & Baſſi Conſulatus cum anno Chriſti 259. indiſſolubiliter connectitur, quo vel ſolo opiniones Baronii, Cointii & Petavii penitus convelluntur. Reſtat ſententia Noriſii ſequenti capite examinanda.

CAPUT SEPTIMUM.

Tam Gallieni Cæſaris, & Valeriani, quam Crinitii, & Aureliani Conſulatus reapſe geſtus eſt, unde altera Inſcriptionis Forojulienſis interpretatio deſumitur.

Henricus Noriſius, qui Differt. de Votis Decennalibus cap. 5. & 6. Faſtos per Gallieni, & ſequentium Imperatorum tempora, accurate digeſſit, ubi Baronii, Petaviique opiniones quoad Gallieni & Valeriani Conſulatum confutavit (Caroli enim le Cointe Annales Eccleſiaſticos Francorum non viderat) in hanc tandem deſcendit ſententiam: *Video quidem*, inquit, *in laudatis a Baronio Actis deſignatos fuiſſe a Valeriano imperatore Conſules ordinarios, Gallienum & Valerianum, ſuffectos vero a die vigeſima ſecunda Maii Crinitum & Aurelianum. Verum utcumque illi Conſulatum inivere. Etenim ſi Aurelianus anno Domini in Baronio 262. vel 259. ut vult Petavius, Conſulatum ſuffectum geſſiſſet, anno primo Imperii iniens Kalendis Januariis Conſulatum ordinarium, dictus fuiſſet Conſul II. Rurſus cum Capitolino procedens Conſul anno 274. Conſul III. fuiſſet. Denique annum poſtremum Imperii quartum Conſul clauſiſſet. At in omnibus Faſtis tertium tantum Aureliani Conſulatum legimus.* Ac paulo poſt: *Itaque cum Aurelianus ad Imperium elatus ter Conſulatum ordinarium geſſerit, & a Baronio ac Petavio Conſul III. dicatur, quod laudata inſcriptio demonſtrat*, (loquitur de ea, quam in hujus Diſſertationis præfatione ex Onuphrio retulimus) *fit conſequens, ut Valeriano imperante, Conſulatum ſuffectum non geſſerit. Quod inde derivaſſe exiſtimo, quia eodem anno, victo ac capto in Perſide Valeriano Auguſto, Gallienus ſolus Imperium conſecutus, alia Collegia Conſulum pro arbitrio deſignavit. Ita Conſulatus antequam illum iniret, Aureliano abrogatus.* Exiſtimat itaque Noriſius Gallienum & Valerianum Conſules ordinarios deſignatos fuiſſe, ſive intelligat cum Baronio, Petavio, & Cointio, Gallienum Auguſtum, & Valerianum Juniorem ejus fratrem, ſive cum Onuphrio Gallienum & Valerianum Auguſtos. Nam hæc Vopiſci verba ad Aurelianum dicta, *Conſulatum cum eodem Ulpio Crinito in annum ſequentem a die undecimo Kalend. Juniarum in locum Gallieni & Valeriani ſperare te convenit*, omnes huc uſque interpretati ſunt, vel de Gallieno Auguſto, & Valeriano ejus fratre, vel de eodem Gallieno & Valeriano ejus patre. Sed utraque interpretatio ex dictis rejicienda, cum præterquam quod de Gallieni

I. *Conſulatus Gallieni Junioris, ac Aureliani reapſe geſti.*

lieni

lieni & Valeriani Conſulam ſuffecto Vopiſcus loquatur, ille alius non eſt, quam Gallienus Junior Cæſar, alterque, quam Valerianus ejus patruus, qui quando pater a Perſis captus, nondum Cæſar erat.

II. *Oſtenditur Aurelianum revera Conſulem ſuffectum fuiſſe.*

Præterea ex his, quæ idem Vopiſcus in Aureliano habet, evidenter colligitur, geſtum illum Conſulatum ab Aureliano reapſe fuiſſe; ibi enim cap. 12. referuntur litteræ Valeriani Augusti ad Præfectum Prætorii ſcriptæ, quibus ei injungit, ut ſumptus ad eum Conſulatum ſuppeditet: *Aureliano, cui Conſulatum detulimus, ob paupertatem, qua ille magnus eſt, ceteris major, dabis ad editionem Circenſium, Aureos Antonianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia &c.* tum cap. 14. refertur gratiarum actio Aureliani ad Valerianum; *ago gratias bonitati tuæ, & accipio Conſulatum quem das &c.* Denique capite ſequenti horum ſumptuum occaſione Vopiſcus ſcribit: *vidimus proxime Conſulatum Furii Placidi* (quem nempe is anno 273. cum Claudio Tacito poſtea Imperatore geſſit) *tanto ambitu in Circo editum, ut non præmia dari Aurigis, ſed patrimonia viderentur &c. Factum eſt enim, ut jam divitiarum ſit, non hominum Conſulatus.* Quod ſi Aureliani Conſulatus caſſus fuiſſet, idem Vopiſcus, qui de eo tam diverſa refert, id non tacuiſſet; eo magis, quo de Placidi Conſulatu, qui revera geſtus eſt, ejuſdem Conſulatus Aureliani occaſione loquatur, & quo poſt eumdem aliaſque dignitates ab Aureliano geſtas, memoratas ſcribat. *His igitur tot ac talibus præjudiciis, muneribuſque fultus, Claudianis temporibus tantus enituit,* (nempe Aurelianus) *ut poſt illum, Quintillo quoque fratre ejus interempto, ſolus teneret Imperium.* Sed Conſulatus ordinarius a Valeriano, Gallieni Imperatoris fratre, anno 265. geſtus litem dirimit; idem enim Conſulatus, tam in Faſtis quam in Nummis apud Goltzium & alios, ac inſcriptionibus, editur cum numerali nota II. eodem modo quo in Inſcriptione Capite præcedenti num. 9. a nobis relata legitur: cujus rei ratio alia eſſe non poteſt, quam quod antea Conſulatum ſuffectum geſſerat cum Gallieno Juniori Cæſare; cum inter omnes conveniat unicum unum tantum Conſulatum ordinarium iniiſſe. Neque credibile eſt quod ibidem habet Noriſius, Valerianum Auguſtum anno ſeptimo Imperii, Chriſti nempe 260. præfatam Conſulum deſignationem feciſſe, eodemque anno victum ac caſtris exutum in Perſarum poteſtatem veniſſe; nam licet verum ſit, eumdem Valerianum ſeptimum Imperii annum, quod Numiſmata, tam græca, quam latina apud Goltzium oſtendunt, inchoaſſe, nondum tamen liquet, an anno 259. quo idem ſeptimus Imperii annus cœpit, an ſequenti, quo abſolutus eſt, captus fuerit; præterea que anno 260. Memmius Fuſcus, coram quo Conſule ordinario, ut habet Vopiſcus, ea deſignatio facta, eam dignitatem non gerebat. Nec ſatisfacit reſponſio Noriſii dicentis Memmium Fuſcum Conſulem ordinarium appellari, *non quaſi eodem anno, eo Magiſtratu fungeretur, ſed quod ante biennium illum geſſerat.* Nam licet verum ſit aliquando Conſulem dici, qui alias Conſul fuit, imo Ablavium, qui anno 331. Baſſo Collega Conſul fuit, a Sidonio lib. 5. Epiſt. 8. Conſulem vocari, quando refert diſtichum quod adverſus Conſtantinum idem Ablavius Palatinis foribus clam appendit anno viceſimo ejuſdem Imperatoris, qui in anno Chriſti 326. abſolvitur, nihilominus fruſtra ad eum Vopiſci locum hæc evaſio adducitur.

III. *Conſulatus ſuffecti in nummis & Inſcriptionibus ſæpe omiſſi.*

Neque etiam urget, quod dicit idem Noriſius, quod ſi Aurelianus Conſulatum ſuffectum ante adeptum Imperium geſſiſſet, anno primo Imperii iniens Kalendis Januariis Conſulatum ordinarium, dictus fuiſſet Conſul II. cum tamen in omnibus Faſtis is Conſulatus ſine numerali nota edatur. Nam Seculo, quo Aurelianus vixit & imperavit, Conſulatus ſuffecti ſæpe in nummis & Inſcriptionibus prætermittebantur, ordinariorumque tantum ratio habebatur. Decius ante adeptum Imperium Conſul ſuffectus fuerat, factuſque Imperator Conſulatus duos ordinarios geſſit; unde in nummis apud Goltzium dicitur: TRIB. P. COS. II. Eſt hic primus Imperii ejus annus. In duobus; TR. P. II. COS. III. Sunt hi percuſſi anno 251. quo Conſulatum tertium geſſit, & Tribunitiam poteſtatem II. abſolvit. In quatuor denique legitur: TR. P. III. COS. III. Ubi vides tres Imperii Deciani annos inchoatos, ejuſque tres Conſulatus expreſſos. Et nihilominus in duabus Inſcriptionibus anno ejus Imperii tertio, (quem præfata numiſmata inchoaſſe manifeſtum faciunt, licet aliqui viri eruditi contrarium arbitrari fuerint,) exaratis dicitur tantum Conſul II. Extat una apud Gruterum pag. 273. in qua Decius dicitur: TRIB. POT. III. COS. II. dedicata ea anno Chriſti 251. quo Decius Conſul III. proceſſit; ideoque ſi ſuffecti ratio habita fuiſſet, Conſul III. dicendus eſſet. Extat alia non diſſimilis in Urbe Vocienci ſub Archiepiſcopo Ebredunenſi, quam mecum communicavit Petrus Joffredus V. C. Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis inſtitutioni præpoſitus, quæ cum ad rem noſtram faciat, hic exhibetur.

I M P C Æ S.
C. M E S S I O Q U I N
T O T R A I A N O D E
C I O P I O F E L. I N V I C
T O A U G. P. M. T R I B
P O T. I I I. C O S. I I.
P. P.
C I V I T V I N T.

Vides in ea Epigraphe, quemadmodum & in ea, quam Gruterus refert, ac in nummis citatis, Conſulatus ſuffecti Decii nullam rationem haberi, alioquin diceretur in COS. III.

IV. *Conſulatus ſuffecti Domitiani aliquando neglecti.*

Imo & præcedentibus ſæculis Conſulatus ſuffecti, tam in nummis quam in Inſcriptionibus, non raro neglecti. Scribit quidem Noriſius loco laudato: *Domitianus Conſul XVII. utique inſcribitur, quamvis ſexies Conſulatum ſuffectum geſſerit.* Sed vir doctiſſimus non obſervarat non ſolum apud Dionem, quo nullus ex Antiquis in Conſulibus recenſendis exactior, eorum omnium mentionem non haberi, ſed neque etiam in aliquibus Domitiani nummis eoſdem memorari. Exhibeo hic ex eodem Dione ſeriem Conſulum, qui Domitiano imperante, anno nomen dedere, in qua eidem Imperatori Conſulatus tantum XIII. tribuuntur, & ea ſuffectis duo recenſentur, quatuor omittuntur. Nihil dico de Chronico Alexandrino in quo ejuſdem Imperatoris Conſulatus tantum quatuordecim leguntur, cum Dio ſufficiat.

SE-

SERIES

CONSULATUUM DOMITIANI EX DIONE.

Anni Chriſti
80. Titus Aug. VIII.
Domitianus Cæſar III.
81. M. Plautius,
M. Annius Pollio.
82. Domitianus Aug. IV.
T. Flavius Sabinus.
83. Domitianus Aug. V.
Eutropius Rufus II.
84. Domitianus Aug. VI.
Junius Sabinus.
85. Domitianus Aug. VII.
Aurelius Pulvus.
86. Domitianus Aug. VIII.
Cornelius Dolabella.
87. Domitianus Aug. IX.
Voluſius Saturninus.
88. Domitianus Aug. X.
Minutius Rufus.
89. Aurelius Fulvus II.
Sempronius Atratinus.
90. Domitianus Aug. XI.
Coccejus Nerva II.
91. Ulpius Trajanus.
Acilius Glabrio.
92. Domitianus Aug. XII.
Voluſius Saturninus II.
93. Pompeius.
Cornelius Priſcus.
94. Nonius Aſprenas.
M. Arricinius.
95. Domitianus Aug. XIII.
Flavius Clemens.

SERIES

USITATA CONSULUM DOMITIANI.

80. Titus Aug. VIII.
Domitianus VII.
81. M. Plautius Sylvanus.
M. Annius Verus Pollio.
82. Domitianus VIII.
T. Fl. Sabinus.
83. Domitianus IX.
Rufus II.
84. Domitianus X.
Junius Sabinus.
85. Domitianus XI.
Aurelius Pulvus.
86. Domitianus XII.
Dolabella.
87. Domitianus XIII.
Saturninus.
88. Domitianus XIV.
Rufus.
89. Pulvus II.
Atratinus.
90. Domitianus XV.
Coccejus Nerva II.
91. Ulpius Trajanus.
Acilius Glabrio.
92. Domitianus XVI.
Saturninus II.
93. Pompeius Conlega.
Cornelius Priſcus.
94. Aſprenas
Arricinius.
95. Domitianus XVII.
Flavius Clemens.

V. *Aliquot nummi Domitiani a Scaligero & Petavio non intellecti.*

Anno Chriſti octoageſimo primo, Idibus Septembris, Tito Veſpaſiani filio demortuo, Domitianus frater ſucceſſit, annoque ſequenti Conſulatum ordinarium de more capeſſit, octavum quidem, ſi omnes ſuffecti, quos antea geſſerat, computentur; ſed quartum tantum, ſi ex ſuffectis duo duntaxat, ut facit Dio, numerentur. Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ad numerum 2096. cum ſibi perſuaſiſſet, Conſulatus ſuffectus in nummis ſemper memoratos fuiſſe, hæc ſcribit: *Domitianus fuit Conſul VI. patre Collega VIII. nono anno ipſius Veſpaſiani. At in nummis Domitianus VI. Coſ. Imp. & Aug. vocatur:* IMP. CÆSAR DOMITIANUS AUG. P. M. TR. P. COS. VI. *ubi non ſolum Imperator eſt ſexto Conſulatu, ſed etiam Divo Veſpaſiani Filius; ergo Veſpaſiano Divo facto, hoc eſt mortuo, ſextum Conſulatum gerebat. At contra:* CÆS. DIVI F. DOMITIANUS COS. VII. PRINCEPS. JUVENTUTIS. *Hic non eſt Auguſtus, neque Imperator ſeptimo Conſulatu, ſed Princeps Juventutis, ſub Tito arbitror. At hic eſt Imperator & Aug.* IMP. CÆSAR DOMITIANUS AUG. TR. POT. COS. *VII. DES. VIII.* P. P. *Ego ut illo ann, hæc juxta ignoratiſſimus intelligo.* Petavius libro undecimo de doctrina Temporum cap. 27. ubi eoſdem nummos refert ait: *Ceterum in nummis Domitiani, quædam obſcura ſunt, quæ merito Scaligerum moverunt in Animadverſionibus ad annum* 2096. Et poſtquam eoſdem exhibuit, ſubjungit: *nihil hic habeo quod dicam, niſi mendoſas illas Epigraphas videri, quæ cum Tribunitia Poteſtate Conſulatum VI. copulant, ac ſcribendum omnino* COS. *VII.* Utrumque ex hoc labyrintho, poſita præfata Conſulum diſpoſitione, expedire facile eſt. In nummis, in quibus Domitianus dicitur COS. VII. PRINCEPS JUVENTUTIS, omnes Conſulatus ejus ſuffecti numerantur: cumque annus Chriſti octuageſimus, Titi VIII. & Domitiani VII. Conſulatu in Faſtis uſitatis notetur, claret eo vel ſequenti anno ante Idus Septembres nummos illos cuſos. In quibus Domitianus dicitur AUG. COS. VI. Hi anno Chriſti octuageſimo quarto percuſſi. In quibus denique vocatur COS. *VII.* DES. VIII. Hi annum octuageſimum quintum exhibent. Ex quibus omnibus deducitur Conſulatuum ſuffectorum omiſſionem tam in Inſcriptionibus, ac nummis quam etiam in Faſtis, non obſtare, quin ubi certis teſtimoniis conſtat, Conſulatum ſuffectum ab eo qui Conſul ordinarius procedit, geſtum fuiſſe, exprimi debeat in Chronicis, vel Annalibus. Unde minus conſequenter Baronius, Petavius, aliique viri docti locuti ſunt, qui cum Conſulatum ſuffectum Aureliani admiſerint, primum tamen Conſulatum ejus ordinarium ſine iterationis nota memoravere. Qui quidem loquendi modus a Noriſio reprehendendus erat, nequaquam vero ex eo deducendum, Aurelianum, antequam Imperio potiretur, Conſulatum ſuffectum non geſſiſſe.

VI. *Conſulatus ordinarius Macrini reſtituitur.*

Nec adeo mirum videri debet, in Faſtis nullis ſuffecti Aureliani Conſulatus mentionem eſſe, cum Macrini Auguſti Conſulatus ordinarius ab omnibus recentibus Faſtorum Scriptoribus & forſan etiam ab Antiquis, Dione excepto, prætermiſſus fuerit. Ille anno Chriſti 217. Caracalla occiſo, *die qua Severi Natalis erat*, inquit Dio lib. 78. Imperator a militibus creatus fuit. Cadit natale illud, ut ex Kalendario Lambeciano patet, in quartum Idus Apriles. Unde Macrinus, ut Capitolinus in ejus vita cap. 2. teſtis eſt, *ſe nunc Severum, nunc Antoninum, cum in odio eſſet omnium & hominum & militum nuncupavit*. Ex nummis apud Goltzium colligitur cum ſe cum Diadumeniano filio in ali-

quot

Digitized by Google

quot ejuſdem anni menſes Conſulem deſignaſſe, eundemque Diadumenianum Cæſarem dixiſſe, ac in annum ſequentem Conſulem, ſuffectum tamen, ut videbimus, ſe ipſum vero Conſulem ordinarium deſignaſſe. In uno legitur: *Imp. Caſ. M. Opel. Sev. Macrinus Aug. Pontif. Max. Tr. P. Coſ. P. P.* In altero vero: *M. Opel. Antonin. Diadumenian. Caſ. Pontif. Coſ. Deſ. II.* Hi nummi anno 218. quo Macrinus Imperium ſuſcepit, Conſulatumque ſuffectum cum Diadumeniano filio geſſit, percuſſi. Mirum tamen mihi accidit Macrinum, qui in omnibus fere Numiſmatis, tam græcis, quam latinis, quorum plurimi ſuperſunt, Severus dicitur, in nullo Antoninum appellari; contra vero Diadumenianum in omnibus fere eo nomine vocari: cum Capitolinus in ejus vita doceat, ipſum modo Severum, modo Antoninum ſe ſe nuncupaſſe, & Chronicon Alexandrinum, Caſſiodorus, Auctor fragmenti Conſularis apud Bucherium, aliique Antiqui Antoninum & Adventum Conſules ordinarios edant: qui quidem Antoninus alius non eſt a Macrino, licet Onuphrius lib. 2. Faſtorum, omneſque poſt eum anno 219. Antoninum Diadumenianum, & Adventum Conſules ordinarios exhibeant. Qui error hic evellendus. Nam Dio, qui tunc vivebat, in Indice Conſulari habet: *M. Opelius Macrinus Aug. & ...... Adventus*. Tum lib. 78. ſcribit a pleriſque Macrinum reprehenſum fuiſſe, quod Adventum *non modo Senatorem, ſed etiam Collegam in Conſulatu & Præfectum Urbis creaſſet*. Dein lib. 79. dicit innovata eſſe plura ab Heliogabalo ſucceſſore ejus, & inter hæc *quod Conſulatus Macrini loco, qui jam ante geſtus erat, nomen ſuum ſubſtituit*, cum nec eum prorſus attigiſſet; ac denique quod initio Imperii annum indicavit *per Adventi Conſulatum, quaſi qui ſolus illum geſſiſſet*, adeo a Macrino Heliogabalus abhorrebat. Ex quibus manifeſtiſſime claret Antoninum patrem, non Antoninum filium, ſeu Macrinum, non Diadumenianum Advento Collegæ nomen anno 219. dediſſe, omneſque recentiores Chronologos in illius anni Conſulatu edendo erraſſe; maxime omnium Scaligerum in Canone Chronico Euſebii, ubi habet: ΔΙΑΔΟΥΜΕΝΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, καὶ ΑΔΟΥΕΝΤΟΣ. Id eſt, *Diadumenianus Cæſar, & Adventus*; nam Antiqui Faſtorum Conditores Antoninum quidem cum Advento, ſed nunquam Diadumenianum cum eodem Advento propoſuerunt, licet ex Antonini nomine, quo Diadumenianus in nummis ſemper vocatur, anſam arripuerint ſcribendi eundem Diadumenianum Conſulem ordinarium fuiſſe. Quare recte Petavius lib. 11. de doctrina Temp. cap. 10. tradit: *neque Conſules, neque annos Chriſti Euſebius adnotarat, & qui Conſules in Græca Farragine adjunxit Scaliger, contra Euſebii mentem illos adſcripſit*. Qua de re videndus etiam Combefiſius, vir eruditiſſimus in Notis ad Georgium Syncellum. Anno itaque 219. Macrinus II. & Adventus Conſules ordinarii proceſſere, ac poſt aliquot menſes Diadumenianus illis ſuffectus eſt; nummi enim duplicem Macrini & Diadumeniani Conſulatum exhibent, uti ille in quo legitur: *Imp. Caſ. M. Opel. Sev. Macrinus Aug. Pontif. Max. Tr. P. II. Coſ. II. P. P.* Idem legitur de Diadumeniano, qui cum in nummis Conſul II. non vocetur, niſi cum Auguſti titulo, liquet dignitatem Auguſteam illi anno 219. a patre attributam, eamque ob rem ſecundum Conſulatum ſuffectum. Quid mirum igitur ſi in nullis faſtis Conſulatus ſuffecti Aureliani mentio habeatur, cum id genus Conſulatus ſæpe in nummis, Inſcriptionibus; faſtiſque Conſularibus prætermittatur, recenteſque omnes Chronologi Conſulatum ordinarium Macrini omiſerint, ejuſque loco Diadumenianum Conſulem tantum ſuf-

Apparatus in Baronium

fectum nobis exhibuerint, nec ſat certum ſit, an antiqui Faſtorum Conditores, quando Antoninum, vel cum numerali nota, vel ſine ea, & Adventum profitentur, Macrinum, qui nunquam in nummis dicitur Antoninus, vel Diadumenianum qui eo ſemper nomine in iiſdem appellatur, intelligant; licet Macrinum Conſulem ordinarium fuiſſe certum indubitatumque haberi debeat. Atque ex ipſiuſmet Macrini nummo, qui apud eundem Goltzium extat, liquet Conſulatus ſuffectos ejus ætate neglectos fuiſſe; in eo enim legitur: *Imp. Caſ. M. Opel. Sev. Macrinus Aug. P. M. Tr. P. II. Coſ. PP.* Sumpſit ſecundum Conſulatum Macrinus Kalendis Januariis anni Chriſti 219. Tribunitiam vero Poteſtatem II. quarto Idus Apriles, qui ejus, ſicuti & Severi dies natalis erat; & tamen eo in nummo non dicitur Conſul II. quia ſemper ſuffecti nulla in eo ratio.

Onuphrius, qui hunc Conſulatum ſuffectorum neglectum non animadverterat, eadem, qua Noriſius ratione permotus, quod ſcilicet Aurelianus ille, qui cum Pomponio Baſſo, Anno Chriſti 271. Conſul ordinarius fuit, in nullis faſtis cum iterationis nota legatur, arbitratus eſt, non Aurelianum Auguſtum, ſed privatum quemdam ejuſdem nominis Pomponii Baſſi Collegam fuiſſe; ſecundum vero Aureliani Conſulatum, quem cum Julio Capitolino, anno 274. geſſit, ideo cum iterationis nota legi, quia ante adeptum Imperium Conſulatum ſuffectum idem Aurelianus geſſerat. Quæ explicatio Calviſio, aliiſque quibuſdam viris doctis placuit; ſed prima Conſulatuum Cæſareorum regula, quæ docet Imperatores proximis poſt ſuſceptum Imperium Kalendis Januariis Conſulatum ordinarium iniiſſe, illius opinionis vanitatem oſtendit, ſicuti & uſus Auctorum Chronicorum Conſularium, qui Auguſti, vel Cæſaris nomen exprimere non ſolent. Obſervat quidem Noriſius loco laudato in Chronico Canone Euſebii apud Scaligerum diſerte legi: *Aurelianus Auguſtus, & Baſſus*. Sed ſuperiori capite Scaligero hac in re nullam adhibendam fidem oſtendimus. Ex quibus tandem omnibus conſequens eſt, Aureliani, ſicuti & Decii primum Conſulatum ordinarium cum nota Numerali II. in poſterum efferri debere; cum in Chronicis, & Annalibus claritas quærenda ſit, ambiguitaſque vitanda, ac Conſulatum tertium in Inſcriptione Forojulienſi cum quarta Tribunitia Poteſtate copulatum dici poſſe tertium in ordine ad ſuffectum, quem Aurelianus, ante adeptum Imperium geſſerat; licet, ut verum fatear, prior explicatio præferenda videatur, quod, uti diximus, per hæc tempora ſuffecti Conſulatus memorari non ſolerent. Quod niſi alterutri explicationi a nobis allatæ acquieveris, præclaram Epigraphem, cui nec temporum ſævitia, nec hominum malitia quidquam integritatis adhuc eripuit, falſam aſſerere cogeris, reclamantibus hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus, nummis, & inſcriptionibus aliis, in quibus Cæſarum & Auguſtorum Conſulatus deſignati abſolute proferuntur, quod antea ignotum, me demonſtraſſe exiſtimo.

VII. *Primus Conſulatus ordinarius Aureliani cum numerali nota proferri debet.*

CAPUT OCTAVUM.

Conſulatus deſignati, & ſuffecti ab honorariis valde diverſi.

I. *Explicatur Conſulatus honorarius.*

BAronius, qui anno 240. num. 1. Conſulatum ſecundum deſignatum Antonini Pii, honorarium exiſtimavit, ejuſdem generis ſuffectos fuiſſe pariter credidit; ex eo enim quod Dio lib. 46. ſcribat Plautianum ornamenta Conſularia a Severo Auguſto accepiſſe, idem Baro-

nius anno 203. num. 1. ſcribit: *Hoc anno primum a Severo factum eſt, ut Conſulatus ſuffecti cum ordinariis numerarentur, ſicque ea ratione Plautianus, qui ſuffectum egerat Conſulatum, hoc anno creatus Conſul ordinarius, II. Conſul poſitus eſt*. Et tamen Plautianus non ſuffectum, ſed honorarium Conſulatum egerat. Quare manifeſtum eſt, Baronium utrumque honoris genus confudiſſe. In eadem ſententia fuit Carolus Cointius, qui tomo primo Annalium Eccleſiaſticorum Francorum, ſuffectum Aureliani adhuc privati Conſulatum, honorarium vocat. Sed Conſules honorarios, ſuffectos, & deſignatos valde inter ſe differre, tam certum, quam quod certiſſimum. Poſt conſtitutum enim Imperium Romanum tria Conſulum genera fuere diſtinctis nominibus appellata, ut obſervavit Onuphrius lib. 1. Faſtorum pag. 61. Qui Kalendis Januariis eum Magiſtratum inibant, Conſules ordinarii appellabantur: qui iis abdicantibus in aliquot reliquos anni menſes ſubrogabantur, Conſules ſuffecti dicebantur, & tam iſti, quam priores, poſtquam ad illud munus deputati erant, Conſules deſignati vocabantur, & aliquibus prærogativis potiebantur, horumque tanta authoritas erat, quanta illis ab Imperatoribus concedebatur. Sed præter utroſque, tertium Conſulum, ſeu, ut communius vocabantur, Conſularium genus erat, ut ea dignitas ad plures pervenire poſſet, ab Auguſto excogitatum, & longo tempore intermiſſum, a Conſtantino Magno poſtea reſtitutum. Hi licet Conſulatum nunquam adepti eſſent, Conſulares tamen viri, ex Imperatorum indulgentia & privilegiis appellabantur, ornamentis & prærogativis omnibus Conſularibus eis conceſſis. Vocabantur & *Codicillares*, ut videre eſt apud Alemannum in Notis ad hiſtoriam arcanam Procopii pag. 6. ubi & ex lib. 3. ejuſdem Procopii de bello Gothico, vir Conſularis vocatur: ὕπατος καλούμενος μόνον, id eſt, *Conſul nomine tenus*. Sæpius tamen, ut probat idem Alemannus, vocabantur, ἀπὸ ὑπάτων, id eſt, *ex Conſulibus*; Exconſul enim apud recentiores Imperatores Orientales, idem fuit quod veteribus temporibus vir Conſularis. Frequens de iis in Græcis Auctoribus poſt Conſtantinopolim conditam mentio. Nam cum Conſtantinus Urbem illam condidit, Senatu illuſtravit, & Conſulatum denuo more veteri annuum fecit: quæ cauſa fuit, ut plures poſtea Conſularibus ornamentis honorati fuerint. Recte tamen obſervat Combefiſius in Notis ad Theophanem, vocem ὕπατος non ſemper in Auctoribus Græcis ſignificare Conſulem, ſed quandoque *eximium*, *præcipuum*, *Proceres*, & hujuſmodi, quomodo, inquit, Pſellus paſſim indigitatur, ὕπατος φιλοσόφων, id eſt, princeps philoſophorum. Quod non raro Authorum Græcorum Interpretes decepit.

II. *Idem veſtitus Conſulum honorariorum ac ordinariorum.*

Conceſſorum Conſularium Inſignium formulam Caſſiodorus lib. 6. variarum refert, in qua legitur: *Sed nunc ſumitis iſta felicius, quando nos habemus labores Conſulum, & vos gaudia dignitatum. Palmata ſiquidem veſtea, noſtra probantur eſſe victoria, & proſperrima conditione eventu, vos in pace ingenuitatem editis famulis, cum nos ſecuritatem demus per bella Romanis. Atque ideo per illam Indictionem Conſulatus te decoramus Inſignibus. Pinge vaſtos humeros, vario colore palmata: validam manum victoriali ſcipione nobilita: lares proprios etiam calceis auratis egredere; ſellam Curulem pro ſua magnitudine multis gradibus curſus aſcende: ut in otio ſubjectus merearis, quod nos per maximos labores aſſumimus imperantes*. Sed habitus Conſularis notitiam ex Vopiſco in Aureliano deducere poſſumus; ibi enim cap. 13. ait Valerianum Auguſtum hæc verba in Aureliani deſignatione ad Conſulatum edidiſſe; *Cape igitur tibi pro rebus geſtis tuis, coronas murales quatuor, vallares quinque* &c. *Togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam*, (togæ pictæ & palmatæ ac trabeæ priſcorum Conſulum veſtes fuere, quæ an inter ſe invicem differrent, & in quo nondum ſatis liquet) *ſubarmalem profundam*, (quæ cum poſtrema ex veſtibus Conſularibus recenſeatur, admodum probabile reputat Dufreſnius V. C. Differtat. de Numiſmat. inferioris ævi num. 5. eam eſſe, quæ cæteris ſuperfundebatur, dicique *profundam*, quod ex purpura, ac ſatura eſſet) *Sellam eburatam: nam te Conſulem hodie deſigno* &c. Atque hic veſtitus Conſulibus ordinariis, ſuffectis & honorariis communis erat.

III. *De fœminis Conſularibus.*

Imo, ut ibidem Dufreſnius num. 8. obſervat, *Conſulares fœminæ*, quemadmodum ab Ulpiano Conſulum uxores vocantur, eodem ac ſimili pene habitu, quo Conjuges ornabantur. Quod colligit ex Iconiſmo, qui in vetuſtiſſimo Dioſcoridis Codice MS. habetur in Bibliotheca Cæſarea, & a Petro Lambecio, viro eruditiſſimo lib. 2. de eadem Bibliotheca deſcribitur. Ibi Juliana Olybrii Auguſti filia, & Areobindæ Conſulis uxor, faſcia ampliori collum, & humeros amplectente, & pectus atringente exornata conſpicitur, in hoc a Conſulari faſcia diverſa, quod iſta muliebris ſiniſtro brachio non aptetur; in Diptychis enim Leodienſi & Bituricenſi, ab Alexandro Wilthemio deſcriptis, ubi habitus Conſularis univerſus plane conſpicitur, Conſules tunicis palmatis, & togis pictis induti apparent, cui ſuperfunditur faſcia latior collum ambiens, cujus pars dextra ſtrictior, a dextro humero recta circa pectus ultra genua deſcendit, ipſumque humerum, ac brachium dextrum circumvolvens, ſiniſtrum humerum amplectitur, explicans ſeſe latiorque ſenſim effecta, ac circa dorſum delapſa, ſurſum a dextro latere per umbilicum tranſverſum agitur, & infimam ſiniſtri brachii partem, qua manui illud conjungitur, involvit, reliqua faſciæ parte retro pendula, ut magis idem Dufreſnius explicat.

IV. *Ornamenta Conſularia matronis quibuſdam conceſſa.*

Nam non tantum fœminis Cæſarum ſanguine, aut affinitate conſpicuis, verum etiam aliis matronis Romanis Conſularia ornamenta conceſſa fuiſſe, docte oſtendit Spanhemius diſſertat. 7. de uſu & præſtantia Numiſmat. ex Lampridio aliiſque veteribus Auctoribus. Hic enim in Heliogobalo de eo Imperatore ait: *Fecit & in colle Quirinali ſenaculum, id eſt, mulierum ſenatum, in quo ante fuerat conventus matronalis, ſolemnibus duntaxat diebus, & ſi unquam aliqua matrona Conſularis conjugii ornamentis eſſet donata: quod veteres Imperatores affinibus detulerunt, & his maxime, quæ nobilitatos maritos non habuerant, ne innobilitatæ remanerent*. Hujus exemplum præbet ſub ejuſdem Imperatoris Principatu mater Hieroclis, fœdiſſimi cujuſdam mancipii, quam Dio refert in excerptis Valeſianis pag. 776. militari ſatellitio in Urbem deductam, inter Conſularium matronas habitam fuiſſe: hoc nempe quod ajebat Lampridius *Conſularis conjugii ornamentis decoratam*. Hinc *maritalia* etiam Matronarum *decoramenta* apud Tertullianum libro 2. de cultu fœminarum: *aut quid miani habere infeliciſſima illa publicarum libidinum femina, quas ſi quæ leges a maritalibus & matronalibus decoramentis coercebant*. Ulpianus l. 12. D. de ſenat. notat, nuptas prius Conſulari viro, poſtea ad inferiores nuptias devolutas, impetraſſe rariſſime, *ut in Conſulari maneant dignitate, ut ſcio Antoninum Auguſtum Juliæ Mammææ conſobrinæ ſuæ indulſiſſe*.

V.

Neque mirum iis, qui Conſulatum, aut ordinarium, aut ſuffectum non geſſiſſent, ornamenta Conſularia conceſſa fuiſſe, cum & inſi-

gnia

Ornamenta triumphalia quibusdam privatis conceſſa.

gnia triumphalia, poſtquam conſtituto Imperio, triumphi decus, quod maximum erat, Imperatores ſibi retinuere, iis qui nunquam triumpharant, ſed qui rebus egregie geſtis ſummam gloriam conſecuti erant collata fuerint, ſupplicationes nempe, appellatio Imperatoris, Laurea Corona, Prætexta ſeu trabea triumphalis, ſcepgrum, ſtatua, ſacrificia, & cætera triumphantium Inſignia; licet curru intra urbem non veherentur, neque conſuetam pompam agerent, ſed iis, uti in ſacris, publicisque locis, ludis, ac ſolennibus diebus, & una cum eo pingi habitu & in ſtatuis ſculpi poſſent. Suetonius in Auguſto cap. 38. de iiſdem viris triumphalibus loquens, ait: *Nec parcior in bellica virtute honoranda ſupra triginta ducibus juſtos triumphos, & aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit.* Idem in Tiberio de hujus triumpho anno Eræ Chriſtianæ duodecimo geſto loquens, ait: *A Germania in Urbem poſt biennium regreſſus, triumphum, quem diſtulerat, egit, proſequentibus etiam Legatis quibus triumphalia ornamenta impetrarat.* Denique Herodianus lib. 7. cap. 3. de Maximino Thraco Imperatore ait: *Igitur quamplures exercitibus, aut Provinciis præpoſitos, Conſulares, Triumphaleſque viros leviſſima, tenuiſſimaque calumnia attactos, corripi de improviſo jubebat.* Sed hac de re plura Lazius lib. 9. Comment. Reip. Rom. cap. 3. Onuphrius Comment. in triumphos & Ovationes, aliique.

VI.
Clodovæus ab Anaſtaſio Conſul renuntiatus.

Ex omnibus Conſulatibus honorariis, nullus celebrior, quam qui a Clodovæo Francorum Rege geſtus. Ejus apud Gregorium Turonenſem lib. 2. Hiſtoriæ cap. 38. mentio. Narrato enim prælio Vocladenſi, in quo Alaricus Viſigothorum Rex anno 507. cæſus eſt, ait: *Igitur ab Anaſtaſio Imperatore Codicillos de Conſulatu accepit, & in Baſilica beati Martini tunica blattea indutus eſt, & Clamyde, imponens vertici diadema. Tunc aſcenſo equo, argentumque in itinere illo, quod inter portam atrii, & Eccleſiam Civitatis eſt, præſentibus populis, manu propria ſpargens, voluntate benigniſſima erogavit, & ab ea die tamquam Conſul, & Auguſtus eſt vocitatus.* Quæ pecuniarum effuſio *ὑπατεία*, ſeu munus Conſulare ab Antiquis dicitur, Conſulatuſque nota eſt. Cadit is Conſulatus in annum 508. quo apud Marcellini continuatorem Celer & Venantius, ille Orientalis, hic Occidentalis, ut inquit Onuphrius, Conſules exhibentur: Neque enim ullis in Faſtis eo, vel ſequentibus annis, Clodovæus Conſul dicitur: Quod occaſionem præbuit Baronio exiſtimandi eum, oblatum ab Anaſtaſio Imperatore hæretico Conſulatum reſpuiſſe. Si enim acceptavit, inquit, cur non eſt inditum tanti Regis nomen Conſularibus Faſtis? Sed leve hoc fundamentum ad rem tam diſerte ab antiquo Hiſtorico affirmatam negandam. Nam, ut obſervat Sirmondus in Notis ad Panegyricum Aviti Imperatoris, hujus Conſulatus memoriam nulli Faſti retinuerunt, & tamen ex Panegyrico in hujus dignitatis auſpiciis a Sidonio Apollinari recitato, & duabus Inſcriptionibus, quæ adhuc extant, de eodem Conſulatu minime ambigendum conſtat, etiam ſi anno 456. quo illum avitus geſſit, omnes Faſti Varanem & Joannem Conſules ordinarios exhibeant. Silentiumque Faſtorum non obeſſe tribus aliis exemplis idem Sirmondus demonſtrat. Legitur in Divi Pauli Baſilica Dativæ & Baſiliæ Sororum Epitaphium, in quo eæ depoſitæ dicuntur: CONSULATU JOANNIS AUG. qui mortuo Honorio Ravennæ anno 423. invaſit Imperium; & tamen Joannem hunc inter Conſules nulli faſti recipiunt. In titulo Equitii Romæ Eutichii cujuſdam Epitaphium eſt, in quo Conſules comparantur THEODOSIUS AUG. III. & AUG. P. N. id eſt, *Eugenius princeps noſter*, is nimirum, qui occupato Argobaſti factione Principatu in Italia anno 392. dominabatur, editoque Conſulatu Collegam ſe Theodoſio Auguſto dixerat, cum a Theodoſio in Oriente dictus eſſet Abundantius; quem Conſulem omnes Faſti agnoſcunt, de Eugenio tacent. Denique in Inſcriptione Trevirenſi, quæ Scaligerum lib. 5. de emendat. Tempor. ubi eam refert, adeo torſit, Honorio VIII. Conſuli Collega tribuitur, non Theodoſius III. ut in omnibus Faſtis, ſed Conſtantinus, qui in Galliis, quas invaſerat, tum regnabat, & Conſulatum anno quadringenteſimo nono ediderat, cum Honorio, ut Olympiodorus Thebæus ſcribit, concordiam, Imperiique ſocietatem affectans. Quare ex Faſtorum ſilentio Clodovæi Conſulatus minime everti poteſt. Qui etiam ſi ordinarius fuiſſet, non ob id tamen Regis nomen in Faſtis & Actis publicis Clodovæo datum fuiſſet, quod Theodorici Gothorum Regis anno quadringenteſimo octuageſimo quarto Conſulis ordinarii exemplum ſatis oſtendit. In Codice enim Juſtinianeo libro octavo, Titulo 4. *Unde vi* l. 12. ſubſcribitur: *Dat. V. Kalend. April. Conſtantinop. Theoderico & Venantio Coſſ.* Unde Caſſiodorus, qui eidem Regi a Secretis & Epiſtolis fuit, dum in Chronico anni 484. Conſules deſcribit, eundem Regem non appellat, ſed tantum ait: *D. N. Theodericus & Venantius.* Verum eſt Anonymum a Cuſpiniano primum in lucem editum his verbis eum Conſulatum conſignare: *D. N. Theoderico rege & Venantio V. C. Coſſ.* Sed in eo errat, ſicuti quando his verbis Leonis Junioris Conſulatum his verbis profitetur: *Domino Leone Juniore Aug. Coſ.* Et hæc forſan cauſa cur Theodoricus quando poſtea Italiæ imperavit, iterum ſemetipſum Conſulem non deſignarit.

VII.
Conſulatus Clodovæi perperam a Calviſio explicatus.

Calviſius in opere Chronologico ſcribit, Anaſtaſium Clodovæo triumphi Inſignia, potius quam Conſulatum obtuliſſe. Sed verba quibus utitur Turonenſis, hanc ejus conjecturam vanam eſſe oſtendunt; ut enim Valeſius in Notis ad Marcellinum lib. 8. pag. 350. erudite obſervat, ſolebant Imperatores ad eos, quibus dignitatem aliquam conferebant, Codicillos mittere & cum iis ejuſdem Inſignia. Themiſtius, orat. 4. eos vocat: *χρυσοῦς δέλτους*, id eſt, *Codicillos auratos*, Iſidorus Peluſiota Epiſt. 5. lib. 2. *δέλτους ἐλεφαντίνους*, id eſt, *Codicillos eburneos*, & Libanius *γραμματεῖα* appellat in orat. Conſulari ad Julianum, ubi ait: *abſurdum enim judicarat, ſi cum Codicillos ipſe manu ſua tradat iis, qui Provincias recturi ſunt &c.* Carolus la Cointe in variis Annalium Eccleſiaſticorum Francorum locis dicit hæc verba; *Codicillos de Conſulatu accepit*, intelligenda eſſe de Imperio. Quæ opinio cæteris probabilior, cum Gregorius Turonenſis dicat, poſt acceptos Codicillos de Conſulatu Clodoveum Auguſtum vocatum fuiſſe; quod & Roſico Monachus lib. 4. ac Numiſmata filiorum ejuſdem Clodovæi apud Broderovum tractatu de Monetis gallicis, in quibus ii poſt patrem regnantes Auguſti vocantur, confirmant: ita ut ſicut Imperatores, poſtquam Imperium adepti erant, Conſulatum capeſſere ſolebant, vel ſuffectum, ipſo anno, quo ad eam dignitatem evecti fuerant, vel ordinarium, proximis Kalendis Januariis; ſic Clodovæus in Regno ſuo Conſul honorarius proceſſerit. Et licet non niſi poſt Juſtinum Juniorem idem fuerit Conſul qui Imperator, & Conſulatus ab Imperio diſtinctus non fuerit, cum contra antea munus illud non minus a privatis, quam ab Imperatoribus gereretur, tamen cum ab eo tempore Clodovæum Auguſtum vocatum fuiſſe affirmet Turonenſis, hujus Conſulatus non videtur aliam fuiſſe rationem.

VIII. *Clodovæi Conſulatus honorarius tantum.*

Conſul itaque honorarius Clodovæus fuit; qui Conſules, ut jam diximus, Codicillares vocabantur, & privilegiis omnibus ac honoribus fruebantur, quæ competebant iis, qui eam dignitatem geſſiſſent, quod de Quæſtura, ac Præfectura, non minus quam de Conſulatu dicendum. Quam in rem extat Novella Juſtiniani 70. ubi ait: *Novimus quod antiquitus erat quadam Præfectura figura, quam honorariam vocabant, Codicillis ab Imperio ſuper ea collatis: hanc autem ita nominabant, ut nihil aliud niſi purum honorem iis quibus præbebatur, conferret.* Evagrius, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcripſit, eo honore donatus fuerat, in ejuſdem enim Hiſtoriæ calce ait: *Mauritius Tiberius nobis Præfecti codicillos miſit.* Quem locum Chriſtophorſonus Interpres omnino pervertit, ut videre eſt apud Valeſium, tum in Notis ad Evagrium, quam in Præfatione ejuſdem hiſtoriæ, ubi egregia de hac Præfectura habet; ſicut & Alemannus in Notis ad cap. e. hiſtoriæ arcanæ Procopii. Eodem itaque modo, quo Evagrius, Turonenſis intelligendus, quando de Clodovæi Conſulatu loquitur; fruſtraque Baronius hujus nomen inter Conſules ordinarios quærebat; ſi enim Clodovæus Conſul ordinarius fuiſſet, uti Theodoricus Gothorum Rex antea fuerat, Marius Epiſcopus Aventicenſis, ſeu Lauſanenſis, qui in Æduis nobili genere natus erat, & in Aventicenſi Epiſcopatu, Gunthramno Francorum Regi ſubjecto, annos viginti & menſes octo exegit, ut oſtendit Petrus Franciſcus Chiffletius in Præfatione ejus Chronici, ejus mentionem feciſſet; & tamen anno 507. Venantium & Celerem Conſules proponit, annum ſequentem formula *poſt conſulatum Venantii*, & annum 509. Importuno Conſule notet, quia nempe Conſulatum Anaſtaſii Auguſti III. & Venantii Decii, qui annum 507. competit, omiſit. Quare cum Marius eo ſæculo, quo Clodovæus, vixerit, & inter Conſules ordinarios illum non recenſuerit, patet Conſulatum ejus tantum honorarium fuiſſe. Cæterum variæ quidem leges ab Anaſtaſio Imperatore datæ, in Codice Juſtinianeo leguntur, nulla tamen Conſulibus annorum 508. & 509. conſignata reperitur. Unde hæc opinio nec inde infirmari, nec confirmari poteſt.

IX. *A quo tempore Conſulatus honorarii numerati.*

Et hæc ſatis de Conſulibus honorariis, quos tum a deſignatis, quam a ſuffectis diſtinctos fuiſſe, quæ diximus ſeris oſtendunt, reſque extra omnem controverſiam eſſe debet. Quoad locum Dionis, de quo hujus capitis initio, certum eſt eum non aliud docere, niſi Severum Imperatorem in Pleutiani ſibi amiciſſimi, cujuſque filiam Caracallæ filio in uxorem dedit, gratiam ſtatuiſſe, ut qui Conſularibus ornamentis inſigniti fuerant, ſi deinde Conſulatum inirent, Conſules II. dicerentur. Clariſſima ſunt Dionis verba, qui de Cæſare Octaviano Q. Pedio Collega, Conſule ſuffecto creato loquens ait: *Ac tametſi jam ante Conſularibus ornamentis decoratus fuerat,* (nempe Octavianus) *non tamen hunc ſuum Conſulatum ſecundum nuncupavit. Idque in ſimili re in omnibus deinceps uſque ad noſtra tempora obſervatum eſt. Primus enim omnium Severus Imperator cum Plautiano honores Conſulares tribuiſſet, eumque deinde in Senatum adſcriptum, Conſulem faceret, iterum Conſulem eſſe dixit. Idque exemplum alii deinde ſequuti ſunt.* Porro Conſulatus ſuffectos, cum quibus Baronius honorarios confundit, numeratos fuiſſe, ex eo patet, quod Claudius, qui cum Caio Caligula, hujus Imperii anno primo Conſul ſuffectus fuerat, cum Conſulatum ordinarium iniit, Conſul II. dictus eſt, ſicuti & Veſpaſianus, qui quia ante Imperium Conſulatum ſuffectum egerat, ut ait Suetonius in ejus vita cap. 4. cum factus Imperator Conſulatum ordinarium capeſſivit, Conſul II. in Faſtis, Nummis & Inſcriptionibus nuncupatus eſt. Cujus rei non deſunt alia exempla. Et hæc de Conſulatibus deſignatis & ſuffectis, a Cæſaribus & Auguſtis geſtis.

PARS SECUNDA.

De Cæſarum & Auguſtorum Conſulatibus ordinariis, horumque Regulis.

I. *Proponuntur ſex Conſulatuum Cæſareorum regulæ.*

EXplicato tertio Aureliani Auguſti Conſulatu, in Inſcriptione Forojulienſi memorato, majus nunc aliquid audendum, quærendaque ratio, non tantum cur is Imperator, non plures aut pauciores, quam tres Conſulatus ordinarios, ſed & reliqui omnes, tam Cæſares, quam Auguſti determinatum Conſulatuum numerum inierint, cujuſque in particulari cauſa aſſignare. Rem quidem denſiſſimis tenebris circumfuſe, ideoque huc uſque intentata; ſed Regularum, a nobis obſervatarum beneficio in manifeſtam lucem, uti ſperamus, proferenda. Sex eæ ſunt quarum uſum & praxim eorumdem Conſulatum Rationarium infra exhibendum oſtendet.

II. Prima Regula *Imperii auſpicium*. Secunda, *Quinquennalium, & id genus feſtorum celebratio*. Tertia, *Cæſarum & Auguſtorum in eadem dignitate Collegium*. Quarta, *Expeditiones militares*. Quinta, *Triumphi*. Sexta, *Ludi Seculares, aliæque actiones, majori pompa & ſolemnitate fieri ſolita*. Quas ob ſex cauſas Conſulatus a Cæſaribus & Auguſtis ſumptus, ut ſigillatim videbitur.

CAPUT PRIMUM.

Imperii auſpicium, prima Cæſareorum Conſulatuum regula.

I. *Triplex Imperii Romani adminiſtrati forma.*

JAm a viris doctis obſervatum, novos Principes proximis poſt ſuſceptum Imperium Kalendis Januariis Conſulatum ordinarium inire ſolitos fuiſſe. Sed id magis nunc explicandum, nihilque ſi fieri valet, prætermittendum ex iis, quæ primum Cæſarum aut Auguſtorum Conſulatum, aut qui aliquo modo ita appellari poteſt, illuſtrent. Quamobrem animadvertendum triplicem fuiſſe adminiſtrandi Imperii Romani formam. Prior ab Auguſto introducta ad Marcum uſque Aurelium annumque Chriſti centeſimum ſexageſimum primum continuata, in qua vel ſoli Auguſti & Imperatores Rempublicam Romanam adminiſtrabant; vel iidem cum uno Imperii Collega, qui non tantum Tribunitiæ poteſtate, & Proconſulari extra Urbem Imperio potiebatur, ſed & non minus quam Au-

gu-

Digitized by Google

guſti ipſius Imperatoris nomine exornabatur. Erant & alii Cæſares, quorum aliqui Tribunitia poteſtate exornati, alii non item, neutri tamen Imperatorio nomine appellati. Secunda Imperii Romani forma a Marco Aurelio cœpit, & in Conſtantio Chloro, & Galerio Maximiano deſiit. In ea fuere plures Auguſti ſimul eodem tempore regnantes. Marcus enim, ſtatim ut Imperium adeptus eſt, Lucium Verum non Collegam Imperii, quam ipſemet dignitatem geſſerat, ſed Auguſtum dixit, ut docet Spartianus in Hadriano cap. 24. ubi de Marco Aurelio, & Lucio Vero loquens ait: *Hi ſunt qui poſtea duo pariter Auguſti primi Rempublicam gubernarunt*. Item in Ælio ejuſdem Lucii patre cap. 5. *Ejus filius eſt Antoninus Verus, qui adoptatus eſt a Marco. Verus certe cum Marco æquale geſſit Imperium. Nam ipſi ſunt qui primi duo Auguſti appellati ſunt; & quorum Faſtis Conſularibus ſic nomina præferuntur, ut dicantur non tantum duo Antonini, ſed duo Auguſti, tantumque hujus rei & novitas, & dignitas valuit, ut Faſti Conſulares nonnulli ab his ſumerent ordinem Conſulum*. Sub Severo autem primum tres Auguſti viſi, ipſemet nempe Severus ac Caracalla, & Geta ejus filii, quorum ſimultaneum Imperium a Tertulliano Imperii triplex virtus appellatur. Præter Auguſtos in hac ſecunda regiminis forma, Cæſares etiam fuere, ex quibus aliqui Tribunitia poteſtate decorati, alii eo honore non affecti, utrique tamen, Imperatorio nomine donati, licet non ſtatim, ſed poſt aliquod tempus, quam ad eam dignitatem evecti fuerant. Id patet ex nummis & Inſcriptionibus, in quorum nonnullis ii, Cæſares tantum, in aliis, Cæſares & Imperatores dicuntur; verbi gratia, Caracalla in quibuſdam Numiſmatis dicitur, Μ ΑΥΡΗΛ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ ϹΕΟΥΗΡΟϹ. ΚΑΙϹ. Id eſt, *Marcus Aurelius Antoninus Severus Cæſar*. In aliis, ΑΥΤ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ ϹΕΒΗΡΟϹ ΚΑΙϹ. Id eſt, *Imperator Antoninus Severus Cæſar*. Sic Geta, Π. ϹΕΠΤΕΙΜΙΟϹ ΓΕΤΑϹ ΚΑΙϹΑΡ ΥΠΑΤΟϹ ΤΟ Β. Id eſt, *Publius Septimius Geta Cæſar Conſul II*. In aliis legitur: ΑΥΤΟ. Π. ϹΕΠΤ. ΓΕΤΑϹ ΚΑΙϹ. Id eſt, *Imperator Publius Septimius Geta Cæſar*. Fuere & in hac ſecunda adminiſtrationis Imperii forma Collegæ, quemadmodum in priori, ſed pauciſſimi; hucuſque enim unicum Commodum Marci Aurelii filium Proconſulari Imperio, antequam, Auguſtea dignitate donaretur, potitum fuiſſe reperi; idque quinquennalium & id genus feſtorum beneficio, ut infra ſuo loco dicetur. Quanto porro tempore Cæſares poſtquam eam dignitatem conſecuti fuerant, Imperatores vocari tardarent, mihi adhuc incompertum. Nec mirum eos Imperatores vocatos fuiſſe, cum ii, qui in prima regiminis forma Cæſares, Collegæ Imperii & Imperatores tantum erant, in hac ſecunda dicti ſint Auguſti. Quare ex æquo utrorumque dignitas aucta. Tertia denique Reipublicæ Romanæ adminiſtrationis forma a Conſtantio Chloro & Galerio Maximiano Auguſtis anno Chriſti trecenteſimo quinto inducta, tunc quippe Imperium inter multos, quaſi hæreditas quædam diviſum; antea enim licet plures ſimul imperarent, nulla tamen facta fuerat ejus diviſio, cum nec Provincias, nec Legiones Auguſti inter ſe partiti eſſent. Euſebius libro octavo cap. 13. Diocletiani & Maximiani Herculii abdicatione narrata, ait: *Vix hæc geſta fuerant, cum Imperium Romanum totum in duas partes diviſum eſt; quod quidem nunquam antea factum eſſe memoratur*. Hanc Imperii diviſionem ægerrime tulit Roma, unde Porphyrius in Panegyrico carmine ad Conſtantinum Magnum, ita eum alloquitur.

Et reparata jugans moeſti divortia mundi
Orbes junge pares: det leges Roma volentes
Principe te in populos.

De hac diviſione plura Valeſius in præfatum Euſebii locum; ante eum enim, nec ea adminiſtrationis forma, ſicuti nec hæc uſque, prima licet Collegarum Imperii notitia utiliſſima ſatis explorata. Hac tertia forma durante, non ſolum plures Auguſti, uti in præcedenti, & plures Cæſares viſi, ſed etiam Nobiliſſimi, qui infra Cæſares erant, inducti. Eo Honore Aniballianus a Conſtantino Magno, uti habet Zozimus lib. 2. donatus. Non loquor hic de aliis dignitatibus, uti Deſpotæ, Sebaſtophori & Sebaſtocratoris, quia eæ, Faſtis Conſularibus Romanis jam abolitis, inſtitutæ ſunt; ideoque ad rem noſtram non faciunt.

Claudius, qui anno Chriſti quadrageſimo primo, rei Romanæ præeſſe cœpit, primus ex Auguſtis hunc morem invexit, ut ii primis poſt initum Imperium Kalendis Januariis Conſules ordinarii procederent; quod poſtea in triplici adminiſtrati Imperii forma a nobis explicata, ut pluſimum obſervatum fuit, licet non defuerint, uti Alexander Severus, Caracallæ conſors Imperii a patre renunciatus, Licinius, Galerius Maximinus, aliique quidam, qui eum morem non ſervarint. Idem factitatum a Cæſaribus, Collegiſque Imperii, ut percurrenti faſtos liquebit. Imo Conſularis dignitas nota erat quæ oſtendebat alios eos in ſpem Imperii, & ad illud deſtinari. Quod diſertis verbis docet Spartianus in Ælio Vero cap. 5. ubi poſtquam narravit Conſulem eum creatum fuiſſe, in annum nempe 136. addit: *& quia erat deputatus Imperio, iterum Conſul deſignatus eſt*. Nuncupatus eſt itaque Ælius Verus Cæſar anno, quo Conſulatum primum ordinarium geſſit, at propter Cæſaream dignitatem, qua eo anno ornatus eſt, iterum Conſul ordinarius ſequenti fuit. Quoad Nobiliſſimos, hoc etiam tandem honore, ſicuti Cæſares, donati; inter quos primus fuit Varronianus, Joviani Imperatoris filius, qui anno 364. Patris Collega anno nomen dedit; cum enim ut docet Themiſtius in orat. Conſulari, quam Kalendis Januariis eidem Imperatori in Urbe Ancyra Conſulatum ineunti dixit, Jovianus Varronianum patrem ſibi in Conſulatu Collegam adſciſcere decreviſſet, iſque dum iter faceret, obiiſſet, Varronianum filium ſuum ſibi loco ejus adjunxit, qui quidem admodum parvulus erat: *cujus vagitus*, inquit Ammianus lib. 25. ubi de Joviano Conſulatus poſſeſſionem ineunte loquitur, *pertinaciter reluctantis ne in Curuli ſella veheretur ex more, id quod mox accidit, portendebat*, brevitatem nempe Imperii, cum paucos poſt menſes idem Imperator obierit. Ab eo tempore, qui Nobiliſſimi pueri, Conſules etiam deſignati ſunt, eorumque nomen in Faſtis expreſſum hoc modo: *Honorius N. P. & Evodius*. Qui in conſortium Imperii a patribus vocati fuerant, non tantum anno ſequenti Conſules ordinarii procedebant, ſed illis etiam e vita abeuntibus, quaſi novum Imperium inchoarent, proximo poſt eorum mortem anno, Conſulatum iterum edebant, quod Faſtorum diſpoſitio manifeſtum facit. Obſervatu quoque dignum Gallienum, patre in captivitatem adducto, ubi ſolus regnare cœpit, Conſulatum iniiſſe, & Conſtantinum Magnum, victo Licinio, Conſtantiumque ejus filium, fratribus mortuis, Magnentioque debellato, ubi uterque Monarchiam inchoavit, uti in novi Imperii initio, rurſus Conſulatum ſuſcepiſſe: Quod Auguſti exemplo factum videtur, qui ubi ſolus imperare cœpit, Conſulatum capeſſiit. Ad hæc Tyranni, qui Imperium uſurparunt, quod ſæpius contigiſſe, hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores docent

II.
A Claudio initio Imperii Conſulatus ſuſceptus.

cent

cent, ut magis illud firmarent, ſe in annum ſequentem Conſules deſignare ſolebant. Sic Magnentius, qui anno 350. die XV. Kal. Februarii, occiſo Conſtante, Imperatorem in Galliis ſe dixerat, anno ſequenti cum Gaiſone collega Conſul proceſſit, quemadmodum Libellus de Præfectis Urbi, nos docet. Cujus rei alia exempla prima parte cap. 8. Num. VI. attulimus. Denique ex Imperatoribus ac Tyrannis aliqui, exemplo Trajani, non niſi ſecundo Imperii anno trabeam Conſularem ſumpſerunt, uti Conſtantius & Conſtans, Conſtantini Magni filii, aliique quidam. Ac neſcio an ſemper cum Imperio Conſulatus ordinarius a Senatu deferretur, cum Sidonius in Panegyrico Aviti, qui in Galliis levatus Imperator, a Romanis & evocatus & ſuſceptus fuerat, ad Senatum loquens dicat;

modo principe ſurget
Conſule, nempe patre, collatos cernere faſces
Vos juvat, & ſocium, ſceptris mandaſſe Curulem.

III. *Hujus moris ratio obſcura.* Porro hujus moris rationem aſſignare non adeo facile. Plinius in Panegyrico Trajani, qui de more prædeceſſorum proximis poſt ſuſceptum Imperium Kalendis Januariis annum aperire noluerat, illam indicare videtur; cap. enim 58. ait; *Contigit ergo privatis aperire annum, Faſtoſque reſerare. & hoc quoque reddita libertatis indicium fuit, quod Conſul alius, quam Cæſar eſſet. Sic exactis Regibus capit liber annus. Sic olim ſervitus pulſa privata Faſtis nomina induxit.* Conſulatus itaque aſſumptione Imperii poſſeſſionem inibant Imperatores, ideoque ſub Trajano, qui illum recuſavit, viſa fuit reſtituta Reſpublica, quæ nata erat, quando privatis mandatus Conſulatus fuit. Res autem ita ſe habebat: novi Imperatores quando purpuram ſumebant, vel unum ex ſuffectis Conſulatibus, jam eo anno privatis deſtinatum, in ſe transferebant, quod quidem rarius contigit; vel Conſulatum ordinarium ſequentis anni, licet aliis etiam deſtinatum, adventantibus Kalendis Januariis inibant. Cæteri Conſulatus ex Prædeceſſoris deſtinatione manebant, uti ex Tacito parte 1. cap. 5. num. 2. oſtendimus. Hinc eſt quod idem Plinius cap. 57. de Trajano ait: *Conſulatum recuſaſti, quem novi Imperatores deſtinatum aliis in ſe transferebant.* Ex quibus patet Imperatores illos, qui initio Imperii Conſules II. nuncupantur quando poſt Kalendas Januarias Conſules proceſſere; ſi prioris Conſulatus nullum veſtigium extet, eundem initio paulo poſt evectionem ad Imperium. Sic v. g. Macrinus Auguſtus dicitur in Nummis Conſul II. licet primi ejus Conſulatus nullus meminerit, alterque inter Eruditos in controverſiam vocatus ſit. Juxta eam tamen regulam res facile decidtur. Adepto Imperio Conſulatum ſuffectum arripuit, ſeque in annum ſequentem, Chriſti nempe 219. Conſulem ordinarium deſignavit. Verum quidem eſt Onuphrium lib. 2. Faſtorum difficultatem hanc aliter explicare, ac dicere Macrinum antequam ad Imperium promoveretur, Conſulem ſuffectum fuiſſe, anno 218. quo Imperator dictus eſt, ſecundum Conſulatum pariter ſuffectum ſuſcepiſſe, annoque ſequenti non ipſum, ſed filium Diadumenianum Conſulem ordinarium proceſſiſſe. Sed non ferenda hæc explicatio; licet enim incertum ſit, an primum Conſulatum ante, vel poſt initium Imperium capeſſierit, certum tamen ſolitos non fuiſſe Imperatores, qui ſuffectum tantum Conſulatum antea geſſerant, novum Conſulatum ſuffectum poſt adeptum Imperium aſſumere, ac ordinarium negligere. Sed hac de re pluribus ſupra actum.

IV. *Uſus & utilitas hujus regulæ.* Hæc prima Conſulatuum Cæſareorum regula ſic explicata ad Imperatorum initium, quorum Natalitius Imperii dies ignoratur, recte conſtituendum, non raro utilis eſſe poterit; licet enim ſe ipſa ſola id certo præſtare non poſſit, cum aliis tamen adminiculis ſufficiens eſt. Sic Petavium in Chronico, Valeriani & Gallieni Imperium anno 254. male inchoaſſe, exiſtimandi locus; quod eo anno uterque Conſul ordinarius fuerit; is enim Conſulatus indicat anno præcedenti eos electos Imperatores, ac ſubſequenti de more novorum Principum Conſules proceſſiſſe. Ex ea igitur regula dubium illud naſcitur, & ex dubii diſcuſſione veritas emergit; docent ſiquidem hiſtorici Romani annos quindecim Gallienum imperaſſe, ac anno 268. ante nonum Kalendas Apriles interfectum fuiſſe. Unde colligimus anno 253. Imperatorem creatum, alioquin quatuordecim tantum annos imperaſſet. Sic etiam initium Imperii Maximiani Herculii male a quibuſdam viris doctis anno 285. collocari, Conſulatus ab eodem anno 287. geſtus oſtendit, & Tribunitia ejus poteſtas in Inſcriptionibus expreſſa, ut infra videbimus, evincit. Sic denique erraſſe comperimus eos, qui Euſebium alioſque Antiquos ſequuti ſcripſere Decium non integro biennio regnaſſe, quique ideo anno Chriſti 250. Imperium arripuiſſe volunt. Nam cum eo anno Grato Collega Conſul ordinarius in faſtis legatur, magna nobis ingeritur dubitatio, ne Conſulatus is poſt initum Imperium de more novorum Principum ab eo ſuſceptus fuerit; reque in examen vocata, Decium anno 249. Imperatorem dictum fuiſſe nobis conſtat. Hujus regulæ utilitatem uſus magis confirmabit.

CAPUT SECUNDUM.

Quinquennalia, & id genus feſta, de quibus generatim agitur, ſecunda Conſulatuum Cæſareorum regula.

I. *Origo Quinquennalium & id genus feſtorum.* QUinquennalia, Decennalia, Quindecennalia, & id genus feſta magna pompa ab Imperatoribus Romanis celebrari ſolita, huc uſque valde obſcura; licet iiſdem duo magni viri, alter in Gallia, alter in Italia, quorum neuter alterius opus viderat, non parvam lucem aſſuderint, Carolus nempe Dufreſnius Diſſertatione de Numiſmatis inferioris ævi, & Henricus Noriſius e familia Auguſtiniana Diſſertatione ſingulari de votis decennalibus, Cum ea ſolemnia a Cæſaribus, vel Imperatoribus Conſulari trabea indutis, quod nemini hactenus obſervatum, peragi ſolerent; indeque ſecunda Conſulatuum Cæſareorum regula deducatur, penitiores earumdem feſtivitatum receſſus perſcrutari nobis incumbit, ac oſtendere quantum ſacra, profanaque Hiſtoria, per quinque circiter ſecula, accurata earum cognitione illuſtrari poſſit. *Primum Imperii Auguſti decennium.* Et primo quidem quod ad earum inſtitutionem ſpectat, ea certa & indubitata. Dio enim lib. 53. docet Octavianum Auguſtum ſeptimum Conſulatum gerentem, anno nempe Juliano 19. Romani Orbis Imperium in decennium capeſſiiſſe: *Et cum primum decennium exiviſſet, aliud quinquennium, atque eo circumacto rurſum aliud quinquennium, poſt decennium, ac eo finito aliud iterum decretum eſt: ita ut continuatis decenniis, per totam vitam Imperii ſummam obtinuerit.* Scribit Cenſorinus cap. 22. de die Natali id contigiſſe *ex ante diem decimum ſextum Kal. Februarii.* Ovidius vero libro primo Faſtorum, Idibus Januariis. Sed ut recte obſervat idem Noriſius cap. primo, magis credendum vetuſtæ Inſcriptioni Narbonenſi Auguſto dicatæ, & a Grutero pag. 229. relatæ, in qua legitur.

VII.

VII. QUDQUE. IDUS. JAHUAR. QUA. DIE. PRIMUM. IMPERIUM. ORBIS. TERRARUM. AUSPICATUS. EST. THURE. VIND. SUPPLICENT. ET. HDSTIAS. SINGULAS. IMMDLEHT.

Qua de re videndus etiam Uſſecius in Annalibus Veteris & Novi Teſtamentr anoo mundi 3977. ubi Monarchiæ Romanæ eo die inſb.atæ primordia accurate explicat. Datum tunc Octaviano *Auguſti* cognomen, omneque populi, ſeoatuſque Imperiem ad eum tranſlatum.

II. *Imperium Auguſto in Quinquennium datum.*

Anno Juliano vigeſimo octavo, cum pcimum Imperii decennium ad exitam jam tenderet, Auguſtus in aliud quinquenniem, ſeum ſibi principatum prorogavit: & M. Agrippæ, cum alia fere eadem quæ ſibi, tum Tcibunitiam poteſtatem ad idem quinquennium dedit, ut teſtis eſt Dio lib. 54.

Datum & in alterum quinquennium.

Dein anno Juliano triceſimo tertio, Agrippæ in aliud quinquennium Tribunitia poteſtas ab Augeſto prorogata. Ita Dio lib. 54. qui de poteſtate eidem Auguſto in alterum quinquenniom data non loquitur; ſed cum jam decenoium & quinquennium tcanſacta eſſeet, hanc ei hoc anno attributam, minime dubitandum.

Eodem anno, Lepido Pootifice Maximo democtuo, Auguſtus in ejus locum Pontifex Maximus factus eſt, quemadmodum Suetonius in Octavio cap. 31. & Dio lib. 54. teſtes ſunt, idque *pridie Nonas Martias*, ut in lib. 3. Faſtorum iodicat Ovidius.

Datum & in tertium decennium.

Anno Juliano 38. Aeguſtus, ut docet Dio lib. 55. altern decennio ad finem jam accedente Reipublicæ conſtituendæ poteſtatem quinto in Decennium ex Senatus Conſulto accepit. Eodem anno annum a Julio Cæſacc ncdinatum, ſed poſtea negligentia conturbatum, atque conſuſum, rurſus ad priſtinam rationem redegit, & in ea ordinatione ſextilem menſem e ſuo cognomine nuncupavit. Ita Suetonius in Octavio cap. 3. & Dio lib. 54.

Eodem anno Romæ ſecundus civium ceeſus actus eſt, ut ex Ancycani lapidis fragmentis, quæ apud Gruterum pag. 230. extant liquet.

Hecodes Templi Hierofolymitani a ſe inſtaurati Encænia celebravit ipſo tegni (a Senato pcimum accepti) die Natali, quem anniverſaria hilaritate ſolitus ecat colere; ebi Rex boves trecentos, alii pro ſuis quiſque faceltatibus victimas innumeras Deo mactavecunt. Ita Joſephus lib. 15. Antiquit. cap. ult. qui cum afferat Herodem anno Regni ſei *decimo octavo*, ab exitu nempe Antigoni numerato, Judæis conſiliem ſuum de inſtaucando Templo Hieroſolymitano propoſuiſſe, & materiam ad tantum opus aggrediendem neceſſariam per aliquod tempes compacaſſe, manifeſte deducitur magnificum illud ædificium anno Juliano viceſimo octavo, quo in aliud quinquennium Principatum Auguſto pcorogatum, ædificari cœptum eſſe. Anno enim nono Juliano ineunte Antigonus victus, & Hieroſolyma ab Herode capta, annuſque 28. Hecodis, anno Jeliano 26. inchoatus, Ex quo conſtat præfato anno quo Augeſto poteſtas in novum quinquennium continuata templi Hieroſolymitani jacta fuiſſe fundamenta, quod magis alias examinabitur.

Quartum decennium Imperii Auguſto tributum.

Anno Juliano quadrageſimo nooo, qui cum Eræ Chriſtianæ quarto concortit, tectio jam decennio completo, in quactem decennium Augeſtus Imperium ſeſcepit. Ita Dio lib. 55. addens, eum Tibecium adoptaſſe ac Tribunitia poteſtate ad annos decem data, eum in Germaniam ablegaſſe, eique Germaoicum Dcuſi fcatris filium adoptandum dediſſe.

III. *Quintum decennium Imperii Auguſto tributum.*

Denique anno Juliano quinqoageſimo octavo, qui Chriſti decimus tertius erat, idem Auguſtus Reipublicæ adminiſtrationem in decenoiem jam quintum accepit, Tiberio poteſtas Tribunitia prorogata, Druſoqee hujus filio poteſtas Conſulatus tectio aono, etiam non geſta Prætuca petendi conceſſa, ut author eſt Dio lib. 56. At non diu ſupervixit Auguſtus, die enim decima nona Aeguſti anoi ſequentis in fata conceſſit. Pocro ineunte ſingulo decennio Vota pro ejuſdem incolumitate nuocupabaotur, & decennio evoluto ſolvebantuc & in proximum Decenniam iterabantur; atque hinc Decennalia Imperatorum originem duxiſſe tradit Din lib. 53. *Quam ob cauſam poſterio res quoque Imperatores, etſi non ad certum tempus, ſed per amne vita ſpatium iis Imperium deferatur, tumen ſingulis decenniis, feſtum pro ejus renovatione agunt, quod hodie etiam fit.* Huriſius loco laudato dicit Cæſarum quinquennalia exordium ſumpſiſſe, ex eo qood Auguſtus exacto priori decennio in quinqueanium rurſus Imperiem regendum ſuſcepiſſet, altero ejuſdem quinquennii anno, ex Dione Lib. 54. *L. Domitio & P. Scipione Coſſ. V. C. 738. Agrippa Ludos quinquennales propter ejuſdem principatum dedit.* Sed Ludi illi Actiaci erant anno Juliano decimo octavo propter Actiacam Victoriam decceti, de quibus idem Dio lib. 53. Et tamen nnn niſi anno Jeliano decimo nono, uti diximus, Romani Dcbis Imperium Auguſto in decenniem conceſſum. Deiode Ludi illi ſub Domitii & Scipionis Conſulatu ab Agcippa editi incidunt in aneum Julianum triceſimum, quo præfatum Imperium Auguſto prorogatum non eſt; ſed tantum anno Juliano viceſimo octavo, & triceſimo tectio, quemadmodum jam a nobis obſecvatum. Ludi itaque ii ad rem iſtam non faciunt. Neque alia Quinquennaliorum, quam Decennaliorum origo.

Quinquennalia Impp. originem non ducunt a ludis quinquennalibus Actiacis.

Quæ iis annis, quibus Imperium Auguſto prorogatum, acta fuiſſe, inſinuavi, quod animadverterim reliquos Imperatores in Quinquennalibus & id genes feſtis, eadem quæ Auguſtum, propoctione ſervata, præſtitiſſe; hiſque annis Templa ædificata, vel dedicata, oova Dppida extructa, filios in Imperii conſocitiem vocatos, Edicta in favorem Religionis, vel boni publici emiſſa, aliaque id genus præſtita: quæ omnia cum ad hæc ſolemnia relationem habere, nulles hactenus obſecvaſſet, obſcura remanſere, quaſi ceremoniæ nellius utilitatis, licet, ut infra demonſtrabimus, Hiſtoria, Chronologiaqee, ex iis ſumma emolumenta hauciat.

IV. *Quinquennalia, & hujuſmodi feſta generatim explicata.*

Hæc itaque Solemnia feſta erant, quæ incipiente, vel finiente Quinquennio, die nempe pcimu anni qeinti, vel ſexti Imperii celebrabantuc cum ſacrificiis, votis ſolemnibus, ludis Circenſibus, & ſcenicis, ac munere gladiatorio. Atque ante Commodi Imperatoris tempora, uti obſervavit Onuphrius lib. 2. Faſtocum pag. 275. dicebantur decennalia prima, vel ſecunda, vel tertia, quæ decimo, aut viceſimo, aut triceſimo Imperii anno celebrabantur. Poſt Commodem vero Decennalia, quæ primo, Vicennalia, quæ ſecundo, Tricennalia, quæ tertio Imperii decennio fiebant dici cœpta. Quinquennalia ſemper prima, ſecunda, tertia, quarta, & quinta appellata. In ipſis Imperii auſpiciis Vota pro Imperatoris ſalute in Decennium ſuſcipiebantur, annoque Imperii quinto ſolvebantur, aliaque nuncupabantur in ſequens Quinquennium. Quo fit ut in Numiſmatis Pupieni, Balbini, Maximini, Voluſiani, Decii, Pertinacis, Galli, & aliorum legatur: VOTIS

DE-

DECENNALIBUS; licet nullus eorumdem Imperatorum quintum Imperii annum attigerit, imo ex iis quidam paucos tantum vixerint menſes. Quare ea verba aliud non deſignant, quam vota, quæ in ipſis Imperii auſpiciis in decennium ſuſcipi ſolebant. Vota autem Quinquennalia vel Decennalia in hæc fere verba ad Aram Jovis Capitolini concipiebantur: *Precor poſco Jupiter, uti ſiet, volens propitius in decennium N. Auguſto; quod ſi faxis: tunc tibi votum Bove aurato vovemus eſſe futurum. Ludis Circenſibus vovemus eſſe futurum. Ludis gladiatoriis vovemus eſſe futurum &c.* Ut videre eſt apud Onuphrium & Noriſium locis laudatis. Ex epiſtolis porro Plinii Junioris, præſertimque centeſima prima, & centeſima ſecunda libri decimi colligitur ea Vota tam in exercitibus, quam Provinciis nuncupata fuiſſe. Is enim Trajano Imperatori ſcribit: *Vota Domine priorum annorum nuncupata alacres lætique perſolvimus, novaque rurſus curante Commilitonum & Provincialium pietate ſuſcepimus, precati Deos ut te, remque publicam florentem, & incolumem ea benignitate ſervarent quam ſuper magnas plurimaſque virtutes præcipua ſanctitate obſequio Deorum honore meruiſti.* Plinio Trajanus reſpondit: *Solviſſe vota Diis immortalibus te præeunte pro mea incolumitate cum Provincialibus lætiſſimo conſenſu, & in futurum nuncupaſſe libenter mi Secunde cariſſime cognovi literis tuis.* Ex quibus & liquet in iis votis longam vitam Imperatori, ſecuritatem Imperio, domui Auguſtæ amplitudinem, exercitui virtutem, Senatui fidelitatem, pacem mundo, & victoriam adverſus hoſtes, quod ex poſteriorum Imperatorum nummis evidentius deducitur, populos petiiſſe.

Auguſtorum Decennalia in nummis Antonini Pii primum ſculpta viſuntur; num in deceſſorum Principum Numiſmatibus eadem Vota ſignata fuerint, infra dicam. Quinquennalia in nummis Poſtumi, qui anno 261 Imperium in Gallis arripuit primum apparent. Spanhemius enim Diſſertatione 7. de uſu & præſtantia Numiſ. nummum Poſthumi exhibet, in quo legitur: QUINQUENNALES POSTUM. AUG. Sed ea poſt Conſtantini Imperium in Nummis Cæſarum frequentiſſime occurrunt.

V. *Quinquennaliorum Canon primus.* Tradendi nunc aliqui canones, quibus tuto in hac materia huc uſque parum cognita, & non niſi jejune ac exiliter tractata, dirigi poſſimus. PRIMUS CANON. *Quinquennalia, Decennalia, & id genus feſta, modo anno quinto ineunte, modo anno quinto exeunte, vel anno decimo incipiente, vel eodem completo, indiſcriminatim celebrabantur.* Hoc nos docet Series Conſulum Cæſareorum. Imperatores enim ac Cæſares, uti infra oſtendetur, annis quibus hæc ſolemnia edere decreverant, Conſules procedebant, poſt Commodum quidem, fere ſemper; ante eum vero, non raro, ut infra in Rationario Conſulatuum Cæſareorum obſervare eſt. Quare cum in Faſtis iidem Imperatores aut Cæſares, modo anno Imperii quinto, modo anno Imperii ſexto Conſules legantur, manifeſtum eſt ea ſolemnia (quæ brevitatis cauſa, ſolo impoſterum Quinquennaliorum aut Decennaliorum nomine indicabimus, cum eadem omnium par ratio ſit,) eodem anno quinto vel ineunte, vel finiente peracta fuiſſe. Hoc probationis genus licet hactenus ignoratum, eorumdem Faſtorum diſpoſitio oſtendit eſſe validiſſimum. Ex quo ſequitur Onuphrium libro primo Faſtorum pag. 175. ubi tradit hæc ſolemnia, die primo undecimi anni Imperii, ſeu expleto Quinquennio, vel Decennio fuiſſe celebrata, valde erraſſe, Decennaliaque, ac Vicennalia Imperatorum non niſi fortuito recte ordinaſſe, cum regula falſa uſus fuerit, & una eademque ſemper ratione ea digeſſerit. Id Onuphrius Sirmondo perſuaſerat; is enim hos Sidonii de Imperatore Majoriano in Epigrammate, quo ab eo trium capitum remedium poſtulavit, verſus explicans.

Multos purpura veſtiat per annos
Sic luſtro Imperii peremnis acto,
Quinquennalia faſcibus dicentur.

Hinc, inquit Sirmondus, *videre eſt Quinquennalia, Decennalia, & cætera id genus non ineunte, ſed peracto ultimo anni circulo celebrari conſueſſe. Quod docet etiam locus Marcellini lib. 55.* Qui infra num. XII. a nobis explicabitur. In eadem ſententia Scaliger lib. 5. de Emendat. temp. fuit, ſicuti & Noriſius, niſi quod hic capite quarto Diſſertat. de Votis Decennalibus docet Caracallam primum Romanorum Principem ſtatum Vicennalium tempus antevertiſſe, annoque Imperii viceſimo celebraſſe; *Quæ*, inquit Noriſius, *ineunte anno XXI. veteri more celebrari debuerant.* Sed licet verum ſit Caracallam anno Chriſti 217. anno Imperii vivente patre ſuſcepti viceſimo inchoato vicennalia ediſſe, quemadmodum videre eſt in Rationario Conſulatuum Cæſareorum, non inde tamen ſequitur ex ejus deceſſoribus plures non idem præſtitiſſe. Contrario errore peccavit Valeſius in Annotationibus in Orationem Euſebii de Laudibus Imperatoris Conſtantini in ejus Tricennalibus habitam, ubi ait: *Imperatores Romani Quinquennalia, Decennalia, ac Vicennalia ſua celebrabant die primo quinti, decimi, aut viceſimi anni Principatus ſui. Quippe hæc vocabula nihil aliud ſignificant, quam Natalem Imperii, qui quinto quoque anno, ac decimo recurreret, maxima pompa ac feſtivitate celebrabatur.*

VI. *A quibus hæc feſta celebrata,* CANON SECUNDUS. *Quinquennalia, & id genus feſta non ſolum ab Auguſtis, ſed etiam a Collegis Imperii, ac a Cæſaribus, non tamen a Nobiliſſimis Pueris celebrata.* De prioribus nulla difficultas eſſe poteſt; illud ſolum obſervandum hos eoſdem ea feſta celebraſſe, ſi viventibus Patribus in conſortium Imperii adſciti fuiſſent, iis enim defunctis quaſi novum Regnum inchoarent, proximis kalendis Januariis Conſulatum ſumebant, & evoluto quinquennio, Quinquennalia edebant. In hoc arcanum Bulengerus libro tertio de Romano Imperatore capite primo, non penetrarat, quando ſcripſit: *Marcellinus Comes Theodoſius octava, nona quinquennia celebravit, Theodoſius Junior decennalia. Non ſatis video, qui Theodoſius Major octava, & nona quinquennalia celebrarit, cum vix triginta annos ad Imperii gubernacula ſederit. Auguſtus certe octavo quinquennia potuit agere, non alius.* Sed perperam, Theodoſius enim Junior, qui anno 402. in Imperii conſortium, ab Arcadio patre adſcitus eſt, quique ad annum uſque 450. imperavit, nona quinquennia edere potuit; ſed Bulengero, qui hæc ſolemnia ab anno tantum 408. quo patri demortuo ſucceſſit, repetebat, id impoſſibile videbatur; quod tamen conſuetudinem tuliſſe, exempla in Faſtis ordinandis adducenda oſtendent.

Quoad Imperii Collegas, in prima & ſecunda regiminis Imperii Romani forma eoſdem Imperii Proconſularis Quinquennalia & Decennalia ediſſe Faſtorum diſpoſitio oſtendit. Titus enim, verbi gratia, qui anno Chriſti ſeptuageſimo primo Tribunitia poteſtate a Veſpaſiano patre donatus, & in conſortium Imperii vocatus eſt, anno 76. ac rurſus anno 80. Conſul proceſſit, ad Quinquennalia nempe & Decennalia agenda. Quod & de Trajano videre eſt in Rationario Cæſareorum Conſulatuum. Major difficultas de Cæſaribus in eadem prima regiminis forma. Sed eos hæc ſolemnia, licet cum minori pompa, celebraſſe certum. Domitianus enim, qui ſub finem anni Chriſti ſexa-

ge-

geſimi noni dictus eſt Cæſar, anno ſeptuageſimo tertio Conſul ordinarius fuit. Et Nero, qui anno Chriſti 51. eadem dignitate ornatus eſt, anno ſexageſimo ejuſdem Eræ Conſul ordinarius proceſſit, qui Conſulatur non niſi Quinquennalibus, & Decennalibus dicari. Unde ſicuti Imperatores ipſo Imperii initio, ſingulisque poſtea Quinquenniis, donativum militibus dabant, ut infra videbitur, ſic & Cæſares. Illud docet de Nerone Tacitus libro 12, ubi poſtquam retulit Principem Juventutis eum appellatum fuiſſe, ſubjungit: *Additum nomine ejus donativum militi, congiarium plebi & ludicro Circenſium, quod acquirendis vulgi ſtudiis edebatur*. Nec enim major ratio, cur tunc donativum illud militi fecerint, uti Auguſti, non vero quinto anno, eorum exemplo. Sed id de Nobiliſſimis pueris dici non poteſt, ut eadem faſtorum diſpoſitio manifeſtum facit. Honorius enim, verbi gratia, qui duodecies Conſul ordinarius, dum imperaret, proceſſit, nullum ex iis Conſulatibus geſſit, qui Quinquennalibus, aliiſque Feſtis Imperii Auguſtei non reſponderit, ut examinanti patet. Quare nobiliſſimi Pueri hac in re, ſicuti & in multis aliis, Cæſaribus inferiores.

VII. *Horum feſtorum tempus ordinarium & extraordinarium.* TERTIUS CANON. *Quinquennalia, Decennaliave legitimo tempore facta eſſe intelliguntur, ſi utroque termino incluſo, quinque, vel ſex anni, decem vel undecim, inchoati nempe, numerentur. Extra tempus vero ordinarium facta colliguntur, ſi ab ultimis Quinquennalibus, utroque etiam termino incluſo, vel quatuor, vel ſeptem anni, in Decennalibus vero novem tantum, aut duodecim colligantur*; Sic Conſtantius legitimo tempore Tricennalia Cæſarei Imperii anno Chriſti 353. celebravit, quia ab anno Chriſti 323. quo Cæſar creatus fuit, ad annum 353. anni ſunt inchoati 31. utroque nempe termino incluſo. Licinius vero Decennalia extra tempus edidit, factus enim fuit Auguſtus anno Chriſti 307. tertio Idus Novembris, eaque ſolemnia, ut videbimus, anno 315. quo nonus Imperii annus inchoabatur, celebravit. Et hæc certa. Difficultas tantum eſſe poteſt, an verbi gratia Gallienus legitimo tempore Quindecennalia ediderit. Factus fuit Imperator anno 253. circa Junium, anno 262. ut infra ex Pollione videbimus, Decennalia, anno vero 266. ut Conſulatus ejus oſtendit, Quindecennalia peregit. At ab anno 262. ad 266. anni quidem quinque inchoati numerantur, ſed ab anno 253. ad præfatum annum 266. anni tantum quatuordecim inchoati reperiuntur. Dicendum tamen has ſolemnitates non niſi ad ultimam relationem habere; ideoque Gallienum Quindecennalia legitimo tempore edidiſſe, quia ab anno 262. quo decennalia ediderat, ad annum 266. utroque termino incluſo, anni quinque putantur.

VIII. *Qua die hæc feſta celebrari ſolita.* QUARTUS CANON. *Quinquennalia a Cæſaribus, vel Auguſtis die Imperii Natali anni quinti, vel ſexti ineuntis, vel etiam die Natali Collegarum in eodem anno quinto ineunte vel completo, de more celebrata, ſed aliquando in ſimilem alterius menſis diem tranſlata, adeo ut exempli cauſa, qui quinto Kalendas Novembris Imperium obtinuerat; ſi ea die, ac menſe ea ſolemnia repræſentare non poſſet, non niſi quinto Kalendas alterius menſis ejuſdem anni eadem celebraret*. Prior pars, quod nempe die Imperii Natali hæc ſolemnia celebrarentur, licet ante Conſtantinum Magnum nullo exemplo probari poſſit; ab eo tamen tempore, non pauca occurrunt, quibus res omnino certa redditur. Ejus ope antequam Lactantii liber de mortibus Perſecutorum a Stephano Baluzio viro Clariſſimo, mihique ſummo amicitiæ fœdera juncto in lucem ederetur, Imperii Cæſarei Maximiani Herculii Natale divinaveram, aut ſaltem me divinaſſe exiſtimabam. Cum enim mihi perſuaſiſſimum eſſet hunc ex Cæſare Auguſtum factum fuiſſe anno 284. qua de re infra, id menſe Novembri exeunte contigiſſe ita augurabar. Euſebius libro 8. hiſtoriæ in Appendice de Martyribus Palæſtinæ cap. 2. dicit Sanctum Romanum ante diem XV. Kalendas Decembris, anno primo Perſecutionis Diocletianeæ, Chriſti nempe 303. martyrio coronatum fuiſſe; & uti narravit ſancto Martyri linguam abſciſſam eſſe, ait: *Poſt quod ſupplicium contruſus in carcerem, ac diutiſſime ibidem maceratus, tandem cum IMPERATORIS vicennalia jam adeſſent, & ex ſolemni more, univerſis qui in cuſtodia tenebantur, indulgentia publice per præconem annunciata eſſet .... martyrio, ſicut optaverat, exornatus eſt*. Neque dubitabam Euſebium intelligendum eſſe de Vicennalibus Diocletiani, quæ licet decimo quinto Kalendas Octobris, quo, ut docet Chronicon Alexandrinum, Imperium iniit, celebrari debuiſſent, dilata tamen fuerant non in diem decimum quintum Kalendas Decembres, quo ſimili die nuncupatus fuerat Imperator, (cum tunc ea in propinquo tantum eſſent, ideoque Romanus eo morte affectus fuerit,) ſed in alium diem ex proximioribus, quem Maximiani Herculii Natalem fuiſſe ſuſpicabar, cum juxta canonem a me traditum Imperatores has feſtivitates edere non ſolerent, niſi vel die Natali vel Natali Cæſarum cum illis regnantium, vel ſaltem in ſimilem diem alterius menſis quo Imperium inierant. Cum itaque obſervarem Diocletianum Vicennalia non celebraſſe XV. Kalendas Octobres, nec decimo quinto Kalendas Decembres celebrare potuiſſe, (nam ut docet Euſebius, ea tunc tantum imminebant) arbitrabar edita ea fuiſſe duodecimo Kalendas Decembres, eumque diem Imperii Maximiani Herculii fuiſſe Natalem. Acta enim Sancti Marcelli Centurionis die trigeſima Octobris a Surio relata, qui paſſus eſt in Civitate Tingitana in Mauritania anno 299. quo Diocletianus & Maximianus Quindecennalia egerunt, ut infra videbimus, habent: *Jam die XII. Kalend. Auguſtarum apud ſigna Legionis iſtius, quando diem feſtum Imperatoris veſtri celebraſtis, publica voce reſpondi me Chriſtianum eſſe*. Quod Natale non videbatur Diocletiano convenire, cum celebrandum fuiſſet decimo quinto Kalendas Auguſti, ſi anticipatum fuiſſet, juxta regulam quam explicamus. Neque etiam ea die idem Maximianus a Diocletiano Cæſar creari potuerat, cum anno 284. XII. Kalendas Auguſti nondum Diocletianus adhuc Imperator eſſet. Quare ſuſpicabar ideo ejuſdem Maximiani, quindecennalia duodecimo Kalendas Auguſti in Africa fuiſſe celebrata, quia duodecimo Kalendas Decembris Cæſar creatus fuerat; neque enim ex collatione loci Euſebii & præfatorum Actorum aliud inferendum exiſtimabam; eoque magis quo Diocletianum & Maximianum uno eodemque die Vicennalia edidiſſe docebat nummus ejuſdem Maximiani a Carolo Patino relatus, in quo legitur: VOT. XXX. AUGG. ex quo vir doctiſſimus perperam inferabat, Vicennalium tempus antevertiſſe, cum inde tantum colligi poſſit ea ab utroque Auguſto eodem die celebrata fuiſſe, ideoque hunc vigeſimum tum Imperii annum attigiſſe, quod aliis argumentis conſtat. Verum eſt Carolum Dufreſnium in Diſſertat. de inferioris Ævi Nomiſmat. num. 40. proferre nummum Diocletiani inſcriptum: VOT. XXX. S. ectypumque gemmæ, cui inſculptum: VOT. XXX. S. DI. id eſt, *vota Tricennaliorum ſuſcepta Diocletianus*. Præterea gemmæ aliud ectypon, characteres hoſce præferens: MAXI. VOT. XXX. P. ideſt, *Maximianus vota Tricennaliorum publica*. Quæ

videntur ſignificare horum Imperatorum Decennalia diverſis temporibus acta fuiſſe. Sed ſicuti Criſpi & Conſtantini Junioris Cæſarum Quinquennalia vota, quæ una ſimul ſoluta ſunt, ut colligitur ex iis nummis, in quibus legitur: VOT. X. aut XX. CAESARUM NOSTRORUM; in diverſis tamen nummis inſcripta leguntur, unius tantum Cæſaris nomine expreſſo, uti in nummo Conſtantini Junioris; VOTA VICENNALIORUM, & in nummis Criſpi in quibus legitur: VOT. XX. pari eademque ratione Tricennalia vota ſuſcepta Diocletiani & Maximiani, & in iiſdem, & in diverſis nummis inſculpta fuere, vel cum unius, vel cum alterutrius nomine.

IX. *Diocletianus & Maximianus eodem die Vicennalia celebrant.* Nec mirum videbatur Diocletianum & Maximianum eodem die Vicennalia celebraſſe, licet diverſis diebus Imperium ſumpſiſſent; cum ex panegyrico Maximiano a Mamertino dicto conſtet, Natale genuinum utriuſque uno eodemque die etiam celebratum fuiſſe; quod non ſemel in eadem Panegyri indicatur. Cur enim aliquando eadem die Natale genuinum; Imperii vero ſemper diverſis celebraſſent? reſtituendus porro, ut obiter moneam, eidem Panegyrico legitimus qui in omnibus fere veteribus Codicibus legitur, titulus: *P. ejuſdem Genethliacus Maximiani A. & Diocletiani*: id eſt *Panegyricus ejuſdem* (Mamertini) *Genethliacus Maximiani Auguſti, & Diocletiani*, cum aſſeverat Orator ſe de *gemino Natali*, genuino nempe utriuſque Imperatoris loqui. Rejicienda enim interpretatio Jacobi de la Baune Societatis Jeſu, viri non vulgaris eruditionis, quod nimirum eodem die Diocletianus & Maximianus nati eſſent. Emendandus pariter locus cap. 19. in quo legitur; *optime igitur ſacratiſſime Imperator, quantum arbitror, hæc potiſſima elegi quæ gemino Natali tuo prædicarem*. Delendum enim illud *tuo*, vel reſtituendum *veſtro*, uti jam viri docti monuere, conſtatque ex verbis ejuſdem Panegyris ſequentibus, imo & ex tota illa oratione genethliaca. Cumque anno decimo Imperii, Chriſti nempe 293. & quinto decimo; Chriſti 299. uterque Imperator Conſul proceſſerit, ſuſpicandi locus datur eoſdem uno eodemque die, diverſis tamen in locis Decennalia, & Quindecennalia celebraſſe, ſicut Natale Genuinum, & Vicennalia ſimul edidiſſe conſtat. Talis itaque mihi ex præfato Canone injecta conjectura; quæ enim afferuntur a viris doctis, quorum ingenia præfatus Euſebii locus ſummopere cruciavit; parum me movebant, cum eos falſis fundamentis inniti non dubitarem. Dicunt ſiquidem aliqui præfatum Euſebii locum mendoſum eſſe, ac loco *Novembris*, legendum eſſe *Septembris*, quo menſe Diocletianus Imperium inierat, quaſi Imperatores nunquam aliis menſibus, quam quibus Imperium ſuſceperant, has feſtivitates edidiſſent. Alii ſuſpicabantur Diocletianum, uti poſtea Conſtantinum, Vicennalia iteraſſe; aliaque Romæ, alia vero Antiochiæ exhibuiſſe, quod cum de Conſtantino falſum ſit, uti infra oſtendam, eam conjecturam prorſus rejiciendam non dubitabam. Alii Euſebii verba ad Maximianum nullo modo referri volebant, quod eum nunquam fuiſſe Cæſarem exiſtimarent. Dum in ea mente eram, in lucem editus eſt liber Lactantii de mortibus Perſecutorum, qui omnem ſcrupulum ex animo tandem evulſit; cap. enim 17. ait; *Diocletianus pervenit Romam, ut illic Vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad XII. Kalendas Decembres*; qui dies cum non poſſit eſſe Natalis Imperii Diocletiani, nec ab eo eligi ad præfata ſolemnia (decimus enim quintus Kalendas Decembris electus fuiſſet, cum decimo quinto Kalendas Octobris purpuram ſumpſerit) ſequitur omnino ideo Diocletianum duodecimo Kalendas Decembres Vicennalia celebraſſe, quia eo die Maximianum Herculium anno 284. Cæſarem nuncuparat. Qua de re pluribus infra. Sicque probata etiam manet ſecunda pars Canonis, quæ docet Auguſtos die Natali Cæſarum, aut aliorum Auguſtorum ſecum corregnantium natali die hæc ſolemnia quandoque celebraſſe.

Scio Baluzium, virum eruditiſſimum, hæc Lactantii verba de Diocletiani Natali interpretari, ac exiſtimare Auctorem Chronici Alexandrini erraſſe, dum ad Conſulatum Carini II. & Numeriani ſcribit: *Diocletianus Imperator XV. Kal. Octob. Chalcedone renunciatus, V. Kal. Octobris Nicomediam purpuratus introivit, & Kal. Januariis Conſul proceſſit*. Sed hujus Chronici locus a Noriſio diſſertat. de Numiſmate Impp. Diocletiani & Maximiani cap. 1. valide confirmatus; in titulo enim *L. ut nemo invitus lib. 3. Codicis Juſtinianei* legitur: *Imp. Diocletianus Auguſtus Camerio*: & in ſubſcriptione, *dat. Idibus Octobris Carino II. & Numeriano Coſſ.* nempe anno 284. quare jam Idibus Octobris Diocletianus imperabat, ideoque dies duodecimus Kalendas Decembres, quo Vicennalia celebravit, ejus Imperii Natalis dies eſſe non poterat. Neque id Lactantius dicit, ſed tantum fuiſſe diem Vicennaliorum; eum tamen ita explicavit vir doctiſſimus, quia cum communi opinione exiſtimavit, non alio die, quam Imperii Natali ea fuiſſe celebrata, quod & Noriſius etiam ſentiit, ut loco citato videre eſt. Porro obiter obſervandus Diocletiani in Urbem Regiam ingreſſus dies, V. nempe Kalendas, qui jam ab Auguſto, uti diximus, Principibus Romanis ſumma in veneratione erat; unde & Marcus Aurelius Commodum filium V. Kalendas Novembres in Imperii conſortium adſcivit. X. *XV. Kal. Octob. natalis dies Imperii Diocletiani.*

Idatius in Faſtis ſub Conſulatu Conſtantii IX. & Juliani Cæſaris II. anno nempe Chriſti 357. in quem ſeptima ejuſdem Conſtantii Auguſti Quinquennalia incidebant, hæc habet; *introivit Conſtantius Aug. Romam IV. Kal. Majas, & edidit XXXV.* de cujus Romam adventu, pompa, ludiſque Circenſibus, qui ad hæc ſeptima Quinquennalia referri debent, poſtquam loquutus eſt Ammianus lib. 16. ait; *triceſimo poſtquam ingreſſus eſt die, IV. Kal. Junias ab urbe profectus, per Tridentum iter in Illyricum feſtinavit*. Conſtantius anno trecenteſimo viceſimo tertio, ſexto Idus Novembres Cæſar a Conſtantino Magno patre nuncupatus fuerat, eoque die ſeptima illa Quinquennalia celebranda fuiſſent, ſi, quod hactenus perſuaſum, Natali ſemper Imperii die exhibita fuiſſent. Sed non dubitandum quin die undecima Kalendis Junii, Auguſtei Imperii Conſtantii Natalitio, celebrata fuerint. Quod eo magis dicendum, quod Chronicon Alexandrinum ſcribat: *Conſtantius Auguſtus propter Vicennalia ſua cum ingenti pompa & apparatu Romam venit, & cum eo uxor ejus Euſebia Auguſta, Romæque morati ſunt dies XIV.* Eodem itaque die & Auguſtei Imperii Vicennalia, & Imperii Cæſarei ſeptima Quinquennalia edita, quia, ut in Canone diximus, dies Natales Imperii, vel proprii, vel Collegarum, ac Cæſarum his ſolemnibus de more dicati. Sed quidquid ſit de Vicennalibus, quæ anno præcedenti videntur a Conſtantio acta, cum Idatius de iis non loquatur, & hæc Chronici Alexandrini verba, ἐν τοῖς ἰδίοις εἰκοσαετηρίοις, de viceſimo Imperii ejus anno intelligi poſſint, certum ſeptima ejus Quinquennalia die Natali Imperii Auguſtei peracta fuiſſe. Errat autem Auctor Chronici Alexandrini, ſicuti & Theophanes quando ſcribunt Conſtantium Romæ quatuordecim dies egiſſe; ſic enim die viceſima ſecunda Maii, ejus Imperii Natali, ea in urbe non fuiſſet, Quo caſu ſexto Idus Maias ex XI. *Uno eodemque die Conſtantius XX. & XXXV. edit.*

mox

mox dicendis eam feſtivitatem peregiſſet, die nempe decima Maii, & die duodecima ejuſdem menſis, qui ab ingreſſu decimus quartus erat, ex Urbe exceſſiſſet, quod parum veroſimile, ea enim pompa, ludi Circenſes & theatrales, aliaque hujuſmodi non niſi pluribus diebus exhiberi poterant. Quare rectius Marcellinus ſcripſit quarto Kalendas Junias, die nempe viceſima nona Maii, Conſtantium Roma egreſſum fuiſſe, ſic enim ſex, aut ſeptem dies eidem pompæ exhibendæ inſumpti ſunt: ex quo & colligere eſt pluses neceſſarios non fuiſſe.

XII. *Hæc ſolemnia, ſi anticiparentur aut differrentur, in die ejuſdem denominationis celebrata.*

Tertiam præfati Canonis partem, hæc nempe ſolemnia ſi differrentor, aut anticiparentur, die ejuſdem cum Natalitio denominationis celebrata fuiſſe, luculento exemplo demonſtro, ſimulque Ammiani locum a viris doctiſſimis ſolicitatum confirmo. Is lib. 14. de ejuſdem Conſtantii Tricennalibus loquens, ait: *Arelate hiemem agens Conſtantius poſt theatrales ludos atque Circenſes ambitioſo editos apparatu, die ſexto Idus Octobres, qui Imperii ejus annum triceſimum terminabat, &c.* Hæc verba viris doctis crucem fixerunt; certum eſt enim Conſtantium, non ſexto Idus Octobres, ſed ſexto Idus Novemb. Cæſarem nuncupatum fuiſſe. Quod non tantum Idatius in Faſtis, ſed & vetus Kalendarium a Petro Lambecio V. C. editum docent. Valeſius in Notis ad orationem Euſebii de laudibus Conſtantini in ejus Tricennalibus, habitam, ubi locum illum refert, inquit: *Omnino Marcellinus annum triceſimum terminatum poſuit pro inchoato.* In Notis vero ad Ammianum jam dixerat: *anno Chriſti 324. Cæſar a patre creatus fuerat Conſtantius ſexto Idus Novembres, ut ſcribit Idatius in Faſtis, & Auctor Chronici Alexandrini. A quo anno ad Conſulatum Conſtantii Auguſti VI. & Conſtantis Cæſaris II. anni ſunt viginti novem ſolidi. Itaque memoria lapſus videtur hic Marcellinus qui pro nono ac viceſimo triceſimum poſuit. Ac vereor ne & VI. Idus Octob. pro Novemb. poſuerit*, Petavius in Chronico ad annum 353. in iiſdem Ammiani verbis hæſit, ſcripſitque: *cum anno 324. Cæſar a patre factus ſit Conſtantius, & quidem VI. Idus Novembres, ut teſtis eſt Idatius: non triceſimum annum terminavit, ſed inchoavit potius iſte, qui eſt Chriſti 353.* Noriſius Differtat. de vot. Decennal. cap. 1. *Erravit Marcellinus Octobrem pro Novembri ſcribens.* En ad quas anguſtias Viros doctiſſimos falſa, quæ pro certo ponebant fundamenta, adduxerint. Hæc tria erant, nempe Decennalia & id genus feſta non alio, quam Imperii Natali die fuiſſe celebrata. Secundo Ammianum aliosque Auctores quando ſcribunt diem in quo ea ſolemnia celebranda erant, annum triceſimum, decimum, vel viceſimum terminaſſe, eoſdem ſemper intelligere eos annos exactos tunc & abſolutos fuiſſe. Tertio Conſtantium anno 324. Cæſarem creatum. Quæ tria prorſus a veritate aliena. Infra enim ex ejus Decennalium, & id genus feſtorum ſerie, eum anno antecedenti eam dignitatem conſequutum, prætereaque præfatam loquendi formulam non ſignificare annum decimum, vel triceſimum abſolutum fuiſſe, demonſtrabo. Cumque jam oſtenderim non eo ſemper die quo Imperium ſuſceperant Imperatores, ea ſolemnia celebraſſe, ex præfatis Ammiani verbis liquet, quando ea differebantur, vel anticipabantur, edita fuiſſe in die ejuſdem rationis & denominationis cum die Imperii Natali. Quare cum Conſtantius ſexto Idus Novembris nuncupatus fuerit, & Cæſarei Imperii Tricennalia anticipare debuerit, ex non alio die, quam ſexto Idus alterius menſis celebrare potuit. Romani enim, ut jam indicavimus, in diebus obſervandis religioſi erant: ex quo & collegimus ideo Hadrianum quinto Kalendas Martias Antoninum Pium adoptaſſe, quia quinto Kalendas alterius menſis, Julii nempe, Auguſtus Tiberium adoptarat; eundemque Auguſtum quinto Kalendas Septembris Tiberium in Imperii conſortium adſciviſſe, quia quinto Kalendas ejuſdem menſis Septembris, debellatis jam omnibus hoſtibus, aram Victoriæ ſacrarat, ſeque ex ceremonia, ut docet Dio, Orbis Imperium propria virtute acquiſiviſſe demonſtrarat. Qui Romanorum mos ad varia ænigmata ſolvenda præ oculis habendus.

XIII. *Initio Imperii ſemper vota ab Imperatoribus nuncupata.*

QUINTUS CANON. *Ipſo Imperii initio Quinquennalium vota ad Imperium feliciter auſpicandum; ſemper nuncupabantur, ſed non ſemper anno quinto, vel ſexto Imperii ineunte ſolvebantur; votaque Decennalia ſuſcipiebantur, ſed aliquando differebantur, aut anticipabantur, uno tamen duntaxat anno.* Idem dicendum de Decennalibus, Vicennalibus, omnibuſque id genus feſtis. Prima pars, quod nempe ipſo Imperii auſpicio vota nuncuparentur, patet ex iis, quæ jam hoc capite, diximus. Licet enim in nummis ibidem laudatis, aliiſque multis, vota Decennalia legantur; exacto tamen, vel ineunte quinquennio pro dimidia parte decennii feliciter peracti, vota ſolvebantur, & iterum Decennalia vota iterabantur. Quare alia ſunt Quinquennalium, vel Decennalium vota concepta; alia edita Quinquennalia, vel Decennalia: Cavendumque ne cum legitur in nummis, verbi gratia VOTA XX. exiſtimemus intelligi ea ſolum, & hujuſmodi nummos anno Imperii viceſimo ſemper cuſos fuiſſe. Poſſunt enim etiam intelligi vota XX. in Decennalibus nuncupata, neque quoad hoc certa regula tradi poteſt. Imo Noriſius Differt. de Numiſmat. Licinii cap. 3. obſervat ſolutis votis Decennalibus ſuſcepta fuiſſe non tantum vota Quindecennalia, ſed etiam Vicennalia. Extat enim apud Occonem Flavii Conſtantis Conſtantini Magni filii Nummiſma inſcriptum. VOT. X. MULT. XV. XX. id eſt, *Vota Decennalia multis Quindecennalibus, Vicennalibus*. Legitur in nummis Conſtantii VOT. XX. MULT. XXX. & rurſus VOT. XXV. MULT. XXX. & VOT. XXX. MULT. XXXX. & pariter VOT. XXXV. MULT. XXXX. Sic ex hoc Maxentii nummo, qui apud eumdem Occonem extat, non bene vir Eruditiſſimus deducit, eum Quinquennalia edidiſſe: in ejus averſa parte hæc ſcripta ſunt: VICTORIA DD. NN. AUG. ET CÆS. VOT. V. MULT. X. Cum enim eo in nummo Marcus Aurelius Romulus Maxentii filius Cæſar dictus memoretur, perſpicuum fit cuſum eum fuiſſe ipſo Imperii Maxentiani initio, anno nempe 307. non vero 312. quem Quinquennalibus ſuis Maxentius deſtinarat. Romulus enim anno 308. & ſequenti Conſul ordinarius cum patre fuit, hicque anno 310. ſolus tertium Conſulatum ordinarium iniit: quod argumentum eſt Romulum jam, de quo nulla poſtea alicubi mentio, mortuum fuiſſe.

XIV. *Decennalia & id genus feſta aliquando anticipata, vel dilata.*

Secunda pars Canonis, quod ſcilicet Quinquennalia aliquando anno quarto, aliquando vero anno ſeptimo; Decennalia anno nono, vel duodecimo; Quindecennalia anno decimo quarto, vel decimo ſeptimo, aliaque deinceps feſta celebrarentur: ideoque vel anticiparentur, vel differrentur compluribus exemplis capite ſequenti demonſtrabitur, ac Rationarium Faſtorum legenti identidem conſtabit. Neque enim hac de re extat controverſia, ſed tantum an verbi gratia Conſtantinus Magnus legitimo tempore Decennalia, vel Quindecennalia ediderit, quam tamen difficultatem, ut infra videbitur, aliquomodo complanavimus.

XV. *Sed nunquam biennio.*

Tertia pars ſtatuitur contra Valeſium, qui in Notis ad Auctorem Anonymum, quem in calce Ammiani edidit, explicans hæc ejuſdem Auctoris verba de Theodorici Italiæ Regis Romam ingreſſu: *per tricennalem triumphans populo ingreſ-*

greſſus palatium, exhibens Romanis Ludos Circenſium. Donavitque populo Romano, & pauperibus annonas, ſingulis annis centum viginti millia modios &c. ait: *an forte legendum eſt per decennalem, ut hæc Theodorici pompa ad decennalia ejus referatur. Ingreſſus autem eſt Romam Patricio & Hypatio Coſſ. anno Domini 500. Regni autem ſui anno octavo. Itaque ſi Decennalia tunc celebravit Theodoricus, toto biennio anticipavit, quod non inſolens fuiſſe eruditi ſciunt.* Nullum dubium quin legendum ſit *per decennalem*, ſed erat is annus Theodorici decimus, non octavus; nec ea decennalia anticipata, ſed anno decimo more ſolito acta. Obiit Theodoricus anno 526. die triceſima Auguſti, non ſecunda die Septembris, ut Baronius, Calviſius, aliique putant. Mortis enim ejus dies, ſicuti & annus evidenter colligitur ex his ejuſdem Anonymi Valeſiani verbis: *Symmachus Scholaſticus Judæus, jubente non Rege, ſed Tyranno* (Theodorico) *dictavit præcepta die quarta feria ſeptimo Kalend. Septemb.* (anno Chriſti 526. currebat Cyclus ſolis XIX. Litera dominicalis D. Quare dies XXVI. Auguſti cum feria quarta eo anno concurrebat) *Indictione quarta, Olybrio Conſule, ut die Dominico adveniente* (nempe die triceſima Auguſti) *Ariani Baſilicas Catholicas invaderent. Sed .... eodem die quo ſe gaudebat Eccleſias invadere, ſimul regnum & animam amiſit.* Annos Imperii Theodorici Procopius libro primo Gothicæ hiſtoriæ nos docet: *adepta potentia poſt annos ſeptem & triginta vivendi fecit finem.* Idem vero Anonymus Valeſianus ait: regnavit *annos triginta tres.* Ex quibus vides Epochas duas Theodoriciani Imperii diſtinguendas eſſe, prioremque ducendam ab anno quadringenteſimo nonageſimo, quo regnum in Italia conſtituit & ſecundum quam annos triginta ſeptem a Procopio imperaſſe, & ab eodem Anonymo decennalia celebraſſe dicitur; alteramque a morte Odoacris anno quadringenteſimo nonageſimo tertio ab eodem Theodorico occiſi, ſecundum quam idem Anonymus annos triginta tres eundem regnaſſe ſcribit. Quare male Procopius a Baronio, qui legendum cenſet *triginta quatuor*, emendatur. Corrigendus & Anaſtaſii Bibliothecarii, qui aliis errandi cauſa fuit, locus in Joanne Primo, in quo ait: *Poſt dies nonaginta octo ab obitu Joannis Papæ*, qui contigit die viceſima ſeptima menſis Maii, Theodoricum obiiſſe, legendum enim *nonaginta ſex.* Corrigendus & Auctor hiſtoriæ Miſcellæ, qui habet: *Poſt dies 99.* a die enim viceſima ſeptima Maii ad triceſimam Auguſti, utroque termino comprehenſo, dies tantum numerantur 96. quæ per tranſennam dicta ſunt, ad oſtendendum, quæ in rem Chronologicam ex horum ſolemnium notitia, utilitas redundet, cum Theodorici decennalium beneficio, duplex Imperii ejus Epocha detegatur, & fides ſua Procopio reſtituatur. Sed hac de re pluribus infra. Hic itaque Anonymi locus anno Imperii octavo Theodoricum Italiæ Regem, Decennalia celebraſſe nullo modo oſtendit; cumque nullum aliud exemplum proferri poſſit, quo appareat hujuſmodi ſolemnia plus anno uno aut anticipata, aut dilata fuiſſe, ut Faſtos a nobis digeſtos percurrenti liquebit; manifeſtum eſt ea nunquam biennio, ante vel poſt tempus legitimum, peracta. Neque quis dicat Marcellinum in Chronico anno 439. ſcribere Theodoſium Juniorem octava Quinquennalia eodem anno edidiſſe, Imperii nempe anno 402. vivente Arcadio patre ſuſcepti, quæ anno 440. anno uno anticipaſſet, ac præterea juxta eundem auctorem, anno 444. eundem Theodoſium nona quinquennalia dediſſe, ejuſdem ſcilicet Imperii vivente patre initi, quæ legitimo tempore ante annum 446. fieri non potuere. Nam præfata ſolemnia legitimo tempore peracta fuiſſe ex eo liquet, quod anno 435. idem Theodoſius ſeptima quinquennalia Imperii vivente patre adminiſtrati celebrarit, ut videre eſt in noſtris Faſtis. A quo anno, ad 439. utroque extremo incluſo, anni quinque numerantur. Ab eo autem, ad annum 444. utroque pariter ultimo termino comprehenſo ſex anni ſunt. Quare præfatæ duæ feſtivitates minime anticipatæ fuere; licet ſi quis eaſdem ab anno 402. deducat, eas anteverſas fuiſſe ſibi in animum inducere neceſſe ſit. Sed illas ſemper ad ultimas referendas eſſe, vel ex iis duobus exemplis patere poteſt.

CANON SEXTUS. *Hæc ſolemnia ante Imperatorem Commodum ſæpe cum trabea Conſulari; poſt illum vero, de more cum ea acta: non ita tamen cum eadem conjuncta, quin aliquando Quinquennalia, vel Decennalia Conſulatus aut præceſſerit, aut ſubſequutus fuerit.* Prior pars, ſicuti & ſecunda vel ſola Faſtorum Conſularium a nobis explicatorum diſpoſitione declarari poteſt; ibi enim Tiberius, qui anno Chriſti decimoquarto Auguſto ſucceſſit, anno decimo octavo ejuſdem Eræ Conſul legitur, ſicuti & Claudius anno quadrageſimo primo ejuſdem Eræ Imperator creatus, anno quinquageſimo primo Conſul occurrit: qui duo Conſulatus Quinquennalibus Tiberii, & Claudii Decennalibus ideo addicti exiſtimandi ſunt, quod in Faſtis, annis quibus eæ feſtivitates agendæ erant, Imperatores Conſules proponantur. Hunc morem intermiſſum Commodus reſtituit, & Conſtantinopolitani Imperatores ſervavere. Non raro tamen accidit, ut anno præcedenti, vel ſubſequenti eaſdem feſtivitates Imperatores Conſules proceſſerint. Sic Conſtantinus M. anno 315. Conſulatum geſſit, & tamen Decennalia anno tantum ſequenti celebravit. Sic Honorius anno quadringenteſimo undecimo Vicennalia Imperii vivente patre ſuſcepti edidit, ut eo anno in Rationario faſtorum oſtendimus, & tamen Conſulatum nonum eis addictum, non niſi anno ſequenti geſſit. Plura exempla in iiſdem Faſtis occurrent, ex quibus facile quiſque cognoſcere poterit, Conſulatum circa Decennalium, aut Quindecennalium tempus geſtum non niſi iiſdem ſolemnibus fuiſſe dicatum. XVI. *Conſulatus cum his feſtis conjunctus.*

CANON SEPTIMUS. *Quinquennalia & id genus feſta, nova quaſi Imperii auſpicia, novaque quædam illius Epocha fuere.* Nam, ut oſtendimus, Auguſtus, decennalibus exactis, novum velut Principatum inchoavit, atque Imperium renovavit, ejuſque exemplo, qui ei ſucceſſere Imperatores, quaſi eis Imperium redditum fuiſſet, quinquennalia & Decennalia celebrarunt, ut docet Dio lib. 53. *quam ob cauſam*, inquit, *poſteriores quoque Imperatores etſi non ad certum tempus, ſed in omnem vitam conſtituerentur; per decennia ſolemnes dies agebant, tanquam Imperii novum initium caperent, quod uſque hodie fieri conſuevit.* Notata invenitur in nummis hæc Epocha iſtis verbis: PRIMI DECENNALES, vel SECUNDI DECENNALES, aut ſicuti in nummo Antonini Pii, qui apud Spanhemium pag. 875. extat: SECUNDI DECEM-ANNALES, vel ut in nummo Alexandri Severi legitur: ΠΕΡΙΟΔΟϹ ΔΙΚΑΤΗ, ideſt, *annus decimus*, vel Tribunitia Poteſtas X. Περίοδος enim, ut recte ibidem explicat Spanhemius, eo loco non ſumitur pro longiori tempore, quam pro annuo Solis circuitu, quomodo & frequenter Κύκλος, ſeu Cyclus, & Circulus Græcis juxta ac Latinis Auctoribus; unde in hymno Hilarii, *terdeni annorum cycli*; in Hieronymo autem ad Paulum Concordienſem, *ecce jam centenus ætatis circulus volvitur*, de Paulo nampe Concordienſi centeſimum ætatis annum agente. XVII. *Decennalia ſimiliaque feſta novam Epocham conſtituunt.*

Nam

XVIII. *Comparatio inter Imperii primordia & Quinquennalia ſimiliave feſta.*

Nam Imperii exorſus, ejuſque quintus, decimus, &c. annus in omnibus inter ſe conveniebant. In illis privilegia populis conceſſa confirmabantur, ut de patre ſuo Marco Aurelio teſtatur Commodus apud Modeſtinum Juriſconſultum in *l. 6. paragrapho 8. ff. de excuſationib.* ubi ait; *Divus pater meus Principatum ingreſſus, edicto conceſſa privilegia atque immunitates firmavit.* Sic etiam in Decennalibus & id genus feſtis beneficia & liberalitates ſuperiorum Principum, aut confirmabantur, aut augebantur; ut patet ex pluribus legibus Codicis Theodoſiani, præſertimque *lege 1. de longi temporis præſcriptione*, quæ quarto ejuſdem Codicis lib. legitur. Data eſt ea *Idibus Januarii a Conſtantino M. Sabino & Ruffino Coſſ.* anno nempe 316. in eaque decernit idem Imperator, ut ex donatione Principum, aut quocumque modo rem ad fiſcum pertinentem, uſque ad ſua Decennalia poſſidentes ſecuri poſſideant. Conceſſæ & indulgentiæ debitorum, itemque Indulgentiæ criminum, de quibus in eodem Codice *tit. de Indulgentiis Criminum, & tit. de Indulgentiis debitorum.* Præterea ſicut novi Imperatores coronis excipiebantur, juxta illud Herodiani de ejuſdem Commodi Romam, poſt patris mortem, ſolemni introitu; *talem igitur Imperatorem fauſtis omnibus, acclamationibuſque & Coronarum, florumque ſparſionibus exceperunt;* Ac etiam aurum coronarium, coronarum nomine Provinciæ ac civitates miſſis legationibus Principi offerebant, ut docet Dio in fragmento a Valeſio edito lib. 77. Sic in Quinquennalibus, & hujuſmodi feſtis, populi coronas offerebant, aurumque coronarium, ut in lege quarta de auro coronario Codicis Theodoſiani legitur. Et Valeſius in Notis ad Orationem Euſebii de laudibus Conſtantini in Tricennalibus ejus habitam obſervat, eundem Euſebium alludere ad coronas aureas, quas Provinciales Imperatoribus Romanis offerre ſolebant, non ſolum ob Imperii primitias, verum etiam ob vota Quinquennalia eorum, ac Decennalia: *porro*, inquit Euſebius, *Deus velut pignora quadam futuræ remunerationis ei* (Conſtantino) *in anteceſſum præbens, Tricennales ipſi coronas tribuit, felicibus annorum circulis contextas.* Illuſtrius exemplum ex oratione Syneſii de Regno in Arcadii Imperatoris quinquennalibus habita, ut infra capite ſexto, numero ſeptimo oſtendetur, deducu: *me cum auro*, inquit, *caput, tum animum Philoſophia coronaturum Cyrene mittit ad te, græca civitas, antiquum & venerabile nomen, infinitis olim Doctorum celebrata carminibus, nunc pauper & humilis, ingentiaque ac deſerta rudera: cui regia munificentia opus eſt; ſi quid gerere velit, veteri illa ſua origine non indignum. Hanc tu porro inopia quandocumque liberes, eamdem adhibebis; idque in tua voluntate ſitum eſt, ut ab ampla feliciique patria alteram ad te coronam perferam.* Ita ille ejuſdem Orationis initio. Præterea Imperatores ſimul atque Auguſti nuncupati erant, donativum militibus erogabant, ut de Commodo ſcribit Herodianus in lib. 1. & de Valentiniano Ammianus lib. 26. ubi milites alloquens ait; *animorum reparate vigorem atque membrorum ob nuncupationem Auguſtam debita protinus accepturi.* Sic etiam in Quinquennalibus ac Decennalibus donativum militibus Principes erogabant, ſingulis ſcilicet aureos quinque, ut infra oſtendetur. Erant & aliæ multæ inter Imperii initium, & quinquennalia ſimiliave feſta convenientiæ; ſed hæ ſufficiunt, ut quilibet intelligat mirum non eſſe, quod iſta non minus, quam illud novam Epocham, novamque annorum Periodum conſtituerint.

XIX. Hujus Canonis beneficio Euſebii locus, qui tot viros doctos in errorem induxit, facile explicatur. Is lib. 4. vitæ Conſtantini cap. 53. de ejuſdem Imperii annis loquens ait; *Ac Imperii quidem curriculum duobus & triginta annis explevit, exceptis menſibus ac diebus paucis.* Et tamen in Chronico Conſtantini Imperium, quod & certiſſimum, annis triginta, & menſibus decem circumſcripſerat. Quæ verba in cauſa fuere cur Petavius lib. 11. de doctrina Temp. cap. 36. & Franciſcus Chiffetius in Notis ad Victorem Vitenſem ſcripſerint, Conſtantinum M. annos triginta duos imperaſſe, exiſtimarintque eum ante patris mortem fuiſſe Cæſarem; imo Petavius dicat, magnam ſibi eſſe ſuſpicionem Conſtantium Chlorum anno Chriſti 305. mortuum eſſe, eodemque Conſtantinum filium ei ſucceſſiſſe. Sed ſi ad Euſebii ſenſum penetraſſent, in opiniones adeo diſſentaneas delapſi non eſſent. Euſebius enim in vita Conſtantini conſcribenda, quamvis eam in quatuor libros dividat, in geſtis tamen ejus recenſendis, non alium quam Decennaliorum ordinem ſervat, quod non tantum lib. 4. cap. 40. Sed & in ipſo proœmio indicat; hoc enim a Conſtantini morte inchoans ait; *Nuper quidem magni Imperatoris redeuntium Decennalium ſecundorum, ac tertiorum PERIODOS, univerſum genus hominum feſtivitatibus & conviviis celebravit. Nos quoque ipſi nuper eumdem victorem ac triumphatorem cœtu famulorum Dei circumſeptum, laudatione in ejus VICENNALIBUS dicta venerati ſumus. Sed & TRICENNALIUM orationum coronas ei texentes, nuper in ipſo palatio ſacrum ejus caput redimivimus* (vides, ut ſupra oſtendimus, Euſebium ad flores & coronas, quibus Imperatores honorabantur a populis, rurſus alludere) *Verum nunc anceps animi hæreo, cupiens quidem aliquid MORE SOLITO proferre, ſed quo me vertam, prorſus ignarus, inuſitato rei ſpectaculo perculſus.* Euſebius itaque, qui in ea vita conſcribenda Oratorem magis, quam Hiſtoricum agit, eam adjungere voluit orationibus, quas in Conſtantini Vicennalibus & Tricennalibus habuerat, ita ut illa ſingulis decenniis geſta complecteretur, quæ, quaſi partes tres, ut inter ſe quodam lepore conſentirent, æquabili ratione ac uno eodemque genere tractare voluit. Quamobrem non alia Epocha, quam quæ a Decennalibus deſumitur, uſus eſt. Cumque poſt Tricennalia, duobus adhuc circiter annis Conſtantinus ſuperſtes fuerit, eum annos triginta duos imperaſſe dixit. Ipſemet Cap. 5. libri primi antequam geſta ejuſdem Imperatoris deſcribat, mentem ſuam adhuc apertius declarat, inque: *Χρόνον μὲν βασιλείας, τρισὶ δεκάδων περιόδοις πλατύνας, καὶ προσέτι λῷον τιμήσας*, id eſt, *Ac tempus quidem Imperii ipſius tribus denum annorum PERIODIS abſolvens, & aliquanto amplius honoravit.* Quid clarius? Faceſſant itaque in poſterum e doctorum virorum libris opiniones Chronologiæ, Faſtis, Hiſtoriæque contrariæ, certumque ac indubitatum maneat, Conſtantinum ante patris mortem Cæſarem non fuiſſe, huic non niſi anno 306. in Imperio ſucceſſiſſe, triginta tantum annos, & menſes decem imperaſſe, Euſebium non aliter docuiſſe, ac denique Philoſtorgium, Theodorum lectorem, Epiphanium, Theophanem, Auctorem Chronici Alexandrini, Victorem Schotti, & Victorem in Epitome, quando ſcripſere Conſtantinum annos triginta duos imperaſſe, vel Euſebium non intellexiſſe, vel utrumque extremum annum Julianum incompletum pro completo numeraſſe.

Euſebius in vita Conſtantini Decennaliorum epocha utitur.

XX. *Indictione a Quinquennaliorum epocha orta.*

Atque ex hac Decennalium, & id genus Feſtorum Epocha liquet, non male Scaligerum lib. 5. de Emendat. temp. pag. 301. Indictionum originem ab editione Quinquennalium, Decennalium & Vicennalium arceſſiſſe, quidquid dicat Petavius libro undecimo de doctrina Temporum cap. 39. Imperatores enim Quinquennalia

lia celebraturi penſiones, tributa, & reſidua debitorum aut tollebant, aut laxabant; Indictiones vero ipſomet Petavio loco laudato fatente, nihil aliud ſunt quam annonæ & tributa, quorum canon quotannis indicebatur. Cum itaque quarti Eccleſiæ ſeculi initio, Quinquennalia & hujuſmodi feſta magna pompa celebrari ſolerent, novamque, ut jam viſum eſt, Epocham conſtituerent, Conſtantinus, Auguſti exemplo, qui poſtquam ſolus regnavit annos *Auguſtorum* inſtituit, victo anno 312. Maxentio Tyranno, juſſit tempora putari per trina Quinquennalia, ſive per indictiones, quod quidem tempus Indictio vocatum fuit. Licet autem hæc Epocha, ſuis ſubjaceat incommodis, longe tamen ea commodior eſt faciliorque quæ antea per Quinquennalia & decennalia tempora numerabat. Atque hinc factum autumo, ut Græci Auguſto Imperatori Indictionum originem attribuerint. Nam S. Maximus in computo ſcribit, Indictionem cœpiſſe anno Auguſti ſecundo, quem mundi putat 5460. Maximum Georgius Syncellus ſecutus eſt, imo Conſtantinus Porphyrogenita, Cedrenur, aliique tradiderunt quod hæc vox *Ἰνδικτιὼν* dicta ſit tanquam Ἰνακτιὼν, ab Actio promontorio & Auguſti victoria, quam anno XV. Imperii ſui conſecutus eſt, unde & Indictiones ortas eſſe ſibi perſuaſere. Auctor Chronici Alex. earum originem altius repetit; ad annum enim primum Julii Cæſaris adnotavit, Ἀρχὴ Ἰνδικτιῶνος, ideſt, *Indictionis initium*, ab eoque tempore ſingulos annos Indictionibus notat; cumque ad annum Conſtantini ſeptimum pervenit, ſcribit: ΙΝΔΙΚΤΙΩΝΩΝ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΙΑΝΩΝ ΕΝΤΕΥΘΕΝ ΑΡΧΗ, Id eſt, *Indictionum Conſtantinianarum hinc ſumitur initium*. Quare primam Indictionum originem in anno primo Julii Cæſaris, Conſtantinianarum vero caput in anno Chriſti 312. idem Scriptor conſtituit. Sed unde hæ fabulæ, erroreſque enati? niſi quia traditione quadam acceperant Indictiones primævam ſuam originem Auguſto debere, quod ipſe nempe Quinquennaliorum, a quibus eæ deductæ, auctor fuerit; nova enim veteribus, falſaque veris ſuperſtrui ſolent. Nec refert quod Conſtantinus a die octavo Kalendas Octobris indictiones incipere voluerit, licet jam anno 310. octavo Kalendar Julii Quinquennalia ſua celebraſſet; Is enim in ea Inſtitutione non tantum ad Quinquennalia, ſed & ad annum quo Maxentium vicit, ac forte etiam ad diem Imperii ſui natalem, qui fuit *dies octavus Kalend.* reſpexit. Cur vero menſe Septembri Indictiones exordiri, & non plure, quam tria Quinquennalia eaſdem complecti ſtatuerit, prorſus incertum. Non miror autem hanc conjecturam, eo modo quo a Scaligero propoſitam, a viris doctis rejectam fuiſſe, cum eam tot erroribus implicarit, neque ſatis fundaverit, ait enim Quinquennalia per luſtra annorum ſolidorum quinque recurriſſe: ea luſtra vocata fuiſſe Indictiones, & in nummis Principum ſcripta, nunc per L. nunc per Λ. hoc eſt, inquit, *Luſtrum*. Conſtantini M. initium conſurgere ex ante diem VIII. Kalendas Octobris anno Chriſti 307. ideoque ejus Quinquennalia congruere anno 312. Indictionem eſſe duplicem, alteram Cæſarianam a qua ad primam Conſtantinianam interſunt anni trecenti ſexaginta, alteram Conſtantinianam, ut videre eſt lib. 3. I. ſag. Can. cap. 51. Maxentium anno 313. debellatum fuiſſe, aliave ſimilia, quæ prorſus omnia a veritate aliena. Sola itaque conjectura ejus retinenda, cætera quibus eam fulcit, ac explicat, rejicienda.

XXI. *Decennalium, & id genus vocinum prima ſignificatio.*

CANON OCTAVUS ET ULTIMUS. *Antiqui Decennalium, cæteriſque id genus nominibus tria intelligebant.* Primo, ac proprie feſtivitatem ludorum, qui ob quintum, decimum, &c. annum agebantur, ac etiam votorum Quinquennalium, Decennalium ac reliquorum hujuſmodi ſolutionem. Eo ſenſu Idatius, in Faſtis, ſub Conſtantii & Albini Conſulatu anno nempe 335. ſcribit: *His Coſſ. tricennalia edidit Conſtantinus Aug. die VIII. Kal. Aug.* Sic ſæpe apud Antiquos leges: Vicennalia dare, Decennalia dare. Marcellinus Comes: *Arcadio VI. & Probo Coſſ. Theodoſius Junior quinquennalia dedit.* Item *Honorio IX. & Theodoſio IV. Coſſ. Theodoſius Junior decennalia Honorius Romæ Vicennalia dedit*. Græci, ut recte obſervat Scaliger libro quinto de Emendat. tem. pag. 501. dicunt πενταετηρίδα, δεκαετηρίδα, vel δεκαετηρικὴν πανήγυριν ἐπέδωκε. Id eſt, Decennalem celebritatem dedit. Sic Sozomenus libro primo, cap. 25. dum de Conſtantini tricennalibus loquitur: *Ἔθος δὲ Ῥωμαίοις, δεκαετηρίδα πανήγυριν ἄγειν καθ' ἑκάστην δεκάδα ἐτῶν τῆς τῶν κρατούντων ἀρχῆς*. Id eſt, *eſt enim hic mos Romanis, ut decimo quoque anno uniuſcujuſque Imperatoris publicam agant feſtivitatem*.

XXII. *Decennalium ſecunda ſignificatio.*

Secundo hæc nomina πενταετηρὶς, δεκαετηρὶς τριακονταετηρὶς, ſeu Quinquennalia, Decennalia, Tricennalia ſumuntur pro quinto, decimo, & triceſimo Imperii anno. Sic Divus Hieronymus in Chronico ſcribit: *Tricennalibus Conſtantini Dalmatius Cæſar appellatur*. Tricennalia edidit Conſtantinus, ut Idatius in Faſtis & Chronicon Alexandrinum docent, octavo Kalendar Auguſti anni 335. Dalmatius vero VIII. Kal. Octobris Cæſar a Conſtantino renunciatur eſt, ut optime idem Chronicon Alexandrinum, licet Idatius in Faſtis factum id ſcribat *XIV. Kal. Octob.* Nam cum Conſtantinus Octavo Kalendas Imperator dictus ſit, probabilius eſt eodem die Dalmatium Cæſarem nuncupaſſe, cum & anno 333. Conſtantem filium die VIII. Kal. Januarii Cæſarem dixerit. Sed quidquid ſit, non dubium quin Hieronymus pro Tricennalibus Conſtantini triceſimum Imperii ejus annum intellexerit, ut recte obſervat Valeſius libro quarto de vita Conſtantini cap. 45. qui & eodem ſenſu hæc Euſebii eodem loco verba explicat *οὕτω μὲν ἡ τῆς ἀφιερώσεως ἑορτὴ, ἐν αὐτῇ βασιλέως τριακονταετηρίδι σὺν εὐφροσύναις ἐπετελεῖτο*, id eſt, *hoc modo dedicationis ſolennitas ipſis Imperatoris Tricennalibus ſumma cum hilaritate celebrata eſt*. Loquitur Euſebius de Encæniis Baſilicæ Hieroſolymitanæ, quæ celebrata ſunt, non octavo Kalendas Auguſti, quo die Tricennalia Conſtantinus edidit, ſed Idibus Septembris, teſtibus Nicephoro lib. 8. cap. 30. Typico ſancti Sabæ Menologio græcorum, & Sophronio in Oratione de Exaltatione Sanctæ Crucis ab eodem Valeſio citatis, aliquando etiam hæc nomina ipſum decennium ſignificant, ſic Socrates lib. 2. cap. 38. de Conſtantino loquens ait: *τὸν δὲ νεώτερον Κώνσταντα, ἐν τῇ τριακονταετηρίδι τῆς ἑαυτοῦ βασιλείας ἐχειροτόνησε*, id eſt, *natu minimum Conſtantem Tricennalibus ſuis Cæſarem renunciavit*. Conſtans anno 333. octavo Kalendas Januarias, ut docet Idatius in Faſtis Cæſar a patre edictus, Tricennaliaque Conſtantini non niſi anno 335. peracta. Unde patet Socratem Tricennalium nomine tertium Imperii Conſtantini decennium intelligere.

XXIII. *Explicantur aliquot loca Euſebii.*

Hæc explicatio aliam loci ejuſdem Euſebii ab eodem Valeſio ne quidem tacti inſinuat. Ille libro 8. Hiſtoriæ cap. 13. loquens de felicitate, quæ in urbe Romano erat, Diocletiano & Maximiano regnantibus, antequam perſecutionem in Chriſtianos decernerent, hæc habet: *ὁπότε καὶ οἱ μάλιστα τῆς καθόλου κρατοῦντες ἀρχῆς δεκαετηρίδας καὶ εἰκοσαετηρίδας τῆς βασιλείας ἐκπληρώσαντες, ἐν ἑορταῖς, καὶ πανηγύρεσι, φαιδροτάταις τε θαλίαις, καὶ εὐφροσύναις, μετὰ πάσης εὐσταθοῦς διετέλουν εἰρήνης*, id eſt, *quo quidem tempore ii qui ſummam Imperii adminiſtrabant, Decennalibus ac Vicennalibus expletis, in feſtivi-*

tati-

tatibus, ſpectaculis, epulis, omnique hilaritatis genere, pacato & tranquillo degebant. Diocletianus & Maximianus anno 284. ille decimo quinto Kal. Octob. hic duodecimo Kalendas Decembres Imperium ſuſceperant. Quare viceſimus Imperii utriuſque annus, non niſi anno 303. iiſdem diebus & menſibus inchoabatur; & tamen perſecutio in Chriſtianos die viceſima tertia Februarii ejuſdem anni, quod Lactantius cap. 12. libri de mortibus Perſecutorum docet, decreta; idque eodem anno 303. licet Baronius, Petavius, aliique multi eandem perſecutionem anno 302. conſignarint. At his poſitis, quomodo ante decretam perſecutionem Diocletianus & Maximianus Decennalia, & Vicennalia expleverant, cum hæc non niſi poſt menſes novem, die nempe XII. Kalendas Decembris celebranda eſſent? Non alia certe ratione, niſi quia Euſebius Decennalia ac Vicennalia pro decimo & viceſimo anno, eoque Juliano, ac præterea utroque extremo incompletum pro completo numerato, uſurpat; nullo vero modo Decennalia, Vicennaliaque eo in loco pro ipſa feſtivitate accipit juxta jam dicta. Euſebium autem annos Julianos, non Imperii, ac inſuper eoſdem tantum inchoatos vocare ſolere expletos, duobus ejuſdem Auctoris locis demonſtro. Primus legitur loco laudato, ubi loquens de abdicatione Diocletiani & Maximiani, quam ſecundo perſecutionis anno, tam ibi, quam alibi factam credit, hæc habet: οὔπω δὲ ὁλοκλήρως τῆς τοιαῦδε κινήσεως δεύτερον ἔτος πεπλήρωτο, καί τι περὶ τῶν ὅλων ἀρχῶν νεώτερον γεγονὸς, τὰ πάντα πράγματα ἀνατρέπει. Id eſt, *nec dum alter annus hujus belli motus* (id eſt perſecutionis) *expletus fuerat, cum ecce novus quidam & inopinatus caſus rem Romanam pene ſubvertit.* Cœpit ſecundus annus perſecutionis anno 304. menſe Martio ſecundum ſupputationem Euſebii, qui eum incipit ab eo tempore quo Cæſareæ, ubi erat, Edictum propoſitum fuit, & ſecundum ejus opinionem, abdicatio facta anno ſequenti, vel Kalendis Aprilis, ut habet Idatius in Faſtis; vel quod longe probabilius, Kalendis Maii, ut teſtis eſt Lactantius lib. de mortibus Perſecutorum. Quare a perſecutione decreta ad abdicationem annus tantum, & ad ſummum unus aut alter menſis effluxerant; & tamen Euſebius ab initio perſecutionis ad abdicationem duos annos, eoſque expletos numerat, quia nempe annos Julianos etiam inceptos Græci ſæpe pro completis & ſolidis putant. Alter Euſebii locus deducitur ex lib. 3. vitæ Conſtantini cap. 15. ubi ut indicet Conſtantinum poſt celebratum Concilium Nicenum, Vicennalia edere voluiſſe ait: μετὰ τὸ αὐτὸ δ' αὐτῷ καὶ τῆς βασιλείας εἰκοσαετὴς ἐπληροῦτο χρόνος. Ἐφ' ᾧ πάνδημοι μὲν ἦγοντο πανηγύρεις τοῖς λοιποῖς ἔθνεσι. Τοῖς δέ γε τοῦ Θεοῦ λειτουργοῖς ἑστιάσεις αὐτὸς ἐξῆρχε βασιλεὺς, συμποσιάζων εἰρηνεύουσι. &c. Id eſt, *Eodem tempore viceſimus Imperii ejus annus complebatur. Cujus rei cauſa cum in omnibus Provinciis publica feſtivitates agerentur, Imperator Dei miniſtros ad convivium vocavit, & cum iiſdem jam inter ſe conciliatis epulatus, hoc velut conveniens ſacrificium per illos obtulit Deo.* Cœpit viceſimus Imperii Conſtantini annus octavo Kalendas Auguſti anni Chriſti 325. Eoque die idem Imperator Nicomediæ præſentibus Epiſcopis, qui eidem Concilio interfuerant, Vicennalia celebravit: & tamen viceſimus annus, qui neque complebatur, neque abſolvebatur, ſed tantum inchoabatur, dicitur ab Euſebio compleri. Unde patet eum annos Julianos, & utrumque extremum incompletum pro completo numerare, licet annos Imperii diſerte nominet. Quo ex loco præterea liquet, ſicuti & ex præcedenti ex libro octavo capite 15. deducto, Imperatores inter eadem feſta, ſplendidiſſimis & omni regio apparatu inſtructiſſimis epulis Nobiliores quoſque excepiſſe, ac præterea a majoris nominis Oratoribus in eorum laudem orationes recitatas fuiſſe, quarum & aliquæ adhuc extant.

Tertio Quinquennalia & id genus nomina non tantum complementum & terminum quinque, decem, quindecim &c. Priorum annorum, ſive hi inchoati tantum, ſive omnino elapſi, ſive ſextus, imo ſeptimus inchoati eſſent, ſignificant; ſed etiam initium novi circuli, aut novæ Periodi quinque, decem, vel quindecim annorum ſequentium; ideoque non tantum diverſa, ſed etiam contraria eodem verbo Veteres intellexere. Exemplis res clara fiet. Lactantius libro de Mortibus Perſecutorum cap. 44. de bello Conſtantinum inter & Maxentium anno 312. geſto, ait: *Imminebat dies, quo Maxentius Imperium ceperat, qui eſt ad ſextum Kalendas Novembris, & Quinquennalia terminabantur.* Purpuram ſumpſerat Maxentius anno 306. ſexto Kalendas Novembris, eademque die anno 312. quo periit, Quinquennalia edere decreverat, die nempe primo ſeptimi Imperii ejus; qui ideo annum Imperii ejus ſextum terminabat, ſeptimumque inchoabat; & tamen ait Lactantius eumdem diem Quinquennalia terminaſſe; quia nempe ſumit hic quinquennalia pro complemento ac termino præcedentium annorum, ſive quinque, ſive ſex fuerint. Hoc enim ad eam ſignificationem nihil refert. Sic in loco Marcellini in hoc capite numero XII. citato dicitur ſextum Iduum Octobrium diem triceſimum annum Imperii Conſtantii terminaſſe; & tamen deerat menſis integer: cum enim Conſtantius anno 323. ſexto Idus Novembres Cæſar renunciatus fuerit, & Tricennalia, quod docet ibidem Marcellinus, ſexto Idus Octobris anni 353. peregerit, manifeſtum eſt non niſi ſextum diem Idus Novembres trigeſimum Imperii ejus annum terminaſſe, & triceſimum primum inchoaſſe.

Denique quod Natalis & novæ Periodi nomine hæc ſolennia aliquando vocata ſint, patet ex iis, quæ num. XVII. diximus. Si enim novam Epocham conſtituunt, ſine dubio novi circuli, novæque Periodi initium exiſtunt, ſive ante quinquennalia anni ſex, vel quinque, vel quatuor tantum præceſſerint. Claret illud ex hoc Euſebii loco, ex oratione, quam coram Conſtantino Magno, ipſo primo triceſimi Imperii ejus anni die, Conſtantinopoli habita, deducto, ubi capite 3. poſtquam dixit, *ſingulis Decennalium circulis* Conſtantinum unum ex ſuis liberis ad Imperialis throni conſortium promoviſſe, ait: *cumque jam quartus volvi cœperit circulus, divinorum Prophetarum implet Oracula, quibus jam pridem prædictum erat: & ſuſcipient Regnum, Sancti Altiſſimi.* Anno 335. octavo Kalendas Auguſti, Imperii Natali, Conſtantinus Tricennalia edidit, ejuſdem Imperii anno triceſimo eo die inchoato, quomodo igitur quartus decem annorum circulus volvi potuit, cum is tantum anno 336. præfato die, incipere deberet? Ac præterea quomodo tres Decennalium circuli evoluti eſſe poterant, cum tertio, annus integer deficeret, novemque tantum annis, unoque die compoſitus eſſet? Unde luce Decennalia novam Periodum conſtituiſſe, ſive novem, ſive decem, ſive undecim, immo & duodecim anni præteriiſſent. XXV. *Decennalia conſtituunt novam periodum.*

Ex his ſequitur Decennalia, & id genus feſta contrariis terminis expreſſa fuiſſe; qui loquendi modus omnino inuſitatus non eſt, cum etiam ultimus aliquando primum ſignificet. Virgilius ſeptimo Æneidos X.

Tu

Tu ſanguinis ultimus Auctor

XXVI. Decennalia contraria ſignificant. *Dictus ultimus*, inquit Servius, *quod ultra omnis ſit, ſive antea reſpicias, ſive retro*. Sic numerando Galliarum Reges, qui Chriſtianam Religionem profeſſi ſunt, incipiendo a Ludovico Magno feliciter regnante, dicimus Clodoveum oltimum Regum Galliæ Chriſtianorum eſſe; contra vero deſcendendo, hunc inter Chriſtianos Francorum Reges appellamus primum. Sic dies Dominicos vocatur a Sanctis Patribus non tantum dies primus, ſed etiam octavus hebdomadæ. Unde Theophilus Epiſcopus Alexandriæ in allocutione cum dies Theophaniorum incidiſſet in diem Dominicum, ſic de eo loquitnt: *Et conſuetudo, & officii ratio a nobis poſtulat, ut diem Dominicum honoremus, eumque feſtum habeamus; cum eo die Dominus noſter Jeſus Chriſtus Reſurrectionem ex mortuis nobis comparaverit: unde hic dies nuncupatur litteris & primus appellatur, utpote qui vitæ Auctor atque initium nobis exſtat: & octavus, utpote qui Judæorum ſabbatum ſupergreditur*, Horum Canonum beneficio difficultates multæ enodari, & Aotiquorum Auctorum, tam Latinorum, quam Græcorum loca difficillima explicari potuerunt.

CAPUT TERTIUM.

Decennalium beneficio tum Chriſtianæ, tum Ethnicæ Religionis hiſtoria illuſtrata.

I. In Decennalibus templa, vel extructa, vel dedicata, & res Religionis curata. SI Chronicorum & Annalium Auctores, quæ inter Decennalia, Vicennalia, & id genus feſta, præcipuaſque res quæ ad Religionis, Imperiique ſtatum pertinerent, connexio fuerit, non fugiſſet, eorum opera accuratis eorumdem ſolemnium temporibus ſignata viderimus, quæ magno tum ſacræ, tum profanæ hiſtoriæ detrimento ignorantur. Nos quæcumque ex Auctoribus, & veteribus monimentis excerpere potuimus, exhibemus, & in Rationario Cæſareorum Conſulatuum, quibus ea annis peracta, modo ex conjecturis, modo ex certis argumentis adnotamus. Sed, quia pauca de hac materia a Veteribus ſcripta, in mentem venit, Indicia notaſque proponere, quæ in eorum annorum in quibus eæ feſtivitates actæ ſunt, cognitionem nos manuducant; cum enim Decennalia v. g. aliquando anno Imperii decimo ineunte, aliquando vero eodem anno decimo exeunte peracta fuerint: imo & non raro vel dilata, vel anticipata, obſcurum manet, quo ea anno celebrata fuerint. Exiſtimandum itaque in eum ea incidiſſe, qui pluribus hujuſmodi notis inſignitus fuerit; cumque inter præfatas feſtivitates, reſque ad Religionem ſpectantes vinculum interceſſerit, is annus in quo Templa ædificata, vel dedicata, aliaque hujuſmodi geſta, iis ſolemniis dicatus fuiſſe credendus eſt. Et quidem Romanos ſolitos fuiſſe annis quibus ſimilia feſta celebrata, templa aut extruere, aut dedicare, patet ex exemplis in Rationario Conſulatuum Cæſareorum allatis. Unde hic unum tantum aut alterum adducemus. Domitianus anno Chriſti 81. Tito fratri Idibus Septembris demortuo ſucceſſit. Quare ejus Quinquennalia in annum Chriſti 85. vel 86. incidebant; ad priorem autem annum in Euſebii Chronico legitur: *Domitianus templum ſine lignorum admixtione conſtruxit*. Vicennalia vero Imperii ejus Cæſarei in annum Chriſti 88. competunt, quo anno in eodem Chronico legitur: *multa opera Romæ facta, in quibus Capitolium, forum tranſitorium, Divorum Porticus, Iſium, ac Serapium, Stadium; horrea Piperataria, Veſpaſiani templum, Minerva Chalcidica, &c.* Summo præterea ſtudio reliqua quæ ad Religionem pertinerent, curata. Vopiſcus in Aureliano cap. 35. ait hunc Imperatorem eo tempore quo ad bellum Orientale proficiſcebatur, anno nempe 274. poſt Quioquennalia edita, multa memoria digna geſſiſſe, inter quæ, *leges plurimas ſanxit, & quidem ſalutares: Sacerdotia compoſuit, templum Solis fundavit, & Pontifices roboravit*. Quæ eo anno acta evincit Agon Solis tunc inſtitutus, ut teſtis eſt idem Euſebius in Chronico.

II. Omnes Eccleſiæ perſecutiones cum Decennalibus connexionem habent. Ab eodem ſtudio omnes perſecutiones Eccleſiæ profluxere. Unde quod valde obſervatu dignum, Religio Chriſtiana ut nova & peregrina vetita, vel annis quibus vota Quinquennalia, & id genus alia nuncupata, vel quibus eadem ſoluta, initio nempe Imperii, vel in hujuſmodi ſolemniis. Quare non mirum annos quibus Eccleſiæ perſecutiones cœpere, male plerumque a Scriptoribus fuiſſe conſignatos, cum non adverterent eas in hujuſmodi feſtivitatibus, ſeu, ut clarius loquar annis quibus eæ celebrari deberent, decretas fuiſſe, & ſi jam decretæ eſſent, eaſdem magis exarſiſſe. Prima perſecutio, cujus auctor Nero, recte communiter anno Chriſti ſexageſimo quarto conſignata; is enim decimus Imperii Neroniani annus abſolutus, ideoque Decennalibus dicatus. Secunda Eccleſiæ perſecutio a Domitiano excitata, recteque ab Euſebio in Chronico anno Chriſti 93. collocata, conſentientem enim Auctorem Chronici Alexandrini habet, qui de ea loquitur anno decimo tertio Domitiani, tertioque ante mortem ejus anno, ac Olympiade 218. licet in Conſulum nominibus, & Indictione peccet. In eum autem annum quinta Quinquennalia Cæſarei Imperii Domitiani incidunt; ſub Conſulatu vero Trajani & Acilii Glabrionis, quo eam Baronius locat, nulla hujuſmodi ſolemnia edita. Unde & nullo teſte id ab eo factum. Vexati & ſub Trajano Chriſtiani; & quidem anno 106. in Chronico Euſebii hæc verba leguntur; *tertia perſecutio*. Quæ tamen potius aucta eſt, quam primum ſuſcitata, cum antea Chronicon Alexandrinum ejus mentionem faciat. Erat autem is annus Imperii ejus Cæſarei decimus, anno vero 108. in quem Auguſtei ejuſdem Imperii Decennalia incidebant, S. Ignatius Romæ a feris in Amphiteatro diſcerptus eſt. Hadrianus nullum quidem in Chriſtianos Edictum, ut teſtis eſt Tertullianus in Apologetico cap. 3. promulgavit, ſed tamen ab ipſo Imperii ejus exordio, antiquorum decretorum vigore, in Chriſtianos a Magiſtratibus ſævitum. Hadrianum excepit Antoninus Pius, qui teſte eodem Tertull. in Apolog. cap. 5. nullum adverſus Eccleſiam edictum emiſit, ab ejus tamen Imperii initio calumniis adverſariorum, & invidia Magiſtratuum ea vexata fuit, & aliquot fideles martyrio coronati.

III. Marcus Aurelius in hujuſmodi ſolemniis Chriſtianos vexat. Quinta perſecutio a Severo hiſtoriarum lib. 2. numeratur ea, quæ ſub Marco Aurelio contigit, quæque ab Auctore Chronici Alexandrini anno Chriſti 163. memoratur, cui ideo fides habenda, quod quinta Quinquennalia Cæſarei Imperii Marci in eum annum incidant. Quare perperam Baronius anno 164. & Petavius anno 162. eam deſcribunt. Tum anno 166. idem Marcus Imperii Proconſularis Vicennalia edidit: qua occaſione adeo perſecutio in Gallia præſertim exarſit, ut Euſebius in Chronico ſcripſerit: *Quarta perſecutio*. Ab eo enim anno eam incipiendam duxit, quo plures martyres morti traditi ſunt. Valde etiam ſævitum in Chriſtianos anno 169. quo idem Marcus Cæſarei Imperii Tricennalia celebravit. Sed nunquam Marco imperan-

perante gravior perſecutio fuit, quam anno Imperii ejus decimo ſeptimo, ut Auctor eſt Euſebius in Procemio libri quinti ſuæ hiſtoriæ: *Annus tunc agebatur ſeptimus decimus Imperii Antonini Veri. Quo tempore cum in nonnullis terrarum partibus violentior adverſus noſtros perſecutio commota eſſet ex incurſione popularium, innumerabiles prope Martyres per univerſum orbem extitiſſe, ex iis quæ in unica Provincia contigerunt, conjicere eſt.* Galliam intelligit, in qua illuſtres Martyres paſſi, ut apud eum videre eſt. Non mirum autem adeo eo anno, qui Chriſti erat 171. violentam perſecutionem fuiſſe, cum Imperii Proconſularis ejuſdem Marci quinta Quinquennalia in eum caderent.

IV.
Initium perſecutionis Severi male communiter conſignatum.

Sexta perſecutio, ut eam Severus lib. 2. hiſt. nominat, cœpit anno 201. quo priorit Imperii Decennalia Severus, Caracalla vero Quinquennalia edidere. Nam recte ſub Muciani & Fabiani Conſulatu Auctor Chronici Alexandrini ſcribit; *His Coſſ. rurſum vexati Chriſtiani, multique pro Chriſto vitam poſuere.* Sed in Decennalibus poſterioribus ex in majus aucta; Euſebius enim lib. 6. hiſt. cap. 2. ait; *Severo annum Imperii decimum agente, cum perſecutionis ardentiſſimum flagraret incendium, atque innumerabiles martyrio coronarentur, Origenis animum adhuc admodum pueri tanta cupido occupavit martyrii, ut ſe periculis ipſis objiceret.* Antea cap. 1. ejuſdem perſecutionis initium his verbis conſignarat: *Cum Severus perſecutionem adverſus Eccleſias excitaſſet, per omnes quidem ubique locorum Eccleſias illuſtria ſunt confecta martyria, præcipue tamen Alexandriæ increbuerunt.* Quibus ex verbis liquet Baronium in Annalibus, Petavium in Chronico, alioſque viros doctos erraſſe, qui ejuſdem perſecutionis initium ſub Severi & Caracallæ Conſulatu anno nempe 202. conſignant, ejuſdem Euſebii auctoritate, qui tamen eiſdem contrarius eſt. Nam cap. 1. laudato loquitur de initio perſecutionis, quod in Chronico anno 201. recte locavit, & cap. ſequenti de ejus incremento, quod a Decennalibus proceſſit, verba habet. Ea itaque verborum Euſebii explicationem nobis aperiunt; ſed de ea perſecutione plura in Faſtorum Rationario.

V.
Quibus annis cætera perſecutiones excitata.

Poſtea Maximinus Thrax, Decius, Gallus, & Voluſianus ab ipſo eorum in Imperium ingreſſu Eccleſiam perſecuti ſunt; Valerianus vero & Gallienus anno 257. uti recte communiter ſtatuitur, licet vera rei hujus ratione ignorata quod nempe is annus utriuſque Quinquennalibus addictus eſſet. Idem tamen dici non poteſt de perſecutione ab Aureliano excitata, cujus initium male ab omnibus communiter conſignatum, ut videre eſt cap. ultimo hujus Diſſertationis, ubi Quinquennalium Aureliani, aliarumque probationum ope, eam anno 274. decretam demonſtramus. Erratum denique communiter fuerat in perſecutionis Diocletianeæ initio conſignando, licet Valeſius in Notis ad lib. 8. ac cap. 1. Euſebii eam anno 303. incepiſſe, ſolidis argumentis oſtendiſſet. Res tamen poſt librum Lactantii de mortibus Perſecutorum in lucem emiſſum, in quo non tantum annus, ſed & dies hactenus ignoratus, quo Edictum emanavit, memoratur, ac poſt noſtram de Decennalium & Vicennalium cum Eccleſiæ perſecutionibus connexione obſervationem, in dubium vocari minime debet; eo enim anno Diocletianus & Maximianus Vicennalia edidere. Denique Galerium Maximinum anno 311. ſenſit Eccleſia perſecutorem, ut alias ex eodem Lactantio, & Euſebio oſtendam: is autem annus ejuſdem Imperatoris Quinquennalibus dicatus erat. Cujus ſævitiam Licinius Imperator anno 319. ut Euſebius in Chronico tradit, imitatus eſt. Erat is annus a Decennalibus ejus anno 315. habitis quintus. Ex quo colligitur Quindecennalia tunc eum ediſſe, eaque occaſione de præcedentium tyrannorum more Chriſtianos vexaſſe. Ex quibus omnibus manifeſtum fit, perſecutiones Eccleſiæ cum votis Quindecennalibus, aliiſque id genus vel nuncupatis, vel ſolutis, ſeu cum initio, aut cum quinto, decimo, & ſimilibus Imperii annis connexionem habuiſſe, & ad eorum initium, progreſſumque recte ſtatuendum, Decennaliorum doctrinam non parum juvare.

VI.
Apologiæ annis quibus erant ſolemnia celebrata a Chriſtianis edita.

Sed libelli Apologetici in Chriſtianorum favorem a viris pietate & doctrina præſtantibus, imperatoribus oblati, non minorem cum iiſdem ſolemniis, quam Eccleſiæ perſecutiones connexionem habent: quos cum non certo & determinato tempore iiſdem Imperatoribus porrigi ſolitos fuiſſe viri docti non obſervaſſent; in annis, quibus ii conſcripti oblatique, conſignandis errare proclive fuit. Pro hujus rei intelligentia ſupponendum in Quinquennalibus, Decennalibus, aliiſque hujuſmodi feſtivitatibus, leviorum criminum reos ex ſolemni more vinculis ſolvi conſueſſe. Quam in rem extat egregius locus Euſebii lib. 8. in Appendice de Martyribus Palæſtinæ cap. 2. ubi poſtquam dixit Judicem S. Romanum qui diu in carcere manſerat, decimo quinto Kalendas Decembris anni primi perſecutionis Diocletiani, Chriſti nempe 303. martyrio affeciſſe, quod duodecimo Kalendas ejuſdem menſis Diocletiani Vicennalia celebranda eſſent, ait; *Tandem cum Imperatoris Vicennalia jam adeſſent, & ex ſolemni more univerſis qui in cuſtodia tenebantur, Indulgentia publice per præconem annuntiata eſſet, ſolus ad quatuor uſque puncta diſtentos habens pedes in ipſo jacens nervo, fractis laqueo faucibus, martyrio ſicut optaverat exornatus eſt.* Vicennalia enim Diocletianus & Maximianus duodecimo Kalendas ejuſdem menſis, uti docet Lactantius lib. de mortibus Perſecutorum cap. 17. celebrarunt. Quamobrem S. Martyris mors præcipitata, ne Indulgentia in hujuſmodi feſtivitatibus concedi ſolita potiretur, mortemque evaderet. Videndus titulus 38. *de Indulgentiis criminum in lib. 9. codicis Theodoſiani.* Græci hanc Indulgentiam δωρεὰν, ſeu munus vocant, ut in præfato Euſebii loco in græco legitur; Gloſſæ vero veteres θεία δωρεά, id eſt, *divina Indulgentia*: cujus cum apud Caſſiodorum in fine libri undecimi a Præfecto Prætorii emittendæ ſolitæ formula extet, hic ad majorem rei claritatem attexenda.

VII.
Formula Indulgentia in Decennalibus concedi ſolita.

Quamvis nomen ipſum Judicis dicatur eſſe juſtitia, & totius anni orbitam æquitatis jubeamur ambulare veſtigiis; his tamen diebus in domicilium Pietatis jure deflectimus: ut ad redemptorem omnium remiſſionis itinere pervenire poſſimus. Ex hac enim virtute ſuaviſſime fructus legimus, & remittendo aliis nobis parcimus. Nam qui periculoſe juſti ſumus, ſub ſecuritate ſemper ignoſcimus. Quapropter pœnas abdicamus, tormenta damnamus, & tunc vere Judices ſumus. Macte Indulgentia, quæ ſolvis & Præſules. Tu Patrona humani generis. Tu afflictis rebus medica ſingularis. Quis tuo non egeat munere, cum ſit peccare commune? ab univerſis neceſſaria poteris: quando ſub te ſpes vitæ ſumitur, quæ ſub juſtitia non habetur. Nam dum tribus aliis ſororibus cæleſti gratia perfruaris, & amabili amplexatione nectamini, omnes tibi [quamvis & ipſa virtutes ſint] honorabiliter cedunt, quando te humano generi ſalutiferam eſſe cognoſcunt. Sed quid tantum de terrena converſatione dicamus? pietas eſt quæ regit & Cælos. O ſi tecum liceret longis temporibus habitare, totus excluderetur reatus, & parcendo fieret, ut Parcæ tollerentur. Sed providentiſſime tanta res ſacris ſolum temporibus videretur eſſe conceſſa, ut gratius mundus acciperet, unde pro rerum novitate gauderet. Quapropter abſtine noxiam liber ſecurim, cui licet impune facere,

quære, quod in aliis cognoſceris vindicare. Ama pauliſper ferrum ſplendidum, non cruentum. Catenas tuas lacrymis madidas felicior rubigo ſuſcipiat. Illud potius veronde, quod ſolebas includere. Auditoria ferraleum, vocum meliore ſorte muteſcant. Sit revera nomen cuſtodis ſine mortibus alienis. Quid ſemper inferis laboras? aliquando & ſuperis milita &c. Ad te Clauſtrorum Magiſtrum verba revocemus. Patere pœnale ſecretarium tuum innocenter eſſe ſecretum. Torqueris quidem quod nullus affligitur. A communibus gaudiis mœſtus exciperis, dum tibi ſoli non parcitur venia generali, livida invidia comparandus. Suſtine de omnium ſecuritate jacturam, qui habuiſti de multorum afflictione lætitiam. Sed ut tuos quoque gemitus conſolemur, illas tibi tantummodo vendica, quos lex pietatis gratia non relaxat, ne cum truculentis parceret, aſperrima facinora levigaret. Solvamus ergo cuncta Secularibus alli-bus implicata. Patitur omnis homo periculoſos nexus, quos feſtinet evadere. Clauſtra reos dimittant, nos vincula improbæ cogitationis *abſolvant*. Paſchalem tantum criminume Indulgentiam a Conſtantinopolitanis Imperatoribus Gothorum Reges, qui in Italia imperarunt, acceptiſſe, ad eamque rem hanc formulam compoſitam fuiſſe, cenſent viri aliqui doctiſſimi; ſed eoſdem Principes Decennalia & id genus feſta, quod hactenus ignoratum, edidiſſe, ideoque & in iiſdem criminum Indulgentiam conceſſiſſe, infra videbitur.

VIII. *Quadratus & Ariſtides Hadriano Decennalia edenti Apologias offerunt.* Chriſtiani igitur reorum inſtar ea Indulgentia frui conantes, libros Apologeticos conſcribebant, & Imperatoribus, annis quibus Decennalia, & id genus feſta relebrabant, porrigebant. Primi, quos hujuſmodi Apologias ſcripſiſſe legimus, fuere Quadratus diſcipulus Apoſtolorum, & Ariſtides Chriſtianus Philoſophus, de quibus hæc Euſebius in Chronico, anno Abrahami 2142. qui in anno Chriſti 125. menſe Septembri incipit: *Quadratus Diſcipulus Apoſtolorum, & Ariſtides Athenienſis noſter Philoſophus libros pro Chriſtiana Religione Hadriano dedere compoſitos. Et Serenus Granius Legatus vir apprime nobilis literas ad Imperatorem miſit, iniquum eſſe dicens clamoribus vulgi innocentium hominum ſanguinem concedi; & ſine ullo crimine, nominis tantum & ſectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus Minutio Fundano Proconſuli Aſiæ ſcribit; non ſine objectu criminum Chriſtianos eſſe condemnandos.* Hadrianus ut in Rationario Conſulatuum Cæſareorum oſtendimus, anno 126. decennalia edidit. Quare recte Euſebius eodem anno hanc rem recitat; perperam autem Petavius in Chronico eamdem anno 124. conſignat deceptus Editione Euſebiana Pontaci, in qua anno Abrahami 2141. de hujuſmodi libris Apologeticis agitur. Unde & Quinquennalium ope, Scaligeri Editionem Pontacenæ hoc in loco præferendam eſſe intelligimus.

IX. *Apologiæ duæ Juſtini.* Poſt Quadratum & Ariſtidem, quorum libri Apologetici temporum injuria periere, ſanctus Juſtinus Martyr Apologias duas, quæ ad nos uſque pervenerunt, in eandem rem conſcripſit: ex quibus quæ in ejus Operibus ſecunda dicitur, primo præſentata fuit, ideoque & prima, ut eam Euſebius lib. 4. cap 12. & alibi vocat, a nobis appellabitur. At magna difficultas, quibus temporibus, quibuſve Imperatoribus prædictæ Apologiæ oblatæ fuerint: Baronius enim anno Chriſti 150. Papebrocius in Commentario ad vitam S. Juſtini die 13. Aprilis anno decimo tertio Antonini Pii ſcriptam eſſe exiſtimant, Sed his longe probabilius Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis pag. 298. & Petavius in Animadverſionibus Epiphanianis hæreſi 46. ſub initium Antonini Juſtinum primam Apologiam edidiſſe ſcribunt. Quod vel ſolus illius Apologiæ titulus evincit. Refert illum Euſebius lib. 4. cap. 12. & in eodem Apologetico legitur: *Imperatori Tito Ælio Hadriano Antonino Pio Cæſari Auguſto, & Veriſſimo* (Marco ſcilicet) *filio Philoſopho, & Lucio Philoſophi quidem Cæſaris naturali filio, Pii autem adoptivo, doctrinæ amatori: Senatui quoque & populo Romano &c.* anno Chriſti 139. Marcus ab Antonino Pio Cæſar, anno vero 147. Imperii Collega nuncupatus fuit. Quare cum neuter titulus in eadem Periocha memoretur, apparet eam Apologiam ante eos Honores Marco conceſſos conſcriptam fuiſſe, ideoque anno 138. aut initio ſequentis. Prorſus enim incredibile Juſtinum qui tam Marco quam Lucio alios titulos, Cæſareæ dignitati & Imperio Proconſulari longe inferiores, attribuit, hos prætermiſiſſe. Unde Euſebius in Chronico ad annum Abrahami 2156. qui in anno Chriſti 139. incipit, ſcribit: *Juſtinus Philoſophus librum pro noſtra Religione conſcriptum Antonino reddidit.* Ita habet editio Pontacena, licet in Scaligeriana uno anno tardius hæc conſignentur. Initio itaque Imperii Antonini hæc Apologia ſcripta. Quoad ſecundam Baronius anno 164. qui ſecundum rectam Chronologiam 162. eſt, eam ſcriptam docet. Tardius ac circa annum 170. Papebrocius. Exiſtimo tamen eam vel anno 149. vel anno 163. oblatam fuiſſe; Euſebius enim in Chronico anno Abrahami 2166. qui in anno Chriſti 149. inchoatur, ait: *Creſcens Cynicus agnoſcitur, qui Juſtino noſtri dogmatis philoſopho, quia ſe guloſum & prævaricatorem Philoſophiæ coarguebat perſecutionem ſuſcitavit, in qua ille glorioſe pro Chriſto ſanguinem fudit.* In eum annum Decennalia Imperii Cæſarei Marci incidebant: qua occaſione Juſtinus eam Apologiam edidit, quod ſupponit ibidem Euſebius, qui cum prioris meminerit, non videtur poſteriorem prætermiſiſſe. Eam autem Marco dedicavit, ut tradit idem Euſebius in lib. 4. hiſt. cap. 18. Verum eſt Valeſium in Notis Euſebianis ſcribere illam non Marco Aurelio, ſed Antonino Pio dicatam, Euſebiumque hac in re hallucinatum fuiſſe; ſed cum argumenta, quæ profert, eam quidem Antonino imperante editam probent, neutiquam vero Marco Aurelio Imperii Collegæ, ob idque Imperatoris nomine exornato, nuncupatam non fuiſſe, ſua fides Euſebio ſtat, ſi dicamus Antonino Pio imperante Orationem illam conſcriptam, ſed Marco Imperii Collegæ dedicatam. Qua de re plura alibi, ſufficiat hic obſervare eam, vel Decennalibus Imperii Cæſarei Marci, vel quintis ejuſdem Imperii Cæſarei Quinquennalibus, anno nempe Chriſti 163. quo jam Antoninus Pius obierat, porrectam fuiſſe; Auctor enim Chronici Alexandrini eo anno vexatos Chriſtianos fuiſſe docet, annoque 163. Orphiti & Pudentis Conſulatu notato ſcribit: *Juſtinus Philoſophus noſtrarum partium, cum alterum pro noſtra ſententia decretis volumen Marco Aurelio & Antonino Vero Auguſtis porrexiſſet, non longo poſt tempore cæleſti martyrii laurea a Creſcente dolatus, exornatur.* Quibus indicat hoc quidem anno Juſtinum Martyrio coronatum, ſed antea anno nempe 163. ſecundam Apologiam edidiſſe. Unde ſubjungit ſtatim idem Auctor: *Quin, & Melito in Aſia Sardienſium Epiſcopus iiſdem Imperatoribus Apologeticum dedicavit, aliique minime pauci.* Licet poſtea anno 169. uti mox videbimus, Melitonis Apologiam eodem anno porrectam fuiſſe recte tradat. Sed de his alias pluribus. Incertum enim an Juſtinus ſub Antonino, vel ſub Marco Martyrium paſſus fuerit.

X. *Apologia Athenagoræ & Melitonis quando ſcripta.* Athenagoras Athenienſis Philoſophus Chriſtianus legationem pro religione ſuſcepit, Apologiamque pro Chriſtianis ad Imperatorem Marcum Aurelium Antoninum, ejuſque fratrem adoptivum Imperiique Conſortem Lucium; non, ut plerique ſentiunt, filium ejus Commodum

red-

reddidit. Quare ea Apologia ante finem anni 169. quo Lucius deceſſit, & poſt annum 165. quo Peregrinus Philoſophus in ardentem pyram ſe dedit præcipitem in Ludis Olympicis, ſcripta, ideoque anno 166. quo uterque Imperator Auguſtei Imperii Quinquennalia edidit, ac de Parthis triumphavit. Qua de cauſa ipſo pene ejus exordio ait Athenagoras, tunc univerſum terrarum orbem in altiſſima pace fuiſſe. Ex quibus patet eam legationem perperam a Baronio in annum 179. & a Petavio in annum 177. conjectam fuiſſe. Poſt Athenagoram Melito, Sardienſis Epiſcopus pro Chriſtianis ſæva perſecutione exagitatis Marco Apologeticum obtulit. Rem geſtam exiſtimat Baronius anno 172. qui ſecundum ſectam Chronologiam 170. eſt, quo porrectum fuiſſe Petavius in Chronico exiſtimat; ſed falli eos, recteque Auctorem Chronici Alexandrini id anno 169. factum, Tricennalia Imperii Cæſarei Marci eo anno celebrata evincunt, oſtenduntque Euſebium in Chronico, qui id conſignat anno Abrahami 2186. qui incipit in anno Chriſti 169. intelligendum eſſe de priori ejuſdem anni Abrahamitici parte, quæ a Septembri anni 169. incipit, & initio Januarii ſequentis deſinit. Hæc itaque eo anno in Chronico Alexandrino leguntur: *Melito Aſiaticus Sardenſium Pontifex & Apollinaris Hyerapoleos Antiſtes, & complures noſtra profeſſione alii, Apologeticos Marco Aurelio Antonino obtulere.* Valeſius in Notis ad Euſebium lib. 5. in Proœmio ait male in Chronico Euſebii ſcribi Melitonis Apologeticum Marco eſſe oblatum anno ejus Imperii decimo, quod in fragmento ejuſdem Apologetici ab Euſebio lib. 4. cap. 26. relato, idem Melito dicat Marcum ex omnium voto ſucceſſorio jure obtinuiſſe Imperium, obtenturumque *deinceps cum filio ſuo.* Jam enim, inquit, Commodus a patre adſcitus fuerat in conſortium Regni, quod ſub finem Imperii Marci contigiſſe conſtat. At non advertit Valeſius Commodum Marci filium jam ab anno 166. Cæſarem nuncupatum fuiſſe, ideoque ad Imperium paternum deſtinatum. Fallitur præterea in numerandis Euſebii Chronici annis; ii enim non ab annis Chriſti vel Imperatorum, ſed ab annis Abrahami deducendi, ut alias oſtendam.

XI. *Apollonius Martyr nullam Apologiam ſcripſit.*

Res eſt melius in Notis ad librum quintum Euſebii cap. 21. ſucceſſit, quando ſcripſit Apollonium Senatorem Romanum, de quo Baronius anno 189. numero primo, coram Judicibus pro fidei ſuæ defenſione diſertiſſime peroraſſe quidem, ſed nullum Apologeticum conſcripſiſſe, licet Divus Hieronymus ex Euſebii loco male intellecto Apollonium inter Scriptores Eccleſiaſticos numeravit, Baroniuſque duos Apollonios diſtinxerit, alterum Martyrem ſub Commodo, alterum ſcriptorem Eccleſiaſticum. Euſebius enim loco laudato tantum habet: *Martyr Deo acceptiſſimus, cum Judex multis eum precibus obſecraſſet, petiſſetque ab illo, uti coram Senatu rationem fidei ſuæ redderet, elegantiſſima oratione pro defenſione fidei ſuæ coram omnibus pronunciata, capitali ſupplicio a Senatu damnatus eſt.* Quare de eo hic ſermo eſſe non poteſt.

XII. *Apologia a Tertulliano, Minutio Felice & Arnobio ſcripta.*

Tertullianus Apologeticum librum ſcripſit anno 198. quo Severus Quinquennalia edidit, Romaque diſceſſit, quam ob cauſam ad Magiſtratus Romanos illum direxit. Nam licet nullum adhuc ab eodem Imperatore adverſus Chriſtianos Edictum promulgatum fuiſſet, ut liquet ex eodem Apologetico, capite quinto, Plautianus tamen, cujus auctoritate Romæ omnia fiebant, Chriſtianos vexare incipiebat: quæ vexatio hujus Apologiæ cauſa. Minutii Felicis Apologia tempore quidem incerto ſcripta, at ſine dubio in aliqua ex hujuſmodi feſtivitatibus, vel ſub eodem Severo, vel ſub Marco Aurelio. Denique Arnobius libros ſeptem adverſus Gentes, quibus a nonnullis alias, tanquam octavus ſubjiciebatur ejuſdem Minutii dialogus, inſcriptus octavus, edidit anno Urbis conditæ milleſimo quinquageſimo, ut ex ejus libro ſecundo diſcimus, anno nempe Chriſti 297. quo Galerius Maximianus Cæſar Quinquennalia celebravit. Ex quibus omnibus manifeſtum fit in Decennalibus, & id genus feſtis duo inter ſe contraria facta fuiſſe; perſecutiones ſcilicet adverſus Chriſtianos decretas, & eiſdem indulgentiam, ut vocabant, conceſſam, vel ſaltem ab illis petitam, idque uſque ad Conſtantini Magni tempora, de cujus Decennalibus Euſebius in ejus vita lib. 2. cap. 48. ait: *dum in hoc ſtatu eſſet, decimus Imperii ejus annus evolutus eſt. Cujus rei cauſa feſtis diebus per univerſum orbem Romanum celebratis, preces cum gratiarum actione, tanquam puras victimas ab igne & nidoris expertes, Deo omnium Regi obtulit*, celebrata ea Decennalia, ut infra videbimus, anno 316. in iiſque primum vetus mos Imperatorum gentilium Diis ſacrificia immolandi abolitus. Antea enim, ut Pollio in duobus Gallienis cap. 8. de Decennalibus Gallieni Auguſti loquens, celebrabantur hecatombæ, quod ſacrificii genus, in quo centum hoſtiæ ad aram mactabantur; & ſuperſtitioſus Idolorum cultus tum maxime exercebatur. Sed pace Eccleſiæ per eumdem Conſtantinum reddita, aliter ſe res habuit, iiſque in ſolemniis in favorem Religionis Chriſtianæ, quod antea in Paganiſmi gratiam, actum; iis nempe annis, quibus ea celebrabantur, templa vero Deo conſtructa, & ab Epiſcopis in eum finem coactis, dedicata: Emiſſa præterea Edicta ad abolendum paulatim Paganiſmum, ſacrificia, Deorum templa, & ad Religionem Chriſtianam amplificandam ac propagandam.

XIII. *Templa a Chriſtianis conſtructa & dedicata in Decennalibus.*

Audiendus Euſebius, qui eo tempore vivebat. Is narrato ultimo hoſtium Chriſtianæ Religionis exitio, libro X. hiſtoriæ, capite tertio ait: *Poſt hæc votivum nobis ac deſideratum ſpectaculum præbebatur, dedicationum ſcilicet feſtivitas per ſingulas urbes, & Oratoriorum recens ſtructorum conſecrationes: ad hæc Epiſcoporum Conventus: peregrinorum ab externis & procul diſſitis regionibus concurſus.* Tum inquit non tantum Epiſcopos ad feſtivitates illas conveniſſe, ſed & panegyricas Orationes habuiſſe, uti in urbe Tyri, in qua vir quidam Tyrius ad Paulinum urbis Epiſcopum converſus orationem habuit, (quam capite ſequenti integram refert,) in dedicatione Eccleſiæ, ejuſdem Epiſcopi cura conſtructæ, *præſentibus*, ut *in Eccleſia conventu, pluribus paſtoribus*, qui nempe ad illius templi dedicationem convenerunt. Quam quidem, vel in Licinii, qui Chriſtianis tunc favebat, Decennalibus anno 315. acta, vel in Conſtantini Decennalibus anno ſequenti peractis factam fuiſſe, mos, qui antea apud Gentiles, & poſtea apud Chriſtianos viguit, oſtendit. Præterquam quod cum templum illud, *omnium quæ in Phœnice erant, longe pulcherrimum* eſſet, ut docet ibidem Euſebius, non niſi per aliquot annorum ſpatium conſtructum. Hujuſmodi tamen Encænia tardius ab Auctore Chronici Alexandrini conſignata; is enim *Indict. VII. Conſtantini XIV. Conſtantino Auguſto VI. & Licinio Coſſ.* anno nempe 319. quo Conſtantinus V. (quem is auctor VI. vocat) & Licinius Cæſar Conſules fuerunt, ſcribit: *Cæleſti Chriſti Servatoris lumine per Orbem univerſum in omnes Eccleſias diluto, & templorum per tyrannos antea dejectorum, ubique a fundamentis in immenſam altitudinem elatorum, non ſolum Encænia celebrata ſunt, ſed & Imperatores etiam pro Chriſtianis Edicta perpetua pro-*

vulgarunt. Quæ ad annum 325. quo Conſtantinus & Licinius Auguſti quartum Conſulatum geſſere, pertinere nemo non videt. Tum Conſtantinus anno 335. Vicennalia Nicomediæ celebravit, quæ ubi ejuſdem Chronici Auctor recitavit, ait: Καὶ τῶν τεχνιτῶν, καὶ ὑποτάγματα πραίδων τῶν ἐπαρχιῶν τῆς αὐτῆς ὑποτεταγμένων, καὶ τὰς καθόλου ἐκκλησίας πολλὰ ἐδωρήσατο, id eſt, *eodem anno ejuſdem Vicennalium Artificum & Collatorum* (hoc eſt, Provincialium qui tributa conferebant) *onera ſuſtulit. Eccleſiis multa ubique contulit*. Vides ut Eccleſia, quæ in hujuſmodi ſolemniis ub Imperatoribus Ethnicis opprimebatur, in iiſdem poſtea a Chriſtianis Principibus exaltata ac locupletata fuerit. Subjungit enim idem Chronicon Alexandrinum: *Eodem anno Conſtantinus Imperator totius Imperii Romani ſolus omnem ubique Idola dejecit, & pecunias omnes, omneſque opes illis detractas ad Eccleſias Chriſti ornandas & Chriſtianos transtulit. Quapropter & templa ſive Dominica ad paganorum converſionem paſſim & Chriſti Dei Servatoris noſtri cultum excitavit*. Dein anno 335. idem Imperator Tricennalia celebravit, Epiſcopoſque, qui Tyri congregati erant, hortatus eſt, ut omnes quamprimum Hieroſolymam convenirent ad Baſilicam ſanctæ Crucis a ſe conſtructam dedicandam. Qua de re audiendus Euſebius lib. 4. vitæ Conſtantini cap. 40. *Tempus deinceps Tricennalium ſuorum opportuniſſimum eſſe exiſtimavit, quo ſummo omnium Regi gratias ageret. Et ipſe quidem optimum factu eſſe, judicabat, ſi ejus Martyrii, quod ſingulari ſtudio, ac magnificentia Hieroſolymis conſtruxerat, dedicationem celebraret*.

XIV. *Eccleſia Antiochena in Quinquennalibus Conſtantii dedicata.* Sub Conſtantio Conſtantini magni filio idem obſervatum; anno enim Chriſti 341. *anno quinto poſt obitum Conſtantini patris Auguſtorum*, inquit Socrates lib. 2. cap. 8. Concilium Antiochenum congregatum ad dedicandam Eccleſiam quam Conſtantinus conſtruxerat. Hæc genuina illius Synodi occaſio, ut oſtendit Emanuel a Schelſtrate lib. de Concilio Antiocheno diſſertat. 1. cap. 4. non tantum ex Socrate & Auctore Anonymo, ſed & ex D. Athanaſio. Quare hallucinati ſunt Baronius, aliique viri docti, qui eam Synodum Antiochiæ habitam ſcripſere, ut fides & diſciplina Eccleſiæ reſtitueretur, & Athanaſius Synodali ſententia throno ejiceretur, non animadvertentes hujuſmodi Encæniorum occaſione Concilia celebrata fuiſſe, non vero Encænia occaſione Concilii facta. Illud itaque ſedulo obſervandum Antiſtites ad Eccleſiarum Encænia celebranda de more per hæc tempora conveniſſe, prætereaque annos Quinquennalibus & id genus feſtis addictos, uti quondam Ethnici præſtiterant, in eandem rem electos fuiſſe. Cujus rei in Conſulatuum Cæſareorum Rationario tria exempla adduxi, ut id in dubium revocari non poſſit.

XV. *Reliquiarum translatio in Decennalibus fieri ſolita.* Sed quia antiquitus ſine Sanctorum Martyrum Reliquiis nullæ prorſus dedicabantur Baſilicæ, ut docte oſtendit Petavius libro 14. Theologic. Dog. de Incarnatione cap. 11. eæ non tantum in Decennalibus & id genus feſtis extructæ dedicatæque, ſed & Sanctorum Reliquiæ, tanquam victimæ triumphales, iiſdem in ſolemnibus de more translatæ: quæ cauſa forſan fuerit Scriptoribus gentilibus acrius in earum cultum invehendi, velut Eunapio in vita Ædeſii, & Libanio Sophiſtis celeberrimis. Hujus rei non pauca in faſtis digerendis exempla protuli, quibus & iſtud addendum. Anno Chriſti 406. Arcadius Imperator quinta Quinquennalia Imperii vivente Patre initi, edidit. Quo anno hæc habet Chronicon Alexandrinum: *Eodem anno delata ſunt Reliquiæ S. Samuelis Conſtantinopolim per gradus, ſcalaſque Chalcedanenſes menſe Artemiſio XIV. Kalendas Junias, pompam ducentibus Arcadio Auguſto, & Anthemio præfecto Prætorio, Conſulibus, item & Æmiliano præfecto urbi, & univerſo Senatu*. Qua pompa tranſlationes hæ fierent, magis explicat Hieronymus contra Vigilantium, qui hunc cultum, ſacrilegium, uti recentiores Hagiomagi, reputabat: *Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas Reliquias Andreæ, Lucæ* (legendum *Conſtantius* teſte ipſomet Hieronymo in Chronico: ubi de hac translatione agit anno 357. quo idem Conſtantius Cæſarei Imperii ſeptima Quinquennalia edidit) *& Timothei* (facta ea translatio anno 356. qui viceſimus erat Auguſtei ejus Imperii) *tranſtulit Conſtantinopolim: apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illarum ſe ſentire præſentiam confitentur? Sacrilegus & nunc dicendus eſt Auguſtus Arcadius, qui oſſa beati Samuelis longo poſt tempora de Judæa tranſtulit in Thraciam? omnes Epiſcopi non ſolum ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutos in Serico & vaſe aureo portaverunt? Stulti omnium, Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis Reliquiis, & tanta lætitia, quaſi præſentem, viventemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt: ut de Palæſtina uſque ad Chalcedonem, jungerentur populorum examina, & Chriſti laudem una voce reſonarent*.

XVI. *Oſſa Principum aliquando in his ſolemniis tranſlata.* Illuſtre profecto argumentum, adhuc non obſervatum, ad convincendos noſtri temporis hæreticos, qui omnem Reliquiis venerationem denegant, licet prioribus Eccleſiæ ſæculis eæ non tantum colerentur, ſed & ſi transferri contingeret, triumphali pompa, anniſque ſolum lætitiæ publicæ, rebuſque majoris momenti dedicatis, veherentur. Non diſpar aliquando honor Principum Oſſibus habitus; docet enim Theophanes Macedonium, qui Conſtantinopolitanam Sedem invaſerat, cum Conſtantini M. Corpus e SS. Apoſtolorum æde, ruinam ejus cauſatus, ad S. Acacii templum transferri vellet, id eum præſtitiſſe anno Chriſti 360. qui, ut videre eſt in noſtro Rationario, Quinquennalibus Juliani adhuc Cæſaris dicatus erat. Sic Idatius in Faſtis ſub Merobaudis, & Saturnini Conſulatu, anno ſcilicet 383. Theodoſii Magni Quinquennalibus deſtinato, ſcribit: *& ipſo anno ingreſſum eſt Conſtantinopolim Corpus Conſtantiæ, filiæ Auguſti Conſtantini, die II. Idus Septemb.* Sed cum anno tantum ſequenti Quinquennalia Theodoſius celebrarit, incertum an in ea tranſlatione, ſimilibuſve, hujuſmodi ſolemnium ratio habita fuerit. Porro obiter advertendum Conſtantiam hanc Gratiani uxorem, & Conſtantii, non vero Conſtantini filiam fuiſſe, ut docet Ammianus lib. XXI. cap. XV.

XVII. *Anni quibus Decennalia celebrata, feſtivi.* Cæterum non ago hic de Edictis, vel in Religionis Chriſtianæ favorem, vel ad abolendum paulatim paganiſmum emanatis, quia cum eorum pleraque adhuc in Codice Theodoſiano extent, opportunius de iiſdem cap. ſequenti tractabitur. Hoc tantum addam, annos, quibus Decennalia, aliaque hujuſmodi ſolemnia celebrabantur, fuiſſe ab initio ad finem publicæ lætitiæ, iiſque quæ cum pompa & apparatu fieri ſolent, dedicatos, ac uno verbo totos triumphales; apud Ethnicos quidem ante Conſtantinum M. poſt illum vero apud Chriſtianos, qui non tantum Decennalia & id genus feſta, ſed & quæcumque ab illis in iiſdem ſolemniis fieri mos erat, ſublatis ſuperſtitionibus, retinuerunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

Decennalium beneficio Codex Theodoſianus illuſtratus.

I. *In Decennalibus curata quæ ad Religionem ſpectant.*

POſtquam Imperatores Chriſtiani habenas Imperii Romani regere cœperunt, quæ ad Religionis Chriſtianæ, & Reipublicæ decus ac ſplendorem, propriæque famæ immortalitatem maxime facere videbantur, Imperii initio, ac in Quinquennalibus, Decennalibus, & id genus feſtis, ab iis præſertim curata fuiſſe ex Codicis Theodoſiani, veterumque monumentorum lectione eruere facile fuit, poſt obſervatum Ethnicorum Imperatorum morem, qui in iiſdem ſolemnia falſorum Deorum cultum promoverant, templa, thermas, pontes, porticus, aquæductus, aliaque opera publica conſtruxerant; quod licet ex Antiquis nec ex recentioribus Scriptoribus nos docuerit, id tamen, cum animadverterem anno quinto, aut decimo Imperii, ſive ineuntis, ſive exacti, ea opera ut plurimum facta, collegi. Et quidem quoad Religionem ſpectat, Eccleſiarum dedicationem, ac Reliquiarum translationem, iis annis quibus eæ feſtivitates peragebantur, fieri ſolitas fuiſſe, ſuperiori capite jam oſtendi. Conſtantinus Magnus anno 325. quo Nicomediæ Vicennalia edidit, variis modis Eccleſiæ bono conſuluit, ut ibidem etiam demonſtratum. Anno ſequenti, quo Vicennalia Romæ celebravit, inter alia multa, in Hæreticos, & Schiſmaticos conſtitutionem edidit, quæ extat lib. 16. Codicis Theodoſiani Titulo 5. *de Hæreticis*, ubi lege prima, privilegia Catholicis Clericis conceſſa, ad Hæreticos & Schiſmaticos pertinere negat. Theodoſius Magnus anno 392. in quem Arcadii ejus filii ſecum imperantis Decennalia cadebant, cultum omnem gentilitium inhibuit, ut videre eſt eodem libro, *Titulo 10. de Paganis, Sacrificiis & Templis l.* 12. ubi & lex 4. quæ *de Templis occludendis, & Sacrificiis prohibendis extat*, data eſt a Conſtantio anno 353. quo Imperii Cæſarei Tricennalia Arelate celebravit. Annis etiam quibus ea feſta edebantur Judæis privilegia conceſſa, aut adempta, ut videre eſt eodem libro, Titulo 8. *de Judæis, Cælicolis, & Samaritanis l.* 2. qua Præſidentes legi Judaicæ ab omnibus omnino muneribus civilibus, & perſonalibus immunes declarantur, quæ data eſt a Conſtantino Magno anno 330. in quem ejus quinta Quinquennalia cadebant. Denique l. 16. qua Judæi & Samaritani omni militia privantur, data eſt ab Honorio, anno 404. quo Decennalia Romæ celebravit. Illudque obſervatu dignum, quod celeberrima illa collatio inter Catholicos & Donatiſtas diu expetita, de qua Baronius in Annalibus, celebrata eſt anno 411. quo Theodoſius Junior Decennalia, Honorius Vicennalia dedit, poſtquam hic anno ſuperiori Marcellinum Tribunum & Notarium, ut Donatiſtas ad publicam collationem cogeret, miſiſſet. Neque alius annus opportunior viſus ad pacem Eccleſiæ procurandam, & Schiſmaticos in Eccleſiam compellendos.

II. *In Decennalibus curata quæ ad Rempublicam ſpectant.*

Reſervata etiam utplurimum in eoſdem annos, quæ ad Principis gloriam, Imperiique bonum magis conducere videbantur. Quam ob cauſam Indulgentia criminum, ſimileſque gratiæ annis, quibus hæc ſolemnia celebrabantur, concedi ſolitæ lib. 9. Tit. 38. *de indulgentiis criminum* l. 8. Paſchalis Indulgentia, quæ quotannis ab Imperatoribus mitti ſolebat, a Valentiniano Juniore juris fit ordinarii, & in aſſiduam Judicum vertitur juriſdictionem, anno 385. in quem ejus Decennalia incidebant. Tributa etiam iiſdem annis remiſſa, vel relaxata lib. 11. Tit. 1. *de Annona & Tributis* legitur l. 23. a Theodoſio Magno anno 393. emiſſa, qua ærariæ præſtationis adjectio citra priſcam conſuetudinem invecta tollitur. Erat autem is annus ejus Quindecennalibus dicatus lib. 11. tit. 7. *de Exactionibus* l. 3. qua carceris, aut tormentorum injuria Provinciales pro tributorum ſolutione affici a Judicibus vetantur, data eſt a Conſtantino M. anno 320. ejus Quindecennalibus dicato. Eodem lib. tit. 18. *de extraordinariis ſive ſordidis muneribus* legitur lex 18. anno 390. data a Valentiniano Juniori, cujus Quindecennalia in eum annum cadebant. Conceſſa & iiſdem annis, corporibus, Collegiis, Civitatibus, ac Provinciis privilegia. Sic lib. 6. tit. 26. *de proximis, Comitibus diſpoſitionum, cæteriſque qui in ſacris ſcriniis militant* lex 14. de Privilegiis ſcriniariorum, proximorum, & Comitum diſpoſitionum data eſt ab Honorio anno 407. quo Imperii vivente Patre initi Quindecennalia celebravit. lib. 10. tit. 10. *de petitionibus & ultro datis* l. 6. qua Donationes a Conſtantino Magno Eccleſiis, aliiſque factæ confirmantur, data eſt a Conſtantio ejus filio anno 341. quo Cæſarei Imperii Vicennalia celebravit. Præterea ſplendori operum publicorum iiſdem annis conſultum. Sic Valentinianus Junior anno 390. quo Quindecennalia celebravit, leges 26. 27. & 28. quæ lib. 6. tit. 1. *de operibus publicis* leguntur, & duas ſequentes, nempe 29. & 30. Theodoſius ob eundem finem anno 393. in quem Arcadii ſecum regnantis Quindecennalia incidebant, emiſere.

Illud denique non prætermittendum, ea quæ de novo conſtituebantur, utpote magis memorabilia, iiſdem annis fuiſſe addicta. Codex Theodoſianus anno 438. a Theodoſio Juniore ejus conditore confirmatus eſt, uti oſtendit Gothofredus in Prolegomenis ad eundem codicem Num. 3. qui annus Tricennalibus ejuſdem Theodoſii poſt patrem imperantis dicatus erat; Cujus poſtea exemplo Juſtinianus anno 531. qui quintus Imperii ejus erat, Codicem Juſtinianeum promulgavit. In lib. 16. ejuſdem Codicis Theodoſiani tit. 2. *de Epiſcopis, Eccleſiis, & Clericis* lege 38. Honorius Imperator Africanis ſingulare privilegium concedit, ut advocati deinceps judicus Eccleſiarum, & privilegiorum Eccleſiaſticorum defenſores ſe ſiſterent: quod quidem privilegium novum fuit, datumque anno 407. quo idem Honorius Quindecennalia Imperii vivente patre celebravit. III. *Quæ de novo conſtituta in Decennalibus propoſita.*

Ex his obſervationibus Codex Theodoſianus egregiis Notis a Jacobo Gothofredo illuſtratus, quique Imperatorum Chriſtianorum leges ab anno 312. quo Conſtantinus M. Eccleſiæ patrocinium ſuſcepit, ad annum 438. continet, magnam lucem accipere poteſt, ſi nempe annus, quo leges datæ advertatur, & num Decennalia & id genus feſta earum emittendarum cauſa & occaſio fuerint. Quod quidem idem Gothofredus ſubodoratus fuerat, licet poſtea in Commentariis ad leges præfati Codicis, quæ inde commoda elici poſſent, non animadverterit. Is enim in Chronologia ejuſdem Codicis anno 321. quo Criſpus & Conſtantinus Junior Cæſares, Conſtantini M. filii, Quinquennalia celebrarunt, ſcribit: *Donatiſtæ his Coſſ. III. Nonas Maias poſt quartum exilii annum & menſem ferme ſextum ab exilio relaxati a Conſtantino M. litteris datis ad Verinum Vicarium Africæ Kal. Maii his Coſſ. in Collat. Carthag. die 3. c. 549. apud Auguſtinum in breviculo Collat. die 3. cap. 22. p. 582. poſt Collatum. lib. 1. c. 31. 33. & Ep. 152. & p. 698. factum vero id conjicere, licet ob Quindecennalia Conſtantini M. & Quinquennalia liberorum ſuorum.* Quod quidem verum eſt. At non illud tantum, ſed & Conſtitutiones variæ, eodem anno datæ, & IV. *Codex Theodoſianus a Decennalibus lucem accipit.*

ab

ab eodem Gothofredo ſummatim ibidem relatæ, aliam cauſam, quod ipſe non advertit, non habuere: nempe quod Dominicum diem otio manciparit, diebuſque judiciariis exemerit, duabus Conſtitutionibus eo anno latis, quæ lib. 2. *tit.* 8. *de feriis* extant; Haruſpicinæ uſum, ſeu Haruſpices conſulendi poteſtatem Romæ, & quidem de fulguris tactu, tum ſenatui, tum privatis fecerit, *lib.* 16. *tit.* 10. *de paganis, ſacrificiis & templis* l. 1. *de manumiſſionibus* in Eccleſia Conſtitutionem ediderit ad Oſium Epiſcopum Cordubenſem: ut videlicet *Clerici* ſoli ſine teſte ſervos manumittere poſſent, ex eaque manumiſſione directa, plenaque libertas competeret *lib.* 4. *tit.* 7. l. 1. *de Manumiſſ. in Eccleſ.* ob eadem etiam Quinquennalia magicas artes innoxias indulſit *lib.* 9. *tit.* 16. *de maleficiis* l. 3. Eccleſiis etiam Catholicis teſtamento quidlibet cuique relinquendi poteſtatem fecit *lib.* 16. *tit.* 2. *de Epiſcopis, Eccleſiis & Clericis l.* 4. Ex quo deinceps opes Eccleſiarum proceſſere. Denique Profeſſorum, Medicorumque privilegia, immunitates & ſalaria ſancivit *lib.* 13. *tit.* 3. *de Medicis & Profeſſoribus l.* 1. Horum, inquam, omnium, Criſpi, & Conſtantini Junioris Quinquennalia occaſio fuere. Cum, uti jam diximus, annis quibus id genus ſolemnia celebrabantur, reis indulgentia concedi, privilegia Collegiis, & Urbibus ſolerent, Eccleſiaque gratiis, & favoribus cumulari, quod Gothofredum non obſervaſſe mirum mihi accidit.

V. *Cauſa Indulgentiæ criminum ab Honorio datæ.*

Hujus regulæ beneficio variarum legum arcana in lucem proferri, uno aut altero exemplo demonſtrabo. In lib. 9. tit. 28. *de Indulgentiis Criminum* l. 9. ab Honorio Imperatore, Stilicone, & Aureliano Coſſ. id eſt, anno Chriſti 400. data legitur, qua exilio damnatis, aut metallis deputatis, omnibuſque omnium criminum reis Indulgentia conceditur. Hæret Gothofredus in hujus Indulgentiæ cauſa, aitque eam quibuſdam videri poſſe, quod quartum ſæculum a Chriſto nato clauderetur, cum Severus Sulpicius, qui hoc ipſo Conſulatu ſcribebat, annum Chriſti 400. a Chriſto nato, & paſſo ſupputet, quam conjecturam merito, rejicit, cum annos a Chriſto computare; recentioris ſit inſtituti. Præterquam quod non dicit Sulpicius eum annum a Chriſto nato quadringenteſimum eſſe, ſed tantum a Chriſto paſſo ad præſentem Conſulatum fluxiſſe annos 372. a Conſulatu enim duorum Geminorum, annoque Eræ Dionyſianæ vigeſimo nono, quo ipſe paſſionem Chriſti conſignat, tot anni interjiciuntur. Quod non intelligens Gothofredus ſcribit, eum numerare debuiſſe annos 405. ſupponens nempe Chriſtum paſſum eſſe anno 33. Eræ vulgaris, quod procul a mente Sulpicii eſt. Hac conjectura rejecta addit. *Putem magis id factum, ſeu hanc Indulgentiam nunc ab Honorio tributum, ſive militia ergo, ad quem finem quoque ſpectat ejuſdem hoc ipſo anno lex* 12. *de Veteranis, lex* 18. *de re militari; lex* 20. *de deſertoribus. Vel corporum & Collegiorum cauſa quo pertinent ejuſdem l.* 1. 2. 3. *de his qui conditionem propriam reliquerunt. Et l.* 5. *utrum vi.* Ita ille. Sed hæc mera verba, data præfata Indulgentia, omneſque quas hoc anno emiſſas citat ibi Gothofredus, ob Quinquennalia Imperatoris Honorii poſt Theodoſii magni mortem imperantis. Obiit enim is anno 395. Ex his, præterea conſtitutionibus, aliiſque anno 400. datis, manifeſtum fit, Honorium Quinquennalia non anno 399. quo quintus Imperii ejus inchoatus eſt, ſed anno 400. quo is abſolutus, celebraſſe.

VI. *An Chryſargyrum quarto vel quinto anno ſolutum fuerit.*

Titulus primus libri 13. eſt *de luſtrali conlatione*, de cujus vectigalis acerbitate Veteres plura habent. Vocabatur illud alio nomine *Chryſargyrum*, quod ſingulis luſtris non tantum a negotiatoribus, ſed etiam a meretricibus exigebatur. Scribit Gothofredus in Commentario ad legem primam de luſtrali Conlatione a Conſtantio Auguſto, anno Chriſti 357. emiſſam, quarto quoque anno vectigal illud ſolutum fuiſſe, quod Evagrius, Zoſimus, & Cedrenus illud τετραετηρικὸν diſerte fuiſſe dicant. Sed cum Conſtantinus Magnus ejuſdem vectigalis anno 320. in quem ejus Quindecennalia incidebant, mentionem fecerit, & Veteranis ejus immunitatem dederit, prætereaque ex tribus legibus, quas Conſtantius ejus filius de ea Conlatione edidit, prima emanata fuerit ipſo IX. & Juliano Cæſare Coſſ. anno ſcilicet 357. quo Romæ Cæſarei Imperii ſeptima Quinquennalia edidit, exiſtimandum ſingulis quinquenniis, non vero quadrienniis illud ſolutum fuiſſe. Antiqui enim luſtri nomine Quinquennalia appellarunt. Sic Sidonius carmine ad Majorianum Auguſtum.

Sic luſtro Imperii perennis acto
Quinquennalia faſcibus decentur.

Id eſt, exacto Imperii quinquennio, quinquennalia celebrabuntur. Quod quidem recte obſervavit Scaliger lib. 5. de Emend. temp. licet perperam ſcripſerit Sidonium intelligere luſtrum quinque annorum abſolutorum; non enim tantum exacto quinquennio, ſed & eo incipiente, ea ſolemnia indiſcriminatim facta fuiſſe jam docuimus. Eumenius etiam in Panegyrico pro Auguſtodunenſibus Conſtantino Magno, anno 311. dicto cap. 13. ait: *Quinque annorum nobis reliqua remiſiſti. O luſtrum omnibus luſtris felicius.* Et infra: *quid ergo nos convenit gratulari de hoc indulgentiæ tuæ luſtro. Luſtro, quo licet nulla frugum ceſſavit ubertas, feciſti tamen, ut omnia largiora videantur fuiſſe, quam fuerint.* Themiſtius Oratione 17. quæ de Quinquennalibus Theodoſii Magni eſt: *Hoc nimirum eſt exoptatiſſimum luſtrum, quodque ſibi decennium quærit. Hic circulus ille, quem ſæpius inſequentes acceſſione evolvi expediat.* Ex loco Symmachi anno 387. in Rationario Cæſareorum Conſulatuum referendo conſtat Quinquennalia primum Luſtrum vocata fuiſſe. Decennalia ſecundum Luſtrum, Quindecennalia tertium. Quare non dubito luſtralem conlationem cum hujuſmodi ſolemniis connexionem habuiſſe, & quinto quoque anno ineunte ſolutam fuiſſe. Neque Zoſimum, alioſque qui hoc tributum τετραετηρικὸν fuiſſe ſcripſere, aliter intellexere; cum enim quarto tantum anno exacto, quintoque incœpto ſolveretur, luſtralis diei potuit, & τετραετηρικὸ ſicut Olympias, dicitur luſtrum, licet ſingulis quadrienniis celebraretur.

VII. *Oſtenditur ex Libanio Chryſargyrum ſingulis quinquenniis ſolutum fuiſſe.*

Sed Libanius, qui eo tempore vixit, quo vectigal illud maxima acerbitate exigebatur, difficultatem dirimit in oratione contra Florentium pag. 427. ejus elegantem locum a Valeſio in Notis ad librum tertium Evagrii cap. 49. emendatum hic deſcribam: λεγέσθω ταῦτα καὶ τὰ τ' ἄλλα πάντα νικάτω, τοῦτο δὲ ἔστω ὁ ἀφόρητος φόρος, ἄργυρος, καὶ χρυσὸς φρίττειν προσιούσας ποιῶν τὰς δεινὰς πεντετηρίδας. ὄνομα μὲν γὰρ ἐμπορικὸς ἀπὸ τῶν ἐμπόρων τῶ παρὰ τούτω τῇ θαλάττῃ δὲ ἰσχύων εἰς διάδοσιν χρωμένων, δὶς μόλις ἄρτι προσφέρουσι αἱ χεῖρες, ἀπόλλυται, διαφεύγει δὲ ὁ δὲ νυμφίμαφος. ὡς ἐγὼ πολλάκις ἴδον τὴν σμίλην εἰς ὕπατος ἄρωτας, ἀμυνόντας μὲν ἐν αὐτῷ καὶ πάντα εἶναι σφίσιν. ὁ μὲν τοῦτό γε αὐτοῖς ἀπαλλάττει τῶν ζημιῶν, καὶ ἐλαττόνων, καὶ μόνων ὁ ἀποθνήσκων. ἐπειδὴ καιρός. ὦ βασιλεῦ, πλείω τὴν δουλείας καθίστησι, ἐμβάλλων ἐλευθερίας τὰς ἀπὸ τῶν γονέων πωλουμένας, οὐχ' ἵνα αὐτοῖς δίξωσι τὴν τιμὴν τὸ πλεῖστον, ἀλλ' ἵνα αὐτὸν ἴδωσι εἰς τὴν τὸ κατεπείγοντας δεξιὰν ἐρχομένην. Quæ ſic interpretor, *Jam vero dicamus etiam malum illud, quod reliqua cuncta longe ſuperat. Id autem eſt tributum intolerabile, Chryſargyrum ſcilicet, quo fit, ut ſingula quinquennalia, quo-*

ties

Digitized by Google

tiis jam propinqua ſunt, terrorem animis injiciant. Et nomen quidem huic conlationi ſpecioſum eſt ex Mercatoribus. Sed cum iſti mari utantur ad merces ſuas divendendas, ii quibus manus agre panem ſuppeditant, funditus pereunt. Nec immunis ab hoc malo ſutor, quos quidem ego ſæpius vidi, ſcalpro ad cœlum ſublato, jurantes in eo ſua omnem repoſita eſſe. Nec tamen iſtud eos liberat a vexatione eorum, qui ipſis incumbunt, & qui latrant, ac tantum non mordent. Hoc tempus Imperator, ſervorum numerum auget, ſpoliat enim libertate eos, qui a Parentibus venundantur, non ut ipſi pretium venditionis in arcam ſuam referant; ſed ut illud in manum compulſoris tranſire videant. Ex quibus ut id obiter dicam, intelligis jure ab antiquo Auctore quæſtionum Veteris ac Novi Teſtamenti in quæſt. 75. ſcriptum, *penoſum aurum*, tributum illud vulgo vocatum fuiſſe; verumque eſſe quod diximus, ſingulis quinquenniis ſolutum illud fuiſſe. Neque his obſtat quod L. 36. βασιλικῶν tit. 12. habeat; οἱ δὲ τὸ τέλος τοῦτο παρέχοντες ἀδείαν ἐχέτωσαν, εἴτε ἐν Κωνσταντινουπόλει, εἴτε ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καταβάλλειν αὐτὸ εἴτε τὸν τέταρτον κατὰ ἐνιαυτὸν, εἴτε ὑπὲρ τετραετίαν δίχα μέν τοι ζημίας καὶ διαστροφῆς, id eſt, *qui vero tale onus agnoſcunt, in eorum arbitrio ſit id ſolvere Conſtantinopoli, vel in provincia, ſive quarto quoque anno, ſive ultra quadriennium, ſine damno & perverſitate ulla*; Nam cum quinquennalia & id genus feſta quinto quoque anno, eoque ſæpe incipiente ederentur, eodem tributum illud ſolvebatur, quod hic tantum intendimus; ideoque aliquando quarto anno, aliquando *ultra quadriennium*, ut præfata lex oſtendit.

Denique cum Anaſtaſius Imperator *vectigal miſerabile prorſus, deoque inviſum, & barbaris ipſis indignum*, ut illud Evagrius lib. 3. cap. 39. appellat anno Chriſti quingenteſimo primo ejus Decennalibus dedicato aboleverit, ut in Conſulatuum Cæſareorum Rationario videre eſt, conſtat illud Quinquennalium inſtar quinto quoque anno collectum fuiſſe, præfatamque legem non niſi hujuſmodi feſtivitatum beneficio recte intelligi poſſe.

VIII. *Variæ leges Decennalium ope explicatæ.*

Horum etiam ſolemnium ope cauſam intelligimus cur Honorius in ſeptimo ſuo Conſulatu anno Chriſti 407. geſto, Legem ſextam dederit, quæ extat lib. 11. tit. 12. *de immunitate conceſſa*, qua definit nullam immunitatem valere, niſi Palatini Sacrarum Largitionum prius hujuſcemodi preces quibus immunitas petitur, inſtruxerint. Eo enim anno Honorius Quindecennalia Imperii cum patre initi celebravit, comperitque tot immunitates iis in feſtivitatibus a Principe poſtulatas fuiſſe, ut ei facile obrepere potuerit, quam etiam ob cauſam data lex unica; quæ extat eodem libro, titulo 13. *Si per obreptionem fuerint impetratæ*; Valentinianus enim Junior Merobaude II. & Saturnino Coſſ. id eſt, anno Chriſti 383. in quem Theodoſii Magni Quinquennalia competebant, ob eamdem rationem Conſtitutionem illam emiſit. Libro duodecimo, tit. 13. *de auro coronario*, lex quinta, qua neminem ad conlationem auri coronarii cogi vult abſque conſuetudine Theodoſius Magnus, data eſt *Richomere, & Clearcho Coſſ. XV. Kal. Febr.* id eſt anno Chriſti 384. Quo ſextus Imperii Theodoſii annus incœpit, ideoque ejus quinquennalium hoc, vel præcedenti anno actorum occaſione; ſed Gothofredus, qui ad hæc ſolemnia animum non advertebat, ſcribit alterutra occaſione oblatum aurum coronarium nunc Theodoſio Magno, vel ob filium Arcadium anno elapſo Auguſtum appellatum, vel ob victoriam aliquam de hoſtibus reportatam, forte de Sarmatis, aut Perſis; ſed leves hæ conjecturæ. Ea etiam ex lege diſcimus inter cauſas auri coronarii Principibus offerendi quinquennalia, & id genus feſta numerata fuiſſe.

IX. *Decennalium ope ſubſcriptiones legum emendari poſſunt.*

Juvat & Quinquennalium doctrina ad varias ejuſdem Codicis ſubſcriptiones enodandas. Lex tertia de auro coronario data eſt *XI. Kal. Jul. Saburra, Valentiniano, & Valente AA. Coſſ.* Inſcriptaque ad Probum PF. P. Gothofredus dicit addendum II. ſi lex hæc ad annum 368. vel III. ſi ad annum 370. referatur, cum Probus anno 365. quo Valentinianus, & Valens primum Conſulatum geſſere, Præfectus Prætorio non eſſet. Sed cum, eorumdem Imperatorum quintus Imperii annus, inchoaretur anno 368. non alio Conſtitutio illa emiſſa. Sic in lib. 16. tit. 2. *de Epiſcopis, Eccleſiis, & Clericis* l. 18. ad Claudium Proconſulem Africæ data eſt *XIV. Kalend. Mart. Trev. Valentiniano & Valente AA. Coſſ.* & tamen anno 365. quo uterque primum Conſul proceſſit, Valentinianus cujus eſt ea lex, Treviris non fuit, neque Claudius Proconſul Africæ, ut recte obſervat Gothofredus, qui hæret an hæc lex ad annum 368. ſecundo Valentiniani & Valentis Conſulatu notatum, vel ad annum 370. quo uterque tertium Conſul fuit. Sed non dubium quin anno 368. utriuſque Imperatoris Quinquennalibus dicato, lex hæc emiſſa fuerit; cum ſis de privilegiis Clericorum a Conſtantio Imperatore, ultimo vitæ ſuæ tempore indultis, ſub Juliano vero abrogatis, reſtituendis. Ex his ſatis intelligitur, quis Decennalium, & id genus feſtorum, in Codicis Theodoſiani legibus enucleandis uſus eſſe poſſit.

CAPUT QUINTUM.

Decennalium beneficio Faſti Conſulares, & Hiſtoriæ tum Romanæ, tum Byzantinæ Scriptores illuſtrati.

I. *Rationibus quibus Conſulatus initi Faſtorum difficultates emollitæ.*

A conjunctione cum Quinquennalibus, Decennalibus, & id genus feſtis, Faſtos Conſulares magnam lucem accipere ex eo patet, quod animus, cujus ratio pabulum, a nudis Conſulum nominibus repellatur, memoriaque in eis addiſcendis obruatur. Noſtrarum regularum ope, non quidem omnium, ſed Cæſareorum, qui præcipui ſunt, Conſulatuum cauſam & occaſionem habes. Qui faſtis Conſularibus explicandis reſtituendiſque huc uſque operam navarunt, eum ſibi tantum finem præfixere, ut rectam Conſulum ordinariorum ſeriem nobis exhiberent. Conor ego rationem aſſequi cur Auguſti & Cæſares iis potius, quam aliis annis Conſulatum ediderint: quam cum plerumque Decennalia, aliaque hujuſmodi ſolemnia ſuggerant; iis Faſtos ſummopere illuſtrari nemo negaverit. Verum quidem eſt in iis feſtis celebrandis non ſemper Imperatores trabeam Conſularem induiſſe; ſive eos Domitiani ſeptemdecim Conſulis ambitio immoderata ab ea dignitate ſuſcipienda abalienaſſet; ſive quod hoc honore ſe aliquando defraudarint, ut aliis largirentur; quas duas cauſas Auſonius in oratione de ſuo Conſulatu cap. 11. tangit; poſt Commodum tamen, præſertimque poſtquam Imperium Conſtantinopolim translatum fuit, has feſtivitates Imperatores utplurimum trabeati edidere. Ex quo & facile conſulatuum ab iis ſuſceptorum ratio, qua faſti ab obſcuritate vindicati, peti poteſt.

II. *Conſulatus cum Decennalibus concurrentes pluris, quam alii faſti.*

Decennalium etiam, & id genus feſtorum beneficio intelligimus, quando Imperatores ad ea edenda Conſulatum non ſuſciperent, eumdem ad propinquos, viroſque illuſtriores transtuliſſe. Severus anno 203. Septimio Geta, & Plautiano Conſulibus, Decennalia celebravit, quorum alter, ejus frater; penes alterum vero

ſumma Imperii erat. Anno 333. Conſtantius Cæſar Conſtantini M. filius Decennalia Cæſarei Imperii edidit, Dalmatio & Xenophilo Conſolibus. Erat Dalmatius Dalmatii Cenſoris Conſtantini M. fratris filius, & triennio poſt, Cæſarea dignitate ab eo ornatus eſt. Anaſtaſius, qui anno 491. Imperium iniit, Paulum fratrem anno 496. Faſtia nomen dare voluit; quia, ut ex Continuatore Marcellini colligimus, eo anno Quinquennalia ſua edidit. Occurrent in Faſtis percurrendis alia hujuſmodi exempla.

III.
Anaſtaſius in Conſulatus Auguſteos mutationem invexit.

Harum etiam ope aliquam in Conſulatibus Cæſareis, imperante Anaſtaſio, mutationem factam fuiſſe ſuboduratus ſum; Is, qui, ut mox dixi, anno 491. Imperator renunciatus eſt, ſecundum Conſulatum, non anno quinto, aut ſexto Imperii uti de more, ſed anno ſeptimo, Chriſti nempe 497. ſumpſit, Dein poſt Decennium, anno 507. rurſumque poſt alterum decennium anno 517. Conſul proceſſit, ideoque alium a recepto morem invexit. Et quidem cum multa immutaſſe narrat Suidas verbo Ἀναστάσιος: οὗτος ἐπὶ τὸ χεῖρον τραπεὶς, πάντας ὁμοῦ τὴν βασιλείαν ἐς ἀριστοκρατίαν μετέστησεν id, eſt, *Hic in deterius mutatus univerſum Imperium in Ariſtocratiam mutavit, omnes magiſtratus vendens &c.* Quo, ni fallor, ſpectat quod ſcribit Procopius in Hiſtoria Arcana pag. 101. ubi poſtquam dixit Juſtinianum & triginta duobus annis quibus imperabat, nullam tributorum remiſſionem feciſſe, addit: *Quid ſi per ſeptennadem, ut Anaſtaſius Imperator, illis indulſiſſet, publicorum diſſolutionem, nec ſe quidem ſatis pro rei ac temporis conditione feciſſet.* Jam antea idem Procopius Romanorum Principum morem, alias a nobis obſervatum, his verbis deſcripſerat, quæ ad majorem hujus Operis illuſtrationem hic recitanda: *Fuit Romanis Imperatoribus mos perantiquus, ut quæ ſupereſſent aeis alieni publici partes tenuiores, harum remiſſionem non ſemel, ſed iterum ac ſæpius* (in Quinquennalibus nempe, Decennalibus & id genus feſtis) *ſubditis darent, ne quia attritis fortunis nomina hac diſſolvenda non eſſent, perpetuo his anguſtiis verſarentur, neve indebito exagitandi vectigalis nacam, Quæſtores haberent. His autem Princeps* (nempe Juſtinianus) *intra annos duos atque triginta nihil tale ſubjectis condonavit.* Juſtinus qui Anaſtaſium excepit, ſeptimo etiam Imperii anno Conſulatum iniit, cui cum Juſtinianus anno 527. ſucceſſiſſet, ſeptimo etiam Imperii anno Conſulatum edidit, anno nempe Chriſti 533. quod ſi poſt primum, alterum, ac tertium decennium, eandem dignitatem non reſumpſit, id ideo fuit, quia poſt annum 541. per annos viginti ſex, in eo munere, mox mox abrogando, Baſilius Junior continuuus fuit. Per ea tempora Quinquennalia & id genus feſta, more quidem ſolito acta, ſed illud de novo inductum, ut anno Imperii ſeptimo, ac decimo ſeptimo, & ſic deinceps, eadem fierent quæ annis Quinquennalibus & id genus, feſtis dicatis fieri conſueverant. Quod cum nemini fuerit obſervatum, juvat illud aliquot exemplis demonſtrare. Chronicon Alexandrinum anno 507. Anaſtaſii III. & Venantii Conſulatu notato ſcribit: *Hoc anno, longus murus, Anaſtaſianus appellatus, conditus eſt.* De quo muro Suidas in voce Ἀναστάσιος habet: *Anaſtaſius Imp. longum murum extruxit, ſexageſimo milliario ab Urbe Conſtantinopoli, protenditur autem a mari, quod eſt ad ſeptentrionem, uſque ad mare, quod eſt ad meridiem. Et longitudo quidem ejus continet quadraginta millia, latitudo vero pedes viginti.* Eodem anno Theophanes ſcribit: *Hoc anno Imperator Anaſtaſius Daras Caſtrum Meſopotamiæ magnum atque firmum in Romana ac Perſica ditionis finibus ſitum muribus cinxit: & Eccleſias, horreaque repouendis frumentis, ac Ciſternas recipiendis aquis, nec non porticus in eo conſtituit, & nuncupavit Anaſtaſiopolim: Sed & publica commoditati duo balnea dicavit, & loco civitatis conceſſit jura.* Verum quidem eſt Auctorem Chronici Alexandrini idem referre anno Chriſti 498. qui Anaſtaſiani Imperii octavus erat, ſed utrumque Auctorem deceptum fuiſſe exiſtimo, illudque conſignandum eſſe anno 497. nam anno 507. longus tantum muros extructus, perperamque Theophanes Anaſtaſiopolis ædificationem cum hujuſmodi muri conſtructione confudit, quod oſtendit Author Chronici Alexandrini, qui eam urbem alio anno ædificatam ſcribit, licet & ipſe in anno erret. Juſtinianus etiam anno Chriſti 543. qui Imperii ejus decimus ſeptimus erat, eadem præſtitit, quæ in Quinquennalibus & id genus feſtis; ſcribit enim Theophanes: *eodem anno ingens illa ænea columna ad palatium poſita, quæ dicitur Auguſteus, abſoluta eſt: & equeſtris Imperatoris Juſtiniani ſtatua in eam ſublata.* Denique Auctor Chronici Alexandrini anno 563. quo poſt ſeptimum Imperii annum tertium Decennium Juſtinianus inchoavit, hæc ſcribit: *Hoc anno 36. regni Juſtiniani, menſe Apellæo, ſive 24. Decembris ſecundum Romanos, prima die Indictionis XII. feſtum Dedicationis S. magnæque Dei Eccleſiæ Conſtantinopoli ſecundo celebratum eſt.* Quæ cum ſcribat ſub Indictione XI. & Baſilii Conſulatu XXII. ea facta eſſe, manifeſtum eſt legendum eſſe: *hoc anno* 37. non vero 36. ex quibus intelligis poſt hanc mutationem, Templa dedicata, Urbes conſtructas, aliaque publica Opera facta, tam annis Imperii ſeptimo, decimo ſeptimo, & ſic deinceps, quam anno quinto, decimo, & ſic aliis ejuſdem rationis annis.

IV.
Mutationis ab Anaſtaſio invectæ veſtigia.

Poſt mortem Juſtiniani, quæ die 14. Novembris anni 565. contigit, Juſtinus Junior Imperium ſuſcepit, annoque 567. Conſulatum ad Auguſtos in perpetuum transtulit, & ut veroſimile eſt, Quinquennalia & id genus feſta celebrare deſiit. Qua de re infra: nihilominus anno quinto, ſeptimoque Imperii Opera publica ab Imperatoribus, uti ante abrogatum Conſulatum ordinarium, facta; Theophanes enim anno 571. quo ſeptimus Juſtini Junioris cœpit, habet: *Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Eccleſiam cœpit Juſtinus ædificare in orphanorum hoſpitio, aliamque SS. Apoſtolorum, quæ Zenonis Imp. tempore conflagrarat, in Triconcho. Ad Eccleſiam quoque S. Deiparæ Blachernæum duas abſides addidit, & hanc quæ Septentrionem, illam quæ Meridiem reſpiceat, extruxit in celeberrimo illo templo, totamque molem illam in Crucis normam compoſuit.* Mauritius anno 582. menſe Auguſto Imperium iniit, de quo Theophanes anno Mundi ſecundum Alexandrinos 6082. qui Kalendis Septembris anni Chriſti 589. incipit, hæc ſcribit: *Eodem anno Mauritius ſupremus Imperator SS. Quadraginta Martyrum Eccleſiam a Tiberio* (ejus prædeceſſore) *exædificari cœptam: & jam ad opus medium ductam abſolvit.* Verum quidem eſt cœptum tunc fuiſſe octavum ejuſdem Imperatoris annum; ex his tamen intelligi poteſt, non male a nobis conjectum fuiſſe, Anaſtaſium in Conſulatus Auguſtorum aliquam mutationem invexiſſe; cum etiam poſt abrogatum Conſulatum ordinarium hujuſce mutationis aliqua ſuperſint veſtigia: cujus mutationis cauſa, quæ mihi incomperta, ab aliis forſan detegi poterit.

V.
Nuncupationes Cæſarum Conſulatibus illigatæ Faſtos illuſtrant.

Denique cum nuncupatio Cæſarum annis Quinquennalibus & id genus feſtis addictis fieri ſoleret, iiſdem pariter annis Tribunitia Poteſtas concederetur, & Imperatores in Auguſtei Imperii conſortium alios adſciſcerent, manifeſtum eſt nuncupationes has ſuis Conſulatibus, Quinquennalibuſque & id genus ſolemnibus, in qui-

bus

bus ex actæ ſunt, illigatas, Faſtos & utiliores & faciliores reddere; quod ipſa etiam experientia edocebit.

VI. *Locus Dionis Decennalium beneficio explicatur.*

Nec obſcuris hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum locis Decennalium beneficio minor lux affuſa; quod aliquot exemplis oſtendo. Scribit Dio lib. 71. Marcum Aurelium Imperatorem cum poſt octo annorum abſentiam Romam veniſſet, liberalem erga populum ſe exhibuiſſe: *remiſit*, inquit, *omnibus etiam id quod fiſco, Ærariove publica debebant ab annis ſex & quadraginta, abſque ſedecim annis Hadriani, juſſitque ſyngraphas omnes ſcriptas de iis rebus in foro comburi*. Erat is annus Chriſti 177. quo menſe Septembri Indictio prima Conſtantiniana proleptica cœpit, idemque Imperator Proconſularis Imperii Tricennalia celebravit. Hoc in loco Scaligero in Animadverſionibus Euſebianis ad num. 2134 & Petavio in lib. de doctr. Temp. aqua hæſit; ille enim exiſtimabat pulcherrimum ſe ante Conſtantinum Indictionis exemplum in iis verbis reperiiſſe, quod ab una Indictione ad alteram incluſive ſedecim anni ſint; quem ex eo Petavius refellebat, quod Indictio annis 15. non 16. definiatur. Sed præterquam quod Olympias, quæ quatuor tantum annis conſtabat, quinquennis aliquando dicitur, uti in hoc verſu Ovidii lib. 4. de Ponto, Eleg. 6.

In Scythia nobis Quinquennis Olympias acta eſt.

Adhuc reſtat difficultas, cur eo potius numero, quam alio, tam Hadrianus, quam Marcus Aurelius remiſſionem hanc circumſcripſerint. Genuina itaque hujus loci explicatio a Decennalibus & id genus feſtis repetenda. Hadrianus, *ut primum Romam venit, quidquid fiſco, ærarioque debebatur, remiſit, definito tempore annorum ſedecim, ex quo id beneficium collatum eſſe voluit*, inquit idem Dio lib. 69. hoc eſt, ut explicat Scaliger remiſſionem hanc circumſcripſit fini annorum XV. Imperium iniit Hadrianus anno Chriſti 117. annoque 132. quo forſan Quindecennalia celebrare decreverat, ſedecim illi anni abſoluti; ab eo vero ad 177. utroque termino incluſo, quadraginta ſex anni interjiciuntur; tributaque, quæ ratione novem luſtrorum, ſeu novem Quinquennalium, a populis debita erant, Marcus Aurelius remiſit: uti enim jam oſtendimus, ſolebant Imperatores iis annis, quibus hæc ſolemnia celebrabant, Indulgentiam concedere, tributaque vel in toto, vel in parte relaxare. Mere autem fortuitum fuit, quod Hadrianus Indictione prima Conſtantiniana Proleptica Imperium inierit, eadem etiam Indictione prima Quindecennalia, ipſeque Marcus Tricennalia Proconſularia Imperii ſicuti & quod Antoninus Pius anno Chriſti 147. quo prima Indictio proleptica cœpit, Decennalia Cæſarei Imperii ediderit. Verum eſt harum Remiſſionum debitorum Epochas ab aliis annis nobis ignotis forſan repetitas fuiſſe, cum libro undecimo Codicis Theodoſiani titulo 28. l. 3. *de Indulgentiis debitorum* ab Honorio anno Chriſti 401. data Reliquorum, ut vocabant, indulgentiam ab aliis annis quam quibus hujuſmodi ſolemnia acta, deſumptam fuiſſe oſtendat. In ea enim idem Imperator ait ſe plenam omnium Reliquorum cujuſcumque generis Indulgentiam ad primum uſque ſuum Conſulatum, annum nempe Chriſti 386. concedere; prætereaque per novennium, ab eo nempe anno ad annum 395. quo, patre mortuo, imperare cœpit, Reliquorum exactionem, ſe ſuſpendere. Ac denique ab eo anno ad annum 401. quo præfata lex data, Reliqua ſolvi præcipere, licet in iiſdem annis nulla id genus feſta celebrarit. Sed quidquid ſit de initio Epocharum Remiſſionum tam ab Hadriano, quam a Marco factarum, certum eſt utrumque Imperatorem non ad Indictiones, quæ nondum natæ erant, ſed ad Decennalia & id genus feſta reſpexiſſe. Ex eo etiam quod Auctor Chronici Alexandrini ſub Largi & Meſſalini Conſulatu, anno videlicet Chriſti 147. ſcribat: *His Coſſ. æs alienum remiſſum, tabula creditorum ab Antonino Auguſto exuſta*. Perperam colligit Scaliger longe ante Conſtantinum Indictiones in uſu fuiſſe; cum ideo Antoninus Pius hanc ſummam eo anno remiſerit, quia in eumdem Imperii ejus Cæſarei Decennalia incidebant.

VII. *Locus difficilis Auctoris incerti explicatur.*

Hujus etiam regulæ ope explicari poteſt locus difficilis, qui legitur in Panegyrico incerti Auctoris cap. 16. Conſtantino Magno anno 313. dicto. Loquitur hic de Quinquennalibus Maxentii Auguſti, quæ idem Imperator die ſeptimo Kalendas Novembris Imperii Natali, quo ſeptimus ejus annus inchoabatur, edere deſtinarat, aitque: *Sed divina mens, & ipſius urbis æterna majeſtas, nefario homini* (Maxentio) *eripuere conſilium, ut ex inveterato illo torpore, ac fœdiſſimis latebris ſubito prorumperet, & conſumpto per deſidiam ſexennio, ipſum diem Natalis ſui ultima ſua clade ſignaret, ne ſeptenarium illum numerum ſacrum & religioſum inchoando violaret*. Dicunt quidam viri docti Oratorem in hoc falſum, quod Maxentium diem Natalis ſui cæde ſua ſignaſſe, dicat, ne ſeptenarium illum numerum ſacrum & religioſum inchoando violaret. Nam ſi cæſus eſt, inquiunt; ipſo die Natalis ſui, manifeſtum eſt cæſum ipſo die quo Imperium inierat ſeptimumque annum inchoarat. Quod quidem verum eſt. At num ob id Orator falſus eſt? Jam enim oſtendimus Quinquennalia & id genus feſta dupliciter conſiderari poſſe, vel tanquam terminum & complementum præcedentium annorum; vel ſecundo ut quinque ſequentium periodum. Orator itaque diem Natalem Maxentii, ut præcedentium annorum terminum tantum, non vero ut ſequentis periodi initium conſideravit. Neque in alio hujus loci arcanum conſiſtit.

VIII. *Locus Mamertini explicatur.*

Mamertinus in Oratione Maximiano Herculio dicta capite primo ſcribit orationem ſe ejuſdem Imperatoris Quinquennalibus præparaſſe, additque: *Gaudio igitur, ſi fas eſt confiteri, dilatam eſſe illam cupiditatem meam neque enim orationis ejus, quam compoſueram facio jacturam, ſed eam reſervo, ut Quinquennio rurſus exacto Decennalibus tuis dicam, quoniam quidem Luſtris omnibus prædicandis communis oratio eſt*; quæ verba vir doctiſſimus explicans ſcribit Maximianum Herculium Quinquennio evoluto Quinquennalia celebraſſe, ex eoque deinde colligit Decennalia decimo ejus Imperii anno expleto ediiſſe. Sed Faſtorum a nobis explicatorum ſeries oſtendit eum hallucinari, Herculiumque tam Cæſarei, quam Auguſtei Imperii Quinquennalia anno quinto ineunte, & Cæſarei Imperii Decennalia anno decimo pariter ineunte celebraſſe. Mamertinus itaque quinquennium inchoatum, exactum, abſolutumque vocat, quia uti capite 2. numero XXII. diximus, Veteres, annos qui ante Quinquennalia fluxerant, Quinquennii nomine appellabant, licet eadem ſolemnia primo anni quinti die, aut etiam primo die ſeptimi peragerent, ſicque Orator hunc loquendi modum uſurpare potuit, quod & aliis exemplis jam declaravimus. Porro panegyris illa dicta videtur anno Chriſti 291. poſt utraque ab eodem Herculio quinquennalia celebrata, cum dicat Orator ſe Orationem, quam compoſuerat, ejus Decennalibus reſervare; in eaque nullam de Conſtantio Chloro & Galerio Maximiano, qui anno 292. Cæſares nuncupati ſunt, mentionem faciat; altera vero Panegyris, quæ die Natalis Urbis habita eſt, cujuſve idem Orator eodem capite primo meminit,

anno 289. vel circiter ab eo recitata. Quare non video cur Jacobus de la Baune, qui veterum Panegyricorum editionem adornavit, utramque anno 291. dictam fuiſſe ſcripſerit.

IX. *Hadrianum Patris Patriæ nomen diſtuliſſe ejus Decennalia oſtendunt.*

Eorumdem Decennalium ope, Spartiano in Hadriano cap. 6. ſua fides reſtituenda: *Patris Patriæ nomen* (inquit hic Auctor de eo Imperatore loquens) *ſibi delatum ſtatim, & iterum poſtea diſtulit: quod hoc nomen Auguſtus ſero meruiſſet.* Huic contradicit Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ad numerum 2142. duabus Inſcriptionibus innixus, in quarum priori legitur: IMP. CÆSARI. DIVI. TRAJANI. PARTNICI. FIL. DIVI. NERVÆ. NEP. TRAIANO. HADRIANO. AUG. PONT. MAX. TRIB. POTEST. COS. II. P. P. IVVIRI VIARUM. In altera vero IMP. CÆS...... DIVI. TRAI. ...... THICI. FIL. NERVÆ. NEPOTI. TRAIANO. NADRIANO. AUG. PONTIFICI. MAX. TRIB. POTESTA II. COS. II. P. P. COLON. ULPIA. TRAIANO. AUG. Quibus favet Oroſius libro 7. c. 22. ubi ſcribit: *Idem quoque continuo Pater Patriæ in ſenatu ultra morem Majorum appellatur, & uxor ejus Auguſta:* Nihilominus cum Spartianus rationem, qua Nadrianus permotus titulum illum distulit, afferat, & Euſebius in Chronico, Auctorque Chronici Alexandrini teſtentur, eumdem anno Imperii decimo, quo nova induci ſolebant, Patrem Patriæ vocatum fuiſſe, Spartianum non erraſſe affirmare cogimur. Eo magis, quo in nullis nummis & Epigraphis, quæ apud Goltzium extant, Hadrianus ante adeptam Tribunitiam poteſtatem X. Pater patriæ dicitur. Quod ſi ipſo Imperii initio nomen illud ſumſiſſet, in nummis & in Inſcriptionibus ut plurimum ei attribueretur: Exiſtimandum itaque ſtudio quorumdam privatorum nomen illud ante Decennalia, ſed non auctoritate publica ei datum: *Hadrianus* (qui Antiochiæ Imperium ſuſcepit) *a Senatu petiit per litteras, ut ſibi Imperium confirmaret* (quod & habet Spartianus loco citato) *negavitque velle ſibi ullos unquam honores decerni, ut erat antea conſuetudo, niſi eos ipſe a Senatu peteret*, inquit Dio, lib. 69. Datus igitur titulus ille Nadriano antequam ipſe peteret, vel Senatus decerneret; ſed nec ab eo petitum, nec a Senatu decretum antequam Decennalia celebraret. Nec alia modo hujus difficultatis, quæ non parva eſt, ſolutio occurrit. Quoad Oroſii auctoritatem, is non diſſimili ratione eodem lib. c. 22. loquitur, ait enim Valerianum *mox ut arripuit Imperium* Chriſtianos perſequutum eſſe, tum *illico a Sapore captum* eſſe. Quare is loquendi modus huic Authori familiaris.

X. *Decennalium ope Collegæ Imperii cogniti.*

Prætermitto hic alia loca alibi a me explicata, ut dicam me deprehendiſſe horum præcipue ſolemnium beneficio, antequam plures Auguſti ſimul imperarent, Imperatores aliquos Imperii Collegas ſibi adſciviſſe. Cum enim qui Imperio Proconſulari & Tribunitia Poteſtate donati fuerant, Decennalia & id genus feſta non minus quam Cæſares & Auguſti celebrarent, manifeſtum inde fit tertium ordinem, eumque Cæſarum gradu ſuperiorem, Auguſtorum vero dignitati in aliquo inferiorem eos conſtituiſſe. Næ ſiquidem feſtivitates Imperii notæ, & indices erant, ideoque a Cæſaribus celebrabantur, quia ad Imperium deſtinati erant. Quam etiam ob cauſam qui patribus viventibus in Imperii Auguſtei conſortium vocati fuerant, nedum ea feſta ob eam nuncupationem peragebant, ſed & poſt illorum mortem iterabant, ob novum videlicet Imperium quod tunc inibant. Quare cum Marcus Aurelius v. g. poſt adeptum Imperium Auguſteum, non tantum propter illud, ſed & propter Cæſareum, inſuperque propter Imperium Proconſulare ea ſolemnia ediderit, liquet tria hæc tres diverſorum poteſtatis & honoris gradus denotare. Hos Spartianus in Ælio Vero cap. 1. inſinuat, cum his verbis ejuſdem vitam incipit: *In animo mihi eſt, Diocletiane Auguſte, non ſolum eos qui Principum locum in hac ſtatione quam temperas, retentarunt; ſed illos etiam qui vel Cæſarum nomine appellati ſunt, nec Principes aut Auguſti fuerunt, vel quolibet alio genere, aut in famam, aut in ſpem Principatus venerunt, cognitioni numinis tui ſternere.* Et ne quis cavilletur ipſum Auguſtos & Principes non diſtinguere, clarius ſe ipſum in fine ejuſdem vitæ explicat. *Mihi propoſitum fuit omnes, qui poſt Cæſarem Dictatorem, hoc eſt, Divum Julium, vel Cæſares, vel Auguſti, vel Principes appellati ſunt, quique in adoptionem venerunt, vel Imperatorum filii, aut parentes Cæſarum nomine conſecrati ſunt, ſingulis libris exponere.* Ubi videt eum tria hominum genera, quorum vitam deſcribere inſtituerat, diſerte diſtinguere, Cæſares nempe, Principes, & Auguſtos; & ad duo præfata loca intelligenda Decennalia & id genus feſta non parum conducere.

CAPUT SEXTUM.

Chronologia, Geographia, & Nummographia Decennalium beneficio illuſtrata.

I. *Decennalium abuſus ad Imperatorum initia firmanda.*

Licet Decennalibus, & id genus feſtis ad Imperatorum initia conſtituenda Viri Doctiſſimi aliquando abuſi fuerint, certum tamen ea aliis præſertim adminiculis accedentibus, ad eumdem finem plurimum ſæpe conducere. Herwartus capite 262. ſuæ Chronologiæ, ut Scaligerum, qui Conſtantinum Magnum anno 307. Imperium iniviſſe perperam opinatus eſt, confutaret, argumentum ab ejus Tricennalibus anno 335. celebratis deducit, atque, poſita ea opinione Conſtantinum tempus ſuis Tricennalibus congruum, vivum non attigiſſe, cum ea die 25. Julii anni 337. edenda fuiſſent, ipſeque jam die 22. Maii e vivis exceſſiſſet. Sed valde fallitur vir eruditiſſimus, non tantum quod exiſtimet eas feſtivitates non niſi anno quinto, decimo, & hujuſmodi ineuntibus celebratas fuiſſe, ut videre eſt cap. 230. ejuſdem Chronol. ſed etiam quia eumdem Scaligerum reprehendit, quod in Animadverſionibus Euſebianis ſcripſerit, Nicomedienſes Vicennalia, imo univerſum Orientem Conſtantini magni Tricennalia integro anticipaſſe anno, juſtoque citius eadem celebraſſe. Valde enim appoſite ad ſuam ſententiam Scaliger locutus eſt, cum pluribus exemplis conſtet has feſtivitates aliquando dilatas, aliquando vero anticipatas fuiſſe. Ex alio itaque capite hæc ſententia rejicenda. Jacobus Gothofredus Codicis Theodoſiani doctiſſimus Commentator libro 4. titulo 23. *de longi temporis præſcriptione* primam legem explicans *Romæ Idibus Januariis Sabino & Rufino Coſſ.* anno nempe Chriſti 316. datam, qua poſſeſſiones a Superioribus Principibus conceſſas uſque ad Decennalia ſua Conſtantinus Magnus confirmat, ait haberi hic characteriſmum certiſſimum Imperii Conſtantiniani, qui cum anno 306. die 25. Julii patri ſucceſſerit, ejus Decennalia in annum 316. incidere neceſſe eſt; cum tamen anno præcedenti legitimo tempore eadem ſolemnia is Imperator celebraſſet, imo & anno 314. per anticipationem edere potuiſſet. Quare ea feſta ſe ſola ad Imperatorum initia certo firmanda non ſemper idonea. At non raro uſu venit, ut eorumdem beneficio certum initii Imperii tempus aſſequamur.

Initium Imperii Galerii Maximini hucuſque in magna controverſia poſiti, ejus Quinquenna- II.

lio-

Digitized by Google

Maximinus ſe ipſum Auguſtum dicit.

liorum, quibus alia ſuffragatotur, ope me deprehendiſſe exiſtimo. Licinius anno 307. tertio Idus Novembres Auguſtus a Galerio Maximiano renunciatus eſt, ut infra videbimus, *quod quidem Maximinus agre admodum tulit, qui haſtenus Caſar dumtaxat ab omnibus appellabatur. Hic ergo pra cateris tyrannico ingenio praditus Auguſtus a ſemetipſo renunciatus eſt*, inquit Euſebius lib. 8. cap. 13. Egregia ſunt in eamdem rem Lactantii lib. de mortibus Perſecutorum, capite 31. verba: *nuncupato igitur Licinio Imperatore Maximinus iratus, nec Caſarem ſe, nec tertio loco nominare volebat* (ex quibus verbis conjicere eſt Galerium Maximianum primum ſibi locum, ſecundum Licinio, tertium Galerio Maximino tunc attribuiſſe, Conſtantinum vero & Maxentium Auguſtorum filios nuncupaſſe, ut ex mox dicendis magis liquebit) *Mittit ergo ad eum* (nempe Galerius Maximianus) *ſape legatos, orat ſibi pareat, diſpoſitionem ſuam ſervet, cedat atati, & honorem deferat canis. At ille* (Galerius Maximinus) *tollit audacius cornua, & praſcriptione temporis pugnat ſe priorem eſſe debere, qui prior ſumpſerit purpuram, preces ejus & mandata contempſit; dolet beſtia* (Galerius Maximianus) *& mugit, quod cum ideo ignobilem feciſſet Caſarem, ut ſibi obſequens eſſet; is tamen tanti ſui beneficii oblitus, voluntati ac precibus ſuis impie repugnaret. Victus contumacia* (Galerius Maximinus) *tollit Caſarum nomen, & ſe, Liciniumque Auguſtos appellat, Maxentium & Conſtantinum filios Auguſtorum. Maximinus poſtmodum ſcribit quaſi nuncians in campo Martio proxime celebrato Auguſtum ſe ab exercitu nuncupatum. Recepit ille maſtus ac dolens, & univerſos quatuor Imperatores jubet numerari* Galerius nempe Maximianus. Baluzius in Notis ad Lactantium, hæc verba: *victus contumacia tollit Caſarum nomen &c.* de Galerio Maximiano explicat, non quidem ut nomen Cæſarum aboleret, ſed ut ab eo deinceps abſtinerent illi, qui in ſpem Imperii adoptarentur, & ſic excluderetur Maximinus. At non is Lactantii ſenſus eſſe videtur. Nam quis contumaciæ ſuccubuit, niſi qui contumax erat Maximinus? Quis a Cæſaris nomine abhorrebat, niſi qui ſe Cæſarem dici nolebat? Cur Galerius Maximianus qui ſenior Auguſtus erat rurſum ſe cum Licinio Auguſtum appellaſſet, novo huic loco non aſſignato? Profecto ſi Galerius Maximianus Cæſareum nomen ſuſtuliſſet, Maximinum de omni gradu dejeciſſet, quod rerum poſtea geſtarum ſeries illum non feciſſe oſtendit, imo neque potuiſſe, cum is ejus preces, mandataque contemneret. Denique Maximinus non ſcripſiſſet poſtea ſe ab exercitu Auguſtum nuncupatum fuiſſe, niſi de præfata nuncupatione a ſe facta, quam exercitui tribuebat, intellexiſſet, hæcque ultima verba *univerſos quatuor Imperatores jubet numerari*, oſtendunt iſta: *ſe, Liciniumque Auguſtos appellat*, explicanda eſſe de Maximino, qui ſe & Licinium Auguſtos nuncupavit, aliter non quatuor, ſed quinque Imperatores Maximianus Galerius juſſiſſet numerari, nempe ſe ipſum, Maximinum, Licinium, Conſtantinum, Maxentium. Ex eo vero quod Maximinus Maxentium & Conſtantinum filios Auguſtorum nominaverit, colligitur, id jam antea Galerium Maximianum feciſſe, Maximinumque hac in parte hujus diſpoſitionem ſervaſſe; nam niſi ille hæc antea nomina Maxentio & Conſtantino tribuiſſet, quomodo Maximino, qui tantum Cæſar erat, tertium locum aſſignare potuiſſet, cum Auguſtorum filiis Cæſares anteferrentur. Eodem nomine ab Eutropio lib. 10. ubi de Morte Galerii Maximiani locutus eſt, Conſtantinus & Maxentius appellati: *Reſpublica tum a quatuor Imperatoribus tenebatur, Conſtantino & Maxentio filiis Auguſtorum, Licinio & Maximino novis hominibus*. Quæ verba præfatam Galerii Maximiani diſpoſitionem contradictionem paſſam eſſe, Liciniumque in tertium poſtea locum rejectum fuiſſe oſtendunt, quod etiam Baluzius loco laudato probat ex edicto in favorem Chriſtianorum anno 313. emanato, & ab Euſebio libro 8. cap. 7. relato, ubi tres Imperatores nominantur, & Galerii nomen ut ſenioris Principis primo loco ponitur, tum Conſtantini, dein ac poſtremo Licinii. Quæ ideo fuſius explicare placuit, quia parum huc uſque cognita.

Apparatus in Baronium

III. *Initium Maximini ejus Quinquennalibus diriſum.*

Difficultas modo eſt, quo præciſe anno Maximinus ſe ipſum Auguſtum dixerit; & quidem Petavius in Chronico, ubi ſcribit Licinium tertio Idus Novembres anno 308. nuncupatum fuiſſe Auguſtum, quod ei, aliiſque pluribus Idatius in Faſtis perſuaſit, Maximini initium ſub finem ejuſdem anni, vel ſubſequentis exordium non conjicere non potuit: Sed cum ea opinio ſuſtineri amplius non poſſit, tota controverſia ſita eſt, an anno 307. exeunte, vel 308. ineunte, Maximinus Auguſtum ſeipſum nuncupaverit. Hanc ejus Quinquennalis dirimi exiſtimo. Lactantius citatus capite 35. refert edictum in gratiam Chriſtianorum a Galerio Maximiano anno 311. emiſſum, *pridie Kalendas Majas ipſo octies & Maximino iterum Coſſ. Nicomedia* propoſitum fuiſſe. Anno itaque 311. Galerius Maximianus faſtis nomen dedit. Collegis primum Licinio, ac dein Maximino II. cumque Licinii Conſulatus ejus Quinquennalibus juxta ſecundam Cæſareorum Conſulatuum regulam addictus fuerit, dubitandum non videtur, quin Maximini Conſulatus ad eumdem finem aſſumptus fuerit, alioquin contra omnes eorumdem Conſulatuum regulas ab eo capeſſitus fuiſſet; ideoque quin & eodem anno, quo Licinius ſe ipſum Auguſtum renunciarit. Quod & Conſulatus a Maximiano Herculio & Galerio Maximiano anno 308. communi Auguſtorum conſenſu, quod negari non poteſt, ſuſceptus, mutatioque conſilii, quod idem Galerius Maximianus agitabat, cum Licinium provehere deſtinabat ad principale faſtigium, de bello adverſus Maxentium Herculii filium gerendo, oſtendit; is enim Conſulatus, Imperatorumque concordia, conſecutio ac fructus fuit amicitiæ inter eoſdem apud Carnuntum ubi Licinius creatus eſt Auguſtus, anno 307. conglutinatæ, ut etiam Baluzius in Notis ad Lactantium advertit. Maximini Quinquennaliis numiſmata favent, in iis enim apud Occonem ſex Imperii ejus Auguſtei anni exprimuntur, quare cum anno 313. poſt menſem Maium perierit, ſequitur initium ejus ſub anni 307. finem conjiciendum eſſe. Poſſet quidem juxta eadem numiſmata Maximini initium anno 308. collocari; ſed huic conjecturæ obſtant & ejuſdem Maximini Quinquennalia, & præfatus Herculii & Galerii Maximiani Conſulatus; quæ duo eumdem Maximinum ſub anni 307. finem, Imperium ſuſcepiſſe inſinuant, ideoque numiſmata juxta horum Quinquennaliorum, & hujus Conſulatus collocationem explicanda.

IV. *Initium Imperii Cæſarei Conſtantii ejus Decennalibus certum redditur.*

Sed Conſtantii Conſtantini M. filii Cæſarei Imperii initium, non minus quam Auguſtei Maximini controverſum, horum ſolemnium beneficio certius adhuc dirimitur. De die quidem, qua illud iniit, nulla difficultas eſſe poteſt; cum ex Idatio in faſtis, Auctore Chronici Alexandrini, ac veteri Kalendario a Lambecio Bibliothecæ Cæſareæ Præfecto V. C. edito ſextum Idus Novembres fuiſſe conſtet. At quo Anno, hic opus hic labor. Idem Idatius anno 324. Auctor Chronici Alexandrini anno 325. Euſebius in Chronico juxta Editionem Scaligeri anno Abrahami 2340. qui in anno Chriſti 322. menſe Septembri inchoatur; juxta vero editionem Pontaci anno Abrahami 2343. anno Chriſti

316. inchoato. Proſper Aquitanos in Chrunico Auchori anno 323. Quid in tanta opinionum diverſitate ſentiendum eſſet, Blondellus lib. de Primatu pag. 1183. & Gothofredus in Chronolog. Codicis Theodoſiani anno 325. indagarunt; ſed cum nullis regulis dirigerentur, nihil certi concloſerunt. Unde ea inter Eruditos recentiores prævaluit opinio, quæ rem hanc in annum 354. connicit. At anno 323. Conſtantium levatum fuiſſe Cæſarem, ejuſdem Decennalia & id genus feſta, aliis ſobſidiis innixa, certum indubitatumque reddunt. Septima in ejuſdem Imperii Cæſarei Quinquennalia edidit, ab anno 323. ſi legitimo tempore ea celebrarit, deducta, ut videre eſt io noſtro Conſulatuum Cæſareorum Rationario. Quod ſi ab eo anno ea loitium non duxerint, tunc dicendum erit nec ea nec ulla alia hujuſmodi feſta ab eo, legitimo tempore facta fuiſſe, quod eadem facilitate refelleretur, ac ſine fundamento aſſeritur. Sed legitimo tempore ab eodem peracta ejuſdem Imperii duratio, a Socrate lib. 2. cap. 47. Sozomeno lib. 5. cap. 1. Eutropio lib. 10. Nicephoro Calliſto, & Auctore Miſcellæ memorata evincit. Scribunt hi Conſtantium annos 38. imperaſſe; quare cum tertia Novembris die anni 361. eum e vivis exceſſiſſe in confeſſo ſit, ſequitur anno 323. Cæſaream dignitatem eidem collatam fuiſſe; ſi enim anno tantum ſequenti eo honore exornatus eſſet, non annos octo & triginta, ſed triginta ſeptem duntaxat, ſex diebus minus imperaſſet. Hoc cum advertiſſet Valeſius in Notis ad lib. 21. Marcellini, ubi Conſtantium anno 354. nuncupatum Cæſarem docet, ait: *Quod ſi ad exactum calculum res revocetur, annos duntaxat 37. Conſtantius tam Cæſarianum, quam Auguſteum obtinuit Imperium.* Sed, ut communiter dicitur, errores Chronologici familiam ducunt, unoque poſito, non niſi alii inde enaſci poſſunt. Sextus Aurelius Victor in epitome huic conjecturæ, ſeu potius ſubterſugio prorſus contrarius. Interiit, inquit, *anno ævi quarto & quadrageſimo, Imperii nono atque triceſimo*, quod verum eſt, ſi anni Juliani & uterque extremus incompletus pro completo, quod Antiquis familiare, numeretur. Hæc itaque res in poſterum extra omnem controverſiam poſita eſſe debebit.

V.
Decennalium uſus in annis a Septembri, vel Octobri inchoatis.

Euſebius, Theophanes, aliique Scriptores, qui annos a Septembri vel Octobri inchoant, incertos nos relinquunt, an res ab iis narratæ tribus aut quatuor prioribus menſibus anni Juliani, vel poſterioribus ejuſdem anni Juliani ſequentis contigerint, ſicque in unius anni errorem doctiſſimos etiam inducere poſſunt. Cui non raro malo Decennalia & id genus feſta occurrunt, uno aut altero exemplo res manifeſta fiet. Scribit Euſebius in Chronico Melitonem Aſianum, Sardienſem Epiſcopum, Apologeticum pro Chriſtianis Marco Aurelio tradidiſſe anno Abrahami 2186. qui cum in anno Chriſti 169. menſe Septembri incipiat, dubios ſuſpenſoſque nos habet an Euſebius intellexerit Apologiam illam anno 169. vel ſequenti, Marco Aurelio oblatam. Unde & Petavius, aliique viri docti illud anno 170. conſignant. Sed cum Marcus Aurelius anno 169. Cæſarei Imperii Tricennalia ediderit, iiſdemque annis Indulgentiam concedi, Apologiaſque porrigi mos fuerit, non dubium quin anno 169. Apologeticus ille liber conſcriptus fuerit, quinve recte ab Auctore Chronici Alexandrini id eo anno collocatum fuerit. Idem Euſebius anno Abrahæ 2310. ſcribit primum Diocletianum adorari ſe ut Deum, & Gemmas veſtibus, calceamentiſque inſeri juſſiſſe, cum ante eum omnes Imperatores in modum Judicum ſalutarentur, & Chlamydem a privato habitu plus haberent. Cum vero is annus Abrahæ in anno Chriſti 293. menſe Septembri inchoetur, annoque ſequenti abſolvatur, incertum, quo ex his duobus annis id acciderit. Hanc Decennaliorum regula difficultatem tollit, oſtenditque Diocletianum, qui anno 293. Conſul proceſſit, & Decennalia edidit, hanc novitatem induxiſſe, cum uti jam diximus, annis quibus hæc ſolemnia peragebantur, non raro nova mundus videret.

VI.
Eumenii Oratio pro Flavienſibus dicta anno 312.

Eadem pariter Regula anni, quibus orationes ad Imperatores habitæ, aut quibus libri antiqui ſcripti aliquando deteguntur. Sic ex Conſtantini M. Quinquennalibus, quorum mentionem facit Eumenius in gratiarum actione Conſtantino M. Flavienſium nomine dicta, deducimus eam anno 311. non ſequenti, ut quidam perperam ſcribunt, recitatam fuiſſe. Poſtquam enim is narravit cenſum ab eo Imperatore relaxatum fuiſſe, ait cap. 13. *Quinque annorum nobis reliqua remiſiſti. O luſtrum omnibus luſtris felicius! o luſtrum quod merito hanc Imperii tui æquavit ætatem* (id eſt, o luſtralis remiſſio, quæ plena & perfecta eſt, ſicut annus Imperii tui quintus, qui plenus eſt, quia exactus, & non inchoatus tantum) *Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda ſunt. Illa enim quinto incipiente ſuſcepta* (id eſt, anno Chriſti 310.) *omnibus populis jure communia, nobis hæc propria quæ plena ſunt.* Id eſt, anno quinto evoluto celebrantur, ſive laudibus extolluntur. Gothofredus in Commentatio Codicis Theodoſiani lib. 11. tit. 3. *ſine cenſu vel reliquis l.* 2. dicit eam legem, cujus hæc ſubſcriptio: *dat. Kalend. Jul. Agrippina Conſtantino A. V. & Licinio Coſſ.* eo prorſus pertinere, cujus nomine Eumenius Conſtantino pro Flavienſibus gratias egit, quia ea ad Antonium Marcellinum Præſidem Provinciæ Lugdonenſis primæ, in qua ſita Flavia, ſeu Auguſtodunum inſcripta. Ex quo & docuit eam ſubſcriptionem corrigendam, ſcribendumque *Conſtantino A.* II. *& Licinio Coſſ.* Quia, ut inquit, anno 319. quo Conſtantinus Licinio Cæſare Collega quintum Conſulatum geſſit, non in Gallia, ſed in Pannonia fuit. Contra vero anno 315. antequam in Maxentium moviſſet, hæſit in Gallia inferiore, & quidem Agrippinæ, ut ex capite 13. alterius ejuſdem Eumenii Panegyrici, qui incipit *Facerem*, ubi & Pontem Agrippinenſem in Francos extruxiſſe eum memorat, patet. Ex quibus tandem omnibus colligit præfatum Panegyricum non niſi anno 312. recitatum fuiſſe. Sed quidquid de ea ſubſcriptione ſit, quam examinandi hic locus non eſt, non dubito quin Gothofredus in ejuſdem legis & Panegyris copulatione errarit; præfata enim lex de cauſa Provinciæ Lugdunenſi communi egit: Eumenius vero pro remiſſione ſpeciali gratias habet. Deinde Conſtantinus anno Imperii quinto, ut diſerte habet Eutropius lib. 10. bellum adverſus Maxentium commovit, *& copias ejus multis præliis fudit*. Quare anno 311. bellum illud inchoatum, neque enim, ſi Kalendis Juliis anni 312. adhuc Coloniæ Conſtantinus reſediſſet, tot prælia ante ſeptimum Kalendas Novembris, quo victus Maxentius, committere potuiſſet. Unde quæ idem Eumenius de ponte Agrippinenſi in Francos extructo habet, ad annum 311. non ad ſequentem pertinent; ac denique perperam inde deducit Gothofredus orationem hanc Coloniæ Agrippinæ habitam fuiſſe.

VII.
Quo anno Oratio de regno a Syneſio dicta.

Eadem methodo inveſtigandus annus, quo Syneſius egregiam, *de Regno ad Arcadium Imperatorem*, orationem Conſtantinopoli habuit. Ait Syneſius ejuſdem orationis initio, in hymno tertio, ac nonnullis aliis locis, cauſam hanc Legationis ſuæ habuiſſe, ut Pentapoleos, ac nominatim Cyrenes Patriæ ſuæ calamitoſæ ac ſemirutæ, opis ac ſubſidii aliquid ab Imperatore peteret, quæ barbaris, efferatiſque vicina gen-

gentibus ægre ſe ab illorum infeſtatione defenderet. Cum vero urbes ab Imperatoribus aut extruerentur, aut reædificarentur, annis, quibus Decennalia & id genus feſta celebrabant, examinandum venit, quibus in Arcadii ſolemniis hæc oratio recitata fuerit. Petavius in Notis ad Syneſium obſervat hunc libro de Inſomniis pag. 148. triennalem hanc legationem fuiſſe, ſignificare, quod & in hymno 3. & in Epiſtola 41. idem Syneſius inſinuat, deſignatque anno, quo Conſtantinopoli diſceſſit, Aurelianum Conſulem fuiſſe. Geſſit hic Conſulatum Stilicone Collega anno 400. quare annus 398. triennii illius primus, annus vero 400. ultimus fuit. Arcadius anno 383. XVI. Kalendas Februarias a Theodoſio patre Auguſtus dictus eſt, annoque 395. eidem XVI. Kal. Februarii demortuo ſucceſſit. Anno 397. Quindecennalia Imperii vivente patre ſuſcepti celebravit, eo enim anno Theophanes habet: *hoc anno ſexto menſis Pauni Kalendas* (hoc eſt die vigeſima prima Maii) *Sancti Prophetæ Præcurſoris & Baptiſtæ Joannis Reliquiæ Alexandriam translata ſunt*. Anno autem 399. Quinquennalia Imperii poſt patris mortem initi idem imperator edidit, quod ex iis, quæ idem Theophanes eodem anno habet, colligitur: *Arcadius Imperator militum Numerum, quos dixit Arcadicos, Conſtantinopoli inſtituit*. Ea itaque Oratio iis in Quinquennalibus habita. In Codice Theodoſiano lib. 7. tit. 1. *de re militari* l. 17. revocari ſuos quoſque ad numeros (ita tunc legiones vocatæ,) & Sedes, tam Præſentales, quam Provinciales milites ab Arcadio jubentur Kalendis Februariis, anni 389. Et Syneſius in eadem Oratione inter alios defectus exitium Imperio Orientali minantes, ponit hanc vagandi militum licentiam. Pagina enim 22. agens de Barbaris militibus, quorum opera tunc Imperator utebatur, ſubjicit: *At ne quidem contrarius illis* (Barbaris) *vires opponere; & perinde ac ſi illorum* (vires) *noſtra eſſent vocationem a militia poſtulantibus indulgere, cæteraque qui in regione verſantur, aliis rebus occupari permittere, quid aliud eſt quam hominum ad interitum feſtinantium?* Natale Imperii ab Arcadio vivente patre initi incidit in diem decimum ſeptimum Januarii, quare eo die, anno 390. ea Oratio habita, cujus fructus ea Arcadicorum militum inſtitutio. Petavius anno 397. aut 398. recitatam ſcribit, ſed cum priori illo anno nullam in his feſtivitatibus Arcadius celebrarit, annoque 398. nondum Conſtantinopolim perveniſſet Syneſius (alioquin ſi eo anno Orationem illam menſe Januario recitaſſet, tanto poſtea tempore ibidem commoratus non fuiſſet,) ſequitur præfato tantum anno eam dictam eſſe.

VIII. *Urbes annis quibus hæ feſtivitates celebrabantur conſtructæ.*

Variis enim exemplis in Conſulatuum Cæſareorum Rationario legendis liquet, annis, uti jam inſinuavimus, quibus hæ feſtivitates edebantur, Urbes aut conſtructas, aut reparatas fuiſſe; unde Geographia non tantum nummorum cognitione, quod docuit Spanhemius lib. de præſtantia, & uſu Numiſmatum, ſed etiam Vicennaliorum, & id genus feſtorum notitia locupletari in poſterum poterit. Neque enim ſatis eſt Geographo ſitum urbium declarare, ſed & earum fundationis tempus, quando illud ſciri poteſt, accurate notare debet. Scribit Euſebius in Chronico anno Abrahami 2237. *In Palæſtina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, urbs condita eſt, legationis induſtriam pro ea ſuſcipiente Julio Africano ſcriptore temporum*. Deſinit is annus Abrahami in anno Chriſti 222. quo quartus Heliogabali annus cœpit. Anno ſequenti Alexandro Severo Collega idem Heliogabalus Conſulatum quartum geſſit, Pridieque Nonas Martias interfectus eſt. Quare ea legatio ab Africano anno 222. ſuſcepta, non vero anno 221. ut perperam Petavius in Chronico, eaque urbs non ab Heliogabalo, ut videtur, ſed ab Alexandro Severo ejus ſucceſſore reædificata. Cum enim Heliogabalus Quinquennalia menſe Junio, anni 222. edere deberet, miſſus ad eum Africanus, qui eam civitatem inſtaurandam peteret, ſed eo ineunte Martio occiſo, initio Imperii Alexandri urbs denuo conſtructa. De ea videndus Valeſius in notis ad Sozomenum lib. 5. cap. 22.

IX. *Annus Vicennalium Conſtantini annum conditus Conſtantinopoleos indicat.*

Longa celebrioris civitatis ædificatæ tempus, certiuſque, ejuſdem regulæ beneficio e tenebris eruitur. Ea eſt Conſtantinopolis cujus dedicationem in annum 330. in quem quinta Conſtantini Magni Quinquennalia incidebant, factam fuiſſe inter omnes convenit, ſed de cujus conditus anno magna inter viros doctos controverſia. Petavius in Chronico, & Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani ejus fundamenta jacta ſcribunt, anno, quo Januarius, & Juſtus Conſulatum geſſere, qui Chriſti fuit 328. quod auctor Chronici Alexandrini habet: *His Coſſ. Conſtantinus Roma profectus & Nicomedia Bithyniæ metropoli moratus, ſæpeque Byſantium profectus, primum Byſantii murum inſtauravit, magnamque partem ad veterem murum adjecit, novumque cum eo conjunxit, urbemque ipſam Conſtantinopolim dixit. Circum, novis ex ære ſtatuis exornavit, omnique arte tribunal, ubi Imperator ſpectacula faceret, ad Romani theatri formam perfecit &c.* apud eundem Auctorem legenda. Sed cum Conſtantinus Magnus nulla hoc anno ſolemnia ediderit; hujus Civitatis conditus ad annum Vicennaliorum ejus, vel Nicomediæ vel Romæ actorum, pertinet, quod quidem juxta noſtram regulam neceſſario dicendum. Et attentis adminiculis, quæ eidem ſuffragantur, non dubium quin anno 325. poſt Vicennalia Nicomediana urbs fundata fuerit. Socrates enim lib. 1. cap. 16. ait: *celebrata igitur feſtivitate publica Vicennaliorum ſuorum, ſtatim ad Eccleſiarum inſtaurationem, omne ſtudium ſuum contulit, idque tum in aliis civitatibus præſtitit, tum in urbe ſibi cognomine. Quam quidem Byſantium antehac appellatam magnopere amplificavit, & ingentibus cinctam muris, variiſque ædificiis exornatam, Reginæ urbium Romæ exæquans, Conſtantinopolim nominavit; utque nova Roma vocaretur, lege ſanxit*. In eundem annum conditum ejus conjiciunt Sozomenus, Theophanes, Nicephorus, & Cedrenus, licet hi duo poſtremi conditum cum Encæniis & Dedicatione imperite confundant. Ac Julianum Imperatorem Or. 2. in ea ſententia fuiſſe, ex Philoſtorgio lib. 2. cap. 9. elicio. Ait Julianus de Conſtantino: *Poſtquam vero Dominus omnium eſt conſtitutus, tum ſui nominis urbem infra decem annos extruxit*. Parte alia Philoſtorgius ait: *Conſtantinum octavo & viceſimo Imperii ſui anno ex Byſantio Conſtantinopolim condidiſſe*. Annus viceſimus octavus Conſtantini abſolvitur anno Chriſti 334. a quo per decem annos retrocedendo, pervenitur ad annum 325. quo juxta Julianum civitas condi cœpta. Allatius lib. 1. de conſenſu Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis cap. 14. qui in hoc arcanum non penetrabat, ait legendum eſſe ἐν τῷ εἰκοστῷ, id eſt, *anno viceſimo*, ne tam miro, inquit, anachroniſmo res conturbaſſe Philoſtorgium aſſignare cogamur. Sed fruſtra, locus purus eſt, Philoſtorgiuſque de anno, quo abſoluta Conſtantinopolis, non de eo quo ejus fundamenta jacta, loquitur. Denique hanc noſtram ſententiam confirmat Auctor Chronici Alexandrini, qui anno 361. quo Julianus Cæſar Quinquennalia celebravit, ſcribit: *Encænia magnæ Eccleſiæ ejuſdem urbis Conſtantinopoleos celebrata ſunt, anno trigeſimo quarto plus minus, quam fundamenta Conſtantinus victor Auguſtus jecerit. Acta ſunt Encænia XVI. Kal. Martias, qui dies eſt menſis*

Pero-

Parilii, ſeu Februarii XIV. Si a die 14. Februarii anni Chriſti 361. per annos triginta quatuor retrocedas, perveniet ad menſem Februarium anni Chriſti 326. Quare eo anno, vel potius ſuperiori exeunte, illius Eccleſiæ fundamenta jacta: quo loco non tantum confirmatur Eccleſias annis quibus hæc ſolemnia celebrarentur, & extructas & dedicatas fuiſſe. Sed prætereà urbem Conſtantinopolim in prioribus vel ſaltem in poſterioribus Conſtantini Magni Vicennalibus conditam fuiſſe, ideoque quæ idem Auctor Chronici Alexandrini anno 328. ſcribit intelligenda eſſe de ejuſdem operis continuatione, non vero de priori ejus fundatione: Ideo porro plura egregia ædificia anno eodem peracta, quia Conſtantius Cæſar, qui anno 323. eo honore decoratus fuerat, Quinquennalia ſua celebravit; at Conſtantinum M. extra ſolemnia a ſe edita, urbem ſui cognominem condere cœpiſſe prorſus incredibile; eo magis, quo non niſi in propriis id genus feſtivitatibus, ejuſdem encænia celebrarit.

X. *Decennaliorum ope Inſcriptiones explicatæ.*

Non parum denique Decennaliorum, & id genus feſtorum notitia ad epigraphas, quæ in nummis & marmoribus leguntur, explicandas conducit. Ejus beneficio intelligimus hunc nummum v. g. quem Scaliger in Notis Euſebianis retulit, recte a Valeſio in notis ad lib. 16. Ammiani expoſitum fuiſſe. Legitur in eo: IMP. CÆSAR TRAIANUS HADRIANUS AUG. P. M. TR. P. COS. III. PP. ANNO DCCCLXXIV. NAT. URBIS R. CIR. CON. S. C. Id eſt, *Natali urbis Romæ Circenſes concesſi Senatusconſulto.* Incipit is annus Urbis in anno Chriſti centeſimo viceſimo primo, in quem Quinquennalia ejuſdem Imperatoris incidebant. Quare recte ea verba adhibita ad horum verborum Ammiani lib. 16. interpretationem, oſtendendumque *urbis templum* hoc anno ædificatum fuiſſe; *Et urbis templum* (inquit Ammianus loquens de iis, quæ Conſtantius Auguſtus Romæ videre geſtiebat,) *forumque pacis, & Pompeii theatrum, & odeum &c.* Quo & egregie pertinere oſtendit, quod ſcribit Athenæus lib. 8. cap. 16. Ἰούλιον δὲ ἦν ἑορτή, τὰ Παρίλια μὲν πάλαι καλούμενα, νῦν δὲ Ῥωμαῖα τῇ τῆς πόλεως τύχῃ ναοῦ καθιδρυμένου ὑπὸ τοῦ βασιλέως Ἀδριανοῦ. ἐκείνην τὴν ἡμέραν κατ' ἐνιαυτὸν ἐπίσημον ἄγουσι πάντες ἑορτὴν οἱ Ῥώμην κατοικοῦντες, καὶ οἱ ἐνεπιδημοῦντες τῇ πόλει. Id eſt, *celebrantur enim Parilium dicta quondam feria, nunc Romanas appellant, extructo, dicatoque Fortunæ Urbis templo, ab optimo, & humaniſſimo Imperatore Hadriano. Eum ſcilicet diem cum ſolemni celebritate quotannis feſtum agunt, non ſolum Romani cives, ſed etiam quotquot externi homines tum Romæ ſunt.* Ex iis, inquam, verbis Valeſius ſibi elicuiſſe videbatur, Hadrianum eo anno Natalem urbis Romæ celebraſſe, eoque nomine vocari, exinde ſanxiſſe eum diem, qui antea Parilia erat dictus. Egregia explicatio, quam ejuſdem Imperatoris Quinquennalia certam reddunt, quæ tamen ſi ad eadem non reſpicias, infirma erit. Annis ſiquidem quibus hujoſmodi ſolemnia peragebantur, & templa conſtrui ac dedicari, & nova induci in more poſitum erat, quemadmodum jam obſervavimus, unde conjectura Valeſii optima. In eo is tantum errat, quod ſcribat id actum Olympiad. 225. anno 2. qui erat, inquit V. Imperatoris Hadriani. Præfato enim anno urbis, cœptus tantum annus primus Olympiad. 225. quintuſque ejuſdem Imperatoris. Erratum pariter a Calviſio in ſuo opere Chronologico, Petavioque in Chronico qui ſcribunt Hadrianum, rebus Urbis Italiæque compoſitis anno Chriſti 120. ad luſtrandas Orbis Romani Provincias, profectum eſſe: ac primo in Galliam, & Germaniam: deinde in Britanniam, ac anno 123. in Orientem tranſiiſſe. Neque enim, quemadmodum ex præfata Epigraphe deducitur, ante annum centeſimum viceſimum primum Roma diſceſſit Hadrianus; neque tardius in Orientem, quam anno centeſimo viceſimo ſecundo profectus eſt, uti tam ex Euſebio in Chronico, quam ex Chronici Alexandrini auctore diſcimus. Quare anno 121. ejus Quinquennalibus dicato, in Gallias, & Germaniam, indeque in Britanniam tranſiit, in qua *murum per octoginta millia paſſuum primus duxit, qui Barbaros Romanoſque divideret*, inquit Spartianus in ejus vita cap. 11. Quod autem in præfato nummo Hadrianus *Pater Patriæ* dicatur, exiſtimo id potius privatorum ſtudio, ac conſuetudine, quam authoritate publica actum fuiſſe juxta dicta capite quinto num. IX.

XI. *Inſcriptiones duæ Decennalium ope explicatæ.*

Decennaliom paritar beneficio, quo anno variæ Inſcriptiones dicatæ ſint, intelligimus. Onuphrius in libro II. Faſtorum anno Urbis 1058. Epigraphen refert. Quæ legitur in marmore, Romæ in Thermis Diocletiani, effoſſo.

CONSTANTIUS. ET. MAXIMIANUS. INVICTI. AUGG.
SEVERUS. ET MAXIMINUS CAESS.
THERMAS. ORNAVER. ET. ROMANIS. SUIS. DEDICAVER.

Refert aliam in eandem rem Triſtanus Tom. 3. pag. 424. quæ Romæ apud templum S. Suſannæ extat.

DD. NN. DIOCLETIANUS ET MAXIMIANUS INVICTI
SENIORES AUGUSTI PATRES IMPERATORUM ET
CAESARUM CONSTANTIUS ET MAXIMIANUS
INVICTI AUGG. SEVERUS ET MAXIMINUS
NOBILISSIMI CÆSARES. THERMAS FELICES
DIOCLETIANI AUG. FRATRIS SUI NOMINE
CONSECRAV. COEPTIS ÆDIFICIIS PRO TANTI
OPERIS MAGNITUDINE OMNI CULTU
PERFECTAS ROMANIS SUIS DEDICAVERUNT.

Thermæ Diocletianeæ anno 302. quo Conſtantius Chlorus & Galerius Maximianus Cæſares Decennalia celebrarunt, conſtructæ, quemadmodum in Faſtorum Rationario diximus. Cum vero Severus & Maximinus Kalendis Maiis anni 305. Cæſares renunciati fuerint, Conſtantiuſque Auguſtus anno 306. octavo Kalendas Auguſti obierit, eædem Thermæ alterutro anno dedicatæ. Sed cum idem Conſtantius & Galerius Maximianus anno 306. Cæſarei Imperii Quindecennalia celebrarint, manifeſte liquet eodem anno, non vero 305. eaſdem dedicatas, quod non niſi Regularum noſtrarum ope dignoſci poteſt.

XII. *Explicatur Numiſma Diocletiani.*

Triſtanus tomo tertio pag. 341. egregium græcum Diocletiani nomiſma affert, quo eum quinto Imperii anno ineunte Quinquennalia celebraſſe diſcimus; hoc Faſtorum Conſularium ſeries non niſi valde imperfecte indicarat, Anno enim 288. quo quintus Imperii ejus annus inchoatus eſt, non ipſe, ſed Maximianus Herculius II. Januario Collega Conſulatum edidit; ex quo ſuſpicandi locus fuit, eo Imperatore Conſule, Diocletianum feſtum illud celebraſſe;

ſed

ſed Numiſma illud id manifeſte demonſtrat. Legitur in eo AK. Γ. AT. OT. ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟϹ CEB. Id eſt, *Imperator Cæſar Cajus Aurelius Valerius Diocletianus Auguſtus*. Viſitur in eo idem Imperator Lauro coronatus, & in averſa parte figura ſtans quæ in ara ſacrificat, ac præterea hæ literæ: L. E. id eſt, *anno quinto*. Quæ figura, vel etiam Veſta ſacrificans in nummis, in quibus hujuſmodi vota diſtincte exprimuntur, (uti v. g. in nummo Marci Aurelii ab Occone relato, in quo Tribunitia ejus Poteſtas XXV. notatur, ac illius vota ſuſcepta Decennalia ſecunda memorantur, Veſtaque ſacrificans coram ara ſculpta eſt,) ſæpe exhibetur: cujus rei varia exempla in Faſtorum Rationario videre eſt. Et tamen idem Triſtanus, qui non adverterat plura Imperatorum numiſmata ad ea ſolemnia reſpectum habere, perperam dicit figuram hanc ab alicujus civitatis, in qua pluribus ſacrificiis pietatem Diocletianus oſtentarat, incolis poſitam fuiſſe; indeque de expenſis ab eodem in ſacrificiis factis, aliiſque hujuſmodi diſſerit, quæ parum ad iſtius numiſmatis explicationem faciunt.

XIII. *Explicatur Numiſma Probi.*

Idem Triſtanus eodem tomo pag. 298. Probi Imperatoris nummum exhibet, in cujus poſtica parte viſitur templum octo columnarum; in eoque figura ſedens dextra victoriolam, ſiniſtra haſtam tenens, ac circum legitur, ROMÆ AETER. Quod numiſma in ejus Quinquennalibus cuſum. Quod eo magis exiſtimandum, quo aliud ejuſdem Imperatoris referat idem auctor, in quo Probus radiis coronatus conſpicitur, ac veſte Conſulari, quæ Palmata dicebatur, indutus, & in cujus poſtica parte viſitur etiam templum in quo Imperator ille a Victoria coronatur. Is enim in quarto ſuo Conſulatu Quinquennalia edidit, & quia aliquod templum in honorem Romæ, quæ tanquam Dea colebatur, conſtruxerat, illud in nummis anno quo feſtum illud edidit, percuſſis, repræſentatum. In iis ſiquidem qui annis quibus hæc feſta celebrata, percuſſi fuere, ſæpe templa repræſentata fuiſſe, ex iis quæ in Faſtorum Rationario dicemus manifeſtum fiet. Occo pag. 260. Nummum Antonini refert in quo is dicitur. Trib. Pot. XV. Coſ. IIII, & in cujus poſtica parte cernitur templum octo columnis ſuffultum ac circum TEMPLUM DIVI AUG. RESTITUTUM. Cuſus iſte anno 152. quo eumdem Imperatorem Quindecennalia celebraſſe, oſtendemus. Quare non dubium quin præfatus Probi in ejus Quinquennalibus percuſſus fuerit, ipſeque eo anno aliquod templum, aut ædificarit, aut dedicarit; & tamen idem Triſtanus ſcribit, poſtquam Gentes barbaras idem Imperator domuiſſet, Romanos ſibi in animum inducentes eum Æternum futurum, in hujus opinionis argumentum, Romæ Deæ ſub Æternæ titulo templum ædificaſſe, præfatiſque Numiſmatis Signum illud impreſſiſſe: quæ explicatio omnino improbabilis.

XIV. *Explicatur Numiſma Aureliani.*

Denique idem Triſtanus pag. 254. nummum græcum Aureliani refert, in quo is laurea coronatus delineatur; & in poſtica parte repræſentatur Aquila Coronam gerens, inter duo ſigna militaria poſita, cum duobus captivis in inferiori parte nummi. Circum ſcribitur: L. Δ. id eſt, *anno quarto*. Ait is Auctor eam Aquilam, ſigna, captivoſque, Imperii Romani gloriam ab Aureliano in priorem ac antiquum ſtatum reſtitutam ſignificare; prætereaque eoſdem captivos eum Orientem & Occidentem recuperaſſe oſtendere. Sed his nimis tenuiter nummus ille explicatus. Cuſus is anno Chriſti 274. cujus initio Aurelianus Quinquennalia edidit; ideoque annum fere anticipavit. Poſt enim ejus Roma eodem anno diſceſſum plura ab eo acta, quam ut intra paucos menſes perfici potuerint.

Eo autem anno cuſum ex eo colligitur, quod in nummis vota Quinquennalia, aliaque id genus expreſſis verbis repræſentantibus, duo captivi ſigno militari aſſidentes plerumque cernuntur, ut aliquot exemplis in Faſtis digerendis oſtendimus, & Conſtantini Magni nummus, qui apud Triſtanum loco laudato pag. 530. extat, fidem facit. Eumdem is Imperatorem galeatum exhibet, ac in averſa parte hæc verba: VIRTUS EXERCIT. cum Labaro & Signo militari, in quo ſcriptum eſt: VOT. XX. in cujus ſigni pede duo captivi ſedent. In nummis itaque annis hujuſmodi feſtivitatibus dicatis, percuſſis, qualis ille, qui in Decennalibus vel Vicennalibus Conſtantini cuſus fuit, captivi ſedentes, victoriæ, aliaque id genus ut plurimum repræſentantur. Ex quorum cum præfato Aureliani convenientia intelligimus non tantum ante mortem hunc Imperatorem Quinquennalia edidiſſe, ſed etiam eadem anticipaſſe.

XV. *Error Antiquariorum in Numiſmatum deſcriptione.*

Valde igitur, ut his tandem finem imponam obſervanda, quæ in nummis Quinquennalia vel Decennalia diſtincte exprimentibus repræſentantur, quove anno ii percuſſi. Nihil enim ad alios in ſimilibus ſolemniis cuſos, neque votis Quinquennalibus aut Decennalibus conceptis verbis ſignatos explicandos magis conferre poteſt. Unde iis Antiquariis, qui non niſi fere averſas numiſmatum partes, aut ſub unica alicujus Imperatoris effigie eorum plures variis plerumque annis cuſas exhibere ſolent, non ſuccenſere non poſſum, cum hoc pacto non ſibi tantum, ſed & aliis ad eorum ænigmata ſolvenda viam præcludant; & quod pejus, Lectorem incautum in errorem inducant. Qui itaque rei adeo utili operam navare voluerint, ab ea agendi ratione prorſus cavere debent, ac Sebaſtianum Erizzum imitari, qui quæ in antica parte leguntur, prius deſcribit, ac dein quæ in poſtica explicat; parum curans ſæpius ejuſdem Imperatoris titulos repetere, modo eos, uti ſe habent, repræſentet, & cuilibet averſæ parti anticam ſuam aſſignet. In errorem non diſſimilem ii etiam non raro incidunt, qui vetera Manuſcripta ſummo literarum emolumento e tenebris eruunt, publicique juris faciunt. Cum enim veteris ſcripturæ quantomvis perverſæ veſtigia bona fide referre, ipſoſque etiam nævos ac maculas repræſentare deberent, ut aliis occaſionem conjectandi ſæpe veriora, quam quæ ipſi, præberent; fracta ſuo modo interdum reſtituunt; Lacunas ex conjecturis ſuis ſupplent; efficiuntque ut Manuſcripta tædioſe revolvere non raro neceſſe ſit. Quamobrem utrorumque cura ac diligentia deſideratur; expeditque, ut tam numiſmata, quam Manuſcripta, eo quo diximus modo, deſcribantur; cum verum ſit illud quod Seneca prodit, *in quo prata non niſi lacertam alter invenit, poteſt alter leporem capere*.

CAPUT SEPTIMUM

Aliquot Imperatorum Decennalia, & id genus feſta, de quibus major difficultas eſſe poteſt, explicantur.

I. *Quinquennalia, & id genus feſta proprie a Tiberio incipiunt.*

Quia omnium Quinquennalium, & id genus feſtorum a Cæſaribus, Imperii Collegis, & Auguſtis celebratorum ſeriem exhibere decrevi, ex iiſque aliqua ſunt, de quorum anno major controverſia eſſe poteſt, ideo hic ea ſeorſim examinanda. Illa quidem, uti jam diximus, ab Auguſto, qui per intercisa Decennia & Quinquennia Imperium ſuſcepit, originem ducunt, ſed cum Tiberius ex Imperatoribus primus fuerit, qui ſemel in perpetuum il-

lud

tud acceperit, quique Senatus-conſulto ſibi ad tempus illud decerni paſſus non fuerit, hæc ſolemnia proprie ab eo incipienda. διελθόντων δὲ τῶν δέκα ἐτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτῷ ψηφίσματος μὲν ἐς τὴν ἀνάληψιν αὐτῆς οὐδενὸς ἐδεήθη· οὐ γὰρ ἐβούλετο, κατατέμνων αὐτὴν ὥσπερ ὁ Αὔγουστος ἄρχειν, inquit Dio lib. 57. *cum decem anni abiiſſent Imperii, non eguit Senatuſconſulto ad recipiendum illud. Neque enim petebat imperare interſcindens ipſum Imperium, ut Auguſtus.*

II. *Decennalia & Vicennalia Proconſularis Imperii Tiberii.* Cum ex Clemente Alexandrino, ut prima parte hujus Diſſertationis cap. 3. oſtendimus, Proconſulare Imperiom eidem Tiberio anno Chriſti decimo, quinto Kalendas Septembris collatum fuerit, ejuſdem Imperii Decennalia in annum Chriſti viceſimum, Vicennalia vero in annum triceſimom incidebant. Et tamen, ut videre eſt in Faſtis, anno viceſimo primo, ac rurſus triceſimo primo Conſul proceſſit, & juxta ſecundam Conſularoum Cæſareorum regulam, eadem ſolemnia edidit. Ex quo ſequi videtur anno Chriſti undecimo illud Imperium ei conceſſum fuiſſe. Sed quia Clemens Alexandrinus neque in die, neque in menſe erravit, non videtur etiam in anno erraſſe, eo magis quo Suetonius in Tiberio, ubi cap. 20. dixit: *dedicavit & Concordiæ ædem*, quod menſe Januario ejuſdem anni factum, ſtatim de eodem Imperio Tiberio collato ait: *ac non multo poſt lege per Conſules lata, ut Provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret &c.* Breve itaque tempus inter eam nuncupationem & dedicationem interceſſit. Præterea Dio lib. 56. de rebus M. Æmilio Lepido & Statilio Tauro Conſulibus, anno nempe Chriſti undecimo geſtis, Tiberium Proconſulem vocat; *Tiberius & Germanicus, cui pro Conſule erat Imperium, impreſſionem in Germaniam fecerunt*. Ac paulo poſt: *Ludis in honorem Natalium Auguſti actis, in Italiam reverſi ſunt*. Ubi vides initio anni Chriſti undecimi Tiberium Proconſulem vocari, argumento, quia anno ſuperiori quinto Kalendas Septembris eo honore decoratus fuerat, cum enim de die nulla difficultas eſſe poſſit, Tiberius non diceretur a Dione Proconſul initio anni Chriſti undecimi, ſi quinto tantum Kalendas Septembris ejuſdem anni Proconſulare Imperium accepiſſet: eo magis quo expeditio finita fuit nono Kalendas Octobris, in quem Natale Auguſti incidit. Non videtur igitur a ſententia Clementis recedendum; ob idque dicendum, vel Tiberium anno Chriſti viceſimo & triceſimo Decennalia & Vicennalia celebraſſe, & Conſulatum in annum viceſimum primum; & triceſimum primum diſtuliſſe, vel tam Conſulatum, quam eadem ſolemnia in eoſdem annos rejeciſſe, vel denique Tiberio imperante ſecundam Conſulatuum Cæſareorum regulam non ita ſcrupuloſe obſervatam, eoſque Conſulatus ob alios fines ſuſceptos. Qua de re plura in ordinatione Conſulum dicemus.

III. *Antoninus Pius Auguſtei Imperii Vicennalia uno anno diſtulit.* Cæſarum Decennalia in Antonini Pii nummis primum diſtincte ſcalpta fuiſſe jam diximus. Factus eſt is Collega Imperii quinto Kalendas Martias anni Chriſti 138. eodemque anno, die decima Julii in Hadriani demortui locum ſucceſſit. Quare tam Proconſularis, quam Auguſtei ejus Imperii Vicennalia anno Chriſti 157. aut ſequenti de more celebranda erant. Et quidem Proconſulatis imperii Vicennalia anno viceſimo exacto edita fuiſſe, docet nummus ab Onuphrio lib. 2. Faſtorum & Occone laudatus, in quo legitur: ANTONINUS AUG. PIUS P. P. TR. P. XXI. & in poſtica: VOTA SOL. DEC. II. COS. IIII. At Imperii Auguſtei Vicennalia uno anno diſtulit, quod ex nummo ab utroque laudato colligitur. Signatur ille: ANTONINUS AUG. PIUS P. P. TR. P. XXII. & in everſa parte: VOTA SUSCEPTA DEC. III. exiſtimabat idem Onuphrius Antoninum anno Chriſti 158. quinto Kalendas Martias, quo Tribunitiam Poteſtatem XXI. iniit, vota Decennalia ſecunda ſolviſſe, & anno 159. eadem die Tribunitia poteſtate XXII. inchoata, vota Decennalia tertia ſuſcepiſſe: quem recte Noriſius diſſertat. de votis Decennal. cap. 3. confutat, quod eadem die vota ſolverentur, & nova in alterum Decennium conciperentur: quod ex Plinio lib. 10. Epiſt. 44. ab eodem Trajano ſcripta probat: *ſolemnia vota pro incolumitate tua, qua publica ſalus continetur, & ſuſcepimus Domine pariter & ſolvimus*. Qua de re plura Idem Noriſius, qui non alio modo nodum ſolvit, quam dicendo Hadrianum nonniſi anno Chriſti 139. demortuum, idcoque Antoninum Pium legitimo tempore Auguſtei Imperii Vicennalia celebraſſe, cum Tribunitiam Poteſtatem primam anno 138. ſuſcepiſſet. Sed hæc viri doctiſſimi ſententia de Hadriani morte priori hujus Diſſertationis parte penitus a nobis everſa eſt, ideoque Antoninum Pium ea Vicennalia anno non legitimo peregiſſe certum, indubitatumque. Cujus rei alia exempla mox occurrent.

IV. *Quinquennalia; & id genus vota Commodi explicantur.* Commodus Marci Aurelii filius morem hæc ſolemnia cum Trabea Conſulari edendi, qui jam in deſuetudinem abierat, renovavit; cujus exemplum ſucceſſores, præſertimque Imperatores Orientales imitati ſunt. Is a Marco Aurelio patre anno 175. Piſonis & Juliani Conſulatu notato, die & menſe incertis, non tantum Tribunitia poteſtate, ſed & quod hactenus nemini obſervatum, Imperio Proconſulari decoratus eſt. Primum a Noriſio recte ſtabilitum; ſecundum vero ex nummis, in quibus ejus Quinquennalia, Decennaliave annotata, manifeſte deducitur. Neque enim hæc ſolemnia celebrata, niſi vel ob Imperium Cæſareum, vel ob Imperium Proconſulare, vel denique ob Imperium Auguſteom. Neque Auguſtus, nec Tiberius, neque quiſvis alius propter ſolam Tribunitiam poteſtatem hujuſmodi feſta peregit, ut notum eſt. Verum quidem eſt in hac ſecunda Imperii Romani adminiſtrationis forma nullum alium Collegam me deprehendiſſe, ſed hunc ea dignitate donatum, ac anno poſt, quinto Kalendas Novembris, ut docet Lampridius in ejus vita cap. 12. a patre Auguſtum nuncupatum, tandemque eidem anno 180. ſucceſſiſſe, indubitatum eſſe debet. Quare juxta Numiſmata ab Occone relata ſic hujuſmodi ſolemnia a Commodo celebrata ordinari debent. Anno 180. quo Antiſtio Burrho Collega tertium Conſulatum geſſit, Imperii Proconſularis Quinquennalia celebravit. In nummo enim ejuſdem Imperatoris legitur: VOTA DECEN. SUSC. TR. P. VI. IMP. IIII. COS. III. P. P. S. C. qui Conſulatus oſtendit Noriſium decaptum fuiſſe, quando ſcripſit hæc Quinquennalia anno præcedenti, quo nondum eum Commodus inierat, celebrata fuiſſe. Nam quod idem vir doctiſſimus eum nummum ad Quinquennalia Auguſtei Imperii vivente patre ſuſcepti referat, factum id ex communi errore, in quo omnes huc uſque verſati ſunt, eundem nempe Commodum Imperii Collegam non fuiſſe. Hujus feſti index ac ſignum quod in Chronico Alexandrino eodem anno legitur: *His Coſſ. Antiochia Artabanus bono conſenſu populo in æde Daphnes nuncupata, ſportulas (locus non eſt integer, & Cereris æterna ſeſtunculas, ſeu panum fragmina magnifice & ambitioſe ſparſit, paneſque illos politicos ſeu civiles appellavit, eo quod civibus ſuis eos impertiſſet, ad eamque rem perpetuandam ex ſuis prædiis, annuos ſumptus deſtinavit, qui ſportulis illis ærarium æqua ratione reſponderent. Viciſſim Antiocheni Artabano in Daphne ſtatuam cum hac Inſcriptione poſuere:* ARTABANO MEMORIA SEMPITERNA. Jam

enim

enim diximus in annos hujuſmodi ſolemniis conſecratos res novas, aut memoria æterna dignas ſæpe reſervatas; ac in iiſdem ſtatuas, obeliſcos, & id genus alia erecta fuiſſe. Celebrata porro hæc Quinquennalia die decima ſeptima Martii Auguſtei Imperii poſt patris mortem initi Natali; alioquin non anno 182. ſed præcedenti ea edita eſſent, ut patet. Tum anno 183. quo Victorino Collega quartum Conſulatum geſſit, ſecunda Quinquennalia Imperii nempe vivente patre ſuſcepti celebravit Commodus. Hujus Imperatoris nummum exhibet Occo in quo legitur. VOTA DECENN. SUSC. TR. P. VIII. IMP. VI. COS. IIII. P. P. S. C. Cœpta ab eo Tribunitia poteſtas octava anno 182. ideoque anno ſequenti illud feſtum celebratum die etiam Natali Imperii patre vivente adminiſtrati. Ex quo & ea uno anno diſtuliſſe manifeſte patet. Denique anno 184. tertia Quinquennalia, Imperii nempe poſt patris mortem obiti, celebravit, eodem pariter Natali die, XVII. ſcilicet menſis Martii. Liquet id ex nummo, qui apud eumdem Occonem extat, in quo legitur: VOTA SUSCEP. DECEN. P. M. TR. P. VIIII. IMP. VII. COS. IIII. P. P. S. C. vides in omnibus nummis memoratis vota Decennalia ſuſcepta legi, quia, uti oſtendimus, in Quinquennalibus vota Decennalia nuncupabantur, & quinto poſt anno, nempe in Decennalium feſto, eadem ſolvebantur.

V. *Decennalia & Quindecennalia Commodi.* Porro quemadmodum tria Quinquennalia, ita & tria Decennalia idem Imperator edidit. Priora anno 185. die etiam XVII. Martii, uti hæc epigraphe demonſtrat: PRIMI DECENN. P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. IIII. P. P. S. C. Suſcepta decima Tribunitia poteſtas a Commodo anno 184. quo, eodem die tertia Quinquennalia edidit, quare priora Decennalia nonniſi anno ſequenti ab eo peracta, eo magis quo diverſis annis hujuſmodi ſolemnia exhibere ſolitus fuerit. Secunda Decennalia quinto Kalendas Novembris, Imperii vivente patre geſti anno 186. quo Glabrione collega quintum Conſul proceſſit, celebravit, quemadmodum liquet ex nummo, qui apud Occonem extat: VOT. SOL. DEC. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. Ex quo & colligitur eum anno 175. ante diem quintum Kalendas Novembris Tribunitia poteſtate & Proconſulari Imperio cohoneſtatum fuiſſe, alioquin anno 186. eodem die prioris Imperii Auguſtei Natali nondum Tribunitiam poteſtatem XII. aſſequutus fuiſſet; ex dictis vero ſupra conſtat poſt diem decimam ſeptimam Martii poſterioris Imperii Auguſtei natalem, eam illi dignitatem conceſſam, aliter ſecunda Quinquennalia, v. g. anno 183. in ſuo quarto Conſulatu, & in Tribunitia poteſtate octava, quam certum eſt iniiſſe anno 182. non celebraſſet, ſed in nona Tribunitia poteſtate, quam præfato anno 183. ante diem decimam ſeptimam Martii inchoaſſet. Tertia Decennalia Commodus ſolvit anno 190. quo, Petronio Septimiano Collega, ſextum Conſulatum edidit; quod ipſemet Conſulatus oſtendit. Profert hanc in rem Noriſius nomiſma ejuſdem Imperatoris, quod apud laudatum Antiquarium pag. 326. in corona quercea hanc Inſcriptionem præfert: VOT. XX. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. S. C. additque, Anno Epochæ Chriſtianæ 190. idem Auguſtus fuit Conſul ſextum, quo anno deſinente decennio, ex quo patre defuncto rei Romanæ adminiſtrationem acceperat, vota Decennalia ſolvit, & Vicennalia nuncupavit. Eadem tamen ſolemnia dies aliquot anticipavit antequam annum Tr. P. XV. expleret. Hæc Noriſius. Sed incertum an præfatum numiſma in Decennalibus poſterioris ejus Imperii Auguſtei, an in ejus Imperii Proconſularis Quindecennalibus percuſſum fuerit; cum in illis

Apparatus in Baronium

ſolemniis vota XX. ſolverentur, in iſtis vero nuncuparentur; eſſetque is annus poſterioris ejus Imperii Auguſtei decimus, Imperii vero Proconſularis decimus quintus. Quia tamen videtur Commodus hæc Decennalia celebraſſe die XVII. Martii, poſterioris Imperii Auguſtei Natali, quo adhuc in curſu erat Tribunitia ejus poteſtas XV. ideo præfatus nummus ad ea referendus: eo magis quod ſi in ſexto ſuo Conſulatu in eo nummo annotato, anno nempe 190. Commodus Quindecennalia Imperii Proconſularis celebraſſet, vel utraque eodem die XVII. Martii edita fuiſſent præter ejuſdem Imperatoris morem; vel Tribunitiam Poteſtatem XVI. tunc geſſiſſet, eadem epigraphe reclamante. Ea itaque Quindecennalia anno præcedenti, ut videtur, geſta. Quoad id, quod addit idem vir doctiſſimus, Commodum ea ſolemnia dies aliquot anticipaſſe, patet eum falli exiſtimantem præfatum Imperatorem Tribunitiam poteſtatem ſuſcepiſſe, vel die quinto Kalendas Martias, qua eadem ornati fuerant Pater & Avus; vel certe Nonis Martiis die Natali Marci Aurelii patris. Ex dictis enim manifeſte liquet non niſi poſt decimum ſeptimum Martii ad Tribunitiam poteſtatem evectum Commodum; ideoque ea Decennalia legitimo tempore eſſe exhibita. Illud ſolum circa hujus Imperatoris ſolemnia mihi dubium reſtat, ne ſecunda Decennalia anno 187. die decima ſeptima Martii, qua adhuc Tribunitia Poteſtas XII. currebat, ediderit. (Eo enim anno, uti in Faſtis digerendis diximus, Thermæ Commodianæ Romæ dedicatæ ſunt,) & anno 186. in quinto ſuo Conſulatu id genus Feſtorum indicio, Imperii Cæſarei Tricennalia celebrarit. Nam ſic utraque tempora legitimo peracta fuerint; in ea tamen incerta in eodem Faſtorum Rationario ſcripſi eadem Tricennalia uno anno dilata fuiſſe: quod parum refert, modo certum maneat tam anno 186. quam anno 187. hujuſmodi feſta edita.

Valerianus & Gallienus anno 253. rei Romanæ adminiſtrationem ſuſcepere, annoque 257. quo Quinquennalia de more celebranda erant, Conſules proceſſere. Tum Gallienus Patre jam in captivitatem abducto, in quinto Conſulatu, quem Fauſtino Collega anno Chriſti 262. geſſit, Decennalia celebravit. Fallitur enim Noriſius qui ea in annum ſequentem differt, cum Pollio in Gallienis duobus cap. 5. Gallieni & Fauſtini Conſulatu memorato, poſtea cap. 8. quæ in ejus Decennalibus acta, refert, ac dein Nummii Ceionii Albini, & Maximi Dextri Conſulatu, qui in annum 263. convenit, prætermiſſo, narrat quæ geſta ſunt Gallieno & Saturnino Conſulibus, anno ſcilicet 264. ex quo ultimo Conſulatu Noriſius deducit ea Decennalia Albino & Dextro Conſulibus, anno nempe Chriſti 263. fuiſſe edita. Sed perperam; Conſulatus enim Gallieni ea anno 262. peracta fuiſſe manifeſtum facit, & indicat Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. cap. 23. qui ubi Macriani Tyranni mortem narravit, de Gallieno, qui Eccleſiæ pacem dederat, ait: *Religioſiſſimus vero Deique amantiſſimus Imperator ſeptennalem circulum jam emenſus, nonum Imperii annum degit, quo nos feſta celebraturi ſumus.* Id eſt, Decennalia celebrabimus. Ex quo ſecundæ Conſulatuum Cæſareorum regulæ utilitas magis oſtenditur, cum ex ea innoteſcat, quæ a Scriptoribus hiſtoriæ Auguſtæ proxime ante aliquem Conſulatum narrantur, ad immediatum Conſulatum præcedentem non ſemper pertinere. Quod & alio exemplo oſtendo. Capitolinus in Gordiano tertio cap. 23. ait: *Initium non diu imperaturi Gordiani hoc fuit, quod eclipſis ſolis facta eſt, ut nox crederetur.* Et paulo poſt: *Venuſto & Sabino Conſulibus inita eſt factio in Africa contra Gordianum tertium.* Ca-

VI. *Quo anno Gallienus Decennalia celebrarit.*

Google

dit is Conſulatus in annum 240. & nihilominus anno 239. nulla eclypſis viſa, ſed tantum annis 237. die 22. Aprilis, & 238. die ſecunda ejuſdem menſis. Sic Ammianus, ut ab Hadriano Valeſio in Præfatione ad ejus Opera, MSS. Codicum beneficio accurate emendata, obſervatum, paria Conſulum novem omiſit; & tamen res geſtas iis annis, quibus illi Faſtis nomen dedere, expoſuit. Nam ne rerum ſeriem interrumperet, bella duobus, aut etiam pluribus annis acta, continua oratione aliquando recenſet. Quare in legendis Scriptorum hiſtoriæ Auguſtæ libris, ne ea rerum narrandarum ratio nobis fucum faciat, cavendum.

VII. *Maximianus Herculius prius Cæſar, poſtea Auguſtus fuit.* Noriſius diſſert. de Numiſmate Impp. Diocletiani & Maximiani cap. 2. ſcribit Maximianum Herculium Vicennalia biennio anticipaſſe, ut eum Diocletiano, cujus Collega in Imperio erat, quique ineunte anno viceſimo, Chriſti nempe 303. Vota Vicennalia ſolvit, conveniret. Addens ſe vix in communem ſententiam trahi poſſe, quæ docet eundem Maximianum antequam Auguſtus fieret, Cæſaream dignitatem obtinuiſſe: quam poſtea ſententiam aliqui viri docti amplexi ſunt. Sed tam Maximianum, quam Diocletianum legitimo tempore ea ſolemnia ediſſe, & eumdem Maximianum Cæſaream dignitatem ante Auguſteam conſequutum fuiſſe, minime dubitandum, hoc enim poſtremum duobus in locis Eutropius lib. 9. & in totidem Oroſius lib. 7. docent. Quod & ii omnes confirmant, qui eum annos viginti imperaſſe ſcribunt. Aurelius Victor in Epitome: *ætate interiit ſexagenarius, annorum viginti Imperator.* Anonymus Valeſianus: *Diocletianus cum Herculio Maximiano imperavit annos viginti.* Idem habet Lactantius lib. de mortibus perſecutorum cap. 30. Incerti Panegyricus Maximiano & Conſtantino dictus cap. 8. habet: *Te rurſus viceſimo anno Imperatorem, octavo Conſulem itu ipſa amplexu quodam ſuo Roma voluit detinere, ut videretur augurari jam, & timere quod factum eſt.* Tum cap. 10. *Sed profecto exegit hoc varietas & natura fortuna ...... ut illa viginti annorum continua felicitas intervallo aliquo diſtingueretur.* Denique cap. 11. ſubjungit: *non potuiſti reſiſtere ſanctæ illius parentis* (nempe Romæ) *Imperio, & nutibus licet paruiſti, & te illis vigiliis illiſque curis, quas viginti annos expertus fueras, reddidiſti.* Firmat eandem ſententiam Codex Juſtinianeus, in quo multæ leges a Diocletiano & Maximiano datæ leguntur *Diocletiano II. & Ariſtobulo Coſſ.* Tum *Maximo ſecundo, & Aquilino Coſſ.* Id eſt, annis Chriſti 285. & 286. quo Kalendas Aprilis Auguſtus renuntiatus eſt.

VIII. *Licinius ex Cæſare factus Auguſtus.* Verum non tantum Maximianus Herculius prius Cæſar, quam Auguſtus nuncupatus eſt, ſed ii etiam omnes, qui a Marco Aurelio ad Valentinianum ſeniorem ab aliis Auguſtis Auguſtea dignitate donati ſunt. Quod Ammianus lib. 27. de Valente & Gratiano ab eodem Valentiniano Auguſtis factis docet: *In hoc tamen negotio Valentinianus morem inſtitutum antiquitus ſupergreſſus, non Cæſares, ſed Auguſtos Germanum nuncupavit & filium, benevole ſatis. Nec enim quiſquam antehac adſcivit ſibi pare poteſtate Collegam præter Principem Marcum, qui Verum adoptivum fratrem abſque diminutione aliqua majeſtatis Imperatorem ſocium fecit.* Ad quæ Verba Valeſius in Notis ſcribit: *Atqui nonne etiam Severus Baſſianum & Getam filios Auguſtos nuncupavit, teſte Herodiano in lib. 3.? Quod ſi quis ab exercitu, non autem a Severo appellatos Auguſtos cavillabitur, ut ſcribit Spartianus in Severo, imo Diocletiani exemplum opponam, qui Maximianum Herculium Collegam Auguſtus Imperii ſibi adjunxit. Sed reſponderi poteſt nec Diocletianum nec Severum Collegas ſibi Auguſtos ſtatim adſcivuiſſe, ſed initio Cæſares tantum, ut de Baſſiano quidem ac Geta ſcribit Spartianus, de Maximiano autem Eutropius. At Valentinianus fratrem ac filium, non Cæſares primum, ac deinde Auguſtos, ſed ſtatim Auguſtos creavit.* Cum itaque Ammianus tam Marci, quam Valentiniani factum tanquam novum & antea inauditum proponat, non ſolum Maximianum Herculium ſed & Licinium Seniorem ex Cæſare Auguſtos factos fuiſſe indubitatum eſſe debet. Licet id etiam de Licinio Noriſius, diſſertat. de Numiſmate Licinii & Baluzius in Notis ad Lactantium de mortibus Perſecutorum negent contra Victoris Schotti, Cedreni, & aliorum fidem; quam is dignitatem a Galerio Maximiano ex expeditione Italica reduce, paulo antequam Auguſtea exornaretur, anno 307. obtinuiſſe videtur.

IX. *Conſtantius Chlorus & Galerius Maximianus anno 292. Cæſares dicti.* Dicit Noriſius Eutropium erraſſe, quando ſcripſit: *Diocletianus Maximianum Herculium ex Cæſare fecit Auguſtum, Conſtantium & Maximianum Cæſares.* Pleno enim, inquit Quinquennii inauguratio Maximiani Auguſti, Cæſarum deſignationem anteceſſit. Sed non advertit vir doctiſſimus Eutropium diverſis annis geſta brevi, ut aſſolet, ſumma colligere, Idatiumque quem ſequitur, non minus errare in Cæſareo Imperii Conſtantii Chlori & Maximiani Galerii anno 291. conſignando, quam in Auguſteo Licinii anno 308. collocando. Cæſarum enim deſignationem anno 292. factam fuiſſe, patet ex Conſulatibus ab utriſque initis, quæ in annos Quinquennalium, Decennalium, & Quindecennalium eorumdem incidunt: quæ diſpoſitio Conſularis eorum etiam opinionem evertit, qui hanc nuncupationem in annum 293. conjiciunt, uti Baluzius in Notis ad librum de mortibus Perſecutorum. In edicto enim a Galerio Maximiano in favorem Chriſtianorum dato, & ab Euſebio lib. 8. cap. 17. relato, Galerius Maximianus dicitur TRIB. POT. XX. Quare Kalendis Martiis anni 292. idem Galerius & Conſtantius Cæſares creati fuerant, cum Edictum illud anno 311. poſt Kalendas Martias emiſſum fuerit; & ut habet idem Euſebius initio Appendicis de Martyribus Palæſtinæ, *poſt hujuſmodi confeſſionem vita ſimul & doloribus liberatus idem Galerius fuerit.* Idque poſt Kalendas Maias, ut nos idem Lactantius docet capp. 33. 34. 35. *Decimus & octavus annus agebatur*, inquit, *cum percuſſit eum Deus inſanabili plaga .... & hæc facta ſunt per annum perpetem ...... & jam deficiens edictum miſit ..... hoc edictum proponitur Nicomedia, pridie Kalendas Maias, ipſo octies & Maximino iterum Coſſ.* (qui Conſulatus in annum 311. cadit) .... *nec tamen ille hoc facto veniam ſceleris accepit a Deo ſed .... horrenda tabe conſumptus eſt. Idque cognitum Nicomediæ menſis ejuſdem, cum futura eſſent Vicennalia Kalendis Martiis impendentibus.* Annus decimus octavus Galerii Maximiani cœpit Kalendis Martiis anni 309. quo exeunte vel circiter, eo morbo is afflictus eſt, uſque ad anni ſequentis finem, ac initium anni 311. quo poſt Kalendas Martias, ac Tribunitiam poteſtatem viceſimam ſusceptam, edictum in Chriſtianorum gratiam emiſit, & poſt Kalendas Maias ejuſdem anni, cum futura eſſent Vicennalia Kalendis Martiis anni 312. miſeram efflavit animam. Ex quibus manifeſte patet eum nonniſi anno 292. Cæſarem factum fuiſſe, Edictumque poſt Kalendas Martias emiſſum. Si enim anno 293. Cæſarea dignitate decoratus fuiſſet, Edictum Tribunitiam poteſtatem XIX. non XX. præferret. Si vero anno 292. anno viceſimo primo ejus Imperii a Kalendis Martiis inchoato Vicennalia ediſſet; quæ tamen Lactantius dicit anno ſequenti celebranda fuiſſe.

X. Sed & Numiſmata Græca eandem Idatii opinionem convellunt; ſeptem enim apud Occonem extant, in quorum ſingulis ſinguli Imperii

Augu-

Oſtenditur ex Lactantio Conſtantium & Maximianum anno 292. Cæſares creatos fuiſſe.

Auguſtei ejuſdem Galeſii Maximiani anni exprimuntur, in quorum ultimo ſeptimus memoratur. Quibus evincitur primo Galerium Maximianum anno 311. Kalendis Maiis, quibus imperium anno 305. inierat, adhuc in vivis fuiſſe, alioquin ſeptimum Auguſtei Imperii annum non attigiſſet. Secundo Tribunitiam poteſtatem XX. in reſcripto ejuſdem Galerii memoratam, inchoatam fuiſſe Kalendis Martiis ejuſdem anni 311. Tertio hujuſmodi reſcriptum non niſi poſt eaſdem Kalendas Martias datum, eo magis quo Lactantius doceat illud pridie Kalendas Maias Nicomediæ propoſitum. Si enim ante Martium emiſſum, ejus promulgatio tamdiu dilata non fuiſſet, cum de fine perſecutioni imponendo ageretur, & poſtquam illud emiſit, uti cum Euſebio diximus, ſtatim perierit. Ac denique quod præcipue intendimus, Galerium Maximianum anno 292. Cæſaris nomen aſſecutum, quæ hic per tranſennam explicare placuit, quia Noriſius, qui Lactantium non viderat, hujus auxilii expers, id præſtare non potuit.

XI. *Non deducitur ex Spartiano Herculium ex Cæſare Auguſtum factum non fuiſſe.*

Alterum argumentum Noriſius affert ad probandum Maximianum Herculium Cæſarem non fuiſſe antequam ad Auguſteam dignitatem eveheretur. Scribit Spartianus Ælium creatum fuiſſe Cæſarem ab Hadriano, *non teſtamento, ut antea moris erat, ſed eo genere quo noſtris temporibus a veſtra clementia Maximianus ac Conſtantius Cæſares dicti ſunt, quaſi quidam Principum filii, & Auguſtæ majeſtatis hæredes*. Sane, inquit Noriſius, Maximianum Herculium Spartianus non omiſiſſet, imo potius quam Galerius Maximianus & Conſtantius Chlorus in exemplum vocatus fuiſſet, ſi Cæſaream dignitatem ante Auguſteam obtinuiſſet. Sed eo exemplo Spartianus uti non poterat. Ælio enim, ſicuti Maximiano Galerio & Conſtantio Chloro cum Cæſaris honore Tribunitia poteſtas collata fuit, uti ex nummis conſtat. Quæ tamen Maximiano Herculio non niſi cum Imperio Auguſteo conceſſa. Patet id ex duabus Inſcriptionibus ab eodem Noriſio & a Grutero pagina 166. recitatis. In priori Diocletianus dicitur TRIB. POT. X. Maximianus vero Herculius, TRIB. POT. IIX. In poſteriori Diocletianus dicitus, TRIB. POT. XI. Maximianus, TRIB. POT. X. Diocletianus decimo Kalendas Octobres anni 284. Maximianus vero Herculius Kalendis Aprilis anni 286. Auguſti renunciati ſunt. Quare decima Tribunitia poteſtas Diocletiani anno 293. inchoatur, & ſequenti abſolvitur. A Kalendis vero Aprilis anni 286. ad Kalendas Apriles anni 294. anni ſunt octo completi. Unde hoc ultimo anno ea Inſcriptio dedicata, & Tribunitia Poteſtas Maximiano Herculio non ante annum 286. collata; quod & poſteriori Inſcriptione comprobatur. Nam Tribunitia Poteſtas XI. decimo quinto Kalendas Octobris anni 294. a Diocletiano, & decima Kalendis Aprilis anni 295. ab Herculio aſſumpta. Quocirca hæc dedicari non potuit niſi eo anno poſt Kalendas Apriles quibus Maximianus Tribunitiam Poteſtatem X. inierat, & Diocletianus undecimam abſolvebat. Ex quo non tantum ſequitur Maximianum non niſi anno 286. quod tamen ab aliquibus negatum, factum fuiſſe Auguſtum, ſed & Tribunitiam poteſtatem ei cum Cæſarea dignitate anno 284. collatam non fuiſſe; ideoque Spartianum hoc exemplum adhibere non potuiſſe. Cum itaque nihil in contrarium alicujus ponderis afferatur, non videtur amplius in dubium vocari poſſe, an Maximianus Herculius prius Cæſar, quam Auguſtus fuerit. Quo honore cum anno 284. duodecimo Kalendas Decembres, ut jam a nobis oſtenſum, exornatus fuerit, ſequitur eum Vicennalia ſtato tempore edidiſſe.

XII. Sed quod de Maximiano Herculio, eum nempe hæc ſolemnia anticipaſſe, dici non poteſt,

Apparatus in Baronium

Maxentii Quinquennalia dilata.

omnino de Maxentio & Licinio aſſerendum. Romæ ille anno 306. a Prætorianis Auguſtus dictus eſt ſexto Kalendas Novembres, ut mox ex Lactantio oſtendemus, quare quintus Imperii ejus anno 311. abſolvebatur: quo quidem anno Indulgentiam Chriſtianis Africanis conceſſit, ſed Quinquennalia in annum ſequentem diſtulit. Primum docet Optatus qui lib. 1. ſcribit: *tempeſtas perſecutionis peracta & definita eſt jubente Deo, Indulgentiam mittente Maxentio Chriſtianis libertas eſt reſtituta*. Quod eo anno factum fuiſſe recte probat Valeſius de Schiſmate Donatiſtarum cap. 1. adverſus Baronium, qui hanc Indulgentiam in annum 306. perperam conjecit. Poſterius diſerte teſtatur Lactantius lib. de mortibus Perſecutorum cap. 44. ubi de bello Conſtantinum inter & Maxentium anno 312. geſto, ait: *Imminebat dies quo Maxentius Imperium ceperat, qui eſt ad Sextum Kalendas Novembris, & Quinquennalia terminabantur*. Tum cap. 46. de Galerio Maximino contra eundem Conſtantinum & Licinium bellum gerente ait: *Statuit Imperator* (Galerius Maximinus) *prælium dici Kalendarum Majarum* (quo die Diocletianus & Maximianus anno 305. abdicarant, & Galerius Maximianus ac Conſtantius Chlorus Auguſti facti fuerant, ut nos poſt longam ignorationem idem Lactantius cap. 29. docet) *quæ octavum annum nuncupationis ejus implebant, ut ſuo potiſſimum Natali vinceretur, ſicut ille* (nempe Maxentius) *victus eſt Romæ*. Quare Maxentius in annum 312. ſexto Kalendas Novembres, quo Tribunitiam Poteſtatem VII. aſſumpturus erat, Quinquennalia diſtulerat, eamque ob rem eodem anno Conſul proceſſerat. Circa diem tamen ejuſdem Maxentii Natalem hic mihi ſcrupulus eſt. In veteri Kalendario filiorum Conſtantini tempore ſcripto, ad quintum Kalendas Novembris legitur: EVICTIO TYRANNI. ad quartum vero Kalendas ejuſdem menſis: INGRESSUS DIVI. Quæ de Clade Maxentii & Conſtantini M. ingreſſu Eruditi communiter intelligunt, & quidem cum fundamento; cum de Licinio ea intelligi non poſſe videantur; ac præterea quintus Kalendas dies Romanis religioſus eſſet, quod Auguſtus eodem aram Victoriæ dicaſſet, oſtendens ſe ex propria virtute Imperium acquiſiviſſe, ut alibi diximus. Quæ conjectura ſi admittenda ſit, dicendum in Lactantio loco, *ad ſextum Kalendas Novembris* legendum eſſe, *ad quintum Kalendas Novembris*. Quod ſi hæc conjectura non placeat, dicendum erit cum Baluzio in Notis, ideo eam Victoriam quinto Kalendas Novembris illigatam fuiſſe, quod, ut habet Anonymus Valeſianus, poſtera die Corpus Maxentii levatum flumine, & caput ejus inciſum in Urbem perlatum fuerit; eoque modo victoria quodammodo completa.

XIII. *Licinius Decennalia uno anno anticipavit.*

Quoad Licinium, eum Decennalia anticipaſſe, annoque 315. celebraſſe, certis argumentis oſtendi poteſt, licet Noriſius, qui Lactantium non viderat, Diſſertatione de Numiſmate Licinii, cap. 3. ſcripſerit: *Conſtantinus exacto decimo Imperii anno Decennalia in Occidente ſplendidiſſima pompa celebravit anno 316. octavo Kalendas Auguſti, die Natali Imperii: Licinius ejuſdem non tam in Imperio Collega, quam æmulus, tertio poſtea menſe, tertio Idus Novembris, die itidem Natali Imperii, ejuſque anno decimo ineunte, Decennalia in Oriente dedit, ne Orientales Provinciæ, quæ ipſi parebant, ſpectaculorum pompam Occidenti inviderent*. Profert in eam rem nummum in gaza Medicea aſſervatum, in quo Licinii Decennalia vota ſoluta, & Vicennalia nuncupata exhibentur. Viſitur in eo effigies Licinii Junioris, qui anno poſtea 317. Kalendis Martiis cum Criſpo & Conſtantino Juniori Cæſar creatus eſt, ut Auctor eſt Idatius in Faſtis; circa eam effigiem hæc verba legun-

tur: LICINIUS AUG. OB DU FILII SUI, quæ ſic interpretatur idem Noriſius, *ob dicata vota filii ſui*, vel *oblatio devota filii ſui*. In ambitu poſticæ partis, JOVI CONS LICINI AUG, id eſt, *Jovi conſervatori*, cui acceptas Victorias Licinius referebat. Infra legitur, SIC X. SIC XX. Id eſt, Decennalia ſoluta, & Vicennalia nuncupata. Ac paulo inferius, SMNT. Id eſt, *ſignata moneta Nicomediæ anno tertio*. Neque enim aliud Græcam literam Γ. deſignare probat is author, obſervatque duplicem eſſe Imperii Liciniani Epocham: prior quæ a tertio Idus Novembris anni 307. quo a Galerio Maximiano Auguſtus creatus eſt, aiqua Rhetia ac utraque Pannonia commiſſa; poſterior ab anno 314. quo Galerio Maximino demortuo in altera Imperii Aſiatici parte ſucceſſit; cumque tertius annus eo in numiſmate inſcriptus de ultimo ejus imperio intelligatur, liquet, inquit, Licinium anno 316. Decennalia edidiſſe, ideoque anno Imperii decimo ineunte, ita Noriſius diſcurrit.

XIV. *Aſiaticum Licinii Imperium anno 313. inchoatum.*

At tam certum, Aſiaticum Licinii Imperium anno 313. inchoatum fuiſſe, eodemque Maximinum demortuum, quam Europæum anno 307. exordium ſumpſiſſe; & quidem de priori non videtur poſſe imposterum difficultatem moveri, cum vel ſola Tribunitia Poteſtas IV. Licinii adnotata in Edicto, quod Galerius Maximianus anno 311. paulo antequam moreretur, in Chriſtianorum favorem emiſit, illud evincat; niſi enim anno 307. Auguſteum Licinii Imperium cœpiſſet, is anni 313. initio Tribunitiam poteſtatem quartam, ſeu quartum Imperii annum, quod idem eſt, nondum iniiſſet. Poſterioris initium nos docet celeberrima Epocha *τῆς εἰρήνης τῶν ἐκκλησιῶν*. Id eſt, *a reddita pace Eccleſiæ*, qua antiqui Chriſtiani uſi ſunt, cœpta enim ea anno 313. uti conſignatur ab Euſebio in Chronico, poſt mortem nempe Galerii Maximini, qui paulo antea perſecutioni, quæ jam in Occidente deſierat, finem impoſuit. Ea Era utitur Chronici Alexandrini Auctor, dum Conſtantii Auguſti mortem narrans, ait: *Conſtantius Auguſtus menſe Dio, ſeu Novembri, die tertia, anno Antiocheno quadringenteſimo decimo, Indictione quinta; cum Eccleſia pacem annos quinquaginta habuiſſet, dictis Conſulibus Tauro & Florentio, mortem cum vita commutavit*. Cadit is Conſulatus in annum Chriſti 361. anno vero 312. Kalendis Octobris annus Antiochenus trecenteſimus ſexageſimus primus inchoatus eſt; cui ſi quinquaginta addas, pervenies ad annum Chriſti 361. quo Kalendis Octobris annus Antiochenus 410. auſpicatus eſt. Unde pax Eccleſiæ procurata ante menſem Octobrem anni 313. ideoque & ante eundem menſem Galerius Maximinus demortuus; cum Eccleſia non niſi poſt ejuſdem Tyranni Edictum ab Euſebio lib. 9. cap. 10. relatum, ejuſque mortem non multo poſt ſecutam, pace potita ſit. Sed poſt librum Lactantii de mortibus Perſecutorum res adhuc certior. Is cap. 48. ait, Conſtitutionem Conſtantini & Licinii, qua libertas Religionis Chriſtianis conceſſa, die Iduum Juniarum Nicomediæ propoſitam fuiſſe, poſtquam jam idem Maximinus a Licinio victus fuiſſet, Conſtantino & Licinio tertium Coſſ. anno nempe Chriſti 313. additque: *Sic ab everſa Eccleſia uſque ad reſtitutam fuerunt anni decem, menſes plus minus quatuor*. Quod veriſſimum eſt; jam enim cap. 13. dixerat *ſeptimo Kalendas Martias*, Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Coſſ. anno ſcilicet Chriſti 303. perſecutionem decretam fuiſſe, a quo anno, menſe, & die, ad diem Iduum Juniarum anni 313. præfati anni & menſes interjiciuntur. Certum itaque indubitatumque, Maximinum anno 313. ſublatum, novumque Licinii in Aſia Imperium inchoatum fuiſſe. Verum quidem eſt in Chronico Alexandrino legi *Galerius Maximinus a Licinio fuſus in Cilicia cum ingenti exercitu, uti tyrannus profugus, & inglorius cum novennium imperaſſet, deletus eſt*. Sed numerantur ibi anni Juliani, & uterque extremus incompletus pro completo ſumitur, quod ſæpe veteres Scriptores feciſſe certum eſt.

XV. *Origo erroris circa annum mortis Maximini.*

Noriſius in eadem Diſſertatione, ut oſtendat Maximinum anno tantum 314. victum fuiſſe, ideoque ab eo anno Aſianum Licinii Imperium exordiri, dicit, anno 313. tranſmiſſam eum a Conſtantino & Licinio pro Chriſtianis legem accepiſſe; tuncque, ut ait Euſebius lib. 9. cap. 9. *Hanc primum pro Chriſtianis epiſtolam veluti ſuopte motu & ex propria authoritate conſcriptam ad Præſides Imperii ſui, neceſſitate adactus direxit*. In illius Epiſtolæ titulo legitur: *Jovius Maximinus Auguſtus Sabino*, ejuſque ſummarium eſt, licere unicuique Religioni inhærere, cui maluerit. Sed cum poſtea Collegas Auguſtos contemneret, bellum, rupto fœdere, Licinio intulit, in quo victus celeri fuga in Aſiam ſe ſe recipiens, apud Tharſum in Ciliciæ periit, *cum Chriſtianorum Deo gloriam, laudemque tribuiſſet, & abſolutiſſimam atque uberrimam legem pro eorumdem Chriſtianorum libertate tuliſſet*, inquit ibidem Euſebius cap. 10. quæ omnia contigiſſe anno 314. ineunte Vere probat Noriſius ex Edicto, quod morti proximus Tyrannus publicavit, in quo hæc ait: *Superiore anno datis ad ſingulos Provinciarum Præſides literis ſtatuimus, ut ſi quis adhærere huic ſectæ, & Religionis illius obſervantiam ſequi vellet, ei liceret abſque ullo impedimento in propoſito ſuo permanere*. At legem *ad Præſides Imperii ſui* direxit poſt Edictum menſe Martio ab Imperatoribus Conſtantino & Licinio ad ſe tranſmiſſum: quam quidem legem, cum teſtetur *ſuperiore anno* datam, evidenter deducitur, hanc alteram legem emiſſam anno 314. & ex conſequenti non niſi eo anno Maximinum periiſſe. Eodem etiam modo Baronius in Annalibus diſcurrit, ſed utrumque falli manifeſte oſtendo. Euſebius lib. 9. cap. 9. poſtquam victoriam de Maxentio, anno 312. relatam narravit, ſcribit: *Imperator Conſtantinus & Collega ejus Licinius uno conſenſu legem pro Chriſtianis abſolutiſſimam & copioſiſſimam promulgarunt. Et miracula, quæ Deus in ipſis ediderat, partaque de Tyranno victoria nunciant, ipſamque adeo legem ad Maximinum qui in Orientis partibus etiam tum imperabat ſeque ipſis amicum eſſe ſimulabat, tranſmiſere*. At Edictum illud periit, neque ad nos pervenit. In poſteriori Conſtantini & Licinii conſtitutione ab eodem Euſebio lib. 10. cap. 5. relata non ſemel ejuſdem mentio eſt, ut docte oſtendit Valeſius in Notis Euſebianis ad illud Edictum, ubi & quod diſcrimen inter utrumque eſſet, explicat. Prius loco incerto, poſterius Mediolani, ut habet Euſebius eodem cap. 5. datum eſt. Prius anno 312. poſterius anno 313. emanatum. Poſt prius acceptum Maximinus Epiſtolam Sabino Præfecto Prætorii ſui ſcripſit, juſſitque ut adverſus Chriſtianæ Religionis ſectatores nihil acerbe ſtatueretur. At ſecundum Edictum anno 313. datum ad Maximinum tranſmiſſum fuiſſe, Euſebius non dicit; imo ad eum miſſum illud non fuiſſe longe veroſimilius, cum vix datum fuit, ut Maximinus pacem fregerit, Liciniumque aggreſſus fuerit. Quare error Baronii, Noriſiique ex eo procedit, quod utrumque Edictum a Conſtantino & Licinio in Chriſtianorum favorem diverſis annis, & diverſis etiam locis (cum anno 312. Conſtantinus Mediolani non fuerit) datum, in unum confundant; ac deinde perperam inferant literas ad Sabinum non niſi anno 313. ſcriptas, cum tamen certum ſit anno ſuperiori, & poſt primum Edictum, non vero poſt ſecundum, quod paulo ante mortem emiſit, datas fuiſſe. Ex quibus tandem omnibus

bus Licinium, anno 315. qui tertius Aſiatici ejus Imperii erat, quove Conſul proceſſit, Decennalia ediⅾiſſe, annoque anno anticipaſſe, inferre neceſſe eſt.

XVI. *Quo anno Conſtantinus Decennalia ediderit.*

Eodem anno 315. Conſtantinus M. Conſulatum etiam edidit, ſed Decennalia non niſi anno 316. quo decimus Imperii ejus annus abſolutus eſt, celebravit, uti jam inſinuavimus, & oſtendit *l. 1. de longi temporis præſcriptione*, quæ tit. 13. libri 4. Codicis Theodoſiani legitur, quæque Romæ data eſt menſe Januario *Sabino & Rufino Coſſ.* anno nempe Chriſti 316. eſtque, ut obſervat Gothofredus, Indulgentiæ Decennalis ſpecies quædam. In ea dicit Conſtantinus: *Ex donatione Principum rem ad fiſcum pertinentem uſque ad noſtra Decennalia ſecuri poſſideant.* Quare tunc nondum ea peracta erant. Suſpicabar ea in annum 317. dilata fuiſſe, non ſolum quia in eum Cæſarum creatio incidit, ſed etiam quia Euſebius in Oratione quam in Tricennalibus ejus habuit cap. 3. id indicare videtur, poſtquam enim ſingulis Decennalium circulis unum ex ſuis liberis ad Imperialis throni conſortium promoviſſe dixit, ait: πρῶτον γὰρ τῷ πατρὶ τὸν ὁμώνυμον, κατὰ τὴν πρώτην τῆς βασιλείας περιόδου δεκάδα τῷ βασιλικῷ κοινωνὸν ἀνέφηνεν ἀρχῆς· δεύτερον ἐπὶ τῆς δευτέρας δεκάδος, τὸν ἑξῆς τῷ χρόνῳ· τὸν τρίτον ὁμοίως, ἐπὶ τῇ τρίτῃ τῆς κατὰ χεῖρας ἑορτῆς δεκάδι. Id eſt, ut vertit Valeſius; *primo enim natu maximum, qui paterno appellatur nomine, primo Imperii Decennio conſortem regni renunciavit: eum deinde qui ſecundus erat ætate, ſecundo Imperii decennio, tertium deinceps tertio ejus feſtivitatis quam nunc celebramus decennio.* Habita ea oratio anno 335. annoque 333. Conſtans Cæſar dictus. Vicennalia anno 325. Nicomediæ celebrata, annoque 323. Conſtantius Cæſar creatus, in ſecundo nempe decennio; ſed ſi Conſtantinus anno 316. Decennalia edidit, Conſtantinus Junior qui anno 317. Cæſar nuncupatus eſt, non in priori decennio, ſed in ſecundo, aut ſaltem tantum circa primum decennium eam dignitatem obtinuit. Valeſius in Notis dicit priora Euſebii verba benigne interpretanda eſſe, & κατὰ τὴν πρώτην δεκάδα, ſumendum eſſe pro ἀμφὶ τὴν &c. ideſt, non pro *in prima decade*, ſed pro *circa primam decadem*. At cum Socrates cap. 2. hujus ſecundæ partis num. 20. citatus utatur præpoſitione κατὰ quando dicit decimo quoque anno Principes Romanos Decennalia celebraſſe, ſuſpicabar in præfato Euſebii loco non aliud eamdem ſignificare, quam *in*, ſicut apud Thucydidem lib. 2. κατὰ τὴν νόσον ſignificat ἐν τῇ νόσῳ. *in morbo*, id eſt, tempore morbi; ſic enim Conſtantinus eo anno Decennalia celebraſſet, quo Conſtantinum filium Cæſarem renuntiavit, alios vero Cæſares dixiſſet circa ſecundum & tertium Decennium; ſed Euſebius in vita Conſtantini, quam poſt præfatam orationem compoſuit lib. 4. cap. 40. de eadem Cæſarum nuncupatione in tribus variis hujuſmodi ſolemniis facta loquens, ſe ipſum explicare videtur, cum unam eandemque præpoſitionem ſemper uſurpet, hoc modo, ἀμφὶ τὴν πατρὸς δεκαετηρίδα, dein, ἀμφὶ τὴν εἰκοσαετηρικὴν πανήγυριν, ac denique, ἀμφὶ τὴν τρίτην δεκάδα, ideſt, circa Decennalia patris, circa Vicennalia, circa tertiam decadem, ſeu Tricennalia. Quare dubitandum non videtur quin anno 316. ea Conſtantinus M. ediderit. Scaliger quidem lib. 5. de Emendat. temp. eadem anno 317. conſignavit, quia eo in errore erat, ut crederet Conſtantinum anno tantum 307. Imperium ſuſcepiſſe. Erratum & a Baronio qui eadem in annum 315. conjecit, votaque quæ in iis ſolemniis fiebant, ab iis quæ quolibet anno initio Januarii pro Imperatorum ſalute concipiebantur, non diſtinxit. Extat etiamnum Romæ Arcus ipſi Conſtantini Decennalibus erectus cum Inſcriptione quæ a Triſtano tom. 3. Noriſio diſſert. de Numiſm. Licinii cap. 3. aliiſque refertur. In cujus fine hæc verba leguntur VOTIS X. VOTIS XX. & rurſus SIC. X. SIC. XX. id eſt, *Sicut Decennalia, ſic Vicennalia*. Prioribus enim Notis vota ſoluta, poſterioribus vero vota nuncupata exprimuntur. Ait Noriſius eadem vota Decennalia ſoluta, ac Vicennalia concepta priori ævo neutiquam iiſdem nummis obſignata fuiſſe, cum in Antonini Pii & Marci Aurelii Numiſmatis legatur: VOTA SOL. DECENN. in alia: VOTA SUSCEP. DECENN. II. præterea in aliorum Principum nummis legatur: VOT. X. in aliis VOT. XX. quæ obſervatio vera, ſicut & illud quod ſubjungit, in uſu nempe poſtea fuiſſe, ut in nummis inſcriberentur vota Quinquennalia vel Decennalia ſoluta, & Decennalia, vel Vicennalia ſuſcepta, ut patet ex Nummo, qui apud Occonem extat, ita ſignato: FL. JUL. CONSTANTIUS P. F. AUG. Et in laurea: VOT. XV. MULT. XX.

XVII. *Quo anno Conſtantinus Quindecennalia ediderit.*

Quo vero anno idem Conſtantinus Quindecennalia ediderit, an nempe 320. vel 321. adhuc incertum. Contendit quidem Noriſius ea anno 321. quo Kalendis Martiis Criſpus & Conſtantinus Cæſares Quinquennalia celebrarunt, ut teſtatur Nazarius in oratione quam ea occaſione habuit, Conſtantinum quoque octavo Kalendas Auguſti ediⅾiſſe. Sed verba Nazarii quibus hoc probatum contendit, aliter interpretanda videntur. Idem Orator cap. 2. ait: *Fruimur quidem nos præſentium maxima voluptate, ſed lenocinantur bis jam futuri ratio, & quæ temporibus diſparata ſunt, animorum præſumptione junguntur. Quintumdecimum annum maximus Princeps ſalutaris Imperii degit* (Conſtantinus nempe qui anno 320. VIII. Kalendas Auguſti eum annum auſpicatus, erat,) *ſed auguramur jam Vicennalia* (non quidem poſt quatuor menſes ſuſcipienda, uti explicat Noriſius, ſed Vicennalia anno 325. ſolvenda, quod ſequentia ejuſdem Oratoris verba indicant,) *& venturi fidem ſuperiorum felicitate ſentimus*, (id eſt ex felicitate qua hoc decennio potiti ſumus futuri decennii felicitatem auguramur. Quare Vicennalia eo in loco annum viceſimum ſignificant, non vero ipſam Vicennalium feſtivitatem juxta dicta in Canone octavo horum ſolemnium;) *Quinquennalia beatiſſimorum Cæſarum occupatos in gaudiis habent, ſed in deſtinatis decenniis jam vota properantia & ſpes volucres conſtiterunt.* Fundatur præterea Noriſius in nummo Criſpi qui in collectione Patiniana extat, in quo legitur: CRISPUS N. C. COS. II. cum epigraphe in poſtica parte: BEATA TRANQUILLITAS, & in Baſi, ſeu Ara, VOTIS XX. Cum enim Vicennalia in nummo jungantur cum altero Criſpi Conſulatu anno 321. geſto, exiſtimat Noriſius exprimi ibi Conſtantini Vicennalia vota, quæ eodem anno die 25. Julii ejuſdem Conſtantini natali, is Imperator nuncupavit. At nihil aliud inde colligi debet, quam in nummis Criſpi, & Conſtantini Junioris, Quindecennalium patris anno ſuperiori actorum mentionem factam eſſe; rationem enim votorum Vicennalium nondum nuncupatorum habitam fuiſſe, aut ad ea Criſpum reſpexiſſe, nullo modo videtur probabile, neque id unquam in hujuſmodi ſolemniis uſitatum. Porro Numiſmata duo Criſpi Quinquennalia exhibentia, quæ apud Triſtanum Tomo 3. pag. 566. extant obſervatu digna ſunt. Cernitur in priori idem Criſpus diademate gemmis ornato cinctus, haſtam & clypeum quaſi pugnaturus tenens: in averſa parte ſignum militare cum duobus captivis in inferiori parte exprimitur, in eoque crux accurate elaborata cum his literis, hoc fere modo: VOT. † circum vero: VIRTUS EXERCIT. In poſteriori Numiſmate viſitur e-

tiam

tiam ſignum militare cum VOT. XX. ac duobus captivis prope illud aſſidentibus. Quare in his ſolemnis aliqua mutatio facta, cum antea Decennalia vota cruce repræſentata non fuiſſent, nec Vicennalia vota in Quinquenalibus memorata. Nam quoad utrumque captivum ac militare ſignum, in nummis in quibus hujuſmodi feſtivitates diſtincte notantur, videri, jam alibi obſervavi; ſicuti & in iiſdem, ad exercitus victorias, ſigna militaria, aliaque id genus reſpectum habitum fuiſſe. Notandus & hic Triſtani error Tom. 3. pag. 597. ubi allato nummo Conſtantini Junioris Cæſaris, in quo is viſitur lauro coronatus, & Conſulari trabea indutus, ac in cujus poſtica parte circum ſcribitur: BEATA TRANQUILLITAS, exprimiturque ara cum his verbis: VOTIS XX. dicit hunc, poſt relatam de Barbaris victoriam, Conſulem cum patre renunciatum fuiſſe, & Vicennalia eo in nummo expreſſa celebraſſe. Nam hæc meræ nugæ, neque enim Conſtantinus Junior trabeatus Vicennalia edidit. Quare idem nummus eodem anno, quo præfatus Criſpi, cujus Collega in Conſulatu fuis, percuſſus.

XVIII. Incertum quo anno Porphyrius Optatianus Panegyricum dixerit,

Denique affert Noriſius verſus duos ex panegyri Porphyrii Optatiani eodem anno 325. ut ipſe autumat, acroſtico carmine exarata, in qua rubris characteribus ſcribitur: AUG. XX. CAESS. X. Ille enim tum Conſtantini patris Vicennalia, tum filiorum Cæſarum Decennalia, quod eodem anno concurrebant, eodem carmine celebravit. Hinc diſerte canit:

Sancte Pater, Rector ſuperum VICENNIA læta AUGUSTO, ET DECIES creſcant ſolemnia NATIS.

At illum Panegyricum in Vicennalibus Nicomedianis potius dictum videntur hi verſus indicare:

—— Sæclis da Conſtantino ſerena
Tempora, ſumme pro tricennia ſuſcipe voto.

Prius vero dixerat:

—— Tu magna ad gaudia ſancte
Conſtantino fave, to tanto in carmine muſa,
Et tua deſcriptis pingit Vicennia metris.

Cum itaque dicat Poeta ſe deſcribere vota Conſtantini M. Vicennalia, Tricennaliaque nuncupet, videtur Panegyricus dictus anno 325. quo Criſpus, cujus in eo Panegyrico mentio, adhuc vivebat; ideo autem hujus & Conſtantini Junioris Decennaliorum meminit, quia in curſu erant. Nihil ergo obſtat, quin dicamus eumdem Imperatorem anno 320. Quindecennalia celebraſſe, cum Conſul ſextum, Conſtantino Cæſare Collega, proceſſerit. Extat nummus Conſularis Conſtantini Magni apud Triſtanum Tomo 3. pag. 289. in quo is cernitur cum ſtola Conſulari, ſceptro aquiligero in dextra, & corona radiata, qua caput cingitur, præfertque in cippo VOT. XX. Sed cum idem Conſtantinus Conſul etiam fuerit anno 326. quo Vicennalia Romana edidit, incertum an nummus ille, in Quindecennalibus, quibus vota XX. ſicuti in Decennalibus nuncupabantur, an vero anno 326. quo Vicennalia vota ſoluta ſunt, & Tricennalia ſuſcepta cuſus fuerit. Ex eo autem manifeſte deducitur per hæc præſertim tempora in his feſtivitatibus celebrandis ad Conſulatum Imperatores reſpexiſſe, quod & conjici poteſt ex nummo Conſtantis Auguſti, de quo Dufreſnius Diſſert. de Numiſmat. inferioris ævi num. 3. in quo ſedet ipſe Conſtans celſior, capus limbo, vel lumine circumdatus cum binis Conſulibus in cujus baſi legitur hæc inſcriptio: VOT. V. Quare cum anno 333. nuncupatus fuerit Cæſar, ejus Quinquennalia in annum 337. vel 338. quibus Conſul non proceſſit, inciderunt. Sed cum tunc in his ſolemnibus magna Conſulatus ratio haberetur, anni illius Conſules ordinarii in eo nummo expreſſi fuere.

XIX. Rejicitur communis error de Vicennalibus Romanis Conſtantini,

Supereſt tantum ut aliquid dicamus de utriſque Conſtantini Magni Vicennalibus, tum Nicomedianis anno 325. ut Auctor Chronici Alexandrini aliique docent, tum Romanis anno 326. celebratis, quorum Idatius in Faſtis, & Euſebius in Chronico meminere. Plerique omnes hæc ultima priorum iterationem fuiſſe exiſtimarunt, licet nullum nec ante, nec poſt eumdem Conſtantinum hujuſmodi feſtivitatum renovatarum veſtigium extet. Si enim ex Conſtantinus iteraſſet, id alicujus ex prædeceſſoribus exemplo præſtitiſſet, aut cum tanti ipſe nominis fuerit, aliqui ex Imperatoribus Conſtantinopolitanis eum hac in re imitati fuiſſent; quod cum non contigiſſe certiſſimum ſit: exiſtimandum Vicennalia Romana, aliam a Nicomedienſibus originem habere, deductam nempe ab anno 307. quo idem Conſtantinus a Maximiano Herculio, cujus tunc filiam uxorem duxit, Auguſtus appellatus eſt. Neque refert quod ea, Romæ octavo Kalendas Auguſti, ut Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani oſtendit, celebrarit; cum uti diximus, dies, quo Imperatores, Cæſares vel Auguſti nuncupati fuerant, iis ſolemnibus indiſcriminatim dicatus eſſet. Aliæ difficultates circa peculiaria aliarum Imperatorum id genus feſta in Conſulatuum Cæſareorum Rationario explicabuntur. Hic tantum ſedulo obſervandum, quando ſcripſimus Conſulatum ratione horum ſolemnium ab Imperatoribus ſuſceptum fuiſſe, nos non ita intellexiſſe, ut ſemper eo anno, quo Conſulatum ceperint, eas feſtivitates ediderint; cum ut jam vidimus, Conſtantinus Magnus, qui anno 325. Conſul proceſſit, non niſi ſequenti Decennalia peregerit.

CAPUT OCTAVUM.

Tertia & quarta Conſulatuum Cæſareorum regula explicantur.

I. Cæſares & Auguſti alios ejuſdem dignitatis viros de more Collegas aſſumebant.

Quinquennalibus & id genus feſtis, quæ huc uſque in obſcuro jacuerant, quæque ideo ſecundam Conſulatuum Cæſareorum Regulam conſtituunt, quia quædam Imperii Epocha, initiumque fuere, declaratis, venio ad tertiam, quæ ex collegio Trabeæ cum aliis Cæſaribus aut Auguſtis deſumitur. Quando enim plures uno eodemque tempore dignitate Cæſarea, aut Auguſtea præditi erant, ii lubentius ſimul, quam cum privatis Conſularem dignitatem inibant. Veſpaſianus, qui dum Imperium rexit, octavo Conſul ordinarius proceſſit, Titum filium ſepties Collegam habere voluit, quemadmodum Suetonius in Tito cap. 6. docet. Imo Domitianus alter Veſpaſiani filius, qui patre imperante, quinquies Conſulatum ſuffectum geſſit, eo, Titoque majori natu filio, Imperiique Collega Conſulibus ordinariis, illo honore exornari voluit. Ammianus lib. 16. Conſtantium Auguſtum Conſtantini Magni filium ſuperbiæ arguit, *quod nec in Trabea ſocium privatum adſciverit, ut fecere Principes conſecrati*, licet decies Conſul ordinarius fuerit; dedignabantur enim aliqui privatorum in Conſulatu collegium, a quo tamen alii hac in re moderatiores non abhorrebant. Unde contigit ut a Conſulatu Diocletiani, Ariſtobulo Collega, anno 285. geſto, ad quartum Imperatoris Juliani, quem Salluſtio Collega, anno 363. edidit, per fere ſe-

culum integrum non niſi ter privati in ſocietatem Trabeæ cum Auguſtis venerint. Nam anno 285. eumdem Diocletianum Ariſtobulo Collega Conſulem ordinarium fuiſſe, certum indubitatumque eſt, licet Idatii in Faſtis verba aliquam difficultatem facere videantur. Eo enim anno hæc habet: *His Coſſ. occiſus eſt Carinus, qui ipſo anno cum Ariſtobulo Conſul proceſſerat*, quæ ſic intelligenda ſunt, ut Carinus, qui a Diocletiano in aliquot Provincias retruſus fuerat Conſulem ſe ordinarium Ariſtobulo Collega deſignarit, eodemque tempore Diocletianus eumdem Ariſtobulum, licet a Carino nominatum, & in hujus caſtris militantem Collegam ſibi adſciverit. Cumque potiorem Imperii partem idem Diocletianus obtineret Conſul ordinarius cum eodem Ariſtobulo, non vero Carinus agnitus eſt, ut patet ex variis Codicis Juſtinianei reſcriptis, & ex Chronici Alexandrini Auctore; ubi poſt recitatam Diocletiani inaugurationem habet: *Kalendis Januariis Conſul proceſſit*. Sirmondus, qui eoſdem Idatii Faſtos primus publicavit, cum capere non poſſet unum Ariſtobulum duorum Collegam in Conſulatu fuiſſe, Diocletiani nempe, & Carini, in editione aliqua verba pro arbitrio inſeruit. *His Coſſ. occiſus eſt Carinus* (& levatus eſt Diocletianus Imperator) *qui ipſo anno cum Ariſtobulo Conſul proceſſerat*. Illum enim ea verba addidiſſe fidem facit Valeſius in Notis ad lib. 23. Ammiani, ubi dicit ipſum ſe manuſcriptum vidiſſe, quo Sirmondus uſus fuit, in quo præfata verba deſunt. Sed licet tertium hunc Carini, qui jam bis eam dignitatem geſſerat, Conſulatum ex Idatii faſtis optime aſſerat idem Valeſius; Diocletianum tamen ſuffectum tantum Conſulem eo anno fuiſſe perperam ſcribit, ut obſervat Noriſius Diſſert. de Numiſmat. Impp. Diocletiani & Maximiani cap. 1. erratque etiam Labbeus in Chronico, qui anno 285. Carinum III. ex faſtis Idatii, deinde Diocletianum Auguſtum II. & Ariſtobulum Conſules exhibet.

Alter qui eo ſeculo privatum ſibi Collegam adſcivit, Maximianus Herculius fuit, qui anno 288. cum Januario Conſulatum ordinarium geſſit. Qua in re non tantum idem Valeſius loco laudato, ſed & alii communiter poſt Onuphrium errarunt. Poſt Diocletianum enim, & Ariſtobulum Conſulum ordinariorum ſeries ex Faſtis Idatii ita digerenda, ut non tantum ex nummis & inſcriptionibus, ſed & ex aliis Faſtis Noriſius loco laudato demonſtrat. II. *Maximianus Herculius privatum ſibi Collegam adſcivit.*

VERA CONSULUM SERIES

Anno Chriſti 286.
M. Junius Maximus II.
Vettius Aquilinus.
287. Diocletianus III.
Maximianus Herculius.
288. Maximianus Herculius II.
Januarius.

DEPRAVATA CONSULUM SERIES.

Maximus.
Aquilinus.
Diocletianus III.
Maximianus II.
Maximus II.
Januarius.

Hanc depravatam Conſulum ſeriem nobis exhibet Onuphrius lib. 2. Faſtorum, qui cum hæc verba apud Ammianum lib. 23. legiſſet: *Julianus jam ter Conſul adſcito in collegium Trabea Salluſtio Præfecto per Gallias, quater ipſe amplissimum inierat magiſtratum: & videbatur novum adjunctum eſſe Auguſto privatum, quod poſt Diocletianum & Ariſtobulum nullus meminerat geſtum*, ut illud ſubſiſtere poſſet, Maximum II. & Januarium, Maximiani Herculii II. & Januarii loco repoſuit, quem in errorem Calviſium in opere Chronologico, Petavium in Chronico, omneſque paſſim alios pertraxit; cum tamen adeo certa ſint teſtimonia, quæ Noriſius affert, ad Maximiani Herculii, Januario Collega, Conſulatum adſtruendum, ut dubitari non debeat, quin Ammianus aut memoria lapſus ſit, aut corruptas tabulas ſecutus fuerit, aut quod probabilius, locus ille, ſicut alia ejuſdem Auctoris non pauca, depravatus ſit. Et certe eam Onuphrii ordinationem vel ſolæ duæ priores Conſulatuum Cæſareorum Regulæ convellunt. Cum enim anno 284. XII. Kalendas Decembres Cæſar nuncupatus fuerit, ejus Imperii Cæſarei Quinquennalia in annum 288. incidebant; cum vero anno 286. Kalendis Aprilis levatus Auguſtus fuerit, anno ſequenti de novorum Conſulum more Conſul proceſſit, ſicuti & anno, quo Quinquennalia edidit. Erravit enim Noriſius, qui cap. ultimo Diſſertat. de votis Decennalibus dicit colligi ex Panegyrico die Natali ejuſdem Maximiani recitato, eum Quinquennalia anno quinto exacto, Decennaliaque decimo pariter Imperii anno completo celebraſſe; cum, ut jam oſtendimus, Veteres pro Quinquennio, vel Decennio exacto ſæpe Quinquennium & Decennium inchoatum tantum, imo & aliquando ſexennium, vel undecimum Imperii annum intellexerint. Onuphrius ſupponit anno Chriſti 284. quo Diocletianus Imperium iniit, Maximianum Herculium Junio Maximo Collega Conſulem ſuffectum proceſſiſſe, ideoque anno 287. eumdem Maximianum Conſulem II. fuiſſe, ac anno 288. loco ejuſdem Maximiani II. Januario Collega, Maximum II. eodem Januario Collega proponit, licet nihil afferat ad probandum Conſulatum illum ſuffectum Maximiani, aut quod oſtendat anno 287. ejuſdem Maximiani Conſulatum cum nota numerali prolatum fuiſſe, ac denique nulla auctoritate fultus Maximum II. loco Maximiani II. anno 288. obtrudat. Solus itaque Ammiani locus ei, & Sectatoribus errandi cauſa fuit.

Circa Tyrannorum Collegas, illud obſervandum, eos non tantum ſe Conſules ordinarios III. *De Collegis Tyrannorum in Conſulatu.*
deſignaſſe; (ut liquet ex nummis Poſtumi, qui Galliarum Imperium Gallieni Auguſti tempore invaſerat, in quorum aliquibus Poſtumus dicitur COS. II. in aliis COS. III. in aliis COS. V. ut videre eſt apud Triſtanum, Occonem, & alios; ac ex iis quæ diximus de Eugenio, qui occiſo Valentiniano Juniori Imperium uſurparat) ſed & eoſdem nonnunquam Auguſtos, qui Imperio potiebantur, Collegas ſibi in Conſulatu adſciviſſe. Quod patet ex Inſcriptione Trevirenſi, quam refert Scaliger lib. 5. de Emendat. tempor. pag. 526. quæ his verbis notatur. *ὑπατείᾳ Ὀνωρίου τὸ Η, καὶ Κωνσταντίνου τὸ Α* Id eſt, *Honorio VIII. & Conſtantino primum Coſſ.* Eumdem Scaligerum valde hic Conſtantini Conſulatus torſit, qui non adverterat Tyrannos cum Imperium alicubi per vim occupaſſent, Conſules duos, aut eorum ſaltem alterum legiſſe, quorum nominibus Faſti ſignabantur iis in regionibus in quibus dominabantur. Conſtantinus, ut notat Proſper in Chronico, anno 407. Imperium in Britannia arripuit, indeque in Galliam tranſiit. Zoſimus lib. 5. ſcribit miſiſſe eum legatos ad Honorium, qui promitterent ſe partes ejus fideliter tuiturum, quod Calviſius & Petavius

tavius in Chronico in annum 400. conferunt. Sed ejuſdem Conſtantini Conſulatus Honorio VIII. Collega eo anno geſtus oſtendit eam legationem anno 408. miſſam fuiſſe; eo magis quo idem Zoſimus addat Honorium regiam Purpuram illi miſiſſe: quæ in cauſa fuit, cur in annum ſequentem ſe ipſum Conſtantinus eodem Honorio Collega, ſaltem in Provinciis ſibi ſubjectis Conſulem deſignarit. Et hæc de tertia Conſulatuum Cæſareorum Regula, quam in eorumdem Conſulatuum Rationario variis exemplis comprobabimus.

IV. *Expeditiones militares quarta Conſulatuum Cæſareorum Regula.*

Petitur quarta Regula ab expeditionibus militaribus; non raro enim Imperatores cum eas ſuſciperent, vel poſtquam de hoſtibus victores evaſiſſent, Conſulatum ordinarium aſſumebant. Primum oſtendit locus Suetonii in Nerone cap. 43. qui poſtquam retulit Vindicem Imperium in Gallia arripuiſſe, de eodem Nerone loquens, ait: *Credens expeditionem neceſſariam, Conſules ante tempus privavit honore, atque in utriuſque locum ſolus iniit Conſulatum, quaſi fatale eſſet non poſſe Gallias debellari niſi a Conſule.* Alexander Severus adeo in Conſulatibus iniendis moderatus, ut intra tredecim annorum ſpatium quibus imperavit, duos tantum geſſerit, ex iis alterum Quinquennalibus, alterum bello Perſico deſtinavit. Conceſſus etiam aliquando idem honor Cæſaribus & Auguſtis ob victorias relatas. Tacitus lib. 13. Annalium ubi agit de bello quod inter Parthos & Romanos propter Armeniam gerebatur, poſtquam Artaxata a Corbulone, cui bellum illud a Nerone commiſſum fuerat, capta combuſtaque narravit, ait: *Ob hæc conſalutatus Imperator Nero, & Senatuſconſulto ſupplicationes habitæ, ſtatuæque, & Arcus, & continui Conſulatus principi.* Quibus ex verbis manifeſte claret tuliſſe conſuetudinem, ut poſt victorias de hoſtibus relatas, Conſulatus non tantum ducibus, quod multis exemplis oſtendi poſſet, ſed & ipſis Imperatoribus deferretur. Factum illud decretum Nerone III. & Valerio Meſſala Coſſ. anno nempe Chriſti 58. eoque, ut exiſtimo, exeunte; nam anno duntaxat ejuſdem Eræ ſexageſimo idem Nero quartum Conſulatum Cornelio Lentulo Collega iniit; niſi de induſtria is annus ab eo delectus fuerit, quod eo Quinquennale certamen inſtituturus eſſet; propter quam Inſtitutionem Conſulatum capere potuit, Auguſti exemplo, qui in ſexto ſuo Conſulatu ludos propter Actiacam victoriam quinto quoque anno exhibendos inſtituit. Eutropius lib. 9. poſtquam pulſum Narſeum, Perſaſque a Galerio Maximiano Cæſare devictos narravit, ſubjungit: *Quare a Diocletiano in Meſopotamia tum morante, ovans regreſſus ingenti honore ſuſceptus eſt. Varia deinceps & ſimul & viritim bella geſſerunt &c.* Relata ea de Perſis victoria anno 297. quo Auctor Chronici Alexandrini ſcribit: *Perſæ maximo bello a Conſtantio & Maximino,* (legendum Maximiano) *Jovio Cæſaribus devicti ſunt.* Inter honores utrique Cæſari factos Conſulatus fuit; anno enim trecenteſimo Conſtantius Chlorus III. & Galerius Maximianus III. Conſules ordinarii proceſſere. Cujus rei multa exempla in Rationario Conſulatuum Cæſareorum afferemus.

V. *Cauſa cur Imperatores ob expeditiones bellicas Conſulatum ſumpſerint.*

Inſtituti fuerant alias Conſules tanquam annui Imperatores, qui exercitus ducerent, quo tamen munere Auguſti, poſt inſtitutum Imperium, eoſdem exuere, in reliquis dignitate conſervata, ſed inermi reddita; &c. *cum ipſi Conſulari dignitate gratificari vellent Imperatores, ſibimetipſis eam contulerunt, Conſulatu annexo Imperio, ut una eademque opera civitas, quæ hoc inſigne decus reperit, honeſtaretur,* loquit Libanius in Panegyrico Joliani Imperatoris. Quare non mirum ſi propter expeditiones bellicas Imperatores Conſulatum ſumerent, cum everſa republica, eorum imago quædam remanſerit, quæ ea florente viguerant. Quæ quidem hujus quartæ Regulæ ratio eſſe videtur.

CAPUT NONUM

Triumphi quinta Conſulatuum Cæſareorum Regula.

I. *Bellum Perſicum anno ſeptimo Alexandri Severi geſtum.*

Sicut Triumphalia ornamenta in Conſularia transierunt; ſic vice verſa Triumphantes Imperatores, quo hæc pompa illuſtrior foret, Conſulatu ordinario decorari voluere. Jam florente Imperio Auguſti aliqui utrumque inter ſe honorem copulaverant, uti Veſpaſianus, qui in tertio Conſulatu ſuo de Judæa expugnata, & Trajanus de Dacis in quinto triumpharunt: qui mos cum a ſucceſſoribus neglectus fuiſſet; in uſum tandem ab Alexandro Severo qui primus ex imperatoribus Romanis bellum Perſis intulit, triumphumque de iis egit, revocatus fuit. Quod licet fortuito factum, ſucceſſores tamen ut plorimum ſequaces habuit, ut oſtendere juvat, quo Conſulatuum ab Auguſtis ſuſceptorum rationes præſto eſſe poſſint. Alexandrum itaque in tertio ſuo Conſulatu, quem Dione Collega anno 229. geſſit, triumphaſſe de Perſis non difficulter intelligetur, poſtquam Herodiani, qui ejus vitam ſcripſit, locum corruptum emendavero, qui huc uſque omnes in errorem induxit. Is lib. 6. cap. 2. ejuſdem belli Perſici narrationem his verbis exorditur: *τοῦτον μὲν δὴ τὸν τρόπον ἐπὶ τρισκαίδεκα ἔτη, ὅσον ἐπ' αὐτῷ, τὴν βασιλείαν ἀμέμπτως διοικήσαντι τῷ δ' τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει ἀδοκήτως ἐκομίσθη γράμματα* &c. Id eſt: *igitur cum ad hunc modum tredecim annos, (quod quidem ad ſe attineret) ſine querela cujuſque, Imperium gubernaſſet, ecce tibi haud opinato litteræ e Syria, Meſopotamiaque reddita a ducibus &c.* ubi loco *τρισκαίδεκα*, id eſt, *tredecim*, legendum *ἑπτὰ*, id eſt, *ſeptem*, & loco, *τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει*, id eſt, *anno decimo quarto*, quæ verba Interpres omiſit, legendum *ἑβδόμῳ ἔτει*, id eſt, *anno ſeptimo*, vel potius exiſtimandum illa additia eſſe, ideoque jure merito ab Interprete prætermiſſa, quæ emendatio ex ipſomet Herodiano certa redditur, qui cap. 9. ejuſdem libri quatuordecim tantum annos Imperii Alexandro tribuit, tam in morte ejus, quam in tempore ante bellum Perſicum recenſendis, anno ſcilicet inchoato pro completo numerato. Tum cap. 6. ait: *triennio mox aut quadriennio Barbari nequaquam arma reſumpſerunt.* Dein cap. ſequenti bellum Germanicum ab Alexandro anno ante mortem ſuam inchoatum narrare incipit. Ex quibus claret neutiquam eum ſcripſiſſe Alexandrum poſtquam tredecim annos imperaſſet, bellum in Perſas moviſſe; nam præterquam quod hoc omnino falſum, pueriliter ſibi ipſi contradiceret, & Alexandro annos octodecim Imperii, aut circiter attribueret, licet diſerte ſcribat eum annos quatuordecim imperaſſe, nulluſque Hiſtoricus plures ei aſſignaverit, aut aſſignare potuerit. Cujus loci depravationem cum non advertiſſent Onuphrius in Faſtis, Baronius in Annal. Petavius, & Calviſius in ſuis Chronicis, Caſaubonus in Notis ad Lampridium, aliique viri docti, ex Herodiani ſententia, ut putabant, bellum Perſicum in annum duodecimum, aut decimum tertium Alexandri diſtulerunt, quaſi nullum intervallum inter bellum illud & Germanicum interceſſiſſet, contra expreſſa Auctoris, quem ſe profitentur ſequi, verba.

II. *Conſulatus ab Alexandro ob bellum Perſicum ſuſceptus.*

Ex eo itaque Herodiani loco ſic emendato colligitur bellum Perſicum anno ſeptimo Alexandri, Chriſti 228. inchoatum eſſe; idque circa Æſtatem, uti ex eodem Herodiano cap. 5. colligitur, ubi habet, Æſtatem tolerabilius iter

feciſſe, dum exercitus ejus per Armeniam contenderet, eoque anno ſequenti, quo Conſul III. cum Dione II. proceſſit, confecto, Triumphum Perſicum egiſſe, exeunte Septembri, ut Lampridius in Alexandro cap. 56. ex actis publicis obſervavit, licet annum non expreſſerit. Neque tardius Alexandrum Triumphaſſe ex eo deducitur, quod poſt eundem Triumphum, tribus aut quatuor annis, Antiochiæ commoratus fuerit, ubi *hilarior jam & liberior laxatis bellorum curis, urbis ejus deliciis indulgebat*, ut Herodianus cap. 6. ſcribit. Ab eo otio illum bellum Germanicum excitavit; quod ideo ſub ejuſdem Imperii fine contigiſſe dicendum. Cum itaque initio anni 228. ſe ad bellum Perſicum accingeret, Conſulem ſe in annum ſequentem deſignavit. Conſulum enim deſignationem an initio de more factam fuiſſe jam ſupra oſtendimus. In Orientem eodem anno profectus eſt. Extat nummus ejuſdem Imperatoris apud Occonem, in quo is dicitur: P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. S. C. in cujus averſa parte viſitur Imperator eques, cum haſta aut pilo, præeunte Victoria; circum vero ſcriptum: PROFECTIO AUG. S. C. Qui hac occaſione cuſus eſt, præfatamque correctionem magis confirmat. Poſtquam in Orientem idem Imperator pervenit, in Armenis Æſtate contra Perſas pugnavit, confectoque bello Antiochiam copias montium atque Hyemis aſperitate attritas reduxit, ut Herodianus, & Zonaras teſtes ſunt. Neuter quidem de ejus triumpho loquitur, ſed illum anno Chriſti 229. actum, jam ex Lampridio diximus, qui cum cap. 59. auctor ſit Alexandrum Roma ad bellum Germanicum profectum, inde colligere eſt, ipſum non multum poſt triumphum Antiochiam rediiſſe, ac illic poſt aliquot annorum commorationem ingruente bello Germanico, Romam rurſus veniſſe; ſicque Herodianus & Lampridius inter ſe contrarii non ſunt.

III. *Ex Dione non deducitur bellum Perſicum poſt Alexandri Conſulatum geſtum eſſe.*

Neque ex Dione colligitur, ut putavit Noriſius Diſſert. de Numiſmate Impp. Diocletiani, & Maximiani cap. 6. Alexandrum anno Imperii octavo, nondum expeditionem Perſicam ſuſcepiſſe, ac per ejus Conſulatum degiſſe Romæ, & ad Campaniæ delicias divertiſſe. Dio enim in Alexandro dixit ſe geſta anteriorum Imperatorum accurate conſcripſiſſe, Alexandri vero ſibi non licuiſſe pari diligentia perſequi, quod Romæ non eſſet diu commoratus, quodque in morbum incidiſſet: *Dicam tamen in ſumma ea, quæ uſque ad Conſulatum meum geſta ſunt*, eo nempe excluſo, cum ne verbum quidem de rebus illo anno geſtis habeat. Tum narrat initium belli Perſici, atque, Artaxerſem Romanis formidoloſum fuiſſe, *quod maximis copiis, non modo Meſopotamiam invaderet, ſed etiam Syriam, & quod Romani ita affecti eſſent milites, ut pars ad eum tranſiret, pars nobis opem ferre nollet.* Ab iis etiam invaſionibus Herodianus cap. 4. Profectionis Alexandri in Orientem cauſam deduxit. Bellum itaque Perſicum ante Alexandri, & Dionis Conſulatum ſuſceptum, ſubjungit Dio: Prætorianos ſe criminatos fuiſſe, ſed Alexandrum horum rationem habuiſſe nullam, at contra ſe magis honeſtaſſe, ſecumque una Conſulem deſignaſſe. Ex quibus manifeſtum fit jam ante annum 228. Perſas per Meſopotamiam excurriſſe; non enim niſi poſt illud tempus Dionem criminati ſunt Prætoriani, neque hic tardius deſignatus fuit Conſul, quam initio ejuſdem anni 228. Ea deſignatione facta, ne male a Prætorianis Dio haberetur: *juſſit Alexander* (ita Dio de ſe ipſo loquens,) *ut alicubi extra Urbem commorarer in Italia, tempore hujus Conſulatus mei.* Quibus verbis patet eum jam Conſulem hæc ſcripſiſſe, poſtquam domum redierat: Addit, *quod cum feciſſem Romam veni*, ubi de eo tempore intelligendus eſt, quo Conſul tantum deſignatus erat, non vero quo Conſulatum gerebat, ut perperam arbitratur Noriſius, neque enim id tutum, neque decorum fuiſſet. Tum narrat quæ poſtea geſta ſunt, *Deinde profectus ſum cum ipſo in Campaniam, verſatuſque cum eo per aliquot dies, viſuſque a militibus, cum magna ſecuritate domum redii.* Mora itaque Alexandri in Campania pertinet ad initium anni Chriſti 228. non autem ad ſequentem, ut interpretatur idem Noriſius. Nec mirum quod Dio nullam contra PERSAS ſuſceptam ab Alexandro expeditionem recitet, quia ante hujus in Orientem profectionem, jam domum redierat, ac forte etiam quia, ut docet Herodianus lib. 6. cap. 6. parum hujus belli initia fauſta fuere: quæ cauſæ eſſe potuere cur de diſceſſu Alexandri, & adverſis ejus caſibus ex induſtria ſiluerit; ſi tamen ea ſciverit, cum ipſemet aſſerat, poſtquam domum rediit, ea quæ ſequuta ſunt, non potuiſſe *pariter cum iis, quæ præceſſerunt, intelligere.* Unde, ut id obiter dicam, injuria culpatur Herodianus, quod oderit Alexandrum, cum ex optimi Hiſtorici officio, ejus incommoda diſſimulare non debuerit. Triumphus itaque Alexandri anno 229. cum Trabea Conſulari actus.

IV. *Diſcrimen in triumphum Perſicum, aliſque.*

Carolus Patinus, Erizzus, & Angelonus recte ſcripſere Alexandrum in ſuo tertio Conſulatu de Perſis triomphaſſe, ſed nummi quibus ad illud probandum utuntur, id minime oſtendunt. In iis enim quadrigæ equorum exprimuntur cum epigraphe in antica parte: IMP. SEV. ALEXANDER AUG. & in poſtica: P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. S. C. Quippe hæc, ut Noriſius doctiſſime obſervavit, non Triumphum Perſicum, ſed alias Alexandri victorias, quas per Legatos obtinuit, exprimunt. Ille enim cum Elephantorum quadrigis peragebatur, alii vero cum equis albis fiebant, cujus rei plura Veterum adduci poſſent loca, ſed ſufficiet hos Claudiani verſus ex Panegyri de ſexto Conſulatu Honorii Auguſti num. 205. afferre:

Quin & Clitumni ſacras victoribus undas,
Candida, quæ Latiis præbent armenta triumphis
Viſere cura fuit.

Sed in Triumpho de Perſis Imperatores Romanos quadrigis Elephantorum uſos, tam Alexandri Severi, quam Gordiani exemplis oſtendit idem Noriſius. Lampridius enim in Alexandro cap. 56. orationem, quam is in Senatu habuit paulo antequam triumpharet, refert, cujus hoc initium eſt: *Perſas, Patres conſcripti, vicimus. Longa eloquentia opus non eſt: tantum ſcire debetis, quæ illorum arma fuerint, qui apparatus. Jam primum Elephanti ſeptingenti: iidemque turriti cum ſagittariis, & onere ſagittarum. Ex his trecentos cepimus: ducenti interfecti jacent: decem & octo perduximus &c.* Porro eumdem Alexandrum primum de Perſis triumphum quadrigis Elephantorum egiſſe teſtatur laudatus Lampridius capite ſequenti: *dimiſſo Senatu Capitolium aſcendit* &c. *Poſt hoc cum ingenti gloria, & comitante Senatu ...... pedes Palatium conſcendit, cum retro currus triumphalis a quatuor Elephantis traheretur.* Capti enim Elephanti Senatus-conſulto currui juncti ſunt, ut victoriæ pompa illuſtrior foret. Hinc Quadrigæ elephantorum Perſici triumphi propriæ evaſere, quod iiſdem prior de Perſis triumphus Romæ ab Alexandro peractus fuiſſet. Gordianus non multo poſt, Attico & Prætextato Coſſ. anno nempe 242. ſecundum in Perſas bellum geſſit, inſignemque de iis victoriam reportavit, ut docet Capitolinus in Gordiano cap. 27. is etiam elephantos plurimos cepit, ac duodecim Romam miſit, quos poſtea Philippus ludis ſecularibus confecit. Delatis autem Romam Gor-

dicti Laureatis, aiſque in Senatu lectis, *quadriga elephantorum*, inquit Capitolinus, *Gordiano decreta ſunt, utpote qui Perſas viciſſet, triumpho Perſico triumpharet*, nempe alterum de Perſis triumphum ageret curru elephantorum vectus. Sed eam felicitatem conſecutus non eſt, a Philippo enim præfecto Prætorio, qui ei in imperio ſucceſſit apud Cteſiphontem, accenſis in ſeditionem militibus, occiſus eſt. Non itaque præfati nummi, in quibus equorum quadrigæ expreſſæ, Perſicum Alexandri triumphum reſpiciunt.

V. *Quadrigæ triumphales Alexandro decretæ.*

Victorias propter quas eidem decretæ Lampridius in Alexandro cap. 58. poſtquam de triumpho Perſico locutus eſt, perſtringit: *acta ſunt vero feliciter & in Mauritania Tingitana per Furium Celſum, & in Illyrico per Varium Macrinum affinem ejus, & in Armenia per Junium Palmatum, atque ex omnibus locis et Tabellæ laureatæ ſunt delatæ, quibus in Senatu & apud populum lectis, omnibus nominibus eſt adornatus*. Quid clarius dici potuit? ſi enim non niſi poſt triumphum actum is honor, ut ex nummis, Lampridioque deducitur, Alexandro delatus eſt, noſtra de Perſici triumphi anno conjectura, & Herodiani loci emendatio certa videtur. In præfatis nummis Tribunitia Poteſtas VIII. Alexandri memoratur, quæ cum inchoata fuerit die ſexto Martii anni Chriſti 229. eademque die anno ſequenti abſoluta, & Alexander die ſeptimo Kalendas Octobres, ut teſtis eſt Lampridius cap. 56. triumpharit, quadrigæ Illæ triumphales non niſi ipſo fine anni 229. aut initio ſequentis decretæ ſunt, omnibusque tunc nominibus Alexander adornatur.

VI. *Gallienus cum Trabea Conſulari de Perſis triumphat.*

Ex Gallieni triumpho lucem accipit annus, quo Alexander triumphavit, manifeſtumque redditur, triumphum per hæc tempora cum Trabea Conſulari actum. Victi enim ab Alexandro Perſæ, dein iterum a Gordiano profligati octodecim annos pacem ſervarunt, donec viribus reparatis, Valeriano imperante tertium Romanis bellum intulere, ac inſigni victoria acceptas ab Alexandro & Gordiano clades compenſarunt, capto Imperatore, ac Legionibus cæſis, non quidem anno ejuſdem Valeriani ſexto, ut perperam habet Pollio in Salonino Gallieno capite ultimo, ſed anno ejuſdem Imperii ſeptimo ut jam demonſtravimus tam ex nummis Græcis ejuſdem Imperatoris apud Goltzium, in quorum altero legitur: L. Z. id eſt, *anno ſeptimo*, quam Latinis præferentibus TR. P. VII. At ne univerſam Aſiam ſub jugum mitterent, Odenatus Rex Palmyrenorum effecit, Is enim Perſis in Valeriani vindictam bellum indixit, captoſque eorum Satrapas ad Gallienum miſit, *qui cum Romam deducti eſſent, vincente Odenato, triumphavit Gallienus*, inquit Pollio in duobus Gallienis cap. 10. qui diſerte tradit hunc triumphum actum *Gallieno & Saturnino Coſſ.* anno nempe Chriſti 264. Cur vero Gallienus Trabeatus de Perſis triumphare voluit, niſi quia jam ei in ſimili triumpho Alexander præluxerat? Primus enim quem poſt hunc, triumphum egiſſe legimus, Gallienus fuit.

VII. *Deſcribitur triumphus Aureliani.*

Tertius poſt Alexandrum Aurelianus triumphavit; non quidem de Perſis cum quibus pacem coluit, & a quorum Rege aureo etiam curru, quo in triumpho uſus eſt, in ſignum amicitiæ donatus fuit, teſte Vopiſco in ejus vita cap. 33. Sed de Oriente & Occidente, ut inquit idem Vopiſcus, qui cap. 33. & 34. ejus triumphum deſcribit: *Fuit*, inquit, *ſpecioſiſſimus. Currus regii tres fuerunt: in his unus Odenati, argento auro & gemmis operoſus, atque diſtinctus: alter quem Rex Perſarum Aureliano dono dedit, ipſe quoque pari opere fabricatus: tertius quem ſibi Zenobia compoſuerat ſperans ſe urbem Romanam cum eo viſuram, quod illum non fefellit. Nam cum eo Urbem ingreſſa eſt victa & triumphata. Fuit alius currus quatuor cervis junctus, qui fuiſſe dicitur Regis Gothorum, quo ut multi memoriæ tradiderunt, Capitolium Aurelianus invectus eſt, ut illic cæderet cervos, quos cum eodem curru captos vovisse Jovi optimo Maximo ferebatur. Præceſſerunt Elephanti viginti, feræ manſuetæ Libicæ, Palæſtinæ, diverſæ ducentæ, quas ſtatim Aurelianus privatis donavit, ne fiſcum annonis gravaret: Tigrides quatuor: Camelopardali Alces, cætera talia per ordinem ducta: Gladiatorum paria octingenta: Præter captivos gentium barbararum Blemyes, Axomitæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, Hiberi, Saraceni, Perſæ cum ſuis quiſque muneribus. Gothi, Alani, Roxolani, Sarmatæ, Franci, Suevi, Vandali, Germani, religatis manibus captivi præceſſerunt: inter hos etiam Palmyreni, qui ſuperfuerant Principes civitatis, & Ægyptii ob rebellionem. Ducta ſunt & decem mulieres quas virili habitu pugnantes inter Gothos ceperat, cum multæ eſſent interemptæ, quas de Amazonum genere titulus indicabat. Prælati ſunt tituli gentium nomina continentes. Inter hæc fuit Tetricus chlamyde coccinea, tunica Galbina, bracis Gallicis ornatus, adjuncto ſibi filio, quem Imperatorem in Gallia nuncupaverant. Incedebat etiam Zenobia ornata gemmis ac catenis aureis, quas alii ſuſtentabant, præferebantur Coronæ omnium civitatum aureæ titulis eminentibus proditæ. Jam populus ipſe Romanus, jam vexilla Collegiorum atque Caſtrorum, & Cataphractarii milites, & opes regiæ, & omnis exercitus & Senatus (etſi aliquantulo triſtior, quod Senatores triumphari videbat) multum pompæ addiderant.*

VIII. *Exiſtimat Chifletius Arcum Veſontionenſem triumphi Aureliani repræſentationem eſſe.*

Integrum Vopiſci de Aureliani triumpho locum præter morem exſcripſi, ut eruditus lector judicet, an Joannes Jacobus Chifletius, vir ſumma eruditione præditus, conjectura ſua bene auguratus fuerit, Arcum illum, qui Veſontione ad Cælii montis radices, *portam nigram*, vulgo dictum, viſitur, cujus expreſſam typis figuram adducit, imaginem fuiſſe triumphi Aureliani Romæ acti, quæ a Veſontinis Aureliano ex Italia redeunti poſita fuerit, ut grati animi & bene affectæ in eum civitatis præberent indicium. Ait itaque in ſua Veſontione parte prima cap. 40. & ſequentibus, eum exhibere equos, quibus fugientem Zenobiam intercepit Aurelianus, eandem cervorum pedibus ſubjacentem, quibus idem Imperator Capitolium ingreſſus eſt, & alia in Arcus parte ornatam gemmis, & catenis aureis, quas, qui utrimque comitabantur, ſuſtentabant, Herennianum & Timolaum, filios ex Odenato ſuſceptos, manu ſecum victos ducentem. Tetricus in tunica Galbina, videlicet in ludibrium, ſeminudus ducitur ab armato milite, vinctis poſt tergum manibus cum filio quem Cæſarem curaverat ab exercitu ſuo ſalutari. Duæ muliebri habitu Matronæ in luctu vel civitates duas Palmyrem & Tyanam dirutas, vel duas ex captis ſub habitu virili Amazonibus in Arcu referunt, ſic enim in Imperatorum nummis captæ provinciæ lugentes conſpiciuntur. Victor in Arcu ſummo trabeatus conſpicitur Imperator. Alatæ duæ Victoriæ, ſcilicet Orientis & Occidentis, quæ palmas tollunt, ſertum ſemicircularem, lauro, quercu, floribus, fructibuſque contextum Victori ſuperponunt. Viſitur utrimque Apollo ſub Herculis nudi figura; in Herculis enim habitu Sol vel Apollo pingebatur apud Ægyptios, & in Inſcriptione quæ apud Gruterum extat, Hercules dicitur Aureliani conſors. In eodem Arcu catena vinctam captivorum in ſerpentes deſinentium turbam Aurelianus tenet, quia, ut ex Vopiſco & Zoſimo colligitur, fuit hic Imperator Solis cultui addictiſſimus, Soli autem &

Apol-

Digitized by Google

Apollini dicatus erat ſerpens, qui & inſigne Aſiæ erat. Unde ob præclara in Thracia & Græcia geſta, victamque Aſiam ſerpentes in Arcu Aureliani frequentes viſuntur. Sub fornice apparent hominum exigua ſimulacra, quæ effigies ſunt referentium coronas, vexilla, titulos civitatum, ceteræque pompæ celebrioris fercula. Mitto alia, quæ in eodem Arcu cernuntur, quia omnibus triomphis communia, de quibus videndus idem Chiffletius, qui præfata multa eruditione illuſtrat, quique oſtendere conatur nihil in Arcu Veſontinenſi ſupereſſe, quod Aureliano ejuſque præclaris facinoribus non conveniat; quod quidem verum eſt. At ſi Arcus is triumphalis Romani ſimulacrum fuit, non tam in eo Aureliani geſta ac virtutes exprimendæ erant, quam quæ in Romano, tanquam ex Archetypo majori ſaltem ex parte figuranda. Quod an factum fuerit, rei Antiquariæ perito integrum judicium relinquo. Illud, quod tamen non advertit Chiffletius, ad Aureliani triumphum facit, quod in eo Arcu Trabea indutus conſpiciatur Imperator; ut enim in Chronologia Aurelianea oſtendemus, triumphus Aureliani anno 274. quo is Conſulatum ſecundum ordinarium geſſit, actus.

IX. *Triumphus Conſtantii & Beliſarii in Conſulatu actus.*

In Conſulatuum Cæſareorum Rationario de aliis triumphis mentio fiet. Sed de Conſtantii & Beliſarii triumphis, de quibus major difficultas, hic agendum; Baronius enim in Annalibus, & Petavius in Chronico ejuſdem Conſtantii Auguſti triumphum in annum 356. conferunt. Imo hic verum triumphum fuiſſe negare videtur, dum ſcribit: *Conſtantius Romam tertio Kalendas Majas prope triumphans ingreditur*. Qui & anno ſequenti alterum Conſtantii Romam ad celebranda ſeptima Quinquennalia ingreſſum memorat. Sed anno tantum 357. Conſtantium novies Conſulem & *ſeptima* Quinquennalia, & verum triumphum edidiſſe indubitatum eſſe debet; ita enim hæc habet Idatius in Faſtis: *Introivit Conſtantius Romam quarto Kalendas Majas, & edidit XXXV.* Ammianus vero de eodem Conſtantii Romam ingreſſu lib. 16. loquens, ait: *Tricesimo poſtquam ingreſſus eſt die IV. Kalendas Junias ab Urbe profectus eſt*. Quibus ex locis inter ſe collatis manifeſte deducitur Idatium, & Ammianum non de duobus, ut perperam arbitratur Petavius, ſed de uno eodemque ingreſſu loqui, ac ſeptima Conſtantii Quinquennalia cum ejus triumpho, de quo diſerte loquitur idem Ammianus, concurriſſe; ut enim erudite Valeſius in Notis ad lib. 16. Ammiani obſervavit, pompa, ludique Circenſes, quos hic Auctor a Conſtantio exhibitos populo Romano eſſe dicit, ad hæc ſeptima Quinquennalia referuntur. Imo idem Valeſius ex Ammiano colligit, Conſtantium ante hunc adventum, quo ludos illos edidit, Romæ non fuiſſe niſi forte puerum, & certum eſt Imperatores ſæpe triumphos cum Quinquennalibus & id genus feſtis conjunxiſſe, ut in Faſtis obſervabimus. Denique eum vere triumphaſſe, non tantum ex Ammiano, ſed & ex Sozomeno lib. 4. cap. 11. & Nicephoro lib. 9. cap. 33. manifeſte liquet. Quoad Beliſarium, quem ultimum omnium triumphaſſe dicit Onuphrius lib. 3. Faſtorum, anno Chriſti 534. in quarto Juſtiniani Conſulatu, de Vandalis ſplendidum triumphum egit, ut videre eſt apud Procopium libro ſecundo Hiſtoriæ Vandalicæ, qui eo narratu addit: *Non multo poſt Beliſario, quod ei ex veteri more, ad triumphi ſpeciem deerat, acceſſit. Conſul enim factus captivorum portatus humeris, curruique impoſitus, inde Miſſilia ſparſit in Vulgus de Vandalorum ſpoliis. Plebs argentea vaſa, Zonas aureas, multaque regii luxus inſtrumenta rapiens lætata eſt, reddito per Beliſarium antiquo conſulatus ſpectaculo*. Hanc quinta Conſulatuum Cæſareorum Regulam ita diſerte a Procopio memoratam, non niſi poſt abſolutum opus, in eodem Auctore obſervavi, gaviſuſque ſum ſcriptorem, qui dictis fidem adſtrueret, inveniſſe. Porro in hiſtoriis Byzantinis, alios poſt Beliſarium triumphaſſe legimus; ac præterea Joannem Zemiſcem, & Joannem Comnenum Imperatores Orientales triumphantium more Beatæ Mariæ Virginis imaginem poſt egregias de hoſtibus victorias reportatas, ſolemni per Urbem Conſtantinopolitanam pompa devexiſſe, ut legere eſt apud Baronium annis 972. n. XVII. & 1123. num. VII.

CAPUT DECIMUM.

Sexta, ultimaque Conſulatuum Cæſareorum Regula explicatur.

I. *Templorum dedicatio, Ludi ſeculares, & alia id genus cum Trabea Conſulari fieri ſolita.*

Obſervavi etiam ſumptum ab Imperatoribus tum Ethnicis, tum Chriſtianis, Conſulatum, iis annis in quo res majori pompa fieri ſolitæ incidebant. Verum quidem eſt, eas ut plurimum cum Quinquennalibus & id genus feſtis conjunctas fuiſſe; ſed quia id ſemper fieri non poterat, Imperatores iis annis, quibus eæ exhiberi debebant, Trabeam ſumebant. Inter hujuſmodi res dedicatio Templorum ab Auguſtis ædificatorum, Ludique ſæculares, quæ duo cum exquiſito apparatu peragi mos erat, numerari debent. Sic anno Chriſti 75. *Veſpaſiano ſextum, & Tito quartum Conſulibus, templum Pacis dedicatum eſt. & Coloſſus ſacra via collocatus, quem ferunt fuiſſe altum pedes centum*, inquit Dio lib. 66. Vides ut annis quibus dedicabantur templa, Imperator Conſul procederet, & Coloſſos, Obeliſcos & id genus alia erigeret, quod & in Quinquennalibus & id genus feſtis etiam ſolebat, ut in Faſtis digerendis oſtendemus. Sed quia in Ludis ſecularibus aliqua occurrunt, quæ explicatione indigent, de poſterioribus hic agemus, cum priores ad rem præſentem non faciant: licet porro cum quinti celebrati ſunt, nondum mos invaluiſſet, ut cum ea dignitate ederentur, ob eorum tamen cum ſubſequentibus connexionem ab iis exordium ducemus.

II. *Claudius ſextos Ludos ſeculares Trabeatus celebrat.*

Quintos Ludos C. Furnio, C. Junio Silano Coſſ. anno (nempe Romæ conditæ) 737. *Cæſar Auguſtus & Agrippa fecerunt*, inquit Cenſorinus lib. de die Natali cap. 17. Concurrit is annus Urbis Varronianus cum anno Juliano vigeſimo nono; qua in re obſervavit Auguſtus numerum ſeculi unius, ita ut poſt annos centum & decem Ludi illi editi ſint. *Sextos autem fecit Tiberius Claudius Cæſar IIII. & L. Vitellio III. Coſſ. anno IↃCCC.* inquit idem Cenſorinus: ex cujus verbis patet, Claudium ultimorum ludorum ſub Auguſto editorum rationem non habuiſſe, ſed anni tantum Urbis centenarii; cum poſt ſexaginta ſolum tres annos, ſextos Ludos ſeculares celebrarit: quo factum, ut ex ſubſequentibus Imperatoribus in iiſdem Ludis edendis alii Claudium, alii Auguſtum imitati ſint, ſeu alii poſt centum & decem annos, alii ipſis Urbis centenariis eoſdem Ludos exhibuerint. Sed quod Conſulari munere fungens eos Ludos ediderit, omnes præter Severum, ſequaces habuit. Hoc quidem a nullo, neque ex veteribus, neque ex recentioribus animadverſum, ſed ita tamen ſe habuiſſe, in legendis Faſtis a nobis ordinatis liquebit. Scaliger lib. 5. de Emendat. temp. pag. 495. ſcribit male Claudium anno Chriſti quadrageſimo ſeptimo, qui erat octingenteſimus Urbis, Ludos ſeculares celebraſſe, cum idem Urbis annus non niſi octingenteſimo primo

mo completus ſit. *Deberet igitur*, inquit, *anno quadrageſimo octavo*. Sed vana hæc obſervatio, cum falſiſſimo innitatur fundamento, Antiquos nempe non niſi annos integros in eorum collectione numeraſſe, Quem in errorem non tantum idem Scaliger, ſed & plures alii, quemadmodum ſibi dinimus, inciderunt. Idem Auctor in eodem errore conſtans perperam etiam docuit Seculum antiquitus centum & undecim annis conſtatum fuiſſe, cum certum ſit, illud tantum centum & decem annis, ultimo extremo numerato, conſtaſſe.

III. *Ludos ſeculares Domitianus Trabeatus edit.*

Septimos (nempe ſeculares Ludos) *Domitianus* (celebravit) *ſe XIV. & L. Minucio Ruſo Coſſ. anno IↃCCCXLI.* inquit Cenſorinus. Is annus Urbis cum anno Chriſti 88. convenit. Quare Domitianus Ludorum ſecularium, non a Claudio, ſed ab Auguſto editorum rationem habuit; quamquam nec hoc tempus recte obſervarit, cum aliqui anni deſint; quare non niſi animi ſui libidinem ea in re ſecutus eſt; exemplo tamen Claudii Conſulatum aſſumpſit. Ex iis Ludis, ejus Triumphis, Quinquennalibus, & cetera hujuſmodi, plurium ejus Conſulatuum ratio reddi poteſt. Antoninus Pius, anno Urbis nongenteſimo, qui cum anno Chriſti 147. concurrit, Ludos ſeculares celebrare debuit; ſed Cenſorini de iis ſilentium, illos tunc editos non fuiſſe oſtendit. Victor tamen Schotti hæc ſcribit: *Denique annis, quibus publica egit, viginti, idem manſit, celebrato magnifice Urbis nongenteſimo*. In quorum Ludorum a ſecularibus diverſorum celebratione, Ludorum ſecularium a Claudio editorum rationem habuit, ſed tamen, ut ille, Conſulatum non cepit. Quibus Victoris verbis plane convellitur Scaligeri ſententia ſupra allata, Ludos nempe ſeculares ſextos edendos fuiſſe anno Urbis conditæ 801.

IV. *Severus ſine Trabea Ludos Seculares celebrat.*

Octavos (nempe ſeculares Ludos) *Imperatores Septimius, & M. Aurelius Antoninus, Silone, & Libone Coſſ. anno IↃCCCCLVII.* celebrarunt. Cadit is Conſulatus in annum Chriſti 204. quo Severus, nulla Claudii, ac Domitiani Ludorum ſecularium ratione habita, anno duceteſimo viceſimo poſt exhibitos ab Auguſto Ludos quintos, octavos edidit. Quod etiam in cauſa forte fuit, cur Severus Conſulatum non capeſſierit, quia Auguſtus ſine Trabea quintos Ludos edidit. A Ludis Auguſti, nempe ab anno Urbis 737. ad Ludos Severi, annum videlicet Urbis 957. anni ſunt ducenti, ac viginti, ultimo termino comprehenſo, ſeu duo Secula, uti antiquitus numerabantur; ex quo & magis Scaligeri ſententia evertitur, qui vult Seculum annis centum & undecim fuiſſe compoſitum. Loquitur de iſtis Severi Ludis Herodianus lib. 3. cap. 8. Cujus verba crucem doctis fixere: *αἰωνίους δὲ αὐτοὺς ἐκάλουν ἐν τῷ τότε, ἀκούοντες τριῶν γενεῶν διαδραμουσῶν ἐπιτελεῖσθαι*, id eſt, *ſeculares hi tunc appellabantur, celebratos*, (intellige vidimus) *ut ajunt decurſo trium ſpatio Ætatum*, Γενεᾶς vocabulo ſæpe utuntur antiqui Hiſtorici, quot vero annos Γενεὰ contineat, & quid eo nomine intellexerit Herodianus, inter doctos non convenit, ut videre eſt apud Lindenbrogium in Notis ad caput 17. Cenſorini, & Boeclerum in Notis ad Librum tertium Herodiani pag. 419. ſed non dubito, quin hic accipi debeat pro ſæculo centum annis compoſito, & Herodianus intelligendus ſit de ſpatio trecentorum annorum, ſeculis inchoatis pro integris numeratis, ut ejus moris eſt; niſi enim ita numeraveris, difficulter te ex hac voce expedies. De ultimis Ludis ſecularibus Cenſorinus non egit, quia auream ſuum libellum de die natali, anno Chriſti 238. compoſuit, ut primus omnium, ſummo Chronologiæ bono demonſtravit Scaliger. Quare de his major difficultas,

V. *Milleſimus urbis cum Trabea a Philippo celebratus.*

Nonos, ac poſtremos ſeculares Ludos, uterque Philippus, pater, & filius anno Urbis milleſimo celebrarunt, ſed magna inter eruditos fervet controverſia, an anno Urbis milleſimo inchoato, ſeu Chriſti 247. an vero milleſimo primo incœpto, Chriſti videlicet 248. ii Ludi editi ſint. Scaliger enim lib. 5. de Emendat. temp. pag. 493. Petavius lib. 11. de Doctrina temp. cap. 25. Noriſius Diſſert. de Vot. Decennal. cap. 8. aliique, Onuphrium ſecuti, contendunt, anno primo ſupra milleſimum ineunte, hos celebratos eſſe. Baronius, cui multi adhæſere, arbitratus eſt, eos in annum Urbis milleſimum ineuntem, Chriſti 247. ſeu ſecundum corruptam ejus per ea tempora Chronologiam anno 249. exhibitos fuiſſe, a quo non diſcedunt Bollandus, & Henſchenius in vita S. Fabiani Papæ, quæ vigeſimo Januarii die in actis Sanctorum legitur. Paragrapho enim 14. num. XXIII. ſcribunt; *inchoata eſt hæc ſolemnitas anno Chriſti 247. ipſis Palilibus XI. Kal. Maii, Coſſ. Philippo patre II. filio primum, abſoluta iiſdem Coſſ. patre III. filio II. & hic poſtremus annus fere ſecularibus Nummis inditur, quod forte miſſilia ejuſmodi Numiſmata, vel Kalendis Januariis vel ipſo Philippi Natali, menſe Martio, erogata ſint.* Hæc ſententia, ut mihi videtur, certiſſima. Cur enim Philippus pater Philippo filio Collega anno 247. Conſul proceſſit, niſi quia hos Ludos Trabeatus celebrare volebat? neque aliter intelligendus Capitolinus, quando in vita Gordiani Junioris cap. 23. de eodem Philippo loquens, ait: *Milleſimum ab Urbe condita annum in Conſulatu ſuo, & filii ſui celebravit.* Quæ etiam opinio ex Chriſtianorum Jubileo confirmatur; Illud enim a Natali Chriſti centeſimi anni ineuntis incipit, & ad Natale ejuſdem centeſimi exeuntis terminatur; quia nempe quando illud inſtitutum iis perſuaſum fuit, eoſdem Ludos, in quorum locum ſubſtituebatur, a Palilibus anni Chriſti 247. ad Palilia anni ſequentis continuatos fuiſſe. Neque refert ſi dicas etiam anno 248. Philippum patrem III. & Philippum filium II. Conſules fuiſſe, hic enim utriuſque Conſulatus, eorum Quinquennalibus, non vero Millenario Urbis dicatus fuit; cum Philippus anno 244. Imperium ſuſceperit, & Philippum filium eodem anno Cæſarem renuntiarit (ut patet ex variis legibus Codicis Juſtinianei Peregrino, & Æmiliano Coſſ. ſubſcriptis, a Philippo Auguſto, & Philippo Cæſare, ut in earum inſcriptione legitur, datis.) ac utriuſque Quinquennalia in eundem annum Chriſti 248. inciderint. Vana ſunt pariter Scaligeri fundamenta, qui ait in nummis, qui Ludos ſeculares exhibent, tertium Philippi Conſulatum legi, & annum milleſimum Urbis non niſi anno milleſimo primo inchoato abſolutum cenſeri, ei enim jam ſatisfactum. Noriſius his verbis Victoris de Cæſaribus innititur; *Noſtra quoque ætate poſt mille annos Centeſimus, Conſule Philippo, exceſſit, nullis, uti ſolet, ſolemnibus frequentatus. Adeo in dies cura minima Romanæ Urbis*, Philippi ſilii Collegæ Conſulatus in annum Chriſti 248. competit; quo annus Urbis undecies centeſimus evolutus eſt. Unde deducit Noriſius, Ludos ſeculares eo anno Chriſti celebrari debuiſſe; ob idque annum Chriſti 248. decimos Ludos ſeculares vidiſſe. Sed ex iis Victoris verbis contrarium omnino ſequitur. Querebatur enim is, quod undecimum Urbis ſeculum nullis ludis, uti ſolebant alia, frequentatum exceſſiſſet, non vero quod eo tranſacto, ii celebrari deberent. Neque ſatis mirari poſſum viros doctiſſimos, non advertiſſe opinionem, qua imbuti erant facto Claudii, & Antonini Pii, qui in ipſis Urbis centenariis, Ludos ediderant, (ad quod reſpexiſſe utrumque Philippum, indubitatum videtur) ju-

gu-

gulatam fuiſſe: Sicuti & authoritate Oſorli ſcriptoris Antiqui, qui lib. 7. cap. 20. Ludos Philippi ad annum ejus quartum initio anni Chriſti 247. inchoatum, refert: *Poſt annum tertium Imperii Philippi, milleſimus a conditione Romæ annus completus eſt: ita Ludis magnificis auguſtiſſimus omnium præteritorum hic Natalis annus a Chriſtiano Imperatore celebratus eſt*. Hæc igitur controverſia Philippi Patris II. & Philippi filii Conſulatu dirempta.

VI. *Decimi Ludi ſeculares celebrati non ſunt.*

Decimi Ludi Seculares in annum Chriſti 304. Urbis 1057. Diocletiani IX. & Maximiani VIII. Conſulatu notatum, vel in annum 213. Urbis 1066. quo Conſtantinus, & Licinius ter Conſules proceſſere, incidebant; qui cum prætermiſſi fuiſſent, Zoſimus, Author paganus lib. 2. hiſt. de hac omiſſione queſtus eſt: *A Conſulatu Libonis, & Chilonis, quo Severus Ludos ſeculares exhibuit, uſque ad Diocletiani IX. & Maximiani VIII. Conſulatum, centum & unus anni elapſi fuerunt. At tunc quidem privatus ex Imperatore Diocletianus factus eſt, cujus exemplum Maximianus ſecutus eſt. Verum Conſtantino III. & Licinio III. Coſſ. centum & decem annorum tempus integrum aderat, quo Ludos, conſueto more, celebratos oportuit*. Obſervatu dignum, quod iis annis, in quos decimi Ludi ſeculares cadebant, Imperatores Conſulatum ediderint. Quod vero ibidem dicitur de Diocletiani & Maximiani abdicatione, eam nempe anno Chriſti 304. factam fuiſſe, ſuo loco a nobis confutatum. Sed nec Honorius, quod Onuphrius libro ſingulari de Ludis ſecularibus, Baronio in Annalibus, Petavio in Chronico, cæteriſque perſuaſit, decimos Ludos ſeculares anno Chriſti 404. Urbis 1157. quo alterum ſeculum a nono Diocletiani Conſulatu evolutum erat, celebravit: Verum quidem eſt Honorium, hujus Imperatoris exemplo, ſextum Conſulatum Ariſtæneto Collega ſumpſiſſe, Ludoſque gladiatorios ſuo tempore editos eſſe, ut diſcimus, ex Theodoreto lib. 5. cap. 26. & Prudentio contra Symmachum lib. 2. ſed illum Ludos ſeculares edidiſſe, neque ex iiſdem Ludis gladiatoriis, neque ex Claudiani panegyri in eodem ſexto Conſulatu dicta, quæ duo, hujus opinionis fundamenta, probari poteſt. Ludi enim Gladiatorii, de quibus infra, variis in occaſionibus fiebant, & Claudianus in ea Panegyri ſexcentis ſexaginta verſibus conſtante, in qua hujus Imperatoris Romam, quo numquam fuerat, ingreſſum, laudum argumentis undique petitis exornat, nullam de Ludis ſecularibus mentionem facit, licet nulla alia res cum hoc ingreſſu conjuncta luculentiorem Laudis materiam ſubminiſtraret. Plurimi namque, ingenteſque, aliquot ante eorum celebrationem annos, apparatus fiebant, ut ex iis, quæ Caſſiodorus in Chronico de Urbis millenario, & Lactantius lib. de mortibus Perſecutorum de præparationibus ad Decennalia Maximiani Galerii habent, colligere licet. Profecto de ſecularibus Claudianus non tacuiſſet. Contra, quia eorum omiſſio, Populo ingrata, dum Urbem Romam Honorium alloquentem, hunceque cunctantem querelis ſuis impellentem inducit, ad eos non niſi ſtrictim, & modeſte alludit. Sed, ut magis pateat quantum ii, qui cum illi ſenſum affinxere, aberraverint, præſtat tempus, quo hæc Panegyris dicta, ejuſque verſus eſſerre.

VII. *Claudianus decimis Ludis ſecularibus non favet.*

Habita hæc de more Kalendis Januariis anni 404. quibus Romam Conſulatum initurus, Honorius ingreſſus eſt, quod Scaliger lib. 5. de Emendat. temp. pag. 525. ex ejuſdem Claudiani verſibus num. 540. docte deducit.

—Namque ideo pluviis turbaverat omnes
Ante dies, lunamque rudem madefecerat Auſter,
Ut tibi ſervatum ſcirent convexa ſerenum,

Diem Claudianus ſerenum fuiſſe dicit favore quodam Numinis, cum antecedentes dies & exitum Decembris pluviæ infeſtaſſent, Luna adhuc rudi, ſeu in Novilunio, quod anno 403. in diem vigeſimum nonum Decembris incidit. Mirumque Nicolaum Heinſium, alioſque, qui qui Poetam nobiliſſimum notis ſuis illuſtrarunt, hoc dictæ Panegyris tempus non obſervaſſe, ſine quo plures ejus verſus recte explicari non poſſunt, ut ii, quibus utuntur, qui Ludos ſeculares ab Honorio reſtitutos contendunt, quique num. 390. leguntur.

——— Jam flaveſcentia centum
Meſſibus æſtiva detondent Gargara falces,
Spectandoſque iterum nulli, celebrantia Ludos
Circumflexa rapit centenus ſecula Conſul.
His annis, qui luſtra mihi bis dena recenſent,
Noſtra, ter Auguſtos, intra pomœria vidi.

Quibus Claudianus, ſeu Roma, quam loquentem inducit, hoc tantum denotat, ſeculum prætereiſſe, ex quo Auguſti ab Urbe abſunt, & per illius decurſum tres ſolum, id eſt paucos Imperatores, in ea viſos fuiſſe. Centum autem illos annos duplici periphraſi exprimit, altera a centum meſſibus, altera ab evoluto ſpatio Ludorum ſecularium deducta; quæ repetitio, loquendique modus, præſertim cum de annis ac temporum intervallis agitur, apud Poetas frequentiſſimus eſt. Deducit ſecundam periphraſim a Ludis ſecularibus, quos ex formula, qua proclamabantur, *ſpectandos iterum nulli*, vocat, potius quam ex alia re, quia is annus centeſimus erat, Honoriuſque centenus Conſul, poſt annum 304. quo celebrari debuiſſent, juxta ordinationem ab Auguſto alias factam. Veſtigium extat hujus formulæ apud Herodianum lib. 3. cap. 8. ubi de Ludis ſub Severo actis loquens, ait: *Siquidem Urbe tota, atque Italia, præcones ibant convocatum omnes ad Ludos, quos nec vidiſſent hactenus, nec viſuri poſtmodo forent: ita ſcilicet intervallum præteritæ futuræque celebritatis ſupra omnem eſſe hominum ætatem ſignificantes*. Hæc ultima verba, *ſupra omnem eſſe hominum ætatem*, ſic in græco exprimuntur: *πᾶσαν ἡλικίαν ἀνθρώπων ὑπερβαίνειν*, ex quibus intelligis Herodianum nomine γενεᾶς, de quo num. IV. egimus, nihil minus ſignificare, quam ἡλικίας voce, quæ præter alia ſignificata, ætatem, & ſeculum denotat; unde explicatio a nobis tunc data, optima, Onuphrii vero lib. de Ludis ſecularibus, qui dicit per γενεὰν Herodianum triginta tres annos, & quatuor menſes, quibus aliqui Antiqui ſeculum compoſitum dicunt, intellexiſſe, minime admittenda. Ea porro formula deſignabat, eos non viſuros iterum eoſdem Ludos, quando exhiberentur, quia tandiu victuri non erant; ſed Claudianus argute dicit: *ſpectandoſque iterum nulli &c.* id eſt, nec ultimo ſeculo viſos, nec iterum eodem ſpectandos, quia nempe celebrandi non erant. Quod ſi Claudianus ſcripſit, ut habent omnes veteres editiones, & omnia ferme manuſcripta, *ſpectatoſque iterum nulli*, intelligit, ut exiſtimo, eoſdem Ludos poſt Severum viſos non fuiſſe, neque eo anno viſum iri. Heinſius tamen *ſpectandos* repoſuit ex fide unius Codicis Medicei, in quo & nos idem legimus opera viri clariſſimi Antonii Magliabechi Sereniſſimi Etruriæ Ducis Bibliothecarii, magni litteratorum omnium fautoris nobiſque amiciſſimi. Sed ſive eam, ſive illam lectionem ſecutus fueris, Claudianum contrarium habebis.

VIII. *Ludorum ſecularium ſub Honorio aliorum fundamenta vana.*

Explodendi igitur decimi illi ſeculares Ludi, ſicuti & reſtitutio Gladiatoriorum, quæ duo immerito Honorio adſcripta. Tantum enim abeſt, ut hos, ſicuti exiſtimavit Baronius, anno 395. num. XIX. & XXVI. antiquum in ſtatum reduxerit, id a Theodoreto, loco laudato ſcri-

ptum

ptum fuerit, & ex Prudentio colligi poſſit, ut contra, Honorius eos a Deceſſoribus Romæ toleratos ſuſtulerit, ut diſerte docet ibidem Theodoretus. Quod Prudentium lib. 2. adverſus Symmachum ſub finem, Honorium, poſtquam Romam advenit, ad Ludos gladiatorios penitus tollendos cohortatus eſt, quod Honorium hoc ipſo anno 404. præſtitiſſe, ex eo deducit Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani, quod Claudianus ſub finem laudatæ Panegyris, ſimulacra tantum Ludorum gladiatoriorum tum exhibita deſcribat. Sed de his videndus idem Gothofredus tom. 5. Codicis Theodoſiani *de Gladiatoribus* tit. 12. l. 1. ubi egregia hanc in rem habet, quibus Annales Eccleſiaſtici plurimum illuſtrari poſſunt. Lapſum Onuphrii Scaliger lib. 5. de emendat. Temp. pag. 390. agnovit, Ludoſque ſeculares ſub Honorio geſtos negavit; ſed in explicandis laudatis Claudiani verſibus falſa veris admiſcens, Doctorum virorum in Onuphrii ſententiam concedentium curſum ſiſtere non potuit: ait enim, in iiſdem verſibus nullum eſſe centeſimum annum, neque ullum ſeculum Romanum, licet ab hoc alteram periphraſim Poeta manifeſte deducat. Addit, ultimos Ludos ſeculares eos eſſe, quos Philippi Auguſti ediderunt, nullamque in Claudiano ſubeſſe cauſam Centenarii Natalis Urbis, non advertens a Ludis a Severo actis, ad ſextum Honorii Conſulatum, certum, & definitum duorum ſeculorum ſpatium fluxiſſe, ideoque Claudianum ad eoſdem, non vero ad Ludos, Philippis Imperantibus, celebratos alluſiſſe. Denique de Ludis gladiatoriis, quos jam ſublatos Honorium reſtituiſſe viris doctis perſuaſiſſimum erat, ſilet. Quare non mirum, ſi hanc opinionem tam penitus inſitam ex animis evellere non potuerit. Illud tantum mihi præter opinionem accidit, ut Gothofredus in Commentario ad legem 17. *de Judæis*. quæ præfato anno 404. Romæ ab Honorio data eſt octavo Kal. Auguſti, ſcripſerit hoc ipſo anno & tempore æſtivo Ludos ſeculares Romæ habitos: idque teſtari Claudianum in ſextum Conſulatum Honorii; licet in Commentario legis primæ *de Gladiatoribus* jam docte oſtendiſſet, Honorium eo anno Romæ poſitum Gladiatores ſuſtuliſſe, & quidem, ut prodit Theodoretus lib. 5. cap. 26. occaſione Telemachi Monachi, qui ex Oriente Romam profectus, gladiatoreſque Romæ pugnantes pio quodam ardore deducere conatus, a ſpectatoribus lapidibus obrutus fuit. Quam ob rem idem Imperator *Gladiatorum ſpectacula olim Romæ fieri ſolita ſuſtulit*, inquit idem Theodoretus, qui his verbis manifeſtum facit, verum non eſſe quod a Baronio in Annalibus, aliiſque creditum Gladiatores a Conſtantino Magno Romæ ſublatos fuiſſe: Secundo eos Romæ poſt ejuſdem Imperatoris mortem recruduiſſe; Tertio Theodoſium Magnum eoſdem aboleviſſe; ac denique antea ſublatos in eadem Urbe, Honorio imperante, recruduiſſe. Quos errores cum probe notaverit idem Gothofredus, Ludorumque gladiatoriorum ſimulacra tantum Claudianum in eadem Panegyri deſcripſiſſe recte dixerit, in communem poſtea omnium errorem, Ludos nempe ſeculares eodem anno actos, non videbatur inclinare debere. Præfata itaque Theodoreti verba, quibus communis opinio innititur, contrarium oſtendunt, neque Claudiani verſus eidem ſuffragantur.

CAPUT UNDECIMUM.

Cæſareorum Conſulatuum ab Auguſto ad Marcum Aurelium & Lucium Verum Rationarium, ac Quinquennaliorum, & id genus feſtorum ordinatio juxta traditas Regulas.

I. *Ordinatio conſulatuum & Quinquennaliorum ab Auguſto cœpta.*

Licet poſt Auguſtum Regulæ, quæ Conſulatuum Cæſareorum notæ & indices, Quinquennaliaque & id genus feſta incipiant; Nihilominus quia tam Regulæ, quam feſta, eo imperante, adumbrata ſunt, ipſeque exemplar fuit, quod ſibi cæteri Imperatores imitandum propoſuere, a Caii Julii Cæſaris morte cui ſucceſſit, tam Faſtorum quam Quinquennaliorum ordinationem exordiemur, conquiſitis undique argumentis, quæ ad eamdem rem facere videbuntur. Sufficeret quidem Cæſarum & Auguſtorum Conſulatus, eoſque quibus hujuſmodi feſtivitates illigatæ, hic recenſere, & utrorumque rationem reddere; ſed quia plurimum refert Faſtos Conſulares animo affigere, ac reminiſcendi cauſa ſub unum aſpectum ſubjicere, ideo ſecluſis aliis difficultatibus, quæ ne memoria retineantur, efficiunt, integros hic deſcribemus, & aliquibus in locis emendabimus; adeo ut hæc Conſulum ſeries, quacumque alia jam in lucem data accuratior futura ſit; & ob connexionem cum Quinquennalibus & id genus feſtis miræ in poſterum utilitatis. Cæterum tam in cauſis eorumdem Conſulatuum; quam Quinquennaliorum annis aſſignandis aliquid conjecturæ dabimus, & ubi eidem locus deerit, quod tamen raro continget, Conſulatus intactos relinquemus, & annum quintum Imperii decimum, & ſic deinceps indicabimus, ne divinare velle videamur. Annos Urbis Varronianos a morte Caii Julii Cæſaris, a qua Romani Imperii initium pendet, ad Eræ uſque Chriſtianæ initium adhibebimus; & hanc ſeriem majoris claritatis gratia in varia capita diſtribuemus. In quolibet autem obſervandi erunt, ac ſi poteſt, memoriæ mandandi Conſulatus ii, aut qui inter Eruditos magis controverſi, aut ſub quibus res celebriores geſtæ: hujus enim cognitionis defectu fit, ut in doctrina temporum a ſummis etiam viris non raro peccetur, & quod extricare tentant, minus procedat.

II. *Faſti ab Imperii initio ordinati.*

Anno Urbis conditæ 710. Conſules C. *Julius Cæſar V.* & *M. Antonius*, Idibus Martiis idem Julius a conjuratis interfectus eſt. Ab ejus morte, Caii Octavii Auguſti initium ab aliquibus Hiſtoricis deductum.

711. C. *Vibius Panſa* & *A. Hirtius*, qui cum deceſſiſſent, C. Octavius Cæſar, & Q. Prdius, die dreima nona Septembris eiſdem ſuffecti ſunt. A quo die & anno ejuſdem Octavii Cæſaris Imperium a quibuſdam deſumptum. Ejus exemplo, Imperii initio Conſulatum ut plurimum Imperatores poſtea capeſſiere.

712. *M. Æmilius Lepidus*, & *Munacius Plancus*.

713. *P. Servilius Vatia Iſauricus II.* & *L. Antonius*.

714. *Cn. Domitius Calvinus II.* & *C. Aſinius Pollio*.

715. *L. Marcius Cenſorinus*, & *C. Calviſius Sabinus*.

716. *Ap. Claudius Pulcher*, & *C. Norbanus Flaccus*. ERA HISPANICA Kalendis Januariis inchoatur.

757. *M. Vipſanius Agrippa*, & *L. Caninius Gallus*.

718.

718. *L. Gellius Poplicola*, & *M. Cocceius Nerva*.

719. *Sext. Pompeius Magni filius*, & *L. Cornificius*.

720. *M. Antonius II.* & *L. Scribonius Libo*.

721. *C. Cæſar Octavianus II.* & *L. Volcatius Tullus*. A primo Octavii Cæſaris Conſulatu ad ſecundum, anni decem evoluti ſunt. Ex quo forſan factum, ut ex ejus ſucceſſoribus plures anno decimo Imperii vel ineunte, vel tranſacto, eamdem dignitatem ſumpſerint.

722. *Cn. Domitius Ahenobardus*, & *C. Soſius*.

723. *C. Cæſar Octavianus III.* & *M. Meſſala Corvinus*. Videtur is Conſulatus ab Octavio ſumptus ob bellum Ægyptiacum, noviſſimum bellum civile cum M. Antonio geſtum; quem ad Actium Promontorium quarto nonas Septembris, ut tradit Dio, ſuperavit.

724. *C. Octavius Cæſar IV.* & *M. Licinius Craſſus*. Hunc Conſulatum cepiſſe videtur Auguſtus, ut bellis civilibus ultimam manum imponeret, quod & præſtitit Alexandria in poteſtatem redacta.

725. *C. Octavius Cæſar V.* & *Sext. Apuleius Nepos*. Sub his Conſulibus Octavius Cæſar tres triumphos egit, Dalmaticum, Actiacum, & Alexandrinum; indeque factum, ut poſtea Imperatores cum Conſulari Trabea ut plurimum triumpharint.

726. *C. Octavius Cæſar VI.* & *M. Vipſanius Agrippa II.* decimus quintus annus hic eſt a primo Octavii Conſulatu, quo etiam poſtea ſucceſſores eam dignitatem de more capeſſiere.

727. *Octavius Cæſar VII.* & *Vipſanius Agrippa III.* Hoc anno idem Octavius Romani Orbis Imperium in decennium accepit, ut diximus capite ſecundo hujus ſecundæ partis numero primo. Unde Imperatorum Decennalia nata.

728. *C. Octavius Cæſar VIII.* & *T. Statilius Taurus II.* Hic & duo Conſulatos ſequentes ob bellum Hiſpanicum ab Auguſto ſuſcepti videntur.

729. *Auguſtus Cæſar IX.* & *M. Junius Silanus*.

730. *Auguſtus Cæſar X.* & *C. Norbanus Flaccus*.

731. *C. Cæſar Auguſtus XI.* & *Cn. Calpurnius Piſo*. Eſt hic annus viceſimus abſolutus a primo Auguſti Conſulatu, quintuſque ab eo anno, quo orbis Imperium in decennium ſuſcepit. Tribunitia poteſtas, & Proconſulare Imperium eodem anno eidem collatum, qua de re egimus prima parte cap. 3. num. VIII.

732. *M. Claudius Marcellus Æſerninus*, & *L. Aruntius*.

733. *Q. Æmilius Lepidus*, & *M. Lollius*.

734. *M. Apulejus Nepos*, & *P. Silius Nerva*.

735. *Q. Sentius Saturninus*, & *Q. Lucretius Viſpillo*.

III.
Origo Decennaliorum.

736. *P. Cornelius Lentulus*, & *Cn. Cornelius Lentulus*. Cum decimus confirmati imperii annus Auguſto exiret, in proximum quinquennium alterum regimen accepit, ut ex Dione cap. 2. hujus diſſert. n. 2. oſtendimus. M. vero Agrippæ, qui Juliam ejus filiam uxorem duxerat, Tribunitiam poteſtatem ad idem quinquennium dedit. Herodes Judææ Rex, qui in omnibus Auguſto placere cupiebat, templum Hieroſolymitanum hoc anno cœpit extruere, vetere diruto. Joſephus quidem lib. 15. Antiquit. cap. 14. dicit id factum *anno decimo octavo ejuſdem Herodis*, qui præcedenti abſolutus eſt. Sed tempus quod inde fluxit ad materiam operi aggrediendo neceſſariam comparandam inſumptum. Ab hoc Auguſti quinquennio Imperatorum Quinquennalia originem ducunt, Cæſareſque & Auguſti in Quinquennalibus & id genus feſtis, Cæſaris Octavii facto præeunte, poſtea de more nuncupati; urbeſque etiam in hujuſmodi ſolemnitas conſtructæ, & dedicatæ.

737. *C. Furnius*, & *Junius Silanus*.

738. *L. Domitius Ahenobardus*, & *P. Cornelius Scipio*.

739. *M. Livius Druſus*, & *L. Calpurnius Piſo*.

740. *Cn. Lentulus*, & *M. Licinius Craſſus*.

IV.
Origo Quinquennalium.

741. *Tiberius Claudius Nero*, qui poſtea Imperator fuit, & *P. Quintilius Varus*. Agrippæ in aliud quinquennium Tribunitia poteſtas ab Auguſto prorogata, ut tradit Dio, & ſine dubio etiam Auguſto; licet id idem Hiſtoricus non dicat. Anno ſequenti idem Agrippa mortuus eſt. Hoc vero Auguſtus Pontifex Maximus factus, Unde proceſſiſſe videtur, ut in Quinquennalibus & id genus feſtis Imperatores Religioni, ediuſque Eccleſiaſticis conſuluerint.

742. *M. Valerius Meſſala*, & *P. Sulpicius Quirinus*.

743. *Paulus Fabius Maximus*, & *Q. Ælius Tubero*.

744. *Julius Antonius*, & *Q. Fabius Africanus*.

745. *Claudius Druſus Nero*, & *T. Quintius Criſpinus*.

746. *C. Martius Cenſorinus*, & *C. Aſinius Gallus*. Altero decennio jam ad finem accedente, Imperium Auguſto quintum in decennium prorogatum, uti loco laudato oſtendimus, ubi & de Encæniis templi Hieroſolymitani hoc anno actis, ut recte Uſſerius in Annalibus veteris & novi Teſtamenti, qui tamen ejus ædificationem tardius quam par fuerat, conſignavit. Hinc origo templorum in Quinquennalibus & id genus feſtis dedicandorum.

747. *Tiberius Claudius Nero II.* & *Cn. Calpurnius Piſo*.

748. *D. Lælius Balbus*, & *C. Antiſtius vetus*. Auguſtus, ut Caium & Lucium nepotes compeſceret, Tiberio Tribunitiam poteſtatem in quinquennium conceſſit, ut docet Dio, lib. 55. quo quinquennio elapſo privatus Tiberius remanſit uſque ad tempus, quo ab Auguſto adoptatus eſt. Factum inde ut aliquando extra Quinquennalium & id genus feſtorum annos, tam Imperatores, aut etiam Cæſaream dignitatem aliis communicaverint, licet id raro contigerit.

749. *C. Cæſar Auguſtus XII.* & *L. Cornelius Sylla*. Suetonius in Auguſto cap. 26. cauſam cur duodecimum & decimum tertium Conſulatum Auguſtus ſumpſerit, nos edocet, *ut*, inquit, *Cajum & Lucium filios ampliſſimo præditus magiſtratu ſuo quemque deduceret in forum*, ut nempe uterque Conſulatum iniret poſt quinquennium: ex hoc Auguſti facto ſexta Conſulatuum Cæſareorum Regula natu eſſe videtur. Sub his Coſſ. Chriſtus natus eſt ſecundum probabiliorem ſententiam.

750. *C. Calviſius Sabinus II.* & *L. Paſſienus Rufus*.

751. *C. Cornelius Lentulus*, & *M. Valerius Meſſalinus*.

752. *C. Cæſar Auguſtus XIII.* & *M. Plautius Silvanus*. Auguſtus, quemadmodum ſupra diximus, hunc Conſulatum capeſſiit, ut Lucium filium adoptivum in forum deduceret, iiſdem datis illi honoribus, qui in fratrem Caium ante triennium fuerant collati. Hic itaque Conſulatus, juxta VI. Conſulatuum Cæſareorum Regulam.

753. *Coſſus Cornelius Lentulus*, & *L. Calpurnius Piſo*. Natale Chriſti Dionyſianum ſeu vulgare ſub his Coſſ. conſignatur, ideoque anno ſequenti Calendis Januariis Era Communis ſeu Chriſtiana, qua in poſterum utemur, incipit.

V.
Initium Eræ Chriſtianæ.

ERÆ CHRISTIANÆ INITIUM.

Anno Chriſti primo. *Cajus Cæſar*, & *Lucius Æmilius Paulus*. Ad hunc Conſulatum Cajus de-

deſignatus fuerat in duodecimo Auguſti Conſulatu. Dubitatum tamen fuit ad hæc uſque noſtra tempora, utrum ipſe Auguſtus, vel idem Cajus ejus nepos Conſulatum hunc ediderit. Petavius lib. 12. de Doctrina temp. tam in Laterculo Conſulum, quam cap. primo Conſules hoc anno proponit Auguſtum XIV. & L. Æmilium Paulum, qui tamen in Chronico Caium poſtea Cæſarem exhibet. Baronius etiam Auguſtum & Æmilium Paulum profitetur. Sed Auguſtum tredecim tantum Conſulatus geſſiſſe in poſterum certum eſſe debet, quia Dio in Indice Conſulari lib. 55. in quo fundantur, qui in iſto errore verſati ſunt, iis minime ſuffragatur. Nam, ut notat Muretus in Notis ad Tacitum lib. 2. cap. 9. Guillelmus Xilander Dionis interpres, cum in textu legiſſet, Γ Αὐγύστου ὑιὸς, id eſt, *Caius Auguſti filius*, niſi quod Librarius leviter erraverat, & pro Αὐγύστου ſcripſerat, Αὐγουστόυ, *Cæſarem Auguſtum* vertit, & de ſuo addidit XIV. Primus igitur ille hujus erroris cauſam præbuit, a quo nobiliſſima Era qualis eſt Chriſtiana, exordiri non debet.

2. *P. Vinitius & P. Alfenius Varus.*

3. *L. Ælius Lamia, & M. Servilius.*

4. *Sex. Ælius Catus, & C. Sentius Saturninus.* Caius Cæſar in Syria moritur poſt menſes octodecim, quam frater ejus Lucius obierat. Suetonius in Auguſto cap. 65. idque nono Kalendas Martias, ut legi in Inſcriptione, quæ Piſis extat in loco Campo-ſancto dicto. Tum Tiberius *Quinto Kalendas Julias* ab Auguſto adoptatur, Tribunitiaque poteſtate exornatur, qua de re videnda quæ diximus parte prima, capite 5. Adoptati & eadem die Germanicus, & Agrippa Marci Agrippæ filius; duo priores ab eo tempore Cæſares nuncupati. Auguſtus antea tertio principatus decennio ad finem accedente, in quartum decennium Imperium ſuſcepit. Qua de re actum cap. 2. hujus partis. Accepit etiam Proconſulare Imperium Auguſtus ad cenſum in Italia peragendum, ut docet Dio lib. 55. factum inde ut Imperatores in Quinquennalibus & id genus feſtis cenſum egerint, adoptiones fecerint, Cæſares nuncuparint, & Tribunitiam poteſtatem conceſſerint, ut jam ſupra tetigimus; uſuum enim & morum originem obſervare plurimum refert.

5. *L. Valerius Meſſala Voleſius, & Cn. Cornelius Cinna magnus.*

6. *M. Æmilius Lepidus, & L. Aruntius.*

7. *Q. Cæcilius Metellus Creticus & Licinius Nerva Silanus.*

8. *Furius Camillus, & Sex. Nonius Quintilianus.* Quinquennalia Imperii Cæſarei Tiberii, & Germanici. Extat nummus ejoſdem Tiberii apud Occonem TRIBUNITIA POTESTATE X. notatus, in quo templum ſculptum eſſe aſſerit. Quare cum anno Chriſti quarto, quo Cæſar dictus, ſextam Tribunitiam poteſtatem numerare cœperit, antea enim eamdem per quinquennium geſſerat, conſtat hoc anno decimam iniiſſe, Quinquennalia edidiſſe, & de more aliorum poſtea Imperatorum aliquod templum ædificaſſe.

9. *Q. Sulpitius Camerinus, & C. Poppæus Sabinus.*

10. *P. Cornelius Dolabella, & C. Junius Silanus.* Hoc anno quinto Kalendas Septembris Tiberius Proconſul & Imperii Collega ab Auguſto dictus eſt, ut explicavimus prima parte, capite 3.

11. *M. Æmilius Lepidus, & T. Statilius Taurus.*

12. *Germanicus Cæſar, & C. Fonteius Capito.* Hic Conſulatus videtur Germanico delatus propter præclara militaria facinora juxta quartam Regulam.

13. *L. Munatius Plancus, & C. Silius Cæcina.* Auguſtus *quintum in decennium gubernationem Reipublica invitus ſcilicet accepit: Tiberio Tribunitiam poteſtatem prorogavit: Druſo Tiberii filio poteſtatem Conſulatus tertio anno etiam non geſta Prætura petendi conceſſit.* Ita Dio lib. 56. Eſt hic decimus Imperii Cæſarei Tiberii & Germanici annus quo Ludos Decennales editos fuiſſe, præfata Dionis verba indicant. Porro Druſum hoc anno principem juventutis, Cæſaremque dictum magna mihi ſuſpicio eſt; quando enim Claudius Neronem Principem juventutis dixit, eum Conſulem deſignavit, ut anno Chriſti 51. dicemus. Verum eſt Druſi Conſulatus annis Chriſti 15. & 21. geſtos, huic anno non reſpondere, ſed anno Chriſti 25. at per hæc tempora Imperium Romanum nondum in omnibus, uti poſtea rectum. Quidquid ſit, initium Imperii Cæſarei Druſi adhuc obſcurum. *Auguſtus cum Tiberio filio ſuo cenſum Romæ agitans invenit hominum nonageſies ter centena millia.* Ita Euſebius in Chronico, quæ tamen Onuphrius in Faſtis lib. 2. perperam in annum ſequentem differt, ipſo Euſebio ſibi plane contrario laudato; cujus errorem etiam oſtendit uſus, jam a nobis obſervatus hos cenſus agendi in annis, quibus Auguſto Imperium prorogatum, & poſtea in Quinquennalibus & Decennalibus. Horum etiam ſolemnium ſignum & indicium Nummus Tiberii apud Occonem, in quo quadrigæ triumphales repræſentantur, & hæc verba leguntur: TI. CÆSAR AUGUSTI F. TR. POT. XV. quam Tribunitiam poteſtatem hoc anno iniit. In aliorum etiam Cæſarum, & Auguſtorum nummis Tribunitia poteſtate V. VI. X. XI. & hujuſmodi notatis ſæpe ſimiles quadrigæ triumphales, aut Victoria, aut hujuſmodi figuræ cernuntur; ex quibus colligitur eos annis, quibus hæ feſtivitates actæ, aut triomphaſſe, aut quadrigis triumphalibus, & aliis id genus honoribus cohoneſtatos fuiſſe.

14. *Sextus Pompejus, & Sextus Apulejus.* Auguſtus die decima nona Septembris Nolæ mortuus eſt: cui ſucceſſit Tiberius, jam a quinque fere annis Imperii Collega, quod ultimum fruſtra a viris doctis in controverſiam vocatum. Zonaras in Tiberio ſcribit Germanicum tres filios reliquiſſe, *quos*, inquit, *Auguſtus in teſtamento ſuo Cæſares appellavit.* Ab hoc itaque anno Quinquennalia & id genus feſta Caii Caligulæ Cæſaris, poſtea Imperatoris deducenda videntur.

VI. *Obitus Auguſti, & initium Tiberii.*

15. *Druſus Cæſar, & C. Norbanus Flaccus.* Nondum introductus mos erat, ut Auguſti proximis Kalendis Januariis poſt ſuſceptum Imperium Conſulatum inirent. Quare hunc geſſit Druſus Tiberii filius, cui jam a triennio deſtinatus erat, forte quod Imperii Proconſularis Tiberii Quinquennalia in hunc annum inciderent.

16. *T. Statilius Siſenna Taurus, & L. Scribonius Libo.*

17. *C. Cælius Rufus, & L. Pomponius Flaccus.*

18. *Claudius Tiberius Nero Auguſtus III. & Tiberius Germanicus Cæſar II.* Tiberium Quinquennalia Imperii Auguſtei quinto Imperii anno ineunte ediaiſſe oſtendit hic Conſulatus, juxta ſecundam Regulam. Ex quo error communis, qui hoc uſque invaluit, ſcribendi nempe hujuſmodi ſolemnia non niſi anno quinto vel decimo evolutis prioribus ſæculis relebrata fuiſſe plane convellitur; & ex ſimili ſubſequentium Imperatorum facto magis convelletur. Incidunt & in hunc annum Quindecennalia Imperii Cæſarei Tiberii, ac Germanici. Anno elapſo duodecim celebres Aſiæ urbes una nocte terræ motu proſtratæ fuerant, ut habent Dio lib. 57. & Euſebius in Chronico, qui nihilominus tredecim

cim numerat. Quibus cum multa tributi pecunia remiſſa, multaque a Tiberio donata fuiſſent, huic coloſſus erectus eſt juxta ædem Veneris in foro Romano; & in unaquaque reſtauratarum urbium ſtatuæ illi poſitæ: ut ex Apollonio grammatico refert Phlegon Trallianus in libro de mirabilibus. Ad quorum illuſtrationem nummum addit Scaliger, in cujus ſuperficie vultus Tiberii, in altera effigies Aſiæ muliebri ſpecie ſedens cum his literis, CIVITATIBUS ASIÆ RESTITUTIS. Uſſerius in Annalibus Veteris & Novi Teſtamenti confert hæc in annum præcedentem; ſed ſecunda Quinquennaliorum Regula eum errare demonſtrat. Germanici Conſulatus cauſa etiam eſſe potuit, quod hoc anno ad componendum Orientis ſtatum cum ampla poteſtate miſſus fuerit, ut habet Suetonius in Caligula cap. 1. & Tacitus Annal. lib. 2.

19. *M. Junius Silanus*, & *L. Norbanus Balbus*. Germanicus Cæſar obiit.

20. *M. Valerius Meſſala*, & *M. Aurelius Cota*. Eſt hic decimus Imperii Proconſularis Tiberii annus evolutus; Conſulatum tamen non niſi anno ſequenti cepit; ſive quod in eo ſuſcipiendo ad hæc ſolemnia non reſpexerit, ſed ad aliam cauſam nobis ignotam, vel quia hoc anno Decennalia egerit & Conſulatum, ut multi Imperatores fecerunt, in alium annum diſtulerit.

21. *Claudius Tiberius Aug. IV. & Druſus Cæſar II.* De hoc Tiberii Conſulatu locuti ſumus a. p. c. 7. n. 2. De quo hæc Tacitus lib. 3. Annal. *Tiberii quartus, Druſi ſecundus Conſulatus, patris atque filii collegio inſignis: nam biennio ante, Germanici cum Tiberio idem honor neque patruo lætus, neque natura tam connexus fuerat.* Druſi itaque Conſulatus juxta III. Regulam.

22. *D. Haterius Agrippa*, & *C. Sulpicius Galba*. Hoc anno Druſus Tribunitiam poteſtatem a Senatu obtinuit, annoque ſequenti Sejani inſidiis ſublatus eſt anno Tribunitiæ poteſtatis II. ut patet ex nummis. Ex hac conceſſione liquet mirum non eſſe ſi Tiberius quartum Conſulatum anno viceſimo, in quem ejus Imperii Proconſularis Decennalia cadebant, non ſumpſerit; cum nec anno, quo hæc ſolemnia acta ſunt, Druſo Cæſari Tribunitia poteſtas collata fuerit, uti poſtea moris fuit. Rudia itaque & imperfecta, ſicut quælibet alia Romani Imperii initia. Quare ex ejuſdem Tiberii Conſulatuum diſpoſitione non ſequitur anno Eræ Chriſtianæ undecimo Collegam eum Imperii factum fuiſſe.

23. *C. Aſinius Pollio*, & *C. Antiſtius Vetus*.

VII. *Decennalia Tiberii.*

24. *Ser. Cornelius Cethegus*, & *L. Viſellius Varro*. Tiberius his Conſulibus Auguſtei Imperii Decennalia edidit; ſcribit enim Dio lib. 57. *Decem annis Imperii ejus exactis ad reſumendum id nihil decreti opus habuit, neque enim in decennia interciſum, quod Auguſtus fecerat, id genero ſtatuerat. Ludi tamen Decennales facti.* Horum etiam Decennalium index, quæ ſcribit Euſebius in Chronico: *Philippus Tetrarcha Paneadem, in qua plurimas ædes conſtruxerat, Cæſaream Philippi vocavit, & Juliadem aliam Civitatem.*

25. *M. Aſinius Agrippa*, & *Coſſus Cornelius Lentulus*.

26. *Cn. Lentulus Gætulicus*, & *C. Calviſius Sabinus*. Hoc anno decimus quintus Imperii Proconſularis Tiberii evolutus eſt, quo in finem vergente *factum eſt verbum Domini ad Joannem*, ut habet Lucas Evangeliſta cap. 3. annoque ſequenti Chriſtus baptizatus eſt: quam ſententiam omnium probabiliſſimam in alio Opere explico.

27. *M. Licinius Craſſus*, & *L. Calpurnius Piſo*.

28. *Ap. Junius Silanus*, & *P. Silius Nerva*.

29. *C. Rubellius Geminus*, & *C. Fuſius Geminus*. Eſt hic decimus quintus Imperii Auguſtei Tiberii, quo plures ex antiquioribus Patribus Chriſtum paſſum fuiſſe exiſtimaverunt, quorum ſententiam alibi tuebimur. Notandus porro hic, & ſequentes Conſulatus, quia in eorum aliquem paſſio Chriſti incidit, eamque ob rem frequens de iis mentio.

30. *M. Vinicius Quartinus*, & *C. Caſſius Longinus*.

31. *C. Tiberius Nero Aug. V. & Ælius Sejanus*. Imperii Proconſularis Tiberii Vicennalia in annum præcedentem competunt. Quod ſi hic Tiberii Conſulatus eiſdem addictus fuit, in hunc annum dilatus eſt. Sed Suetonius in Tiberio cap. 65. oſtendit ob alium finem ab eodem ſuſceptum, ut Sejanum nempe aſtu & dolo ſubverteret, *ut is ſe*, inquit, *per ſpeciem honoris dimitteret, Collegam ſibi aſſumpſit in quinto Conſulatu, quem longo intervallo abſens ob id ipſum ſuſceperat.* Subjungit tamen Suetonius: *Deinde ſpe affinitatis, ut Tribunitiæ poteſtatis deceptum, imprudentem criminatus eſt.* Imo ait Dio lib. 58. Senatum ei Imperium Proconſulare dediſſe. Quæ indicarent hoc anno Imperii Proconſularis Vicennalia Tiberium edidiſſe, niſi jam Druſi Cæſaris exemplo pateret, Tiberii ætate hanc Regulam nondum obſervatam fuiſſe. Sejanus decimo octavo Octobris hujus anni occiſus fuit.

32. *Cn. Domitius Ahenobarbus*, & *A. Vitellius Nepos*.

33. *Sergius Sulpitius Galba*, & *L. Cornelius Sylla*.

34. *Paulus Fabius Priſcus*, & *L. Vitellius Nepos*. Tiberius his Conſulibus Imperii Auguſtei Vicennalia edidit, ut teſtis eſt Dio lib. 58. *Viceſimo anno Imperii, cum frequens in Albano & Tuſculo eſſet, in Urbem non venit, ſed conſules L. Vitellius, & Fabius Priſcus decennium nuncupavere, tanquam ei, ut Auguſto uſitatum, tunc Imperium prorogarent. Verum hi Ludos celebrarunt*, nempe Decennales. Ex Decennalibus & Vicennalibus Tiberii celebratis, anno decimo & viceſimo evolutis, intulit Onuphrius veteres Principes Romanos anno quinto aut decimo exactis Quinquennalia edere ſolitos fuiſſe. Quod Scaligero aliiſque fere omnibus perſuaſit; ſed Conſulatuum a ſequentibus Imperatoribus geſtorum ſeries hanc communem opinionem deſtruit. Incidunt & in hunc annum Tricennalia Imperii ejus Cæſarei, & quinta Quinquennalia Imperii ejus Proconſularis. Extat nummus apud Occonem in quo dicit repræſentari templum pulcherrimum cum his verbis: TI. CAE DIVI AUG. F. Auguſt. P. M. TR. POT. XXXVI. S. C. Sumpſit Tiberius hoc anno Tribunitiam poteſtatem XXXVI. Unde templum aliquod horum ſolemnium occaſione, quod etiam a ſucceſſoribus factum, ædificavit.

35. *C. Gallus*, & *M. Servilius*.

36. *Q. Plautius*, & *Sextus Papinius Gallienus*.

37. *Cn. Proculus Acerronius*, & *C. Pontius Nigrinus*. His Conſulibus die decima ſexta Martii, ut recte Suetonius & Tacitus, Tiberius moritur, cui Cajus Caligula ſucceſſit. Erravit enim Dio, qui ſcripſit Tiberium die illius menſis 26. defunctum eſſe, ut alibi oſtendo. Kalendis Juliis Tiberio Claudio Nerone patruo ſuo, ac poſtea ſucceſſore Collega Conſulatum ſuffectum ſumpſit, idque exemplo Auguſti. Sequentes Caligulæ Conſulatus aliter a quibuſdam ordinati, ſed Dioni, & Anonymo, quo uſus eſt Cuſpinianus, omnino ſtandum.

VIII. *Caligula & Claudius imperant.*

38. *M. Aquilius Julianus*, & *Nonius Aſprenas*.

39. *C. Cæſar Caligula II. & L. Apronius Caſſianus*. Eſt hic viceſimus quintus annus abſolutus ab eo quo Caligula Cæſar dictus eſt, quæ ejus ſecundi Conſulatus cauſa.

40. *C. Cæſar Caligula III.* ſolus. Sumptus hic ab eo Conſulatus propter bellum Britannicum, ex quo redux ovans Urbem Natali ſuo ingreſſus eſt hoc anno, ut habet Suetonius in ejus vita cap. 49.

41. *C. Cæſar Caligula IV. & Cn. Sentius Saturninus.* Hic Conſulatus Caligulæ Quinquennalibus deſtinatus erat, juxta ſecundam Regulam, ſed die viceſima quarta Januarii occiſus, ea celebrare non potuit. Eum excepit Claudius Nero ejus patruus.

42. *Claudius Aug. II. & L. Licinius Largus.* Sumptus hic à Claudio Conſulatus juxta primam Regulam, quæ poſt Claudium valde in uſu fuit.

43. *Claudius Aug. III. & L. Vitellius II.* Sumptus hic Conſulatus a Claudio propter expeditionem Britannicam, de qua Dio lib. 60. ex qua redux anno ſequenti triumphavit, ut habet idem Dio.

44. *C. Criſpus II. & T. Statilius.*

45. *M. Vinicius II. & M. Statilius Corvinus.* Eſt hic quintus Claudii annus, quem Quinquennalia edidiſſe oſtendunt largitiones ab eo factæ, de quibus Dio lib. 60. reſtitutio quinti dici Saturnalibus, ac multo magis, quæ habet Euſebius in Chronico: *Deſcriptione Romæ facta ſub Claudio inventa ſunt civium Romanorum ſexaginta octo centena quadraginta millia.* Nam major hac in re Euſebio, quam Tacito lib. XI. Annal. fides, ubi eum cenſum confert in annum Chriſti 48. Vitellii & Vipſanii Conſulatu notatum.

46. *C. Valerius Aſiaticus, & M. Meſſala.*

47. *Claudius Aug. IV. & L. Vitellius III.* ſumptus Conſulatus a Claudio propter Ludos ſeculares ſextos, juxta ſextam Regulam, Vide quæ ſupra de iiſdem diximus.

48. *A. Vitellius, & L. Poplicola.*

49. *C. Gallus, & Q. Veranius.*

50. *C. Antiſtius Vetus, & M. Suillius.*

51. *Claudius Aug. V. & Cornelius Scipio.* Conſulatus is oſtendit Decennalia hoc anno Claudium edidiſſe, juxta 2. Regulam. Oſtendit & id quod habet Tacitus lib. XII. Hoc anno virilem togam Neroni maturatam fuiſſe, & decretum e Claudio, *ut viceſimo ætatis anno Conſulatum Nero iniret: atque interim deſignatus Proconſulare Imperium extra Urbem haberet, ac Princeps Juventutis appellaretur.* Toga enim annis, quibus hujuſmodi ſolemnia celebrabantur, ſæpius data, & id genus nuncupationes factæ.

52. *P. Cornelius Fauſtus, & L. Salvius Otho.*

53. *Junius Silanus, & Q. Haterius.*

54. *Q. Aſinius, & M. Acilius Aviola.* Claudius die 13. Octobris mortuus eſt, cui ſucceſ- IX. *Nero Imperat.*
ſit Nero.

55. *Nero Cæſar Aug. & L. Antiſtius Vetus.* Neronis Conſulatus juxta 1. Regulam.

56. *Q. Voluſius Saturninus, & P. Cornelius Scipio.* Annus quintus Imperii Cæſarei Neronis.

57. *Nero Cæſar Aug. II. & L. Calpurnius Piſo.* Tacitus lib. 13. Annalium ſcribit ſub hoc Conſulatu pauca memoria digna evenisse. Quare videtur ſumptus a Nerone ob primam barbam anno ætatis viceſimo exacto, quo eam Caligula, ut Suetonius in hujus vita cap. 10. auctor eſt, etiam poſuerat, tamen: *Barbam primam poſuit, conditamque in auream pyxidem, & pretioſiſſimis margaritis adornatam in Capitolio conſecravit.* Suetonius in Nerone cap. 15. ſicuti enim Principes Romani tyrocinii die pueros enuebant, ſic barba raſa Juventutem, tranſibantque tunc in viros. Eam ob rem Nero, ut habet Tacitus lib. 14. Annal. *Inſtituit Ludos Juvenalium vocabulo.* Quæ tamen inſtitutio non niſi anno ſequenti facta, ut ibidem Tacitus docet, & recte in Notis explicat Lipſius, qui tamen in eo errat, quod ſcribis Caligulam, anno ætatis viceſimo barbam primam poſuiſſe; ingreſſus tunc enim erat annum viceſimum primum. Scribit Suetonius in Caligula cap. 11. *Viceſimo ætatis anno accitus Capreas a Tiberio, uno atque eodem die togam ſumpſit, barbamque poſuit.* Tum cap. 12. *Non ita multo poſt Juniam Claudillam Marci nobiliſſimi viri filiam duxit uxorem.* Natus erat Caligula pridie Kalendas Septembres anno Chriſti 12. annoque 33. ejuſdem Eræ agebat annum ætatis vigeſimum primum. Eo autem id factum eſſe deducitur ex Tacito lib. 6. Annal. ubi de rebus ſub Conſulibus ejuſdem anni 33. geſtis loquens ait: *Sub idem tempus C. Cæſar diſcedenti Capreas avo comes Claudiam Marci Silani filiam conjugio accepit.* Ex quo & colligere eſt Caligulam eo anno Imperii Cæſarei Vicennalia edidiſſe, quod ad eumdem annum retrahendum.

58. *Nero Cæſar Aug. III. & M. Valerius Meſſalla,* Neronis Conſulatus propter ejus Quinquennalia juxta ſecundam Regulam Conſulatuum Cæſareorum. Quo pertinet nummus ab Onuphrio relatus in quo legitur: *IMP. NERO. CLAUD. CÆSAR. AUG. GER. P. M. TR. P. V. P. P.* a tergo *PACE. P. R. TERRA. MARIQ. PARTA. JANUM. CLUSIT.*

59. *Vipſanius Apronianus, & C. Fonteius Capito.*

60. *Nero Aug. IV. & Cornelius Lentulus.* Decennalia Imperii Cæſarei Neronis, qui, ut eadem magis illuſtraret, Quinquennale certamen inſtituit, quod quovis anno quinto ageretur, Auguſti exemplo qui in ſexto ſuo Conſulatu Ludos propter Actiacam victoriam quinto quoque anno exhibendos inſtituit.

61. *C. Cæſonius Pætus, & C. Petronius Sabinus.*

62. *P. Marius Celſus, & L. Aſinius Gallus.*

63. *L. Memmius Regulus, & Verginius Rufus.*

64. *C. Baſſus, & M. Licinius Craſſus.* Decennalia Imperii Auguſtei Neronis, quorum inde perſecutio hoc anno adverſus Chriſtianos excitata, uti cap. 5. hujus ſecundæ partis diximus, ac præterea quod ſub iiſdem Coſſ. ſcribit Caſſiodorus: *His Coſſ. Thermæ a Nerone ædificatæ, quas Neronianas appellavit, cujus odio mutato vocabulo nunc Alexandrinæ nominantur.* In quo corrigendus Euſebius in Chronico ubi hoc conjicit in annum Abrahami 2078. qui in anno Chriſti 61. menſe Septembri incipit. Thermas enim & hujuſmodi opera publica annis quibus hujuſmodi ſolemnia celebrata, conſtructa fuiſſe, multis exemplis infra liquebit.

65. *P. Silius Nerva, & C. Julius Atticus.*

66. *L. Pontius Teleſinus, & C. Suetonius Paulinus.*

67. *L. Fonteius Capito, & C. Julius Rufus.*

68. *C. Silius Italicus, & M. Galerius Trachalus.* Cum Julius Vindex in Gallia a Nerone deſciviſſet, Nero quintum Conſulatum ſuffectum ſumpſit, eum debellaturus, de quo Conſulatu egimus prima parte, capite 5. Sed cum a Senatu quæreretur ad pœnam, ſeipſum interfecit die nona Junii, non vero decima, ut perperam plerique ſcribunt. Galba, qui jam Imperium in Hiſpaniis arripuerat, per aliquot menſes imperavit. X. *Galba, Otho, Vitellius & Veſpaſianus imperant.*

69. *Sergius Sulpicius Galba Aug. II. & T. Vinius.* Die decima quinta Januarii Galba occiſus fuit. Joſephus enim, qui tum vivebat, lib. 5. de bello cap. 6. ait eum imperaſſe menſes ſeptem, & dies ſeptem, quod uterque Victor confirmat: a die autem nona Junii anni elapſi ad præfatum diem menſes illi & dies numerantur. Quare dies ejus emortualis certus, ſicut & Othonis, qui die decima ſexta Aprilis periit, & decima nona ejuſdem menſis ſepulturæ mandatus eſt. Nam Joſephus lib. 4. de bello cap. 33. dicit eum principatum tenuiſſe

dies

dies duos & menſes tres. Sed quia Suetonius dicit eum funeratum fuiſſe nonageſimo quinto Imperii die, dies ſepulturæ pro die emortuali in multis perperam captus. Vitellius, qui poſtea imperavit, die vigeſima prima Decembris occiſus eſt, ut alias accurate explicabo, & Veſpaſianus, qui in Ægypto Kalendis Juliis Imperator electus fuerat, rei Romanæ præfuit. Præfatus porro Galbæ Conſulatus juxta primam Regulam procedit. Titus & Domitianus Veſpaſiani filii Cæſares a Senatu dicti.

70. *Flavius Veſpaſianus II. & Titus Cæſar.* Domitianus Conſul ſuffectus fuit. Sumptus ub iiſdem Conſulatus juxta primam Regulam.

71. *Veſpaſianus Aug. III. & M. Cocceius Nerva.* Initus hic Conſulatus propter triumphum Judaicum a Veſpaſiano & Tito actum, juxta quintam Regulam. Tito Tribunitia poteſtas, Imperiumque Proconſulare a Veſpaſiano conceſſum, ut alibi oſtendam. Poſt triumphum, pacis templum a Veſpaſiano ædificari cœptum, ut habet Joſephus lib. 7. de bello cap. 24.

72. *Veſpaſianus Aug. IV. & Titus Cæſar II.* Veſpaſiani Conſulatus juxta tertiam, Titi vero juxta primam Regulam.

73. *Domitianus Cæſar II. & M. Valerius Meſſalinus.* Quinquennalia Domitiani, quorum index tam ejus Conſulatus, quam quod ſcribit Euſebius in Chronico juxta Editionem Pontaci: *Veſpaſianus Capitolium ædificare orſus.* In Editione Scaligeriana, hæc anno præcedenti conſignantur, ſed hæc ſolemnia enim errorem detegunt.

74. *Veſpaſianus Aug. V. & Titus Cæſar. III.* Suffectus Domitianus Coſ. III. Veſpaſiani & Titi Conſulatus juxta ſecundam Regulam, propter utriuſque nempe Quinquennalia, quæ etiam indicat cenſus ab utroque factus hoc anno, ut docet Cenſorinus de die Natali cap. 18. ubi addit poſtea plane fieri deſiiſſe.

75. *Veſpaſianus Aug. VI. & Titus Cæſar IV.* Suffectus Domitianus IV. ſumptus hic Conſulatus juxta ſextam Regulam, propter ſcilicet dedicationem templi Pacis, qua de re cap. X. hujus partis.

76. *Veſpaſianus Aug. VII. & Titus Cæſar V.* Suffectus Domitianus V. Titi Conſulatus juxta ſecundam Regulam. Eſt hic enim quintus Imperii ejus Proconſularis annus, juxta ſecundam Regulam, Veſpaſiani vero, & Domitiani juxta tertiam.

77. *Veſpaſianus Aug. VIII. & Titus Cæſar VI.* Suffectus Domitianus VI.

78. *L. Commodus Verus, & C. Cornelius Priſcus.* Annus decimus Imperii Cæſarei Domitiani.

XI. *Imperium Titi.* 79. *Veſpaſianus Aug. IX. & Titus Cæſar VII.* Juxta ſecundam Regulam, in hunc enim Decennalia Veſpaſiani, & Titi, quo pertinent, quæ hoc anno habet Euſebius in Chronico: *Veſpaſianus colonias deducit, & mortuus eſt profluvio ventris*, die nempe 24. Junii cui ſucceſſit Titus filius jam Imperii Collega.

80. *Titus Aug. VIII. & Domitianus VII.* Hujus Conſulatus juxta III. Reg. Titi juxta I. & II. Decennalia enim Proconſularis ejus Imperii in hunc annum incidunt, quorum index inſcriptio quæ apud Onuphrium in Faſtis extat, in qua dicitur TRIB. POT. X. COS. VIII. additurque *aquas Curtiam, & Cæruleam perductas a Divo Claudio, & poſtea a Divo Veſpaſiano patre ſuo, Urbi reſtitutas, cum a capite aquarum a ſolo vetuſtate dilapſa eſſent, nova forma reducendas ſua impenſa curavit.* Pertinent & ad ea ſolemnia ſpectacula, quæ hoc anno Dio lib. 66. oſtendit enim populo exhibuiſſe per centum dies; ædificavit etiam amphitheatrum venationum cauſa quod ſub anni ſequentis Conſulibus dedicavit, ut habet idem Dio. Ea autem ſolemnia aliquot menſibus anticipaſſe oſtendit nummus apud Occonem, in quo is dicitur TR. P. IX. IMP. XV. COS. VIII. P. P. repræſentaturque in eo Trophæum cum duobus captivis aſſidentibus, quod horum ſolemnium indicium ut variis exemplis infra adducendis, conſtabit.

81. *M. Plautius Silvanus, & M. Annius Pollio.* Tito Idibus Septembris demortuo, Domitianus ejus frater imperavit. XII. *Imperium Domitiani.*

82. *Domitianus Aug. VIII. & T. Flavius Sabinus* juxta I. Reg.

83. *Domitianus Aug. IX. & T. Virginius Rufus.* Domitiani Conſulatus juxta II. Reg. Quindecennalia nempe Cæſarei ejus Imperii, niſi anno præcedenti ea ediderit, quod ſignificare videtur Euſebius in Chronico eodem anno: *Domitiani uxor Auguſta appellatur: Decreto Senatus Titus inter Divos refertur.*

84. *Domitianus Aug. X. & Ap. Junius Sabinus.* Hunc Conſulatum Domitianum ſumſiſſe exiſtimo quod anno Chriſti 77. incenſo a Vitalianis Capitolio, clam ipſe elapſus apud Æditum delituit: *At potiente rerum patre disjecto Æditui contubernio, modicum Sacellum JOVI CONSERVATORI, Aramque poſuit, caſuſque ſuos in marmore expreſſit. Mox Imperium adeptus JOVI CUSTODI, templum ingens, ſeque in ſinu Dei ſacravit*, inquit Tacitus lib. 3. Hiſt. quod hoc anno factum fuiſſe nummus, qui in gaza Medicæa extat, demonſtrat, in eo enim legitur: IMP. CAES. DOMITIAN. AUG. GERM. COS. X. & in altera parte: JOVI CONSERVAT. S. C. Qui titulus, qui hoc anno primum apparuit, in ſucceſſorum Principum, præſertimque Joviorum nummis paſſim legitur, viguitque uſque ad Conſtantinum Magnum, qui Jovis conſervatoris, aliiſque id genus nominibus vetitis, victricis Crucis Trophæum, ac Chriſti Servatoris nomen in nummis obſignari juſſit. Martinianus, quem Licinius anno 324. Auguſtum creavit ultimus omnium fuit, qui hoc nomen nummis inſcripſit. Triſtanus enim tomo 3. nummi ectypum exhibet, in quo legitur: D. N. M. MARTINIANUS P. F. AUG. & in poſtica parte: IOVI CONSERVATORI. Cum itaque Martinianus anno 325. vel occiſus, vel in Cappadociam relegatus fuerit, liquet hunc titulum per annos amplius ducentos quadraginta in uſu fuiſſe, ejuſque primariam inſtitutionem Domitiano capeſſendi Conſulatus cauſam præbuiſſe. Noriſius in Differtat. de Numiſmat. Licinii cap. 5. hæc, & plura alia de eo titulo profert.

85. *Domitianus Aug. XI. & T. Aurelius Fulvius.* Domitianus hoc anno de Germania triumphavit; inveniuntur enim nummi, in quibus ejus Conſulatus undecimus legitur, viſiturque Germaniæ captæ typus ſedentis in terra, cum his verbis: *Germania capta.* Præterea Quinquennalia Auguſtei ejus Imperii in hunc annum incidunt, quo pertinent hæc Euſebii in Chronico verba: *Primus Domitianus Dominum ſe, & Deum appellari juſſit.*

86. *Domitianus Aug. XII. & Servius Cornelius Dolabella.* Primus agon Capitolinus hoc anno a Domitiano inſtitutus eſt, qui cum Capitolino Jovi ſacer fuerit, ut docet Suetonius in Domitiano cap. 4. non inde tantum hujus Conſulatus, ſed & hujuſmodi agonis cauſa huc uſque obſcura in lucem profertur. Non contentus enim Domitianus Jovi, quod incenſo Capitolio ſervatus fuiſſet, ut ſupra diximus, magnificum templum dicaſſe, voluit, & Quinquennale certamen Olympiadum inſtar celebrandum inſtituere, utque utraque ſolemnitas, cujus idem finis erat, majori pompa fieret, Conſulatum X. & XII. aſſumpſit.

87. *Domitianus Aug. XIII. & A. Voluſius Saturninus.*

88. *Domitianus Aug. XIV. & Minutius Rufus.* Sumptus is Conſulatus a Domitiano propter ſeptimos Ludos ſeculares quos edidit juxta VI.

Digitized by Google

Reg. & propter Vicennalia Cæſarei Imperii.

89. *Titus Aurelius Fulvus II. & A. Sempronius Atratinus.*

90. *Domitianus Aug. XV. & Cocceius Nerva II.* Decennalia Imperii Auguſtei Domitiani, ejuſque ſecundus de Germanis triumphus. Nummum enim hujus Imperatoris exhibet Occo, in quo is dicitur, GERMANICUS COS. XV. repræſentaturque Germania ſedens lugubri habitu induta; quare recte, hoc anno idem triumphus in Chronico Euſebii conſignatus.

91. *M. Ulpius Trajanus Crinitus, & Manius Acilius Glabrio.*

92. *Domitianus Aug. XVI. & A. Voluſius Saturninus II.* Sumptus is Conſulatus propter quinta Quinquennalia Cæſarei Imperii, quæ tamen non niſi anno ſequenti celebrata.

93. *Sex. Pompeius, & Cornelius Priſcus*, quinta Quinquennalia Cæſarei Imperii Domitiani, quorum nota ſecunda perſecutio adverſus Chriſtianos hoc anno excitata, ut cap. 3. hujus partis oſtendimus, & publicatio viginti librorum de Antiquitatibus Judaicis quæ a Joſepho eorum authore celebri hoc anno facta eſt. Is enim in fine lib. 20. dicit ſe eos ſcripſiſſe decimo tertio principatus Domitiani anno, ætatis vero ſuæ ſexto & quinquageſimo. Natus erat ut optime Petavius in Chronico, anno Chriſti 37. quare hoc anno & nobiliſſimum illud Opus, & annum ætatis 56. abſolvit, mirumque eundem Petavium ſcribere editum in lucem fuiſſe anno ſequenti, quo idem Joſephus annum 58. inchoavit, & quinquageſimum ſeptimum abſolvit.

94. *L. Nonius Aſprenas Torquatus, & M. Arricinus.*

95. *Domitianus Aug. XVII. & T. Flavius Clemens*. Eſt hic ultimus Domitiani Conſulatus propter Auguſtei Imperii Quindecennalia ſumptus. Certum autem eſt eum aliquos libidine, non ratione aliqua, quæ ideo fruſtra quæreretur, ſuſcepiſſe.

XIII. *Imperium Nervæ & Trajani.* 96. *C. Fulvius Valens, & C. Antiſtius Vetus.* Domitianus XIV. Kal. Octobris occiſus eſt, poſt quem imperavit Nerva.

97. *Cocceius Nerva Aug. III. & F. Virginius Rufus III.* Hoc anno Trajanus Collega Imperii a Nerva renunciatus eſt, ut patet ex Panegyri Plinii cap. 8. hic Nervæ Conſulatus juxta I. Reg.

98. *Nerva Aug. IV. & M. Ulpius Trajanus Cæſar II.* Nerva juxta III. Reg. Trajanus juxta I. Conſul proceſſit. Eodem Nerva, die 28. Januarii demortuo, Trajanus Imperium ſuſcepit.

99. *C. Soſius Senecio II. & A. Cornelius Palma.*

100. *M. Ulpius Trajanus Aug. III. & M. Cornelius Fronto III.* Trajani Conſulatus juxta I. Reg.

101. *Ulpius Trajanus Aug. IV. & Sex. Articuleius Pætus.* Sumptus is Conſulatus propter Quinquennalia Imperii Proconſularis, ac triumphum de Dacis, quem hoc anno conſignat Euſebius in Chronico.

102. *C. Soſius Senecio, & L. Licinius Sura II.*

103. *Ulpius Trajanus Aug. V. & L. Appius Maximus II.* Quinquennalia Auguſtei Imperii Trajani, ut ejus Conſulatus oſtendit.

104. *Suranus II. & P. Neratius Marcellus.*

105. *Tiberius Julius Candidus II. & A. Julius Quadratus II.*

106. *L. Commodus Verus, & L. Cerealis.* Decennalia Imperii Proconſularis Trajani, quorum nota perſecutio adverſus Chriſtianos hoc anno aucta, uti diximus cap. 3. hujus partis num. 2. Et indicat Auctor Chronici Alexandrini his verbis: *His Coſſ. gravi bello Romanis incumbente a Perſis, Gothis, & aliis gentibus Trajanus expeditione in hoſtes ſuſcepta ſuis gratiam tributorum quoad reverteretur, fecit.*

107. *C. Soſius Senecio IV. & L. Sura III.* Decennalia Imperii Auguſtei Trajani.

108. *Appius Annius Trebonius Gallus. & M. Atilius Metilius Bradua.*

109. *A. Cornelius Palma II. & C. Calviſius Tullus II.*

110. *Clodius Criſpinus, & Solenus Orfitus.*

111. *L. Calpurnius Piſo, & M. Vettius Bolanus.* Quindecennalia Imperii Proconſularis Trajani, quo pertinet illud Euſebii in Chronico: *Trajanus Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam fecit Provincias.*

112. *M. Ulpius Trajanus VI. & C. Julius Africanus.* Quindecennalia Imperii Auguſtei Trajani. Ante Antoninum vota Decennalia in nummis ſculpta non fuiſſe, cum communi opinione ſupra diximus. Ex nummo tamen Trajani ab Occone pag. 208. relato in quo is dicitur TR. P. COS. VI. conſtat hoc jam tempore eadem, licet implicitis tantum verbis, in iis ſignata fuiſſe; in poſtica enim parte præfati nummi ſunt duæ figuræ ſacrificantes ad aram, & circum VOTA SUSCEPTA. Quæ figuræ in nummis, ubi eadem Vota conceptis verbis exprimuntur, ſæpe etiam repræſentantur. Is itaque nummus in Trajani Decennalibus cuſus. *His Coſſ. Perſecutio Chriſtianorum*, inquit Idatius in Faſtis.

113. *L. Publius Celſus II. & C. Clodius Criſpinus.*

114. *Q. Ninnius Haſta, & P. Manilius Vopiſcus.*

115. *M. Valerius Meſſalla, & C. Popilius Pedo.*

116. *Æmilius Ælianus & L. Antiſtius Vetus.* Eſt hic viceſimus Imperii Proconſolaris Trajani annus, quo cum Vicennalia edidiſſe oſtendit monumentum ipſi Plotinæ conjugi, & Martianæ ſorori poſitum a Senatu, populoque Romano, *quod. acceſſum. Italiæ. hoc. etiam. addito. ex. pecunia. ſua. portu. tutiorem. navigantibus. reddiderit.* Refert illud Onuphrius in Faſtis ſub hujus anni Conſulibus, dicitque Anconæ in portu extare. In eo vero dicitur Trajanus TR. POT. XVIIII. Nondum itaque ea ſolemnia acta erant, quando hæc Epigraphe dedicata, ſed per anni decurſum, quo hujuſmodi feſta celebrari debebant, dedicabantur, Urbes, Eccleſiæ, Inſcriptiones, aliaque id genus fiebant.

117. *Quinctius Niger, & T. Vipſanius Apronianus.* Die decima Auguſti mortuus eſt Trajanus Hadriano ſucceſſore relicto. XIV. *Imperium Hadriani.*

118. *Hadrianus Aug. II. & Claudius Fuſcus Salinator.* Hadriani Conſulatus juxta I. Regulam.

119. *Hadrianus Aug. III. & Q. Junius Ruſticus.* Hujus Conſulatus cauſa triumphus, qui Trajano debitus erat, quemque Hadriano delatum *recuſavit ipſe, atque imaginem Trajani curru triumphali vexit, ut optimus Imperator ne poſt mortem quidem triumphi amitteret dignitatem*, inquit Spartianus in Hadriano cap. 6. cujus triumphi aliquas Inſcriptiones refert Onuphrius lib. 5. Faſt. is itaque Conſulatus juxta quintam Regulam.

120. *L. Catilius Severus, & T. Aurelius Fulvius.* Is poſtea in Imperio Antoninus Pius appellatus eſt.

121. *M. Annius Verus, & L. Augur.* Quinquennalia Hadriani a nobis explicata cap. 6. hujus partis ad quæ referendum quod ſcribit Euſebius in Chronico: *Hadrianus in Libyam, quæ a Judæis vaſtata fuerat, colonias deduxit.* Hujuſmodi enim inſtitutiones, annis quibus ſimilia feſta celebrabantur, factas conſtat ex nummo Imp. Commodi ab Occone relato, annoque Chriſti, 186. quo prioris Imperii Auguſtei Decen-

Google

cennalia edidit, percuſſo in quo legitur: COL. L. AN. COM. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. S. C. id eſt, *colonia Lucii Antonini Commodi*, ut viri docti recte interpretati ſunt ex colono cum bove, & vacca, coloniæ deductæ typo. Quam interpretationem Hadriani Quinquennalia germanam eſſe oſtendunt.

122. *Manius Acilius Aviola*, & *C. Corellius Panſa*.

123. *Q. Arrius Patinus*, & *C. Vruſidius Apronianus*.

124. *Manius Acilius Glabrio*, & *C. Bellicius Torquatus*.

125. *P. Cornelius Aſiaticus II.* & *Q. Vettius Aquilinus*.

126. *Veſpronius Candidus Verus*, *& Ambiguus Ribulus*. Hadrianus Decennalia edidit ut cap. 5. hujus partis num. IX. & cap. 3. oſtendimus.

127. *Gallicanus*, & *Celius Titianus*.

128. *L. Nonius Aſprenas Torquatus*, & *M. Annius Libo*.

129. *P. Juventius Celſus II.* & *Q. Julius Balbus*.

130. *Q. Fabius Catullinus*, *& M. Flavius Aper*. Hadrianum hoc anno Quindecennalia edidiſſe, unoque anno anticipaſſe, magna mihi ſuſpicio eſt. Nam licet, uti cap. 5. hujus partis num. VI. diximus, initio Imperii decreviſſet ea anno decimo quinto exacto celebrare; nihilominus cum Athenis eſſet, videtur ea edidiſſe. Euſebius enim in Chronico ad annum Abrahami 2147. qui in currenti anno Chriſti menſe Septembri incipit, ſcribit: *Salvius Julianus perpetuum compoſuit Edictum*, qua de re videnda *Conſt. de veter. jur. enucleand.* Eo præcipiebatur, ut idem ius in toto Romano Imperio adminiſtraretur, omneſque civitates Romanæ Urbis conſuetudinem ſequerentur. Tum anno ſequenti ſcribit idem Euſebius: *Hadrianus Athenis Hyemem exigens Eleuſinam inviſit*. Quod tamen hoc anno contigiſſe videtur. Hadrianus enim *Aviola & Panſa Conſulibus*, anno nempe Chriſti 122. ex Hiſpania in Orientem profectus eſt, ut docet Chronicon Alexandrinum, in quo legitur: *His Coſſ. Hadrianus in Ægyptum profectus condidit Antinoum Thebaidis III. Kal. Novemb.* Eodemque anno Athenas venit, ut habet Euſebius in Chronico, conſentitque Dio lib. 69. ubi narrata morte Euphratis Stoici Philoſophi, dicit Hadrianum in varias Provincias, regioneſque, viſendi cauſa, profectum eſſe; quæ mors ab eodem Euſebio anno 122. conſignatur. Tum anno 125. idem Euſebius hæc habet: *Hadrianus ſacris Eleuſinæ initiatus multa Athenienſibus dona largitur*. Quare hoc anno ad Eleuſina ſacra admiſſus eſt. Id enim conſueverat fieri in myſteriis magnis, quæ celebrabantur die vigeſima Boëdromionis, quovis anno ſecundo alicujus Olympiadis, ut teſtis eſt Plutarchus. Hoc autem anno cœptus annus ſecundus Olympiadis 227. præterea Onuphrius ſub hujus anni Conſulibus hanc Inſcriptionem refert.

M. ULPIO. AUG. LIB. PHAEDIMO.
DIVI. TRAJANI. AUG. A. POTIONE
ITEM. A. LAGUNA. ET. TRICLINIARCH
LICTORI. PROXIMO. ET. A. COMMENT
RENEFICIOR. VIXIT. ANNIS. XVIII.
ABSCERRIT. SELINUNTE. PRID. IDUS. AUGUS
N◦GRO. ET. APPRONIANO. COS
RELIQUIÆ. TRAJECTÆ. EJUS
III. NON. FERB. EX. PERMISSU
COLLEGI. PONTIFICUM. PIACULO. PACTO
CATULLINO. ET. APRO. COS
DULCISSIMÆ. MEMORIÆ. EJUS
VALENS. AUG. LIB. PHÆDIMIANUS
A. VESTE. BEN. MER. FRCIT

Cap. 3. hujus partis num. XVI. diximus Principum uſa annis, quibus Quinquennalia & id genus feſta celebrabantur, tranſlata aliquando fuiſſe; cujus rei hæc Inſcriptio forſan argumentum. Nam de plebeiorum corporibus certum id obſervatum non fuiſſe, immo & ea ſine neceſſitate, & Magiſtratus permiſſione transferre non licuiſſe, ut oſtendit etiam Gothofredus in Commentario lib. 9. Cod. Theod. tit. 17. *de ſepulcris violatis* l. 2. & 7. ubi & monumentum refert, quo cuidam privato hujuſmodi tranſlatio permittitur, his verbis ſubſcriptum. PERETRUM FIERI PLACET. EURENTIUS CELSUS PROMAGISTER SUBSCRIPSI III. NONAS NOVEMB. ANTIO POLLIONE, ET OPIMIANO COS. ORDINAR. SEVERO. ET SABINIANO COS. anno nempe Chriſti 155. quo nulla id genus feſta celebrata ſunt. Quam conjecturam proponendam duxi, ut videant viri docti an illa ſit admittenda.

131. *Octavius Pontianus*, & *M. Antonius Rufus*, vel *Rufinus*.

132. *Sentius Augurinus*, & *Arrius Severianus*.

133. *Hiberus* & *Junius Silanus Siſenna*.

134. *Servilius Servianus*, & *C. Vibius Juventius Verus*.

135. *Pompeianus Lupercus*, & *L. Julius Attitus Acilianus*.

136. *L. Ceionius Commodus Verus*, & *Sex. Vetulenus Civica Pompeianus*. Hadrianum hoc anno Vicennalia celebraſſe non ſequenti, ut perperam Onuphrius & Calviſius conſignant, duo oſtendunt. Primum, Euſebius in Chronico ſcribit: *Ælia ab Ælio Hadriano condita*, quæ urbs progreſſu temporis Hieroſolyma vocata fuit. Secundum, Hadrianus eundem Ceionium Conſulem Ælium Verum dictum adoptavit, & Cæſarem nuncupavit, uti explicavimus parte 1. cap. 5. num. XIII.

137. *L. Ælius Verus Cæſar II.* & *P. Cælius Balbinus*. Ælii conſulatus juxta I. Regulam.

138. *Sulpicius Camerinus*, & *Quinctius Niger Maganus*. Kalendis Januariis Ælio Vero demortuo, Hadrianus quinto Kalendas Martias T. Ælium, Antoninum Pium poſtea dictum, Marcum Aurelium, & Lucium Verum ejuſdem Ælii Veri filium adoptat, ac præterea Antoninum Collegam Imperii renunciat, Tum die decima Julii moritur. XV. *Imperium Antonini Pii.*

139. *Antoninus Pius Aug. II.* & *Bruttius Præſens*. Juxta primam Regulam. Hoc anno *Conſulem ſecum Pius Marcum deſignavit, & Cæſaris appellatione donavit*, inquit Capitolinus in Marco cap. 6.

140. *Antoninus Pius Aug. III.* & *M. Aurelius Cæſar*. Antonini Conſulatus juats tertiam Regulam, Marci vero juxta primam.

141. *M. Peducæus Sylloga Priſcinus*, & *T. Hoenius Severus*.

142. *L. Caſpius Rufinus*, & *L. Statius Quadratus*. Hoc anno Antoninus Quinquennalia celebravit, ut deducitur ex Inſcriptione Tribu-

nitia

Digitized by Google

pitia quinta ejuſdem Imperatoris inſignita, quam Onuphrius ſub *his* Conſulibus refert, in qua dicitur Antoninus ſacrum certamen Iſelaſticum Puteolis inſtituiſſe, quod anno ſecundo cujuſlibet Olympiadis celebrabatur. De quo certamine videnda, quæ ſcribit Triſtanus tom. 3. pag. 6.

143. C. *Bellicius Torquatus*, & *Tib. Claudius Herodes*, Quinquennalia Imperii Auguſtei Antonini.

144. *Lollianus Avitus*, & *C. Gavius Maximus*, Quinquennalia Imperii Cæſarei Marci Aurelii, ut virilis Toga Lucio Vero data manifeſtum facit. Natus is erat *decimo octavo Kalendas Januarias*, ut ait Capitolinus in ejus vita cap. 1. qui capite ſequenti addit, *poſt ſeptimum annum in familiam Aureliam traductum* fuiſſe, anno nempe Chriſti 138. quo cum Marco, & Antonino ab Hadriano adoptatus eſt. Quare Natale ejus in annum 130. incidit, cumque Toga virilis anno ætatis decimo quarto exacto concedi ſoleret, non tantum liquet eam hoc anno Lucio Vero datam, ſed & dedicationem templi ab Antonino Pio in Hadriani honorem conſtructi etiam peractam, inſuperque Marcum Quinquennalia edidiſſe; *Qua die Togam virilem Verus accepit, Antoninus Pius ex occaſione qua patris templum dedicabat, populo liberalis fuit; mediuſque inter Pium & Marcum idem reſedit, cum Quæſtor populo munus daret*, inquit Capitolinus loco laudato cap. 3. Sic Severus Getæ minori filio annum decimum quintum ingreſſo, anno quo Decennalia celebravit, Togam virilem dedit, ut infra videbimus. Ex quo & conjicere licet celebria quæque in hujuſmodi ſolemnium annos reſervari ſolitum fuiſſe.

145. *Antoninus Pius Aug. IV.* & *M. Aurelius Cæſar II.* Sumptus hic Conſulatus ob varias expeditiones militares, de quibus Capitolinus in Antonino Pio cap. 5.

146. *Sex. Erucius Clarus II.* & *Cn. Claudius Severus*.

147. *M. Valerius Largus*, & *M. Valerius Meſſallinus*. Marcus Aurelius Cæſar Imperii Collega ab Antonino Pio renunciatus eſt, ut teſtis eſt Capitolinus in Marco cap. 6. quæ nuncupatio Imperii Cæſarei Antonini Decennalia in hunc annum incidiſſe indicat. Ad hæc Chronicon Alexandrinum; His Coſſ. æs alienum remiſſum, tabulæ creditorum ab Antonino Auguſto exuſtæ.

148. C. *Bellicius Torquatus II.* & *M. Salvius Julianus II.* Facilius in poſterum erit Decennalia, Vicennaliaque Imperatorum reperire, cum, ut alibi diximus, ab Antonini Pii tempore nummis ea inſculpta fuerint. Norisius differt, de vot. Decennal. cap. 3. nummum exhibet, in quo legitur: ANTONINUS AUG. PIUS P. P. TR. P. XI. & in averſa parte, PRIMI DECENNALES COS. IIII. quæ Tribunitia poteſtas XI. hoc anno recepta.

149. *Cornelius Scipio Orfitus*, & *Q. Nonius Priſcus*. Decennalia Imperii Cæſarei Marci.

150. *Gallicanus*, & *Antiſtius Vetus*.

151. *Quinctilius Gordianus*, (Condianus) & *Quinctilius Maximus*.

XVI. *Lucius Verus fit Cæſar.*

152. *Sex. Acilius Glabrio*, & *C. Valerius Omullus*. Lucius Verus Antonini Pii adoptivus filius, qui huc uſque privatus vixerat, a patre Cæſar nuncupatus eſt. Id quidem veterum, imo & recentiorum nullus, quem legerim, ſcripſit, ſed illud ex Capitolini in Vero cap. 3. verbis ſeriemque ejus Conſulatuum ordinariorum diſpoſitione colligo; *poſt Quæſturam ſtatim Conſul eſt factus cum Sextilio Laterano*, qui Conſulatus in annum 154. incidit, hiſque verbis a Dione lib. 70. in Indice Conſulari refertur: *L. Aurelius Cæſar, & Sextilius Lateranus*. Quæſtor itaque anno ſequenti Lucius fuit, qui licet vigeſimum ſecundum annum tantum ageret; quia tamen ad Imperium deſtinabatur, gratia ætatis ei facta, ſicuti Marco facta fuerat. Hic, ut tradit Capitolinus in ejus vita cap. 6. dum Quæſturam gereret, Cæſaris appellatione donatus eſt. Lucio autem hoc anno, quo Imperii Auguſtei Antonini Quindecennalia, Marci vero imperii Proconſularis Quinquennalia celebrata ſunt, idem honos attributus, ut etiam ſecundus, & tertius Lucii Conſulatus Decennalibus, & Quinquennalibus deſtinati declarant. Unde hic Capitolini locus in Vero cap. 2. *fuitque privatus in domo Imperatoria viginti & tribus annis*, mendoſus eſt, niſi ipſemet Auctor erraverit: Legendum enim, *tredecim annis*, loco *viginti & tribus annis*. Scriptum forte erat in exemplari XIII. poſtea per errorem XXIII. tandemque ſine numeris exaratum, *viginti & tribus annis*. Quomodo enim privatus poſt hunc annum Lucius, qui non tantum Quæſtor & iterum Conſul fuit, ſed & Cæſarea dignitate exornatus? Quem errorem ſequentia ejuſdem Auctoris verba ſatis aperiunt: *diu autem privatus fuit, & ea honorificentia caruit, qua Marcus ornabatur*, (hic ab anno 139. Cæſar erat) *namque in Senatu ante Quæſturam non ſedit, neque in itinere cum patre, ſed cum Præfecto Prætorii vectus eſt; nec aliud ei honorificentiæ ad nomen adjunctum eſt, quam quod Auguſti filius eſt appellatus*. Per annos itaque tredecim privatus & filius tantum Auguſti; per annos decem, imperante Antonino, Cæſar fuit. Denique in nummis apud Golzium Lucius dicitur tantum Cæſar, quod ſi Marcus, ubi Imperium adeptus eſt, eum Cæſarem & Auguſtum ſimul dixiſſet, in omnibus diceretur Auguſtus. Quare quando Capitolinus in Marco cap. 7. ait; *Lucium Aurelium Verum Commodum appellavit, Cæſaremque atque Auguſtum dixit*, benigne explicandus eſt; nihil enim aliud ſignificare intendit, quam Marcum omnia ſupremæ poteſtatis nomina in eum contuliſſe.

153. *Bruttius Præſens II.* & *M. Antonius Rufinus*. Quinquennalia Auguſtei Imperii Antonini. Ocro refert epigraphen aummi hujus Imperatoris Trib. Pot. XVI. notatam, in cujus poſtica parte viſitur figura diffundens cornucopiæ, in qua legitur: LIBERALITAS AUG. COS. IIII.

154. *Lucius Aurelius Cæſar*, & *Sextilius Lateranus*. Lucii Conſulatus juxta I. Regulam. Quindecennalia Imperii Cæſarei Marci.

155. C. *Julius Severus*, & *M. Rufinus Sabinianus*.

156. *Plautius Silvanus*, & *Sentius Augurinus*.

157. *Barbatus*, & *Regulus*. Decimus annus Imperii Proconſularis Marci.

158. *Q. Flavius Tertullus*, & *Licinius Sacerdos*. Vicennalia Imperii Cæſarei Antonini Pii a nobis explicata capite ſeptimo hujus partis num. 3.

159. *Plautius Quinctillus*, & *Statius Priſcus*. Vicennalia Imperii Auguſtei Antonini uno anno dilata, ut loco mox laudato oſtendimus. Præterea vicefimus eſt hic annus Imperii Cæſarei Marci.

160. *T. Vibius Varus*, & *Annius Bradua*.

161. *M. Antoninus Verus Cæſar III.* & *Lucius Aurelius Cæſar II.* Ita hos Conſules edit Dio. Die ſeptima Martii obiit Antoninus Pius, cui Marcus Aurelius ſucceſſit, qui Lucium Verum conſortem Imperii fecit. *Tuncque primum Romanum Imperium duos Auguſtos habere cœpit*, inquit Capitolinus, in Marco cap. 7. Quare nova Reipublicæ Romanæ adminiſtrandæ forma inducta; priorque in qua, vel ſoli Auguſti, vel ii cum uno Imperii Collega eam hucuſque rexerant, extincta: quam cum viri docti aut non adverterint, aut negarint, in alio opere demonſtrabo.

CA-

CAPUT DUODECIMUM.

Conſulatuum Cæſareorum a pluribus Auguſtis ſimul imperantibus uſque ad Imperii diviſionem Rationarium, ac Decennalium & id genus ſolemnium ordinatio juxta noſtras Regulas.

I. *Anni quibus Quinquennalia & id genus feſta celebrata nunc faciliora.* AGgredimur Conſulum Cæſareorum, qui per ſecundam regiminis Reipublicæ Romanæ formam Faſtos illuſtrarunt, ac eorum Quinquennaliorum, & id genus feſtorum explicationem; quæ utraque longe in poſterum faciliora, quod ad Conſulatuum cauſas e tenebris eruendas Regulæ omnes conducant, cum contra in ſuperiori capite earum ſubſidio diu deſtituti fuerimus. Præterea hujuſmodi feſta in nummis ſculpta ſæpe reperiuntur, in iiſque celebrandis, Imperatores poſt Commodum, Conſulatum ut pluſimum ſumpſere. His ſolemnibus jam diu ſine dubio Chronica & Annales ſignati fuiſſent, ſi quanta ex iis emolumenta hauriri poſſent, Chronologi intellexiſſent. Et quidem Marcellinus in Chronico, Idatius in Faſtis, & Auctor Chronici Alexandrini, qui eorum aliquando mentionem fecere, ſuſpicandi locum iis præbere poterant, ex ſimilibus obſervationibus aliquam poſſe percipi utilitatem. Neque enim aliter in tam parvis operibus de iiſdem identidem locuti fuiſſent. Res nihilominus hactenus in obſcuro fuit, & quaſi nihil afferret quo Hiſtoria, Chronologiaque locupletarentur, neglecta. Quare eo accuratius hic pertractanda.

II. *Imperium Marci & Lucii.* Anno itaque Chriſti 161. M. Antoninus Verus Cæſar III. & Lucius Aurelius Cæſar II. Faſtis nomen dedere. Is Conſulatus ejuſdem Marci Proconſularis Imperii Quindecennalibus, & Cæſarei Imperii Lucii Decennalibus addictus fuit. Ex quo & confirmatur quod jam diximus, Lucium anno 151. creatum fuiſſe Cæſarem; quod & Quæſtura ab eodem, anno 153. geſta, oſtendit. Sic enim Germanicus, ipſeque Marcus, cum Cæſares nuncupati ſunt, Quæſtores in annum ſequentem ſunt deſignati. Septima Martii die, Antonino demortuo Marcus Imperium ſuſcepit, & uti jam diximus, novum morem induxit, Lucium non Imperii Collegam, qualis ipſemet imperante Antonino fuerat, ſed Auguſtum renuncians. Cum porro extant numiſmata, in quibus legitur. AURELIUS CÆSAR AUG. PII. F. & in poſtica parte TR. P. XV. COS. III. liquet eum anno 147. ante diem ſeptimum Martii Collegam Imperii declaratum fuiſſe; cum iis in nummis Tribunitia poteſtas XV. & Conſulatus tertius hoc anno ab ipſo ſuſceptus, memorentur; ipſeque in iis non Auguſtus, ſed Cæſar tantum, & filius Auguſti dicatur. Ea itaque dignitate, ut conjicere licet, quinto Kalendas Martias donatus, quo ad eam Antoninus evectus fuerat ipſeque adoptatus: quæ ſcrupuloſius inveſtigare juvat, quia ut liqueat an Cæſares, vel Imperatores legitimo tempore Decennalia, & id genus feſta ediderint, eorum dies Natalis, quo de more ea ſiebant, ſciendus.

162. *Q. Junius Ruſticus, & Vettius Aquilinus.*

163. *L. Papirius Ælianus, & Junius Paſtor.* Quinta Quinquennalia Cæſarei Imperii Marci Aurelii: *Maximis in Aſia in Chriſtianos motis tumultibus, multi pro Chriſto occubuere Martyres.* Ita Chronicon Alexandrinum ſub hujus anni Coſſ. hic eorum ſolemnium effectus, & index.

164. *C. Julius Macrinus, & L. Cornelius Celſus.*

165. *Servilius Pudens, & Cornelius Scipio Orfitus.*

166. *Servilius Pudens II. & T. Pollio.* Capitolinus in Marco cap. 12. habet: *Petiit Lucius, ut ſecum Marcus triumpharet, præterea ut filii Marci Cæſares appellarentur.* Quibus ex verbis colligitur Marci & Lucii triumphum Parthicum, eodem anno, quo Commodus a patre Cæſar dictus eſt, actum; docet autem Lampridius in Vita Commodi cap. undecimo Cæſaream dignitatem hoc anno Commodo attributam: *Nominatus inter Cæſares quarto Iduum Octobrium Pudente & Pollione Coſſ.* Quare recte in Chronico Euſebii ſecundum Editionem Pontaci & in Chronico Caſſiodori in hunc annum, perperam vero in ſuperiorem in Editione Scaligeriana is triumphus conjectus. Ea nuncupatio, triumphuſque utrumque Imperatorem, Auguſtei Imperii Quinquennalia, ac præterea Marcum Proconſularis Vicennalia celebraſſe indicant, non minus quam Apologia Athenagoræ, ejuſque Legatio pro Chriſtianis, in quos perſecutio deſæviebat, hoc anno ſuſcepta. Qua de re videnda quæ diximus capite tertio hujus ſecundæ Partis, numero decimo. Ante obitum enim Lucii eam Apologiam oblatam fuiſſe titulus ejus clare demonſtrat, IMPERATORIBUS M. AURELIO ANTONINO, ET AURELIO COMMODO, ARMENIACIS, SARMATICIS, ET QUOD MAXIMUM EST, PHILOSOPHIS. Neque enim Commodus dictus eſt Philoſophus, vel Armeniacus, ſicuti Lucius Verus, qui in titulo Apologiæ ſancti Juſtini, quæ ſecunda appellatur in Editionibus vulgatis, dicitur *doctrinæ amator*, ut videre eſt apud Euſebium lib. 4. cap. 12. Lucium vero vocatum fuiſſe Aurelium Commodum patet ex multis Inſcriptionibus, uti ex qua refertur a Grutero pag. 300. in qua legitur.

M. ÆLIO. AURELIO. VERO. CÆSARE. III.
L. ÆLIO. AURELIO. COMMODO. II. COS.

Quæ dedicata eſt initio anni 161. antequam uterque Auguſteum Imperium obtinuiſſet. Vicennalium Marci hoc anno actorum fidem facit nummus apud Occonem, in quo legitur TR. P. XX. COS. III. PIETAS AUG. cerniturque figura ſacrificans: iis enim in ſolemnis ſacriſicia oblata fuiſſe, & in nummis eadem vota expreſſe exhibentibus figuram ſacrificantem cerni jam dictum eſt alibi.

167. *L. Aurelius Verus Aug. III. & T. Quadratus.* Quindecennalia Imperii Cæſarei Lucii Veri, qui ob ea Conſulatum ſumpſit, utque etiam in Conſulatibus Marco æquaretur. Oſtendit præterea idem Conſulatus Lucium anno 152. dictum fuiſſe Cæſarem.

168. *T. Junius Montanus, & L. Vettius Paulus.*

169. *Soſius Priſcus, & Q. Cælius Apollinaris.* Lucius Verus apud Altinum periit, idque Apoplexia & media hieme, ut docet Galenus. III. *Mortuo hoc anno Vero, Lucius Marcus imperat ſolus.* Tricennalia Imperii Cæſarei Marci, quorum ſignum, quæ ſcribit Chronicon Alexandrinum: *Melito Aſiaticus Sardicenſium Pontifex, & Apollinaris Hierapoleos Antiſtes, & complures noſtræ profeſſionis alii Apologeticos Marco Aurelio Antonino obtulere.* Idem habet Euſebius in Chronico, qui & in Hiſtoria lib. 4. cap. 26. Melitonis Apologetici fragmentum refert, ut diximus cap. 3. hujus ſecundæ partis num. X. Errarunt itaque Baronius in Annalibus, qui eundem libellum anno 172. Petavius in Chronico, Henſchenius tomo 1. menſis Aprilis die 1. ubi Sancti Melitonis vitam explicat, aliique qui anno 170. Marco oblatum fuiſſe ſcripſere; ejuſdem enim Marci Tricennalia Auctori Chronici Alexandrini fidem omnem conciliant. Citat quidem idem Henſchenius Chronicum Canonem Euſebii, in quo ſub Clari, & Cethegi Conſulatu, qui in annum ſequentem incidit, de ea Melitonis Apolo-

Digitized by Google

pologia ſermo eſt. Sed jam ſupra monnimus Scaligerum nulla antiquorum Codicum fide innixum Conſules eidem operi addidiſſe, eique plura attribuiſſe, quæ Africani, vel aliorum Auctorum ſunt.

170. *M. Cethegus*, & *L. Junius Clarus*.

171. *L. Septimius Severus II.* & *Herennianus*. Nonis Martiis Marcus Aurelius Auguſtei Imperii Decennalis celebravit; viſuntur enim nummi his notis obſignati: IMP. M. ANTONINUS. AUG. TR. P. XXV. & in poſtica; VOTA SOL. DECENN. COS. III. S. C. Item PRIMI. DECENNALES. Item VOTA SUSCEPTA DECENN. II. COS. III. Quinta etiam Quinquennalia Imperii Proconſulatis Marci. Quare non mirum ſi perſecutio adverſus Chriſtianos exarſit, ut ex Euſebio oſtendimus cap. 3. hujus ſecundæ partis num. 9. Revocandum etiam huc, quæ ex Dione diximus cap. 5. num. VI. cui illud ex Euſebio in Chronico addendum: *Imperatores multis multa largiti ſunt: & pecuniam quæ fiſco debebatur, provinciis concedentes, tabulas debitorum in medio Romanæ urbis foro incendi fecerunt: ac ne quid bonitati deeſſet, ſeveriores quaſque leges novis conſtitutionibus temperarunt.* Quintus hic etiam annus eſt Imperii Cæſarei Commodi.

172. *Claudius Maximus*, & *Cornelius Scipio Orſitus*.

173. *Claudius Severus II.* & *Claudius Pompejanus*.

174. *Annius Gallus* & *Flaccus*. Septima Quinquennalia Imperii Cæſarei Marci hoc anno, vel præcedenti acta. Quare contigit ut per hæc tempora tot Martyrum ſanguine Eccleſia illuſtrata fuerit.

175. *Calpurnius Piſo*, & *M. Salvius Julianus*. Commodus Cæſar *indutus eſt Toga nonarum Juliarum die, & eo tempore quo Caſſius a Marco deſcivit*, inquit Lampridius in Commodo cap. 2. Natus is erat pridie Kalendas Septembres, *patre, patruoque Conſulibus*, inquit idem Lampridius, anno nempe 161. unde anno ætatis decimo quarto exeunte Togam virilem ſumpſit, & ineunte Julio Caſſii defectio contigit. Præterea hoc anno Tribunitia poteſtate & Imperio Proconſulari idem Commodus donatus eſt; in ejus enim Epitaphio ab Onuphrio in Faſtis relato legitur: TRIBUNITIÆ POTEST. XVIII. IMP. CONSULI VII. Quare ſi ultima nocte anni 192. quo occiſus eſt, Tribunitiam poteſtatem XVIII. gerebat, primam hoc anno iniiſſe neceſſe eſt. Decennalia Imperii Cæſarei ejuſdem Commodi hæc duo ſolemnia decorarunt.

176. *T. Vitraſius Pollio*, & *M. Flavius Aper*. Commodus quinto Kalendas Decembres Imperator a patre dictus eſt, & triumphavit cum patre decimo Kalendas Januarias ſub hujus anni Conſulibus, ut docet Lampridius in Commodo cap. 12. hæc duo indicant Marcum Imperii Auguſtei Quindecennalia hoc anno edidiſſe.

177. *L. Commodus Aug.* & *Plautius Quintillus*. Commodi Conſulatus juxta I. Regulam, qui & oſtendit Marcum Proconſularis Imperii Tricennalia edidiſſe, quam in rem facit nummus ab Frizzo pag. 327. relatus, in quo legitur: M. ANTONINUS AUG. GERM. SARM. TR. P. XXXI. In cujus averſa parte viſitur figura ſtans quæ ſacrificat cum his verbis: VOTA PUBLICA IMP. VIIII. COS. III. P. P. ex quo & diſcimus plura ex iis Numiſmata in quibus eadem verba *vota publica* leguntur, annis, quibus Decennalia acta, percuſſa fuiſſe.

178. *Vettius Ruſus*, & *Cornelius Scipio Orſitus*.

179. *Commodus Aug. II.* & *Veſpronius Verus*. Octava Quinquennalia Imperii Cæſarei Marci, quæ hujus Conſulatus cauſa, ſicuti & profectio ejuſdem Commodi ad bellum Germanicum, anno elapſo ſuſcepta, ut docet Lampridius in Commodo cap. 12. Notatu dignum quod ſub his Coſſ. habet Chronic. Alex. *Commodus dum imperitavit, decreta contra Chriſtianos ſuſtulit.* Qui effectus præfatorum Marci ſolemnium, ſicuti quod Caſſiodorus in Chronico de eodem Marco Aurelio, qui & Antoninus ac Verus dictus eſt, tradit: *His Coſſ. Antoninus Verus adeo in Editione munerum magnificus fuit, ut centum ſimul Leones exhibuerit.*

180. *Bruttius Præſens* & *Quintilius Gordianus* (Condianus) Marco Aurelio die decima ſeptima Martii, ut ex Dione & Tertulliano con- IV. *Imperium Commodi.*
ſtat, demortuo, Commodus ſolus imperat. Is veterem morem Quinquennalia & id genus feſta cum Trabea Conſulari edendi renovat. Eſt hic annus decimus quintus Imperii Cæſarei ejuſdem Commodi inchoatus. Quo eum edidiſſe Quindecennalia oſtendit ejus triumphus, de quo Euſeb. in Chronic. *Commodus de Germanis triumphavit.*

181. *L. Aurelius Commodus Aug. III.* & *Antiſtius Burrhus*. Commodi Conſulatus juxta I. Regulam. Quinquennalia Imperii Proconſularis vivente patre ſuſcepti, ut oſtendimus cap. 7. hujus 2. partis num. IV.

182. *Petronius Mamertinus*, & *Trebellius Ruſus*.

183. *L. Aurelius Commodus Aug. IV.* & *M. Aufidius Victorinus*. Quinquennalia Imperii Auguſtei vivente patre ſuſcepti, de quibus ſuo loco actum.

184. *M. Eggius Marcellus* & *M. Papyrius Ælianus*. Quinquennalia Imperii poſt mortem patris adminiſtrati. Euſeb. in Chronic. *Thermæ Commodianæ Romæ factæ: Commodus Septembrem menſem nomine ſuo appellavit.* Ita etiam his Coſſ. Caſſiodorus; in editione vero Scaligeri hæc partim anno præſenti, partim præcedenti referuntur. Sed quidquid ſit, conſtat, annis, quibus hujuſmodi ſolemnia acta, & opera publica constructa, & inſignes mutationes factas fuiſſe. Decennalia Imperii Proconſularis Commodi.

185. *Triarius Maternus*, & *M. Metilius Bradua*. Imperii Proconſularis Decennalia. Vide dicta loco mox laudato.

186. *L. Aurelius Commodus Aug. V.* & *Manius Acilius Glabrio*. Decennalia Imperii Auguſtei Commodi ante patris mortem ſuſcepti, ut oſtendimus cap. 7. hujus ſecundæ partis num. IV. eſt etiam hic Imperii ejus Cæſarei viceſimus annus.

187. *Tullius Criſpinus*, & *Papirius Ælianus*. In Chronico Alexandrino legitur: *Coloſſo Rhodio Commodus* (Solis) *caput detraxit, & ſuum pro illo repoſuit*: ac præterea: *Thermæ Commodianæ hoc anno dedicatæ Romæ*: Quæ duo indicant Commodum hoc anno Triennalia Imperii Cæſarei uno anno dilata celebraſſe. Thermas enim in his ſolemniis & conſtrui, & dedicari conſueſſe multis aliis exemplis patebit: in lib. 2. Codicis Theodoſiani tit. IX. *de pactis & tranſactionibus* l. 3. a Valentiniano Seniori data hanc præfert ſubſcriptionem: *Alleg.* (id eſt, allegata) *Kal. April. in Baſilica Thermarum Com.* Id eſt, Commodianarum, ubi obiter obſervandum in Thermis Baſilicas fuiſſe, in quibus jus dicebatur. Unde Vopiſcus in Aureliano cap. 13. *cum conſediſſet Valerianus Auguſtus in Thermis apud Byzantium, præſente exercitu*, &c. Videndus Vitruvius lib. 5. cap. 1. de Baſilicis ad jus Romæ dicendum.

188. *C. Allius Fuſcianus*, & *Dullius Silanus*.

189. *Junius Silanus*, & *Servilius Silanus*. Quindecennalia Imperii Proconſularis Commodi, de quibus ſuo loco actum.

190. *L. Aurelius Commodus Aug. VI.* & *Petronius Septimianus*. Sumptus hic Conſulatus a Commodo propter Decennalia Imperii poſt mortem patris adminiſtrati juxta ſecundam Regulam. Incidunt & in hunc annum quinta Quinquen-

quennalia Imperii Cæſarei ejuſdem Imperatoris.

291. *Caſſius Apronianus*, & *Metilius Bradua II.*

292. *L. Aurelius Commodus Aug. VII.* & *Helvius Pertinax*. Sumptus is Conſulatus a Commodo propter Quindecennalia prioris ejus Imperii Auguſtei Cæſarei, quod, & Ludi celebres Romæ ab eo editi per quatuordecim dies indicant. Ipſe Commodus Herculem ſe dicebat manu clavam geſtans, ſiniſtra cruentum gladium, quo multi occiſi. Abſcidit Coloſſi caput, ſuique capitis imaginem repoſuit, data ei clava, leoneque æneo ſubjecto, ut Herculi ſimilis eſſet, de quibus Ludis plura Dio lib. 72. Ultima hujus anni nocte idem Commodus veneno extinguitur; ipſique ineuntibus Kalendis Januariis anni ſequentis Aelius Pertinax ſuccedit.

V. *Imperium Pertinacis, Juliani, & Severi,* 193. *Q. Soſius Falco*, & *C. Julius Clarus*. Pertinax die vigeſima quinta Martii occiſus eſt, cui ſucceſſit Didius Julianus, quo Kalendis Juniis pariter occiſo, Severus Imperium ſuſcepit, qui Clodium Albinum, ut Peſcennium Nigrum, qui Imperium arripuerat, facilius opprimere poſſet, Cæſarem creavit. Porro Decennalium ope Severiani Imperii duplicem eſſe Epocham detexiſſe me arbitror. Prior deſumitur ab eo tempore quo a Germanicis Legionibus, ubi auditum eſt Julianum cum odio cunctorum imperare, Imperator eſt appellatus. Spartianus in ejus vita cap. 5. dicit id factum eſſe *apud Carnuntum Idibus Auguſtis*. Sed certum eſt locum illum corruptum eſſe, cum Julianus, uti diximus, Kalendis Juniis occiſus fuerit. Legendum itaque *Idibus Maii*. Poſterior Epocha a præfatis Kalendis Juniis, quibus Julianus peremptus, deducta, ac ab utraque duplicia Quinquennalia & id genus feſta.

194. *L. Septimius Severus Aug. II.* & *Clodius Albinus Cæſar*, utriuſque Conſulatus juxta primam Regulam. Niger vincitur in Oriente, occiditurque.

195. *Q. Flavius Tertullus*, & *T. Flavius Clemens*.

196. *Cn. Domitius Dexter II.* & *L. Meſſalla Priſcus*. Severus contra Albinum movens, apud Viminatium in Superiori Myſia Caracallam filium majorem, *Appoſito Aurelii Antonini nomine Cæſarem appellavit*, inquit Spartianus in Severo cap. 10. quæ nuncupatio, ſicuti & adverſus Albinum expeditio, perperam anno ſequenti a Petavio in Chronico conſignata.

197. *Claudius Lateranus*, & *Titius Rufinus*. Prioris Imperii Severi Quinquennalia, quemadmodum egregia opera publica; quæ eum Byzantii feciſſe Auctor Chronici Alexandrini narrat, indicant.

198. *Haterius Saturninus*, & *Trebonius Gallus*. Caracalla Severi filius Imperator a patre dictus eſt Romæ, quo poſt Albinum die undecima Kalendas Martii in Galliis victum, venerat, ut habet Spartianus in Severo cap. 55. & cap. 14. factum id porro poſt Kalendas Junias, in quas Natale Imperii Severiani incidebat. In inſcriptione enim, quæ Romæ viſitur in ſuperiori parte Panthei, quam infra referemus, Severus dicitur Tribunitiæ poteſtatis XI. & Caracalla TRIB. POT. V. quod oſtendit anno 203. quo Kalendis Juniis cum Tribunitiam poteſtatem Severus iniit, Caracallam geſſiſſe adhuc Tribunitiam poteſtatem V. qui tamen jam ſextam ſuſcepiſſet, ſi hoc anno ante Kalendas Junias Auguſtus dictus eſſet. Sed recte obſervat Noriſius diſſertat. de votis decennalibus cap. 4. aliquos annos Auguſteæ dominationis, ac Tribunitiæ poteſtatis Caracallæ numeraſſe a tempore quo is in Galliis, hujus anni initio, deſtinatus fuerat Imperator, propter quam deſtinationem in una, & altera Inſcriptione apud Gruterum pag. 267. legitur: M. AURELIO ANTONINO CÆS. IMP. DESTINATO. Et in nummo infra exhibendo, annoque 217. quo occiſus eſt, cuſo, dicitur idem Caracalla Tribunitiæ poteſtatis XX. licet octavo Idus Aprilis illius anni perierit. Romæ eumdem Severum quinquennalia poſterioris Imperii edidiſſe indicat quod ſcribit Herodianus lib. 3. cap. 8. magno nempe cum congiario populum Romanum proſequutum fuiſſe, & permulta indulſiſſe, quæ nunquam antea acceperant, ac præterea Getam filium natu minorem Cæſarem renunciaſſe oſtendit locus Herodiani lib. 3. cap. 9. a Petavio in Chronico anno ſequenti, in quem perperam Caracallæ, Getæque nuncupationes conjicit, non intellectus: διατρίψας δὲ ἱκανὸν χρόνον ἐν τῇ Ῥώμῃ τοῖς τε υἱέσιν αὐτοῦ κοινωνοὺς τῆς βασιλείας καὶ αὐτοκράτορας ἀποδείξας &c. id eſt, *igitur aliquandiu Romæ moratus, participato filiis Imperio, exercitum in Orientem eduxit*. Putat enim Petavius vocem illam αὐτοκράτορας non niſi de Imperio Auguſteo intelligendam eſſe, ſed, uti jam oſtendimus, in ſecunda, & tertia adminiſtrationis Imperii Romani forma Cæſares, ipſeque nominatim Geta in nummis Græcis Imperatores dicti ſunt.

199. *P. Cornelius Anulinus II.* & *M. Aufidius Fronto*.

200. *Claudius Severus*, & *C. Aufidius Victorinus*.

201. *L. Annius Fabianus*, & *M. Nonius Mucianus*. His Coſſ. *Thermæ Severianæ apud Antiochiam, & Romæ factæ, & Septizodium inſtructum eſt*. Ita Caſſiodorus in Chronico. Sed legendum *Septizonium extructum*, ut habet Euſebius in Chronico, in quo tamen perperam hæc in annum præcedentem conferuntur, tam in editione Pontaci, quam Scaligeri, niſi malis dicere, ut veroſimilius eſt, Euſebium annum non definire; ait enim hæc facta eſſe *Severo imperante*. Hæc opera publica, prioris Imperii Severi Decennalium ſignum: quæ duo numiſmata, ab Occone relata, hoc anno facta, ideoque anno uno anticipata, demonſtrant. In priori legitur: SEVERUS PIUS AUG. PART. MAX. P. M. TR. P. VIIII. In averſa parte cernitur Trophæum cum duobus captivis: quæ repræſentatio in nummis in quibus Decennalia ſculpta ſunt, ſæpe viſitur. Sed validior probatio, quæ ex altero nummo eadem Tribunitia poteſtate nona, quam hoc anno iniit Severus, notato deſumitur; in ejus enim averſa parte legitur: VOTA SUSCEPTA XX. cerniturque figura ſtolata, & velata ſtans, dextra pateram coram Ara accenſa aut Tripode tenens. Quæ etiam repræſentatio in nummis Decennaliorum & id genus feſtorum ſæpe expreſſa. Incidunt & in hunc annum Quinquennalia Imperii Cæſarei Caracallæ, quemadmodum diximus cap. 3. num. 4. hujuſce partis; quorum indicia quæ Spartianus in Severo cap. 16. ſcribit: *cum Antiochiam tranſiſſet* [Severus] *data virili Toga filio majori, ſecum eum Conſulem deſignavit, & ſtatim* (id eſt, anno ſequenti, quam ſignificationem ea particula aliquando habet) *in Syria Conſulatum inierunt*. Natus erat Caracalla anno Chriſti 188. die ſexta Aprilis, qui & ejus emortualis dies fuit. Scribit enim Dio libro 78. vixiſſe eum annos 29. Quare hoc anno, quo ætatis decimum quartum ingreſſus eſt, ei Toga maturata eſt. Quod & indicat Quinquennalia ejus hoc anno celebrata eſſe. Quo & ſexta perſecutio cœpta, quæ anno ſequenti magis exarſit. Rejiciendus itaque communis Chronologorum error ejuſdem perſecutionis initium eo anno conſignans.

202. *L. Septimius Severus Aug. III.* & *Aurelius Antoninus Caracalla Aug.* Quinquennalia Imperii Cæſarei Getæ. Quæ duo indicant, primum perſecutio adverſus Chriſtianos aucta, ut cap. tertio hujus partis, num. quarto diximus; ſecundum Toga hoc anno eidem Getæ data. Scri-

bit enim Spartianus in Severo cap, 14. *Geta minori filio Togam virilem dedit, majori Plautiani filiam uxorem junxit*. Natus erat Geta Severo, & Vitellio Conſulibus, ſexto Kalendas Junias, ut teſtis eſt Spartianus in Geta capite tertio. Qui Conſulatus ſuffectus, ab Onuphrio prætermiſſus cadit in annum Chriſti 189. Quare eadem quoad ætatem quam Caracallæ fratri gratia facta, eique hoc anno virilis Toga conceſſa, dum annum decimum quartum ingrederetur, Caracallæ vero filia Plautiani uxor data, ſed nuptiæ anno tantum ſequenti, quo Severus Decennalia celebravit, peractæ, ut habet Dio lib. 76. Porro Severi, & ejus filii Conſulatus juxta ſecundam Regulam, licet Decennalia diſtulerit primus,

203. *P. Septimius Geta*, & *L. Plautianus II*,

VI. *Decennalia Severi & reliqui anniverſ. imperii*. Hoc anno Severus, qui ex Oriente Romam redierat, ibidem poſteriora Decennalia celebravit, ut oſtendit nummus, qui apud Occonem extat, in quo legitur: L. SEPTIMIUS SEVERUS PERT, AUG, & in poſtica: VOT, SUSC, DEC. P. M, TR. P. XI. COS. III. P. P. Quæ Tribunitia poteſtas XI. Kalendis Juniis huius anni cœpta eſt. De quibus Decennalibus Xiphilinus ex Dione hæc habet: ὁ δὲ Σεβῆρος ἐπὶ τῆς δεκαετηρίδος τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐδωρήσατο &c. Id eſt, ut vertit Xilander, *Interea Severus, poſtquam attigit decennium Principatus ſui congiario populo, Prætorianiſque militibus dato, tot aureos, quot annos imperaverat dedit. Quam ob cauſam ſibi mirum in modum placebat, cum revera nemo unquam ſimul tantumdem eis dediſſet; conſumpta fuit enim in ea largitione aureorum viciet centena millia*. Noriſius Diſſertat. de votis Decennalibus capite quarto inquit videri ſignificare Severum, non exacto decennio, ut moris fuerat, ſed eodem ineunte Decennalia dediſſe, & ſcriptoris Græci verba ita plane eſſe interpretanda: *interim Severus circa decennium ſui principatus*. Sed præterquam quod error communis eſt Decennalia & id genus feſta exacto decennio antea celebrari ſolita fuiſſe, cum indiſcriminatim eo vel exeunte, vel ineunte ederentur, qua de re non exiſtimo poſt ea quæ diximus, naſci poſſe dubitationem, Antiqui annos ante Decennalia elapſos, ſive eſſent novem ſive decem, ſive undecim, decennii, aut magis proprie Decennalium nomine, ut in Quinquennaliorum Canonibus diximus, explicabant. Rectius idem Noriſius Diſſertat. de Numiſmat. Licinii cap. 4. ex iiſdem verbis deducit ſolitos fuiſſe Auguſtos inter Decennalium ſolemnia nummos in populum ſpargere, ac militem ingenti donativo ditare. Unde Conſtantinus in ſuis Vicennalibus, ut tradit Euſebius lib. 3. de vita ejuſdem cap. 22. ait: *univerſis populis, tam iis, qui per agros, quam qui in urbibus habitabant, magnam pecuniæ vim diſtribui juſſit*. Quod obſervandum ad Auctores Hiſtoriæ Auguſtæ melius percipiendos. In Zophoro porticus Agrippæ ante Pantheon extat hujuſmodi Inſcriptio, quæ confirmat quod ſæpe diximus annis, in quos hæc ſolemnia incidebant, ſolitos fuiſſe Auguſtos operibus publicis nomen commendare,

IMP. CAES. L. SEPTIMIUS. SEVERUS. PIUS. PERTINAX,

ARABICUS, ADIABENICUS. PARTHICUS. MAXIMUS,

PONTIF. MAX. TRIB, POT, XI, COS. III. P. P, PRO,

COS. ET. IMP. CAES. M. AURELIUS. ANTONIN. PIUS,

FELIX, AUG, TR, POT. V, COS, PRO, COS, PANTHEUM.

VETUSTATE, CORRUPTUM. CUM, OMNI, CULTU. RESTITUERUNT.

Onuphrius eam corrigere volens, legit *Trib. Pot. X*. Sed perperam ac nullo legitimo fundamento,

204. *L. Fabius Cilo*, & *M, Annius Libo*. Octavi Ludi ſeculares hoc anno celebrati, ſed Severus præter morem Conſulatum non cepit.

205. *M. Aurelius Antoninus Caracalla Aug, II.* & *P. Septimius Geta Cæſar*. Eſt hic primus Getæ Cæſaris Conſulatus. Geta enim, qui anno 202. Conſul fuit, frater Severi Imperatoris erat, non Cæſar, licet eum in Chronico ita perperam vocet Petavius. Geſtus autem eſt ille juxta III, Regulam. Conſulatus vero Caracallæ juxta II. Eſt hic enim annus Imperii ejus Cæſarei decimus inchoatus, Decennaliſque ab eo celebrata oſtendunt quæ ſcribit auctor Chronici Alexandrini; *Horum Conſulatu Severus Alexandriam ingreſſus Chriſtianos perſequi cœpit, ex quibus multi ab Alexandria, & Ægypto Augaſtamnica, Thebaidem uſque pro Chriſto caſi occubuere*, Tum ſubjungit; *hoc tempore Gymnaſium Alexandria Severianum dictum, eſt erectum, ingenſque fanum Pantheum nuncupatum*. Tamen dubito ne ea in ſequentem annum dilata fuerint, interimque Conſulatus ſumptus eademque acta, ac ſi celebrata fuiſſent. Occo enim pag. 373. nummi Epigraphen recitat, quæ habet: ANTONINUS PIUS AUG. TR. P, VIIII, COS. II. in poſtica parte; VOTA SUSCEPTA X. Repræſentatur in ea Veſta dextera pateram ſuper Ara tenens, quæ figura in hujuſmodi ſolemnium nummis ſæpe exprimitur. Refert & idem Antiquarius alium Caracallæ nummum eadem Tribunitia poteſtate notatum in quo legitur: INDULGENTIA AUGG, IN CARTH. ædeſt, Carthaginienſes,

206, *Nummius Albinus*, & *Fulvius Æmilianus*, Quindecennalia Cæſarei Caracallæ Imperii, ut anno præcedenti dictum,

207, *Flavius Aper*. & *Q. Allius Maximus*, Onuphrius in Faſtis ſcribit hoc anno Caracallam Decennalia, Auguſtei nempe Imperii celebraſſe. Sed Conſulatus ab eodem anno ſequenti geſtus contrarium oſtendit,

208. *M. Aurelius Antoninus Caracalla Aug, III.* & *Geta Cæſar*. Sumptus hic ab utroque Conſulatus juxta II. Regulam; Caracallam enim Imperii Auguſtei Decennalia celebraſſe Conſulatus & Auguſtea dignitas Getæ fratri a Severo conceſſa indicant, Qua tamen de cauſa in titulis legum Codicis Juſtinianei hoc & ſequenti anno datarum nomen ejus ſicut Severi & Caracallæ non legatur, ignorare me fateor, Eodem anno poſterioris Severi Imperii Quindecennalia acta, Occo enim pag. 358. nummum refert, in quo legitur: SEVERUS PIUS AUG. P. M, TR, P. XVI. COS, III, P. P, In cujus averſa parte, cernitur trophæum cum duobus captivis aſſidentibus; quæ figura in nummis Decennaliorum ſæpe cernitur. Refert & alium nummum eadem Tribunitia poteſtate XVI. notatum, in quo repræſentatur pulcherrimus pons duabus utrimque turribus munitus, qui occaſione horum ſolemnium a Severo, ut videtur, conſtructus.

209, *Claudius Pompejanus*, & *Lollianus Avitus*,

210.

210. *Aellius Fauſtinus*, & *Macer Ruſinianus*. Quindecennalia Imperii Cæſarei Caracallæ. Occo pag. 374. hujus Imperatoris nummum refert, in quo legitur: ANTONINUS PIUS AUG. PONTIF. TR. P. XII. COS. III. In averſa parte cernitur figura cum Rhabdo dextra pateram ſuper ara, ſub qua animal jacet, tenens. Circum vero VOT. SOLUT. DEC. COS. III. Duodecima Tribunitia poteſtas anno ſuperiori a Caracalla ſumpta, & præſenti abſoluta, qua adhuc currente ea ſolemnia acta.

VII. *Imperium Caracallæ & Macrini.*

211. *Lollianus Gentianus*, & *Pomponius Baſſus*. Severus die quarta Februarii Eboraci e vivis exceſſit, quem Caracalla & Geta filii excepere.

212. *Pompejus Aſper*, & *Julius Aſper*. Exeunte Martio Caracalla Getam fratrem occidit, natum annos viginti duos, menſesque novem, ut tradit Dio lib. 77. quibus conſtat natum eum fuiſſe anno 189. ut ſupra anno 201. declaravimus.

213. *M. Antoninus Caracalla Aug. IV.* & *Caelius Balbinus*. Caracallæ Conſulatus juxta I. & II. Regulam. Eſt hic enim annus decimus quintus exactus a quo renunciatus fuerat Auguſtus.

214. *Silius Meſſalla* & *Aquilius Sabinus*.

215. *Æmilius Latus II.* & *Anicius Cerealis*.

216. *Q. Aquilius Sabinus II.* & *Sex. Cornelius Anullinus*. Caſſiodorus loco Anullini perperam adit *Venuſtum*, additque: *His Coſſ. Antoninus Romæ Thermas ſui nominis ædificavit*. Quod Caracallam poſteriora Imperii Auguſtei Quinquennalia & Vicennalia Imperii Cæſarei hoc anno celebraſſe demonſtrat.

217. *C. Bruttius Præſens*, & *Metius Extricatus*. Extant apud Occonem numiſmata in poſtica parte hanc Epigraphem exhibentia: TR. P. XX. COS. IIII. P. P. VICT. PART. Ubi cernitur Victoria in clypeo inſcribens VOT. XX. adeſtque Trophæum cum duobus captivis. Quibus ex verbis colligitur eum ante diem octavum Idus Apriles ejus Natalem genuinum, ac emortualem Vicennalia prioris Imperii Auguſtei jam celebraſſe; verumque eſſe quod ſupra ex Noriſio obſervavimus, aliquando Tribunitiam ejus poteſtatem in nummis obſignatam ab eo tempore, quo in Galliis deſtinatus eſt Imperator, inchoatam fuiſſe; aliquando vero poſt Kalendas Junias ejuſdem anni 198. poſt quas Senatus-conſulto nomen & inſignia Imperatoria ei tradita ſunt. Quoad vero illud quod addit idem Noriſius loco laudato, Antoninum nempe primum Romanorum Principum ſtatum Vicennalium tempus anteverti ſſe, multis jam a nobis exemplis contrariis confutatum. Scribit Spartianus in Caracalla cap. 6. *die Natalis ſui, octavo Idus Apriles, inſidiis a Macrino Præfecto Prætorii poſitis, qui poſt eum invaſit Imperium, interemptus eſt*, nempe Caracalla inter Carras & Edeſſam. Quare recte ſcriptum a Dione eum annos ſex, menſes duos, & dies duos imperaſſe, ultimo ſcilicet termino excluſo. Sed erravit, ſcribens eum periiſſe die octavo Aprilis; aliter enim numerare debuiſſet dies quatuor, non vero duos. Errat etiam in eo quod ſcribat natum Caracallam pridie nonas Apriles. Eo ſublato neque ea die, neque duabus ſequentibus Macrinus Imperium invaſit, ſed *quarta demum die, qua Severi Natalis erat*, inquit idem Dio lib. 78. Incidit Natale Severi in diem quartum Idus Aprilis, ut conſtat ex veteri Kalendario a Petro Lambecio v. c. edito, in quo ad eumdem diem legitur N. DIVI SEVERI. Id eſt, *Natale Divi Severi*.

VIII. *Imperium Heliogabali & Alexandri Severi.*

218. *M. Opelius Macrinus Aug.* & *Adventus*. Hunc Conſulatum reſtituimus, de quo legenda quæ diximus I. parte cap. 7. num. VI. Idem Imperator tertio die menſis Junii prælio vincitur, ac paulo poſt occiditur, cui ſuccedit M. Aurelius Antoninus Helagabalus, ſeu Heliogabalus. Scribit Dio lib. 78. eum imperaſſe anno duntaxat, uno, duobuſque menſibus, tribus demptis diebus, *ſiquidem*, inquit, *ad pugnam uſque cogitationes noſtras referamus*. A die autem ſexto Aprilis anni elapſi, quo ex Spartiano eum interfectum diſcimus ad tertiam Junii hujus anni diem, eo tanquam ultimo termino excluſo, hujuſmodi tempus intercipitur; ſedulo enim advertendum Dionem Macrini Imperium a die mortis deceſſoris, non vero ab eo quo is electus fuerat, numerare: quo etiam modo ſe geſſit in annis Severi computandis, quos non a die, quo Carnunto Imperator nuncupatus fuerat, ſed a die emortuali Juliani deceſſoris, deducit.

219. *Heliogabalus Aug. II.* & *Licinius Sacerdos*. Conſulatus Heliogabali juxta I. Regulam.

220. *Heliogabalus Aug. III.* & *M. Aurelius Eutychianus Comazon*. Hic Conſulatus præter morem & Regulas ab Heliogabalo ſuſceptus. Is enim ut habet Dio lib. 79. multa a recepta conſuetudine aliena innovavit, & primum Conſulatum, qui ſuffectus fuit, antequam a Senatu decerneretur, ſumpſit. Euſebius ad annum Abrahami 2236. qui hoc anno Chriſti menſe Septembri incipit, ait: *Heliogabalum templum Romæ ædificatum*, quod cauſa ſufficiens Conſulatus ſumendi eſſe potuit. Illud quidem ſub anni ſequentis Conſulibus Caſſiodorus in Chronico conſignat, ſed exiſtimo eum hallucinari.

221. *Annius Gratus*, & *Claudius Seleucus*. Lampridius in Alexandro cap. 13. docet Heliogabalum adoptaſſe Alexandrum Severum, eumque ſecum Conſulem deſignaſſe, quod hoc anno contigiſſe Conſulatus ab eodem Alexandro anno ſequenti geſtus indicat.

222. *Heliogabalus Aug. IV.* & *Aurelius Severus Alexander Cæſar*. Conſulatus Alexandri juxta I. Regulam, Heliogabali juxta II. eum enim hoc anno Quinquennalia edere debuiſſe oſtendit legatio Africani pro Nicopoli conſtruenda, ut diximus cap. 6. hujus partis num. VIII. Heliogabalus tumultu militari occiſus eſt, poſtquam imperaſſet annos tres, menſes novem, & dies quatuor; *quod tempus*, inquit Dio lib. 79. *ego numero ex quo prælio facto, omnem poteſtatem adeptus eſt*. Quare cum Lampridius in Alexandro cap. 6. ſcribat Alexandrum Severum die ſexta Martii nuncupatum fuiſſe Auguſtum, liquet non tantum eundem diem Heliogabali emortualem fuiſſe, ſed & intervallum quod poſt Caracallæ mortem Dio & Herodianus contigiſſe docent, Macrini Imperio attribuendum, & huc uſque erratum eſſe ab omnibus Chronologis in Alexandri natali die conſignando, quod errorem Dionis in die emortuali Caracallæ memorando, ejuſque computandi rationem non advertiſſent.

223. *Maximus*, & *Papyrius Ælianus*.

224. *Claudius Julianus*, & *Clodius Criſpinus*.

225. *L. Turpilius Dexter*, & *M. Mæcius Ruſus*. Ut habet Inſcriptio ab Onuphrio relata. Noriſius tamen Differtat. de numiſmat. Impp. Diocletiani & Maximiani cap. 6. Fuſcum II. & Dextrum Conſules ſtatuendos eſſe contendit; quod varia Codicis Juſtinianei Reſcripta, & duæ Inſcriptiones apud Gruterum eoſdem exhibeant; at ex iis nihil aliud deduci debet, niſi Dextri Collegam vocatum fuiſſe M. Mæcium Fuſcum Rufum; eo magis quo Dio in Indice eoſdem edat, quos Inſcriptio Onuphriana.

226. *M. Aurelius Severus Alexander Aug. II.* & *C. Quadratus Marcellus*. Sumptus is Conſulatus ab Alexandro propter Quinquennalia Cæſarei ejus Imperii, quo etiam pertinent multi hoc anno Romæ Martyres facti, & quod ſcribit Euſebius in Chronico: *Thermæ Alexandrinæ Romæ ædificatæ*, quæ & in nummo quinta Tribuni-

bunitia poteſtate ſignato qui apud Occonem extat,

217. *Cælius Balbinus II. & Clodius Pupienus Maximus*. Qui poſtea Imperatores fuere. Quinquennalia Auguſtei Imperii Alexandri Severi, ut colligitur ex nummis, qui ab Occone pag. 413. referuntur, in quorum uno legitur: IMP. CÆS. M. AUR. SEU. ALEXANDER AUG. P. M. TR. P. VI. COS. II. P. P. S. C. in quo cernitur figura ſtolata ſtans ſacrificantis ritu coram ara, dextra pateram tenens. In nummis enim, in quibus hæc ſolemnia diſtinctis verbis annotantur, ſæpe ea repræſentatur.

228. *Vettius Modeſtus, & Probus*.

229. *Alexander Aug. III. & Dio II.* Sumptus iſte Conſulatus ab Alexandro propter bellum Perſicum, in quo & triumphum egit, ut oſtendimus cap. 9. hujus partis.

230. *Calpurnius Agricola & Clementinus*.

231. *Claudius Pompejanus & Felicianus*. Decimus annus Cæſarei Imperii Alexandri, ejuſque Decennalia, Occo enim pag. 416. numiſma exhibet, in quo legitur: IMP. SEU. ALEXANDER AUG. TRIB P. X. COS. III. P. P. S. C. In poſtica. VICTORIA AUGUSTI, viſiturque figura Victoriæ clypeum tenens, in quo VOT. X.

232. *Julius Lupus, & Maximus*. Decennalia Imperii Auguſtei Alexandri. Extat apud Occonem nummus hujus Imperatoris undecima ejus Tribunitia poteſtate notatus, in cujus poſtica parte libertatis typus, cum his verbis: LIBERTAS AUG qui nummi annis quibus hæc ſolemnia ſiebant ſæpe percuſſi, uti ii in quibus legitur: PROVIDENTIA AUG. quales duos eadem Tribunitia poteſtate undecima inſignitos refert idem Antiquarius, vel SPES PUBLICA, quorum unus apud eumdem extat. Aut demiſſe in quibus ſculpitur LIBERALITAS AUG. Quod iis in feſtivitatibus populum ſibi ingentibus beneficiis demereri Imperatores ſolerent. Quæ ad nummorum explicationem obſervanda.

233. *Maximus II. & Ovinius Paternus*.

234. *Maximus III. & Urbanus*.

IX.
Imperium Maximini & Gordiani Junioris.

235. *Severus & Quintianus*. Hoc anno Alexander Severus apud Moguntiam occiſus eſt die decima quarta Martii, quod ex Lampridio cap. 90. deducitur, qui ait eum imperaſſe annis tredecim, diebus novem. Dies itaque decimus quartus Martii, Natalis fuit Maximini. Huc uſque in Imperatorum diebus natalibus & emortualibus conſignandis accurati fuimus; neque in aliquo ex iis nos erraſſe exiſtimamus; ſed hinc ad Diocletianum uſque Auguſtorum Chronologia valde depravata; quam in pluribus reſtituimus, & alio in Opere probationes, quibus innixi ſumus, afferemus.

236. *C. Julius Maximinus Aug. & C. Julius Africanus*. Maximini Conſulatus juxta I. Regulam.

237. *P. Titius Perpetuus, & L. Ovinius Ruſticus Cornelianus*. Sub his Conſulibus Marcus Antonius Gordianus in Africa dictus eſt Imperator qui ſtatim M. Antonium Gordianum filium Auguſtum nuncupavit, ſed puſtquam unum aut alterum menſem imperaſſent, a Maximi ſtudioſis occiſi ſunt: quod cum reſciſſet Senatus, Maximum Pupienum, & Cælium Balbinum Imperatores, Gordianum vero tertium Cæſarem nuncupavit, pauloque poſt circa menſem Octobrem Maximinus cum Maximo filio occiſus eſt.

238. *M. Ulpius Crinitus, & Proculus Pontianus*. Ante menſem Majum Maximus & Balbinus Imperatores a militibus trucidati ſunt, & Gordianus Junior, qui eatenus Cæſar fuerat, Auguſtus renuntiatur eſt.

239. *M. Antonius Gordianus Aug. & Acilius Aviola*. Gordiani Conſulatus juxta I. Regulam.

240. *Sabinus, & Venuſtus*.

241. *Gordianus Aug. II. & Claudius Pompeianus*. Quinquennalia Cæſarei Imperii Gordiani, quæ ejus Conſulatus indicat.

242. *C. Aufidius Atticus, & C. Aſinius Prætextatus*.

243. *Arrianus & Papus*. Auguſtei Imperii Gordiani Quinquennalia in hunc annum incidunt, ſcribit Auctor Chronici Alexandrini: *Gordianus Auguſtus inſtituit Ordinem Candidatorum, quos ſingillatim lectos velut eximios & valentes, magnaque oris dignitate ex numero qui ſcholares dicuntur, evexit, ipſamque ſcholam ejus ordinis a ſuo nomine, Seniorum appellavit. Iſti ſunt ſexta ſchola*. Quidam dicunt eum ordinem inſtitutum fuiſſe a Gordiano ſeniore, ſed nullo fundamento, cum contra Auctor Chronici Alexandrini eam inſtitutionem eo anno conſignet, quo ſimiles fieri conſueverant. Ea tamen ſolemnia in annum ſequentem fuiſſe dilata oſtendit nummus ejuſdem Imperatoris apud Occonem pag. 436. in eo legitur, IMP. GORDIANUS PIUS. FEL. AUG. P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. cernitur vero Mars ſtans, cum ſcuto & haſta, in corona laurea VOTIS DECENNALIBUS S. C. nempe nuncupatis. Vides, licet Quinquennalia dilata fuerint, ea tamen quæ de more geſta eſſe, quod non raro contigiſſe, ex iis quæ infra dicemus liquebit.

244. *Peregrinus & Fulvius Æmilianus*. Gordianus a Philippo Arabe Præfecto Prætorio qui X.
Imperium utriuſque Philippi.
arripuerat Imperium circa menſem Majum interfectus eſt. Errant enim communiter Chronologi, qui ob legem ſextam libri tertii Codicis Juſtiniani tit. 42. *ad exhibendum*, ab eodem Philippo ſecundo Idus Martias ſub his Conſulibus datam, ſcribunt jam eo tempore Gordianum fuiſſe occiſum, non animadvertentes quod ſcribit Capitolinus in Gordiano III. cap. 26. utrumque ſimul per aliquod tempus imperaſſe, & lib. 6. ejuſdem Codicis tit. 20. *de Collationibus* l. 6. datam dici a Gordiano ſeptimo *Kal. Maii Peregrino & Æmiliano Coſſ.* hoc nempe anno. Quare recte ſcripſit Euſebius lib. 6. cap. 34. Gordianum annos ſex integros imperaſſe, cui ſuffragatur nummus præfatus Gordiani apud Occonem, in quo legitur Tribunitia ejus poteſtas ſeptima. Erratum itaque a recentioribus Chronologis, qui conſenſu unanimi ſcripſere eum non abſolviſſe quintum Imperii annum.

245. *M. Julius Philippus Aug. & Fabianus Titianus*. Philippi Conſulatus juxta I. Regulam.

246. *Præſens & Albinus*.

247. *M. Julius Philippus Aug. II. & M. Julius Philippus Cæſar*. Sumptus is Conſulatus a patre & filio propter millenarium urbis Romæ Ludoſque ſeculares a nobis explicatos cap. X. hujus partis.

248. *M. Julius Philippus Aug. III. & M. Julius Philippus Aug. II.* Quinquennalia utriuſque Philippi; filius enim anno 244. a patre Cæſar dictus fuerat, ut liquet ex titulo legum Codicis Juſtin. in quibus dicitur Cæſar, & hoc anno dictus videtur Auguſtus, cum ultimi nummi ejus nomine inſigniti tertiam Tribunitiam poteſtatem exhibeant, & in id genus ſolemniis hujuſmodi nuncupationes fieri ſolerent. Ad ea Quinquennalia pertinent, quæ ſcribunt Auctor Chronici Alexandrini, & Euſebius in Chronico; ille enim Indict. XI. (Nam perperam Conſules per hæc tempora conſignat) ſcribit: *Imperator Philippus una cum filio ſuo Philippo inſtituit Collegium magnorum Candidatorum, ſelectis ſpeciatim Juvenibus ex Claſſe ſcholariorum, ordinemque illum ſeu Scholam ab Auctore ejus dixit Juniorum. Atque hi ſunt ſeptima ſchola*. Quæ inſtitutio perperam Gordiano Juniori a Cedreno attribuitur. Euſebius vero ait: *Philippus urbem nominis ſui in Thracia conſtruxit*. Erat tamen in Regione, Philippopolis enim a Philippo Mace-

do-

donum Rege in Thracia conſtructa; altera vero ejuſdem nominis urbs in Arabia ſita, de qua Ortelius in Theſauro ſuo, quamque otiiſit Baudrand in Lexico Geographico, Philippum iſtum conditorem habuit. Hæc porro ſolemnia ono, aut altero meaſe videntur anticipata fuiſſe, ut intra annum Urbis millenarium celebrari poſſent, in nummis enitu hujus Imperatoris apud Occonem pag. 441. unus carat in quo legitur: IMP. M. JUL. PHILIPPUS AUG. P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P. Ac poſtea ſub eadem Tribunitia poteſtate IIII. ac Conſulatu III. in unius averſa parte habetur: VOTIS DECENNALIBUS S. C. Quæ verba ſi in nummo Tribunitia poteſtate IIII. ac Conſulatu III. inſignito legantur, non tantum colligitur Philippum Quinquennalia vota aliquoto tempore anticipaſſe, ſed & verum eſſe quod diximus alibi, millenarium Urbis intra annum ejus milleſimum, non vero eo exacto, ac milleſimo primo inchoato, ut viri docti contendunt, fuiſſe celebratum. Quod magis confirmatur ſi in nummo Tribunitia Poteſtate IIII. ſignato in averſa ejus parte legatur, MILIARIUM SÆCULUM COS. III. S. C. Sed valde dubito, ne la Antiquarius, quod ei non raro accidit, eidem nummo plures averſas partes attribuerit, quæ tamen pertinent ad nummos alio anno percuſſos. Videant igitur Antiquarii an reperire ſit numiſmata Tribunitia poteſtate IIII. ac Conſulatu III. obſignata, in quorum poſtica parte legatur, VOTIS DECENNALIBUS aut MILIARIUM SÆCULUM, neque in poſterum ſub uno eodemque alicujus Imperatoris titulo ea referant, quæ in averſa parte nummorum aliis annis, vel cum aliis titulis percuſſorum, leguntur. Certum eſt porro utriuſque Imperatoris Decennalia hoc anno celebrata; idem enim Occo nummum refert, in quo Philippus dicitur, TRIB. POT. V. COS. III. circum ſcribitur, SÆCULUM NOVUM, cum templo in cujus medio ſtatua ſedet; aliumque eadem Tribunitia poteſtate & Conſolatu notatum, in cujus etiam averſa parte legitur SÆCULUM NOVUM S. C. cernituque templum octo columnis diſtinctum, in cujus medio ſedet quædam figura. Templa vero in Quinquennalibus de more ædificata, aut dedicata. In averſa denique alterius parte legitur, FELICITAS TEMP. S. C. viſiturque figura ſtans, dextra Caduceum, ſiniſtra Cornu copiæ tenens; in nummis autem annis quibus ea feſta celebrata eſſe ſæpe eadem verba leguntur, aut iſta, SÆCULI FELICITAS, aut ÆTERNITATI AUG. ſimiliave, quia, ut diximus, iis annis nova Epocha cœpta.

XI. *Imperium Decii, Galli & Gallieni.*

249. *Fulvius Æmilianus II. & Vettius Aquilinus*. His Coſſ. circa menſem Julium uterque Philippus interfectus eſt, imperavitque Decius.

250. *Meſſius Quintus Decius Aug. II. & Annius Maximus Gratus*.

251. *Decius Aug. III. & Q. Etruſcus Decius Cæſar*. Conſulatus Etruſci juxta I. Regulam, anno enim præcedenti dictus eſt Cæſar, cujus pater Collega eſſe voluit juxta III. Regulam. Uterque ſub finem anni occiſus eſt, & Gallus ac Voluſianus Imperium ſuſceperunt.

252. *C. Vibius Trebonianus Gallus Aug. II. & C. Vibius Voluſianus Aug.* juxta I. Regulam.

253. *C. Vibius Voluſianus Aug. II. & M. Valerius Maximus*. Sumpſit hunc Conſulatum Voluſianus, ut in numero Conſulatuum patri æquaretur. Circa initium Junii ambo Imperatores interfecti, quibus ſucceſſere Valerianus & Gallienus ejus filius.

254. *C. P. Licinius Valerianus Aug. II. & C. P. Licinius Gallienus Aug.* juxta I. Regulam.

255. *Valerianus Aug. III. & Gallienus Aug. II.* Sumptus iſte Conſulatus propter bellum Perſicum. Gallienus Junior Gallieni Auguſti filius hoc anno videtur Cæſar nuncupatus.

256. *M. Valerius Maximus II. & Acilius Glabrio*.

257. *Valerianus Aug. IV. & Gallienus Aug. III.* Quinquennalia utriuſque Imperatoris, quæ non tantum eorum Conſulatus, ſed & perſecutio hoc anno contra Chriſtianos excitata manifeſtat. Extat nummus apud Occonem Gallieni Imperatoris Tribunitia poteſtate V. Conſulatuque tertio notatus, in quo legitur: SECUR. TEMPO. M. S. cerniturque figura decuſſatis cruribus columnæ innixa, dextra haſtam tenens, quo dicta in utriuſque Philippi Quinquennalibus confirmantur.

258. *Memmius Fuſcus*, vel *Tuſcus*, & *Pomponius Baſſus*.

259. *Fulvius Æmilianus*, & *Pomponius Baſſus II.* His Conſulibus Gallienus Junior Cæſar, & Valerianus ejus patruus ſubrogati ſunt, & in horum locum Crinitus & Aurelianus, qua de re fuſe ſupra, ſumptus porro hic Conſulatus a Gallieno Juniore ad Quinquennalia edenda.

260. *Cornelius Secularis*, & *Julius Donatus*. Valeriano Auguſto ſub anni præcedentis finem, vel præſentis initium a Perſis capto, Gallienus ſolus imperare cœpit, qui ob id anno ſequenti Conſulatum cepit, juxta I. Regulam.

261. *Gallienus Aug. IV. & Voluſianus*.

262. *Gallienus Aug. V. & Pompeius Fauſtinus*. Sumptus is Conſulatus a Gallieno propter Decennalia hoc anno acta, uti diximus cap. VII. hujus partis.

263. *Nummius Albinus*, & *Maximus Dexter*.

264. *Gallienus Aug. VI. & Saturninus*. Sumptus is Conſulatus a Gallieno propter triumphum hoc anno actum, de quo jam egimus.

265. *Licinius Valerianus II. & L. Ceſonius Macer*. Is Valerianus filius erat Valeriani Auguſti, qui poſtea Cæſar & Auguſtus dictus eſt, ut jam explicavimus.

266. *Gallienus Aug. VII. & Sabinillus*. Sumptus is Conſulatus a Gallieno propter ejus Quindecennalia, quæ tamen anno ſequenti acta videntur. Extat enim apud Occonem pag. 472. numiſma in quo legitur: IMP. CAES. P. LIC. GALLIENUS P. F. AUG. P. M. TR. P. XV. COS. VII. P. P. COL. .... IC. FEL. HEL. Cernuntur in eo duæ figuræ ſe ſe mutuo aſpicientes. Idem Occo legit *Colonia Aventic. Felix Helvetiorum*. Triſtanus qui tomo tertio pag. 86. eundem nummum exhibet, legendum autumat, *Colonia Ricina Felix Helvia*. Sed quidquid ſit ex ea confirmatur quod alibi diximus, annis nempe quibus hujuſmodi ſolemnia celebrabantur, colonias ab Imperatoribus inſtitutas fuiſſe; ideoque Gallienum ſequenti anno Quindecennalia edidiſſe.

267. *Ovinius Paternus*, & *Arceſilaus*.

XII. *Imperium Claudii, Aureliani, & Probi.*

268. *Ovinius Paternus II. & Marinianus*. Gallienus menſe Martio occiſus; Pollio enim in Claudio ait, non. Kalendas Aprilis Romæ mortem ejus eſſe nunciatam: ei Claudius ſucceſſit.

269. *M. Aurelius Claudius Aug. II. & Ovinius Paternus*. Juxta I. Regulam.

270. *Fl. Antiochianus*, & *Furius Orfitus*. Sub anni finem Claudius moritur, & Aurelianus ſuſcipit Imperium.

271. *L. Domitius Aurelianus Aug. II. & Pomponius Baſſus*. Juxta I. Regulam.

272. *Quietus*, & *Voldumianus*.

273. *M. Claudius Tacitus*, & *Furius Placidianus*.

274. *Aurelianus Aug. II. & C. Julius Capitolinus*. Triumphus, & Quinquennalia Aureliani, ut ſuo loco explicatum eſt.

275. *Aurelianus Aug. III & T. Avonius Marcellinus*, Sumptus hic Conſulatus ob expeditiones bellicas, de quibus Vopiſcus in Aureliano cap. 35. ſed Aurelianus menſe Januario inter Heracleam & Byzantium occiſus eſt. Poſt ejus mortem

ſex

ſex menſium interregnum fuit. Tandem ſeptimo Kalendas Octobres Tacitus acclamatus eſt Imperator, ut habet Vopiſcus in Tacito cap. 3. ſed obſervandum ex eodem Vopiſco cap. 7. Claudium menſes duos ante præfatum diem abſentem Principem nuncupatum fuiſſe, & Imperium recuſaſſe; ideoque ducentos Imperii dies, quos eidem uterque Victor attribuit, a die circiter decima quarta menſis Julii currentis anni, non vero ab ſeptima die Kalendarum Octobrium inchoandos eſſe. Quod nemini hactenus obſervatum Chronologiam Auguſteam uſque ad Diocletianum reſtituit, quemadmodum alibi accurate oſtendemus.

276. *M. Claudius Tacitus Aug. II. & Fulvius Æmilianus*. Conſulatus Taciti ſecundum I. Regulam, eo circa quintum menſis Februarii diem demortuo, Florianus ejus frater Imperium arripuit, ut tradit Vopiſcus in Floriano cap. 1. Parte vero alia omnes Orientales exercitus Probum Imperatorem fecerunt, ut Auctor eſt idem Vopiſcus in Probo cap. 10. qui capite ſequenti addit, eum die tertio nonas Apriles a Senatu Imperatorem renunciatum fuiſſe. Verum eſt in eo legi *die tertio nonas Februarias*, ſed mendoſe. Impoſſibile enim ut eo die Taciti mors Romæ ſciri potuerit. Quare locum illum corruptum eſſe certum indubitatumque. Uno eodemque tempore per duos circiter menſes Florianus & Probus imperarunt. Quod Chronologi non animadvertentes initium Probi in quintum diem nonas Julias aut circiter diſtulerunt, & trium ſequentium Imperatorum initia perperam collocarunt, ut alias magis explicabitur.

277. *Aurelius Probus Aug. & Anicius Paulinus*. Conſulatus Probi juxta I. Regulam.

278. *Probus Aug. II. & Furius Lupus*. Onuphrius primum Probi Conſulatum, Baronius ſecundum ſuffectum credidit. Sed utrumque ex ſubſcriptionibus legum Codicis Juſtiniani, Noriſius Diſſertatione de votis Decennalibus egregie confirmat, cumque in omnibus antiquis Faſtis legantur, eos ordinarios fuiſſe certum eſt. Porro ſecundum hunc Conſulatum, ſicuti & ſequentem ſumpſit Probus propter egregias expeditiones, de quibus Vopiſcus in ejus vita, ideoque ſecundum IV. Regulam.

279. *Probus Aug. III. & Ovinius Paternus*.

280. *Meſſalla, & Gratus*.

281. *Probus Aug. IV. & Tiberianus*. Sumptus is Conſulatus a Probo ob ejus Quinquennalia, quorum etiam indicium quod ſcribit Euſebius in Chronico ad annum Abrahami 2297. qui anno currenti, menſe Septembri incipit: *Saturninus Magiſter exercitus novam civitatem Antiochiæ orſus eſt condere, qui poſtea Imperium molitus invadere Apamiæ occiditur*. Quæ etiam Quinquennalia Editionem Euſebianam Scaligeri, in qua id biennio antea collocatur, hac in re depravatam eſſe oſtendunt.

XIII. *Imperium Probi, Cari, & Diocletiani.*

282. *Probus Aug. V. & Pomponius Victorinus*. Triumphus Probi de Blemys, & Germanis, propter quem is Conſulatus a Probo capeſſitus, qui hoc anno occiditur cum imperaſſet annos ſex & menſes quatuor, uti Eutropius, & Euſebius in Chronico tradunt. Julianus enim in Cæſaribus, qui annos ſeptem ei attribuit, numero rotundo loquitur. Cum itaque anno 276. circa initium Martii ab exercitibus Imperator dictus fuerit, periit hoc anno circa menſis Junii finem, Ei ſucceſſit Carus, qui Carinum & Numerianum filios Cæſares nuncupavit.

283. *M. Aurelius Carus II. & M. Aurelius Carinus Cæſar*. Utriuſque Conſulatus juxta I. Regulam. Carinus & Numerianus ante menſem Septembrem Auguſti nuncupati, ut ex variis Codicis Juſtiniani Reſcriptis & Numiſmatis liquet, Incertum autem an idem Carus ſub hujus anni finem, vel ſequentis initio perierit, cum in Codice Juſtinianeo l. 3. *de revocand. donat.* PP. II. Idus Januarias l. 5. *de donat.* Romæ VI. Kal. Februarias l. 59. *ex quibus cauſis* PP. XVII. Kal. Feb. dicuntur datæ Carino & Numeriano Coſſ. qui ſoli etiam in earum titulis inſcribuntur. Unde Carus vel ſub hujus anni finem, vel in ſequentis initio obiit.

284. *Carinus Aug. II. & Numerianus Aug.* Juxta I. Regulam, Occiſo Numeriano *Diocletianus levatus eſt Imperator XV. Kal. Octob. Chalcedone*, ut tradit Chronicon Alexandrinum. Quare cum in nummis Græcis apud Goltzium annus ſecundus Imperii Auguſtei Numeriani legatur, liquet eum anno elapſo ante menſem Septembrem, vel circiter Auguſtum a patre renunciatum fuiſſe, alioquin ſecundum Imperii annum non attigiſſet, Hoc etiam anno idem Diocletianus Maximianum Herculium Cæſarem nuncupavit XII. Kal. Decembris, quemadmodum oſtendi in hac ſecunda parte.

285. *Diocletianus Aug. II. & Ariſtobulus*. Diocletiani Conſulatus juxta I. Regulam. Carinus hoc anno occiſus eſt tertio Imperii ſui Auguſtei anno, ut ex nummis apud Goltzium colligitur. In iis enim tertius annus legitur.

286. *Maximus II. & Vettius Aquilinus*. *His Coſſ. levatus eſt Maximianus Senior die Kal. Aprilium*, inquit Idatius in Faſtis de Maximiano Herculio loquens.

287. *Diocletianus Aug. III. & Maximianus Herculius Aug.* Maximiani Conſulatus juxta I. Regulam, Diocletiani juxta III.

288. *Maximianus Herculius II. & Januarius*. Sumptus is Conſulatus a Maximiano ob Quinquennalia Cæſarei Imperii; quæ etiam Diocletianus edidit, ut videre eſt cap. 6. capite 8. communem errorem refutavimus, qui Maximum II. privatum quemdam & Januarium Conſules proponit.

289. *Baſſus II. & Quinctianus*.

290. *Diocletianus IV. & Maximianus Herculius III.* Quinquennalia Auguſtei Imperii ejuſdem Maximiani, qui ob id Conſul proceſſit juxta II. Regulam, Diocletianus vero juxta III.

291. *Tiberianus II. & Dio*.

XIV. *Continuatio Imperii Diocletiani ac Initium Conſtantii Chlori & Galerii Maximiani.*

292. *Hannibalianus, & Aſclepiodotus*. Conſtantius Chlorus, & Galerius Maximianus Kalendis Martiis levati ſunt Cæſares. De die difficultas eſſe non poteſt, cum Eumenius in Panegyrico Conſtantio dicto cap. 3. illum nos doceat. Sed de anno magna inter Eruditos controverſia, quorum plerique cum Idatio in Faſtis hanc rem in annum ſuperiorem conferunt. Baluzius in notis ad Lactantium pag. 400. in annum ſequentem differt, ſed eam hoc anno factam utriuſque Quinquennalia & id genus feſta, quæ huic anno reſpondent, oſtendunt, litemque dirimunt. Inſuper manifeſtum faciunt priorem locum in hac nuncupatione non Galerio ſed Conſtantio attributum fuiſſe, cum prior Conſul proceſſerit, & Quinquennalia ediderit.

293. *Diocletianus Aug. V. & Maximianus Herculius Aug. IV.* Utriuſque Auguſti Decennalia, ut Conſulatus hic oſtendit: quo & pertinet quod habet Euſebius in Chronico hoc anno: *Primus Diocletianus adorari ſe ut Deum, & gemmas veſtibus calceamentiſque inſeri juſſit: cum ante eum omnes Imperatores in modum Judicum ſalutarentur, & chlamydem purpuream a privato plus haberent*. Quæ inſolentia novitaſque hujuſmodi ſolemnium ſine dubio nota.

294. *Conſtantius Chlorus Cæſar, & Galerius Maximianus Cæſar*. Conſulatus is, qui ſecundum I. Regulam anno præcedenti geri debebat ob Decennalia Auguſtorum in hunc dilatus fuit, cujus rei infra occurrent exempla.

295. *Tuſcus & Annulinus*.

296. *Diocletianus Aug. VI. & Conſtantius Cæſar II.* Quinquennalia eiuſdem Conſtantii, qui

ob

ob id Conſul procedit. Conſulatus vero Diocletiani juxta III. Regulam. Incidunt & in hunc annum Decennalia imperii Auguſtei Herculii, quæ videtur diſtuliſſe, aut ſaltem Conſulatum eis addictum.

297. *Maximianus Herculius Aug. V. & Galerius Maximianus Cæſar II.* Herculii Conſulatus juxta II. Regulam ſicuti & Galerii. Hic enim annus hujus Quinquennalibus dicatus.

298. *Fauſtus II. & Gallus.*

299. *Diocletianus Aug. VII. & Maximianus Herculius Aug. VI.* Quindecennalia Diocletiani, & Imperii Cæſarei Maximiani Herculii. Quæ utraque hic Conſulatus indicat. Euſebius in Chronico ad annum Abrahami 2315. juxta Editionem Pontaci, ait; *Veturius magiſter militiæ Chriſtianos milites perſequitur, paulatim ex illo jam tempore perſecutione adverſus nos incipiente.* Exorditur is annus Abrahami menſe Septembri anni Chriſti 298. quare perperam hoc conſignatur in Editione Scaligeriana anno Abrahami 2317. quod præfata utriuſque imperatoris ſolemnia manifeſte indicant. Magis adhuc contra Euſebii mentem confertur hoc a Baronio in annum Chriſti 207. Unde fit, ut poſtea anno 298. referat martyrium aliquot Chriſtianorum militum, qui tamen tardius paſſi ſunt. Qui error ex eo provenit, quod ad Imperii Diocletiani, non vero ad Abrahami annos reſpexerit. Sicut igitur ipſa perſecutio in utriuſque imperatoris Vicennalibus cœpit; ſic ejus quædam velitatio in utriuſque Quindecennalibus, idque adverſus milites, ut idem Euſebius lib. 8. hiſt. cap. 2. etiam affirmat; *Orſa primum perſecutione ab iis qui militabant.* Unde Martyrium Marcelli Centurionis, quod Baronius anno præcedenti narrat, & de quo a nobis actum capite ſecundo hujus ſecundæ partis num. 8. ante præſentem annum non contigit. Verum quidem eſt in Breviario Ebroïcenſi, ut notat idem Baronius, martyrium illud conſignari ſub Galli & Fauſti Conſulatu, ſed hoc nullius momenti; qui eas enim lectiones compoſuit, cum Euſebii in Chronico numerandi rationem non intelligeret, eum perſecutionem adverſus milites Chriſtianos excitatam ſub iis Conſulibus docere exiſtimavit, in quo toto cœlo aberravit. Acta ejus Martyrii a Surio die 30. Octobris relata nullam aliam temporis notam præferunt, quam Natale Imperatoris Maximiani nempe Herculis. In illis enim dicitur: *In civitate Tingitana procurante Fortunato Præſide, advenit Natalis Imperatoris. Denique cum omnes in conviviis epularentur, Marcellus quidam clara voce teſtatus eſt, Jeſu Chriſto Regi æterno militio. Et infra; jam die XII. Kalend. Auguſtarum quando diem feſtum Imperatoris veſtri celebraſtis, publica voce reſpondi me Chriſtianum eſſe.* Quæ loco laudato de Quindecennalibus Maximiani Herculii intelligenda eſſe diximus. Idem enim erat feſtum celebrare, ac hujuſmodi ſolemnia agere, ut patet etiam ex loco Dionyſii Alexandrini a nobis laudato capite ſeptimo hujus ſecundæ partis num. 5. ac præterea Imperatores inter eadem feſta ſplendidiſſimis epulis nobiliores quoſque excipiebant, ut patet ex Euſebio lib. 8. cap. 13. Sozomeno in fine libri ſecundi de Vicennalibus Conſtantini Magni loquente; ac denique ex Pollione in duobus Gallienis cap. 9. Porro hoc Actorum ſancti Martyris loco manifeſtum fit diem duodecimum Kalendas Decembres, quo Lactantius lib. de mortibus Perſecutorum dicit Diocletianum Vicennalia celebraſſe, natalem fuiſſe Imperii Cæſarei ejuſdem Herculii, ut antequam idem libri lucem vidiſſet, ſuſpicatus fueram. Qua de re loco ſuperius laudato.

300. *Conſtantius Chlorus Cæſar III. & Galerius Maximianus Cæſar III.* Cauſa hujus Conſulatus bellica utriuſque facinora adverſus Perſas, & Ovatio eiſdem decreta, uti dictum eſt cap. 8. hujus ſecundæ partis num. IV. Quindecennalia etiam Maximiani Herculii bis Coſſ. acta; diximus enim Imperatores vel Conſulatum ad obeunda hæc ſolemnia cepiſſe, vel viris valde illuſtribus, aut ſibi ſanguine vel affinitate conjunctis cum magiſtratum gerentibus eadem celebraſſe.

301. *Titianus II. & Nepotianus.*

302. *Conſtantius Cæſar IV. & Galerius Maximianus Cæſar IV.* Decennalia Cæſarum, de quibus mentio in antiqua marmorea baſi, in qua legitur: CÆSARUM DECENNALIA, ab Onuphrio memorata, qui eadem in annum præcedentem perperam confert, nam vir doctiſſimus nullis regulis directus non poterat non errare: ſunt multa quæ hoc anno ea Decennalia celebrata eſſe oſtendunt, ideoque & anno 292. non vero ſuperiori, Cæſarum præfatorum nuncupationem contigiſſe. Nam Idatius in faſtis ait; *His Conſulibus vilitatem juſſerunt Imperatores eſſe.* Quæ liberalitas horum ſolemnium nota, ſicuti ea de qua loquitur Chronicon Alexandrinum: *In eodem anno panis caſtrenſis apud Alexandriam a Diocletiano donatus eſt:* Quam tamen annonæ Alexandrinæ præbitionem Diocletianum potius auxiſſe, quam inſtituiſſe dicit Valeſius in notis ad lib. 2. Evagrii cap. 2. Denique Euſebius in Chronico ait: *Thermæ Romæ Diocletianæ factæ, & Maximianæ Carthagine.* Thermæ enim, quia inter opera publica numerabant, *lavacra*, inquit Ammianus lib. 16. *in modum provinciarum extructa*, annis quibus hæc ſolemnia fiebant, & ædificatæ & dedicatæ; Baronius in Annalibus harum Thermarum ædificationem perperam in annum 298. juxta Euſebium, quem male citat, confert. Sed obſervatu dignum quod is narrat, nempe Chriſtianos milites ad earum conſtructionem, quod fortes in Chriſti confeſſione perſtitiſſent, damnatos fuiſſe, iiſque abſolutis, morti addictos.

303. *Diocletianus Aug. VIII. & Maximianus Herculius Aug. VII.* Utriuſque Auguſti Vicennalia, & Triumphus inſigni pompa Romæ actus. Perſecutionis decennalis initium. Qua de re vide quæ ſuo loco diximus. XV. *Initium perſecutionis Diocletianæ.*

304. *Diocletianus Aug. IX. & Maximianus Herculius Aug. VIII.* Ludi ſeculares in hunc annum incidebant, quia ut ait Zoſimus lib. 2. a Conſulatu Chilonis & Libonis ad præſentem, centum & unus annus effluxerant; qui licet celebrati non fuerint, in cauſa tamen fuere, cur uterque Imperator Conſul proceſſerit.

305. *Conſtantius Chlorus Cæſar V. & Galerius Maximianus Cæſar V.* Quia Cointius tomo primo Annalium Eccleſiaſticorum Francorum Diocletiani initium anno 285. inſigni errore collocavit, in alium non minus cavendum incidit: hunc enim Conſulatum, qui in omnibus Faſtis legitur, expungere coactus eſt. Porro non parum animum meum excruciavit quod ſcribit Zozimus nuper laudatus, Diocletianum & Maximianum ſub præcedenti Conſulatu Purpuram depoſuiſſe; cum Euſebius, qui hoc tempore vivebat, tam in Chronico, quam in variis hiſtoriæ ſuæ locis, Idatius in Faſtis, aliique idem ſcribant, nullaque reperiantur numiſmata Græca, in quibus annus viceſimus primus Diocletiani, & decimus nonus Imperii Auguſtei Herculii legantur, cum tamen plura extent, in quibus illius annus viceſimus, hujus decimus octavus ſculpti ſunt. Nihil prætermiſi, ut nodum hunc diſſolvere poſſem, totumque Codicem Juſtinianeum percurri, ne quid intentatum relinquerem; ſed nihil in eo reperi præter ſubſcriptionem l. 28. libri 9. *Tit. 1. de his qui accuſare non poſſunt*, in qua legitur: *Data III. Kalend. Mart. Diocletiano*

IX.

IX. *& Maximiano VIII. AA. Coſ.* Sed cum hi non abdicarint niſi Kalendis Aprilis, ut ſcribit Idatius, vel potius Kalendis Maiis, ut vult Lactantius libro de mortibus Perſecutorum capite 19. ex ea lege, in cujus titulo utriuſque Imperatoris nomen legitur, nihil præſidii haurire potui; quæ tamen, ſi poſt menſem Maium emiſſa fuiſſet, difficultatem dirimeret, eoſque adhuc tunc imperaſſe demonſtraret. Denique hic Conſtantii & Galerii Conſulatus videtur indicare eam abdicationem anno præcedenti factam fuiſſe, eoſque de novorum Principum more, ac juxta I. Regulam illum ſumpſiſſe. Verum enim vero re momento ſuo ponderata, hujus Conſulatus cauſam aliam aſſignandam puto; cum diſerte ac ſæpius Lactantius, qui tum vivebat, loco laudato tradat Diocletianum & Maximianum ſub hujus anni Conſulibus Kalendis Majis abdicaſſe. Ea autem cauſa hæc fuit. Diocletianus *anno fere toto*, uti habet idem Lactantius cap. 17. antequam abdicaret, ægritudine tabuit, & demens factus eſt. Quo factum, ut rerum omnium adminiſtratio penes Galerium Maximianum fuerit, qui jam poſt victoriam Perſicam anno 297. relatam, in tantos faſtus elevatus eſt, *ut jam detrectaret Cæſaris nomen, & truci vultu, ac voce terribili exclamaret; quouſque Cæſar?* inquit idem Lactantius cap. 9. quæ ejus etiam inſolentia confirmatur ex nummo, quem Hervvartu cap. 248. ſuæ Chronologiæ ait in Gazophylacio rerum artificioſarum Bavarico inveniri, in quo legitur: MAXIMIANUS NOB. C. P. M. TR. P. P. P. PROCONSUL. Magni Pontificis titulus ne ipſis quidem Auguſtis qui ab aliis in Imperii ſocietatem vocati fuerant, antequam illud tanquam hæreditas inter plures divideretur, conceſſus, ſed ſeniori Auguſto propria; & tamen Galerius, qui tantum Cæſar erat, non ſolum Patris Patriæ, ſed & Pontificis Maximi nomen uſurpabat. Quare cum jam ab anno 304. omnia pro arbitratu ſuo attenta Diocletiani dementia moderaretur, ejus Imperii Auguſtei initium ab eo anno, non a præſenti, quo Diocletianus & Maximianus Herculius abdicarunt, ab Euſebio uſque deſumptum. Quod ne gratis dicere videar, id ex ipſomet Euſebio in Chronico oſtendo. Is licet eam abdicationem in annum 304. conferat, Cæſarum tamen nuncupationem, quam certum eſt eodem tempore ac abdicationem contigiſſe, hoc tantum anno conſignat, quod cum viri docti non animadverterent, imo neque ante librum Lactantii de mortibus Perſecutorum in lucem emiſſum animadvertere poſſent, ſcripſere id non niſi per tranſpoſitionem, aut Librariorum errore in eodem Chronico legi, cum tamen idem Euſebius hæc diverſis annis propter jam aſſignatam rationem collocatum voluerit. Secundo ſolus inter Antiquos in ea ſententia Lactantius non fuit, Victor enim de Cæſaribus de Conſtantii Chlori Imperio Auguſteo loquens ait: *Imperium Conſtantio annuum fuit*, quod verum eſſe non poteſt, niſi is anno 305. imperare cœperit, cum anno 306. obierit. Excerpta Chronologica apud Scaligerum pag. 80. habent: *Diocletianus & Maximianus regnaverunt ann. XXI.* Et Cedrenus eos imperaſſe ſcribit *annos XXII.* utroque ſcilicet extremo incompleto numerato, quæ ab aliquo veteri Auctore hauſta non dubitandum, ſicuti & quod Marianus Scotus tradit eundem Conſtantium Eboraci *Maximino & Severo Conſulibus*, nempe ſuffectis obiiſſe. Ex quo patet utrumque hoc anno creatum fuiſſe Cæſarem, ideoque Diocletianum & Maximianum abdicaſſe. Firmant etiam opinionem Lactantii numiſmata Græca Conſtantii Chlori a Goltzio relata, quæ primum & ſecundum tantum Auguſtei ejus Imperii annum exprimunt, qui tamen tertium attigiſſet, ſi anno præcedenti Auguſtus levatus fuiſſet. Non inveniuntur autem numiſmata Diocletiani aut Maximiani Herculii, quæ illius viceſimum primum, hujus viceſimum memorent, quia forte ob Galerii inſolentiam, quæ utrumque tandem abdicare coëgit, nulla cuſa ſunt, licet id de Herculio, qui in Occidente imperabat, creditu difficilius ſit. Hæc igitur in poſterum abdicatio in hujus anni Kalendas Maias cum Lactantio conferenda. Et hæc de Conſulibus, qui durante ſecunda Imperii Romani adminiſtrati forma Faſtis nomen dedere.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

Conſulatuum Cæſareorum a prima Imperii diviſione ad eam, qua Valentiniano & Valente Imperatoribus facta Rationarium, ac Decennalium & id genus feſtorum, ordinatio juxta noſtras Regulas.

I. *Tertia Imperii adminiſtrati forma.*

QUemadmodum Judæi ſuos annos Sabbathicos habuere, qui quolibet ſeptennio indicebantur, & toto illo annuo ſpatio obſervabantur, ita ut ſervi indigenæ manumitterentur, ac quiquid ſponte naſcebatur, id commune omnibus eſſet, & indifferenter a quibuſvis colligeretur; ut videre eſt in Levitico cap. 25. ſic Romanis ſua Quinquennalia & id genus feſta, ſingulis Quinquenniis celebranda fuere, quibus reis Indulgentia fiebat, tributa, aut eorum pars remittebatur, Urbes, & Eccleſiæ extruebantur, & dedicabantur, novi uſus introducebantur, ac denique anni quibus ea exhibebantur, *in feſtivitatibus, ſpectaculis, epulis, omnique Hilaritatis genere*, ut ait Euſebius lib. 8. cap. 13. tranſigebantur. Jam docuere viri docti, quem uſum anni Sabbathici in Chronologia habeant, & quantum ad Annales veteris Teſtamenti recte ordinandos, eorum notitia conferat; reſtabat, ut quæ ex præfatis feſtis in Annales Eccleſiaſticos, & Civiles redundarent emolumenta, quis aperiret; quod nos hoc in opere tentamus. Verum quidem eſt in Decennalibus rem non adeo eſſe certam, ac in annis Sabbathicis, quæ ſtato, definitoque tempore recurrebant; cum contra ea aliquando decimo, aliquando undecimo anno fierent, immo & quandoque, aut uno anno anticiparentur, aut differrentur; ſed licet hoc de utilitate, quæ ex iis percipi poſſet, non parum detrahat, non tamen impedit quin ſuos uſus habeant, eorumque beneficio, accedentibus præſertim aliis adminiculis, multi nodi alio modo non ſuperandi ſolvantur. Quare quod exorſi ſumus opus, perficiendum, & quæ in tertia regiminis Imperii Romani forma a Chriſtianis Imperatoribus, acta Quinquennalia, Decennaliave, quam accuratius poterimus, explicanda. Ubi enim Conſtantius Chlorus, & Galerius Maximianus Imperium obtinuere, novam faciem Reipublicæ induxere, *His*, inquit Eutropius lib. 10. *abeuntibus* (Diocletiano nempe, & Maximiano Herculio) *ab adminiſtratione Reipublicæ Conſtantius & Galerius Auguſti creati ſunt, diviſuſque inter eos Romanus Orbis*, Quod etiam obſervat Oroſius lib. 7. *Galerius, & Conſtantius Auguſti, primi Imperium Romanum in duas partes determinaverunt.* Sed hac de re jam actum cap. 2. hujus ſecundæ partis. Poſtquam idem Conſtantius, & Galerius Kalendis Maiis anni 305. Auguſti nuncupati ſunt, Severus, & Galerius Maximinus Cæſares dicti, Purpuraque veſtiti. Incertum autem an Maximianus Herculius antequam Imperium deponeret,

Digitized by Google

ret, Imperii Auguſtei Vicennalia egerit; is enim annus viceſimus erat iniens Imperii ejus Auguſtei. Quæ ſolemnia in cauſa forſan fuere cur Galerius Maximianus, & Conſtantius Chlorus eodem anno 305. Conſules proceſſerint. In re tamen incerta nihil determino.

II. *Hoc anno Conſtantinus & Maxentius Impp. creati, Maximinus & Severus Cæſares.*

306. *Conſtantius Chlorus Aug. VI. & Galerius Maximianus Aug. VI.* Cæſarei Imperii utriuſque Auguſti Quindecennalia, ob quæ hic Conſulatus ſumptos. De iis egimus, cap. VI. hujus partis. Idem Conſtantius octavo Kalendas Auguſti Eboraci mortuus eſt, cui Conſtantinus Magnus filius ſucceſſit, qui tamen hoc anno, & initio ſequentis Cæſar tantum dictus eſt, donec Fauſtam Maximiani Herculii filiam uxorem duxit, ut docet panegyricus eidem Conſtantino dictus. Conſtantini imagine Romam perlata, Maxentius a Prætorianis militibus ſexto Kalendas Novembres, ut habet Lactantius libro de mortibus Perſecutorum cap. 26. Imperator acclamatus eſt. Præterea Galerius Maximianus Severum Cæſarem Auguſtum creavit, ut Conſtantinum *de ſecundo loco rejiceret in quartum*, ait idem Lactantius cap. 25. Cum itaque imperium a pluribus Auguſtis inter ſe diſcordibus regeretur, per annos ſex, alii fuere Conſules ordinarii in Italia, ubi Maxentius regnabat, alii in reliquo Orbe Romano. Qui cum diviſim a Faſtorum Conditoribus propoſiti non fuerint, res Chronologica per hæc tempora aliqualiter obſcurata. Quare Faſti per annos ſex ſequentes bifariam dividendi, ac in poſteriori columna Conſules a Maxentio, in priori Conſules ab aliis deſignati, exhibendi. Quæ porro de Conſtantino, Maximino, Licinio, aliiſque ſupra retuli, hic prætermittam.

In potiori parte Imperii Romani.

307. *Novies & Conſtantinus.* Ita Faſti Idatii, & liber de Præfectis Urbi, id eſt, *Maximianus Herculius IX. & Conſtantinus Aug.* Non enim hæc *novies* ad Diocletianum, qui jam novies Conſul fuerat, referri non poteſt, quod valde obſervandum. Chronicon Alexandrinum Conſtantinum ſolum Conſulem edit, ſed non dubium quin Herculius, qui Imperium reſumpſit, idque ſub anni præcedentis finem, uti hic ejus Conſulatus oſtendit, anno nomen dederit; Faſti enim Idatii, & libellus de Præfectis Urbi auctore Chronici Alexandrini in Conſulibus referendis longe accuratiores. Utriuſque Conſulatus juxta primam regulam.

308. *Decies & Maximianus VII.* Ita Idatius in Faſtis, Libellus de Præfectis Urbi, & Catalogus veterum Pontificum. Controverſia eſt inter eruditos, an vox illa *decies* de Diocletiano, vel Maximiano Herculio intelligenda ſit. Sed non dubito eam juxta dicta de Maximiano Herculio prolatam fuiſſe. Is enim Imperium reſumpſerat, hicque annus in quinta ejus Quinquennalia incidebat, quæ ejus Conſulatus cauſa, cui Maximianus Galerius juxta III. reg. Collega fuit. In Chronico Alexandrino legitur *Παλλαδίου, καὶ Μαξιμιανοῦ Γαλερίου τὸ ζ'.* Id eſt, *iterum decies, & Maximiano Galerio VII.* Quæ Baderus, ſicuti, & Onuphrius, qui pro ſe habent Caſſiodorum, & Victorium, de Diocletiano explicant. In cujus etiam ſententiæ confirmationem Noriſius in doctrina Faſtorum eruditiſſimus, *Diſſert.* de Numiſmat. Impp. Dioclet. & Maximian. cap. 5. ad probandum hunc decimum ejuſdem Diocletiani Conſulatum affert locum Eumenii in Panegyrico Conſtantino anno 310. poſt Herculii mortem dicto, ubi cap. 15. de Diocletiano loquens ait: *Felix beatuſque vere quem veſtra, tantorum Principum colunt obſequia privatum*: Exiſtimat enim Galerium Maximianum, quo devoti animi obſequium erga Diocletianum, a quo ad Imperium evectus fuerat, teſtatum faceret, eumdem quamvis privatum una ſecum Conſulem deſignaſſe. Sed Caſſiodori & Victorii Faſti per Diocletiani tempora depravatiſſimi, & is Eumenii locus non magis id evincit quam quod habet Eutropius lib. 9. ubi ait Diocletiano contigiſſe, quod nulli poſt natos homines, *ut cum privatus eſſet, inter divos tamen referretur.* Illa itaque obſequia, ſicuti & is honos, nihil ad Conſulatum facit.

Magis urget quod habet Victor de Diocletiano in Epitome: *Imperavit annis viginti quinque*: quomodo enim hoc verum eſſe poteſt, niſi ſaltem hoc anno Conſul proceſſerit? Exiſtimo tamen ita locutum Victorem, quia Diocletianus uſque ad currentem annum publicorum conſiliorum particeps fuiſſe videtur. Certe Zoſimus lib. 2. eum Carnunti in Pannonia aliquo tempore degiſſe fidem facit, & Lactantius lib. de mortibus Perſecutorum cap. 29. de nuncupatione Licinii Auguſti ſub anni præcedentis finem eodem in oppido facta loquens ait: *aderat ibi*

In Italia.

III. *Imperium Conſtantini, Galerii Maximiani, Maxentii, Licinii, & Maximini.*

307. *Poſt Sextum Conſulatum.* Idatius, & Libellus de Præfectis Urbi, id eſt, *poſt ſextum Conſulatum Conſtantii Chlori, & Galerii Maximiani.* Ex quo conſtat falſam omnino eſſe eorum ſententiam, qui arbitrati ſunt Conſtantium Chlorum anno 305. demortuum eſſe, aut eumdem quinque tantum Conſulatus geſſiſſe. Quare initium Imperii Conſtantini certiſſimum. Severus Auguſtus a Galerio Maximiano in Italiam cum exercitu miſſus Ravennæ menſe incerto extinctus eſt. Lactantius libro laudato. Idem Galerius Maximianus tertio Idus Novembris Licinium Auguſtum nuncupavit, quod ægre ferens Galerius Maximinus ſeipſum ante hujus anni finem Auguſtum dixit.

308. *Maxentius Aug. & Romulus.* Ita Idatius, & Libellus de Præfectis Urbi. Romulus filius erat Maxentii, ab eoque Cæſar, ut patet ex nummis, dictus fuit. Quare is utriuſque Conſulatus juxta I. Regulam. Neque Maxentius ſolus fuit, qui primum Conſulatum in annum ſecundum Imperii diſtulit, ut aliis exemplis liquet. In Libello de Præfectis Urbi ante Præfatorum Conſulum recitationem legitur: *Conſules quos juſſerint DD. NN. AUGUSTI*, quibus verbis manifeſte patet hujus anni initio ob bella civilia Maxentium inter & alios Auguſtos nullos Conſules ordinarios in Italia proceſſiſſe.

Nobilis a genero (Galerio nempe Maximiano) *nuper accitus, ut quod ante non fecerat* (id eſt cum Severum Auguſtum vel Licinium Cæſarem renunciavit) *præſente illo Imperium Licinio daret, ſubſtitutus in Severi loco. Itaque fit utroque præſente*, immo conſenſum præbente. Nam, ut ait Euſebius lib. 8. cap. 13. *Poſt hæc Licinius communi Imperatorum ſuffragio Imperator & Auguſtus declaratus eſt*, die nempe tertio nonas Novembris anni 307. Quare Victor eos annos vigintiquinque ab anno 284. uſque ad præſentem, quo Salonam ſeceſſit, unde non amplius exiit, neque publicorum conſiliorum particeps fuit, enumerat, & utrumque extremum incompletum includit. Neque hujus difficilis loci alium ſenſum eſſe puto.

309. *Poſt Conſulatum X. & VII.* Ita Idatius, & Libellus de Præfectis Urbi, id eſt, *poſt Conſulatum decimum Maximiani Herculii, & ſeptimum Galerii Maximiani*; quæ loquendi formula nullos hoc anno Conſules ob diſcordiam Imperatorum creatos fuiſſe oſtendit.

310. *II. Poſt Conſulatum X. & VII.* Ita Idatius, & Libellus de Præfectis Urbi, id eſt anno ſecundo *poſt Conſulatum X. Maximiani Herculii, & ſeptimum Galerii Maximiani*; quæ etiam loquendi formula oſtendit nullos hoc anno creari potuiſſe Conſules. Eſt hic annus quintus evolutus Imperii Auguſtei Galerii Maximiani, quemadmodum & Imperii Cæſarei Galerii Maximini. Quare non dubitandum utrumque hoc vel ſuperiori anno Quinquennalia edidiſſe, ob idque perſecutionem adverſus Chriſtianos de more recrudniſſe. Edidit & Quinquennalia Conſtantinus Magnus, ut oſtendimus cap. 6. hujus partis num 6. ejuſque juſſu Maximianus Herculius menſe & die incertis Maſſiliæ ſtrangulatus eſt, quod eidem Conſtantino mortem moliretur, qua de re videndus Lactantius lib. de mortibus Perſecutorum cap. 30.

311. *Galerius Maximianus Aug. VIII. ſolus.* Ita Idatius, & Catalogus veterum Pontificum. Ei paulo poſt Collega adjunctus eſt Licinius, ac dein poſt Licinium Maximinus II. Prior tanquam Conſul ordinarius, poſterior uti ſuffectus, ut diximus, alibi; & magis explicabimus parte tertia cap. primo. Eſt hic viceſimus Imperii Cæſarei ejuſdem Galerii Maximiani annus inchoatus, qui tamen Vicennalia in annum ſequentem diſtulerat, ſumpto interim Conſulatu, ut a quibuſdam aliis Auguſtis factitatum. Qua de re legenda quæ diximus parte 2. Atque ex hac ejus Vicennalium anno ſequenti celebratione clare deducitur eundem anno 292. nuncupatum fuiſſe Cæſarem; ſi enim anno 291. ut communiter Eruditi docent, eam dignitatem obtinuiſſet, hoc nono Kalendis Martiis Tribunitiam poteſtatem viceſimam primam iniiſſet, & Vicennalia celebraſſet; & tamen ut ex Edicto ab eo in favorem Chriſtianorum paulo ante mortem dato conſtat, Tribunitiam poteſtatem XX. tantum ſuſcepit, & ad eadem Vicennalia anno ſequenti celebranda, ingentia tributa a ſubditis exegit, ut docet Lactantius libro laudato cap. 31. qui locus egregius eſt ad oſtendendas magnas expenſas, quæ in iis ſolemniis fiebant, & quantis pecuniarum contributionibus eamdem ob rem Provinciales premebantur. Idem tamen Galerius Maximianus ea celebrare non potuit: hoc enim anno poſt Kalendas Majas, quibus ſeptimum Imperii Auguſtei annum exorſus eſt, e vivis exceſſit, uti diximus ex Lactantio loco citato.

Galerium Maximinum Imperii Auguſtei Quinquennalia hoc anno edidiſſe oſtendimus ſupra parte 1. cap. 6. n. 11. indicatque perſecutio adverſus Chriſtianos ab eo circa menſem Novembrem rurſus excitata: licet enim poſt Edictum a Galerio Maximiano paulo ante menſem Majum emiſſum Judicibus ſuis mandarit, ut ab eorumdem vexatione abſtinerent, uti narrat Euſebius lib. 9. cap. 1. tamen ut capite ſequenti dicit Euſebius, *ne ſex quidem integris menſibus* pacem ſervavit. Quæ adverſus eos egerit, quinque ſequentibus capitibus apud eumdem auctorem legenda, nam hæc in Annalibus Eccleſiaſticis non accurate deſcripta.

312. *Conſtantinus Aug. II. & Licinius Aug. II.* Sumptus iſte Conſulatus ob bellum Maxentianum, ex quo & apparet captum illud fuiſſe anno elapſo, quod etiam deducitur ex Lactantio libro laudato, & Eutropio, qui ait Conſtantinum quinto Imperii ſui anno bellum illud moviſſe. Dio-

309. *Maxentius II. & Romulus II.* Ita Idatius, & Libellus de Præfectis Urbi. Sumptus is Conſulatus a Maxentio, (cujus filius Collega juxta III. Regulam) propter varia bella quæ geſſit, de quibus videndus Panegyricus Incerti poſt cædem Maxentii Conſtantino dictus cap. 3. Maxentius in Inſcriptione Veronenſi appellatur IMP. XI. propter plures nempe relatas ab eo victorias.

310. *Maxentius III. ſolus.* Ita Idatius, & Libellus de Præfectis Urbi ex quo recte infert Noriſius loco laudato Romulum ejus filium jam hoc anno obiiſſe; cum aliter Patris de more Collega fuiſſet. Et quidem eum ante patrem obiiſſe conſtat ex nummis, in quibus dicitur Divus, quia nempe ab eo Apotheoſi cohoneſtatus fuit. Eſt hic quintus ejuſdem Maxentii annus in quem ejus Quinquennalia incidebant, quæ tamen in annum Chriſti 312. diſtulit, ſumpto interea Conſulatu.

311. *Rufinus*, ſeu *Rufius Voluſianus*, & *Euſebius*. Verum quidem eſt Idatium in Faſtis edere *Rufinum, & Voluſianum*, & auctorem Libelli de Præfectis Urbi, *Rufinum, & Euſebium*, immo hunc inſinuare provecto jam anno eoſdem Conſules creatos; ait enim, *Conſules quos juſſerint DD. NN. Auguſti, ex menſe Septembri, factum eſt Rufino, & Euſebio*; ſed non dubito Idatium ex uno Conſule duos feciſſe. Apud Zoſimum enim legitur *Rufium Voluſianum* præfectum Prætorio Maxentii fuiſſe, idque, hoc vel præcedenti anno, quare poſt eam dignitatem Conſul cum Euſebio fuit.

312. *Maxentius Aug. VI. ſolus.* Ita Idatius & libellus de Præfectis Urbi. Sumptus is Conſulatus a Maxentio propter triumphum

Car-

Diocletianus tertio nonas Decembris Salonæ obiit, Diem nos docet Idatius in Faſtis, annum Lactantius libro de mortibus Perſecutorum, qui ejus morte narrata cap. 43. ait: *nunc jam ſupererat de adverſariis Dei, cujus nunc exitum, ruinamque ſubnectam*. Intelligit Galerium Maximinum, cujus mortem cum non referat, niſi enarrato jam Diocletiani interitu, cui Maximinum ſuperſtitem fuiſſe dicit, claret eam hoc anno, non 316. ut communiter fit, conſignandam eſſe.

Carthagine de Alexandro qui Imperium in Africa arripuerat, actum. Licet enim is anno elapſu victus fuerit, (cum anno 307. imperare cœperit, & in nummis apud Goltzium quatuor tantum Imperii ejus anni legantur,) nihilominus triumphum in hunc annum dilatum fuiſſe is Conſulatus oſtendit; eo magis, quo hoc anno Quinquennalia edere idem Maxentius decreviſſet; quæ duo eodem ſæpe anno acta pluribus exemplis conſtat. Idem Maxentius ſexto Kalendas Novembres Imperii ejus Natali; quo ea ſolemnia celebrare debebat, a Conſtantino victus, profligatuſque eſt, ut ſuo loco diximus.

IV. *Imperium Conſtantini uſque ad ejus Monarchiam.*

313. *Conſtantinus Aug. III. & Licinius Aug. III.* Sumptus iſte Conſulatus ob novum Urbis, Italiæ, & Africæ Imperium. Præterquam quod incidebant in hunc annum Ludi ſeculares juxta ordinationem Auguſti, ut obſervat Zozimus lib. II, quos licet Conſtantinus contempſerit, in Conſulatu tamen capeſſendo ad eoſdem reſpicere potuit. Galerius Maximinus Tarſi in Cilicia menſe circiter Auguſto periit, ut ſupra ſuo loco dictum eſt.

314. *Volusianus, & Annianus.*

315. *Conſtantinus Aug. IV. & Licinius Aug. IV.* Licinii Decennalia hoc anno peracta, ut probatum eſt ſupra cap. 7.

316. *Sabinus, & Rufinus.* Conſtantini Magni Decennalia, ut eodem loco oſtendimus. Unde, ut videre eſt in hoc exemplo, Auguſti Conſulatum nonnumquam ab hujuſmodi ſolemniis ſejungebant.

317. *Gallicanus, & Baſſus. His Coſſ. levati tres Caſares, Criſpus, Licinius, & Conſtantinus die Kal. Mart.* Ita Idatius in Faſtis. Dies is electus, quia Conſtantius Chlorus Criſpi, & Conſtantini junioris avus eo etiam die Cæſar nuncupatus fuerat, Iidem Cæſares Conſules proceſſere annis ſequentibus juxta I. Reg. & cum iis uterque Auguſtus honoris cauſa juxta III. Ea nuncupatio anno præcedenti de more fieri debebat, ſed in hunc annum propter rationes nobis incognitas dilata.

318. *Licinius Aug. V. & Criſpus Caſar.*

319. *Conſtantinus Aug. V. & Licinius Caſar.* Licinius Auguſtus videtur hoc anno Quindecennalia celebraſſe. Cœpta enim ab eo adverſus Chriſtianos perſecutio ut alibi diximus; & licet hic tantum annus ejus Imperii decimus tertius iniens ſit; quia tamen ab ejus Decennalibus quintus eſt, ſi uterque extremus, quod fieri debet numeretur, ideo tempus legitimum iis edendis fuit. Occo pag. 544. & Triſtanus tom. 3. pag. 484. Varia Licinii Auguſti Numiſmata, in quibus vota hoc anno, vel 315. ab eo ſuſcepta memorantur, Occo refert: In uno idem Imperator Galeatus cernitur, in cujus poſtica parte circum ſcribitur, VIRTUS EXERCITUS. In labaro, juxta quod ſedent duo captivi, legitur VOT. XX. In averſa parte alterius VIRTUS EXERCI. S. F. adſuntque duo captivi cum labaro, in quo VOT. X. In alterius etiam poſtica parte habetur VICTORIÆ LETÆ PRINC. CÆS. in quo duæ Victoriæ tenent clypeum cum VOT. XX. Incertum porro an ii in quibus vota Vicennalia exprimuntur, in ejus Decennalibus, aut Quindecennalibus percuſſi fuerint; cum in utriſque ſolemniis vota Vicennalia nuncuparentur, ut alibi diximus. Horum autem, ſimiliumque nummorum, in quibus ex vota diſtincte memorantur, ope, explicari poterunt nummi, annis quibus id genus ſolemnia peracta, cuſi, in quibus nulla eorum votorum mentio. In omnibus enim fere eadem expreſſa, eademque Inſcriptiones.

320. *Conſtantinus Aug. VI. & Conſtantinus Caſar.* Hujus Conſulatus juxta III. Regulam, prioris juxta II. cum enim Quindecennalia ediddiſſe, ſuo loco diximus.

321. *Criſpus Caſar II, & Conſtantinus Caſar II.* Sumptus iſte Conſulatus ob Quinquennalia ab utroque acta, ut alibi oſtenſum eſt.

322. *Probianus, & Julianus.*

323. *Severus, & Rufinus.* Conſtantius a Conſtantino magno patre Cæſar creatus eſt ſexto Idus Novembris. Cujus rei geſtæ annus, huc uſque incertus, ex ejus Decennalibus & id genus feſtis certus redditur.

324. *Criſpus Caſar III. & Conſtantinus Caſar III.* Liciniano bello, anno elapſo cœpto, utpote quæ ex Cedreno annum unum, & menſes octo duravit, Conſtantinus filios Conſules in hunc annum deſignavit, ejus enim belli partem fuiſſe Criſpum docent Anonymus Valeſianus, Zoſimus, & Euſebius cap. ult. libri decimi. Is itaque Conſulatus juxta IV. Reg.

V. *Imperium Conſtantini uſque ad Natale Urbis CP.*

325. *Paulinus, & Julianus.* His Coſſ. occiſus Licinius, inquit Idatius in Faſtis. Cœpta itaque Monarchia Conſtantini, ſecundum quam eum Orbis Imperium per annos tredecim obtinuiſſe uterque Victor ſcribit, numeratis nempe annis Julianis, ac utroque extremo incompleto. Sicut porro Gallienus quando poſt patris captivitatem ſolus rei Romanæ præfuit, Conſulatum cœpit, ita Conſtantinus ſolus Monarcha Conſtantio filio Collega juxta III. Reg. ſeipſum Conſulem in annum ſequentem deſignavit, juxta I. Reg. Idem Conſtantinus Nicomediæ Vicennalia celebravit, quæ, ut inquit Euſebius in ejus vita lib. 4. cap. 47. Synodus Nicæna exornavit. Jacta, & hoc anno urbis Conſtantinopolitanæ fundamenta, licet communis opinio quam jam confutavimus, id anno 328. factum credat. Videnda etiam quæ de iis Decennalibus diximus ſuo loco.

326. *Conſtantinus Aug. VII. & Conſtantius Caſar.* Vicennalia Romæ a Conſtantino Magno acta, ita Euſebius in Chronico, & Idatius in faſtis, quæ, ſicuti novum Conſtantini Imperium, de quo anno elapſo, hujus Conſulatus cauſa eſſe potuerunt. Conſtantini in hoc Conſulatu Collega in magnam controverſiam vocatus; Baronius enim, Calviſius, & Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani Conſtantinum Cæſarem ſine numerali nota profitentur. Quod diſſidium ut tandem dirimatur, tria ſupponenda ſunt. Primum Conſtantinum Cæſarem qua-

tuor Conſulatus ordinarios geſſiſſe, ultimumque in annum Chriſti 329. ut tunc dicetur, incidere. Secundum Conſtantii Cæſaris Conſulatum ſecundum in annum 320. competere, qua de re inter omnes convenit. Tertium utrumque Conſulatum tam quartum Conſtantini Cæſaris, quam primum Conſtantii Cæſaris ejus fratris, vel hoc anno, vel annis 327. aut 329. ut examinanti Faſtos patebit. geſtum eſſe. Cum itaque quartus ejuſdem Conſtantini Conſulatus in annum 329. ut ibidem oſtendetur, conveniat, ſequitur præſenti Conſtantium Cæſarem primum ſuum Conſulatum edidiſſe. Quare recte Onuphrius eum hoc anno exhibuit, cui ſuffragantur Idatius in Faſtis, Libellus de Præfectis Urbi, fragmentum Bucherii, & Centenarius paſchalis laterculus ab eodem Bucherio in lucem editus, Victorius, Proſper, Auctor Chronici Alexandrini, & pleræque leges Codicis Theodoſiani hoc anno datæ. Unde miror Gothofredum ob mendoſas nonnullas legum ſubſcriptiones, in quibus legitur Conſtantinus ſine numerali nota, eundem Conſulem obtruſiſſe, licet is dicendus fuiſſet Conſul IV. ſi hoc anno Conſtantini patris in Conſulatu Collega fuiſſet.

Hieroſolymitanæ Eccleſiæ excitandæ Conſtantinus Magnus animum adjecit. In Epiſtola enim, quam de ejus ædificatione ſcripſit ad Macharium Epiſcopum Hieroſolymitanum, quam Euſebius refert in vita Conſtantini lib. 3. cap. 30. dicit ſe hujus ædificii curam commiſiſſe Dracilliano agenti vices Præfectorum Prætorio, quod is munus hoc anno gerebat, cui ideo inſcribitur l. 1. *de Hæreticis*, ſub hujus anni Conſulibus, propoſita Cæſareæ in Palæſtina. Quæ lex etiam obſervanda, quod privilegia, quæ contemplatione religionis indulta ſunt, Catholicæ tantum legis obſervatoribus, non vero Hæreticis, & Schiſmaticis prodeſſe decernat.

317. *Flavius Valerius Conſtantinus*, & *Maximus*. Ita recte Onuphrius, qui credit Conſtantinum hunc filium fuiſſe alterius Conſtantini fratris Conſtantini Imperatoris, Valeſius vero in notis ad lib. 14. Ammiani exiſtimat eſſe ipſummet Conſtantini fratrem. Eundem Conſtantinum hoc anno exhibent Victorius iiſdem, quibus a nobis conſignatum eſt verbis, Idatius, & Proſper, ſed hic perperam cum nota numerali II. Error itaque irrepſit in fragmentum Bucherii, Libellum de Præfectis Urbi, Centenarium Paſchale laterculum ab eodem Bucherio publicatum, & Chronicon Alexandrinum, ubi preponuntur Conſtantius, & Maximus. Ita etiam legitur in Codicis Theodoſiani legibus hoc anno datis, ſine Cæſaris titulo. ſed cum nota numerali V. quæ ſine dubio additiтia eſt, & loco Conſtantini, ſcriptum perperam Conſtantius; ſicuti, & in Catalogo veterum Pontificum loco Conſtantii & Albini qui anno 335. magiſtratum geſſere eodem errore legitur *Conſtantinus* & *Albinus*, hæc enim nomina ob convenientiam facile confunduntur. Conſulatus in Decennalibus Conſtantini Cæſaris dicatus, quia, ut diximus, quando Cæſares, & Auguſti annis quibus ea edi debebant, Conſulatum non capeſſebant, is ejuſdem familiæ viris, aut perſonis illuſtrioribus deferri ſolebat. Eorum ſolemnium hæc nota: *Drepanum Bithyniæ civitatem in honorem martyris Luciani ibi conditi Conſtantinus inſtaurans ex vocabulo matris ſuæ Helenopolim nuncupavit*, inquit Hieronymus in Chronico. Ita etiam hoc anno Chronici Alexandrini auctor.

328. *Januarius* & *Juſtus*. Quinquennalia Conſtantii Cæſaris quorum index, quæ habet Hieronymus in Chronico: *in Antiochia Dominicum, quod vocatur Aureum, ædificari cœptum*. Plura etiam egregia opera publica Conſtantinopoli quæ tunc condebatur, facta, ut videre eſt ex iis quæ diximus cap. 6. num. 9.

329. *Conſtantinus Aug. VIII.* & *Conſtantinus Cæſar IV.* Conſulatus Conſtantini Cæſaris juxta III. Reg. Conſtantini Auguſti juxta II. Licet enim Quindecennalia in annum ordinarium diſtulerit, hoc tamen hunc magiſtratum cœpit. Ex eo porro Conſtantini Cæſaris Conſulatu quarto pendent quæ annis 326. & 327. ſcripſimus. Quare auctores quibus innitimur, in medium adducendi. Conſtantinum itaque cum nota numerali IV. profitentur hoc anno Idatius, Fragmentum Conſulare, Centenarius Paſchalis laterculus, & Libellus de Præfectis Urbi, quæ tria opuſcula Bucherius edidit, Proſper, & variæ leges Codicis Theodoſiani hoc anno datæ; Sed quia aliquæ librariorum errore habent *Conſtantium*, loco Conſtantini, Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani eumdem Conſtantinum IV. hæſitando tamen proponit, notatque in aliquibus ſubſcriptionibus legi Conſtantinum V. At eas mendoſas eſſe nullo modo dubitandum. Conſtantii, & Conſtantini nominum confuſio non ſolum in libris Faſtorum, & ſubſcriptionibus legum, ſed etiam in quibuſdam Hiſtoricis non obſervata viros Doctos ſæpe in errorem induxit.

330. *Gallicanus* & *Symmachus*. Quinta Quinquennalia Conſtantini Magni, quæ indicant Conſtantinopolis Encænia die undecima Maii, feria ſecunda facta, de quibus Auctor Chronici Alexandrini, qui addit Conſtantinum, Zeuxippum balneum publicum omni genera ſtatuarum ærearum, columnarum, & marmorum exornatum, a ſe anno elapſo ædificatum, eadem die aperiri præcepiſſe. Qui tamen ſub Laterani & Rufini Conſulatu, anno nempe Chriſti 197. jam ſcripſerat extructum illud fuiſſe a Severo: quod & Gothofredus lib. 15. Codicis Theodoſiani tit. 1. de operibus publicis l. 51. variorum Auctorum locis confirmat, Auctore tamen Chronici Alexandrini non citato. Exiſtimandum itaque inſtauratum illud fuiſſe a Conſtantino. VI. *Imperium Conſtantini a natali CP. ad ejus mortem.*

331. *Baſſus* & *Ablavius*. Quindecennalia Conſtantini Cæſaris, quo referenda quæ ſcribunt Hieronymus in Chronico: *Edicto Conſtantini Gentilium templa everſa ſunt*, & Theophanes: *hoc anno pius Conſtantinus templorum pariter ac Idolorum everſionem promovit, adeo ut ubique delerentur, ipſorumque reditus Dei Eccleſiis adderentur*. Præterea Socrates lib. 2. cap. 8. loquens de Concilio Antiocheno anno 341. ad dedicandam Eccleſiam celebrato, de eadem ſcribit: *quam Auguſtorum pater Conſtantinus ædificare cœperat: poſt ejus autem obitum Conſtantius filius decimo poſt anno quam jacta fuerant fundamenta, abſolverat*. Si igitur anno decimo a fundamentis jactis dedicata eſt, hoc anno condi cœpta. A Socrate tamen, cui favet Nicephorus lib. 9. cap. 5. diſſentit Hieronymus, qui uti diximus anno 328. tunc illius Eccleſiæ fundamenta jacta eſſe dicit. A quo porro erratum, an ab Hieronymo, an a Socrate incertum.

332. *Pacatianus*, & *Hilarianus*.

333. *Dalmatius* & *Zenophilus*. Conſtantium Cæſarem Imperii Cæſarei Decennalia hoc anno celebraſſe plura oſtendunt. Primum hic Dalmatii, Dalmatii Cenſoris, qui Conſtantini Magni frater erat, Conſulatus, cujus in itinerario Burdigalenſi his verbis mentio eſt: *Item ambulavimus Dalmatio F. Dalmatii, & Zenophilo Coſſ. III. Kalend. Junias a Chalcedonia*. Secundum, quia, ut habet Idatius in Faſtis: *His Coſſ. levatus eſt Conſtans die VIII. Kal. Januar*. Erat is etiam Conſtantini Magni filius. Præterea templa & Idola gentilium celeberrima, una cum ſuperſtitionis gentilitiæ ornamentis everti continuata; *opeſque & reditus* templis detracta; qua de re videndus Julianus orat. 7. pag. 424. Eunapius in vita Ædeſii pag. 37. Libanius in orat. Apolog. 26. p. 531. & orat. *pro templis* pag.

pag. 9. Denique Conſtantius l. 3. *de Medicis & Profeſſoribus*, quæ lib. 13. Codicis Theodoſiani titulo tertio legitur, Medicis & Profeſſoribus litterarum plenam ab omnibus muneribus immanitatem jam antea Principum beneficiis ſancitam promulgavit. Quæ omnia hujuſmodi ſolemnium indicia.

334 *Optatus*, & *Paulinus*.

335. *Conſtantius* & *Albinus*. Conſtantini Magni triceennalis die VIII. Kal. Auguſti, *ut* Idatius in Faſtis, & Chronicon Alexandrinum docens, celebrata, de quibus etiam locuti ſumus ſuo loco; Hoc anno idem Conſtantinus *Dalmatium F. fratris Dalmatii Cenſoris, Cæſarem renunciavit VIII. Kal. Octobris, Anibalium quoque Regem nominatum purpura induit, & Cæſaream Cappadociæ amandavit*, quo nempe eam tueretur, inquit author Chronici Alexandrini. Erat Annibalianus Dalmatii Cæſaris frater, cui Conſtantinus Conſtantianam filiam ſuam uxorem dedit, *ut* docet Anonymus Valeſianus. Videa. verum eſſe quod diximus Conſulatum hujuſmodi ſolemniis addictum, geſtum fuiſſe vel ab ipſis Imperatoribus & Cæſaribus, vel ab eorum propinquis, & annis quibus ea exhibebantur, Cæſarum aut aliorum Auguſtorum nunc upationes fieri ſolitas fuiſſe. Ex eodem porro Chronico Alexandrino corrigendus Idatius in Faſtis, qui Dalmatium Cæſarem dictum ſcribit XIV. Kal. Octobris. Nam cum Conſtantinus Magnus Octavo Kalendas Imperium obtinuerit, octavo etiam Kalendas communicaſſe videtur, ut de Conſtante loquentes diximus.

336. *Nepotianus*, & *Facundus*. Eſt hic annus viceſimus inchoatus Imperii Cæſarei Conſtantini Junioris, quo Vicennalia, celebraſſe indicant quædam Leges Codicis Theodoſiani in Chronologia a Gothofredo notatæ.

VII. *Conſtantius imperat cum fratribus.* 337. *Felicianus* & *Titianus*. Conſtantinus Magnus die viceſima ſecunda Maii deſcenſus Spiritus Sancti ſacra obiit. *Et ipſo anno nuncupati ſunt tres Auguſti Conſtantinus & Conſtantius & Conſtans V. Idus Septemb*, Inquit Idatius in Faſtis. Sunt ii ejus filii. Incidunt in hunc annum vel in ſequentem Quindecennalia Imperii Cæſarei ejuſdem Conſtantii, & Quinquennalia ejuſdem Conſtantis. In poſterum qui Conſules in Occidente Romæ, & qui in Oriente Conſtantinopoli deſignati fuerint, ad majorem Faſtorum claritatem, indicabo.

338. *Urſus* Occid. & *Polemius* Orient.

339. *Conſtantius Aug.* II. & *Conſtans Aug.*

340. *Acyndinus* Orient. & *Proculus* Occid. Conſtantinus Junior occiſus eſt.

341. *Marcellinus* Orient. & *Probinus* Occid.

Quinquennalia Imperii Auguſtei Conſtantii & Conſtantis, de priori patet, quia hoc anno Antiochiæ Dominicum Aureum eo præſente dedicatum, uti docens Socrates lib. 2. cap. 5. & Sozomenus lib. 3. cap. 5 De Conſtante colligitur, is enim, non Conſtantius, ut exiſtimavit Baronius in Annalibus, gentilitiam ſuperſtitionem, & ſacrificiorum uſum abolevit hoc tempore, ut docte explicat Gothofredus in Commentario Codicis Theodoſiani lib. 16. tit. 10. *de Paganis, ſacrificiis, & templis*.

342. *Conſtantius Aug.* III. & *Conſtans Aug.* II. Imperii Cæſarei Conſtantii Vicennalia, Conſtantis vero Decennalia. Quare ſamptus is Conſulatus juxta ſecundam Regulam.

343. *Placidus*, & *Romulus*, uterque Occidentalis.

344. *Leontius*, & *Salluſtius*.

345. *Amantius* Orient. *Albinus* Occid.

346. *Poſt Conſulatum Amantii & Albini*, vel Conſtantius IV. & Conſtans III. Decennalia Imperii Auguſtei utriuſque Imperatoris, ut eorum Conſulatus juxta II. Regulam geſtus indicat. Quo ſpectat illud quod Theophanes narrat: *Hoc anno Conſtantius monte maximo ex parte, præciſo Seleuciæ in Syria portum paravit, & urbem ædificiis amplificavit. Aliam quoque in Phœnice Antaradum prius dictam de ſuo nomine Conſtantiam vocavit*. Quod & de Syriæ portu docet Hieronymus in Chronico hoc anno. Chronicon Alexandrinum ſub anni præcedentis Conſulibus habet: *His Coſſ. Conſtantiana Thermæ Conſtantinopoli juxta Apoſtolorum ædem cœperunt ædificari a Conſtantio Auguſto, menſe Aprili, die XVII.* Quia nempe, ſicut Conſtantinus pater balneum Zeuxippi anno 329. ædificavit, & ſequenti, quo quinta Quinquennalia celebravit, aperiri juſſit, ut diximus ex eodem Chronico Alexandrino, ita & Conſtantius idem feciſſe videtur.

347. *Euſebius* Orient. *Rufinus* Occid.

348. *Philippus* Orient. *Salliа*. Eſt hic annus viceſimus quintus Imperii Cæſarei Conſtantii, quintus vero decimus Conſtantis.

349. *Limenius*, & *Catullinus*. Ambo in Occidente creati.

350. *Sergius*, & *Nigrinianus*. Uterque Occidentalis. Conſtans Imperator in Faucibus Pyrenæorum interfectus eſt *a Magnentio, & levatus eſt Magnentius die XV. Kal. Februar. & Vetranio apud Sirmium Kal. Martii eo anno. Et Nepotianus Romæ III. nonas Junias, & pugna magna fuit cum Romanis, & Magnentianis*. Ita Idatius in Faſtis. Eodem Magnentio tyrannidem exercente, alii Conſules in Provinciis, quæ ei parebant; alii in reliquo orbe Romano deſignati.

CONSULES IN ORBE ROMANO.

351. *Poſt Conſulatum Sergii & Nigriniani*. In Oriente enim propter bellicos tumultus nemo Conſulatum adminiſtravit. Anno elapſo octavo Kalend. Jannar. Vetranio in ordinem redactus fuerat, ut colligitur ex Idatio, qui ait hoc anno levatum eſſe Conſtantium Cæſarem Idibus Martiis. Erat is Juliani frater, & antea Gallus vocabatur. Hæc nuncupatio anno ſequenti, quo Conſtantius Auguſtei Imperii Decennalia celebravit, fieri debebat, ſed Perſis ingruentibus, eum ea dignitate ornatam Antiochiam mittendum duxit idem Imperator.

352. *Conſtantius Aug. V.* & *Conſtantius Cæſar*. Conſtantii Cæſaris Conſulatus juxta I. Regulam, Conſtantii Auguſti juxta II. propter nempe Imperii ejus Auguſtei Quindecennalia, quorum extat apud Occonem nomiſma inſcriptum: FL. JUL. CONSTANTIUS P. F. AUG. & in poſtica parte: FELICITAS ROMANORUM, in medio laureæ VOT. XV. MULT. XX.

CONSULES IN GALLIIS ITALIA ET AFRICA.

351. *Magnentius* & *Gaiſo*. Ita Libellus de Præfectis Urbi, qui non alios Conſules exhibet, quam qui agniti ſunt in Italia. Magnentii qui in nummis apud Goltzium Auguſtus dicitur, Conſulatus juxta I. Regulam. VIII. *Conſtantius imperat cum Magnentio.*

352. *Decentius*, & *Paulus*. Decentii, qui frater erat Magnentii, quique in nummis apud Goltzium dicitur Cæſar, Conſulatus juxta I. Regulam. *His Coſſ.* inquit Idatius in Faſtis, *Magnentius ſe interfecit in Galliis apud Lugdunum die III. Idus Aug. Et Decentius frater Magnentii laqueo ſe ſuſpendit XV. Kal. Septemb.* Chronicon Alexandrinum ait Maxentium quarto Idus Auguſti ſe interfeciſſe.

IX. *Conſtantii Monarchia.*

353. *Conſtantius Aug. VI. & Conſtantius Caſar II.* Conſtantii Galli Conſulatus juxta III. Regulam, Conſtantii Auguſti juxta II. triennalia enim Imperii Cæſarei Arelatis celebravit, ut diximus ex Ammiano explicantes ſecundam Regulam Conſulatuum Cæſareorum. Cœpta hoc anno ejuſdem Conſtantii Auguſti Monarchia ſecundum quam dicitur a Victore annos octo ſolum imperaſſe. Per urbem Romam ſacriſicia nocturna ibi a Magnentio permiſſa abolevit, ut videre eſt in Codice Theodoſiano *l. 5. de Paganis*: perque Italiam nominatim templa Gentilium ubique claudi, aditiſque eorum, & ſacrificiorum uſum præcludi juſſit *l. 4. de Paganis*. Quod & per Orientem conſtituit. Qua de re Libanius orat. *pro templis* pag. 40.

354. *Conſtantius Aug. VII. & Conſtantius Gallus Caſar III.* Prioris Conſulatus juxta I. Regulam, poſterioris juxta III.

355. *Arbetio, & Lollianus*. Uterque Occidentalis. Anno elapſo, Conſtantio Gallo Cæſare Conſtantii Auguſti juſſu occiſo; *his Coſſ. levatus eſt Julianus Caſar die VIII. Idus Novembres*. Ita recte Idatius in Faſtis, perperam vero Chronicon Alexandrinum octavo Idus Octobres. Idatio enim ſuffragantur Socrates lib. 2. cap. 27. & Ammianus lib. 15. cap. 8.

356. *Conſtantius Aug. VIII. & Julianus Caſar*, Juliani Conſulatus juxta I. Regulam, Conſtantii juxta II. *His Coſſ. menſe Paaemo die prima Julii S. Timothei diſcipuli quondam D. Pauli Apoſtoli* (qui primus Epheſi in Aſia fuit creatus Epiſcopus) *Reliquia Conſtantinopolim cum ſumma veneratione delata ſunt, & in ade SS. Apoſtolorum ſub ipſo ſacro Altari repoſita*, uit author Chronici Alexandrini. Idem habet Hieronymus *in Chronico, & Idatius in Faſtis, qui tamen dicit hoc factum die Kal. Jun.* Vicennalia enim Auguſtei Imperii Conſtantium hoc anno celebraſſe ejus Conſulatus oſtendit, & Idatius in Faſtis indicat, quando anno ſequenti eum XXXV. Romæ edidiſſe ſcribit, nulla Vicennaliorum mentione facta. Vide dicta ſuo loco.

357. *Conſtantius Aug. IX. & Julianus Caſar II.* Conſtantii Conſulatus juxta II. Regulam, Juliani juxta III. Septima Quinquennalia Imperii Cæſarei Conſtantii de quibus actum hau ſecunda parte. Eorum ſignum quæ ſcribit Idatius in Faſtis: *His Coſſ. introjerunt Conſtantinopolim Reliquia SS. Apoſtolorum Andrea & Luca V. nonas Mart.* Idem habet Auctor Chronici Alexandrini, qui addit depoſitas fuiſſe in æde SS. Apoſtolorum. Eadem etiam ob ſolemnia ara Victoriæ ab eodem Imperatore Romæ poſito ſublata, cujus rei teſtis Symmachus *Relat. ad Valentinianum*, & Ambroſ. *Epiſt. 31. ad Valentin.* Præterea Obeliſcus Romæ ab eo erectus ſub Orfito Præfecto Urbi, qua de re Ammianus lib. 16. & lib. 17.

358. *Neratius Cerealis, & Datianus*, uterque Occidentalis.

359. *Euſebius, & Hypatius*.

360. *Conſtantius Aug. X. & Julianus Caſar III.* Quinquennalia ejuſdem Juliani, cujus ſecundum III. Regulam Conſtantius Collega fuit, Eorum index quæ habet Auctor Chronici Alexandrini: *hoc anno menſe Peritio, ſeu XIV. Februarii magna Eccleſia Conſtantinopoli dedicata eſt*. Quod confirmant Idatius in Faſtis, & Hieronymus in Chronico. Idem Chronicon Alexandrinum refert nomina complurium Epiſcoporum, qui præſentes fuere, atque ſeptuaginta duos iis Encœniis interfuiſſe. Ex quo & patet Concilium Conſtantinopolitanum Arianorum, de quo Socrates lib. 2. cap. 41. & Sozomenus lib. 4. cap. 26. & ſequentibus, hoc anno, non vero præcedenti, ut perperam in Annalibus Baronius, fuiſſe celebratum. Encœnia enim olim celebrari conſueviſſe cum maxima Epiſcoporum frequentia, & qua templum erat magnificentioris ſtructuræ, eo convocatos fuiſſe plures Antiſtites ad dedicationis feſtum, ſæpiuſque eoſdem ea occaſione Concilia celebraſſe, jam ſupra oſtenſum eſt.

361. *Taurus* Occid. & *Florentius* Orient. Tertio Nonas Novembris, ut habent Socrates, & Idatius, Conſtantius obiit, ſucceſſitque Julianus, qui anno elapſo Pariſiis a militibus Imperator acclamatus fuerat. X. *Imperium Juliani & Joviani.*

362. *Mamertinus, & Nevitta*, uterque Occidentalis.

363. *Julianus Aug. IV. & Saluſtius*. Occid. Juliani Conſulatus juxta I. Reg. exemplo enim Trajani primum Conſulatum in annum ſecundum Imperii diſtulit: *His Coſſ. occiſus eſt Julianus Aug. in bello Perſico die VI. Kal. Julias, & quia Apoſtata a Deo, factus eſt etiam Chriſtianorum perſecutor, occiſus eſt, & levatus eſt Chriſtianiſſimus Jovianus Aug. V. Kal. Julias*. Inquit Idatius in Faſtis.

364. *Jovianus Aug. & Varronianus nobiliſſimus puer*. Cum Imperator Jovianus Dadaſtanis extremum diem obiiſſet *die decimo tertio Kal. Martii, Conſulatu ſuimet ipſius, & Varroniani filii: milites ex Galatia progreſſi ſeptimo poſt die Nicaam Bithynia pervenerunt: atque ibi communi ſuffragio Valentinianum Imperatorem renuntiant ſexto Kal. Martii, iiſdem Conſulibus*, ita Socrates lib. 4. cap. 1. juxta Valeſii verſionem, quæ tamen quoad ultima verba, Socratis menti non reſpondet, in Græco enim legitur, ἐν τῷ αὐτῷ ὑπατείᾳ, id eſt, ut recte Chriſtophorſonus interpretatur, *illo ipſo Conſule*. Exiſtimabat Jacobus Goar vir doctiſſimus in notis ad Theophanem, ex Socratis calculo Imperium Valentiniano una cum Conſulatu delatum fuiſſe, annoque ſequenti Gratianum Dagalaifo Collega Conſulatum edidiſſe ex eodem Socrate cap. 9. ſed valde fallitur; nam idem Socrates cap. 3. utriuſque Auguſti Conſulatum, utique ordinarium memorat, ac poſtea cap. 9. Conſulatum Gratiani, & Dagalaifi. Dicendum itaque videtur, aut Valentinianum a Joviano dum viveret in annum ſequentem deſignatum fuiſſe Conſulem, eaque ratione abſolute Conſulem a Socrate vocari, licet tantum deſignatus eſſet; vel mortuo Joviano eumdem Valentinianum Conſulem, & Auguſtum renunciatum, Conſulatum ſtatim admiſiſſe, Imperium vero non niſi poſt biſſextum, quod Ammianus lib. 26. docet, ita ut per dies decem quibus nullus Imperii gubernacula tenuit, Conſul deſignatus fuerit Valentinianus qui quinto Kalendas Aprilis Valentem fratrem in conſortium Imperii adſcivit, ut habet idem Ammianus, cum antea Gratianum filium nobiliſſimum, & Conſulem in annum 366. deſignaſſet, quæ perperam a Theophane narratu, ait enim *Valentinianus Auguſtus cum Gratianum filium Imperii Collegam ſimul, & Conſulem declaraſſet, Auguſtum juſſit ſalutari, Valentem vero fratrem Imperatorem renuntiavit*. Quibus verbis motus Goar laudatus credidit, Socratem exiſtimaſſe Gratianum Conſulem anno ſequenti proceſſiſſe, & Theophanem eumdem authorem ſequutum fuiſſe. Licut certum ſit Socratem Valentiniani, & Valentis primum Conſulatum recte conſignaſſe, & Theophanem Auguſteum Gratiani Imperium anno non ſuo retuliſſe,

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

Conſulatuum Cæſareorum a Valentiniano & Valente ad Imperii Occidentalis excidium rationarium; ac Decennalium & id genus feſtorum, per eoſdem annos ordinatio.

I. *Imperium Valentiniani, Valentis, & Gratiani.*

VAlentinianus poſtquam Valentem fratrem Auguſtum creavit, Imperium cum eo partitus eſt, Occidenteque ſibi integro ſervato, puta toto Illyrico cum Macedonia, Italia, Africa, Galliis, Hiſpaniis, Britanniis, fratri omnem Orientem reliquit. Ab hoc tempore uſque ad Imperii Occidentalis excidium, quod anno 476. contigit, Decennalia & id genus feſta ſumma pompa celebrata. Quæ res cum ad Annales Eccleſiaſticos recte diſponendos plurimum faciat, hic accurate explicanda.

365. *Valentinianus Aug. & Valens Aug.* juxta I. Regulam. Procopius hoc anno tyrannidem Conſtantinopoli arripuit, ut docet Idatius in Faſtis, quod in Annalibus Eccleſiaſticis perperam in annum præcedentem confertur.

366. *Gratianus NP. & Dagalaifus*. Uterque Conſul Occidentalis. Gratiani Conſulatus ob Patris & Patrui Conſulatum anno elapſo geſtum in hunc annum dilatus juxta I. Regulam. Procopius Tyrannus his Conſulibus victus in Phrygia ſalutari ad Naeoliam, interfectuſque, ut docent Idatius in Faſtis & Auctor Chronici Alexandrini.

367. *Lupicinus* Orient. & *Jovinus* Occid. ipſo anno *levatus eſt Gratianus Aug. in Galliis apud Ambianos in Tribunali a patre ſuo Auguſto Valentiniano die IX. Kal. Septemb.* Idatius in Faſtis.

368. *Valentinianus Aug. II. & Valens Aug. II.* Conſulatus hic Quinquennalibus utriuſque Imperatoris addictus juxta II. Regulam. Ea tamen in annum ſequentem dilata.

369. *Valentinianus NP. & Aurelius Victor*. Is Valentinianus Valentis & Dominicæ filius natus erat die XV. Kal. Februarii anno 366. qui cum hoc anno proceſſerit Conſul, apparet eum anno elapſo creatum fuiſſe Nobiliſſimum puerum, ſub cujus conſulatu utrumque Imperatorem Quinquennalia edidiſſe oſtendunt non tantum variæ leges in Chronologia Codicis Theodoſiani hoc anno citatæ, quibus privilegia varia confirmantur; ſed etiam quod ſcribit Idatius in Faſtis: *His Coſſ. opus magnificum ciſternæ Conſtantinopolitanæ completum eſt a Domitio Modeſto V. C. iterum Præfecto Urbis, quod in prima inchoaverat Præfectura. Agon poſt annos XVII. reſtitutus eſt ab Aug. Valente*. Ita Idatius in Faſtis.

370. *Valentinianus Aug. III. & Valens Aug. III.* Sumptus is Conſulatus juxta VI. Regulam propter Encænia nempe Eccleſiæ SS. Apoſtolorum. *Horum Conſulatu dedicata eſt Eccleſia SS. Apoſtolorum Conſtantinopoli menſe Xantico, V. Idus Apriles*. Ita Auctor Chronici Alexandrini, cui ſuffragantur Hieronymus in Chronico & Idatius in Faſtis.

371. *Gratianus Aug. II. & Probus*. Uterque in Occidente creatus Gratiani Quinquennalia, ut ejus Conſulatus oſtendit, ſicuti & l. 5. *de Indulgentiis criminum*, quæ legitur libro nono Codicis Theodoſiani, titulo 28. qua Valentinianus Senior Gratiani pater Senatui toti Romano indulgentiam petenti propter Senatores videlicet quamplurimos cujuſdam criminis reos denegat, quod hujuſmodi indulgentia toti Senatui data cum ejus infamia conjuncta foret, de quo crimine, indulgentiaque videndus Gothofredus in ejuſdem legis Commentario, qui tamen non obſervavit hujus indulgentiæ petendæ occaſionem, Gratiani nempe Quinquennalia.

372. *Modeſtus, & Arintheus*. Uterque Orientalis.

373. *Valentinianus Aug. IV. & Valens Aug. IV.* Utriuſque Imperatoris Decennalia anno ſequenti acta hujus Conſulatus cauſa.

374. *Gratianus Aug. III. & Equitius* Orient. Sumptus is Conſulatus a Gratiano propter bellum Alemannicum, de quo Ammianus libro 30. juxta IV. Regulam. Acta ſub eo Decennalia a Valentiniano & Valente: quod non tantum variæ leges Codicis Theodoſiani hoc anno datæ, ſed & hæc Ammiani lib. 29. cap. ultimo verba oſtendunt, *inſtauravit veterum plurima. Inter quæ porticum excitavit ingentem, lavacro Agrippæ contiguam*, loquitur de Claudio hoc anno Urbis Romæ Præfecto. Ea ſolemnia cauſa etiam ſuſcepti a Gratiano Conſulatus eſſe potuere. Huc reducenda l. 11. *de luſtrali collatione*, & l. 18. *de operibus publicis*.

375. *Poſt Conſulatum Gratiani Aug. III. & Equitii*. Quia propter bellorum tumultus neque in Oriente, neque in Occidente hoc anno Conſules fuere. *His Coſſ. Thermæ Caroſianæ* (Valentis filia erat Caroſia) *dedicatæ ſunt agente Præfecto V. C. Vindaliano Magno. Et ipſo anno diem functus Valentinianus Senior XV. Kal. Decemb. in Caſtello Virgitione, & levatus eſt Valentinianus Junior Aug. filius Aug. Valentiniani ab exercitu in Tribunali die X. Kal. Decemb. in Civitate Acinco*, in Pannonia inferiori. Initio enim Imperatorum, ſicuti & in Decennalibus hujuſmodi dedicationes fiebant.

376. *Valens Aug. V. & Valentinianus Aug.* Prioris Conſulatus juxta III. Regulam poſterioris juxta I. Ex hoc porro Conſulatu manifeſtiſſime liquet Valentinianum Nobiliſſimum puerum, qui anno 360. Conſul ordinarius fuit, quique anno 372. obiit, ab iſto diverſum fuiſſe, alioquin diceretur is Conſul II. licet nullibi cum nota numerali edatur. Quare ille Valentis, hic Valentiniani Senioris filius erat; quod primus omnium Valeſius in Notis ad Ammianum obſervavit.

377. *Gratianus Aug. IV. & Merobaudes*. Uterque in Occidente. Gratiani Decennalia, ut ejus Conſulatus oſtendit.

378. *Valens Aug. VI. & Valentinianus Junior Aug. II.* Hujus Conſulatus juxta III. Regulam, Valentis juxta II. Quindecennalia enim celebravit, quam in rem Chronicon Alexandrinum: *His Coſſ. Gratianus Auguſtus Marinam matrem ſuam renunciavit Auguſtam*. Ita Chronic. Alexandrinum, in eo peccans quod Marinam Gratiani matrem dicat. Is enim filius Severæ, prioris Valentiniani Senioris uxoris fuit. Ea itaque domus Auguſtæ Princeps aliqua femina. Eodem anno Valens aliquot ab Hadrianopoli milliaribus obiit tertio vel quinto Idus Auguſti.

II. *Imperium Valentiniani Junioris & Theodoſii M.*

379. *Auſonius, & Olybrius*, uterque Occidentalis. Gratianus Theodoſium Magnum XIV. Kal. Februarii Imperatorem renuntiavit. Ita Idatius in Faſtis, Marcellinus & Auctor Chronici Alexandrini. Valentiniani Junioris Quinquennalia, quo ſpectat l. 5. *de Hæreticis*, relata in Codice Theodoſiano, qua Gratianus Hæreticorum omnium, nullo excepto, cœtus vetuit, revocato, ſeu infirmato, quod nuper apud Sirmium emerſerat, Reſcripto, firmatis viceverſa Valentiniani patris ſui, ſuiſque in contrarium juſſionibus. Huc præterea revocanda l. 12. *de Medicis & Profeſſoribus*, qua Archiatrorum Palatinorum duæ immunitates conceduntur, & l. 12. *de luſtrali collatione*.

380. *Gratianus Aug. V. & Theodoſius Aug.* Utriuſque Conſulatus juxta tertiam, & primam Re-

Regulam; præterquam quod Theodoſius de Scythicis gentibus triumphavit, teſte Marcellino in Chronico.

381. *Eucherius* Orient. & *Syagrius*, Occidentalis. Valeſius in notis ad lib. 28. Ammiani refellit Onuphrium, qui in Faſtis ait Syagrium Orientis Conſulem fuiſſe, citatque in hanc rem ſubſcriptionem legis 88. & 89. Codicis Theodoſiani *de Decurionibus*, & Symmachum in Epiſt. 93. lib. 5. Is etiam perperam ab eodem Onuphrio poſtumus Afranius dicitur.

382. *Antonius*, & *Afranius Syagrius*. Uterque Occidentalis. Syagrium Auctor Chronici Alexandrini & Caſſiodorus cum nota numerali notant. Quare idem eſt ac qui anno elapſo, quique Afranius dicitur a Sidonio lib. 1. Epiſt. 7.

383. *Merobaudes II.* Occid. & *Saturninus* Orient. His Coſſ. Arcadius levatus eſt Auguſtus a Theodoſio patre XIV. Kal. Februarii. Marcellinus in Chronico, Auctor Chronici Alexandrini, & Paulus Diaconus. Ex quo & Natale Theodoſii eodem die a nobis conſignati firmatur. Eodem anno Gratianus Imperator Lugduni occiſus eſt octavo Kalendas Septembris Maximi Tyranni dolo, qui exinde Imperium obtinuit ad annum uſque 388.

384. *Clearchus* Orient. & *Richomeres* Occid. Quinquennalia Theodoſii Magni, quod colligitur ex oratione ſexta, quam Themiſtius in laudem ejus habuit ſexto Imperii ejus anno, ut paulo poſt ejus initium dicitur. Verum eſt orationem XVII. ejuſdem Themiſtii inſcriptam eſſe *de Quinquennalibus*, Petaviumque in Notis ſcribere eam dictam in Quinquennalibus ejuſdem Imperatoris; ſed nihil impedit quin eodem anno propter diverſas cauſas duas Orationes idem Themiſtius ad Theodoſium habuerit. Præterea Baronius hoc anno num. 7. oſtendit Symmachum Urbi Præfectum legatum fuiſſe ad Imperatorem, ut aram victoriæ reſtituendam peteret, & gentilitiæ Religionis cauſam promoveret; cujus ſupplex libellus a Divo Ambroſio Epiſt. 30. & Prudentio contra Symmachum eodem tempore refutatus. Inſuper portum & aquæductum Conſtantinopoli inſtauravit Theodoſius, ut videre eſt lib. 15. Codicis Theodoſiani tit. 1. *de operibus publicis l.* 23. Inſtaurati portus meminit idem Themiſtius oratione ſexta. Ad hæc tributariæ rei collatorumque indemnitati conſuluit Theodoſius, idque per Phœnicem, ut videre eſt in Chronologia Codicis Theodoſiani hoc anno.

385. *Arcadius Aug.* 1. & *Bauto* Orient. Arcadius primum ſuum Conſulatum, Trajani, Conſtantii, ac Juliani exemplo, in alterum Imperii ſui annum diſtulit. Eſt hic decimus Imperii Valentiniani Junioris annus, quem Decennalin edidiſſe oſtendit l. 8. *de Indulgentiis criminum*, qua Judicibus jubet, ut in poſterum ubi primum dies Paſchalis illuxerit, carceres aperiant, reoſque ſolvant, non expectatis Principis literis, paſchalemque Indulgentiam in ordinariam & aſſiduam juriſdictionem vertit.

386. *Honorius NP.* & *Evodius* Orient. Ita recte Caſſiodorus & Idatius in Faſtis, ſed perperam Marcellinus, quem ſequitur Petavius in Chronico, Honorium Cæſarem profitetur: Nobiliſſimi enim Inſignibus quidem Cæſares erant, at non poteſtate, ut ex Zoſimo deducitur. Neque in omnibus legibus hoc anno datis alio quam Nobiliſſimi pueri titulo Honorius exornatur. Theophanes ad annum Chriſti 384. habet: *Theodoſius filium Honorium illuſtriſſimum, atque una Conſulem deſignavit*, ubi interpres male vertit hanc vocem Ἐπιφανέστατον, quæ eo in loco, ut recte advertit Jacobus Goar in notis ad Theophanem, *Nobiliſſimum* ſignificat. Eum etiam in errorem identidem incidit Raderus in verſione Chronici Alexandrini. Vides interim, ut juxta I. Regulam iis Conſulatus deferretur, qui Nobiliſſimi declarabantur.

387. *Valentinianus Aug. III.* & *Eutropius* Orient. Idatius in Faſtis habet: *His Coſſ. Quinquennalia Arcadius Aug. propria cum Theodoſio Aug. patre ſuo, Editionibus, Ludiſque celebravit XVII. Kal. Febr.* Eadem pene verba habet Marcellinus in Chronico, niſi quod diem omittit, in quo & Idatium erraſſe ex dictis colligitur. Alter Idatius in Chronico eodem anno tantum habet: *Arcadii Quinquennalia celebrantur*. Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani male anno Theodoſii octavo ea conſignare Idatium. Sed annus Abrahami & Olympiadis eum a Marcellino, alterove Idatio non diſſentire evincit. Præfata verba, ni valde fallor, oſtendunt Theodoſium etiam Decennalia ſua quæ in annum ſequentem cadebant, in quo & juxta II. Regulam Conſulatum cœpit, ediditſe. Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani ex verbis Libanii in oratione ad Ellebichum pag. 526. ubi cauſam ſeditionis Antiochenæ affert, deducit eam hoc anno, non ſequenti, ut communiter Chronologi cum Baronio conſignant, contigiſſe: *Principi*, inquit Libanius, *ob neceſſitatem Imperii pecuniæ opus fuit, maxime cum ipſi quidem decimus, filio autem quintus Imperii annus procederent: quo tempore ſolent Imperatores aurum militibus largiri*. At ex iis contrarium potius colligitur; decimus enim Theodoſii annus, anno tantum ſequenti menſe Januario cœptus. Contra vero Valeſius in Notis ad Sozomenum lib. 7. cap. 23. ex his deducit Decennalia Theodoſii anno ſequenti celebrata fuiſſe, & ſeditionem Antiochenam contigiſſe, quod Libanius, inquit, dicat hanc cauſam fuiſſe ſeditionis quod Imperator cum pecuniis opus haberet, quas militibus ſolis donaret in Decennalibus Imperii ſui, & Arcadii filii Quinquennalibus, magnam auri vim indiniſſet Curiæ Antiochenſium. Sed Libanius non de Decennalibus Theodoſii, aut Quinquennalibus Arcadii loquitur, ſed de decimo prioris & quinto poſterioris anno. Hæc ejus verba: Χρημάτων ἐδέησε βασιλεῖ πρὸς τὴν ἤδη συντρέχουσαν· καὶ μάλιστα δὲ τῷ μὲν ἔτος δέκατον, τῷ παιδὶ δὲ πέμπτον τῆς βασιλείας προϊόντος, νόμος δὲ ἐν τοῖς τοιούτοις χρόνοις χρυσὸν εἶναι παρὰ τῶν κρατούντων τοῖς στρατιώταις εἰς χεῖρας: quod ſi de Decennalibus & Quinquennalibus loqui voluiſſet Libanius, δεκαετηρίδας, & πενταετηρίδας nominibus uſus fuiſſet. Præterea cum Arcadius hoc anno Quinquennalia egerit, ea ſolemnia anno ſequenti cauſam ſeditioni præbere non potuerunt. Quare licet ea ſeditio anno ſequenti excitata videatur, ad id tamen probandum perperam ad Theodoſii Decennalia, & Arcadii Quinquennalia recurritur. Melius ex illis verbis colligi poſſe arbitror, quando Decennalia anticipabantur, non ideo Quinquennalia ſtipendium ante præſtitutum tempus ſolutum fuiſſe; cum ex Idatii & Marcellini verbis, uti diximus, videatur deduci, hoc anno Theodoſium Decennalia ſua anticipaſſe: & tamen anni ſequentis initio adhuc collectam fuiſſe pecuniam, quæ militibus ob eadem Decennalia, & filii Quinquennalia danda erat. Præterea hic Libanii locus egregius eſt ad oſtendendum in Quinquennalibus ac Decennalibus Principes donativum militibus erogaſſe, ſingulis ſcilicet aureos quinque. Sicut enim hæc quædam quaſi renovatio Imperii erat; ſic quemadmodum quando Auguſti vel Cæſares nuncupabantur, quo militum benevolentiam ſibi conciliarent, liberales erga eos ſe ipſos exhibebant; ſic & in hujuſmodi ſolemnibus. Facit & ad hanc rem quod Gothofredus in lib. 4. Codicis Theodoſiani, titulo 23. de longi temporis præſcriptione in Commentario ad legem primam obſervas, Principes

cipes invicem Decennalibus ſuis a Senatu munera accipere ſolitos juxta illud quod habet Symmachus lib. 10. Epiſt. 26. ad Valentinianum Juniorem: *Senatus*, inquit, *ſalutare tuum munera precatur, ut in hac oblatione, quæ non nihil ſuperioribus addidit, intelligas hoc eſſe curatum, ne ſub te minus poſſe videamur. Nam divis parentibus tuis* (Valentiniano ſcilicet & Valente) *ob decennium ſingulis minor ſumma decreta eſt. Etiam divus frater manſuetudinis veſtræ* (*Gratianus*) *cum tertium luſtrum* (ſcilicet Quindecennalia) *ave Imperialis exigeret parciore munificentia honoratus aſſeritur. Nunc in amorem tuum ſtudia noſtra creverunt. Nam ille ſexcentas auri libras Decennalibus Imperii Faſtis devotus Senatus promiſit* &c. Porro Valentiniani tertius Conſulatus addictus fuiſſe videtur ejus Decennalibus, ſed in hunc annum dilatus, ut Arcadio recens Imperatori creato, & Honorio Nobiliſſimo puero dicto hunc honorem deferret.

388. *Theodoſius Aug. II. & Cynegius* Orient.

III. *Reliquum Imperium Theodoſii M. & Valentiniani II.* Sumptus is Conſulatus a Theodoſio juxta II. Regulam; licet ut diximus ex verbis Idatii & Marcellini colligatur eum anno elapſo Decennalia edidiſſe, ideoque anno uno antevertiſſe. Maximus Tyrannus hoc anno tertio milliari apud Aquilejam ab eodem debellatus quinto tyrannidis anno, vel quinto Kal. Septembris, ut habet Socrates lib. 5. cap. 14. vel quinto Kal. Auguſtas, ut habet uterque Idatius.

389. *Timaſius*, & *Promotus*. Eſt hic decimus Theodoſii annus exactus, quo Romæ de Maximo anno ſuperiori victo triumphavit; ex ea egreſſus Kalendis Septembris, ut docet Marcellinus in Chronico.

390. *Valentinianus Aug. IV. & Neoterius*. Quindecennalia ejuſdem Valentiniani, quo pertinent quæ habet Marcellinus in Chronico: *Obeliſcus in Circo poſitus eſt. Columna haud longa ab Eccleſia conſtituta eſt, quæ argenteam Theodoſii Magni ſtatuam ferens hactenus contemplatur.* In hujuſmodi enim ſolemnibus ſive in Oriente, ſive in Occidente fierent, nullo loci aut Imperii reſpectu habito, Obeliſci erigebantur, aliaque id genus de more fiebant, quare præfata ſolemnia in Occidente acta, & tamen Obeliſcus in Oriente erectus. Ad hæc in Codice Theodoſiano leguntur tres leges a Valentiniano datæ *de operibus publicis*, nempe 26. 27. 28.

391. *Tatianus* Orient. & *Symmachus* Occid.

392. *Arcadius Aug. II. & Rufinus*. Orient. Ejuſdem Arcadii Decennalia, ut Conſulatus oſtendit. His Coſſ. Valentinianus Junior Viennæ in Gallia repertus eſt in Palatio præfocatus Idibus Maiis Sabbatho pridie Pentecoſtes, ut docet Epiphanius libro de menſ. & ponderib. Factum id Argobaſtis Comitis factione, qua Eugenius in Imperium eadem die evectus eſt.

393. *Theodoſius Aug. III. & Abundantius*. Ejuſdem Theodoſii Quindecennalia, ut Conſulatus, & l. 11. & 12. *de Annonis civicis*, quæ in Codice Theodoſiano leguntur, demonſtrant. Ex gratuitæ civibus Conſtantinopolitanis præbebantur, ex Conſtantini Magni, & Conſtantii inſtituto, quibus ita conſuluit Theodoſius iiſdem legibus, ut inſuper novum Canonem περίττωμα ſeu incrementum in id adjecerit CXXV. diurnorum modiorum frumenti *l. 2. Codicis Juſt. de annonis civilibus*. Præterea in Chronico Alexandrino legitur: *eodem anno dedicatum eſt forum Theodoſianum*. Denique idem Theodoſius quarto Idus Januarias Honorium filium natu minorem Imperatorem renunciavit. Ita Socrates lib. 5. cap. 25. Petavius in Chronico putat his verbis, quæ Proſper & Marcellinus in Chronicis, ubi menſem & diem non exprimunt, utrumque manifeſtari: *tunc quippe hora diei tertia tenebræ factæ ſunt*, inquit Marcellinus, quæ ex Proſpero videtur hauſiſſe. Sol hoc anno, inquit Petavius, defecit die 20. Novembris, feria prima, eaque defectio Conſtantinopoli, ubi ea nuncupatio facta, apparuit hora poſt meridiem; Romæ vero hora poſt mediam noctem, tempore apparenti. At ex ea eclipſi tantum deduci debet eo anno, quo Honorius levatus eſt Auguſtus, non vero eo die, aut menſe tenebras illas factas fuiſſe. Nam die a Socrate memorato etiam Auctor Miſcellæ eam deſignationem factam fuiſſe confirmat.

394. *Arcadius Aug. III. & Honorius Aug. II.* Prioris Conſulatus juxta III. Regulam, poſterioris juxta I. Eugenius Tyrannus a Theodoſio Imp. victus, cæſuſque eſt ad Frigidum amnem prope Aquilejam, octavo Idus Septembris, ut Socrates docet lib. 5. cap. 25. Arbogaſtes vero ſua ſe manu perculit, inquit Marcellinus in Chronico, qui addit: *Thermæ Arcadianæ ex conditoris ſui nomine nomen acceperunt*. Factum id ob initium Imperii Honorii fratris, ſicuti & quod habet Chronicon Alexandrinum: *horum Conſulatu poſita eſt ſtatua Theodoſii Aug. in foro Theodoſiano, menſe Loo, primo Auguſti*. Eadem enim initio Imperatorum, ac in annis Decennalium facta.

395. *Olybrius*, & *Probinus*, ambo Occident. IV. *Arcadius & Honorius imperant.* his Coſſ. ut habet Socrates lib. 5. cap. 26. Theodoſius Magnus decimo ſexto Kalendas Februarias Mediolani obiit, cui Arcadius Imperio Orientali, & Honorius in Occidentali ſucceſſit.

396. *Arcadius Aug. IV. & Honorius Aug. III.* Uterque Conſulatus juxta I. Regulam.

397. *Cæſarius* Orient. & *Atticus*.

398. *Honorius Aug. IV. & Eutychianus* Orient. Quindecennalia Arcadii cum patre Imperantis, ut ex iis, quæ cap. 6. n. VII. diximus, intelligere eſt. Facit & ad hanc rem l. 34. *de hæreticis* lib. XVI. Cod. Theodoſ. tit. V. relata, qua Eunomiorum Clerici, & Montaniſtæ, omnibus urbibus expelli jubentur, ruri cœtus agitare vetantur, & eorum codices ac libri ſub aſpectibus eorum cremari præcipiuntur. Revocanda & ad eadem ſolemnia l. 40. *de operibus publicis*, quæ lib. XV. ejuſdem Codicis titulo primo extat, qua Arcadius definit, *non niſi penitus diruta, deſtructaque, & quæ parum ſint uſui civitatum, a privatis peti poſſe*. Nam, ut inquit Gothofredus in ejuſdem legis Commentario: *Petere hac tempeſtate, ſeu impetrare privati ſæpe publica opera a Principibus, variis occaſionibus ſoliti: & Chriſtiani quidem ſæpe petitores emergebant operum publicorum, & quidem eorum, quæ ſuperſtitioni Gentilitiæ olim ſervierant, puta templorum*, quæ hujuſmodi ſolemnium occaſione paſſim diſtruebantur. Hujus itaque legis cauſa, quod vir doctiſſimus non animadvertit, Arcadii Quindecennalia, in quibus non exiſtimo Syneſium præclaram de Regno orationem habuiſſe, cum ea menſe Januario in quem Arcadiani Imperii Natale incidit, celebrata fuerint; quo tempore Conſtantinopolim nondum videtur perveniſſe Syneſius, ſed tantum aliquot poſt menſes. Si enim hoc anno, menſe Januario, tam orationem recitaſſet, Conſtantinopoli uſque ad annum 400. quo ſe ex ea diſceſſiſſe ſcribit, non commoratus fuiſſet. Dicta igitur ea tantum anno ſequenti, ut loco laudato ſcripſimus.

Acta & eodem anno ab Honorio in Occidente Quinquennalia Imperii vivente Theodoſio Magno patre ſuſcepti, ut ejus Conſulatus oſtendit, qui ideo juxta ſecundam Regulam aſſumptus eſt; quibus quidem ſolemnis dirimi exiſtimo graves admodum controverſias, quæ extant de Synodi quintæ Carthaginienſis tempore. Acta ipſa Synodalia in collectione Iſidori Mercatoris, Codex Africanus, & Theodorus Balſamo adnotatum habent annum, *poſt Conſulatum Fl. L. Stiliconis*, id eſt, annum Chriſti 401. quod etiam tuentur Juſtellus præfat. in Cod. African. Fer-

ronius, Petavius, aliique viri docti. Baronius in Annalibus num. XXXIII. eam hoc anno conſignat ex ſcripto Codice exhibente annum *poſt Conſulatum Caſarii & Attici*, id eſt, currentem. Quam ſententiam Gothofredus in Commentario legis 17. *de paganis, ſacrificiis, & templis*, quæ, lib. 16. Codicis Theodoſiani titulo decimo legitur, veriorem putat, niſi en inquit ad annum ſequentem referenda ſit, quod probabilius autumat. At cum in eadem Synodo decretum ſit mittendum eſſe ad Imperatorem legationem, petendumque, ut reliquias Idolorum per omnem Africam jubeat penitus amputari, aliaque poſtulanda, de quibus in ejuſdem Synodi canonibus; liquet eam hoc anno celebratam eſſe, cum, uti ſæpius obſervavimus, annis quibus hujuſmodi ſolemnia fiebant, Legati ab urbibus, provinciis, & Epiſcoporum Conciliis ad Imperatores mitti ſolerent, qui neceſſitates, ac gratias a religioſis Imperatoribus poſcerent. Quod ſi leges hujus legationis intuitu datæ, anni ſequentis Conſulibus notatæ ſunt, non ideo eo anno illud Concilium habitum, ut exiſtimat Gothofredus, qui eas laudat, ſed quia non ſtatim aut legatio ſuſcepta, aut leges ab Imperatore emiſſæ propter varia, quæ moram afferre potuere.

399. *Manlius*, ſeu *Mallius Theodorus* Occid. & *Eutropius* Orient. Eutropii nomen e faſtis eraſum, ipſeque in Magiſtratu occiſus. Quinquennalia Arcadii poſt patris mortem imperantis ut oſtendimus cap. 6. num. 7. præterea templa paganorum in agris dirui ſine turba ac tumultu juſſit Arcadius; idque nominatim per Syriam Phœnicen l. 16. *de Paganis, & Majuma* ſpectaculum antea conceſſum prohibuit, aliis ludicris conceſſis l. 2. *de Majuma*.

400. *F. Stilico* Occid. & *Aurelianus* Orient. Quinquennalia Honorii poſt patris mortem imperantis, ut diximus, loco mox laudato. Quo revocandum illud quod habet Chronicon Alex. *His C C. illuſtriſſima* (ita vertit Raderus, ſed ut alibi obſervatum vertendum *Nobiliſſima*) *Eudoxia menſe Januario V. Idus Januarii renuntiata eſt Auguſta*.

401. *Fravitta* Orient. & *Vincentius* Occident.

402. *Arcadius Aug. V. & Honorius Aug. V.* Vicennalia Arcadii, & Decennalia Honorii, utriuſque cum patre imperantis. Quod Conſulatus oſtendit juxta ſecundam Regulam ſumptus, ſicuti & quod ſcribit Auctor Chronici Alex. *His Coſſ. Theodoſius Junior Conſtantinopoli ad Hebdomum in Tribunali ab Arcadio patre menſe Audynæo IV. Idus Januarias creatus eſt Auguſtus*. Quam in rem etiam facit quod ſcribit Theophanes: *eodem anno Xerolophi columnam Arcadius erexit, & Arcadiopolim Thraciæ civitatem ædificavit*. Porro dies nuncupationis Theodoſii Junioris tertius Idus Januarias fuit, ut ex iis quæ annis 406. 415. & 443. dicemus, liquebit. Quare in Chronico Alex. loco *IV. Idus Janu.* legendum *III. Idus Janu.*

403. *Theodoſius Junior Aug. & Rumoridus*. Theodoſii Conſulatus juxta primam Regulam.

404. *Honorius Aug. VI. & Ariſtænetus* Orient. Decennalis Honorii poſt patris mortem imperantis, annuſque Ludorum ſecularium, qui tamen editi non ſunt, ut oſtenſum eſt cap. X. quæ duæ hujus Conſulatus cauſæ. Ad hujuſmodi Decennalia pertinent duo Epiſcopi a Synodo Carthaginenſi hoc anno habita legati ad eundem Imperatorem contra Donatiſtas miſſi, ut Imperatoria cogerentur auctoritate pacifice agere. Videtur & Arcadius Decennalia Imperii poſt mortem patris adminiſtrati etiam celebraſſe, quod aliquæ Conſtitutiones hoc anno ab eo datæ indicant præcipue l. 15. *de Judæis*, qua privilegia Patriarcharum, eorumque qui ab his præpoſiti, confirmavit.

405. *Stilico & Anthemius*.

406. *Arcadius Aug. VI. & Probus*. Quinta Quinquennalia uno anno anticipata hoc anno Arcadius edidit. Quod non tantum Conſulatus ab eo geſtus, ſed etiam tranſlatio Reliquiarum S. Samuelis, de qua cap. 3. num. XV. actum eſt, demonſtrant: ſicuti & l. 44. 45. & 46. *de operibus publicis*. Incertum vero an Theodoſius Junior ejus filius Quinquennalia hoc anno, uti ſcribit Marcellinus in Chronico, vel ſequenti, ut docet Chronicon Alex. ediderit; probabilius tamen ea anno ſequenti edita, quo is Conſul proceſſit. Chronicon Alexandrinum ait ea celebrata *μηνὶ Αὐδυναίῳ πρὸ γ' Ἰδῶν Ἰανουαρίων*, id eſt, *menſe Audinæo tertio Idus Januarias*, ex quo patet error ejuſdem Chronici, de quo ſupra anno 402.

407. *Honorius Aug. VII. & Theodoſius II.* Utriuſque Conſulatus juxta ſecundam Regulam; Honorius enim Quindecennalia Imperii vivente patre ſuſcepti egit, quamobrem Romæ conſtitutus adverſus Manichæos, Phrigas, & Priſcillianiſtas, conſtitutionem edidit l. 40. *de hæreticis*. Præterea per Africam Eccleſiarum, & Clericorum privilegia confirmavit, novaque inſuper adjecit, ac nominatim ut defenſores Advocatos conſtituere Eccleſiæ poſſint, id quod ad petitionem Concilii Africani hoc anno habiti Idibus Junii conſtituit. Quam etiam ob rem decreta legatio ab eodem Concilio ad eundem Imperatorem pro defenſione rerum Eccleſiaſticarum adverſus Donatiſtas & Paganos; Theodoſii vero Quinquennaliorum indicium eſt, quod Marcellinus in Chronic. ſcribit; *Ciſterna maxima juxta porphyreticam Conſtantini Imperatoris columnam in foro ejus ſu' platea tranſitum conſtructa eſt*, Conſtantinopoli ſc.

408. *Fl. Philippus*, & *Anicius Baſſus*. Uterque Occidentalis. Arcadius Kalendis Maii obiit, ut habet Socrates lib. 6. cap. 23. Theophanes tamen ab eo diſſentit, ait enim poſt patris obitum imperaſſe annis quatuordecim, tribus menſibus, & diebus quatuordecim, quo pacto mortuus eſſet anno ſequenti, die trigeſima Maii. Sed ſicuti in anno, ita & in die eum erraſſe dicendum. Eo magis, quo jam anno ſuperiori ſcripſerat, Arcadium XI. Kal. Septembris mortem oppetiiſſe, quæ inter ſe contraria. V. *Theodoſius Junior Imperat.*

409. *Honorius Aug. VIII. & Theodoſius Aug. III.* Quindecennalia ejuſdem Honorii poſt patris obitum imperantis, cujus Theodoſius Collega ſecundum III. reg. In Gallia Honorius VIII. & Conſtantinus, qui anno ſuperiori tyrannidem arripuerant, præſenti nomen dedere, uti diximus cap. 8. num. III.

410. *Fl. Varanes* ſolus in Oriente creatus.

411. *Theodoſius Junior Aug. IV.* vel *poſt Conſulatum Varanis*. In Chronico Marcellini legitur: *Theodoſius Junior Decennalia, Honorius Romæ Vicennalia dedit*. Imperii nempe, vivente patre, ſuſcepti, quæ Vicennalia idem Honorius anticipavit. Eorum occaſione habita celebris illa collatio inter Catholicos, & Donatiſtas, ut diximus cap. 4. nu. I. Conſtantinus poſt invaſæ tyrannidis quinquennium apud Arelatem cæſus eſt, ejuſque *in conto caput allatum eſt XIV. Kal. Octob.* inquit Idatius in Faſtis.

412. *Honorius Aug. IX. & Theodoſius Aug. V.* Sumptus is Conſulatus a Theodoſio propter Quinquennalia Imperii poſt patris mortem ſuſcepti juxta II. Reg. Conſulatus Honorii juxta III.

413. *Lucius ſolus* in Oriente creatus, vel poſt Conſulatum Honorii IX. & Theodoſii V. Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani hoc anno ſcribit, novum murum Conſtantinopoli prolato pomœrio excitatum fuiſſe, cura, & diſpoſitione Anthemii PP. qua de re Socrates lib. 7. cap. 1. & ex eo Nicephorus lib. 14. cap. 1. Qui quidem murus, cum per privatotum

rum terras duceretur, iis Theodoſius Imp. in vicem Turrium ejus muri uſum deputavit *l. 51. de operibus publicis*, quæ hæc anno data eſt. Sed ex ea lege deducitur, non hoc, ſed ſuperioribus annis, murum illum inchoatum; ideoque anno 411, quo Theodoſius Decennalia celebravit. Ipſemet enim Gothofredus fatetur eo anno Anthemium Præfectum Prætorio fuiſſe. Verum quidem eſt Imperatores iis annis, in quos Decennalia, & id genus feſta cadebant, eadem aliquando feciſſe, quæ præſtitiſſent, ac ſi ea non diſtuliſſent, aut antevertiſſent, ſed ex Præfatæ legis diſpoſitione liquet, murum illum, ante hunc annum cœptum.

414. *Conſtans* Orient. & *Conſtantius* Occid.

415. *Honorius Aug. X. & Theodoſius Junior Aug. VI.* Vicennalia Honorii poſt patris mortem imperantis, & Quindecennalia Theodoſii Junioris cum Arcadio patre regnantis, ſed uno anno anticipata. Hæc Quindecennalia leguntur in Chronico Alexandrino: *His Coſſ. Theodoſius Junior Auguſtus Quinquennalia Conſtantinopoli, menſe Audynæo, tertio Idus Januarii, peregit*. Sed loco, Κοινκεννάλια, id eſt, *Quinquennalia*, legendum Κυινδεκεννάλια, id eſt *Quindecennalia*. Addit Auctor ejuſdem Chronici: *eodem anno dedicata eſt Eccleſia Magna Conſtantinopoli, menſe Gorpiæo, VI. Idus Octob. die Dominica, translata ſunt Conſtantinopolim per ſcalam Chalcedonenſem Reliquiæ Joſephi filii Jacob, & Zachariæ patris S. Joannis Baptiſtæ menſe Gorpiæo, VI. nonas Septemb. die Sabbati* (legendum pridie nonas Septembris, in quem diem ſabbatum incidebat, præterquam quod menſis September ſex Nonas non habet) *geſtantibus pignora in duabus arculis Attico Patriarcha Conſtantinopolitano &c.* ait præterea: *dedicata quoque ſtatua eſt aurea in Senatu Imperatoris Theodoſii Junioris Auguſti ab Aureliano iterum præfecto Prætorio & Patricio*. Hoc etiam anno tranſlatio Reliquiarum S. Stephani Protomartyris magna pompa peracta, ut videre eſt apud Baronium numero primo. Celebratum etiam hoc anno Concilium Dioſpolitanum in cauſa Pelagii Hæreſiarchæ. Nam Concilia Provincialia annis quibus hujuſmodi ſolemnia fiebant, celebrata ut plurimum fuiſſe, certum eſt.

VI. *Theodoſii Junioris imperium.*

416. *Theodoſius Aug. VII. & Palladius* Occident. Conſulatus is juxta II. Regulam a Theodoſio ſumptus, licet Quindecennalia idem Imperator anticipatit.

417. *Honorius Aug. XI.* & *Conſtantius II.* Triumphus Honorii de Attalo Tyranno, ut docet Proſper in Chronico, ideoque Conſulatus is juxta V. Regulam. Conſtantius vero ipſo, quo Conſulatum iniit die, Placidiam Honorii Imperatoris ſororem uxorem duxit, ut teſtis eſt Olympiodorus apud Photium.

418. *Honorius Aug. XII.* & *Theodoſius Aug. VIII.* Quinta quinquennalia Honorii cum patre, & Decennalia Theodoſii poſt mortem patris imperantium; quæ utriuſque Conſulatus cauſa.

419. *Monaxius* Orient. & *Plinta* Occident.

420. *Theodoſius Aug. IX. & Conſtantius III.* Conſulatus Theodoſii juxta II. Regulam, ob Vicennalia nempe Imperii vivente patre ſuſcepti, quæ tamen non niſi anno ſequenti acta. Mors Conſtantii hoc anno ab Idatio in Chronico perperam collocata.

421. *Euſtachius* Orient. & *Agricola*. Conſtantius Comes, & Magiſter militum, Patriciuſque, genere Illyrius, ut docet Olympiodorus, qui optimam jam inde ab anno Chriſti 411. operam Honorio in debellandis Tyrannis, Barbariſque per Galliam navarat, poſt triplicem Conſulatum, Honorii Imp. ope adeptum, Placidiamque hujus ſororem uxorem ductam, in Imperium adſcitus eſt ab eodem Honorio, ut docent Olympiodorus, Philoſtorgius lib. 12. cap. 12. aliique. Factum id ſexto Idus Februarias, ut habet Theophanes hoc anno, quod tamen Proſper, Idatius in Chronico, omneſque fere Chronologi in annum ſuperiorem conferunt, ſed perperam. Nam in legum eo anno datarum, & in Codice Theodoſiano relatarum, titulo leguntur tantum Honorii & Theodoſii nomina, & in ſubſcriptione: *Theodoſio A. VIII. & Conſtantio V. C. III. Coſſ.* Contra vero quatuor Conſtitutiones hoc anno datæ in eodem Codice leguntur, quæ trium Imperatorum nomina præferunt. Prior eſt l. 4. *de repudiis* VI. Id. Mart. dat. Ravennæ Euſtathio & Agricola Coſſ. in cujus titulo legitur *Imppp. Honor. & Theod. & Conſtant. AAA. Palladio PF. P.* Poſterior data eſt V. Kal. Aug. legiturque lib. 2. ejuſdem Codicis, titulo, 27. *Si certum petatur de Chirographis*, ubi lex prima ſub hujus anni Conſulibus data hunc titulum præfert: *Imppp. Honorius, & Theodoſius, & Conſtantius AAA. Palladio PF. P.* Certum itaque erratum fuiſſe a Baronio in Annalibus, aliiſque, Conſtantii nuncupationem, vel 419. vel 420. conſignantibus. Obiit hoc ipſo anno idem Conſtantius quarto nonas Septembres, ut habet etiam Theophanes *cum imperaſſet menſibus ſex*, inquit idem Philoſtorgius. Vicennalia Theodoſii Junioris cum patre imperantis, quæ non tantum Conſtantii nuncupatio, ſed & plura alia ſigna indicant. Marcellinus enim in Chronico ſcribit: *Theodoſius Imp. Eudoxiam Athenaiam duxit uxorem. Arcadio patri ſuo in foro ejus ſuper immanem columnam, ingentem ſtatuam idem Theodoſius dedicavit. Ciſterna Aetii conſtructa eſt*. Quæ tria etiam hoc anno refert Auctor Chronici Alexandrini, qui & ait aquam in Ciſternam Pulcheriæ Auguſtæ immiſſam eſſe pridie Kalendas Februarii præſente Theodoſio Auguſto. Porro annis quibus hujuſmodi ſolemnia fiebant Imperatores aut eorum liberos frequenter matrimonium contraxiſſe obſervavi.

422. *Honorius Aug. XIII.* & *Theodoſius Aug. X.* Sumpſit uterque Conſulatus juxta II. Regulam: Honorius enim Tricennalia Imperii vivente patre ſuſcepti, Theodoſius vero Quindecennalia Imperii poſt mortem patris adminiſtrati celebrarunt. Ad priora hæc Marcellini in Chronico verba pertinent: *In Tricennalibus Honorii, Maximus Tyrannus, & Jovinus ferro vincti, adducti de Hiſpaniis, atque interfecti ſunt*. Triumphus enim, ut ſæpius dixi, cum hujuſmodi feſtivitatibus conjungi ſolitus.

423. *Aſclepiodotus* Orient. & *Marinianus* Occident. Honorius die XVIII. Kal. Septembris, uti ſcribunt. Socrates & Theophanes, e vivis exceſſit. Idatius in Chronico ait: *Honorius actis Tricennalibus ſuis Ravennæ obiit*: ſed probabile eſt eum intelligere Tricennalibus anno elapſo, actis, hoc obiiſſe.

424. *Caſtinus* Occident. & *Victor* Orient. Valentinianus Conſtantii Auguſti, & Placidiæ filius, Nobiliſſimus & Cæſar a Theodoſio Juniore hoc anno factus, Theſſalonicæque ab Helione Magiſtro officiorum, Cæſaris veſte indutus eſt, teſte Olympiodoro. Audiendus hac de re Marcellinus in Chronico: *Placidia mater Valentiniani Auguſta nuncupata eſt, Valentinianus Cæſar creatus Theodoſii Imperatoris Eudoxiam filiam ſibimet deſponſavit. Joannes Regnum Occidentale, Honorio defuncto invaſit*. Eſt is quem parte prima cap. ult, num. VI. Conſulem ſe poſt arreptam tyrannidem in annum ſequentem deſignaſſe diximus; quique eodem anno, ut ſcribit Proſper in Chronico a Placidia Auguſta & Valentiniano Cæſare oppreſſus eſt. Natus erat Valentinianus Conſtantio & Galla Placidia matre *V. Nonas Julias Monaxio & Plinta* Coſſ. inquit idem Marcellinus, anno nempe 419. Quare vix quinquennis hoc anno erat; ideoque eadem Placidia Imperium ejus adminiſtrabat, miraque felicitate, ut ex iis, quæ Baronius in Annalibus Eccleſia-

VII. *Valentinianus III, imperat.*

ſtaſticis anno 449. habet, videre eſt. Quemadmodum porro Irene, quando cum Conſtantio filio decenni a Leone patre relicto, inaudito antea exemplo Conſul proceſſit, ut infra ſuo loco dicetur, ſic Placidia Valentiniani tutrix, quod a nulla alia Principe fœmina factum repeſimus, Decennalia, aliaque id genus vota Auguſtorum more celebravit. Elicio id ex nummo aureo cruciato, qui apud Joannem Jacobum Chiſletium parte ſecunda Hiſtoriæ Veſontionis pag. 116. extat, cujuſque etiam apud Occonem pag. 563. mentio. Viſitur in eo ejus effigies cum manu, quæ capiti ejus coronam imponit, circum vero DN GALLA PLACIDIA PF AUG, & in poſtica, Victoria ſtans dextra crucis ſignum tenens, circum VOT XX MULT XXX RM, infra CONOB, quæ vota, ut apparet, in ejus Quindecennalibus aut Vicennalibus nuncupata. Ex quibus & liquet eandem Imperatricem, Quinquennalia & Decennalia antea edidiſſe. Obſervatu dignum tres Principes fœminas honores Imperatoribus tantum concedi ſolitos ſibi attribuiſſe, Herenniam nempe Etruſcillam, Voluſiani Auguſti uxorem, & præfatas duas Imperatrices. Extat namque ejuſdem Herenniæ nummus apud Patinum, in quo Romanis literis ſcriptum eſt; S. C. quod Senatus-conſultum indicat. Tum circum ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥϹΙΑϹ. id eſt, *Tribunitia poteſtas*. Placidiæ quinquennalia & id genus vota in ſerie faſtorum non digeſſi, eam enim iiſdem annis quibus filium eadem edidiſſe exiſtimo. Ejus mortis tempus incertum niſi quod eam anno 449. adhuc vixiſſe conſtat, & cum ſanctitatis opinione obiiſſe. Illud denique non prætermittendum Decennalia & id genus vota adeo Imperatoribus propria viſa fuiſſe, ut ipſi etiam tyranni ea ederent, quemadmodum de Poſtumo ſuo loco vidimus, & de Magnentio, qui arrepto Imperio Occidentali Auguſtum ſe & Decentium fratrem Cæſarem appellavit, conſtat. Aliquot enim numiſmata ejus nomen præferentia exhibet Occo pag. 554. in quorum averſa parte ſculptæ ſunt duæ figuræ clypeum tenentes cum his verbis: VICTORIA DD. NN. AUGG. VOT. V MULT. X. Ex quibus infert Triſtanus tomo 3. pag. 642 cum quintum Imperii ſeu tyrannidis annum inchoaſſe, ſed perperam. Sunt enim hæc vota Quinquennalia Imperii initio nuncupata, cum is *menſe Imperii quadrageſimo ſecundo*, uti recte Aurelius Victor & Zonaras habent, perierit.

425. *Theodoſius Aug. XI. & Valentinianus Cæſar.* Valentiniani Conſulatus juxta I. Regulam, Theodoſii juxta III. Idem Valentinianus X. Kal. Novemb. a Theodoſio creatus eſt Auguſtus. Ita Auctor Chronici Alexandrini, aliique.

426. *Theodoſius Aug. XII. & Valentinianus Junior Aug. II.* Valentiniani Conſulatus juxta I. Regulam, Theodoſii juxta II. Quinta enim Quinquennalia Imperii vivente patre ſuſcepti hoc anno acta. Quam ob rem Paganorum ſacrificia arceri, templaque eorum deſtrui, Crucisque conlocatione expiari hoc anno juſſit Lag. *de paganis, ſacrificiis, & templis*.

427. *Hyerius* Orient. & *Ardabures*, ſeu *Ardaburius* Occident. Vicennalia Theodoſii poſt mortem Patris imperantis, ad quæ pertinent, quæ habet Auctor Chronici Alexandrini: *His Coſſ. inſtaurata ſunt Thermæ olim dictæ Conſtantianæ, nunc autem Theodoſianæ, perficientibus opus Hiero iterum Præfecto Urbi, & Conſulibus, menſe Hyperberetæo V. nonas Octobris*. Quod & Marcellinus habet. Præterea idem Theodoſius l. 28. *de Medicis & Profeſſoribus*, Privilegia a prædeceſſoribus Archiatris Palatinis conceſſa, quæ aliqui perfringere volebant, confirmavit. Ad hæc Vicennalia referri poteſt nummus, quem Occo inter Theodoſii M. numiſmata perperam collocat; legitur enim in eo VOT. XX. MULTIS XXX. CONOB. & cernitur Victoria crucem tenens, quemadmodum de Galla Placidia diximus. Unde patet quantum numiſmata hujuſmodi ſolemnia repræſentantia differrent ab iis, quæ antiquitus eorumdem ſolemnium occaſione cudebantur.

428. *Felix* Occident. & *Taurus* Orient. Imperii Cæſarei Valentiniani III. Quinquennalia.

429. *Florentius* Orient. & *Dionyſius*, vel *poſt Conſulatum Felicis & Tauri*.

430. *Theodoſius Aug. XIII. & Valentinianus Aug. III.* Utriuſque Conſulatus juxta II. Reg. Valentinianus enim Imperii Auguſtei Quinquennalia, Theodoſius Imperii, vivente patre ſuſcepti, Tricennalia edidit. De poſterioribus Marcellinus in Chronico ait: *Theodoſius Imp. Tricennalia geſſit*, quæ ideo anticipavit. Baronius anno 394. num.X. nummi ectypum exhibet cum epigraphe: DN. THEODOSIUS P. F. AUG. in poſtica duæ figuræ ſedentes capite radiato conſpiciuntur, addita hac inſcriptione: VOT. XXX. MULT. XXXX. & inferius CONOB. *vides*, inquit Baronius, *Theodoſii Senioris vetam, certamque vultus effigiem. Ex adverſa vero numiſmatis parte intueris expreſſe Sacerdotali decorus habitu geminos illos, quos in viſu vidit Apoſtolos Joannem atque Philippum expreſſos reddi. Habes etiam ex his, lector, inter alia unde antiquum Sacerdotalem habitum diſcas, ſimulque tonſuram intelligas, atque palliolo humeros, ac pectus decore ambientia, utraque nuncupata atque multiplicata*. Sed, ut eruditè Noriſius Diſſert. de numiſmat. Licinii cap.3. oſtendit, eo in nummo, non Theodoſii Senioris, verum Junioris Tricennalia vota hoc anno ſoluta, & nuncupata ſimul Quadrагеnaria, deſignantur; licet, uti notat Triſtanus, in nummis in quibus vota ſoluta & ſuſcepta, mediis illis notis MULT. exprimuntur, quandoque deſignentur vota utraque tantum nuncupata; quemadmodum in hoc nummo Joviani, qui menſe Imperii octavo deceſſit, ideoque Quinquennalia edere non potuit, VOT. V. MULT. X. In præfato itaque nummo a Baronio adducto deſignantur Imperatores Theodoſius ac Valentinianus Junior Conſulari habitu induti, non vero gemini Apoſtoli habitu ſacerdotali exornati; præſertim cum Valentinianus Theodoſio conſobrino junior appareat. Imperatores autem radiato capite, quemadmodum noſtra ætate Divorum imagines, in nummis paſſim exprimi ſolitos, docent eorumdem numiſmata apud Alamannum in Notis ad arcanam hiſtoriam Procopii, & Patinum pag. 497. In eo numiſmate ideo Theodoſius ſolus exprimitur, & in adverſa parte ipſe cum Valentiniano Juniori, quia percuſſum fuit Conſtantinopoli quod deſignat CONOB. id eſt, *Con. ob. Conſtantinopoli obſignata*, nempe moneta.

431. *Baſſus* Occident. & *Antiochus* Orient.

432. *Aetius* Orient. & *Valerius* etiam Orient. Tricennalia Theodoſii cum patre imperantis.

433. *Theodoſius Aug. XIV. & Maximus*. Theodoſii Conſulatus juxta II. Regulam. Celebravit enim quinta Quinquennalia Imperii poſt mortem patris adminiſtrati, quorum etiam indicium habemus in libro undecimo Codicis Theodoſiani, titulo 28. *de Indulgentiis debitorum*. Ubi quam lege nona anno 433. data, reliquorum Indulgentiam generalem quadraginta annorum tribuerat ab anno 368. ad annum 407. incluſive, eandem lege decima ſcata hoc anno tribuit viginti annorum proximorum, ab anno nempe 408. ad annum 428. qua de re videndus Gothofredus in Commentario ejuſdem legis 9. *de Indulgentiis debitorum*.

434. *Arſovindus* Occident. & *Aſpar* Orient. Decimus annus Imperii Cæſarei Valentiniani Junioris.

435.

435. *Theodoſius Aug. XV.* & *Valentinianus IV.* Utriuſque Conſulatus juxta II. Regulam. Theodoſius enim ſeptima Quinquennalia Imperii vivente patre ſuſcepti anno uno anticipata; Valentinianus vero Decennalia Auguſti Imperii celebrarunt. Huc referendum quod ſcribit Marcellinus in Chronico; *Forum Theodoſii Imp. in loco, qui Æliana dicitur, ædificatum eſt*; ac præterea Conſtitutio, qua *Ægypto & Alexandrinæ civitati, annonæque* variis rationibus idem Theodoſius conſuluit, cujus fragmenta Gothofredus in Chronologia Codicis Theodoſiani hoc anno memorat; ac denique *lex ultima, de Indulgentiis debitorum*, ab eodem Theodoſio emiſſa.

436. *Iſidorus* Orient. & *Senator.*

437. *Poſt Conſulatum Iſidori, & Senatoris*, vel *Aetius II.* & *Sigiſvoldus.*

VIII. *Theodoſii Junioris Imperium.* 438. *Theodoſius Aug. XVI.* & *Fauſtus* Occident. Tricennalia Theodoſii poſt patris mortem imperantis hoc anno acta, ideoque ſumptus ab eo Conſulatus juxta II. Regulam, Quindecennalia etiam Cæſarei Imperii Valentiniani Junioris. Ad priora ſolemnia referendus triumphus tranſlationis Reliquiarum S. Joannis Chryſoſtomi a Baronio in Annalibus hoc anno deſcriptus, & inſuper confirmatio Codicis Theodoſiani, ut docet Gothofredus in ejuſdem Codicis Chronologia, & in prolegomenis. Eorumdem Tricennalium mentio eſt in nummo ejuſdem Imperatoris, qui ab Occone inter Theodoſii Senioris numiſmata perperam relatus eſt. In eo legitur, *VOTIS XXX. MULTIS XXXX.*

439. *Theodoſius Aug. XVII.* & *Feſtus.* Sumptus is Conſulatus a Theodoſio juxta ſecundam Regulam; hoc enim anno Imperii vivente patre ſuſcepti octava Quinquennalia celebravit, de quibus Marcellinus in Chronico ſcribit: *Theodoſius Imp. octava Quinquennalia edidit.* Vide quæ in hac ſecunda parte cap. 10. num. XV. hac de re ſcripſimus.

440. *Valentinianus Aug. V.* & *Anatolius.* Quindecennalia Imperii Auguſtei Valentiniani Junioris, uti Conſulatus ejus demonſtrat. Huc referendum quod ſcribit Theophanes: *hoc anno Conſtharus, quod balneum fuit Alexandriæ, completus eſt.*

441. *Cyrus* ſolus, Orient.

442. *Eudoxius*, & *Dioſcorus*, uterque Oriental.

443. *Maximus II.* & *Paterius.* Septima Quinquennalia Theodoſii poſt patris mortem imperantis, quod oſtendit Chronicon Alexandrinum his verbis: *His Coſſ. dedicata ſunt Thermæ Achillea menſe Januario III. Idus Januarii.* Cum enim ipſo die natali Theodoſii Imperatoris Thermæ illæ dedicatæ videantur, liquet eum in iis ædificandis, ac dedicandis ad hujuſmodi ſolemnia reſpexiſſe, verumque eſſe quod diximus, Thermas, cæteraque id genus opera publica in ſimilibus feſtivitatibus conſtructas, vel dedicatas fuiſſe, quod licet nullus, quod ſciam, ſcripſerit, adeo tamen clara, manifeſtaque ſunt, quæ ſubinde adduximus teſtimonia, ut id in dubium minime revocandum ſit, neque enim ædificia aliaque hujuſmodi opera publica, quæ ad rem iſtam non faciunt, prætermitto, ſed quæ occurrunt in medium profero. Ex iiſdem præterea verbis colligitur Theodoſium non quarto Idus Januarii, ut mendoſe in uno ejuſdem Chronici Alexandrini loco ſcriptum, ſed tertio Idus ejuſdem menſis Auguſtum nuncupatum eſſe. Quæ his præfato loco dirempta eſſe videtur.

444. *Theodoſius Aug. XVIII.* & *Albinus* Occident. Hujus Theodoſii Conſulatus rationem elicio ex Marcellino in Chronico, qui ſub his Conſulibus ſcribit; *Theodoſius Princeps nona Quinquennalia dedit*, Imperii nempe vivente patre ſuſcepti. Vide quæ de iis ſupra diximus cap. 5. num. XV. Valentiniani Junioris Imperii Cæſarei Vicennalia.

445. *Valentinianus Aug. VI.* & *Nomus.* Auguſtei Imperii Valentiniani Junioris Vicennalia, ideoque Conſulatus is juxta ſecundam Regulam.

446. *Aetius III.* & *Symmachus*, ambo Occident.

447. *Ardaburus*, & *Callipius*, ſeu *Alypius*: Prior Orient. alter Occident. octava Quinquennalia Theodoſii. Quo referenda, quæ ſub his Conſulibus Marcellinus ſcribit; *Eodem anno urbis Auguſtæ muri olim terræ motu collapſi, intra tres menſes, Conſtantino Præfecto Prætorio operam dante reædificati ſunt.*

448. *Zeno*, & *Poſthumianus.* Quinta Quinquennalia Imperii Cæſarei Valentiniani Junioris in hunc, vel ſequentem annum incidunt.

449. *Protogenes*, & *Aſterius*, vel ut alii, *Aſturius.*

450. *Valentinianus Aug. VII.* & *Gennadius Avienus*, uterque in Occidente. Quinta Quinquennalia Imperii Auguſtei Valentiniani, ut ejus Conſulatus oſtendit. Marcianus octavo Kalendas Septembris feria ſexta, non feria quinta, ut mendoſe legitur in Chronico Alex. dicitur Imperator. Quinto Kalendas Auguſti jam Theodoſius e vivis exceſſerat. Ex Senatus-conſulto, & voluntate Pulcheriæ eidem Marciano Imperium delatum. IX. *Marcianus Theodoſio Jun. ſuccedit.*

451. *Marcianus Aug.* & *Adelphius* Occid. Conſulatus Marciani juxta primam Regulam.

452. *Herculanus* Occident. & *Sporacius.*

453. *Vincomalus*, & *Opilio* Occident. Imperii Cæſarei Valentiniani Tricennalia. Quo referendum quod legitur in Chronico Theophanis: *hoc anno Diocletianeum balneum Alexandriæ reparatum.*

454. *Studius* Orient. & *Aetius.* Quinquennalia Marciani Auguſti hoc vel ſequenti anno acta.

455. *Valentinianus Aug. VIII.* & *Anthemius*, qui poſtea in Occidente Imperator dictus eſt, Tricennalia Imperii Auguſtei Valentiniani, ideoque Conſulatus is juxta ſecundam Regulam. Idem Imperator Kalendis Aprilis inſidiis Maximi occiſus eſt, quod eo die factum colligitur ex Anonymo apud Cuſpinianum, qui eumdem Maximum Imperium Occidentale eodem die arripuiſſe ſcribit, pridieque Idus Junias eumdem etiam interfectum fuiſſe. Tum addit: *Levatus eſt Imperator in Galliis Avitus ſexto Idus Julias.* Quod & ſub hujus anni Conſulibus contigiſſe auctor eſt Victor Tununenſis. Quare errat Idatius in Chronico, ubi ſcribit, quarto regni Marciani anno Avitum Auguſtum appellatum fuiſſe; illius enim Imperatoris annus quintus ad finem tunc vergebat.

456. *Varanes* Orient. & *Joannes* Occident. In Occidente vero Avitus Aug. ut ex Sidonii carmine ſeptimo conſtat, idque juxta primam Regulam. *Captus eſt Imperator Avitus Placentiæ a Magiſtro militum Ricimere*; ait Auctor Anonymus apud Cuſpinianum, factuſque eſt Epiſcopus Placentinus, ut Auctor Miſcellæ, & Victor Tununenſis ſcribunt; hicque ſub his etiam Conſulibus hanc depoſitionem conſignat; ille vero, ſicut Jornandes de rebus Geticis, ad paucos dies Regnum invaſiſſe tradit. Turbat tamen Idatius in Chronico, ideoque explicandus: *Avitus tertio anno poſteaquam a Gallis, & a Gothis factus fuerat Imperator, caret imperio, Gothorum promiſſo deſtitutus auxilio, caret & vita.* Valeſius in Notis ad lib. 2. Evagrii cap. 7. obſervat in MS. codice, quo uſus eſt Sirmondus, qui primus Chronicon illud publicavit, hunc locum ita legi; *tertio anno. Avitus ſeptimo menſe poſteaquam a Gallis &c.* Et eumdem Sirmondum has duas voces, *ſeptimo menſe*, omiſiſſe, melius facturus inquit, ſi duas illas, *tertio anno*, expunxiſſet. Utrumque tamen ſubſiſtere poteſt. Nam Majorianus anno ſequenti, ut tunc dicemus, Kalendis Aprilis in Occidente Imperator

tor creatus eſt, poſtquam ab Aviti morte interregnum fuiſſet. Quod Idatium huic attribuiſſe indubitatum exiſtimo; non ſolum quia Caſſiodorus & Marius eum præfatis Auctoribus ſub his Conſulibus Avitum depoſitum fuiſſe ſcribunt; ſed etiam, quia Evagrius lib. 2. cap. 7. tradit hunc Romæ imperaſſe menſes octo. Quo pacto verum eſt eam depoſitionem menſe circiter Martio factam fuiſſe; Evagrium enim menſes incompletos, Idatium vero completos numerare manifeſtum eſt. Erratum porro a Petavio in Rationario temporum, ubi docet Evagrium ſcripſiſſe Avitum imperaſſe menſes decem, & dies octo, rurſumque ibidem, & in Chronico, quando ſcribit Anonymum Cuſpiniani tradere Avitum XIII. Kal. Octobris captum fuiſſe. Eum enim diem ac menſem ad mortem Remiſci, de qua immediate loquitur, referri certum eſt, perperamque in editione ejuſdem Anonymi interjectum fuit punctum hoc modo: *occiſus eſt Remiſcus Patricius in Palatio Claſſis. XV. Kal. Octobris, captus eſt Imp. Avitus Placentia a Magiſtro militum Ricimere.* Punctum enim non poſt vocem *Claſſis*, ſed ante vocem *Captus* apponendum. Is quippe Anonymus in brevi, ſed accurato ſuo Chronico, diem ac menſem rebus quas narrat, poſtponit. Quæ ſcrupuloſius ſcrutari placuit ad Chronologiam Imperatoriam, quæ Chronicorum & Annalium regula, exacte ſtabiliendam.

X. *Leo imperat.*

457. *Conſtantinus* Occident. & *Rufus* Orient. Marcianus pridie Kalendas Februarias vita functus eſt, ut ex Theodoro Lectore in Notis ad primum ejus librum erudite deducit Valeſius, colligiturque ex Marcellino, & Victore Tunnenſi, qui ſcribunt eum annis ſex, ac totidem menſibus imperaſſe. *Succeſſit* eidem in imperio Orientali Leo genere Thrax, qui, ut habet Chronicon Alexand. levatus eſt Auguſtus *menſe Peritio VII. Idus Feb.* Cui conſentit Theophanes, qui ait Leonem Marciano mortuo ſubrogatum fuiſſe menſe Februario. Ex quo corrigendus error, qui in ejus Chronicon irrepſit; paulo poſt enim in eodem legitur Marcianum *pridie* Kal. Maii obiiſſe, qui error Petavium in Chronico, alioſque viros doctiſſimos decepit. Majorianus Leonis voluntate Kalendis Aprilis hujus anni Imperator in Occidente eſt ordinatus, ut Anonymus apud Cuſpinianum prodit.

458. *Leo Aug.* & *Majorianus Aug.* Uterque juxta primam Regulam.

459. *Patricius*, & *Ricimer* Occident.

460. *Apollonius* & *Magnus* Occident.

461. *Severinus* Occident. & *Dagalaiſus*. Majoriani Quinquennalia in hunc annum incidunt, quæ eum celebraſſe oſtendit numiſma a Dufreſno V. C. in Diſſertat. de numiſmatis inferioris ævi num. 42. allatum, in quo nulla Quinquennaliorum aut Decennaliorum mentione facta legitur, VOTIS MULTIS, licet ipſo ejus Imperii initio cudi potuerit, ſicuti iſtud Joviani cum Epigraphe VOT. V. MULT. X. aliave ſimilia: quia tamen primus Aprilis dies currentis anni quintum Imperii ejus annum inchoavit, non videntur caſſa fuiſſe vota Sidonii Epigrammate 13. ut arbitrati ſunt Scaliger lib. 5. de emendat. Temp. & Sirmondus in Notis ad Sidonium, qui ſequentes hujus verſus explicantes, perperam ſcripſere, non ineunte, ſed peracto Imperii luſtro, Quinquennalia & id genus feſta celebrari ſolita fuiſſe.

Multos purpura veſtiat per annos.
Sic luſtro Imperii perennis acto
Quinquennalia faſcibus dicentur.

Anonymus a Cuſpiniano in lucem editus ſub his Conſulibus hæc habet: *depoſitus eſt Imp. Majorianus a Patricio Ricimere Dertona IV. Nonas Auguſti, & occiſus eſt ad fluvium Hyram VII. Idus Auguſti: ac levatus eſt Imperator Dominus Severus XIII. Kal. Decembris.* A Valentiniano ſecundo anno 392. apud Viennam in Delphinatu interfecto, ad Majorianum uſque, nullum Principum in Gallia conſtitiſſe obſervat Sidonius *carmine 5. ad Majorianum* num. 350. indeque inſecutæ poſtre Galliarum excidii cauſas repetit.

462. *Leo Aug. II. & Severus Aug.* Marcellinus Leonem II. ſolum profitetur, ſed perperam: non tantum enim Caſſiodorus, Chronicon Alexandrinum, & Anonymus apud Cuſpinianum utrumque edunt, ſed quod rem plane dirimit, Epiſtola quinta Hilarii Papæ ad Leontium Arelatenſem tomo quarto Editionis Labbeanæ p. 1039. dicitur *data VIII. Kal. Februarias DN. Severo Auguſto Conſule*, & Epiſtola ejuſdem Pontificis octava ad Epiſcopos diverſarum provinciarum Galliæ dicitur *data III. Nonas Decembris GL. P. Severo Auguſto Conſule*, id eſt, *glorioſiſſimo Principe*. Cæterum Severi Conſulatus juxta I. Regulam, Leonis juxta II. Quinquennalia enim celebraſſe non [illegible] id in Conſulatus, ſed & quæ refert Theophanes, oſtendunt. Ait enim: *hoc anno Præcurſoris templum Studius extruxit, & traductos ex Inſomniam manſione* (id eſt Acœmetarum Monaſterio) *Monachos in eo poſuit. Gratiſſimus quoque Præpoſitus S. Cyriaci extra portam Auream erexit ædem, in qua ipſe mundo nuncium remiſit.* Hoc etiam anno exiſtimo Conſtantinopoli factam eſſe dedicationem nobilis Eccleſiæ in honorem S. Anaſtaſiæ a S. Marciano Oeconomo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ erectæ, de qua ſermo eſt in ejuſdem Sancti Actis a Bollando & Henſchenio die 10. Januarii illuſtratis. Nam licet Metaphraſtes eorum Auctor annum non exprimat; quia tamen a Gennadio Conſtantinopolitano Patriarcha, qui anno 458. ſedere cœpit, factam dicit capite tertio, non dubium quin de more in aliqua hujuſmodi feſtivitatum peracta fuerit. Cumque ante annum 465. nulla alia occurrat; eaque Eccleſia ante eum annum dedicata ſit, ſequitur ea Encænia in alium annum conferenda non eſſe; perperamque in Annalibus Eccleſiaſticis anno 450. conſignata fuiſſe; & Bollandum, ac Henſchenium eadem in annum 464. ex ſola conjectura tardius diſtuliſſe. Dixi porro ea ante annum 465. acta, quia Metaphraſtes poſtquam de iiſdem locutus eſt, dixit in eadem Eccleſia multa miracula patrata, illudque inter cætera, quod magno incendio Conſtantinopoli exorto, Marcianus Oeconomus ædem illam illæſam ſervaverit. Contigit illud incendium anno 465. ut iidem Auctores ex Chronico Alexandrino, ac Marcellino oſtendunt. Quare ante tempus illud ea Eccleſia dedicata. Verum quidem eſt Theophanem illud incendium anno 461. die ſecunda Septembris conſignare, illudque miraculum eo anno narrare, ſed major fides Marcellino, & Auctori Chronici Alexandrini videtur adhibenda. Quod ſi incendium iſtud recte ab eodem Theophane, qui Cedrenum conſentientem habet, conſignatum fuerit, ea dedicatio anno præcedenti, quo Majorianus in Occidente Quinquennalia celebravit, facta fuit. Huc uſque enim nulla mihi Eccleſiarum dedicatio occurrit, quæ in hujuſmodi ſolemnia non inciderit.

463. *Vivianus*, & *Felix*.

464. *Ruſticus*, & *Olybrius*.

465. *Baſiliſcus* Orient. & *Hermenerichs*. In Chronico a Cuſpiniano publicato legitur: *defunctus eſt Imperator Severus Romæ XVIII. Kal. Septembris.* Poſt eam mortem uſque ad Anthemii nuncupationem interregnum fuit.

466. *Leo Aug. III. & Tatianus*. Leonis conſulatus juxta II. Regulam, Decennalia enim celebraſſe oſtendunt, quæ ſcribit Theophanes: *Magna ciſterna ad Joannis ædes extructa: balnea quoque duo, uni nomen Sanitas, alteri De-* — XI. *Leonis Imp. Decennalia.*

ce-

enſaſis: & Alexandria fluvius a Cherſo ad Cypronim ferrea exeavata deductus. Verum eſt in eodem Auctore legi anno præcedenti Alexandriæ S. Joannis nomine opus conſtructum fuiſſe, & Baptiſmo luſtrandis adjunctum ædificium: Heptabiſum etiam publicum civitati reſtitutum. Sed id etiam hoc anno, vel ſaltem ſequenti, quo Anthemius nuncupatus eſt Imperator, factum fuiſſe ex eodem Theophane deducitur, qui eodem tempore ſcribit eundem Anthemium a Leone dictum fuiſſe Imperatorem, Quidquid ſit in toto ejus nobiliſſimo Chronico nnlum ædificium publicum uſque ad hæc tempora memoratum, quin vel Imperatorum initio aut annis quibus hujuſmodi feſtivitates celebrarunt, conſignatum fuerit. Præterea non dicimus non niſi annis, quibus Decennalia aut id genus feſta edebantur, publica opera confecta fuiſſe, urbes aut Eccleſias extructas, aliaque hujuſmodi facta. Id enim abſurdum, & a veritate alienum eſſet, cum Hadrianus ſingulis fere Imperii annis, aut templa, aut urbes, aut alia ædificia publica peregerit. Sed ſolum dicimus ea de more iis annis acta.

467. *Puſaus*, & *Joannes*. Anonymus Cuſpiniani hæc habet: *Levatus eſt Imperator Dominus Anthemius Romæ prid. Idus Aprilis*.

468. *Anthemius Aug. II.* ſolus juxta I. Regulam.

469. *Zeno*, & *Marcianus*.

470. *Jordanes* Orient. & *Severus* Occident.

471. *Leo Aug. IV.* & *Probianus*. Leonis Conſulatus juxta II. Regulam, Quindecennalia enim ejus in hunc annum cadunt. Quintus eſt hic etiam Anthemii Imperatoris occidentalis annus pridie Idus Aprilis inchoatus.

472. Marcianus Orient. & *Feſtus* Occident. Anonymus Cuſpiniani his Conſulibus hæc habet: *Bellum civile geſtum eſt Romæ inter Anthemium Imperatorem, & Ricimerem Patricium. Et levatus eſt Romæ Imperator Olybrius, occiſus vero Imp. Anthemius V. Idus Julias, defunctus vero eſt Ricimer XV. Kal. Septembris, Defunctus eſt Imp. Olybrius Romæ X. Kal. Novembris*.

473. *Leo Aug. V.* ſolus. Anonymus Cuſpiniani ait: *levatus eſt Imperator Glycerius Ravennæ III. Nonas Martias*. Sumptus hic a Leone Conſulatus, vel propter bella civilia, quæ in Occidente ardebant, vel propter depoſitionem veſtis Beatæ Virginis ad Blachernenſe templum a Pulcheria Conſtantinopoli ædificatum, de qua Cedrenus hoc anno agit, quæque magnifica pompa peracta eſt, ut videre eſt apud Nicephorum lib. 15. cap. 26. Præterea Leo Imperator Leonem Juniorem Ariadnæ filiæ & Zenonis filium Imperatorem renuntiavit, ut recte Theophanes & Caſſiodorus in Chronic. Licet Marcellinus hanc nuncupationem anno tantum ſequenti recitet. Quare hæc nuncupatio, vel ſupra dicta, cauſa hujus Conſulatus fuere, qui ideo ſumptus eſt juxta VI. Regulam.

XII. *Utroque Leone demortuo Zeno imperat.*

474. *Leo Junior Auguſtus* ſolus, juxta II. Regulam. Ex quo & conſtat anno ſuperiori ad Imperium evectum fuiſſe, unde Auctor Anonymus a Cuſpiniano editus, qui tunc vivebat, hunc Conſulatum his verbis conſignat: *Domino Leone Juniore Auguſto Conſ*, Leo Senior mortuus eſt *menſe Januario Indictione duodecima*. Ita Theodorus Lector in fine libri ſecundi, & Theophanes in Chronico, qui addit menſe Februario Zenonem ab eodem Leone Juniori filio coronatum fuiſſe, huncque ſolos menſes decem cum proprio patre Zenone regnaſſe. A quo non diverſa ſcribit Chronicon Alexandrinum dicens Leonem Juniorem *unîtimo Conſulatus ſui menſe, Dio menſe, ſeu Novembri* morbo extinctum eſſe. In hujus Leonis Junioris & Imperatorum Occidentalium, qui per hæc tempora regnarunt, nummis, primum legitur titulus perpetui Auguſti hoc modo; DN. LEO PERPET. AUG. vel DN FL. ANTHEMIUS PP. AUG. id eſt, *perpetuus Auguſtus*. Qua de re plurima infra exempla occurrent. Nutabat interim Imperium Occidentale, mox collapſurum; ſcribit enim Anonymus a Cuſpiniano primum editus: *dejectus de Imperio Glycerius in portu urbis Romæ. Eo anno levatus eſt Dominus Julius Nepos VIII. Kal. Julias*.

475. *Zeno Aug. II.* ſolus ſecundum I. Regulam, *Intravit Ravennam Patricius Oreſtes cum exercitu, & fugavit Imperatorem Nepotem ad Dalmatias V. Kal. Septembris. Eo anno levatus eſt Auguſtulus Imperator Ravennæ a Patricio Oreſte patre ſuo pridie Kal. Novembris*. Ita Auctor Anonymus Cuſpiniani.

476. *Baſiliſcus II.* & *Armatus*, uterque Orientalis. Marcellinus, Theophanes, & Victor Tununenſis, quos Petavius in Chronico, aliique multi ſequuti ſunt, ſcribunt Baſiliſcum hunc Verinæ Zenonis ſocrus fratrem, ſub anni præcedentis Conſulatu Imperium invaſiſſe, quod ſine dubio a veritate alienum. Extat enim plane aureum teſtimonium, nemini hactenus obſervatum, in Codice Juſtinianeo lib. 5. tit. 12. *de jure dotium*, quo probatur hujus anni initio Zenonem adhuc imperaſſe; ibi enim lex 28. præfert in titulo: *Imp. Zeno A. Æliano Præfecto Prætorio*, & ſubſcribitur; *dat. Kal. Januar. Baſilio II. & Armaſio Coſſ.* legendum *Baſiliſco & Armato Coſſ.* nondum itaque hujus anni initio Zeno in Iſauriam fugerat, nec Baſiliſcus Imperator acclamatus fuerat. Præterea in lib. 5. ejuſdem tit. 27. l. 5. *de naturalibus liberis* dicitur, *Dat. X. Kal. Mart. Baſilio II. & Armaſio Coſſ.* legendum etiam ut in præcedenti *Baſiliſco II. & Armato*, & in ejus titulo legitur, *Imp. Zeno Sebaſtiano Præfecto Prætorio*. Quod ex ipſomet etiam Tununenſi confirmatur: qui ait Ariadnam Auguſtam, Zenonem in Iſauriam fugientem, *ſub hyemis diſcrimine navali itinere* ſubſequutam eſſe. Quod tempus recte conſignatum eſſe, ea quæ de tyrannidis ejuſdem duratione dicemus, oſtendent. Quoad Imperium Occidentale Anonymus a Cuſpiniano editus hæc ſcribit: *Levatus eſt Odoacer Rex X. Kal. Septembris. Eo etiam anno occiſus eſt Oreſtes Patricius Placentiæ V. Kal. Septembris*. Addit Marcellinus in Chronico eundem Odoacrem Gothorum Regem his actis Auguſtulum filium Oreſtis in Lucullano Campaniæ Caſtello exilii pœna damnaſſe, in eoque Imperium Occidentale, quod Octavianus Auguſtus tenere cœperat, periiſſe, & Gothos dein Reges Romam obtinuiſſe.

CAPUT ULTIMUM

Conſulatuum Cæſareorum ab Imperii Occidentalis excidio, ad Faſtorum Romanorum Conſularium finem Rationarium; ac Decennalium & id genus feſtorum, per eoſdem annos ordinatio & finis.

477. P. C. *Baſiliſci II. & Armati*. Baſiliſcus *intra octo, poſt annum, menſes Imperii*, ut teſtis eſt Procopius libro primo Hiſtoriæ Vandalicæ, cui conſentiunt Tununenſis, & Cyrillus Monachus in vita S. Sabæ, Zenoni deditur, qui eum *cum liberis, & uxore in Cappadociam miſit, acri hyeme*, ſubjungit idem Procopius. Facta ea reſtitutio ante menſem Octobrem currentis anni, ut patet ex ſeptima Epiſtola Simplicii Pontificis Romani poſt Conſulatum Baſiliſci & Armati, VIII. Idus Octob. data, in

II. *Zeno in Imperium reſtituitur.*

in qua de recuperato Imperio Zenoni gratulatur. Quare errat Auctor Chronici Alexandrini, qui hanc reſtitutionem in annum ſequentem conjicit, cumque Octobris initio de ejus reſtitutionis nuncium jam Romam allatum eſſet, liquet eundem Baſiliſcum anni elapſi initio tyrannidem arripuiſſe, & præſenti circa Septembrem eundem Zenoni deditum, qui inſtanti hyeme illum in Cappadociam miſit, ubi miſere periit, Petavius in Rationario temporum, quæ de tempore captæ a Baſiliſeo tyrannidis in Chronico ſcripſerat, retractavit, illudque optime conſignavit.

478. *Illus* ſolus.

479. *Zeno Aug. III.* ſolus. Quinquennalia Zenonis, ut ejus Conſulatus demonſtrat.

480. *Baſilius Junior* ſolus Occident. Anonymus a Cuſpiniano editus hoc anno habet: *Occiditur Nepos Imperator VII. Idus Majus*, hunc Oreſtes Imperio abdicarat, & comitum ſuorum inſidiis, *haud longe a Salonis, ſua in villa occiſus eſt*, inquit Marcellinus in Chronico. Unde ad mortem uſque Imperium retinuit.

481. *Placidus* ſolus.

482. *Trocondus*, & *Severinus*.

483. *Fauſtus* ſolus.

484. *Theodoricus*, & *Venantius*. Is Theodoricus Rex Gothorum erat, qui neque a Marcellino, neque ab auctore Chronici Alexandrini cum titulo Regis editur, licet Anonymus a Cuſpiniano editus hujus anni Conſules his verbis memoret: *D. N. Theoderico Rege*, *& Venantio V. C. Coſſ.* Sed prima parte hujus Differt. cap. 7. num. VII. oſtendimus, in actis publicis ſubſcribendis Regem vocatum non fuiſſe. Decennalia Zenonis, qui eodem Principe Conſule ea edere voluit. Horum ſolemnium ſignum nuncupatio Baſiliſci Armati magiſtri militiæ filii, quem hoc anno idem Zeno Cæſarem creavit, & poſt cædem ejus patris, Epiſcopum Cyzicenum Helleſponti Metropolitam inauguravit, ut inquit auctor Chronici Alexandrini hoc anno; ac præterea dedicatio Lauræ S. Euthimii Abbatis in Monaſterium mutatæ, quam hoc anno die XIII. Decembris celebravit Martyrius Patriarcha Hieroſolymitanus, ut docent Bollandus & Henſchenius in Illuſtratione Actorum præfati Euthymii die XX. Januarii paragrapho IV.

485. *Symmachus* ſolus Occident.

486. *Longinus*, & *Decius* Occident.

487. *Anicius Manlius Severinus Boetius*, Occident.

488. *Dynamius* Occid. & *Sifidius*. Quindecennalia Zenonis, quorum index quod ſcribit Theophanes de S. Euſtathii Reliquiarum tranſlatione: *hoc anno Calandion Antiochenus Epiſcopus Euſtathii magni Reliquias Philippis, ubi Sanctus exul obierat, tranſtulit, tota Antiochia civitate ad duodecimum milliare in occurſum cum plurimo honore effuſa*. Victor Tununenſis tranſlationem hanc in annum 490. Baronius in annum 482. conjiciunt. Sed Zenonis Quindecennalia litem dirimunt, ipſeque Valeſius, qui in Notis ad librum 4. Socratis cap. 14. Victoris calculo ſtandum contendit, in Obſervationibus tamen ad Evagrium, de Petro Fullone Epiſcopo Antiocheno cap. 3. ubi Calandionis Epiſcopatus tempus diſcutit, loquens, fatetur in Victore Tununenſi miram eſſe perturbationem.

489. *Euſebius* & *Probinus* Occident.

490. *Longinus II.* & *Anicius Fauſtus* Occident. Initium prioris Imperii Theodorici Gothorum Regis in Italia, uti alibi diximus.

II. *Imperium Anaſtaſii.* 491. *Olybrius* ſolus Occident. Zeno Auguſtus epilepſia correptus menſe Xantico ſive Aprili obiit, & Ariadna Anaſtaſium ex Silentiario creavit Imperatorem, qui, ut habet Chronicon Alexandrinum, inauguratus eſt quinto Aprilis hebdomadis majoris, in quo tamen errat. Nam ea feria hoc anno in 18. Aprilis diem incidit. Dedicata eſt Baſilica Lauræ S. Sabæ anno ætatis ejus 53. qui Chriſti erat 491. ut habet Bollandus in vita Euthymii Magni die viceſima Januarii, paragrapho quarto.

492. *Anaſtaſius*, & *Rufus* Occident. Anaſtaſii Conſulatus juxta I. Regulam.

493. *Euſebius II.* Orient. & *Albinus* Occident. Hoc anno Theodoricus Ravennam ingreſſus Odoacrem interemit, cœptaque inde nova hujus Italiæ Regis Epocha, a qua, ſicuti & a priori, anno 490. inchoata, ejus Quinquennalia, Decennaliave deducenda; utriuſque enim Imperii hujuſmodi ſolemnia celebraſſe, quæ infra dicam, evincent, oſtendentque hactenus erratum eſſe in unica tantum Epocha Theodorico attribuenda.

494. *Præſidius* Orient. & *Aſterius* Occident.

495. *Viator* ſolus, Occident.

496. *Paulus* ſolus, Orient. Erat is frater Anaſtaſii Imperatoris, quo Conſule voluit is Quinquennalia agere, ut colligitur ex his Marcellini in Chronico verbis: *Auguſtatico ſuo dudum Anaſtaſius militibus præſtito, donativum quoque hoc fratre Conſule tribuit*. Donativum enim quod Principes Romani ſimul atque Auguſti a militibus nuncupati erant, erogabant, recentior latinitas *Auguſtaticum* dixit, uti jam a viris doctis obſervatum. Quod etiam donativum in Quinquennalibus & id genus feſtis, quod hæc eſſent quædam renovatio Imperii, militibus tribuebatur.

497. *Anaſtaſius Aug. II.* ſolus. Non ſolum Anaſtaſius, ſed & Juſtinus Senior, & Juſtinianus, qui ei ſucceſſere, ſeptimo Imperii anno Conſulatum ſumpſere; eoque anno eadem peracta, quæ annis Quinquennalibus & id genus feſtis deſtinatis; ut oſtendimus parte ſecunda hujus Diſſertationis.

498. *Johannes Scytha*, Orient. & *Paulinus* Occident.

499. *Joannes Gibbus*, Occident.

500. *Patricius*, & *Hypatius*, ambo Orientales. Decennalia Theodorici Italiæ Regis, de quibus cap. 5. num. XI. actum eſt. Illud hic tantum obſervandum Anaſtaſium Imperatorem hoc anno ob eo ſolemnia Hypatium ſororis ſuæ filium Conſulem procedere voluiſſe.

501. *Pompejus* Orient. & *Avienus* Occident. Decennalia Anaſtaſii Imperatoris, quæ oſtendunt primum Conſulatus: Pompejus enim nepos erat Anaſtaſii, frater nempe Hypatii ſuperioris anni Conſulis, ejuſdem Imperatoris ſororis filii; ſecundum Ludi theatrales hoc anno facti, de quibus Marcellinus in Chronico. Tertium quia ſanctus Elias unus e ſucceſſoribus Euthymii Magni Abbatis novam Eccleſiam Deiparæ Virginis a S. Saba conſtructam dedicavit *Primo Julii*, *Indictione nona*, hoc nempe anno, ut oſtendunt Bollandus & Henſchenius in Actis nuper citatis S. Euthymii. Quartum Theophanes hoc anno habet: *hoc anno Chryſargyrum tributum*, *& venationes ſive pugnas cum beſtiis publicas Anaſtaſius abolevit*; *& Magiſtratus qui antea venales erant*, *gratis contulit*. De exitiali illo tributo ſuperius loquuti ſumus. Verum quidem eſt Marcellinum in Chronico ſub anni præcedentis Conſulibus ſcribere: *Anaſtaſius Imp. donativum Illyricianis militibus per Paulum Tribunum Notariorum erogandum miſit*, ſed miſſa ſub finem hujus anni, uti exiſtimandum, pecunia, quia ſequentis initio quinquennale ſtipendium in Decennalibus Imperatoris ſolvendum erat.

502. *Avienus Jun.* Occident. & *Probus* Orient. Hoc anno Theodoricum Italiæ Regem poſterioris Imperii Decennalia celebraſſe, tria oſtendunt. Primum, Conſulatus Probi, ſororis Anaſtaſii Imperatoris filii; ideo enim tres ejuſdem nepotes deinceps his tribus annis Conſules proceſſerunt, ob tria quæ in iiſdem Decennalia ſlen-

Digitized by Google

ſiendæ erant. Secundum, quod ſub his Conſulibus Caſſiodorus in Chronico ſcribit: *His Coſſ. DN. Rex Theodericus aquam Ravennam perduxit, cujus formam ſumptu proprio inſtauravit, quæ longis ante fuerat ad ſolum reducta temporibus*. Qui Auctor, cum anno 500. quo Theodoricus prima Decennalia celebravit, alia id genus Romæ facta ſignificet, patet ea horum ſolemnium effectus fuiſſe. Tertium, ejuſdem Imperii Quindecennalia, & Vicennalia, de quibus infra.

503. *Dexicrates* Orient. & *Voluſianus* Occident.

504. *Cethegus* ſolus, Orient.

505. *Sabinianus* Orient. & *Theodorus* Occident.

506. *Areobinda* Orient. & *Meſſala* Occident. Quindecennalia Anaſtaſii; quo referenda quæ ſcribit Auctor Chronici Alexandrini: *His Coſſ. Anaſtaſii Principis ſtatua, in eodem loco, quo dudum Theodoſii Magni ſteterat, ſuper immanem columnam in foro Tauri ſtatuta eſt*. Quod etiam habet Theophanes, qui addit: *hoc eodem anno plura ex ære opera ex his, quæ poſuit Magnus Conſtantinus, Anaſtaſii juſſu conflata ſunt*.

507. *Anaſtaſius Aug. III.* & *Venantius* Occident. Ab hoc Conſulatu ad ſecundum ejuſdem Imperatoris anni ſunt decem elapſi, & ad ſequentem ab eo geſtum decem alii anni, ex quo, loco laudato collegimus Anaſtaſium in Conſulatus Cæſareos aliquam mutationem invexiſſe.

508. *Celer*, & *Venantius*. Quindecennalia Theodorici poſt Odoacrem occiſum imperantis, quod oſtendit ædificatio Monaſterii a S. Cæſario Arelatenſi Epiſcopo, hoc anno cœpta. In ejus enim vita a S. Cypriano Epiſcopo Tolonenſi ſcripta dicitur, Alarico Rege Gothorum a Clodoveo Francorum Rege in conflictu perempto, Theodoricum Italiæ Regem miſſis ducibus ſuis in eam Provinciam ingreſſum eſſe, *in hac ergo*, inquit, *obſidione, Monaſterium, quod ſorori ejus S. Cæſariæ & ſanctis Virginibus conſtruebatur, magna ex parte deſtructum eſt*. Qui exercitus hoc anno ad urbem Arelatenſem, quæ Gothis parebat, quæque a Francis obſidebatur, liberandam, miſſus; ut docet Caſſiodorus in Chronico. Hoc itaque vel præcedenti anno Monaſterium illud cœptum; ideoque & ea ſolemnia a Theodorico celebrata. Vide quæ infra anno 512. de eodem dicimus.

509. *Importunus Junior* ſolus.

510. *Anicius Manlius Severinus Boetius*, Occident. & *Eutharicus* Orient.

511. *Felix* Occident. & *Secundinus* Orient. Vicennalia Anaſtaſii Imperatoris, cujus index legatio S. Sabæ rogatu Eliæ Hieroſolymorum Epiſcopi ad Anaſtaſium pro fidei Catholicæ cauſa ſuſcepta, quam Cyrillus in ejus vita dicit egiſſe cum annos 73. natus eſſet. Natus autem erat Theodoſio XVII. Conſule, menſe Januario, anno ſc. Chriſti 439. ut oſtendunt Bollandus & Henſchenius in Illuſtratione actorum S. Euthymii Magni, die 20. Januarii. Quare hoc anno ad præfatam ætatem pervenerat.

512. *Paulus*, & *Muscianus* Orient. Vicennalia poſterioris Imperii, Theodorici in Italia, quæ indicat dedicatio Monaſterii a S. Cæſario Arelatenſi Epiſcopo poſt Arelatem a Francorum obſidione liberatam perfecti, die XXVI. Auguſti facta, ut diſcimus ex Auctore vitæ ejuſdem ſancti anno. 542. ut alias oſtendemus vita functi: *erant*, inquit, *conſtitutionis Monaſterii ipſius eo tempore anni pleni triginta, ſexto Kalendarum Septembrium, & poſt diem dedicationis Monaſterii ſui beatam animam lætus emiſit ad Chriſtum*. Si enim ab anno 542. quo ea mors contigit, per annos triginta retrocedas, pervenies ad præſentem, quo ideo ea dedicatio facta, quia Theodoricus poſteriora ſua Vicennalia celebravit. Quod ſi quis contendat S. Cæſarium anno tantum 543. ad cœleſtem patriam migraſſe, inde non aliud ſequetur, quam præfata ſolemnia, Encæniaque anno ſequenti 513. facta eſſe, anno nempe poſterioris Imperii viceſimo evoluto.

513. *Clementinus* Orient. & *Probus*.

514. *Senator* ſolus Occident. Eſt hic M. Aurelius Caſſiodorus Senator.

515. *Anthemius* Orient. & *Florentius* Occid. Quinta Quinquennalia Anaſtaſii Imperatoris hoc anno facta, quod Marius in Chronico indicat quando ſcribit: *His Coſſ. Monaſterium Acauno a Rege Sigiſmundo conſtructum eſt*, de quo celeberrimo Monaſterio videndus Baronius ann. 526. n. 44. ubi de eo agit, ejus enim fundationis tempus ignoravit.

516. *Petrus* ſolus, Occident.

517. *Anaſtaſius Aug. IV.* & *Agapitus*. De hoc Anaſtaſii Conſulatu loco ſupra laudato actum. Marcellinus in Chronico Anaſtaſium nulla numerali nota, aut titulo Imperatoris profitetur, licet præcedentem ejus Conſulatum cum numerali nota III. exhibuerit. Sed hunc Anaſtaſium alium non eſſe quam Imperatorem oſtendit Codex Juſtinianeus, in quo lib. 6. tit. 27. *de naturalibus liberis* lex quarta dicitur *dat. Kal. April. Anaſtaſio A. IV. & Agapito Coſſ.* Ac præterea ejuſdem Anaſtaſii epiſtola ad Hormiſdam Pontificem Romanum, quæ refertur tomo 4. Conciliorum pag. 1469. *data V. Idus Julii Conſtantinop. Anaſtaſio Aug. IV. & Agapito V. C. Coſſ.* Emendanda porro ſubſcriptio *l. 5. de Advocatis diverſ. judicum*, quæ legitur lib. 2. præfati Codicis tit. VIII. ab eodem Anaſtaſio *data Kalend. April. Anatolio, & Agapito Coſſ.* legendumque *Anaſtaſio & Agapito Coſſ.* cum Anaſtaſio imperante Anatolius Conſul non fuerit. Ab hoc autem Anaſtaſii Conſulatu, ad III. ejus Conſulatum, anni ſunt decem, ab eo ad II. totidem. Quare aliqua mutatio in Conſulibus Cæſareis facta.

518. *Magnus* Orient. & *Florentius* Occident. Anaſtaſius hoc anno *ad alteram vitam migravit, cum per annos viginti ſeptem, ac menſes tres, dieſque totidem Imperium Romanum adminiſtraſſet*. Ita Evagrius libro tertio, capite ultimo, qui libri ſequentis initio dicit Juſtinum genere Thracem Imperialem purpuram ſumpſiſſe *die nona menſis Julii*, qua in re Chronicon Alexandrinum ſuffragatorem habet. Ea qua die recte in eo conſtituta locus eſt exiſtimandi Anaſtaſii Imperii tempus varie ab Antiquis computatum, recte etiam ab eo numeratum fuiſſe; ſicque anno 491. die ſexto Aprilis, ſi ultimum terminum Evagrius excluſit, Zenonem, cujus emortualis dies a nullo ex Antiquis adnotatus, periiſſe. Ab ea enim die ad nonum Julii hujus anni hujuſmodi tempus interjicitur. Fuiſſe tamen aliquod dierum interregnum poſt Zenonis mortem ab eodem Evagrio in Imperio Anaſtaſiano computatum, deducitur tum ex præcipitata ejuſdem Zenonis morte; tum ex eo quod Marcellinus in Chronico ſcribit Anaſtaſium regnaſſe annos 27. menſes 2. dies 29. quo pacto die tantum nona Aprilis anni 491. Imperium ſuſceperit, dieque decima octava ejuſdem menſis coronatus Zeno fuerit. III. *Imperium Juſtini Senioris.*

519. *Juſtinus Aug.* & *Fl. Eutharicus* Occident. Conſulatus Juſtini juxta I. Regulam.

520. *Vitalianus* Orient. & *Ruſticius*.

521. *Juſtinianus* Orient. & *Fl. Valerius* Occident. Juſtinianus is poſtea Imperator fuit, cujus Conſulatus propter magnas liberalitates, de quibus Marcellinus in Chronico, famoſiſſimus fuit.

522. *Symmachus* & *Boetius*, ambo Occident.

523. *Maximus* ſolus Occident. Quinquennalia Juſtini Imperatoris, quæ oſtendunt quod habet

Cedrenus hoc anno: *Auguſtali Corona Theodoram uxorem ſuam ornavit, quam mortua Euphemia duxerat.* Addit multos Manichæos ſuppliciis affeciſſe, quare recte Baronius in Annalibus num. XIII. ad hunc annum refert *l.* 12. *Codicis Juſtinianei de hæreticis & Manichæis* nullis Conſulibus ſubſcriptam quam idem Imperator adverſus Hæreticos & infideles promulgavit, qua undique Manichæi expelluntur, & capite puniuntur.

514. *Juſtinus Aug. II. & Opilio*, Juſtinus Anaſtaſii exemplo, anno Imperii ſeptimo Conſulatum cepit, qua de re ſuo loco actum. Quinta Quinquennalia prioris Theodorici in Italia Imperii, quæ oſtendit dedicatio Baſilicæ Beatæ Mariæ Arelatis ædificatæ hoc anno peracta in Concilio Provinciali Epiſcoporum in eadem urbe ob id coactorum.

525. *Probus Junior* Occident. & *Philoxenus*.

526. *Olybrius* ſolus, Occident. Die triceſima Auguſti Theodericus Italiæ Rex e vivis exceſſit, de cujus morte & duplici Epocha, vide quæ diximus in hac tertia parte, cap. 2, n. XV. cui hoc addendum, Anonymum a Valeſio editum teſtari Theodoricum dum Ravennam, in qua clauſus erat Odoacer Rex, obſideret, legationem ad Xenonem Imperatorem miſiſſe, *ab eodem ſperantem veſtem ſe induere Regiam*. Tum anno 493, occiſo Odoacre, quod *poſt Idus Julias* factum docet, *Gothi ſibi confirmaverunt Theodoricum Regem non expectantes juſſionem novi Principis*, inquit idem Anonymus; quod hactenus ignoratum fuerat, Ex dictis porro liquet duplicem Theodorici epocham, dupliciaque Decennalia & id genus feſta legitimis fundamentis innixa eſſe.

IV. *Imperium Juſtiniani.*

527. *Mavortius* ſolus, Occident. Juſtinus Kal. Aprilis Juſtinianum ſororis ſuæ filium Imperii participem facit, ipſeque Kal. Auguſti deceſſit, quod magis infra explicabitur. Ea porro Juſtiniani nuncupatio oſtendit eum hoc anno ante mortem Decennalia celebraſſe.

528. *Juſtinianus Aug. II.* ſolus, juxta I. Regulam.

529. *Decius* ſolus, Occident. Hoc anno Arauſione in Gallia, quæ urbs ad Reges Italiæ pertinebat, celebratum adverſus Semipelagianos Concilium occaſione dedicationis Eccleſiæ illic a Liberio Præfecto ejus Galliarum partis, quæ Athalarico Gothorum Regi ſubjacebat, conſtructæ, propter cujus Encænia Epiſcopi convenerant. Quare cum ſuo loco oſtenderimus Theodoricum Italiæ Regem Decennalia celebraſſe, probabile eſt ejus ſucceſſores idem præſtitiſſe; ideoque hoc anno Athalaricum Quinquennalia anno uno antevertiſſe. Advertendum porro in reliquis Occidentis partibus, in quibus Imperium Romanum defecerat, dedicationes Eccleſiarum & id genus alia quæcunque indiſcriminatim tempore paulatim acta fuiſſe, idemque poſtea in Oriente factum. Qua de re plura inferius.

530. *Lampadius*, & *Oreſtes*, ambo Occident.

531. *Poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis*. Tam Oriens enim quam Occidens hoc anno ſine Conſulibus fuit. Quinquennalia Juſtiniani, quo referendum illud a Marcellino in Chronico ſcriptum: *His Coſſ. Codex Juſtinianus orbi promulgatus eſt*. Sicut enim Codex Theodoſianus in anno hujuſmodi ſolemniis dicato, ita & Juſtinianeus publicatus.

532. *Iterum, ſeu anno ſecundo poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis*.

533. *Juſtinianus Aug. III.* ſolus. Is Anaſtaſii & Juſtini exemplo ſeptimo Imperii anno Conſulatum edidit: cujus arcani cauſa adhuc ignota, ut ſuo loco diximus.

534. *Juſtinianus Aug. IV. & Decius Theodorus Paulinus*. Is ultimus Occidentalium Conſulum fuit, bello Gothico ne deinceps alii crearentur prohibente. Ultimus & hic Cæſareorum Conſulatuum ordinariorum, qui a Juſtiniano ſumptus eſt ob bellum Vandalicum anno elapſo cœptum, currentique confectum: quo & Beliſarius, cui illud commiſſum fuerat, antiquorum Imperatorum more triumphavit, ut docet Theophanes in Chronico hoc anno, & Baronius in Annalibus explicat n. 53. hujus etiam Conſulatus occaſione factum, quod Auctor Chronici Alex. ſcribit: *His Coſſ. Juſtinianus Codex renovatus eſt, adjunctis novis, poſt priorem Codicem Conſtitutionibus, juſſuſque eſt antiquato priore ſuam obtinere vim ſive auctoritatem IV. Kal. Jun. Indict. XII.*

535. *Fl. Beliſarius* ſolus in Oriente, juxta V. Regulam, ut dictum eſt capite 9. num. IX. In poſterum bello Gothico prohibente Conſules primo in Occidente creari deſiti, mox Occidentis exemplum Orientales quoque ſequuti ſunt. Quo factum eſt, ut Era Dionyſiana nuper a Dionyſio Exiguo propoſita facilius admiſſa fuerit, vireſque eundo acquiſierit, quam, ſi Conſulatus viguiſſet, magnam paſſam fuiſſe contradictionem non dubitandum.

536. *Poſt Conſulatum Beliſarii*.

537. *Poſt Conſulatum Beliſarii II.* id eſt, *anno ſecundo*. Decennalia Imperatoris Juſtiniani, quorum index quæ ſcribit Marcellinus in Chronico: *Eccleſia major Conſtantinopoli ab Imperatore Juſtiniano ſingulariter in mundo conſtructa dedicatur die V. Kalend. Januarias*. Qua de re videndus etiam Theophanes. Referenda & ad hæc ſolemnia Novella Conſtitutio, quæ inter Græcas eſt 47. hoc anno die nona Kalend. Julii. Qua Juſtinianus ſancivit: *in omnibus inſtrumentis in primis pone annum Imperatoris, poſt Conſules, tertio loco Indictionem, & inde menſem ac diem*,

V. *Imperium Juſtiniani a Decennalibus ejus uſque ad mortem.*

538. *Joannes* ſolus, Orient. Aliqui tamen huic Collegam adjungunt Voluſianum, eo quod Epiſtola Vigilii ad Eutherium, quæ tom. 5. Concil. pag. 314. refertur, dicitur *data Kalendis Martiis Voluſiano & Joanne viris Clariſſimis Coſſ.* in quibuſdam editionibus loco *Voluſiani* ſcribitur, *Vuoliſiaris*, Sed utrobique male; immediate enim poſt eam Epiſtolam refertur alia ejuſdem Pontificis ſexto poſt die ad Cæſarium Epiſcopum Arelatenſem *data pridie Nonarum Martiarum Joanne Viro Clariſſimo Conſule*, quæ ſubſcriptio Voluſiani nomen in præcedentem intruſum fuiſſe oſtendit: quam etiam ob rem non tantum Marcellinus, & Marius Aventicenſis ſolum Joannem Conſulem edunt, ſed is etiam ſolus in variis Juſtiniani Reſcriptis apud Julianum anteceſſorem ejuſque Novellis legitur. Quare perperam Onuphrius lib. 3. Faſtorum ſcribit Voluſianum hoc anno ſuffectum fuiſſe, ejuſque mentionem eſſe in Codice Juſtinianeo; nam per hæc tempora Conſules ordinarii annui erant, nullaque in Codice Juſtinianeo hujus Voluſiani mentio, qui, ſi Conſul, non niſi honorarius fuit.

539. *Appio* ſolus, filius Strategii in Oriente:

540. *Juſtinus Junior* ſolus, Orient.

541. *Fl. Baſilius Junior*, qui noviſſimus privatorum fuit, qui Conſulatum ordinarium geſſerit, annoque nomen dederit. Quindecennalia Juſtiniani, quo referenda quæ ſcribit Theophanes: *occurſus Domini menſis Februarii II. celebrari cœpit*. Quod feſtum licet propter peſtem, quæ Byzantii graſſabatur, invectum; huc tamen etiam ſpectat.

542. *Poſt Conſulatum Baſilii*.

543. *P. C. Baſilii II.*

544. *P. C. Baſilii III.*

545. *P. C. Baſilii IV.*

546. *P. C. Baſilii V.*

547. *P. C. Baſilii VI.* Hieronymus Rubeus in hiſtoria Ravennatenſi lib. 3. ſcribit *anno poſt Conſulatum Baſilii ſexto Indictione X.* Eccleſiam S. Vitalis dedicatam fuiſſe, iiſque ſolemniis Juſtinianum Imperatorem, & Theodoram Auguſtam

in-

Digitized by Google

interfuiſſe. Alemannus in Notis ad Hiſtoriam Arcanam Procopii cap. 9. utrumque tunc minime in Italia fuiſſe recte obſervavit, ſed non ideo hæc Enezenia hoc anno facta, negari poteſt; cum nec Rubeum nec a quibus accepit, Eccleſiarum dedicationes per hæc tempora, annis in quos Imperatorum Vicennalia & id genus feſta incidebant, celebrari conſuetum fuiſſe, obſervaſſe certum ſit. Licet porro Juſtinianus in annum ſequentem Vicennalia diſtulerit, non ideo tamen templorum dedicationes, ſimiliave omiſſa, ut jam ſupra a nobis animadverſum.

548. *P. C. Baſilii VII.* Hoc tantum anno Juſtinianum Vicennalia celebraſſe, horum ſolemnium indicia oſtendunt; in calce enim Regulæ S. Aureliani Epiſcopi Arelatenſis, quæ in Codice antiquarum Regularum ab Holſtenio V. C. in lucem editarum legitur, habetur: *in Chriſti nomine fundatum eſt Monaſterium virorum Dei in Civitate Arelatenſi a S. Aureliano Epiſcopo, jubente ſanctæ memoriæ Childeberto Rege Francorum, quinto decimo Kalendas Decembris, Indictione XI. anno quinto poſt Conſulatum Baſilii Junioris V. C.* (legendum anno ſeptimo, qui cum indictione XI. concurrit) *& Baſilica ibidem in honorem ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum.* Illudque monaſterium, cujus hodie nullum veſtigium extat hoc anno fundatum fuiſſe, patet ex verbis S. Florentini ſepulcro, quod Arelatis in Eccleſia S. Crucis extat, inſcriptis: *Primus præfuit S. Florentinus Abbas Monaſterio noſtro per annos V. qui vixit annis PL. M. L. obiit Prid. Id. April. duodecies P. C. Baſilii V. C. Junioris Indict. 2.* Id eſt anno Chriſti 553. a quo ſi per annos quinque retrocedas, ad præſentem pervenies. Porro ex Indictione undecima ſuperius memorata conſtat viros eruditiſſimos non raro antiquas ſubſcriptiones corrupiſſe, aut perperam explicaſſe, quod exiſtiment hoc ſæculo indictiones non niſi a Septembri cœptas fuiſſe, quod præfatum exemplum ſicuti & aliud parte 3. cap. 2. n. XIII. allatum errare convincunt. Eadem Vicennalia in hunc annum dilata fuiſſe diſcimus etiam ex Theophane, qui ait menſe Aprili Ludos Circenſes celebratos fuiſſe, additque: *Julii menſis die vigeſimo octavo tertia feria ſanctorum Apoſtolorum ædis facta eſt conſecratio, & ſanctarum Reliquiarum Andreæ, Lucæ, & Timothei, qui ſancti Apoſtoli, depoſitio. Epiſcopus vero Menas una cum ſanctis Reliquiis progreſſus eſt vehiculo aureo Imperatorio gemmis exornato veſtitus: tres autem ſanctorum Apoſtolorum geſtabat loculos ſupra genua: atque ita dedicationem celebravit.* Quam dedicationem, Reliquiarumque tranſlationem in annum 552. perperam Baronius conſignat.

549. *P. C. Baſilii VIII.*

550. *P. C. Baſilii IX.*

551. *P. C. Baſilii X.* Quinta Quinquennalia Imperatoris Juſtiniani, ut oſtendunt quæ Theophanes hoc anno habet: *Hoc anno, menſe Septembri indictione decima quinta Syſtis, trans Urbis Regiæ portum ſanctæ Irenes dedicatio peracta: comitantibus vero duobus Patriarchis, Mena CP. & Apollinario Alexandriæ e magna Eccleſia ſanctæ Reliquiæ proceſſerunt. Sedebant autem illi in Imperatoris curru ſanctas Reliquias genibus appoſitas ſuſtentantes. Ad lemborum itaque ſtationem venerunt & tranſitientibus portum occurrit Imperator. Solemni itaque ritu ſanctæ Irenes Eccleſiam aperuerunt. Eodem anno Hebdomi portus repurgatus.*

552. *P. C. Baſilii XI.*

553. *P. C. Baſilii XII.*

554. *P. C. Baſilii XIII.*

555. *P. C. Baſilii XIV.*

556. *P. C. Baſilii XV.*

557. *P. C. Baſilii XVI.* Tricennalia Juſtiniani, qui cum Conſtantinopolis repetito terræ motu, qui hoc anno contigit, tota fere collapſa fuiſſet, plurima ædificia, præcipueque ſacra reædificavit, inter quæ præcellentiſſimi ſanctæ Sophiæ templi, uti ex Agathia & Procopio de ædificiis Juſtiniani lib. 1. oſtendit hoc anno Baronius.

558. *P. C. Baſilii XVII.*

559. *P. C. Baſilii XVIII.*

560. *P. C. Baſilii XIX.*

561. *P. C. Baſilii XX.*

562. *P. C. Baſilii XXI.*

563. *P. C. Baſilii XXII.* Septima Quinquennalia Juſtiniani Imperatoris, uno anno dilata; Auctor enim Chronici Alexandrini hoc anno ſcribit: menſe Apellæo, ſive 24. Decembris ſecundum Romanos prima die Indictionis XII. feſtum dedicationis S. magnæque Dei Eccleſiæ Conſtantinopoli ſecundo celebratum eſt.

564. *P. C. Baſilii XXIII.*

565. *P. C. Baſilii XXIV.* Hoc anno die decima quarta Novembris Juſtinianus Imperator ſupremum diem obiit, eique Juſtinus Junior ſucceſſit, quod infra certis adeo argumentis oſtendam, ut non putem fore in poſterum qui ejus mortem, ut plerumque fit, in annum ſequentem differat.

566. *P. C. Baſilii XXV.* Atque hic Poſtconſulatus Faſtis Conſularibus Romanis ſæpius relegendis finem facit. Ex tot Conſulatibus Cæſareis ſunt aliqui quorum nullam, alii quorum forſan non veram cauſam expreſſimus, alia quoque Decennalia, aut id genus feſta extra annos quibus acta, forte conſignata. Sed meminerit verum illud eſſe quod vulgo dicitur, *nihil inventum ſimul & perfectum.*

Supereſt ut quo tempore hæc fieri deſierint, inveſtigemus; qua in re obſervatu dignum Marcellinum, ſeu ejus Continuatorem & Auctorem Chronici Alexandrini, qui aliquando eorum ſolemnium mentionem fecere, poſt Theodoſii Junioris tempora de iiſdem tacuiſſe, imo & ea in numiſmatis adſcribi deſiiſſe, licet Majoriani nummum, in quo legitur VOTIS MULTIS, aliumque Juſtiniani a Dufreſnio in Diſſertat. de numiſmat. inferioris ævi n. 42. allatum, in quo legitur: VOT MULTHTI ad hujuſmodi ſolemnia referendos eſſe dubitandum non videatur. Poſt Theodoſium itaque Juniorem ea in numiſmatis valde imperfecte ſculpta, & uti conjicere licet, minori pompa & apparatu acta; tum Juſtiniani tempore donativum ſingulo quinquennio ab Imperatoribus militibus ſolvi ſolitum, abrogatum eſt, ut docet Procopius in Hiſtoria arcana cap. 24. νόμος ἦν ἀνὰ πενταετηρίδα ἑκάστην τὸν βασιλέα τῶν στρατιωτῶν ἕκαστον δωρεῖσθαι χρυσίῳ ῥητῷ τιμῶντας. ἀνὰ πενταετηρίδα πανταχόσε τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς παρείχοντο στατῆρας χρυσοῦς στρατιώτῃ ἑκάστῳ πέντε. καὶ τοῦτο ἐξ ἀεὶ οἱ μὲν πρακτῆρες ἀεὶ μηχανῇ πάσῃ ἐξ οὗ δὲ ἀνὴρ ὅδε διῳκήσατο τὴν πολιτείαν τοῦτο οὐδὲ ὅτι διαπράξειτο ἔτι ἐμηχανᾶτο καίπερ χρόνου δύο καὶ τριάκοντα ἐνιαυτῶν τρίψαντος, ὥστε καὶ λήθην τὸ ἔργον τοῦτο τοῖς ἀνθρώποις γενέσθαι, quæ verba ſic Alemannus vertit: *ex priſca lege Imperator Quinquennali donativo, certaque auri ſumma exercitum proſequi conſuevit. Ergo per Urbes Romanæ ditionis quinto quoque anno Quæſtores mittebantur, qui ſingulis militibus ſtateres aureos quinque penderent; idque rato inviolatoque uſu receptum erat. Ex quo vero ad Rempublicam Juſtinianus acceſſit* [*inde duo & triginta excurrunt anni*] *ita hujus rei curam abjecit, ut ejus pene ceperit mortales oblivio.* Priora verba male vertit Alemannus, ea quæ Imperatorem reſpiciunt, ad donativum referens. Sic itaque vertenda, *mos erat Imperatorem per Quinquennalia militum quemlibet certo ſtatere aureo proſequi.* πενταετηρίδα enim Quinquennalia ſignificare jam ſuo loco oſtenſum. Procopius ita-

VI. *Sub quo Imperatore Decennalia fieri deſierint.*

que qui Hiſtoriam arcanam anno Chriſti 559. poſt Tricennalia nempe Juſtiniani ſcripſit, teſtis eſt hunc, donativum militibus in Quinquennalibus fieri conſuetum aboleviſſe, qui ſi Quinquennalia ipſa aliaque id genus feſta idem Juſtinianus abrogaſſet, illud non prætermiſiſſet, cum eum qualibet data occaſione in rerum novatarum vituperationem adducat, & cap. XI. ſcribat eum, ubi imperio potitus eſt, *extemplo omnia miſcere cœpiſſe, ac quæ conſuetudine obtinuiſſent, hæc interdiceret, quaſi Imperatorium paludamentum induiſſet, ut aliam rebus faciem induceret*. Quare exiſtimo Juſtinum Juniorem ſicut Conſularem dignitatem in privatis, ita & in Imperatoribus hujuſmodi ſolemnia abrogaſſe, eaque ad illum uſque perſeveraſſe.

VII. *Veſtigia quædam Decennalium.* Eorum tamen veſtigia quædam non ſolum eodem Juſtino imperante, ſed & diu poſt remanſere; anno enim Chriſti 569. quo quintus Imperii Juſtini annus cœpit, *in ſuburbano, quod ante ſuſceptum Imperium poſſidebat, palatium cœpit extruere: & in Principis Inſula, quæ ejus pariter erat, ſuburbanum aliud erexit ad portum: nec non ſanctorum mercede non conductorum ad Darii regionem. Ad hæc publicum Tauri balneum a ſe reparatum de conjugis Sophiæ nomine Sophianus nuncupavit,* inquit Theophanes in Chronico. Tum anno 574. quo decimus Imperii ejus annus cœpit, Tiberium adoptavit ac Cæſarem renuntiavit, &, ut ait idem Theophanes, *magnum Aquæductum a Valente conſtructum reparavit, & aquarum copiam Urbi*. Mauricius, qui anno 582. imperare cœpit, anno quinto Imperii, uti docet idem Theophanes, operi publico nomen ſuum poſteritati commendare voluit; *ædificavit porro Mauricius ad Blachernas Carianam Porticum, cunctaque a pueris ad ſuſceptum uſque Imperium a ſe geſta Pictorum arte in ea deſcripſit: & publicum quod hic habebatur, balneum abſolvit*. Rurſus anno Chriſti 596. quo decimus quintus Imperii ejus annus inchoatus eſt, *Solarium Magnauræ condidit Imperator, ſuamque ſtatuam ad medium atrium erexit, ibidemque poſuit armamentum*, inquit idem Theophanes. Imo anno 591. in quem decimus Imperii ejus annus incidit, S. Gregorius Pontifex Romanus dedicationem aliquarum Eccleſiarum fieri conceſſit, quod minime fas eſſet inconſulto Romano Pontifice Eccleſias in Occidente dedicare, ut videre eſt, in Annalibus Baronii eodem anno num. XXIV.

VIII. *Veſtigia alia Decennalium.* Leo Iſauricus, qui anno 716. Imperium ſuſcepit, anno 720. quo quintum ejuſdem Imperii annum ingreſſus eſt, filium Conſtantinum Imperatorem coronavit, & Irenes Imperatrix, quæ anno 780. cum Conſtantino filio imperare cœpit, anno 784. Indictione VII. quo quintus Imperii ejus annus cœpit, *Berrhœam reparari juſſam Irenopolim appellavit*, ut teſtis eſt Theophanes. Ad veterem morem Leonem etiam Quartum Romanum Pontificem reſpexiſſe exiſtimo, cum abſoluta, quam cœperat, nova civitate, eam anno 852. quo ſextus Pontificatus annus cœpit, ſolemni ritu Deo dicavit, & Leoninam a ſuo nomine dixit, ut videre eſt apud Baronium eodem anno num. I. eo quoque ſpectavit Alexander Secundus Pontifex Romanus, qui anno 1061. Kalendis Octobris ad Pontificatum evectus eſt, is enim anno 1071. Kalendis Octobris, quibus undecimus Sedis ejus annus inchoatus eſt, dedicavit novam Baſilicam ſancti Benedicti, a Deſiderio Abbate Caſſinenſi & Cardinali erectam in monte Caſſino; quæ quidem, uti obſervat Baronius eodem anno num. I. celeberrima omnium dedicatio fuiſſe reperitur, præſente Pontifice Romano cum omnibus Cardinalibus, qui Romæ aderant, & Archiepiſcopis decem atque Epiſcopis quadraginta tribus, pluribuſque inſuper Principibus atque Magnatibus. Præterea Cremonenſes, Mediolanenſes ac Placentini anno 1168. Alexandriam in Inſubria condiderunt, cui ob Beati Petri & Alexandri Tertii ſummi Pontificis reverentiam Alexandriæ nomen indiderunt, annoque ſequenti Conſules ejus eam eidem Alexandro, & per eum Eccleſiæ Romanæ in jus & proprietatem obtulere, ut videre eſt apud Baronium anno 1168. num. 65. Alexander tertius anno 1159. menſe Septembri Hadriano Quarto Papæ ſucceſſerat. Ea itaque civitas anno decimo Alexandri Tertii ineunte conſtitui cœpta, eoque exeunte Eccleſiæ ſubjecta. Hujus enim Pontificis annos non ab anno 1160. ut perperam Baronius, ſed a præcedenti auſpicandos eſſe jam viri eruditi monuerunt. Denique S. Henricus Imperator hujus nominis Secundus, qui anno milleſimo ſecundo ad eam dignitatem evectus eſt, cum Eccleſiam Bambergenſem conſtruxiſſet, anno milleſimo undecimo, quo decimus ejus Imperii exorſus, cœtum pluſquam triginta Epiſcoporum ad eam dedicandam convocavit, cujus occaſione celebrata ab iiſdem fuit Synodus Bambergenſis dicta, ut recitat Baronius eodem anno, num. I. quæ omnia caſu eveniſſe non arbitror, cum certum ſit prioribus Eccleſiæ ſeculis Encænia Eccleſiarum, & Urbium hujuſmodi annis peracta fuiſſe. Illud valde mirum mihi accidit, quod ea traditio tamdiu conſervari potuerit, nullo libro qui extet, aut quem ſaltem legerim, hujuſce antiquæ conſuetudinis mentionem faciente. Et hæc, quæ dicebam, Decennalium & id genus feſtorum quæque hucuſque in tenebris ſepulta fuerant, veſtigia.

PARS

PARS TERTIA.

De perpetuis Imperatorum Orientalium Conſulatibus.

Quia in Faſtis Byzantinis, quos in ultima hujus Diſſertationis parte explicandos aggredimur, Imperatores Orientis ſine Collega Conſules ſemper exhibentur, & modo poſt primum, modo poſt alterum Imperii eorum annum, Poſtconſulatus numerari incipiunt, ad faciliorem dicendorum intelligentiam de dimidiatis Conſulatibus, & Poſtconſulatibus, qui ante Faſtos Byzantinos introductos in uſu fuere, prius nobis agendum. Utrique ſiquidem Juſtino Juniori fundamentum præbuere novæ Faſtorum formæ inducendæ, poſterioribus ex iis, quæ præceſſere mutuari aliquid ſolitis.

CAPUT PRIMUM.

De Conſulatibus Dimidiatis a Conſtantino Magno ad Juſtinum Juniorem in Actis Publicis ſæpe occurrentibus.

I. *Qui priores ſine Collega Conſules fuerint.*

Conſulatus dimidiatus is eſt, qui Conſule ſine Collega conſtat, quod Magiſtratus genus anno Urbis conditæ 702. initium anno dare cœpit. Eo enim cum diu Comitia protracta eſſent, ideoque ſingulis ferme diebus cædes perpetrarentur, *Senatus in Pompejum intentus erat, quaſi jam jam Dictatorem futurum, quod remedium res ipſa poſtulare videbatur. Id Cato diſſuadens traduxit Patres in ſuam ſententiam, ut eum Conſulem abſque Collega facerent: ut poteſtatem quidem Dictatoriam haberet ſolus res moderans, rationi tamen reddendæ eſſet obnoxius more Veterum. Hic primus Conſulum ſolus creatus.* Ita Appianus Alexandrinus lib. 2. de Bello civili, cui ſuffragatur Dio libro 40. hujus rei nullum poſtea exemplum viſum, niſi poſtquam Conſtantinus Magnus Imperium ſuſcepit. Cum enim tunc Orbis Romanus a pluribus Imperatoribus eodem tempore imperantibus, iiſdemque inter ſe diſcordibus regeretur, Maxentius qui in Italia imperabat, anno 310, rurſumque anno 312. Conſul ſine Collega proceſſit, & in reliquo Imperio Galerius Maximianus anni 311. initio Conſulatum ſolus edidit. Et quidem de Maxentio nulla difficultas eſſe poteſt; at non ita de Galerio Maximiano. Noriſius enim Diſſertat. de numiſmate Licinii cap. primo ex eo quod anno 311. idem Maximianus VIII. & Licinius a Caſſiodoro & Victorio Aquitano Conſules ordinarii proponuntur, Licinium non minus quam Maximianum Kalendis Januariis eam dignitatem iniiſſe arbitratur; quod & ex Edicto in favorem Chriſtianorum eo anno ab eodem Maximiano emiſſo, in quo Licinius diſerte inſcribitur Conſul, confirmatum cenſet. Verum enim vero verba, quæ in Catalogo veterum Pontificum ab Henſchenio in lucem edito leguntur, clariora ſunt, quam ut res hæc in dubium vocari poſſit; *Miltiades*, ait Auctor Anonymus ejuſdem Catalogi, *ſedit annos 3. menſes 7. dies 8. ex die VI. Nonas Julias a Conſulatu, Maximiano VIII. ſolo; quod fuit menſe Septembri Voluſiano & Rufino* (in Italia nempe, ubi hos Maxentius Imp. Conſules deſignarat) *uſque in III. Idus Januarii Voluſiano & Anniano Conſulibus*, qui anno 314. Conſules ordinarii fuerunt. Galerius itaque ipſo anni initio Conſul ſolus proceſſit, ac paulo poſt, Licinium Imperatorem Collegam habuit. Is enim, ſicuti Galerius in præfato Edicto ab Euſebio lib. 8. cap. 17. relato, & poſt ultimum Februarii diem ejuſdem anni 311. emanato, Conſul appellatur. Imo Kalendis Maiis ejuſdem anni Galerius jam ſibi alterum Collegam adſciverat, Galerium nempe Maximinum Imperatorem, ut alias oſtendimus ex Lactantio libro de Mortibus Perſecutorum. Quod porro Galerius anni initio nondum Collegam habuerit, ab Onuphrio, Calviſio, ac Goltzio perperam exiſtimatum, Licinium anno 315. Conſulatum tantum ſuffectum geſſiſſe. Nam poſtquam Conſtantinus ad Imperium evectus eſt, multoque magis poſt Imperii diviſionem Valentiniani & Valentis Impp. tempore factam ſæpius contigit, ut Conſules ordinarii longe poſt Kalendas Januarias magiſtratum inierint, quos nullus tamen ſuffectos tantum Conſules appellabit. Nihilo tamen minus quis ejuſdem Galerii Maximiani Conſulatu hoc primum viſum eſt, ſumpta inde anſa ab aliquibus exiſtimandi Licinium Conſulatum tantum ſuffectum geſſiſſe. Qua in ſententia fuiſſe videtur Divus Auguſtinus libro poſt Collationem cap. 33. ubi tertium Conſtantini Magni Conſulatum cum ſecundo Licinii conjungit, cum tamen uterque anno 313. ter Conſul neceſſario dicendus fuerit, ſi anno 311. Licinius Conſul ordinarius proceſſit. Contra vero Licinius iterum Conſul tunc dici potuerit, ſi anno 315. Conſulatum tantum ſuffectum geſſit, cum hujuſmodi Conſulatuum nulla plerumque ratio habita ſit. Sed hac de re jam ſupra ſatis actum. Denique cum in Fragmento Conſulari a Bucherio edito idem Maximianus cum particula excluſiva, ſicuti in Catalogo veterum Pontificum laudato legatur hoc modo: *Maximiano VIII. ſolo*, eum anno 311. Kalendis Januariis ſolum Conſulem proceſſiſſe minime dubitandum.

II. *Prima ratio cur unicus Conſulis nomen in Actis publicis ſcriberetur.*

Unicus porro Conſul publicis Actibus inſcribebatur, Primum quando propter bella, aut alias rationes capite ſequenti referendas, Collega ejus in alia Imperii parte deſignatus non fuerat, aut de ejus deſignatione nuncium nondum pervenerat. Tunc enim ſi in Occidente v. g. Conſul Orientalis ignoraretur, ſolius Occidentalis nomine Acta conſignabantur, addita etiam non raro hac formula, *& qui nunciatus fuerit*, ſicuti videre eſt in Novella tertia Theodoſii Junioris *de Judæis, Samaritanis, Hæreticis, & Paganis* data anno 439. quæ hoc modo ſubſcribitur: *dat. prid. Kal. Febr. Theodoſio A. XVII. Coſ. & qui fuerit nunciatus*. Nam anni exordio alterutrius Conſulis nomen ſæpe ignoratum fuiſſe certum eſt; quam in rem facit egregius Syneſii locus, qui in Epiſtola 132. ait: λέξις· *τρίτον ἐπὶ τοῖς ἐναγχος ὑπάτοις ὧν ἅτερος, ἐστιν Ἀρισταίνετος, τὸν γὰρ συνάρχοντα ἀγνοῶ*, id eſt, *modius tertius novis Conſulibus, quorum alter eſt Ariſtænetus, Collegam enim ignoro*. Cadit is Conſulatus in annum Chriſti 404. quo Honorius Imperator VI. Conſul in Occidente fuit, cujus deſignatio a Syneſio cum eam eo anno in Oriente ſcriberet Epiſtolam, ignorabatur. Quibus in verbis explicandis hæſit Petavius, qui Syneſii Opera notis illuſtravit. Ait enim in iiſdem: *etenim Conſularis honos principalis faſtigio velut ſydus lumine ſolis abſconditur*. Quæ explicatio, ut optime obſervat Alemannus in notis

notis ad 16. caput Hiſtoriæ Arcanæ Procopii, a Syneſii mente aliena eſt. Nihil ſiquidem aliud ſignificat, quam Ariſtæneti Conſulis Orientalis Collegam ſe ſe hactenus neſcire, quidquid dicat idem Petavius in ſecunda operum ejuſdem Syneſii Editione ad præfatam explicationem tuendam, Alemannumque confutandum.

III. II. & III. ratio cur unici Conſulis nomen ſcriberetur. Secundo quandoque inter Imperatorem Orientis & Occidentis conveniebat, ut unicus tantum Conſul crearetur. Quo tempore in Actis publicis particula excluſiva apponi non ſolebat, uti videre eſt in Codice Juſtinianeo, ubi ea nunquam legitur, ſicuti nec apud Caſſiodorum, ac Proſperum, licet Continuator Marcellini, aliique quidam eam addere ſoleant hoc modo: *Cyro ſolo Coſ.* anno nempe Chriſti 441. Tertio quando alterutrius Conſulis nomen e Faſtis eradebatur, quod anno 399. contigit, unde Proſper in Chronico eo anno habet: *Mallio Theodoro Coſ. cum hoc Conſulatum inierat Eutropius Eunuchus, qui mox honore & vita exutus eſt.* Solius itaque Theodori Eutropii Collegæ nomen publicis Actis adſcriptum eſt. Tuncque aliquando bis idem Conſul nomine ſcilicet & prænomine exprimebatur, v. g. Mallius & Theodorus, quo pacto hujus anni Conſulatum Caſſiodorus & Idatius in Faſtis edunt. Qui modus bipartiendi Conſulatus ab inferioris ævi Scriptoribus aliquando uſurpatus legitur, etiam quando integer erat. Sic Alcuinus libro de Divinis Officiis cap. primo, ait Chriſtum natum eſſe *Sulpicio & Camerino Coſſ.* anno nempe Eræ Dionyſianæ nono, cum dicere debuiſſet, Poppæo Sabino & Sulpicio Camerino Coſſ. Addit baptizatum *Valeriano & Aſiatico Coſſ.* anno ſcilicet ejuſdem Eræ quadrageſimo quinto, loco *Valerio Aſiatico & Meſſala Coſſ.* Propter quæ, ſimiliaque Mabillonius tomo primo ſeculi quarti Benedictini in vita ejuſdem Alcuini pag. 145. illud opus Alcuino abjudicat, licet nihil inde ad eam rem concludi poſſit, cum Georgius Syncellus ſcriptor coætaneus, quando de Natali & Morte Chriſti agit, utrumque Conſulatum eodem modo ac Alcuinus diſpartiatur.

IV. IV. & V. ratio. Quarto unius tantum Conſulis nomine Acta ſignata quando is illuſtris erat; quod in Inſcriptione Narbonenſi capite ſequenti referenda factum exiſtimo. In ea enim ſolius Valentiniani nomen legitur, non vero Nomi ejus in ſexto Conſulatu anno 445. geſto Collegæ, licet ea ſub finem anni dedicata fuerit. Quinto ex mero uniuſcujuſque arbitrio pendebat, vel uno tantum, vel duobus Conſulibus ordinariis ſcripta publica conſignare. Epiſtolæ Divi Leonis Papæ 24. & 25. juxta Queſnelli viri doctiſſimi editionem conſignatæ ſunt *Calepio* (ſeu Alipio, utrumque enim indiſcriminatim legitur) & *Ardabure Coſſ.* Epiſtola 26. data eſt XII. Kal. Novembris iiſdem etiam Conſulibus, anno ſcilicet Chriſti 447. & tamen Epiſtola 27. poſtridie data hanc habet ſubſcriptionem: *data XV. Kal. Novembris Alipio V. C. conſ.* Præterea Epiſtola 128. ejuſdem Pontificis hoc modo notatur: *data quinto decimo Kal. Aprilis Leone & Majoriano Coſſ.* id eſt, anno Chriſti 458. Et tamen epiſtola 129. aliquot poſt dies data, ita ſubſcribitur: *dat. XII. Kal. Aprilium Majoriano Auguſto primum Conſule.* Tum epiſtolæ 130. & 131, eadem die datæ ita conſignantur, *Leone & Majoriano Auguſtis Coſſ.* Ex quibus patet ex mero privatorum arbitrio pendiſſe vel unius, vel utriuſque Conſulis nomine Acta conſignare, quod ſolo uſu introductum videtur. Initio enim ob alterius Conſulis ignorationem unius tantum nomine Acta notare licebat; cumque frequenter ea ignoratio contingeret, primis anni diebus aut menſibus, paulatim factum, ut modo utriuſque, modo unici Conſulis nomine inſtrumenta publica ſubſcripta fuerint.

V. VI. Ratio. Sexto licet utriuſque Conſulis deſignatio nota eſſet, ſæpe tamen Acta unius tantum nomine conſignabantur, addita hac particula, *& qui nunciatus fuerit*, quæ paſſim in Codice Theodoſiano, alibique legitur, licet is jam nominatus fuiſſet, eaque nominatio innoteſceret. Illuſtre hujus rei exemplum ex Actis Concilii Chalcedonenſis anno Chriſti 451. Marciano Auguſto, & Adelphio Conſulibus, celebrati deduco: prima enim ejus Actio his verbis inchoatur: *in nomine Domini Jeſu Chriſti, Conſulatu piiſſimi & amatoris Chriſti Imperatoris Flavii Marciani perpetui Auguſti, & ejus qui fuerit declaratus, ſub die octava Idus Octobris, indictione quarta.* Sequentes Actiones iiſdem verbis notatæ, niſi quod in quibuſdam formula illa, *& qui fuerit declaratus*, omittitur. Et tamen neque Conſtantinopoli, neque Chalcedone Adelphium Romæ Conſulem deſignatum fuiſſe, ignotum eſſe non potuit. Hoc enim anno quatuor Epiſtolas Adelphii Conſulatu notatas ad Marcianum Auguſtum qui Concilio interfuit, S. Leo Pontifex Romanus jam ſcripſerat, qui & alias ad Pulcheriam, ad Anatolium Patriarcham Conſtantinopolitanum, ad ipſam Synodum Chalcedonenſem, privatoſque quoſdam miſit Adelphio Conſule ſubſcriptas. Præterea legatos, quos idem Pontifex ad Synodum miſit, Adelphii deſignationem Marciano & Epiſcopis retuliſſe certum; & nihilominus Concilii Acta ſolius Marciani Conſulatu conſignata ſunt, addita formula, quæ videtur indicare Conſulem Occidentalem in Oriente tunc ignoratum fuiſſe. Imo epiſtola quam Valentinianus & Marcianus Auguſti S. Leoni ſcripſere, qua de fide apud Chalcedonem roborata gratulantur, ipſo eodem anno exeunte data, his verbis ſubſcribitur: *dat. XV. Kal. Januarii D. N. Marciano PP. Aug. & qui fuerit nominatus, Conſulibus.* Et tamen libro primo Codicis Juſtinianei, titulo undecimo *l. 7. de Paganis & ſacrificiis & templis*, antea ab iiſdem Imperatoribus emiſſa ita notatur: *dat. prid. id. Novemb. Marciano A. & Adelphio Coſſ.* & eodem libro, titulo 12. l. 5. *de his qui ad Eccleſiam confugiunt.* Ab iiſdem Imperatoribus emiſſa, dicitur *dat. III. Id. Jul. Marciano A. & Adelphio Coſſ.* Ex quibus intelligimus, conſuetudinem tuliſſe, ut licet in Oriente Conſul Occidentalis notiſſimus eſſet, & viceverſa; Acta tamen publica unius Conſulis nomine, addita etiam hac formula, *& qui nunciatus fuerit*, ſæpe conſignarentur. Sicut autem, ut ſequenti capite dicemus, Concilium Epheſinum notatum fuit hac clauſula *poſt Conſulatum Theodoſii Aug. XIII. & Valentiniani Aug. III.* quia hi Conſulibus ordinariis, qui tantum privati, illuſtriores erant; ita & propter eamdem rationem, ſolius Marciani Auguſti Conſulatus mentio in Concilio Chalcedonenſi facta.

VI. D. Leo in temporariis notis exprimendis ſæpe ſtylum mutat. Harum obſervationum beneficio variæ difficultates enodari poterunt, quod brevitatis cauſa unico exemplo demonſtro. Epiſtola S. Leonis ad Neonam Ravennatenſem Epiſcopum, quæ in editione Queſnelli centeſima triceſima quinta ordine eſt, his verbis ſubſcribitur: *data nono Kal. Novembris Conſulatu Marciani Auguſti*, id eſt anno Chriſti 451. Contendit Queſnellus legendum eſſe *Conſulatu Majoriani Auguſti*, ſicque datam eſſe Epiſtolam anno 458. quo Majorianus Leone Auguſto Collega Conſulatum edidit, hæcque prima ejus ratio: *cum viginti*, inquit, *epiſtolæ Leonis anno 451. datæ etiam ſuperſint, nulla tamen alia Marciani Conſulatu annotata reperitur, omnes Adelphii Conſulatum ſcriptum habent. Quis igitur ſibi perſuadeat Leonem ſibi in omnibus, vel levis momenti rebus conſtantiſſimum poſt tot epiſtolas nomine Adelphii Conſulis inſignitas, ſtylum mutaſſe, & de Marciani nomine apponendo cogitaſſe? Quod enim de hujus*

An-

Digitized by Google

Auguſti Conſulatu in illis Epiſtolis non meminerit, non ex memoria lapſu, vel oſcitantia, caſuve aliquo contigiſſe credendum eſt: ſed potius putandum non ita fuiſſe in uſu per ejus Conſulatum tempora numerare, licet hujus omiſſionis ratio non appareret. Hoc & pro certo habendum nequaquam id a Leone omittendum fuiſſe, ſi uſus tuliſſet. præſertim cum omnes illæ Epiſtolæ in Orientem miſſæ ſint, & ad Orientales Epiſcopos datæ; imo ad Conſtantinopolitanum Antiſtitem, ad Julianum Coenſem, ad Pulcheriam Auguſtam, ad Synodum Chalcedonenſem, & ad ipſum Imperatorem Marcianum. Quibus conſideratis nemo ſibi ſuadebit unicam Epiſtolam poſt illas omnes ſcriptam, & ad Italiæ Epiſcopos miſſam, præter conſuetudinem decoratam fuiſſe Marciani nomine. Sed mirum eſt virum in libris Divi Leonis exercitatiſſimum non advertiſſe S. Pontificem in temporariis notis exprimendis ſæpe ſtylum mutaſſe. Præter enim ea quæ jam numero ſecundo obſervavimus, ex ejus Epiſtolis aliæ datæ ſunt ſine die, & Conſule, aliæ cum utroque, pluresque cum unico tantum Conſule. Ad hæc decem Epiſtolas Aetii, & Studii Conſulatu, qui in annum 454. cadit, notavit, & tamen undecima eodem anno data hanc formulam *poſt Conſulatum Opilionis*, anno ſuperiore 453. Conſulis præfert, rursumque duæ ſequentes, quæ ordine ſunt centeſima decima, & centeſima undecima, Aetii, & Studii Conſulatu notantur. Quare nihil præter morem ſuum egit S. Leo, quando poſt tot Epiſtolas Adelphii nomine inſignitas unam Marciani nomine decoravit, fruſtraque ad uſum contrarium, qui nullus fuit, recurritur. Divum Gregorium e ſucceſſoribus Leonis unum, in ſubſcriptionibus Epiſtolarum non minus variaſſe capite ſequenti videbimus.

VII. *Epiſtola D. Leonis vario modo ſubſcripta.*

Non magis firmum ſecundum ejus argumentum. *Quoties*, inquit, *unicum Conſulem in Epiſtolis ſuis Leo adnotavit, toties Occidentalem Conſulem, non vero Orientalem nominavit*. Ex quo deducit Epiſtolam ad Neonam non debuiſſe adnotari Marciani unius Conſulatu, *quod nimirum* ait: *Hæc eſſet tunc temporis conſuetudo, ut Occidentales Occidentalem, Orientales Orientalem Conſulem publicis Inſtrumentis inſcriberent*. Sed licet more communi, magiſque uſitato id fieret, nullo tamen modo, aut neceſſarium, aut aliqua lege cautum erat. Anno Chriſti 408. Joannes Scytha in Oriente, & Decius Paulinus in Occidente Conſules ordinarii fuere, & tamen uti legitur apud Onuphrium in Faſtis, Romæ in antiqua Tabula marmorea ſcriptum reperitur: JOANNE SCYTHA ORIENTALI CONS. Imo aliter fieri non poterat, quando uterque Conſul aut Orientalis, aut Occidentalis erat, aut quando unicus tantum Conſul nomen anno dabat. Quid mirum igitur, ſi S. Leo Marciani non ſolum Conſulis, ſed etiam Auguſti nomine, Epiſtolam ad Neonam ſubſcripſerit.

Dicit tertio Queſnellus numquam ita a Leone poſitam eſſe Conſularem notam, *Conſulatu*, ſed vel *Conſule*, vel *Conſulibus*, *ut alteram manum*, ſubjungit, *additam, nemo non videat*. At ſi hæc ratio valeret, plures temporis notæ ex Divi Leonis Epiſtolis tollendæ eſſent, ſicque eæ ſursdeque vertendæ. Epiſtola centeſima nona data dicitur *poſt Conſulatum Opilionis*, qua loquendi formula nulla alia ejus Epiſtola notata, Epiſtola centeſima viceſima nona data dicitur: *Majoriano Auguſto primum Conſule*, & tamen nec Leo, nec alii notam numeralem cum primo Conſulatu conjungere ſolent. Nam idem Leo ſermone 2. de Pentecoſte, de Manichæorum hæreſi loquens, ait; eam ortam eſſe *Probo Imperatore, Paulinoque Coſſ.* Ubi vides S. Leonem non dicere *Probo Imperatore primum*, licet certum ſit hunc priorem ejus Conſulatum fuiſſe. Denique ſi ſubſcriptio illa inſititia ſit, non legendum *Majoriani Conſulatu*, ſed ea prorſus expungenda; eam tamen retinendam eſſe oſtendit, quod ipſemet Queſnellus fatetur, nullum nempe Codicem, aut Manuſcriptum, aut impreſſum ſuæ opinioni ſuffragari.

VIII. *Duæ ſancti Leonis Epiſtolæ ſuis annis redduntur.*

Ultima ejus ratio eſt, quod ea Epiſtola ſcripta ſit ad Conſultationem Epiſcoporum illius provinciæ quæ Ravennenſi ſuberat, illiuſque conſultationis occaſio nata ſit ex reditu aliquorum hominum, qui ex illis regionibus in captivitatem abducti, ab aliquot annis fuerant poſt Barbaricam aliquam irruptionem, & tunc demum ad ſedes ſuas, libertatemque redierant. Conſtare autem pace potitam fuiſſe Italiam Leonis Papæ temporibus, eam Attilam non ingreſſum eſſe niſi anno 452. ideoque multum veroſimilius eſſe Ravennenſem regionem Attilianum expertam fuiſſe furorem, plurimoſque ſaltem ex agro, & parochia Ravennenſi inde raptos in captivitatem anno 452. & poſt aliquot annos ſcilicet 457. & 458. paucos libertatem ſimul, & patriam aſſequutos eſſe, & de ſuo Baptiſmo dubitare cœpiſſe; quæ talis occaſio fuerit conſulendi Romanum Pontificem, & huic ad illius regionis Epiſcopus hanc ſcribendi Epiſtolam. Hæc Queſnellus. Sed occaſio S. Leonis conſulendi non clades Attilana, a qua Ravenna orationibus Joannis Præſulis, qui tum eo anno ſedebat, liberata eſt, ut habet Baronius anno 452. num. 63. ſed Vandalica perſecutio, & direptio. Cum enim direpta maxima parte Africæ, ut in notis ad Epiſtolam ad Ruſticum Narbonenſem a S. Leone ſcriptam ipſemet Queſnellus obſervat, navibus fractis Genſericus impoſuiſſet maximam Clericorum turbam una cum Carthaginenſium Epiſcopo, ii nudi, & expoliati proſpera navigatione Neapolim Campaniæ appulere. Quin & Senatorum, atque Honoratorum multitudinem primum exilio crudeli contrivit, poſtea tranſmarinam in partem projecit, immo cunctos ademptis omnibus bonis ad Italiam navigare compulit idem Genſericus, teſtibus Victore Vitenſi lib. 1. de perſecut. African. & Fulgentii Actis. Cum igitur Carthagine anno 439. exeunte barbarus Rex potitus ſit, annis proxime ſequentibus, quibus maxime furorem ſuum exercere cœpit, ex Africa ſe Catholici, & ipſi etiam Manichæi, uti ex Leonis ipſius Epiſtolis Baronius ſuggerit ſubduxerunt, ita ut eorum in Italiam adventus occaſione, dubia nata ſint, quibus per S. Leonem conſultum eſſe voluerunt Neonas Ravennenſis Epiſcopus, & Ruſticus Narbonenſis Antiſtes; quod plurimi quoque perſecutionem fugientes in Gallias tranſmeaſſent. Quare non ſolum Epiſtola ad Neonam in annum 451. quo eam Sirmondus tom. I. Concil. Gall. conſignarat, quaſi poſtliminio reſtituenda eſt, ſed etiam Epiſtola ad Ruſticum, quam idem Queſnellus in annum 458. contulit, ad annum 452. retrahenda, cum in ea de pueris a Vandalis captis mentio ſit. Hæc ſcrupuloſius examinare placuit ad Majorem Conſulatuum dimidiatorum, de quibus nullus, quod viderim ſpecialem tractationem inſtituit, intelligentiam; utque pateret, Marciani Auguſti Conſulatu ſcriptores Eccleſiaſticos, quod idem vir doctiſſimus perſuaſum habet, abuſos non fuiſſe ad probandum S. Petrum Chryſologum Neonæ deceſſorem circa annum 450. e vivis exceſſiſſe, & non longe antea S. Germanum Antiſſiodorenſem, qui in ea profectione deceſſit, in qua Ravennæ exceptus eſt ab eodem S. Petro Chryſologo hujus civitatis Epiſcopo. Nam illud eo magis dicendum, quo ipſemet Queſnellus ex Ughello in Italia Sacra affirmet, Neonam ſucceſſiſſe Petro Chryſologo anno quadringenteſimo quinquageſimo, deceſſiſſeque tertio ſui Pontificatus anno, ut idem Ughellus refert; quæ quomodo ſubſiſtere poſſint, ſi epiſtola ad Neonam anno tantum qua-

drin-

dringenteſimo quinquageſimo octavo, ac Majoriano Auguſto Conſule ſcripta ſit, non video.

CAPUT SECUNDUM.

De Poſtconſulatibus a Conſtantino Magno ad Juſtinum Juniorem uſu receptis.

I. *Quæ de cauſa formula Poſtconſulatum introducta.*

POſtquam Conſtantinus ad Imperium pervenit, ſeries Conſulum perturbari cœpit; cumque inter tot Auguſtos eodem tempore correGnantes, quorum erat duos Conſules deſignare, non conveniret, aliquando nulli Conſules aliquando plura Conſulum paria inter eas diſcordias deſignata, indeque hæc formula, *poſt Conſulatum*, introducta. Legitur ea primum in Faſtis Idatianis anno 307. quo Maximianus Herculius IX. & Conſtantinus Conſules ordinarii fuere; Acta enim publica in aliquibus provinciis conſignari cœpta *poſt ſextum Conſulatum*, nempe Conſtantii Chlori VI. & Galerii Maximiani VI. qui anno ſuperiori Conſules ordinarii fuerant. Quæ formula maxime frequentata poſtquam idem Conſtantinus Romanum Imperium in Orientale & Occidentale diviſit, & Orientis ſedem Conſtantinopolim a ſe conditam, Occidentis vero caput Romam inſtituit. Tunc enim inter cætera ſtatuit, ut ex duobus Conſulibus, quos annuos eſſe voluit, alter Romæ, alter Conſtantinopoli deſignaretur. Ex quo factum, quod Onuphrius lib. 2. Faſtorum notavit, ut ob bella civilia, vel externa, Principum cædes, peſtilentias, vel alias cauſas, annus ſine Conſulibus ordinariis aliquando fuerit; tuncque qui ſuperiori anno Conſulatum geſſerant, Faſtis nomen dabant: cujus rei exempla varia in iiſdem faſtis, præſertim poſt Theodoſium Seniorem leguntur: & hæc prima invectæ hujus formulæ cauſa.

II. *Triplex Poſtconſulatuum genus.*

Triplex vero Poſtconſulatuum genus fuit. Primum ſub Conſtantino initum, & ſub Juſtino Juniori finem habuit, de eoque præſenti capite agimus. Secundum a Juſtino Juniori ad Conſtantinum Pogonatum, de quo cap. ſequenti. Tertium a Conſtantino Pogonato ad Conſtantinum Porphyrogenitam aut circiter perduravit, illudque, quod hactenus incognitum fuit, cap. 4. explicabitur. In priori genere ſuperioris anni Conſules ſemel, bis, & aliquando pluries ſequentibus annis repetebantur, uti mox videbitur. In ſecundo Poſtconſulatus, anno ſecundo, vel tertio Imperii ſemper incipiebat, totque deinde Poſtconſulatus anni, quot Imperii numerabantur, ut videre eſt in Faſtis Byzantinis cap. ſequenti a nobis ordinandis. In tertio denique genere primus poſt Conſulatum annus cum primo Imperii anno ſemper incipiebat, adeo ut tot anni poſt Conſulatum, quot Imperii numerarentur; quod in ſecundi generis Poſtconſulatibus non contingebat; ſemper enim plures Imperii, quam Poſtconſulatus anni computabantur, quod infra clariſſime oſtendam. Sed a prioribus, a quibus alii originem duxere exordium ſumendum.

III. *Superioris anni Conſules aliquando iterati quia illuſtriores.*

Secundo, licet alicujus anni certi Conſules eſſent, tamen in faſtis publicis eadem formula Poſtconſulatum aliquando repetebatur, quia nempe ſuperioris anni Conſules illuſtriores erant. Synodus Epheſina anno 431. Baſſo & Antiocho Conſulibus celebrata eſt: Baſſi nomen anni initio Conſtantinopoli forſan ignoratum; in Codice enim Theodoſiano lib. 9 tit. 45. *de his qui ad Eccleſias confugiunt*, refertur Edictum Imperatorium, quod in Epitome Juliani, ut ibidem Gothofredus obſervat, ita ſubſcribitur: *dat. X. Kal. April. CP. Antiocho V. C. Coſ. & qui fuerit nuntiatus*, quamquam ejuſdem tituli prima lex ſubſcripta: *dat. X. Kalend. April. Conſtantinop. Antiocho V. C. & Baſſo Coſſ.* indicet, priorem illam ſubſcriptionem potius ex conſuetudine, quam ex Conſulis Occidentalis ignoratione proceſſiſſe. Sed quidquid ſit, poſt adventum Legatorum a S. Sede Epheſum miſſorum, Baſſi deſignatio ignorari non potuit, & tamen in prima ejuſdem Concilii actione hæc verba leguntur: *poſt Conſulatum Dominorum noſtrorum Flavii quidem Theodoſii XIII. Valentiniani vero III. ſemper Auguſtorum decimo Kalendas Julii Synodo congregata in Epheſiorum Metropoli.* Quæ formula in aliis ejuſdem Concilii Actionibus etiam uſurpatur.

IV. *Liberum erat uti formula poſt Conſulatum.*

Tertio, integrum erat cuilibet vel Conſulibus ordinariis, vel formula poſt Conſulatum Acta conſignare. Id non tantum ex duabus ſubſcriptionibus numero præcedenti relatis, ſed & ex D. Leonis Epiſtolis clare deducitur. Is enim, uti præcedenti cap. diximus, anno 454. Epiſtolas decem Aetio & Studio Conſulibus inſignitas ſcripſit, & tamen undecimam, quæ centeſima nona ordine eſt, in Editione Queſnelli qua utor, ad Epiſcopos Galliarum & Hiſpaniarum dedit Opilione Conſule Occidentali ſuperioris anni ſubſcriptam hoc modo; *Poſt Conſulatum Opilionis quinto Kal. Auguſtas.* Tum Epiſtolam centeſimam decimam, & centeſimam undecimam, Conſulatu Aetii & Studii rurſus notat. Quare non dubium quin hoc mere arbitrarium fuerit.

V. *Formula poſt Conſulatum a Conſtantini tempore uſurpata.*

Queſnellus vir rei criticæ ſcientiſſimus in Notis ad Epiſtolam a S. Leone ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum ſcriptam, quæ ſecunda ordine eſt, explicans Inſcriptionem mox afferendam contendit rationem hanc numerandi annos per Poſtconſulatus longe poſt ejuſdem Ruſtici & D. Leonis tempora uſurpatam fuiſſe, neque ante bellum Gothico-Italicum in more poſitam, ſed per uniuſcujuſque anni Conſules ordinarios tempora conſignata fuiſſe, annoſque computatos: aliquando quidem annos inveniri ea formula notatos, ſed id contra conſuetum notarum Conſularium morem factum: denique eandem formulam in uſum vocatam non fuiſſe, niſi cum ordinarii Conſules deſignati non eſſent. Sed ex iis quæ jam diximus, hæc omnia evaneſcunt: ejuſdem formulæ varia exempla, eaque illuſtria in medium adducit Baluzius vir eruditiſſimus in Notis ad Capitularia Regum Francorum pag. 1253. ea plures Codicis Juſtinianei leges notantur, imo a S. Leone, cujus Opera idem Queſnellus notis illuſtravit, uſurpatur, ut jam a nobis oſtenſum. Demum legitur ea in variis Inſcriptionibus ante Leonis Pontificatum dicatis, velut in ea quæ extat apud Onuphrium in Faſtis anno Chriſti 346. quæ his verbis clauditur.

POST AMANTI. ET ALBINI CONS.

Fuerant Conſules Amantius & Albinus anno 345. & ut ex ea clauſula patet, ſequenti etiam anno nomen dedere. Quare hoc tam certum, quam quod certiſſimum.

VI. *Formula poſt Conſulatum duplici modo explicata.*

Peculiares tamen difficultates circa eam notam temporariam occurrunt, quæ ſigillatim explicandæ ſunt. Et primo quidem primus annus poſt Conſulatum Beliſarii, Baſilii, aliorumque Conſulum, quorum nomina iterantur, alio modo a Mario Epiſcopo Aventicenſi, a Continuatore Marcellini, Juſtinianeo in Codice ſui nominis, aliiſque, alio modo a Victore Tununenſi, Juſtino Juniore in ſuis Novellis, & quibuſdam nonnullis numeratur, ut videre eſt in his laterculis.

MO-

MODUS LOQUENDI
MARCELLINIANUS

Anno Chriſti
541. *Baſilio V. C. Conſule.*
542. *Poſt Conſulatum Baſilii.*
543. *Poſt Conſulatum Baſilii II.*

Ubi vides Tununenſem vocare ſecundum annum, quem alii primum, vel ſine numerali nota numerant, quod Hirtiano atque Ciceroniano ſcribendi modo ab eo factum Carolus Cointius tomo tertio. Anno 642. num. 33. animadvertit. Sicut enim apud Hirtium lib. 34. de Bello Alexandrino *ſecundus a Rege*, & apud Ciceronem lib. 3. de finibus *ſecundus ad regium principatum* dicitur, ſic a Tununenſi primus annus poſt Beliſarii vel aliorum Conſulatuum ſecunda vocatur. Annus enim poſt Conſulatum Baſilii v. g. ſi ad conſequentes poſt Conſulatum annos animum attendas, primus eſt; qui tamen reſpectu Conſulatus qui præceſſit, ſecunda etiam nominari poteſt; eo modo, quo alibi diximus, ultimum aliquando pro primo uſurpari. Quæ diſcrepantia in verbis tantum conſiſtit, ut iſto exemplo patet. Anno 553. poſt Conſulatum Baſilii XII. communiter notato Synodus generalis Conſtantinopolitana in cauſa trium Capitulorum celebrata eſt, & tamen Tununenſis, qui propter eorum defenſionem in exilium ſe miſſum ſcribit, eam conſignat *poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno* 13. Quare cum annum celebratæ Synodi ignorare non potuerit, manifeſte liquet eum non niſi in modo loquendi ab aliis differre. Continuator Marcellini de peſte loquens quæ tempore ejuſdem Baſilii Conſulis graſſata eſt, his eam verbis conſignat: *Indictione ſexta, anno II. P. C. Baſilii mortalitas magna Italiam devaſtat, Oriente jam & Illyrico peraque attritis.* Eſt hic character anni Chriſti 543. Victor Tununenſis de eadem peſte loquens ait: *P. C. Baſilii V. C. anno II. horum exordia malorum generalis orbis terrarum mortalitas ſequitur.* Eſt hic character anni Chriſti 542. Ex quo tamen perperam quis inferret utrumque Auctorem non tantum in modo loquendi, ſed reapſe ab invicem diſſentire. Eo enim in exemplo ideo anno uno inter ſe differunt, quod Continuator de peſte, quæ Italiam anno 543. devaſtavit, Victor vero de ea, quæ uno anno antea Orientem attriverat, loquatur. Hæc, ut habet Theophanes, anno 542. *Menſe Octobri, Indictione quinta* (a Septembri præfati anni inchoata) orta eſt Byzantii, ubi cum magis ſerperet, anno ſequenti feſtum Purificationis Beatæ Virginis menſis Februarii die ſecunda celebrari cœpit, ut Auctor eſt idem Theophanes. Ex quo etiam, ut obiter moneam, corrigendus Baronius, qui eam peſtem, & hujus Feſti inſtitutionem in annum 544. differt. Corrigendus & Valeſius in Notis ad Evagrium lib. 4. cap. 29. qui cum non obſervaſſet mortalitatem illam prius in Oriente quam in Occidente fuiſſe diffuſam, Continuatorem Marcellini, & Victorem Tununenſem in ea conſignanda diſcrepare exiſtimavit. Quamobrem hæc diſcrepantia, licet in verbis tantum ſita ſit; quia tamen viris doctrina præſtantibus errandi occaſionem nonnunquam præbet, valde obſervanda. Priorem loquendi modum Marcellinianum, ſecundum Victorianum appello, & hujus diſtinctionis beneficio varios nodos capite ſequenti ſolvo.

MODUS LOQUENDI
VICTORIANUS.

Anno Chriſti
541. *Baſilio V. C. Conſule.*
542. *Anno ſecundo poſt C. Baſilii.*
543. *Anno tertio poſt C. Baſilii.*

VII. *Qui poſt exactum Magiſtratum nomen Anno dabant, neque Conſules, neque Viceconſules dicebantur.* Secunda difficultas verſatur etiam circa modum loquendi. Quæri enim poteſt, an qui poſt Conſulatum geſtum nomen anno dederunt, dicti ſint aliquando Conſules, vel Viceconſules? Et quidem quoad Conſulis nomen non invenio illud ante Juſtini Junioris tempora iiſdem anno poſt Magiſtratum geſtum attributum, ſed poſtquam Conſulatus ad Auguſtos tranſlatus eſt, Poſtconſulatus nomine Conſulatus ſæpe expreſſus fuit, uti exempla duobus capitibus ſequentibus afferenda palam facient. Quare Raderus Poſtconſulatus Baſilii ab anno Chriſti 557. uſque ad Juſtini Junioris Imperium, perperam Conſulatus nomine appellat hoc modo, *Ind. V. Juſt. A. XXX. Baſilio ſolo Conſ. XVI.* loco poſt *Conſulatum Baſilii XVI.* Id eſt, anno Chriſti 557. In Chronico enim Alexandrino, cujus ea eſt verſio legitur: INΔ. ε, λ' μετὰ ὑπ' Βασιλείου τὸ ις' μόνου. Quartus etiam annus, qui cum ſexto Valentiniani Auguſti Conſulatu legitur in Inſcriptione, quæ extat Narbonæ in Palatio Epiſcopali intelligi non debet de anno quarto poſt Conſulatum ſextum Valentiniani, ſed de anno quarto ædificationis Baſilicæ Narbonenſis. Ita ſe habet Inſcriptio, quam ex Grutero pag. 1058. Baluſius in Notis ad Capitularia Regum Francorum pag. 1256. & Paſchaſius Queſnellus in Notis ad Epiſtolam 8. S. Leonis ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum referunt.

DO ET XTO MISERANTE. LIM. HOC. C.L.K.T.E. ANNO IIII. CS. VALENTINIANO.
AUG. VI. IIIKL. D. XVIIII. ANNO. EPTUS RUSTI......

RUSTICUS. EPS. EPI. BONOSI FILIUS	BIENN. ADMINIST.
EPI. ARATORIS. DE SORORE NEPUS	SUÆ PREBU. ARTIF. R.
EPI. VENERI. SOCI. IN MONASTERIO	MERCED. SOL. DC.
CONPRB. ECCLE. MASSILIENS.	ADOPER ECETER. SOL I. D.

ANNO XV. EPTUS SUI. D. ANN. V. III. ID. OCTB
C URSO PRBO. HERMETE. DIAC. ET. EOR. SEQ. TIB. HINC ORLAT. SCL.

COEP. DEPON. PARIET. ECCL. DUD. EXUSTÆ	EPI RENERI SOL ... C.....
XXXVII. D. QUAD. IN FUNDAM. PONI. COEPT	EPI DYNAMI .... L......
ANNO II. VII. ID OCTOB. ABSID. P. P. MONTANUS. SUBD. ORESI. C. I.	
MARCELLUS. GALL. PREF. DI. CULTOR PRECE	AGROECI..... L.......
EXEGIT. EPUM. HOC. ONS. SUSCEP. INPENDIA.	ET DECONIÆ.......
NECESSAR. REPROMITTENS. QUÆ PER	SALUTI........

Cujus Inſcriptionis hæc explicatio eſt, Deo, & Chriſto miſerante limen hoc collocatum eſt anno quarto: Conſule Valentiniano VI. III. Kal. Decembris XIX. Epiſcopatus Ruſtici........

Ruſticus Epiſcopus Epiſcopi Bonoſi filius, & Epiſcopi Aratoris de ſorore nepos, Epiſcopi Venerii ſocius in Monaſterio compresbyter Eccleſiæ Maſſilienſis, anno XV. Epiſcopatus ſui, die anni quinta, tertio Idus Octobris, cum Urſo Presbytero, Hermete Diacono, & eorum ſequentibus.

Cœpit deponere parietem Eccleſiæ dudum exuſtæ. Trigeſima ſeptima die quadratum in fundamento poni cœpit: anno ſecundo VII. Idus Octobris abſidem poni fecit Montanus ſubdiaconus. Marcellus Galliarum præfectus, Dei cultor preco exegit Epiſcopum hoc onus ſuſcipere, impendia neceſſaria repromittens, qua per

Biennium adminiſtratione ſua præbuit artificibus mercedem ſolidorum ſexcentorum ad operas, & ſolidos mille quingentos .... hinc oblationes S. Epiſcopi Venerii ſolidos C..... Epiſcopi Dynamii L. Oreſci..... CC. Agroeci I. Deomia .... ſaluti.

VIII. *Explicatur Sextus Conſulatus Valentiniani, qui in Inſcriptione Narbonenſi legitur.*

His verbis, quæ hic ſolum explicantur: *limen hoc collocatum eſt anno quarto Conſule Valentiniano VI.* hunc ſenſum tribuit Baluzius, poſitum Baſilicæ limen fuiſſe anno quarto poſt Conſulatum ſextum Valentiniani, ideoque anno Chriſti 448. qui ab anno 445. quo Valentinianus ſextum Conſulatum edidit, quartus eſt; qui cum decimus nonus eſſet Epiſcopatus Ruſtici, conſequens eſt hunc anno 430. Eccleſiæ Narbonenſi Præfectum fuiſſe. Queſnellus vero quartum illum annum non a ſexto Valentiniani Conſulatu, ſed a jactis Baſilicæ fundamentis numerat, quod familiare, inquit, Antiquis eſſet, ut quo tempore conſtrui ædificium publicum cœptum eſſet, quove perfectum, hujuſmodi Inſcriptionibus, poſteris notum vellent. Hoc ergo, ſubjungit, voluit Ruſticus ſignificare, per quatuor annos ædificatam eſſe Narbonenſem Baſilicam, ſeu anno quarto eſſe abſolutam a quadro ſaxo poſito, id eſt, a jactis fundamentis uſque ad limen collocatum, ſeu finem operi impoſitum. Quæ explicatio præferenda; in ea enim Inſcriptione quid quolibet anno, quove progreſſu factum ſit, ſigillatim explicatur. Quare Ruſticus anno Chriſti 427. die nona Octobris ordinatus eſt Epiſcopus, annoque 441. die decima tertia præfati menſis, quæ quinta erat anni XV. ejus Epiſcopatus, Baſilicæ Narbonenſis fundamenta jecit; licet enim nulla eo anno Decennalia & id genus feſta edita fuerint, quia tamen octava Quinquennalia Theodoſii Junioris cum patre imperantis, is celebrare debuiſſet, niſi eadem anticipaſſet, ideo idem annus Eccleſiis conſtruendis deſtinatus. Tandemque anno 445. Valentiniani ſexto Conſulatu notato, qui quartus erat a jactis fundamentis, abſolutus, quintuſque a die 13. Octobris inchoatus, illius vero Epiſcopatus decimus nonus, limen collocatum fuit tertio Kalendas Decembris. Sic præfata Inſcriptio explicanda videtur. Neque enim ullum exemplum extat, in quo anni poſt Conſulatum, eo modo quo annus quartus in ea Epigraphe legitur, exprimantur, quodve oſtendat Conſules, qui exacto annuo Magiſtratu ſequentibus annis nomen dabant, eo nomine vocati fuerint. Sola itaque de Viceconſulis appellatione ante Juſtinum Juniorem in controverſia eſſe poteſt. Duæ enim Juſtiniani Novellæ, quarta nempe & decima ſeptima, illud eis nomen datum fuiſſe teſtari videntur. Prior his verbis ſubſcribitur: *Dat. XII. Kal. Julii Conſtantinopoli Beliſario Viceconſule V. C.* Quæ verba idem ſonant, ac *poſt Conſulatum Beliſarii*, & annum Chriſti 538. exhibent. Poſterior dicitur *dat. Kal. Maii Conſtantinopoli Beliſario Viceconſule*. Sed utraque ſubſcriptio mendoſa videtur, & in hac ultima, loco *Beliſario V. C. Conſule*, id eſt, *viro Clariſſimo Conſule*, perperam ſcriptum *Viceconſule*. In priori vero, loco *Conſule*, ſcriptum per errorem, *Viceconſule*; adeoque duæ iſtæ Novellæ anno 535. datæ. Et ratio eſt quia Novella ejuſdem Imperatoris ſexageſima ſexta anno Chriſti 538. quo Joannes vir clariſſimus Conſul proceſſit, eadem mendoſa ſubſcriptione ſignatur, diciturque *dat. Kal. Mart. Conſtantinop. Dn. Juſtin. PP. Aug. ann. XI. & Joan. Viccon.* Et tamen certum eſt legendum eſſe *Joanne V. C. Conſule*. Quare non dubium quin in præfatas ſubſcriptiones error pariter irrepſerit; ideoque qui poſt exactum Magiſtratum nomen anno dabant, neque Conſules, neque Viceconſules, ante Juſtini Junioris tempora dictos fuiſſe.

Ultima difficultas verſatur circa annorum numerum, qui poſt Conſulatum, tam Paulini Junioris, ultimi ex privatis, qui in Occidente eam dignitatem geſſit, quam Flavii Baſilii Junioris, poſtremi omnium Orientalium, qui privatus eodem Magiſtratu functus fuit. Et quidem quoad Paulinum anno 534. Collega Juſtiniani Auguſti in Conſulatu fuit, annis vero ſequentibus ob bellum Gothico-Italicum, quod jam imminebat, aliter in aliquot Provinciis, aliter in reliquo orbe Romano anni numerati ſunt, quod in his laterculis patet. IX. *Quot annis poſt Conſulatum Paulini numerat*

In potiori parte Imperii.

Anno 535. *Beliſario ſolo Conſule*
536. *Poſt Conſulatum Beliſarii*
537. *II. P. C. Beliſarii*
538. *Joanne Conſule*

539. *Appio.*
540. *Juſtino Juniore ſolo.*
541. *Baſilio Juniore ſolo.*

In aliquot Provinciis Occidentalibus.

535. *Poſt Conſulatum Paulini Jun.*
536. *II. Poſt C. Paulini.*
537. *III. P. C. Paulini.*
538. *IV. P. C. Paulini.* Synodus Aurelianenſis III. celebrata dicitur *anno Childeberti 27 IV. P. C. Paulini Junioris, Nonis Maii*, hoc nempe anno.
539. *V. P. C. Paulini.*
540. *VI. P. C. Paulini.*
541. *Baſilio Juniore ſolo.*

Anni deinceps XXV. ſequentes, tam in Oriente, quam in Occidente, formula *Poſt Conſulatum Baſilii V. C.* notati ſunt, ut videre eſt in Faſtis a nobis ordinatis, cujus rei in monumentis Gallicanis multa exempla extant. In fine Regulæ S. Aureliani Epiſcopi Arelatenſis, quæ in Codice veterum Regularum ab Holſtenio in lucem edito extat, clauſula legitur, in qua Aurelianus dicitur Monaſterium Monachorum Arelate fundaſſe *anno quinto P. C. Baſilii*

V. C.

Digitized by Google

V. C. anno nempe Chriſti 546. ſed legendum *anno ſeptimo P. C. Baſilii V. C.* uti oſtendi in Rationario Faſtorum anno Chriſti 548. In eadem Civitate in Eccleſia Sanctæ Crucis legitur Epitaphium Sancti Florentini præfati Monaſterii n Childeberto Francorum Rege conſtructi, primi Abbatis, in quo is dicitur obiiſſe, *prid. Id. April. duodecies P. C. Baſilii V. C. Junioris Indict. I.* anno nempe Chriſti 553. Licet enim ab uno & amplius ſæculo Monarchia Gallica fundata eſſet; expulſis tamen Romanis, Faſti Conſulares retenti fuerant. Baronius initio anni 564. ſcribit hunc poſtremum fuiſſe annum, qui poſt Conſulatum Baſilii numeratus fuerit in Faſtis XXIII. quam in ſententiam delapſus videtur quod Victor Tununenſis poſt Conſulatum Baſilii XXIII. nonniſi Juſtiniani annos adhibeat. Sed duos ſequentes annos eadem formula conſignatos fuiſſe hic oſtendendum, ut Juſtiniani finis, & Juſtini Junioris initium certo conſignetur, quod Faſtorum Conſtantinopolitanorum, de quibus capite ſequenti, principium ab utroque pendeat.

X. *Initium Imperii Juſtiniani ſtabilitur.*

Annus itaque 565. notatus eſt tam a Continuatore Marcellini, quam a Mario Aventico in ſuo Chronico: *poſt Conſulatum Baſilii V.C. XXIV.* In Collectione Eccleſiaſticarum Conſtitutionum Balſamonis libro quarto (ut videre eſt in Bibliotheca veteris Juris Canonici a Vuello & Juſtello viris græce & latine doctiſſimis edita) Conſtitutio XVII. his verbis ſubſcribitur: *Dat. Καλενδ. Απρ. Κωνσταντ. Βασιλεία Ιουστινιανοῦ λθ' μετὰ τὴν ὑπατείαν* ..... id eſt, *datum Kalendis Aprilis Conſtantinop. Imperatoris Juſtiniani anno XXXIX. poſt Conſulatum* ...... intellige *Baſilii XXIV.* quæ verba in verſione ejuſdem Conſtitutionis, quaſi in græco legerentur, Typographi errore addita, erroreque pariter ſcriptum, *decimo Kalend. April.* loco *Kal. Aprilis*. Ex qua ſubſcriptione non tantum intelligitur, formulam poſt Conſulatum adhuc anno iſto uſurpatam, ſed etiam Imperii annum cum Conſulatibus in Conſtitutionibus Imperialibus memoratum fuiſſe, quemadmodum a Juſtiniano anno 537. ſtatutum fuiſſe diximus, & Novella 47. ejuſdem Imperatoris eo anno emiſſa fidem facit. In Gallia tamen loco nominis Imperatoris, nomen Regis ſcriptum, ut videre eſt in Actis Synodi Aurelianenſis III. anno 538. habitæ, de qua numero nono hujuſce capitis. Imo & Conſulatus omiſſus fuit quando eum in ſe Imperatores Orientales tranſtulerunt; quod ex eo conſtat, quod hactenus nullum monumentum inventum ſit in Gallia, in quo numerandi modus a Juſtino Juniori invectus uſurpetur. Ex eadem præterea ſubſcriptione liquet, Juſtinianum Kalendis Aprilis anni Chriſti 527. Auguſtum appellatum fuiſſe, cum triceſimus nonus Imperii ejus annus eo die in eadem inchoetur. De quo nulla dubitatio eſſe poteſt, cum ipſemet Juſtinianus in laudata Novella eo die Romanorum rebus ſe a Deo ſuperpoſitum ſcribat, annoſque Imperii ſui ab eodem die numerandos jubeat; ac Procopius in Hiſtoria arcana dicat: *ſuſcepere dominationem Juſtinianus ac Theodora tertio ante feſtum Paſchatis die*. Eo enim anno in diem quartum Aprilis Paſcha incidebat. Turbat tamen Theophanes, cum ait Juſtinum Seniorem die quarta Aprilis feſto Paſchatis morbo correptum fuiſſe, Juſtinianum Imperatorem inſtituiſſe, eique coronam impoſuiſſe. Imo Cedrenus die XIV. menſis Aprilis, ipſis Paſchalibus feriis id factum fuiſſe tradit. Sed dicendum utrumque diem quo Juſtinianus nuncupatus eſt Auguſtus, cum eo, quo coronatus eſt, confudiſſe; ac præterea in Cedreno numerum X. abundare. Quod niſi præfata diſtinctio adhibeatur, Auctor Chronici Alexandrini, & Evagrius lib. 4. cap. 9. qui recte ſcripſere Juſtinianum Kalendis Aprilis Auguſtum nuncupatum fuiſſe, a ſemetipſis diſſentient; is enim docet Juſtinum Seniorem, cum annum Imperii octavum tranſegiſſet, ac præterea *menſes novem & dies tres*, Juſtinianum in conſortium Imperii vocaſſe. Imperare cœpit idem Juſtinus anno 518. die nona Julii, teſtibus eodem Evagrio, & Auctore Chronici Alexandrini. Ab ea die ad Kalendas Aprilis anni 527. anni octo, ac menſes novem intercurrunt. Sed primus menſis qui nono Julii cœpit, incompletus numerandus eſt, dieque ultima Julii, non vero octavo Auguſti abſolvendus. Quod cum non obſervaſſet Valeſius in Notis ad Evagrium, ſe ſe ab eo ejuſdem Auctoris loco expedire non potuit. Supponit itaque Evagrius die quarta Aprilis Juſtinianum coronatum fuiſſe, niſi quis malit dicere cum Alemanno in Notis ad Hiſtoriam arcanam Procopii cap. 9. Kalendis Aprilis Juſtinianum Cæſarem, die vero Paſchatis Auguſtum dictum eſſe. Idem prorſus habet Chronicon Alexandrinum quoad annos & menſes, ſed ubi Evagrius habet *dies tres*, in eo Chronico manifeſto errore legitur *dies quinque*. Irrepſit etiam error in eundem Evagrium, quando loco laudato ſcribit Juſtinum defunctum fuiſſe, *cum imperaſſet una quidem cum Juſtiniano menſes quatuor; in univerſum vero tam ſolus quam cum Collega per annos novem ac dies tres Imperium obtinuiſſe*. Legendum enim *dies viginti tres*, cum ipſemet Evagrius, & Auctor Chronici Alexandrini teſtes ſint Juſtinum nono die Julii anni 518. Imperatorem nuncupatum fuiſſe, & Kalendis Auguſtis anni 527. naturæ debitum ſolviſſe. Quæ hic explicare placuit, non ſolum quia Valeſius, aliique viri doctiſſimi in iis ſalebris hæſere, ſed etiam, quia plurimum refert Cæſaream Chronologiam erroribus liberare. Et hæc de Juſtiniani Natali.

XI. *Quot annos Juſtinianus imperavit.*

Obiit is eodem anno 565. die 14. Novembris cum imperaſſet annos triginta octo, menſes ſeptem, & dies tredecim. Diem emortualem Auctor Chronici Alexandrini nos docet; eoſdem annos, menſes ac dies Theophanes, Cedrenus, & Auctor Miſcellæ exhibent, ſicque duo priores, qui ejus initium aliquot diebus tardius conſignarunt, ex ſeipſis corrigendi; neque enim eos annos menſes & dies imperare potuit Juſtinianus, niſi Kalendis Aprilis anni 527. Imperium ſuſceperit. Corrigendus & alter error ejuſdem Theophanis, qui ſcribit eum die undecima Novembris vita functum eſſe, cum ea in re manifeſte ſibi contradicat. Philippus Labbeus in Chronico, Carolus le Cointe tom. 2. anno 566. & tom. 3. anno 664. num. 27. aliique plures Juſtiniani mortem in annum ſequentem differunt, Marii Aventicenſis, Joannis Abbatis Biclarienſis, Victoris Tununenſis, & Chronici Alexandrini auctoritate freti, ſed certiſſimis infra argumentis oſtendam mortem ejus in hunc annum incidere. Et profecto varia adhuc extant ejuſdem Imperatoris numiſmata apud Goltzium alioſque, in quibus annus Imperii ejus triceſimus nonus, quem inchoavit, legitur; in nullo vero annus quadrageſimus. Verum quidem eſt Joannem Epiphanienſem Scholaſticum, quem Evagrius lib. 5. cap. ultimo civem ſuum atque cognatum nominat, ſcribere: *Ιουστινιανὸς Βασιλεὺς ἔτη καὶ τριάκοντα τοῖς πᾶσιν ἔτεσιν ῥωμαίων ἄρξας ἐτελεύτα τὸν βίον*, id eſt, ut vertit Alemannus in Notis ad Hiſtoriam arcanam Procopii cap. 24. ubi communem opinionem de annis Imperii Juſtiniani tuetur: *Juſtinianus Imperator novem & triginta integros annos cum Romanum Imperium tenuerit, vita functus eſt*. Sed jam obſervavimus Hiſtoricos Græcos annos Imperatorum inchoatos aliquando integros, aliquando tranſactos appellare. Quare Joannes Epiphanienſis his verbis tantum intendit oſtendere, eum Imperatorem triceſimo nono Imperii anno e vivis exceſſiſſe.

Si enim Juſtinus Junior Juſtiniani ex ſorore nepos, ejuſque in Imperio ſucceſſor anno 566. imperare cœpiſſet, anno 567. Conſul non proceſſiſſet, quod tamen certis iuſta argumentis ſtabiliam, primoque imperii anno nondum Conſulem fuiſſe oſtendam.

XII. *Formula poſt Conſulatum Baſilii uſque ad hunc annum uſurpata.*

Annus 566. duplici modo conſignatus reperitur. Primo a Continuatore Marcellini, & Mario Aventicenſi, hoc modo: *Poſt Conſulatum Baſilii XXV.* Secundo in Novellis Juſtini Junioris: *Imp. DN. Juſtini Aug. ann. I.* ex iis prima ad Julianum Præfectum urbi hanc habet ſubſcriptionem notatu dignam: *Data XVIII. Kal. Octob. Chalcedone, Imp. DN. Juſtino PP. Auguſt. anno 2. Indict. quinta decima*, quæ hoc anno menſe Septembri incepit, quæque evincit deceptos eos eſſe, qui Juſtinianum hoc anno menſe Novembri (de quo inter omnes convenit,) Indictione decima quinta currente, in fata conceſſiſſe. Jam enim menſe Septembri hujus anni ut ex hac ſubſcriptione liquet, Juſtinus imperabat, ideoque Imperium anno elapſo ſuſceperat, dieque decimaquarta Novembris præſentis anni ſecundum Imperii annum auſpicatus eſt.

XIII. *Faſti Romani diu in Gallia uſurpati.*

Ex his conſtat formulam *poſt Conſulatum Baſilii*, ad hunc uſque annum uſurpatam fuiſſe, neque ante eundem Faſtos Conſulares Romanos deſiiſſe. Cœperant hi anno Urbis conditæ ducenteſimo quadrageſimo quinto, quo Junius Brutus, & Tarquinius Collatinus Conſules pro Regibus primum inſtituti ſunt. Quare per annos mille ſeptuaginta quatuor ad eorum Regulam Chronologia directa. Immo in Gallia, ubi nullum veſtigium extat, Faſtos Byzantinos uſu receptos fuiſſe, per aliquot adhuc annos videntur continuati. Extat enim juxta fanum S. Andreæ haud procul Avenione, in Capella quadam Epitaphium S. Cæſariæ, ſeu Caſariæ, Baſilii Poſtconſulatu hoc modo ſubſcriptum: *Obiit bona memoria Caſaria medium noctis, die Dominico inluceſcente, VI. Idus Decembris, quadragies & ſexies poſt Conſulatum Baſilii Junioris V. C. Conſulis, anno duodecimo regni Childeberti Regis, Indictione quinta.* Poſitum illud anno Chriſti 587. quem characteres in eo expreſſi exhibent. Childebertus enim Francorum Rex, ut habet Gregorius Turonenſis lib. 5. cap. 1. die Dominici Natalis regnare cœpit, anno nempe Chriſti 575. præterea dies Dominica anno 587. in ſeptimum Idus Decembres, & feria ſecunda in ſextum Idus ejuſdem menſis competebant, quare nocte inter utrumque diem interjecta, obiit Cæſaria, & qui illud Epitaphium poſuit, loquendi modo Marcelliniano uſus eſt. Erravit itaque Carolus Cointius, qui tom. 2. Annal. Eccleſiaſt. Francorum hoc in annum 586. confert, & reprehendit Baronium, quod anno 587. collocarit. Annus enim 12. Childeberti, die tantum Natali Chriſti ejuſdem anni 586. inchoatus eſt, & ante aliquot dies Cæſaria obierat. In eo tamen reprehendendus Baronius, quod legendum ſcribat, *anno nono Domini Childeberti*, quia ejuſdem Regis initium tardius, quam par erat, conſignavit. Reprehendendi & ii, qui dicunt errorem eſſe in Indictione, legendumque *Indictione ſexta*, a Septembri præfati anni 587. inchoanda. Hinc enim potius deducendum quemadmodum in Rationario Faſtorum Romanorum anno 548. diximus, per hæc tempora jam fuiſſe, qui Indictiones a menſe Januario inciperent. Et hæc de Poſtconſulatibus in Faſtis Romanis Conſularibus memoratis. Nunc de iis, qui a Juſtino Juniori, ad Conſtantinum Pogonatum in uſu fuere, agendum.

CAPUT TERTIUM.

Faſti Conſulares Byzantini a Juſtino Juniori ad Conſtantinum Pogonatum nunc primum de integro ordinantur, & ſecundum accuratam Chronologiam, tam cum Era Chriſtianæ, quam cum Imperatorum annis connectuntur.

I. *Ordinatio Faſtorum Byzantinorum hactenus neglecta.*

Faſtos Conſulares Romanos ex Antiquorum Scriptorum monumentis, quorum non pauca ſuperſunt, multi aggreſſi ſunt olim digerere; ſed qui Byzantinos, & Orientales ex Actis publicis, pauciſque Auctoribus, quibus temporum injuria pepercit, de integro ordinarit, annoſque Conſulatus, Imperii & Eræ Chriſtianæ inter ſe exacte copularit, neminem reperi. Onuphrius enim, qui Conſules Romanos incredibili diligentia deſcripſit, cum ad perpetuos pervenit, quaſi longa feſſus via langueſcit, & ab inſtituto ſuo videtur decedere; cum modo in annis Conſulatus cum annis Imperii conjungendis, modo in utriſque cum Era Chriſtiana copulandis peccet; & tamen ſi in alterutro erraveris, in conſequentes ejuſdem Imperatoris, & Poſtconſulatus annos errorem propagari; immo & in annos ſucceſſorum, eorumque Poſtconſulatuum redundare neceſſe eſt. Præterea idem Onuphrius, neque poſt eum ullus alius, non advertens a Conſtantino Pogonato, qui anno ſexcenteſimo ſexageſimo octavo imperare cœpit, aliam numerandi rationem, quam quæ hactenus in uſu fuerat invectam fuiſſe, Faſtos Byzantinos per duo amplius ſæcula, eodem quo antea modo ordinat, ſicque temporibus aliunde obſcuris novas tenebras affundit. Inſuper priores tantum Imperatorum annos cum Conſulatibus conjungit, & quaſi nulla ſupereſſet alia difficultas, de ſequentibus annis parum curat. Quare quicumque poſt Faſtos ab eo ordinatos, Chronica, vel Annales ſcripſere, cum ad annum Chriſti 565. formula *poſt Conſulatum Baſilii XXV.* notatum pervenere, a Conſulibus memorandis deſiſtunt; vel quia ab iis recenſendis ſuperſedere malunt, quam duces habere fallaces; vel quia, quæ ex eorumdem omiſſione rei Chronologicæ inferuntur detrimenta, non ſatis perſpectum habent. Carolus quidem Dufreſnius vir eruditiſſimus in Diſſertatione de Numiſmatis inferioris ævi num. XV. hanc materiam tangit, ſicuti & in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis, verbo *Conſul*, ſed ad ſingularia non deſcendit, neque magis quam Onuphrius mutationem Conſtantini Pogonati tempore factam obſervans, eorumdem quidem Faſtorum non paucam materiam, ſed vera forma deſtitutam nobis exhibet. Quapropter cum Faſti Byzantini jamdiu ordinatorem expectent, eo lubentius hoc opus ſuſcepimus, quo viros eruditione præſtantes in Actis eadem forma conſignatis explicandis ſæpe erraſſe deprehendimus. Singularem itaque in id generis Faſtis per centum & duos annos, quibus ea anomala Imperii & Conſulatus annos numerandi ratio perduravit, digerendis, adhibuimus diligentiam; omneſque nos difficultates tandem ſuperaſſe confidimus.

II. *Juſtinus novos Faſtos inducit.*

Abrogatus videbatur Conſulatus, cum Juſtinus Junior anno 565. Imperator ſalutatus eſt. Jam enim ab annis viginti quinque nullus Conſul deſignatus fuerat, hæcque intermiſſio non parum populis moleſta accidebat ob donativa præſertim ac munera a Conſulibus eam dignitatem ineuntibus ſpargi ſolita. Voluit itaque Juſtinus eam reſtituere, ſed diverſa prorſus ratio-

tione ab ea quæ hucuſque in uſu fuerat, Conſulatum enim a privatis ad Imperatores tranſtulit, perpetuum reddidit, eum ſine Collega geri ſtatuit, & ab illo non minus quam ab Imperio, annos in Actis publicis dinumerari conſtituit; quod & a ſucceſſoribus poſtea ad Conſtantinum Pogonatum uſque obſervatum, cum hoc tantum diſcrimine, quod ipſe Mauricius, & Conſtans ſecundo tantum Imperii anno Conſulatum inierint; Tiberius vero & Heraclius anno Imperii primo. Ab eo igitur tempore cujuſlibet Auguſti duæ Epochæ fuerunt, altera ab Imperio quam nuper Juſtinianus invexerat, altera a Conſulatu deducta; quarum hæc illa ſemper poſterior erat. In hac porro ordinatione nullum nobis numiſmata ſuppeditare auxilium poſſunt, cum in iis Imperii quidem, ſed Conſulatus anni cum illis conjuncti nunquam legantur. Et tamen in utrumque inter ſe copulatione, ac cum Era Chriſtiana conjunctione tota difficultas ſita eſt. Unde Auguſtorum veteris Romæ numiſmata longe præſtantiora & utiliora, quippe quæ non tantum Conſulatus numerum, ſed etiam Imperii annum Tribunitia poteſtate contentum ut plurimum repræſentarent. Sed unde factum, dicet aliquis, ut Imperatores Orientales a Conſulatu, etiam tantum ſecundo Imperii anno ſuſcepto, annos dinumerarint.

III. *Origo Epocha 2. Conſulatu ducta.* Hunc morem inde profluxiſſe exiſtimat Sirmondus in Notis ad Sidonium libro primo, Epiſtola nona, quod alias novi Imperatores proximis poſt Imperii auſpicia Kalendis Januariis, Conſulatem edere conſuevilſent, annuſque Imperii Conſulatus annum antecedere ſoleret. Sed hujus rei origo altius, ni fallor repetenda. Inter multiplicem rationem numerandi Imperii Octaviani Auguſti annos duæ erant a Conſulatu deductæ. Alii enim a primo ejus Conſulatu eos numerabant, quia is gradus, & aditus ad reliquos honores Auguſto fuit. Eam rationem ſecutus eſt Auctor libri de claris Oratoribus, qui annos quinquaginta ſex Auguſti Imperio tribuit, Unde & Curinſorum ejus Imperii initium a primo Conſulatu petentium obſervatio nata; *quod idem dies accepti Imperii princeps & vitæ ſupremus fuerit*, quemadmodum legitur apud Tacitum libro primo Annal. cap. 9. alii a ſeptimo ejus Conſulatu, cum Imperium illi a Senatu firmatum, datumque cognomen Auguſti, quaſi is legitimi principatus primus dies fuiſſet; nam, ut inquit Oroſius, *ex eo die ſumma rerum ac poteſtatum penes unum eſſe cœpit, & manſit, quod Græci Monarchiam vocant*. Juſtinus igitur Auguſti exemplo, reſtituto Conſulatu ab eo Imperii ſui annos numerari voluit, quod indicat Corippus Poëta Chriſtianus in opere quod in ejus laudem compoſuit; in libro enim quarto de ejus Conſulatu loquens, ait;

reparator opimi
Nominis. Antiqui redeunt nova ſecula Faſti.
Auguſti primus renovaſti Cæſaris ævum,
Clarius eſt, noſtruſque tuum: tua gaudia tecum:
Hinc veſter primus feliciter excipit annus.

Tribus autem modis Conſulatus, & anni poſt Conſulatum exprimi ſolebant, ut videre eſt in his laterculis.

MODUS LOQUENDI Marcellinianus.	MODUS LOQUENDI Victorianus.	MODUS LOQUENDI a Mario Aventicenſi uſurpatus.
Anni Chriſti		
567. *Anno ſecundo. Juſtino Juniore Aug. primum ſolo Conſule.*	567. *Anno ſecundo. Juſtino Juniore Aug. primum ſolo Conſule.*	567. *Anno ſecundo. Juſtino Juniore Aug. primum ſolo Conſule.*
568. *Anno III. poſt Conſulatum Juſtini Junioris Aug. ſolum.*	568. *Anno III. poſt Conſulatum Juſtini Junioris Aug. ſolum II.*	568. *Anno III. Conſulatus Juſtini Junioris Aug.*
569. *Anno IV. P. C. Juſtini Junioris Aug. ſolum II.*	569. *Anno IV. P. C. Juſtini Junioris Aug. III.*	569. *Anno IV. Conſulatus Juſtini Junioris Aug.*

Et ſic deinceps. Qui loquendi modi cap. præcedenti a nobis explicati ſunt, valdeque obſervandi, ſummis enim viris non raro errorem attulere. Diximus etiam ibidem poſt invectos Faſtos Byzantinos Poſtconſulatum aliquando Conſulatus nomine enuntiatum fuiſſe, quod vel ſolus loquendi modus a Mario Aventicenſi in ſuo Chronico uſurpatus, & in tertio laterculo propoſitus oſtendit, cujuſque rei varia exempla infra occurrent. His poſitis Faſtos Byzantinos ordinare aggredior, quos eo nomine appellare placet, ut eos a Romanis magis diſtinguam.

IV. *Imperium Juſtini ſolius.* Annus itaque, 567. ſic notatus eſt: *anno ſecundo. Juſtino Juniore Auguſto primum ſolo Conſule*. Ita recte Onuphrius lib. 3. Faſt. qui citat Faſtos Maffeiorum, qui utinam in lucem aliquando prodeant. Idem docet Chronicon Alexandrinum, Marius Aventicenſis, Theophanes, & Anaſtaſius Bibliothecarius in ſua Hiſtoria. Errant porro Auctor Chronici Alexandrini & idem Marius, qui Juſtini Conſulatum cum primo Imperii ejus anno copulant, quique perperam ſcribunt, Juſtinianum anno 566. vita functum, quæ hujus erroris cauſa. Errant & Baronius in Annal. Eccleſiaſt. & Calviſius in Chronico qui licet Juſtini Imperium ab anno 565. recte inchoarint, ejus tamen Conſulatum in annum 566. male conferunt. Porro ex poëmate Corippi lib. 4. conſtat Kalendis Januariis eumdem Imperatorem Conſulem proceſſiſſe, de quo Theophanes laudatus inquit: *Conſulum more munus dedit Juſtinus, multaſque pecunias, quibus etiamnum plures ditati, ſparſit in populum.*

Ann. 568. *III.* (intellige ſemper anno) *poſt Conſulatum Juſtini Junioris Aug. ſolius*, modo nempe loquendi Marcelliniano, quo in his Faſtis digerendis utar. Baronius in Annalibus hujus anni initio dicit eum Conſulatu Juſtini Imperatoris ſecundo alicubi notatum reperiri; ſed ſine dubio falſus eſt, ſemel enim tantum Juſtinus Conſul proceſſit. Modus loquendi in hac materia ab eo non intellectus hanc ei aberrationem creavit. Novella ſiquidem ejuſdem Juſtini ad Spem in Deum Archiepiſcopum Provinciæ Byzacenæ, quæ apud Julianum Anteceſſorem legitur, quæque a Spondano in Epitome hoc anno in eumdem ſenſum laudatur, hoc nullo modo ſignificat. Hæc ejus ſubſcriptio: *Dat. Kal. Majas Conſtantinop. Imperii Domini Juſtini PP. Aug. anno III. Conſ. ejuſdem II.* Eſt igitur hic annus Conſulatus ejus ſecundus, non vero ſecundus ejus Conſulatus. Juſtinus enim, ut cap. ſuperiori diximus, loquendi modum Victoris Tunnunenſis & Marii Aventicenſis uſurpat. Porro ex ea ſubſcriptione liquet Juſtinum anno 565. imperare cœpiſſe, alioquin hic annus non diceretur tertius ejus Imperii in ea Novella.

Ann. 569. *IV. poſt Conſulatum Juſtini Jun. Aug. ſolius II.*

Ann. 570. *V. P. C. Juſtini Jun. Aug. ſolius III.*

III. Novella ejuſdem Juſtini de filiis liberarum, quæ apud Julianum Antecefforem legitur, hoc modo ſignatur: *Dat. Kal. Mart. Conſtantinop. Imp. DN. PP. Aug. Juſtini ann. V. Indict. III. Quæſtor legi*, qui ut moris erat ſubſcripſit: *Dat. Kal. Mart. Conſtantinop. Imp. DN. Juſtino PP. Aug. ann. V. poſt Conſ. ejuſdem DN. ann. II.* Hæc poſterior ſubſcriptio mendoſa eſt, eamque optime emendavit Baluzius in Notis ad Capitularia Regum Francorum pag. 1155. legendumque docuit, *poſt. Conſ. IV.* quod probat ex Mario Aventicenſi, qui ad hunc annum habet: *anno IV. Conſ. Juſtini Junioris Auguſti*; uterque enim modo loquendi Victoriano utitur, ut jam a nobis obſervatum. Indictio tertia cum menſe Martio, ac Imperii Juſtini anno quinto connexa evincit eum regnare cœpiſſe anno 565. non vero ſequenti, alias eadem Indictio tertia cum menſe Martio conjuncta non niſi cum Imperii ejus anno quarto concurreret.

Anno 571. *VI. P. C. Juſtini Junioris Aug. ſolius* IV.

Ann. 572. *VII. P. C. Juſtini Junioris Aug. ſolius V.* Extat apud Scrimgerum Juſtini Novella hac ſubſcriptione notata: *dat. XV. K. Jun. Conſt. Imp. D. N. Juſt. PP. Aug. anno* VII. *poſt Conſ. ejuſdem anno* III. Sed mendum eſt in Poſtconſulatu, legendumque, ut ex dictis liquet, *poſt Conſ.* VI.

Ann. 573. VIII. *P. C. Juſtini Junioris Aug. ſolius* VI. Idem Scrimgerus Novellam Juſtini, quæ ordine quarta eſt, exhibet hac ſubſcriptione notatam: *dat. XV. K. Febr. Conſt. Imp. DN. Juſt. PP. Aug. an. VIII. poſt Conſ. ejuſdem ann. III.* Sed ea ut ſuperior emendari debet, reponendumque *poſt Conſ. ann.* VII.

Ann. 574. *IX. P. C. Juſtini Junioris. Aug. ſolius VII.* Apud Auctorem Chronici Alexandrini hæc verba leguntur: *hoc octavo Imperii ſui anno, Septembri menſe, die ſeptimo, octava Indictione* (a Septembri cœpta) *morbo correptus Juſtinus Auguſtus Tiberium Cæſarem creavit, nominavitque illum Conſtantinum, & vixit cum illo annos quatuor.* Sed non tantum in anno, verum & in die, ac menſe errat. Theophylactus Simocatta lib. 3. cap. 11. dicit id factum *menſe Decembri, ſexta die hebdomadis, Indictione nona.* Errat is in Indictione, quæ tantum octava erat, ut recte in Chronico Alexandrino. Tam menſem, quam annum quibus Tiberius Cæſar renuntiatus eſt, utrumque hactenus controverſum, certis argumentis infra demonſtrabo. Sufficiat hic ſignificare id hoc anno factum, qui nonus erat Juſtini, non octavus, ut perperam Auctor Chronici Alexandrini eum vocat.

Ann. 575. *X. P. C. Juſtini Junioris Aug. ſolius* VIII.

Ann. 576. *XI. P. C. Juſtini Junioris Aug. ſolius* IX.

Ann. 577. *XII. P. C. Juſtini Junioris Aug. ſolius* X. Viſitur Romæ Epitaphium cujuſdam Boetii, quod Paulus Aringhus tomo primo Romæ ſubterraneæ lib. 2. cap. 10. integrum retulit, in quo tempus depoſitionis ejuſdem Boetii hoc notatur: † DEP. EST BOETIUS CL. P. OCT. KAL. NOBR. INDICT. XI. IMP. DOM. N. JUSTINO. PP. AUG. ANN. XII. ET TIBERIO CONST. CAER. ANN. III. Quo ex Epitaphio plura ſummi momenti deduco. Primum Juſtinum purpuram ſumpſiſſe anno 565. aliter annus ejus duodecimus non concurreret cum Indictione undecima, neque cum anno Chriſti 577. a Septembri ea notato, ſed cum indictione duodecima, annoque 578. dies enim emortualis Juſtiniani, nempe decimus quartus Novembris a nimioe in dubium revocatur. Imo ipſe Theophanes, qui dicit eum mortuum die undecima Novembris, paulo poſt in viam redit, & ſcribit obiiſſe decima quarta ejuſdem menſis. Secundum Tiberium anno 574. creatum fuiſſe Cæſarem, alioqoin tertius Imperii ejus Cæſarei annus cum duodecimo Juſtini noo concurreret. Quare Spondanus, Calviſius, aliique qoi hanc nuncupationem in annum 575. referunt, toto cœlo errant. Tertium Tiberii nuncupationem factam eſſe menſe Decembri, ut recte ſcribit Theophylactus nuper laudatus, non vero menſe Septembri, ut perperam Auctor Chronici Alexandrini, alias anno XII. Juſtini die 25. Octobris, ſeu octavo Kalendas Novembris in Epitaphio memorato, anooque Chriſti 577. egiſſet jam annum quartum Imperii a die ſeptima Septembris inchoati. Quocirca locus Chronici Alexandrini, qui viros doctos excruciavit, corruptus eſt.

Anno 578. *XIII. P. C. Juſtini Junioris Aug. ſolius XI.* Auctor Chronici Alex. hæc habet: *Hoc anno XII. Juſtini Imperatoris menſe Septembri XXVI. XII. Indictione coronatus eſt ab ipſo Tiberius Junior Conſtantinus, & quinto die menſis Octobris Juſtinus Auguſtus vita exceſſit, & Tiberius Conſtantinus ſolus imperavit alios annos quatuor.* Recte omnia præterquam quod annos tantum duodecim Juſtino tribuit, qui regnavit aonos XIII. ut Cedrenus & Zonaras auctores ſunt, & ex dictis neceſſario ſequitur. Onuphrius, qui ejus initium recte collocarat, mortem ejus anno 576. perperam conſignat, anno ſcilicet poſt Conſulatum Juſtini nono, licet in præfatione Faſtorum ſuorum dicat Faſtos Maſſeiorum pervenire ad XII. *uſque Juſtini Junioris Auguſti Poſtconſulatus annum*, modo ſcilicet loqueodi Victoriano, quem ex iis verbis præfatum Anonymum uſurpare conſtat. Unde factum, ut Tiberii & Maurici, Juſtini ſucceſſorum annos tam Imperii, quam Conſulatus recte ordinare non potuerit.

VI. Tiberius ſolus imperat.

Anno 579. *Tiberio Juniore Conſtantino Auguſto primum Conſule.* Ita recte Auctor Chronici Alexandrini, cui Theophanes conſentit, qui hoc anno ſcribit: ἔῤῥιψεν ὑπατείαν πολλὴν, id eſt, *amplum Conſulare munus in populum ſparſit.* Onuphrius Conſulatum hunc in annum Chriſti 580. confert, in ſua opinione, Tiberii quartum. Quem etiam in errorem incidit Marius Aventicenſis, ſed alio fundamento innixus. Cum enim Juſtini initium anno uno tardius conſignarit, mortem ejus, Tiberiique exordium in hunc annum differre cogitur, ut eidem Juſtino annos tredecim attribuat, quo errore poſito Tiberii Conſulatus recte ab eo, anno ſeqoenti his verbis conſignatus: *ann. 1. Conſ. Tiberii Conſtantini Aug. Indict. XII.* & ſic deinceps, ſed Onuphrii error prorſus intolerandus.

Anno 580. *II. poſt Conſulatum Tiberii Aug. Junioris Conſtant.* Hujus etiam Imperatoris anni ſæpe a Cæſarea ejus dignitate enumerati. Extat apud Goltzium numiſma, in qoo hæc verba leguntur: DN. TIBERIUS PERP. P. F. AUG. ANN. VI. Cuſum illud anno præcedenti, quo Sextum Imperii Cæſarei annum inchoavit, vel ſaltem currenti, quo abſolvit. Baronius anno 584. num. ultimo refert Epiſtolam Pelagii II. Romani Pontificis ad Aunacharium Epiſcopum Altiſſiodorenſem, non, ut perperam ille interpretatur, Auxaoiom Arelatenſem datam, qua hortatur, ut ſuadeat Francorum Regibus opem ferre Romanæ Eccleſiæ Longobardorum incurſionibus laboranti, cujus Epiſtolæ tam in editione Vaticana, quam in aliis hæc ſubſcriptio eſt: *datum III. Non. Octob. Imperante Domino Tiberio, Conſtantinopoli Aug. anno VI. Coſ. ejuſdem anno Regum.* Sed loco *Regum*, legendum *ſecundo*, modo nempe loquendi Victoriaoo. Refertur eadem Epiſtola tomo quinto Conciliorum editionis Labbeanæ cum hac ſubſcriptione: *dat. III. Non. Octob. Imperante Domino Conſtantinopoli Auguſto, ann. VII.* Omiſſo Conſulatu, qua ratione

Digitized by Google

ne anni numerarentur Cæſareæ ejus poteſtatis, eaque Epiſtola vel hoc anno, vel ſequenti data eſſet.

VII. *Chronologia Tiberiana magis explicatur.* Anno 581. *III. poſt Conſulatum Tiberii novi Conſtantini Auguſti ſolius II.* Refert Labbeus in Appendice ad diſſertationem de Scriptoribus Eccleſiaſticis tomo primo clauſolam ſubjectam collectaneo ex libris S. Auguſt. ab Eugipio compoſito, juſſu Reducis Epiſcopi Neapolitani additam: *Sub die Iduum Decemb. Imperatore DN. Tiberio Conſtantinopoli Auguſti anno VII. poſt C. ejuſdem Auguſti ann. III. Indictione quinta decima, obſidentibus Longobardis Neapolitanam civitatem.* Quæ verba in duobus manuſcriptis codicibus leguntur. Joannes Mabillonius V. C. tomo ſecundo Analect. pag. 17. eamdem clauſulam refert, atque hos characteres in annum 582. convenire, ſed procul dubio hallucinatur: Indictio enim XV. a Septembri cœpta præſentem annum deſignat, & qui clauſulam appoſuit, uſus eſt loquendi modo Victoriano, qui virum eruditiſſimum in errorem induxit. Ex ea manifeſte deduco Tiberium anno 574. renunciatum fuiſſe Cæſarem, ſed non ſeptima die Septembris, quæ cum feria ſexta eo anno concurrebat, neque die ſeptima Decembris, quæ in eamdem feriam incidebat, licet id ſibi recentiores Chronologi perſuaſerint, eo quod Theophylactus die non expreſſa, menſe Decembri, feria ſexta Tiberium Cæſarem creatum ſcripſerit, Chronicon vero Alexandrinum die ſeptima Septembris id factum fuiſſe tradiderit, ab hoc nempe diem, a Theophylacto menſem & feriam mutuantes. Sed jam oſtendi ejuſdem Chronici Alexandrini Auctorem in menſe erraſſe; nunc in die falſum eſſe oſtendo. Si enim ſeptima die Decembris Cæſaream dignitatem Tiberius obtinuiſſet; Indictione XV. Idibus Decembris non ſeptimus, ſed octavus ejus numeraretur annus. Quare cum feria ſexta, menſe Decembri Cæſar creatus fuerit, ut teſtis eſt Theophylactus, idque poſt Idus, ſeu diem XIII. ejuſdem menſis, ut ex præfata clauſula elicitur, conſtat nuncupationem ejus contigiſſe, vel XIX. vel XXVII. die ejuſdem menſis Decembris, cum quibus tantum poſt Idus Decembris feria ſexta concurrit. Unde præfata clauſula evincitur primum Conſulatum Tiberii recte a nobis cum anno Chriſti 579. copulatum fuiſſe. Secundum eum anno 574. non vero ſequenti, ut perperam multi exiſtimarunt, Cæſarea dignitate decoratum fuiſſe. Tertium Chronicon Alexandrinum optime a nobis fuiſſe emendatum. Quartum Theophylactum menſem quo Tiberius dictus eſt Cæſar, recte obſervaſſe, ac denique obſidionem Neapolitanam a Longobardis, hoc anno, non vero ſequenti, ut idem Mabillonius credidit, factam.

VIII. *Tiberio ſuccedit Mauricius.* Anno 582. *IV. poſt Conſulatum Tiberii novi Conſtantini Aug. III. ſolius.* In Chronico Alexandrino hæc verba leguntur: *Hoc quarto Imperii ejuſdem anno apud Tiberium Cæſar, quinto Auguſti, XV. Indictionis præſentis, creatus eſt Cæſar Mauricius Tiberius, & XIII. Auguſti coronatus Auguſtus; data illi in uxorem a Tiberio Novo Conſtantino filia Conſtantina. XIV. Auguſti moritur Tiberius Novus Conſtantinus in Proecſſo Hebdomi.* Eo etiam die demortuum teſtes ſunt Theophanes & Cedrenus, qui eum tamen ſcribunt eum imperaſſe annos tres, menſes decem, & dies octo, quod & Zonaras, & Auctor Miſcellæ docent, diſſentiunt ab Auctore Chronici Alexandrini in initio Imperii ejuſdem Tiberii. Si enim anno 578. quinta die Octobris Imperium ſuſcepit, dies decem ſupra annos ac menſes eum imperaſſe dicendum. Quare fallitur Onuphrius, qui Tiberii mortem in annum ſequentem conjicit. Subſcriptio ſacræ Pragmaticæ Tiberii, qua Juſtini Junioris deceſſoris conſtitutiones confirmavit, his verbis concepta eſt: *data tertio Idus Auguſti, Conſtantinopoli: Imperatoris Domini noſtri Tiberii Conſtantini Auguſti anno VIII. & poſt Conſulatum ejus anno tertio, & nobiliſſimi Flavii Tiberii Mauricii Feliciſſimi Cæſaris anno primo.* Conveniunt hi characteres in hunc annum, ut manifeſtum eſt, ideoque Tiberii Conſulatus recte a nobis conſignatus anno 579. Et Imperium ejus Cæſareum menſe Decembri anni 574. inchoatum, ſi enim anno ſequenti eo donatus fuiſſet, annus currens non octavus, ſed ſeptimus tantum ejuſdem Imperii eſſet. Poſt Tiberium Mauricius imperavit.

Ann. 583. *Ind. Prima. Primus annus caruit Conſulibus, atque ex communi hominum ſenſu ſcriptum eſt. Poſt Conſulatum divinæ memoriæ Tiberii Conſtantini anno quarto.* Ita Chronicon Alex. Theophanes vero hoc anno hæc de Mauricio habet: *Hoc anno menſe Decembris die vigeſimo, Indictione ſecunda (a ſeptembri cœpta,) Imperator Conſul deſignatus magnorum Theſaurorum munera Urbi largitus eſt.*

IX. *Explicatur Conſulatus Mauricii.* Ann. 584. *II. Mauricio Tiberio Aug. primum ſolo Conſule.* Ita Auctor Chronici Alex. cui Theophanes, Cedrenus, Miſcella, & Theophylactus libro primo capite duodecimo ſuffragantur. Is ejuſdem Conſulatus pompam deſcribit: *Agebatur annus Mauricii ſecundus cum hyeme Conſul ornatus conſcenſo curru Imperatorio, ſumme conſpicuus erat; quem non equi, non muli, ſed homines (rei & nomen honoratiſſimum) trahebant* &c. Porro mendum irrepſit in textum Chronici Alexandrini, quod Jacobum Goar in Notis ad Theophanem pag. 601. irretitum tenuit: legitur eo in Chronico: ΙΝΔ. ϛ. ϛ μετὰ ὑπ'. Μαυρικίου Τιβερίου αὐγούστου τὸ πρῶτον μόνου. id eſt. *Indict. 2. anno 2. poſt Conſulatum Mauricii Tiberii Auguſti primum ſolius.* Sed rejicienda vox μετὰ, & vertendum: *Conſule Mauricio Tiberio Auguſto primum ſolo.* Idem tamen Goar Raderum reprehendit, quod verterit, *Mauricii ſecundo*, nempe anno, ipſeque ſic explicandum docet: *anno ſecundo. Videlicet*, inquit, *poſt Conſulatum Tiberii, annum quartum.* Sed perperam. Cum enim anno elapſo in Actis publicis conſignatum fuerit, *poſt Conſulatum Tiberii anno quarto*, uti tunc oſtendimus, ſi præfata verba ad eumdem Tiberium referrentur, non anno quarto, ſed anno quinto *poſt Conſulatum Tiberii* ſcribendum fuiſſet. At ea verba nullo modo ad Tiberium referri oſtendit eadem formula annis ſequentibus ab eodem Auctore Chronici Alex. uſurpata: annum enim ſequentem his verbis conſignat: ΙΝΔ. δ'. δ. μετὰ ὑπ' Μαυρικίου Τιβερίου αὐγούστου τὸ δεύτερον μόνου, id eſt, *Indict. IIII. Mauricii IIII. poſt Conſulatum Mauricii Tiberii Aug. ſolius.* Ubi vides vocem ὑπ' referri ad Mauricium, non vero ad Tiberium. Idem error irrepſit in idem Chronicon, ubi proponit Conſulatum Tiberii, ſcribit enim: ΙΝΔ. ιϛ'. δ μετὰ ὑπ' Τιβερίου Κωνσταντίνου αὐγούστου τὸ πρῶτον. Id eſt, *Indict. 12. primo* (nempe anno) *poſt Conſ. Tiberii Conſtantini Auguſti primum*, ubi Raderus, hujus particulæ μετὰ, uti addititiæ nulla ratione habita recte vertit, *Indict. 12. Tib. 5. Tiberio ſuo. Conſt. Aug. primum Conſule.* Quem & in errorem ejuſdem Chronici auctor incidit, dum Conſulatus Juſtini Junioris mentionem facit.

Anno 585. *III. poſt Conſulatum Mauricii Tiberii Aug. ſolius.*

Anno 586. *IV. poſt Conſ. Mauricii Tiberii Aug. II. ſolius.*

Anno 587. *V. poſt C. Mauricii Tiberii Aug. III. ſolius.*

Anno 588. *VI. P. C. Mauricii Tiberii ſolius IV.*

Anno 589. *VII. P. C. Mauricii Tib. Aug. V.*

An-

Digitized by Google

Anno 590. *VIII. P.C. Mauricii Tib. Aug.VI.* Hoc anno *menſis Martii die ſexto ſupra vigeſimum, Indictione octava Theodoſius Mauricii Imperatoris ſupremi filius, die Paſchatis ſancto a Johanne Patriarcha, quatuor ſolis annis cum medio natus coronam Imperii accepit*. Ita Theophanes, cui Cedrenus, Zonaras, Auctor Miſcellæ & Chronici Alexandrini conſentiunt. Addit hic ultimus eum tantum coronatum fuiſſe, ſed non in ſocietatem adminiſtrationis vocatum. Falluntur itaque Onuphrius & Calviſius, qui hanc inaugurationem in annum ſequentem rejiciunt.

X. *Continuatio Imperii Mauricii.* Anno, 591. *IX. P.C. Mauricii Tiberii Aug.VII.* Mauricii Poſtconſulatuum ſeriem confirmat S. Gregorius Papa, qui initio libri ſecundi Epiſt. Indictione decima menſe Septembri, de quodam Laurentio Diacono loquens, ait: *Conſulatus Mauricii Auguſti anno ſeptimo depoſitus eſt Laurentius*, ubi vides Gregorium modo loquendi Marcelliniano uti, & inter Conſulatum & Poſtconſulatum diſcrimen non ſtatuere.

Anno 592. *X. P. C. Mauricii Tiberii VIII.*

Anno 593. *XI. P. C. Mauricii Tiberii Auguſti IX.*

Anno 594. *XII. P. C. Mauricii Tiberii Auguſti X.*

Anno 595. *XIII. P. C. Mauricii Tiberii Auguſti XI.*

Anno 596. *XIV. P. C. Mauricii Tiberii Auguſti XII.* Gotſelinus Bertinianus Monachus, qui vertente ſeculo undecimo vitam S. Auguſtini Cantuarienſis epiſcopi, primique Anglorum Apoſtoli accurate deſcripſit, capite ſeptimo refert Epiſtolam S. Gregorii Papæ ad Auguſtinum & ſocios miſſam, quæ his verbis ſubſcribitur: *datu die X. Kal. Auguſtarum, imperante Domino noſtro Mauricio Tiberio piiſſimo Auguſto; anno XIV. poſt Conſulatum ejuſdem anno XIII. Indictione XIV.* Et capite octavo aliam Epiſtolam habet, quam idem Pontifex dedit ad Virgilium, (erat is Epiſcopus Arelatenſis perperam a Gotſelino Ætherius vocatus, qui error ex Beda libro 1. cap. 24. propagatus eſt,) qua ei etiam S. Auguſtinum, ſocioſque commendat, quæ eadem pariter ſubſcriptione notata eſt. Mabillonius tomo primo Sanctorum Ordinis S. Benedicti in notis ad vitam ejuſdem S. Auguſtini dicit in his Epiſtolis Mauricii Conſulatum anno uno tardius numerari, ſed perperam; contra enim ex his evincitur Mauricii Conſulatum recte a nobis conſignatum fuiſſe, cum Gregorius, qui in iis modo loquendi Victoriano utitur, hunc annum poſt Conſulatum Mauricii decimum tertium vocet, qui modo loquendi Marcelliniano, quo utor, duodecimus tantum eſt.

Anno 597. *XV. P. C. Mauricii Tiberii Aug. XIII.*

Anno 598. *XVI. P. C. Mauricii Tiberii Aug. XIV.*

Anno 599. *XVII. P. C. Mauricii Tiberii Aug. XV.*

XI. *Reliquum Mauricii imperium.* Anno 600. *XVIII. P. C. Mauricii Tiberii Aug. XVI.* Hoc anno S. Gregorius Papa lib. 9. Indict. 4. Epiſt. 22. Probo Abbati teſtandi facultatem concedit de his bonis quæ ante ſuſceptum habitum monaſticum habuiſſet. Initio Epiſtolæ hæc verba leguntur: *Imperantibus Domino Mauricio & Tiberio* (legendum Theodoſio, ut emendat Onuphrius, Tiberius enim alter Mauricii filius Auguſtus non fuit, vel legendum, imperante Domino Mauricio Tiberio Auguſto) *Auguſtis, anno Incarnationis Dominicæ ſexcenteſimo primo eodemque Domino undecies Conſule, ſub die tertio nonarum Octobrium.* Qua in epiſtola, quæ data eſt *menſe Novembris, indictione quarta*, eadem Indictio quarta cum die III. Kalend. Octob. conjungitur, cœptaque a Septembri currentis anni evincit eam eodem anno, non vero ſequenti ſcriptam eſſe, ideoque Onuphrium & Baronium in Annalibus hallucinatos eſſe qui eamdem in annum 601. conjiciunt. Divus enim Gregorius ſequutus eſt Dionyſium Exiguum, qui Incarnationem anno Juliano 45. conſignavit, eumque primum Eræ Chriſtianæ vocavit. Unde eadem Era prout ab ipſo auctore inſtituta eſt, annum unum plus colligit, quam quæ poſtea prævaluit, quave etiam hodie in Occidente utimur, ſed de ea alias. Error porro eſt in his verbis *undecies Conſule*, legendum enim *ſedecies Conſule*, quem errorem cum non advertiſſet Onuphrius in Faſtis in alium incidit, ſcripſitque Mauricium anno 592. ſecundum Conſulatum geſſiſſe, eumque ad duodecimum continuaſſe, quam etiam in rem Faſtos Græcos, ſeu Chronicon Alexandrinum, ac Maffejorum Faſtos laudat, & currentem annum decimo Mauricii Conſulatu notat. Sed Chronicon Alexandrinum non aliter annos Imperii & Conſulatus Mauricii, quam nos numerat, & Faſti Maffeiorum ſi in lucem ederentur, ei ſine dubio contrarii eſſent. Hic itaque ſolus Gregorii locus hujus erroris fundamentum fuit. In eo Gregorius modum loquendi Marcellinianum uſurpat, ac præterea Conſulatum cum Poſtconſulatu confundit.

Anno 601. *XIX. P. C. Mauricii Tiberii Aug. XVII.* Divus Gregorius lib. 9. Indictione IV. Epiſtolam ſexageſimam Adalberto Anglorum Regi ſcriptam his verbis conſignat: *dat. die X. Kal. Juliarum, imperante Domino Noſtro Mauricio Tiberio piiſſimo Auguſto, anno XIX. poſt Conſulatum ejuſdem Domini noſtri anno XVIII. Indict. IV.* Epiſtola ſexageſima tertia ejuſdem libri, qua Virgilio Epiſcopo Arelatenſi Auguſtinum Epiſcopum, primum nempe Anglorum Apoſtolum commendat, eadem die, & cum eadem ſubſcriptione data eſt, ſicuti & Epiſtola ſeptuageſima prima ejuſdem libri noni Mellito Abbati in Franciis in cauſa ejuſdem Auguſtini ſcripta, niſi quod decimo quinto Kal. Juliarum data eſt. Ex quibus ſubſcriptionibus manifeſte liquet primo Gregorium modum loquendi Victorianum ſæpe uſurpare. Secundo Onuphrium perperam duodecim Conſulatus Mauricio attribuiſſe, locumque Gregorii ex libro nono Epiſtola 22. deſumptum, optime a nobis fuiſſe emendatum. Si enim in ea Epiſtola anno ſuperiori ſcripta Mauricium undecies Conſulem Gregorius nominaſſet, eum hoc anno duodecies Conſulem vocaret, neque uteretur hac formula anno XIX. poſt ejus conſulatum.

XII. *Phocas Mauritio in Imperio ſuccedit.* Anno 602. *XX. P. C. Mauricii Tiberii Aug. XVIII.* Hoc anno *menſe Februario per ſeptem dies ſolemnia nuptiarum Theodoſii filii Mauricii peracta ſunt. Menſe vero Novembri Phocas cum exercitu contra Mauricium ſeditionem movit, & Mauricius cum uxore Conſtantina, & novem liberis, ſex maribus, & tribus virginibus, XXII. menſis Dii, qui Romanis eſt November, noctu, illuceſcente jam XXIII. die, qui fuit feria ſexta, fugit. Phocas autem XXIII. ejuſdem menſis feria ſexta a Cyriaco Patriarcha Cp. in æde veneranda S. Joannis, quæ eſt in Hebdomo, inauguratur. XXV. die dicti menſis, die Dominico, Conſtantinopolim ingreſſus eſt.* Ita Chronic. Alex. Hi characteres in hunc annum competunt. Comprehenſus idem Mauricius cum uxore, & octo liberis, *XXVII. die ejuſdem Menſis feria tertia occiditur* ad Chalcedonem cum Tiberio, Petro, Juſtino, & Juſtiniano ejus filiis, ut idem Chronicon Alexandrinum habet. Imperavit itaque annos viginti, menſes tres, dies aliquot, ac eumdem Phocam ſucceſſorem habuit. *A XXV. ejuſdem menſis* (nempe Novembris) *in reliquam anni partem uſque ad Januarium nempe præſentis Indictionis VI.* (Quæ Kal. Januariis anni 603. inchoatur) *perſcriptum eſt in publicis Imperii Actis. Phocæ anno primo.* Ita auctor Chronici Alexandrini.

An-

Anno 603. Chronicon Alexandrinum hoc anno ait: INΔ. ς'. δ ὑπ' Φωκᾶ αὐγούστου μόνου, id eſt, *Indict. VI. Phoca primus, Phoca Aug. ſolo Conſule*. Sed locum iſtum corruptum eſſe ex ſex ultimis Phocæ annis ab auctore ejuſdem Chronici recte diſpoſitis, manifeſte patet. Præterquamquod Phocæ Conſulatus non in hunc, ſed in ſequentem annum cadit. Dicendum itaque hoc anno præfatam formulam uſque ad Indictionem ſeptimam, annum nempe ſequentem continuatam, ſcriptumque in Actis publicis fuiſſe: *Phoca anno primo*. Sic enim primus Juſtini Junioris, qui non niſi altero Imperii anno Conſul proceſſit, annus notatus fuit. *Hoc anno menſis Decembris die ſeptimo, Indictione ſeptima* (a Septembri inchoata) *ad ſolitas feſtorum ſolemnitates ſparſis in populum pro Conſulatu more nummis, proceſſit* Phocas, inquit Theophanes, cui Cedrenus conſentit. Quare Phocæ Conſulatus non hoc anno geſtus, ut mox magis liquebit.

Anno 604. *Secundo Phoca, Phoca Aug. ſolo Conſule*. Verum quidem eſt in Chronico Alexandrino hoc anno legi: *Phoca II. poſt Conſulatum Phocæ Auguſti*, ſed legendum: *ſecundo* (*nempe anno*) *Conſule Phoca Aug.* ζ', β' ὑπ' Φωκᾶ αὐγούστου, non vero ζ', ς' μετὰ ὑπ' Φωκᾶ αὐγούστου, hanc enim particulam μετὰ ſæpe in illud Chronic. perperam irrepſiſſe jam ſupra monuimus. Et quidem Phocæ Conſulatum in hunc annum cadere Onuphrius etiam vidit, confirmaturque ex Divo Gregorio Papa, in Epiſtola ad Felicem Subdiaconum, quam Margarinus V. C. Ordinis S. Benedicti, mihique amiciſſimus initio tomi ſecundi Bullarii Caſinenſis refert, cujus hæc eſt ſubſcriptio: *dat. VIII. Kal. Februarias DN. D. Phoca Aug. anno ſecundo, & Conſulatus ejus anno primo, Indict. VII.* Quæ Kalendis Januariis hujus anni incipit. Ex quibus patet Petavium erraſſe, dum in Notis ad Breviarium Hiſtoricum S. Nicephori Patriarchæ CP. pag. 73. Editionis Luparex, ſcribit Phocam anno 603. Indictione ſexta Conſulatum iniiſſe, & hoc anno cœpiſſe numerari, *poſt Phoca Conſulatum anno primo*, ſicuti & Dufreſnium qui in Diſſertat. de nomiſmat. inferioris ævi num. 75. numerat hunc annum *poſt Conſulatum Phocæ Auguſti*. Ex quo factum ut neuter annos eumdem Conſulatum conſequentes cum Imperii annis recte copularit. Nam, ut hujus capitis initio diximus, Conſulatu in Faſtis Byzantinis perperam conſignato in Era Imperii errare neceſſe eſt.

XIII. *Ab hoc anno Chron. Alexand. annos Imperii & Conſulatus Phocæ recte conſignat.*

Anno 605. *Phoca III. poſt Conſulatum Phocæ Auguſti primum*. Ita Chronicon Alexandrinum, INΔ. η' γ' μετὰ ὑπ'. Φωκᾶ αὐγούστου τὸ πρῶτον. Si itaque is annus primus eſt poſt Phocæ Conſulatum, anno præcedenti, non vero anno 303. Conſulatum ſumpſit.

Anno 606. *Phoca IV. poſt Conſulatum Phocæ Aug. II.* Ita idem Chronicon Alexandrinum, cujus priores anni perperam collocati ex poſterioribus, qui ibidem accurate conſignati ſunt, emendandi.

Anno 607. *V. P. C. Phocæ Aug. III.* Ita recte idem Chronicon, in quo & legitur: *Hoc anno menſe Audinæo apud Romanos XXIII. Januarii creatus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus Thomas magnæ Eccleſiæ Diaconus, & Patriarchæ Sacellarius ultra expetitus*. Quæ perperam a Baronio in Annalibus in annum ſequentem conferuntur, uti recte obſervat Petavius in Notis ad Breviarium Nicephori CP. pag. 73. ſed quod affert ad emendandum idem Chronicon Alexandrinum prorſus rejiciendum: *At vero corrigendum*, inquit, *Chronicon dum Phoca V. quo creatus eſt Thomas Indict. X. notat poſt Conſulatum Phocæ III. ſiquidem Phocæ primus inchoatur ex eodem Chronico Indict. VI. Novemb. XXV. Dominica, cum die XXIII. feria ſexta inauguratus eſſet a Cyriaco. Annus eſt Chriſti 603. Cyclo ſolis XXIII. Litt. Dom. G. anno 603. Indict. VI. Phocas Conſulatum iniit. Ergo anno 604. Phoca II. Indict. VIII. numerari cœpit poſt ejus Conſulatum I. anno deinde 605. Phoca III. Indict. VIII. annus fuit poſt Conſulatum II. itaque anno 606. Phoca IV. Indict. IX. eſt ab ejus Conſulatu III. annus vero 607. Phocæ V. Indict. X. poſt ejus Conſulatum ordine IV. eſt. Male igitur in Græco Indictione IX. & X. bis iteratur* τὸ γ' *Hæc paulo accuratius a nobis excuſſa ſunt, ut & illorum temporum Hiſtoria, & luculentiſſimo Chronico aliqua ex parte conſuleretur.* At hoc non eſt hujuſmodi Operi conſulere, ſed majorem labem inferre; duo enim priores anni in eo depravati, reliqui ſex accurate conſignati, niſi quod perperam cum anno Imperii ejus quarto & quinto ſeu Indictione IX. & X. conjungitur *poſt Conſulatum III.* repetito nempe, τὸ γ' errore ſine dubio Librarii, jam a Radero in verſione emendati. Priores itaque anni poſterioribus, pauci pluribus, corrupti integris & ſanis, non e contra corrigendi. Præterquam quod ex Theophane, Cedreno, & D. Gregorio laudatis liquet, Conſulatum Phocæ in annum 604. cadere, ideoque in eodem Chronicon perperam cum Indictione ſexta, annoque 603. eumdem copulari. Quare emendatio noſtra certiſſima.

Anno 608. *VI. P. C. Phocæ Auguſti IV.* Ita Chronic. Alex.

Anno 609. *VII. P. C. Phocæ Aug. V.* Ita etiam idem Chronic.

Anno 610. *VIII. P. C. Phocæ Aug. VI.* Ita pariter idem Chronic. Unde ultimus hic Phocæ annus male a Petavio cum ſeptimo poſt ejus Conſulatum conjungitur; quem etiam in errorem ideo lapſus eſt Onuphrius, quod Phocam anno tantum ſequenti demortuum arbitratus fuerit. Unde factum, ut omnes Heraclii Phocæ ſucceſſoris, tam Imperii quam conſulatus annos perperam conſignarit. Porro Phocam hoc anno occiſum tam certum, quam quod certiſſimum; idem enim Chronicon Alexandrinum ſcribit Octobris *die tertio Indictione XIV. Sabbato* apparuiſſe magnam claſſem, in qua erat Heraclius. *Die vero ſexto ejuſdem menſis feria ſecunda illuceſcente*, Phocam omnibus nudatum veſtibus, impoſitum navi, deportatum fuiſſe ad Heraclium, qui eum occidi juſſit, caputque ejus conto præfixum per mediam urbem circumferri. Addit idem Chronicon: *Hora nona ejuſdem diei Lunæ Heraclius in Imperatorem inauguratus eſt a Sergio Patriarcha CP. in templo magno*. Is hoc anno Thomæ Patriarchæ die XX. feria ſexta demortuo ſucceſſerat, ut ait idem Chronicon. Qui characteres omnes in hunc annum competunt, niſi quod loco *die ſexto*, legendum die quinto, ſeu, ut inquit Petavius in Notis ad Breviarium Nicephori CP. pro Octobris ς', ſubſtituendum eſt ε'. Nam ſi ejus menſis III. feria VII. fuit, ut paulo antea dixit, utique feria II. ejuſdem quinta die fuerit. XIV. *Heraclius Phocæ ſuccedit.*

Quintus itaque Octobris dies, in quem hoc anno feria ſecunda incidebat, Natalis Imperatoris Heraclii fuit. *A ſeptimo Octobris præſentis Indict.* XIV. (nempe a Septembri cœptæ) *uſque ad XIII. Januarii Indictionis ejuſdem in publicis Imperii Heraclii tabulis. Et a XIV. ejuſdem Indict. ejuſdem menſis ſcriptum eſt in reliquum tempus anni uſque ad Decembrem, nempe expletum. XV. Indictione & Conſulatu ejuſdem religioſiſſimi noſtri Principis. Et ſi enim in bigis ſeu curru non eſt progreſſus, illud tamen tempus ipſius Conſulatus tranſcriptum eſt*. Ita auctor Chronici Alexandrini, quorum verborum explicationem vide capite ſequenti n. X.

Anno 611. A die XIV. Januarii acta publica conſignata: *Heraclio Auguſto Conſule*.

Anno 612. II. *Poſt Conſulatum Heraclii Auguſti*. Ita Chronicon Alexandrinum, in quo legitur, Heraclium Juniorem, qui & Conſtantinus dictus eſt, tertia Maii, feria quarta, natum eſſe.

Anno 613. III. *P. C. Heraclii Aug. II. hoc anno menſe Audynao Romanis* XXII. *Decembris filius Heraclius Junior, Conſtantinus Imperator a patre ſuo Heraclio in palatio inauguratus eſt* . . . . *a* XXII. *Januarii imperatum eſt, uti ſcriberetur poſt illa ſolemnia [in nomine &c.] Imperii religioſiſſimorum noſtrorum Principum, & Maximorum beneficiorum Auctorum Flavii Heraclii piiſſimi anno III. poſt Conſulatum ejuſdem anno II. & Flavii Heraclii Junioris Conſtantini a Deo cuſtoditi filii ejus, anno primo ſemper Auguſtorum, Imperatorum*. Ita auctor Chronici Alexandrini. Theophanes tamen ait, Heraclium Juniorem *Decembris die vigeſimo quinto, prima Indictione*, anno nempe præcedenti, quo ea Indictio menſe Septembri cœpit, eam coronationem factam fuiſſe.

Anno 614. IV. *Poſt Conſulatum Heraclii Auguſti III. a* XXII. *Januarii ſcribitur: Imperii Heraclii Junioris Conſtantini anno II.* Ita Chronic. Alexand.

Anno 615. *V. P. C. Heraclii Aug.* IV. *a* XXII. *Januarii ſcribitur: Imperii Heraclii Junioris annus* III. Chronic. Alexand.

Anno 616. VI. *P. C. Heraclii Aug. V. a* XXII. *die menſis Januarii ſcribitur: Imperii Heraclii Junioris Conſtantini annus quartus*. Chronic. Alexand.

Anno 617. VII. *P. C. Heraclii Aug.* VI. *a* XXII. *Januarii ſcribitur: annus Imperii Regni Heraclii Junioris quintus*. Chronic. Alexandr. Theophanes in Chronico habet; *Hoc eodem anno Januarii menſis die primo, Indictione quinta Conſtantinus Junior, qui & Heraclius, Heraclii filius Conſul renuntiatus eſt: qui Conſtantinum minorem proprium fratrem Heraclio & Martina genitum declaravit Cæſarem*. Idem habent Cedrenus, & Auctor Miſcellæ. Sed Heraclii Junioris Imperii tantum anni, non vero Conſulatus numerati, uti ex eodem Chronico Alexandrino, in quo anni patris & filii ad uſque decimum octavum Imperii ejuſdem patris, accurate digeruntur, liquet.

Anno 618. VIII. *P. C. Heraclii Aug.* VII. *a* XXII. *die Januarii ſcribitur: annus Heraclii Junioris Conſtantini* VI. Chronic. Alex.

XV. *Reliquum Heraclii Imperium.* Anno 619. IX. *P. C. Heraclii Aug.* VIII. *& a* XXII. *ejuſdem Indictionis menſis Januarii ſcribitur: annus Imperii Heraclii Junioris Conſtantini* VII. Chronicon Alexand. hujus anni mentio in antiquo diplomate Heraclii, cujus ſubſcriptio ab Onuphrio refertur: *Data Kal. Maii Conſtantinopoli, imperantibus Augg. Fl. Heraclio anno* IX. *& poſt Conſulatum ejuſdem anno* VIII. *& Heraclio Conſtantino Juniore filio anno* VII. *Indictione* VII.

Anno 620. X. *P. C. Heraclii Aug.* IX. *& a* XXII. *ejuſdem Indictionis Januarii menſis ſcribitur: annus Heraclii Junioris Conſtantini* VIII. Chronic. Alexand.

Anno 621. XI. *P. C. Heraclii Aug.* X. *Herac. Jun.* IX. Hujus ſemper Conſulatu a XXII. die Januarii cœpto, quod brevitatis cauſa impoſterum omittemus.

Anno 622. XII. *P. C. Heraclii Aug.* XI. *Herac. Jun.* X.

Anno 623. XIII. *P. C. Heraclii Aug.* XII. *Herac. Jun.* XI.

Anno 624. XIV. *P. C. Heraclii Aug.* XIII. *Herac. Jun.* XII.

Anno 625. XV. *P. C. Heraclii Aug.* XIV. *Herac. Jun.* XIII.

Anno 626. XVI. *P. C. Heraclii Aug.* XV. *Herac. Jun.* XIV.

Anno 627. XVII. *P. C. Heraclii Aug.* XVI. *Herac. Jun.* XV.

Anno 628. XVIII. *P. C. Heraclii Aug.* XVII. *Herac. Jun.* XVI.

Anno 629. XIX. *P. C. Heraclii Aug.* XVIII. *Herac. Jun.* XVII.

In Bibliotheca veteris Juris Canonici pag. 1361. refertur Novella Heraclii, qua privilegia Epiſcopis & ſolitariis conceſſa confirmantur, cujus hæc ſubſcriptio; *Dat.* XII. *Kal. April. Imperii Heraclii piiſſimi anno* XIX. *& Heraclii novi Conſtantini anno* XVII. Ubi vides utriuſque Conſulatus nullam fieri mentionem, quia ſcilicet poſt Faſtos Byzantinos introductos Acta publica dupliciter notabantur, vel annis Imperii & Conſulatus ſimul, vel annis tantum Imperii: quæ ſecunda forma longe frequentior priori, Unde factum ut tam pauca ſuperſint Acta, ac monumenta, in quibus annus Conſulatus memoretur.

Anno 630. XX. *P. C. Heraclii, Aug.* XIX. *Herac. Jun.* XVIII. Hoc anno *Indictione quarta* a Septembri cœpta, *Novembris die ſeptimo, Heraclius Heraclii Junioris Conſtantini dicti filius, magni Heraclii nepos in lucem venit*, Ita Theophanes.

Anno 631. XXI. *P. C. Heraclii Aug.* XX. *Herac. Jun.* XIX.

Anno 632. XXII. *P. C. Heraclii Aug.* XXI. *Herac. Jun.* XX.

Anno 633. XXIII. *P. C. Heraclii Aug.* XXII. *Herac. Jun.* XXI.

Anno 634. XXIV. *P. C. Heraclii Aug.* XXIII. *Herac. Jun.* XXII.

Anno 635. XXV. *P. C. Heraclii Aug.* XXIV. *Herac. Jun.* XXIII.

Anno 636. XXVI. *P. C. Heraclii Aug.* XXV. *Herac. Jun.* XXIV.

Anno 637. XXVII. *P. C. Heraclii Aug.* XXVI. *Herac. Jun.* XXV.

Anno 638. XXVIII. *P. C. Heraclii Aug.* XXVII. *Herac. Jun.* XXVI.

Anno 639. XXIX. *P. C. Heraclii Aug.* XXVIII. *Herac. Jun.* XXVII.

Anno 640. XXX. *P. C. Heraclii Aug.* XXIX. *Herac. Jun.* XXVIII.

Nicephorus Cp. paulo antequam Heraclii Auguſti mortem narret, ait: *Heraclium filium Conſulem facit. Davidem, & Marinum alios liberos Cæſares appellat, Auguſtinam & Martinam filias Auguſtas*. Sed incertum an hoc vel ſequenti anno Conſulatus is geſtus fuerit; quod tamen nihil ad Faſtos facit, in quibus tam hujus, quam illius, de quo anno 627. locuti ſumus nulla ratio habetur.

Anno 641. XXXI. *P. C. Heraclii Aug.* XXX. *Herac. Jan.* XXIX. Heraclius Auguſtus poſtquam *Conſtantinum & Heraclium filios ſuos æquo jure hæredes Imperii inſtituit, moritur ætatis anno ſexageſimo ſexto, Imperii trigeſimo, quartoque inſuper menſe, & die ſexto*, inquit Nicephorus Patriarcha CP. Dies itaque ejus emortualis undecimus Februarii currentis anni videtur fuiſſe; quod & ipſe Cedreni error indicat: ait enim die undecima Martii vita functum eſſe cum imperaſſet annos triginta, menſes decem, cui quoad annos & menſes conſentit Theophanes, qui de die non loquitur. At cum certum ſit Cedrenum in menſibus erraſſe, exiſtimandum eſt eum & in menſe, quo obiit erraſſe, ſed non quoad diem, cum eumdem exhibeat Nicephorus. *Conſtantinus* (inquit idem Nicephorus) *cum octo & viginti annos cum Patre imperaſſet, ac centum & tribus diebus ſupervixiſſet, moritur; poſt quem Imperator Heraclius appellatur, quo cum communiter Martina Imperium adminiſtrabat*. Secundum hanc ſupputationem Heraclius Conſtantinus die viceſima quarta Maii veneno a Noverca Martina ſublatus eſt, Poſt eum Heraclius alter ejuſdem Mar- XVI. *Utriuſque Heraclii obitus, & Conſtantis ſucceſſio.*

tinæ

tinæ filius, quem Theophanes Heracleonam vocat, cum matre poteſtatem obtinet, imperatque menſes ſex, ut habet Cedrenus, poſt quos Senatus eumdem cum Martina matre dejicit, Conſtantini filio ad Imperium evecto. Petavius in Notis ad Nicephorum CP. ex eo quod idem Nicephorus & Theophanes, poſtquam Heracleonæ a Senatu abrogatum fuiſſe Imperium narrarunt, inquiunt Pyrrhum e ſede Conſtantinopolitana dejectum, ac Paulum ejus loco ſuffectum Octobri menſe, Indictionis decimæ quintæ a Septembri currentis anni cœptæ, recte deducit ſex illos menſes non eſſe a Conſtantini Heraclii filii, ſed ab Heraclii ipſius obitu numerandos. Itaque hoc anno circa Auguſtum menſem Heracleona pulſo Conſtans Imperium auſpicatus eſt.

Anno 642. *Anno primo Conſtantis Auguſti.*

Anno 643. *Anno ſecundo. Conſtante Auguſto Conſule.* Margarinus initio tomi primi Bullarii Caſinenſis reſcriptum Theodori Pontificis Romani refert, hac ſubſcriptione notatum: *Dat. IV. Nonas Maii Imperii Domini piiſſimi Auguſti Conſtantini anno ſecundo, Conſulatus primo, Indictione prima, anno Domini* 643. Ex qua ſubſcriptione, quæ iiſdem pene verbis a Theodoro, ac ea, in qua Phocæ Conſulatus mentio a Divo Gregorio exprimitur, manifeſte liquet Conſtantem, qui & Conſtantinus ab antiquis aliquando nominatus reperitur, altero Imperii anno, non vero priori Conſulatum aſſumpſiſſe; erratumque eſſe ab Onuphrio, & Dufreſnio Diſſertat. de Numiſmat. inferioris ævi num. XV. qui ſcribunt, eumdem Conſtantem anno 642. Conſulatum iniiſſe. Contendit Dufreſnius id ex præfata ſubſcriptione colligi, Conſtantemque prima die Januarii illius anni, quo menſe Junio, inquit, annus ſecundus Imperii ejus inchoabatur, eam dignitatem ſuſcepiſſe, non vero currenti anno, quo eodem menſe Junio tertius ejus Imperii annus incæpit. In Gloſſario mediæ, & infimæ latinitatis verbo *Conſul* addit Conſtantinopolitanos Imperatores Conſulatur, & imperii annos conjunxiſſe ſi ſub anni finem utramque dignitatem aſſecuti eſſent; quod ſi ſecus, Conſulatus annum a Kalendis Januariis ſubſequentis auſpicatos eſſe, ut, inquit videre eſt in ſubſcriptione Epiſtolæ Theodori Papæ; ex qua colligit Conſtantem Conſulatum indeptum eſſe Kalendis Januariis, Indictione XV. anno nempe 641. Imperii vero ejus ſecundo, menſe Junio ejuſdem anni inchoato. Sed hæc omnia frivola eſſe oſtendit initium Theodori, qui non niſi menſe Novembri præfati anni 642. ad Pontificatum evectus eſt, ut ex Anaſtaſio Bibliothecario jam viri eruditi obſervarunt. Præterea poſt Faſtos Byzantinos in uſum vocatos, omnes Orientis Imperatores, quos Auctores produnt anno Imperii altero Conſulatum ſumpſiſſe, non niſi eo anno jam incepto illum capeſſere, quemadmodum de Juſtino Juniori, de Mauritio, ac de Phoca jam oſtenſum. Quare cum liqueat Conſtantem anno ſecundo Imperii Conſulem proceſſiſſe, non niſi in currentem annum Conſulatus hic incidere potuit; ſi enim Dufreſnii ratio valeret, ſequeretur Tiberium & Heraclium ſecundo etiam Imperii anno Conſulatum ſuſcepiſſe, cum ipſo anno, quo eam dignitatem geſſere, alter eorum Imperii inchoatus fuerit. Quæ vero addit idem Dufreſnius de Imperatoribus Orientalibus ac Republica litteraria optime meritus, circa Imperii & Conſulatus annorum conjunctionem, capite ſequenti confutabitur.

Anno 644. III. *P. C. Conſtantis Aug.*

Anno 645. IV. *P. C. Conſtantis Aug.* II.

Anno 646. V. *P. C. Conſtantis Aug.* III.

Anno 647. VI. *P. C. Conſtantis Aug.* IV.

Anno 648. VII. *P. C. Conſtantis Aug.* V.

Anno 649. VIII. *P. C. Conſtantis Aug.* VI.

Anno 650. IX. *P. C. Conſtantis Aug.* VII.

Anno 651. X. *P. C. Conſtantis Aug.* VIII.

Anno 652. XI. *P. C. Conſtantis Aug.* IX.

Anno 653. XII. *P. C. Conſtantis Aug.* X.

Anno 654. XIII. *P. C. Conſtantis Aug.* XI. XVII. *Reliquum Imperium Conſtantis.*

Hoc anno Conſtantinus Pogonatus Conſtantis filius a patre Auguſtus appellatus. Quod ex dicendis cap. ſequenti manifeſtum fiet.

Anno 655. XIV. *P. C. Conſtantis Aug.* XII.

Anno 656. XV. *P. C. Conſtantis Aug.* XIII.

Anno 657. XVI. *P. C. Conſtantis Aug.* XIV.

Anno 658. XVII. *P. C. Conſtantis Aug.* XV.

Anno 659. XVIII. *P. C. Conſtantis Aug.* XVI.

Hoc anno Conſtans Heraclium & Tiberium filios natu minores Cæſares nuncupavit, ut ex ſexta Synodo generali, de qua infra, deducitur.

Anno 660. XIX. *P. C. Conſtantis Aug.* XVII.

Ann. 661. XX. *P. C. Conſtantis Aug.* XVIII.

Baudemundus Monachus Elnonenſis, æqualis ſancto Amando Epiſcopo Trajectenſi anno 679. ſexto Februarii demortuo, in hujus vita annum regni Conſtantini XXIII. cum anno Incarnationis 661. copulat. Quod Mabillonio ſæculo II. Benedictino, in Notis ad eandem Vitam p. 724. locum præbet ſuſpicandi Conſtantem, ſeu Conſtantinum anno 639. regnum iniiſſe. Eo magis quo Fredegarius in Chronico cap. 81. huic calculo favere videatur, cum primum ejuſdem Conſtantis annum ſecundo Clodovei, hujus nominis ſecundi anno illiget. Sed hoc nullo modo dici poteſt, certum enim Heraclium anno Chriſti 641. demortuum eſſe, cum præter ea quæ jam in hanc rem diximus, S. Maximus Martyr, qui hujus Imperatoris tempore vixit, annoque Diocletiani 357. qui anno Chriſti 640. menſe Auguſto inchoatur, computum ſuum ſcripſit, aſſerat eum annum Indictione XIV. notatum, ac ultimum Heraclii fuiſſe. Præterea cum Conſtantinus annos tantum XXVII. imperarit, ut infra dicetur, ſi Imperium anno 639. capeſſiſſet, anno 665. e vivis exceſſiſſet, quod ut dicamus ſequentium Imperatorum Chronologia non patitur. Quare nullum dubium quin Baudemundus quemadmodum in morte ejuſdem S. Amandi anno 661. conſignanda, ita & in anno Conſtantis cum eadem morte copulando erraverit; quod & de Fredegario aſſerendum, qui ſcribit Conſtantinum anno ſecundo Clodovei II. quove Sintilla Hiſpaniarum Rex mortuus eſt, Chriſti nempe 640. non 639. ut perperam vir eruditus interpretatur, naturæ debitum ſolviſſe, eique Conſtantem ſucceſſiſſe, quod utrumque falſum eſſe, quæ jam diximus ſatis oſtendunt. Ejuſdem Baudemundi errores Chronologicos in ea vita deſcribenda recte obſervarunt idem Mabillonius, Bollandus & Henſchenius tom. 1. Februarii in vita S. Amandi.

Ann. 662. XXI. *P. C. Conſtantis Aug. XIX.*

Ann. 663. XXII. *P. C. Conſtantis Aug. XX.*

Ann. 664. XXIII. *P. C. Conſtantis Aug. XXI.*

Ann. 665. XXIV. *P. C. Conſtantis Aug. XXII.*

Ann. 666. XXV. *P. C. Conſtantis Aug. XXIII.*

Ann. 667. XXVI. *P. C. Conſtantis Aug. XXIV.*

Ann. 668. XXVII. *P. C. Conſtantis Aug. XXV.* Hoc anno, non ſuperiori, ut perperam habet Onuphrius, Conſtans Auguſtus Syracuſis interficitur *Indictione duodecima*, a Septembri cœpta, ut habet Paulus Diaconus lib. 5. c. 11. Die, ac menſe incertis, ex actione tamen decima octava, eaque ultima ſextæ Synodi generalis die decima ſexta Septembris anni 681. habita, eum poſt hunc diem peremptum eliciu; numeratur enim in ea annus decimus tertius Conſtantini Pogonati ejus filii ac ſucceſſoris, qui tamen decimus quartus numerandus fuiſſet; ſi currenti anno ante diem decimum ſextum Septembris idem Conſtantinus Imperium ſuſcepiſſet. Quare errans

Anaſtaſius in Vitaliano, qui Conſtantem necatum ſcribit, *XV. die menſis Julii, per XI. Indictionem*, qua in ſententia in Hiſtoria perſtat; ac Marianus Scotus, qui eumdem diem ac menſem retinet, cum Indictione tamen duodecima, perperam ſubſtituta. Quem errorem Onuphrius ac Baronius ab eo hauſere, licet non eum ſed Anaſtaſium citent. Occiſus eſt autem Conſtans poſtquam imperaſſet annos XXVII. ita Nicephorus CP. Theophanes, Cedrenus, & Zonaras. In Conſtante id genus Faſti deſinunt, ad eumque Numiſmatum libri perduci debent. Poſtea alterius generis Faſti, de quibus cap. ſequenti, in uſum adſcitr. Annales Eccleſiaſtici, & quæ deinceps componentur Chronica, ea temporis nota inſignienda erunt, cum modo Eræ Chriſtianæ, Imperii & Conſulatus annorum connexio certa ſit. Et hæc de Poſtconſulatibus ſecundi generis.

CAPUT QUARTUM.

Conſulatus Tribunitiæ Poteſtatis inſtar geſtus, hactenus ignotus, explicatur. Quando, quave ratione deſierit.

I. Conſtantinus Pogonatus auctor Conſulatus Tribunitiæ Poteſtatis inſtar geſti.

SUb Julio Cæſare celeberrima Conſulum ordinariorum & ſuffectorum diviſio orta, ut Auctor eſt Onuphrius lib. 2. Faſtorum anno Urbis conditæ 709. ſub Claudio, ut Imperatores proximis Kalendis Januariis poſt ſuſceptum Imperium Trabeam Conſularem ſumerent, conſuetudo invecta: ſub Commodo Decennalia & id genus feſta cum eadem Trabea edendi mos renovatus; ſub Juſtino Juniori Conſulatus a privatis ad Auguſtos translatus, & ab his poſtea perpetuo retentus: at ſub Conſtantino Pogonato Conſtantis filio ac ſucceſſore Conſulatus Tribunitiæ Poteſtatis inſtar aſſumptus. Quam mutationem valde inſignem ideo viri docti hactenus non animadverterunt, quia Acta publica eadem fere qua antea formula conſignabantur; quo factum, ut exiſtimantes plures eſſe Imperii, uti moris fuerat, quam Conſulatus annos, Faſtorum Byzantinorum genus, quod in Conſtante Auguſto deſierat, ad Conſtantinum uſque Porphyrogenitam, non parvo temporum detrimento continuarint, ſeſeque impeditiſſimis ambagibus implicarint. Onuphrius, *Pater Faſtorum* a Lipſio jure merito vocatus, lib. primo Faſtorum pag. 62. ubi numerandi rationem a Juſtino Juniori invectam expoſuit, ſubjungit: *porro autem omnes Imperatores Orientis ea ratione Conſulatibus functos fuiſſe animadverti, uſque ad Conſtantini VIII. Porphyrogeniti Imperatoris tempora, ut ex Faſtis Siculis Græcis* (Chronico nempe Alexandrino) *qui uſque ad primum Imperii Heraclii Auguſti annum & Conſulatum pertinent* (Exemplar tamen quod vertit Raderus, uſque ad annum Heraclii decimum octavum incluſive pervenit) *didici; itemque ex variis diplomatum, privilegiorum, conſtitutionum, novellarum & Edictorum Imperialium datis obſervavi: eos autem non niſi uſque ad Conſtantinum Irenes adpoſui*, ad annum nempe circiter octingenteſimum. Neque aliam viam ſecutus eſt Duſreſnius V. C. in Diſſert. de numiſm. inferioris ævi num. 15. Sed Conſtantinum Pogonatum aliam ab ea quæ per centum & duos annos in uſu fuerat, Conſulatus annos numerandi rationem invexiſſe, totque Imperii, quot Conſulatus annos, contra deceſſorum morem numeraſſe, & ſucceſſores per duo amplius ſecula, quibus Faſti Byzantini in uſu fuere, factitaſſe, certis mox argumentis oſtendam, manifeſtumque faciam eumdem Onuphrium in præfatis diplomatis explicandis valde falſum eſſe; cumque omnes ejuſdem opinionis ſectatores nihil attulerint, quod rem magis extricaret, illum refelliſſe, omnes alios proſternere erit. Advertendum itaque Conſulatum perpetuum duplicis generis fuiſſe: prius de quo præcedenti capite actum, primo Imperii anno, uti a Tiberio Conſtantino, & Heraclio factum, vel ſecundo, uti ab omnibus aliis aſſumptum fuit; at poſterius ipſo ſemper Imperii initio, eo penitus modo, quo ſub Imperatoribus Antiquæ Romæ Tribunitia poteſtas, initum. Unde in hoc ſecundo Conſulatus genere, Imperii & Conſulatus anni æquo ordine procedebant, nec unquam plures Imperii quam Conſulatus anni numerabantur. Quod ſi filii a patribus in Imperium adſciſcerentur, poſt eorum obitum annos Imperii cum iiſdem geſti numerare continuabant, ſed annos ejuſdem Imperii ab eorum morte adminiſtrati a Conſulatu deducebant, quod illuſtribus clarebit exemplis.

II. Conſtantini Pogonati Conſulatus inſtar Trib. Pot. geſtus.

Anno 680. ſexta Synodus generalis Conſtantinopolitana celebrata eſt, cujus prima Actio his verbis incipitur: *Imperantibus a Deo coronatis & Sereniſſimis noſtris Dominis Flaviis Conſtantino quidem piiſſimo, & a Deo decreto magno Principe, perpetuo Auguſto & Imperatore anno XXVII. & poſt Conſulatum ejus anno XIII. Heraclio vero atque Tiberio conſervandis ejus fratribus, anno XXII. die VII. menſis Novembris, Indictione IX.* Annus Imperii Conſtantini Pogonati XXVII. ab anno 654. quo a Conſtante Patre Auguſtus appellatus eſt; annus vero XIII. poſt ejus Conſulatum ab anno 668. quo patre mortuo ſolus imperare cœpit, deſumitur. Unde intelligis annum XIII. poſt Conſulatum, aliud non deſignare, quam annum XIII. & Conſulatus & Imperii. Quod ſi antiquus numerandorum annorum mos adhuc viguiſſet, ſcribendum fuiſſet *Poſt Conſulatum XII.* non vero XIII. Quare Sirmondus, qui hanc mutationem non obſervarat in Notis ad Sidonium, libro primo Epiſtola nona, dicit in ea Synodo ejuſdem Conſtantini annum XXVII. cum anno poſt ejus Conſulatum XII. comparari, quod argumentum eſt eum exiſtimaſſe ita legendum eſſe. Onuphrius vero libro tertio Faſtor. anno 667. ait: *Imp. Fl. Heraclius Conſtantinus V. Conſtantis Auguſti filius Conſulatum vivente patre geſſit, quemadmodum ex Actionibus Synodi Conſtantinopolitanæ tertiæ intelligitur.* Sed hanc ejus explicationem a veritate alienam eſſe ſimiles loquendi formulæ infra adducendæ oſtendent. Eæ enim non magis, quam præfata veræ eſſe non poſſunt, niſi Imperatores Conſtantinopolitani prænuncio quodam indicio mortem Patrum portendeſint; cum ſemper ſine variatione ulla anno ante eam Conſulatum in ea ſententia capeſſierint. Quod cum dici non poſſit, evidens eſt eos uno eodemque tempore & Conſulatum & Imperium aſſumpſiſſe. Anno 681. die viceſima ſexta Aprilis habita eſt XV. Actio ejuſdem Concilii, quæ eadem formula conſignatur, niſi quod hic annus dicitur eſſe XXVIII. Conſtantini *poſt ejus Conſulatum XIII.* fratrum vero XXII. Ex quo colligo anno 654. ante diem viceſimum ſextum Aprilis eumdem Conſtantinum Auguſtum nuncupatum eſſe, & uti conjicere licet die decima tertia ejuſdem menſis, qua Paſcha celebratum eſt; aliter viceſimus octavus Imperii ejus annus nondum inchoatus fuiſſet. Deinde Conſtantem Auguſtum poſt diem XXVI. Aprilis anno 668. interfectum fuiſſe, alioquin Conſtantinus Pogonatus ejus filius Conſulatus annum XIV. non XIII. jam numeraſſet. Actio XVI. nona die Auguſti habita, ſubſcripta eſt: Imperii ejus anno XXVIII. poſt Conſulatum ejus anno XIII. anno XXIII. Heraclii, atque Tiberii. Ex quo deduco anno 659. ante diem nonum Auguſti utrumque Cæſarem

crea-

Digitized by Google

creatum fuiſſe, Onuphriumque erraſſe, dum ſcribit eum anno 659. menſe Julio Cæſares appellatos eſſe, ac cum patre & fratre imperaſſe annos plus minus X. quæ obiter dicta ſint.

Ann. 685. Conſtantino Pogonato, die ac menſe incertis demortuo, cum annos ſeptemdecim imperaſſet, ut teſtes ſunt Theophanes, Cedrenus, Zonaras, & Auctor Miſcellæ, filius ejus Juſtinianus Junior dictus Imperium ſuſcepit, *decima quarta Indictione*, a menſe nempe Septembri jam inchoata, Anaſtaſio, & Mariano Scoto Auctoribus. Hic ſicuti & pater eodem tempore Conſul, quo Imperator dictus eſt. Ejus juſſionis ſubſcriptionem refert Onuphrius his verbis conceptam; *Dat. XIII. Kal. Martias Conſtantinopoli, Juſtiniano Imp. PP. Anno ſecundo & poſt Conſulatum ejus anno II. Indictione XV.* Anno nempe Chriſti 687. ex Indictione notato. Unde evidenter deducitur eum poſt menſem Auguſtum anni 685. currente jam decima quarta Indictione purpuram ſumpſiſſe, eodemque tempore Conſulatum; alioquin annus 687. non concurreret cum anno ſecundo tam Imperii, quam Conſulatus ejus. Exiſtimabat Onuphrius Conſtantinum Pogonatum anno 684. Juſtinianum Cæſarem ac Auguſtum dixiſſe, ac præterea in annum ſequentem, quo ipſemet obiit, Conſulem deſignaſſe. Quam in rem Nicephorum, Anaſtaſium, & Zonaram laudat, qui tamen ne verbum quidem habent, nec de eo Conſulatu, nec de ea nuncupatione. Verum quidem eſt Theophanem, Cedrenum, & Auctorem Miſcellæ ſcribere Conſtantinum fratres ſuos, Heraclium & Tiberium ab Imperio removiſſe, ſolumque cum Juſtiniano filio imperaſſe; ſed ii id factum tradunt anno Imperii ejus XIII. quod tamen parum probabile, quodve præterea eidem Onuphrio non favet. Idem Juſtinianus anno 695. uti recte Theophanes, poſtquam decem annos imperaſſet a Leontio Patricio naſo mutilatus in Cherſoneſum relegatus eſt. Leontius Principatum triennio geſſit, annoque 698. ut ex eodem Auctore deducitur, pari naſi mutilatione a Tiberio Apſimaro multatus eſt. Marianus Scotus, ac Sigebertus eundem annum exhibent, ſed corrigendus is, dum Leontii initium anno 696. conſignat; ſuperiori enim anno eum imperare cœpiſſe recte docet idem Marianus. Apſimarus annis ſeptem imperavit, teſte eodem Theophane. Sed Juſtiniano poſt decem annorum exilium reſtituto, ideoque anno 705. uti recte Theophanes & Marianus Scotus, ac Sigebertus cum eo, Apſimaro ac Leontio, ejus juſſu cervices inciſæ ſunt. Conſulatus ab iiſdem Leontio & Apſimaro geſti nullum ſupereſt veſtigium. Sed quoad Juſtinianum Onuphrius lib. tertio Faſtorum dicit eum Conſulatum iterum capeſſiſſe, idque ex ejus Reſcriptis & Conſtitutionibus intelligi. Sed cum eas hactenus invenire non potuerim, hoc tantum aſſerere poſſum me nullatenus dubitare, quin cum novum Regnum inceperit, novum etiam Conſulatum inierit: cum per hæc tempora ſtatim ac quis Imperator, ſtatim & Conſul eſſet, ſed non ſecundo Imperii ejus anno, ut perperam docet idem Onuphrius, neque id ex ejus conſtitutionibus deduci poſſe, cum ad manus meas pervenerint, oſtendam. Juſtinianus reſtitutus annos ſex imperavit, ut docet idem Theophanes, annoque 711. exeunte ut recte Baronius, qui tamen ejus initium, ſicuti & duorum ejuſdem deceſſorum perperam conſignavit, oſtendit, juſſu Philippici cum filio Tiberio jugulatus eſt. Hujus pariter Conſulatus nullum veſtigium ſupereſt.

Leontii & Tiberii Apſimari Conſulatus nullum extat veſtigium.

IV.
Conſulatus ab Anaſtaſio Trib. poteſt. inſtar geſtus.

Anno 713. Artemius, qui & Anaſtaſius dictus, ipſa Pentecoſtes vigilia, ut habet Theophanes, die nempe tertia Junii, pulſo eodem Philippico Imperium arripuit, eodemque tempore Conſulatum, Quod conſtat ex Actis cujuſdam Virginis a dæmonio liberatæ, quæ a Baronio hoc anno num. 13. recitantur. Horum initium ita concipitur: *Imperante Domino noſtro piiſſimo Auguſto Anaſtaſio magno Imperatore anno primo & poſt Conſulatum ejus ſerenitatis anno primo.* Factum hoc ut in iiſdem Actis dicitur, *menſe Octobri, Indictione XII.* a Septembri cœpta, anno nempe Chriſti 713. Ex quo luce meridiana clarius patet Artemium Imperatorem & Conſulem eodem tempore renunciatum fuiſſe. Male itaque ſcripſit idem Onuphrius anno 715. eum creatum fuiſſe Imperatorem, purpuraque exutum *anno Imperii primo & menſe tertio Conſulatu ſuo, quem more veteri eo anno inierat XVII. Kal. Septembres ex Nicephoro & Zonara.* Hæc enim omnia a veritate aliena, neque etiam id ex Nicephoro & Zonara, qui de eo Conſulatu non loquuntur, ullo modo deduci poteſt. Anaſtaſius anno Imperii ſui tertio Chriſti nempe 715. finiente, Theodoſio cuidam tributorum Exactori locum cedere coactus fuit, Monachuſque factus eſt.

V.
Conſulatus a Leone Iſauro Trib. poteſt. inſtar geſtus.

Anno 717. eodem Theodoſio, cujus Conſulatus nullum ſupereſt monumentum vitam monaſticam amplexo, Leo Iſaurus octavo Kalendas Apriles imperare cœpit, Conſulatumque ſtatim iniit, quod nec ipſe Onuphrius negare potuit, niſi quod perperam addit, id forte factum fuiſſe in Kalendas Apriles, octavo nempe die poſt aſſumptum imperium; non advertens nullam illius differendi cauſam fuiſſe, & Tribunitiæ poteſtatis inſtar eam dignitatem per hæc tempora ſumptam. Ex quo etiam patet perperam ab eo exiſtimatum Conſtantinum Pogonatum ſub finem Imperii Conſtantis patris, & Juſtinianum Juniorem illius filium ſub finem ejuſdem Conſtantini patris Conſulatum cepiſſe; eo magis, quo Anaſtaſium ipſo Imperii initio Conſulatum edidiſſe conſtet. Anno 721. Nonis Aprilis Romæ congregata Synodus eſt a Gregorio ſecundo Romano Pontifice in cujus principio legitur: *Imperante Domino Piiſſimo Auguſto Leone a Deo coronato, magno & pacifico Imperatore, anno ſexto, poſt Conſulatum vero ejus anno ſexto, Sed & Conſtantino ejus filio, anno ſecundo, Indictione IV.* Eſt is Conſtantinus Copronymus, quem idem Leo pater adhuc infantem ipſo ſancto Paſchatis die, anno ſuperiori Auguſtum crearat, ut Auctor eſt Theophanes. Baronius, qui ejuſdem Synodi Acta refert, recte obſervat ea admodum depravata eſſe, hujus tamen ſubſcriptionis errorem, quod Leonis ejuſdem initium anno 716. perperam collocaſſet, non advertit. Si enim hæc Synodus Indictione quarta habita, hoc nempe anno, legendum omnino, *anno quinto, poſt Conſulatum vero ejus anno quinto.* Magis adhuc depravata in Editione Conciliorum Labbeana hæc ſubſcriptio legitur: *Anno ſexto, poſt Conſulatum ejus anno XVI.* Dufreſnius Diſſert. de numiſmat. Inferioris ævi num. 15. monet numerum 10. hic abundare; Labbeus vero legendum *anno ſexto*, loco *anno XVI.* Sed perperam. Menſe enim Aprili hujus anni non ſextus Imperii & Conſulatus Leonis, ſed quintus tantum currebat. Annus etiam ſextus tam Imperii, quam Conſulatus in iiſdem Actis, in Editione quam Voellus & Juſtellus viri Græce, Latineque doctiſſimi exhibent tomo primo Bibliothecæ veteris Juris Canonici pag. 272. non tantum legitur, ſed etiam repetitur. Quare ea ſubſcriptio ubique mendoſa reperitur. Nec enim dici poteſt eam Synodum anno ſequenti celebratam, erratumque in Indictione, cum annus ſecundus Conſtantini Copronymi die ultima Martii præſentis anni, in quam anno elapſo Paſcha incidebat, auſpicatus fuerit. Anno 723. idem Gregorius ſecundus S. Bonifacium Moguntiæ Epiſcopum conſecravit, & ad obedientiam ſibi ac ſucceſſoribus exhibendam ju-

ra-

ramento a Baronio in Annalibus relato adegit. In juramenti initio hæc verba leguntur; *Imperante Domino Leone magno Imperatore anno ſeptimo poſt Conſulatum ejus, ſed & Conſtantino magni Imperatoris ejus filii anno quarto, Indictione VI. promitto ego Bonifacius &c.* Ubi vides Conſulatus annum eumdem cum Imperii anno eſſe, imo hujus nullam fieri mentionem. *A menſe Martii die vigeſimo quinto, decima quinta Indictione ad menſe Junii diem decimum octavum, nona Indictione, Leo imperavit. Tenuit autem Imperium annos viginti quatuor, menſes duos, dies viginti quinque: Conſtantinus pariter ejus filius impietatis æque ac Imperii ſucceſſor a præfato menſe Junii die decimo octavo, nona Indictione, ad menſis Septembris diem decimum quartum, Indictione decima quarta, Deo permittente poteſtatem obtinuit annos quatuor ſupra triginta, menſes tres, dies duos.* Ita Theophanes. Sed dicere debuit, menſes tres, tribus diebus exceptis, ut numeranti conſtat.

VI. *Conſulatus ab Artabaſdo Trib. poteſtat. inſtar geſtus,* Sub finem anni 741. quo idem Conſtantinus regnare cœpit, Artabaſdus ejus ſororius Imperium invaſit, & Nicephorum filium Imperatorem dixit. Tomo ſexto Conciliorum generalium Editionis Labbeanæ legitur Epiſtola quinta Zachariæ ad S. Bonifacium Epiſcopum Moguntinum *data nonis Novembris, imperante piiſſimo Aug. Artabaſdo a Deo coronato magno Imperatore anno tertio, poſt Conſulatum ejus anno tertio, ſed & Nicephoro magno Imperatore ejus filio, anno tertio, Indictione XIII.* a Septembri cœpta, anno nempe Chriſti 744. quare in annum ſequentem male a Baronio in Annalibus eadem Epiſtola confertur, perperamque horum verborum loco: *poſt Conſulatum ejus anno tertio*, legit *Patriciatus ejus anno tertio*. Hæc enim dignitas privatorum, non vero Auguſtorum in Oriente erat. Artabaſdus & Nicephorus eodem menſe Novembri, ut teſtantur Theophanes & Auctor Miſcellæ, capti ſunt & excæcati. Verum quidem eſt utrumque utriuſque caſum in Indictionem duodecimam, annum nempe 743. conjicere, quam in ſententiam non tantum Baronium, ut videre eſt in Annalibus, anno 743. ſed etiam Petavium libro octavo partis primæ Rationarii temporum capite ſexto, aliuſque viros doctos induxere. Sed Theophanes ex quo Auctor Miſcellæ accepit, ex iis quæ ipſemet eodem anno & ſub eadem columna narrat, emendandus. Jam enim ante dixerat *die decimo ſexto Aprilis hebdomadæ feria quinta*, Valid Saracenorum in Damaſco Amiram, Arabum factione ſublatum fuiſſe, poſt Imperii annum unicum. At feria quinta cum die decima ſexta Aprilis non concurrit, niſi in curſo ſit litera dominicalis D. quod anno 744. contigit. Nec dici poteſt Theophanem Valid mortem non recte conſignaſſe. Georgius enim Elmacinus in Hiſtoria Saracenica pag. 84. ſcribit; *anno 126. interfectus eſt Vvalid filius Iezidi.* Annus Hegiræ 126. cœpit die 25. Octobris, anni Chriſti 743. quare poſt Octobrem Walid occiſus, ideoque anno 744. Artabaſdus vero eodem anno, ineunte Novembri de ſolio dejectus. Ex præfata etiam ſubſcriptione deducitur hunc anno 741. poſt Nonas Novembris Imperium uſurpaſſe, alioquin Zacharias, qui cum eam Epiſtolam ſcripſit, caſum ejus ignorabat, annum Imperii illius quartum jam numeraſſet.

VII. *Conſulatus a Copronymo Trib. Pot. inſtar geſtus.* Sed nec ipſe Conſtantinus Copronymus plures Conſulatus, quam Imperii a morte patris ſuſcepti numeravit annos; & quod notatu dignum, eos ex quo cum patre imperavit, Imperii, quos vero ſolus poſt ejus mortem regnavit, Conſulatus nomine expreſſit. Anno 745. ſub Zacharia Pontifice menſe Octobri celebrata Romæ Synodus eſt, cujus initio legitur; *Imperante Domino piiſſimo Auguſto Conſtantino Imperatore anno 26, poſt Conſulatum ejus anno V. menſe Octobri die XXV. Indictione XIV.* Ita habetur in Editione Labbeana. Baronius eam ſubſcriptionem eodem anno num. 21. refert, ſed nulla Conſulatus mentione facta. Dufreſnius in Diſſertat. de Numiſmat. inferioris ævi addit in Epiſtolis Zachariæ Pontificis Conſulatus ejuſdem Conſtantini annos non ſcribi, ſed tantum Imperii, & a prima inauguratione & ab obitu patris deducti. At licet verum ſit eas ita a Baronio referri, tomo tamen ſexto Conciliorum complures leguntur cum Conſulatus expreſſione. Epiſtola nona ejuſdem Pontificis ad S. Bonifacium dicitur *dat. Kal. Maii imperante piiſſimo Auguſto Conſtantino poſt Conſulatum ejus anno VII. Indictione prima.* Quibus characteribus deſignatur annus Chriſti 748. Epiſtola duodecima ejuſdem Pontificis ad eumdem his verbis ſubſcribitur: *data pridie nonas Novembris, imperante Domino piiſſimo Auguſto Conſtantino, anno XXXII. poſt Conſulatum ejus anno XI. Indictione V.* Eſt hic annus Chriſti 751. Ex quibus ſatis intelligitur non plures Imperii a morte patris adminiſtrati, quam Conſulatus annos Conſtantinum numeraſſe, Onuphriumque erraſſe, qui ſcribit hunc die Natalitio anno Chriſti 741. Conſulatum iniſſe.

Paternorum ſcelerum, Imperiique hæres Leo quartus fuit, & ad illud anno 775. die XIV. Septembris pervenit. Scribit Onuphrius eum anno 769. vivente Conſtantino patre Conſulatum geſſiſſe, idque ex ejus diplomatibus, & Romanorum Pontificum Epiſtolis intelligi, quod ſine dubio falſum. Præterquam enim quod in Epiſtolis Pontificum, quæ in Editione Conciliorum leguntur, nullum ejuſdem Conſulatus vivente patre ſuſcepti veſtigium ſit, nullumque ejus extet diploma, ſaltem quod viderim, in quo de eo Conſulatu ſermo ſit, hæc dignitas poſt Conſtantinum Pogonatum, non niſi Tribunitiæ poteſtatis inſtar geſta. Ea tamen in ejuſdem Leonis nummis exprimitur, in quibus, ut obſervat Dufreſnius loco laudato, cum Loro & Mappa Conſulatus Inſignibus effictus conſpicitur, cum aliquot alii, qui cum excepere Auguſti, non cum Mappa, ſed cum Loro tantum effingantur, ita tamen ſubjungit idem Dufreſnius, *ut incertum maneat, an revera Conſulis titulum ſibi reſervaverint.* Sed eos ſaltem uſque ad Leonem ſapientem, reapſe Conſulatu functos fuiſſe, quæ mox afferam, evincent; cum neque in actis publicis Conſules appellarentur, neque eorum anni a Conſulatu numerarentur, niſi illum ſuſcepiſſent. VIII. *Conſulatus Leonis IV.*

Anno 780. *Menſis Septembris die octavo, quarta Indictione. Leo diem ſuum clauſit*, inquit Theophanes, qui perperam addit, *demptis menſibus ſex, anno quinto defunctus eſt*, legendum enim, *demptis diebus ſex*, perperam etiam auctor Miſcellæ *cum regnaſſet annis quinque, diebus ſex.* Legendum enim, *demptis diebus ſex.* Eo mortuo Irene ejus uxor una cum filio Conſtantino Imperium ſuſcepit; is decem tantum annorum puer erat. Ea, quod hactenus inauditum, ad Imperii faſtigium evecta, ſicuti Imperium, ita & Conſulatum iniit. Deduco id ex verbis, quibus prima actio Concilii Nicæni anno 787. celebrati exorditur: *In nomine Domini, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, veri Dei noſtri, Imperio piiſſimorum, & amicorum Chriſti Dominorum noſtrorum Conſtantini, & Irenes matris ejus, octavo anno Conſulatus eorum, octavo Kalendas Octobris, Indictione XI. &c.* Notanda ſunt verba Græca *ὀγδόῳ τῆς αὐτῶν ὑπατείας*, id eſt, *octavo anno Conſulatus eorum*, verum eſt in vulgata, & antiqua editione latina, quæ ſeptimo Conciliorum tomo pag. 662. legitur, ſcriptum eſſe *anno Conſulatus illius octavo*, niſi quod in actione quinta, & ſeptima legitur uti in græco, *anno octavo Conſulatus eorum*, ſed non dubium quin utriuſque IX. *Conſulatus a Conſtantino & Irene ejus matre Tribunitiæ poteſtatis inſtar geſtus.*

que

Digitized by Google

que Conſulatus in verſione latina exprimi debuerit. Quod ſi ipſo Concilii initio annus Conſulatur eorum octavus jam curreret, eam dignitatem ipſo Imperii initio ab utroque aſſumptam fuiſſe neceſſe eſt. Dicit Onuphrius eumdem Conſtantinum anno 779. vivente patre, more majorum Conſulatum geſſiſſe; ſed hoc eſt bariolari: ſequeretur enim prædeceſſorum mortem, tam Conſtantinum hunc, quam alios, quibuſdam prognoſticis divinaſſe, annoque antequam ea contingeret, Conſulatum capeſſiiſſe. Vanum itaque illud effugium ad quod toties Onuphrius recurrit, ut oſtendat Imperatores Orientaler plures ſemper Imperii, quam Conſulatus annos numeraſſe.

X. *Conſulatus perpetuus iterum ab Irene aſſumptus.*

Anno 790. Conſtantinus matrem, quæ annos decem eum eo imperaverat, in ordinem redegit *Octobri menſe, Indictione quarta decima*, inquit Theophanes. Is annos octo, quibus ſolus imperavit, poteſtate juveniliter, immodiceque uſus eſt. Tandem anno 797. matris, & Stauracii dolo comprehenſus, excæcatus eſt, & Irene ſola iterum Imperium aſſumpſit, quod per annos ſex obtinuit, ipſoque initio Juſtiniani ſecundi exemplo, Conſulatum edidit. Proceſſum tamen Conſulatem, uti vocabant, in annum Chriſti 709. Imperii ſui ſecundum diſtulit. Quod non tantum ex Theophane, ſed & ex Auctore Miſcellæ, ac Cedreno accepi. Prior eo anno de ejus Conſulatu hæc ſcribit: *Sancti vero Paſchatis feria ſecunda, Imperatrix a Sanctorum Apoſtolorum æde proceſſum ſolemnem fecit, curru aureo, quem quatuor equi candidi trahebant, vecta, Currum regebant Patricii quatuor, Bardaner, inquam, Thracenſium Dux, Siſinatus ipſius Thraciæ pariter Dux, Nicetas ſcholarum Domeſticus, & Conſtantinus Boelas: ipſa Imperatrix Conſulari more munera in populum ſpargebat.* Notanda verba græca ῥίψασα ὑπατείαν ὑπατείαν ἀφθόνως, iiſdem enim non tantum idem Theophanes, ſed etiam Cedrenor uti ſolent ad exprimendum Conſulatum, ea Auctor Miſcellæ ſic vertit: *jactans liberaliter Hypatiam.* Ex iis colligo primo Conſulatum adeo poſt Juſtinum Juniorem eum Imperio conjunctum fuiſſe, ot qui hoc extorbati eſſent, ſi iterum illud adipiſcerentur, rurſus eundem inirent, quod ſuo loco diximus de Juſtiniano ſecundo; eo enim caſu excepto, non reperimus Conſtantinopolitanos Imperatores poſt Faſtos Byzantinos introductos, iterum Conſulatum iniiſſe. Secundo eoſdem Imperatores cum proceſſum Conſularem ederent, quod magna pompa ſicuti & in veteri Roma uſos fueras, fiebat, ſediſſe in ſella hominum humerir impoſita, ut de Juſtino Juniori ſcribit Coripput lib. 4. ſui Poëmatis, & de Mauricio Theophylactus Simocatta, cujus verba cap. ſuperiori Num. IX. retulimus. Aliquando vero Proceres tantum eorum tenuiſſe docet præfatus locus Theophanis, quem Auctor Miſcellæ exſcripſit. Quem morem ab inferiorir ævi Auguſtis introductum eſſe certum eſt. Priores enim curru Equis, aut Elephantis tracto, vectos fuiſſe oſtendit Noriſius Diſſerat. de Numiſmat. Diocletiani & Maximiani cap. 5. ubi de proceſſu Conſulari docte differit, noſque ſecunda hujus diſſertationis parte inſinuavimus. Tertio euſdem Orientis Imperatores non eodem ſemper tempore Conſulatum cepiſſe, & ſimul miſſilia ſparſiſſe, ſeu proceſſum Conſularem edidiſſe, ſed aliquando eam dignitatem iniiſſe, pompam vero, munuſque Conſulare, ut vocabans, in aliud tempus diſtuliſſe. Hoc non tantum evincunt quæ de Irenis Conſulatu ſcribunt Auctores Byzantini, ſed etiam quæ Leo Grammaticus habet de Baſilii Macedonis Conſulatu mox referenda. Imo Heraclium Seniorem hunc proceſſum in aliud tempus rejeciſſe, ex Auctore Chronici Alexandrini colligitur, qui ſcribit ſtatutum fuiſſe, uti decima quarta die Octobris anni 610. uſque ad finem Decembris in Actis publicis ſcriberetur: *XV. Indictione & Conſulatu ejuſdem religioſiſſimi noſtri Principis. Etſi enim in bigis ſeu curru non eſt progreſſus, illud tamen tempus ipſius Conſulatui tranſcriptum eſt.* Quod verba græca magis declarant: εἰ γὰρ δὲ μὴ προῆλθεν ἐπὶ δίφρῳ ἀλλ' ἐν ἐκείνῳ λογισθῆναι αὐτῷ εἰς ὑπατείαν, qua etiam expreſſione utitur Theophanes dum de proceſſu Conſulari Irenes loquitur, ait enim: τῇ δὲ ἁγίᾳ Πάσχα τῇ δευτέρᾳ ἡμέρᾳ προῆλθεν ἡ βασίλισσα &c. Quare præfata Chronici Alexandrini verba melius vertiſſet Raderus hoc modo. *Etſi enim in bigis ſeu curru ſolemnem proceſſum non fecit.* Heraclium autem eam pompam in aliud tempus diſtuliſſe, neque populum ſolitis largitionibur fraudaſſe exiſtimandum. Quæ nemini hactenus obſervata hic prætermitti non debuere.

XI. *Conſulatus Nicephori, Leonis Armenii, Michaelis Balbi, & Theophili nullum reſtat veſtigium.*

Irene, ſexto iterati Imperii anno, Chriſti 802. *menſis Octobris die triceſimo primo, Indictione undecima, hora noctis quarta illuceſcentis feriæ ſecundæ*, inquit Theophanes, a Nicephoro, Imperio, fortuniſque omnibus exuta, & in Lesbum deportata, anno ſequenti obiit *die nona Auguſti*, ut habet idem Theophanes. Nicephorus *Indictione XII. menſe Decembri* Stauracium filium ſuum participem Auguſtæ majeſtatis adſcivit, ut teſtis eſt idem Theophanes, anno nempe Chriſti 803. tandem circumventus a Bulgaris cum totius Imperii flore cecidit anno Chriſti 811. *menſis Julii die viceſimo quinto, Indictione quarta*, ait idem Theophaner. Stauracius in pugna ſauciatus paucis menſibus regnavit; quippe anno eodem Michael Curopalates, cognomine Rengabe *menſis Octobris die ſecundo, Indictione quinta, feria Hebdomadis quinta, hora prima Imperator ſalutatur*, ut teſtis eſt Theophanes. Victus Michael a Bulgaris anno 813. Leo Armenius die undecima Imperator deſignatus eſt, & *poſtera luce, quæ Julii menſis fuit undecima, Indictione ſexta, feria Hebdomadis ſecunda, in magna Eccleſia Ambone a Nicephoro Patriarcha coronatur* eſt, ut tradit idem Theophanes. Leo Armenius anno Chriſti 820. ipſo natalis Dominici die a Michaele Balbo, quem Majeſtatis reum in cuſtodia detinebat, inter ſacra ipſa trucidatus eſt Curopalate & Zonara teſtibus. Michael anno 829. obiit, ipſumque Theophilus ejus filius, *Octobri menſe Indictione VIII.* ut ſcribit Cedrenus, ideoque præfato anno, quo octava Indictio menſe Septembri inchoata eſt, excepit. Theophilus moriens Michaeli filio Imperium ſub matris Theodoræ religioſæ, viriliſque animi fœminæ tutela anno 842. reliquit. Sed Bardæ avunculi conſilio idem Michael Theodoram matrem, quæ annos quatuordecim, ut haber Cedrenur, cum ipſo imperaverat, ad privatam vitam redegit, ideoque anno Chriſti 856. dein omnis rerum adminiſtratio ad unum Bardam delata eſt, qui & non multo poſt Cæſar creatus Conſulatum iniit, ut docet Leo Grammaticus in Michaele: μετ' ὀλίγον δὲ τῇ τετάρτῃ τῆς Διακαινησίμου προβάλλεται Μιχαὴλ Βάρδαν θεῖον αὐτοῦ Καίσαρα, ὃς ἐπὶ ἅρματος ἐποχηθεὶς ἔδωκεν ὑπατείαν τῷ μέσῳ, id eſt, *modico poſt: feria Paſchatis quarta, Michael Bardam avunculum promovet Cæſarem: qui curru per mediam urbem vectus munera ſparſit in populum.* Nam phraſim hanc, ἔδωκεν ὑπατείαν, ſeu ὑπατείαν ἐποίησεν, proprie de Conſulibus dici, qui Conſulatum accipientes munera & largitiones profundebant, docte oſtendit Scaliger lib. 5. de Emendat. temp. p. 501. ex quibus liquet his temporibus dignitatem Conſularem, non tantum nomine tenus, ſed reapſe, non ſolum ab Auguſtis, ſed & a Cæſaribus aſſumptam fuiſſe. Contigere hæc circa annum Chriſti, 858. ut ex iis quæ Cedrenus in Hiſtoriarum compendio, & Baronius in Annalibus habent, deduci vide-

tur,

tur. Tandem idem Bardas, aſſentiente Imperatore, interficitur *Indictione XIV. die prima Aprilis*, inquit Curopalates; ideoque anno Chriſti 866. Sed in die erratum eſſe ab eodem Auctore non dubitandum; cum Nicetas in vita S. Ignatii ab exordio quadrageſimæ ad necem ejus tres menſes numeret, & Leo Grammaticus in Michaele pag. 465. ſcribat Imperatorem quem Bardas comitabatur, *ſacro Paſchatis feſto*, cum exercitu copioſo Conſtantinopoli ſolviſſe, & in Thraciam ſe contuliſſe, ubi a Baſilio Macedone, qui poſtea imperavit, occiſus eſt. In ſeptimum Aprilis diem Paſcha eo anno incidebat, ideoque, ut jam viris doctis obſervatum, in Curopalate loco *die prima Aprilis*, legendum, *die vigeſima prima Aprilis*. Sic enim ab initio quadrageſimæ ad mortem ejus tres menſes effluxere, utroque extremo incompleto pro completo numerato. Baronius anno 867. n. 81. eo anno hanc mortem contigiſſe credit; ideoque loco *Indictione XIV.* legendum dicit, *Indictione XV.* quod præfato anno Nicolaus Pontifex Romanus litteras ad Bardam Cæſarem dediſſet menſe Novembris, Indictione decima quinta; ſed perperam, cum Auctores omnes Byzantini narrato Bardæ interitu, eumdem Baſilium Macedonem Imperatorem ſtatim renunciatum ſcribant ipſo die Pentecoſtes, ut tradit Leo Grammaticus loco laudato, & Curopalates, qui eam dignitatem ei collatam ſcribit die vigeſima ſexta Maii, in quam anno 866, feſtum illud incidebat. Ignorabat itaque Nicolaus Pontifex menſe Novembri præfati anni 866. quæ antea eodem anno in Oriente menſibus Aprilis & Maii acciderant. Corregnavit anno uno cum Michaele Baſilius, qui poſt annum virum inſidias ſibi parentem vino obrutum occidit, poſtquam poſt matris Theodoræ relegationem annos undecim imperaſſet, ut Cedrenus & Zonaras teſtantur. Diem & menſem mortis ejus mox memorabimus. Ejus Conſulatus ac deceſſorum aliquot monumenta non legi; ſed eos hanc dignitatem, non minus quam Bardam, geſſiſſe; idque Tribunitiæ poteſtatis inſtar, quemadmodum tunc mos ferebat, nullo modo dubitandum.

XII. *Conſulatus a Baſilio Macedone Tribunitiæ poteſtatis inſtar geſtus.*

Baſilius enim Macedo, qui anno Chriſti 867. initio primæ Indictionis, vigeſima quarta die menſis Septembris, ut Auctor eſt Nicetas in vita S. Ignatii, Imperium adminiſtrandum ſuſcepit, Conſulatum geſſit; eo rerum potiente, octava Synodus generalis, anno 869. celebrata eſt, in cujus actionis primæ initio hæc verba leguntur: *In nomine Domini & Dominatoris omnium Jeſu Chriſti Dei Noſtri, Conſulatu ſereniſſimorum Imperatorum noſtrorum a Deo coronatorum Baſilii anno III. Conſtantini filii ipſius II. Indictione III. tertio nonas Octobris*. Ita legitur in Editione græca. In Actione nona anno 870. celebrata habetur; *Baſilii quidem ac Conſtantini anno III. Leonis vero anno I. perpetuorum Auguſtorum Indictione III. pridie Februarii*. Quibus ex verbis liquet primo Baſilium, Conſtantinum filium Auguſtum nuncupaſſe exeunte anno 867. non ſequenti, ut perperam conſignatur in Annalibus Eccleſiaſticis, quod ex eo evincitur, quod anno 869. menſe Octobri ſecundus Conſtantini Imperii annus, Baſilii vero III. a Septembri currebat, annique ſequentis initio utriuſque tertius numerabatur. Secundo quod præcipue intendimus, annum Conſulatus & Imperii Baſilii uno eodemque tempore cœptum fuiſſe. Neque his obſtat quod in Baſilio Macedone Leo Grammaticus a Franciſco Combefiſio viro eruditiſſimo in calce Theophanis editus ſcribit: *ὁ δὲ βασιλεὺς προελθὼν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν Χριστοῦ γενῶν ἐν τῇ προελεύσει εἰς τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν ἐβάπτισεν Στέφανον υἱὸν αὐτοῦ. ἐκζεύξας δὲ ἵππους λευκοὺς μετὰ ἅρματος ἐκάθισεν ἅμα τῇ Αὐγούστῃ, καὶ ὁ Πραιπόσιτος σὺν αὐτοῖς· Βαάνης βαστάζων ἦν τὸ παιδίον μέχρι τοῦ παλατίου, τοῦ βασιλέως ῥιπτοῦντος ὑπατείαν ἐν τῇ ὁδῷ*. Id eſt, *porro Imperator Natalitiorum Chriſti die, celebri proceſſus, apparatu, ad Magnam Eccleſiam profectus Stephanum filium ſuum baptizavit, & equis candidis ad currum junctis, cum Auguſta in eo ſedit. Baanes autem prapoſitus una cum eis ad palatium uſque puerum gerebat, Imperatore per viam nummorum munus ſpargente*, ſeu exactius, *Conſulum more munera ſpargente*. Manifeſtum enim eſt eo in loco agi tantum de pompa & apparatu, ſeu de proceſſu Conſulari, non vero de ipſo Conſulatu, cum ſi anno 867. die Chriſti Natali, quo is proceſſus factus, Conſularem dignitatem iniiſſet, anno 869. menſe Octobri, quo octava Synodus generalis inchoata eſt, ſecundus Conſulatus ejus annus adhuc in curſu fuiſſet uſque ad Natalitia Chriſti. Ex quo pariter intelligimus Theophanem, cum de Irenis iterum imperantis Conſulatu loquitur, de proceſſu Conſulari, non vero de ipſa dignitate explicandum eſſe, noſtramque de Conſulatibus poſt Conſtantinum Pogonatum, Tribunitiæ poteſtatis inſtar geſtis, opinionem, certis innixam eſſe fundamentis, perperamque hactenus exiſtimatum poſt Juſtinum Juniorem, unam eamdemque ac antea Conſulatus aſſumendi formam viguiſſe. Non prætermittendus hic ejuſdem Leonis Grammatici locus in eadem vita: *Μαΐῳ δὲ πρώτῃ ἐνθρονίζεται καὶ ἐγκαινίζεται ἐκκλησία, ἣν ἔκτισεν ὁ βασιλεύς, δι' ἐγκαινίων κοσμηθεῖσα πολλὰ παρὰ Φωτίου Πατριάρχου, τοῦ βασιλέως ἐν τῷ αὐτῷ κοσμηθεὶς λῶρον φορέσαντος, καὶ χρήματα πολλὰ δόντος καὶ νέαν αὐτὴν ἐπονομάσαντος*. Id eſt, *Maii vero menſis die primo throno decoratur, & a Photio Patriarcha dedicatur Eccleſia quam ſtruxerat, & ornatu vario Imperator reddiderat inſignem. Ea in celebritate lorum geſtavit ille, pecuniarum ingentem vim diſtribuit, & Novam appellavit*. Locum illum recte explicavit Dufreſnius vir clariſſimus, tam in Gloſſario mediæ, & infimæ latinitatis, verbo *lorum*, quam in diſſertat. de Numiſmat. inferioris ævi num. 6. oſtenditque lorum ſic dictum, quod cinguli formam referret, diverſum non eſſe a faſcia Conſulari, Clavo, ſubarmali, ac pallio; a quo ornamento pallium Epiſcoporum poſtea deductum. Non mirum itaque, ſi antequam Conſulatus perpetuus eſſet, illum in dedicatione Eccleſiarum in domo Auguſta ædificatarum aliquando aſſumerent Imperatores, cum eo ad ſe tranſlato in id genus ſolemniis lorum ejuſdem dignitatis Inſigne geſtarint. Baſilium igitur Conſulatum geſſiſſe, eumque Tribunitiæ Poteſtatis inſtar, certum. Obiit anno 886. circa menſis Martii initium, uti ex duratione Imperii Leonis dicti Philoſophi, ſeu Sapientis ejus filii, ac ſucceſſoris liquet.

XIII. *Conſulatus perpetuus a Conſtantino Porphyrogenito abolitus.*

Leo Juſtiniani exemplo Codicem compoſuit, centum ac tredecim Novellis conſtantem; cujus nonageſima quarta, qua Novellam centeſimam quintam Juſtiniani, quæ de Conſulatu agit, abrogat, ad rem noſtram facit, ideoque integra recitanda: *Quoniam noſtra legum repurgatio hunc ſibi propoſitum finem habet, ut non modo illas quæ ſubinde rerum ſtatum labefactant, verum etiam quæ longo tempore ſilentio obruta, inutiles prorſus, & tanquam propter cariem publico uſu non contrectata eſſe videntur, e legali ſolo deleat: conſequens eſt ut ea quæ de Conſulatu tractat, legem tanquam nihil ad Rempublicam pertinentem, cum aliis inutilibus legali corpore eximat. Olim quidem Conſularis dignitas veneranda erat, venerandoſque qui ipſam ſubirent, & magnificentia præſtantes efficiebat, ac idcirco quibus Conſulatum gerere obtingeret, pro honore quem ex dignitate perciperent, remunerari Rempublicam volentes, liberaliter promiſcuæ plebi munera largiebantur. Ac initio quidem, quantam munificentiam faceret, cujuſque arbitrio* per-

permittebatur, poſtmodum ad certum modum decreto legali circumſcribi illam placuit, atque hoc quidem, donec Conſularis dignitatis in Republica majeſtas floruit, obſervatum eſſe apparet. Nunc cum qui omnia mutat temporis curſus, hanc etiam Conſularem magnificentiam a priſtina gloria & amplitudine in abjectam ſpeciem transformarit: at vero qui ad illam procedunt, interdum ſibi non ſufficere, ne dum aliis erogare quicquam poſſint: illam de Conſulatu legem, quam propterea ultimo ſilentium occupavit, cum aliis inutilibus (ut dixi) fruſtra legalibus Conſtitutionibus immixtam Decreto Majeſtatis noſtræ illinc eximimus. Qua ex Conſtitutione patet, quantum jam Conſulatus honorarius, de quo ſolo Leo Philoſophus loquitur, vileſceret. Imperavit is annos viginti quinque, menſes tres, quemadmodum Zonaras, Conſtantinus Manaſſes, & Glycas teſtantur; Leo enim Grammaticus errat, qui eum annos quinque ſupra viginti, menſes octo regnaſſe ſcribit; obiitque anno Chriſti nongenteſimo undecimo, *menſe Maio*, ut habet idem Zonaras; vel accuratius uti Cedrenus, & idem Leo Grammaticus die illius menſis undecimo, Alexandro fratre antea ſucceſſore deſignato, rogatoque, ut Conſtantinum Porphyrogenitam filium ſuum ſexennem protegeret. Ex qua morte ſic ſecte conſignata, Baſilium patrem ejus anno 886. circa menſem Martium demortuum eſſe manifeſtum fit. Alexander anno ſequenti 912. die ſeptima Junii, uti teſtes ſunt Curopalates, & Cedrenus, e vita migravit, poſtquam imperaſſet annum unum, & dies viginti octo, non viginti novem, ut perperam in Leone Grammatico legitur. Conſtantinus Porphyrogenita pene infans Principatum iniit, qui aliquot poſt annos Romanum Lecapenum ſocerum ſuum, novo & ad hanc diem inuſitato honoris genere, Cuſtodem Imperii creavit, annoque 919. Decembris decimo ſeptimo die a Conſtantino Imperatore Imperii diademate ornatus eſt: *mox Maii decimo ſeptimo Indictione quinta Chriſtophorus, Romani filius, Imperator renunciatur, & ejuſdem menſis viceſimo, ſancta Pentecoſtes die feſto, a Conſtantino redimitur: iſtique duo ſoli ejuſdem diei proceſſu ſolemni per Urbem progreſſi ſunt*, inquit Leo Grammaticus in Leone, cujus ultima verba in Græco, καὶ μόνοι ὄντες οἱ δύο ἐν τῷ αὐτῷ προκένσῳ προῆλθον, eorumdem Conſulatum deſignare videntur. Neque enim Hiſtorici Græci proceſſum Conſularem aliis explicare ſolent. Corrigendus autem error ejuſdem Auctoris, ac loco *Indictione quinta* legendum *Indictione nona*, quæ in annum 921. littera Dominicali G. notatum incidit, quo feſtum Pentecoſtes cum die viceſima Maii concurrit. Ad annum uſque Chriſti 959. vixit idem Conſtantinus, eoque, nono Novembris die Romani filii ſui parricidio ſublatus eſt, uti docent Curopalates, & Cedrenus, qui cum id Indictione tertia, a Septembri nempe cœpta, factum dicant, liquet perperam Baronium eam mortem in annum ſequentem contuliſſe. Poſt Conſtantinum nullis in Auctoribus Byzantinis, aliiſve monumentis, Conſulatus perpetui mentio, nullumve veſtigium: unde eo imperante abolitum fuiſſe conjicere licet. Quod & Onuphrius lib. 1. Faſt. jam obſervavit. Conſulatus itaque perpetuus, Tribunitiæ poteſtatis inſtar geſtus, per quatuor circiter ſæcula viguit, annoque tandem incerto deſiit: cujus abrogationis cauſam infra aſſignabimus.

XIV. *Conſulatus a Carolo Magno Tribunitiæ poteſtatis inſtar ſumptus.*

Sed ut Onuphrii opinio, quæ huc uſque viguit, ex omnium animis tandem evellatur, cauſaque cur Conſulatus, qui per tot ſæcula tanti habitus fuerat, ab Imperatoribus neglectus, tandemque abolitus fuerit, dignoſci poſſit obſervandum Francos, Italos, & Saracenos præfatam Conſulatus perpetui ſpeciem a Conſtantinopolitanis Imperatoribus mutuatos fuiſſe. Carolus enim Magnus Imperio Occidentali, die Chriſti Natalitio, anno octingenteſimo reſtituto, ut oſtenderet eadem ſe qua Orientales Imperatores dignitate potiri, totiuſque Imperii authoritatem in ſe tranſlatam, iiſdem, quibus ii, titulis uti voluit, adſcripto ſcilicet Conſulatus titulo, quem Imperatores iis ſemper adjunxere, inquit Dufreſnius in Gloſſario mediæ & infimæ latinitatis verbo *Conſul*, qui tamen rectius dixiſſet, Conſulatum ab illis ſæpe aliis titulis additum, non vero ſemper, cum plerumque ſolius Imperii nomen in eorum diplomatis legatur. Quod & a Carolo Magno, ejuſque aliquot ſucceſſoribus eorum exemplo etiam factitatum. Baronius anno 805. num. 9. refert ex Sigonio libro quarto de Regno Italiæ, præfationem legis a Carolo Magno eodem anno datæ, in qua dicitur: *anno ab Incarnatione D. N. Jeſu Chriſti 805. Indictione nona, anno Regni noſtri in Francia XXXIII. in Italia XXVIII. Conſulatus autem noſtri I.* Ubi vides eum Orientalium Imperatorum exemplo primum Imperii, primum etiam Conſulatus annum appellare. Dufreſnius loco laudato ait, omiſſum forte Notarii vel exſcriptoris vitio, Imperii annum primum, *qui*, inquit, *Conſulatus annum præcedere debuit, prout fieri conſueverat in Byzantinorum Auguſtorum tabulis, quod etiam in Caroli ſucceſſorum chartis factitatum obſervamus*. Sed fruſtra, locus ourus eſt, opinionemque communem tam penitus inſitam, vel ſolus Francorum Imperatorum uſus evertit.

XV. *Ludovici Pii, & Lothari Impp. Conſulatus Tribunitiæ poteſtatis inſtar geſtus.*

Carolo Magno, anno 814. quinto Kalendas Februarii demortuo, uti inter omnes convenit, Ludovicus Pius filius ſucceſſit, ſtatimque ſe Conſulem dixit. Baronius anno 826. num. 1. refert celebratam Romæ ab Eugenio II. Synodum, cujus initio legitur: *Imperante D. N. piiſſimo Auguſto Ludovico coronato Imperatore, anno XIII. & poſt Conſulatum ejus anno XIII. Indictione IV. menſis Novembris die XXV.* Quare cum anno 826. annus Conſulatus ejus XIII. curreret, eumdem cum Imperio anno 814. inierat. Idem Imperator Lotharium filium anno octingenteſimo decimo ſeptimo Aquiſgrani corona Imperiali donavit, a quo anno Imperii Lotharii anni ſæpe memorati reperiuntur. Extat pag. 237. tomi 8. Conciliorum Epiſtola tertia Benedicti III. Pontificis Romani, qua anno 855. Monaſterii Corbeienſis privilegia confirmavit, quæ his verbis clauditur: *Actum Nonis Octobris per manum Theophylacti Secundicerii S. Sedis Apoſtolicæ, imperante Domino piiſſimo Auguſto Hlotario a Domino coronato Magno Imperatore, anno XXXIX. & poſt ejuſdem annum XXXIX. ſed & Ludovico novo Imperatore ejus filio anno VII.* legendum ſine dubio *poſt ejuſdem Conſulatum anno XXXIX.* Eo quidem anno tertio Kalendas Octobris obierat Lotharius, ſed ejus mortis nuncium nondum Romam pervenerat. Conſulatus itaque ab eo, patris, avique exemplo, ipſo Imperii initio ſuſceptus. Advertendum tamen Lotharium in hoc ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis diſſenſiſſe, quod hi quando viventibus patribus in Imperii conſortium vocabantur, vel tunc Conſulatum non ſumerent, vel ſi ſumerent, a Conſulatu tunc geſto anni eorum non numerarentur. Contra vero Lotharius tam Imperii, quam Conſulatus annos ab anno 817. quo ante menſem Octobrem, ut præfata ſubſcriptione conſtat, Collega Imperii a patre factus eſt, numeravit. Ludovicus Pius XII. Kal. Julii anni 840. ſupremum diem obiit.

XVI. *Ludovicus I. Conſulatum Tribunitiæ poteſtatis inſtar geſſit.*

Ludovici Imperatoris hujus nominis II. Lotharii filii, quartique Francorum Imperatoris quadruplex eſt Epocha, quarum ſecunda cum tertia ab omnibus quos legi confuſa. Prima ducitur ab anno 844. quo a Sergio ſecondo Romano Pon-

Pontifice Longobardorum Rex coronatus eſt, ut videre eſt apud Baronium eodem anno, numero quinto. Secunda ab anno 849. non vero 848. ut perperam idem Baronius habet, quo a patre in conſortium Imperii Italici adſcitus eſt. Tertia ab anno 850. quo Imperator a Leone quarto unctus fuit. Quarta denique ab anno 855. quo patri Lothario exeunte Septembri demortuo in Imperio ſucceſſit. Porro ſicut hic vivente Ludovico Pio patre Conſulatum cum Imperio iniit, ita & Ludovicus ſecundus anno octingenteſimo quinquageſimo utramque dignitatem eodem tempore ſuſcepit. Extat apud Jacobum Dubletium lib. undecimo cap. 6. Antiquit. Monaſterii S. Dionyſii, diploma Benedicti tertii Romani Pontificis de rebus ac privilegiis Corbeienſis Abbatiæ his verbis ſubſcriptum; *Datum per manum Megiſti Epiſcopi & Bibliothecarii S. Apoſtolicæ Sedis, quinto Idus Maii, imperante Domino piiſſimo perpetuo Auguſto Ludovico, a Deo coronato magno Imperatore, Conſulatus ejus anno octavo, Indictione ſeptima*. Jam viri docti monuere legendum *Indictione V*. quæ in annum 857. competit. Certum enim eſt Benedictum tertium anno 858. Indictione ſexta notam ſupremum diem obiiſſe. Annus autem 857. octavus erat tam Imperii quam Conſulatus Ludovici ſecundi. Tomo 8. Conciliorum generalium pag. 397. extat Epiſtola Nicolai, Benedicti tertii ſucceſſoris ad Traſulſum Abbatem Corbeienſem data, quæ in hæc verba deſinit; *data IV. Kalendas Majas per manum Tiberii Primicerii S. Sedis Apoſtolicæ, imperante Domino piiſſimo Auguſto a Deo coronato magno pacifico Imperatore, anno XIV. & poſt ejus annum XIV. Indictione XI.* quæ annum 863. exhibet. Sed loco *poſt ejus annum XIV.* legendum *poſt ejus Conſulatum anno XIV.* Librarii enim hanc loquendi formulam non intelligentes eamdem depravarunt. Qua ſubſcriptione non tantum evincitur eumdem Ludovicum anno 850. ante diem viceſimum octavum Aprilis, quo ea epiſtola ſcripta, Imperatorem renunciatum eſſe, ipſo forte Paſchatis die, quæ eo anno in ſextum ejuſdem menſis diem cadebat, ſed etiam eum Conſulatum Tribunitiæ poteſtatis inſtar geſſiſſe, nec plures Imperii, quam hujus dignitatis annos numeraſſe.

XVII. *Epocha Ludovici ſecundi accurate explicata.*

His tamen obſtare videtur Hadriani Nicolai primi ſucceſſoris Epiſtolæ ad Actardum Nannetenſem Epiſcopum clauſula, in qua legitur: *V. Kal. Martias . . . . . . imperante Domino noſtro piiſſimo perpetuo Auguſto Ludovico Magno Imperatore anno XIX. & poſt Conſulatum ejus XVIII. Indictione I. ubi obſerva*, inquit Dufreſnius, qui loco citato eamdem ſubſcriptionem refert, *annum Imperii anno uno Conſulatus annum præcedere. Quippe Ludovicus II. a patre in Italiam miſſus a Leone IV. in Imperatorem unctus fuit anno 850. ut eſt in Annalibus Bertinianis, Conſulatum autem iniit, aut ſane auſpicatus eſt anno 851.* Sed communi errore deceptus vir doctiſſimus non animadvertit in ea clauſula Imperii ab anno 840. Conſulatus vero Epocham ab anno ſequenti duci. Hæ enim duæ Epochæ, quæ communi etiam errore inter ſe confunduntur, omnino diſtinguendæ. Prior non tantum deducitur ex aliquot diplomatis, a Margarino in Bullario Caſinenſi recitatis, ſed etiam ex ſubſcriptione num. XV. hujus capitis relata, in qua annus 855. Nonis Octobris ſeptimus erat ejuſdem Ludovici. Quod dici non poſſet, ſi ante annum 849. vel poſt illum, ejus Imperium Italicum, cujus ibidem mentio, cœpiſſet. Præterea Synodus Romana ſub Leone quarto celebrata eſt, *menſe Decembri, die octavo, Indictione II, anno V. Imperii Ludovici*, ut legitur in eadem Synodo, & Anaſtaſius docet, anno nempe Chriſti 853. ut ea Indictio oſtendit. Præfata verba bis in Actis Concilii a Baronio eodem anno num. XXXII. & XXXV. relatis repetuntur. Sed quomodo vera eſſe poſſunt, niſi Ludovicus anno 849. Imperii Italici particeps factus fuerit? Poſteriorem Epocham Ludovici Conſulatus, & aliqua ejus diplomata ab eodem Margarino tomo ſecundo ejuſdem Bullarii deſcripta certam reddunt, adeo ut de utraque nulla in poſterum dubitatio eſſe debeat. Quare Ludovicus aliquot Imperatorum Orientalium exemplo, alteram Epocham ab Imperio Italico a patre accepto deduxit, ſed præter eorum morem, Conſulatus Epocham ab eo anno, quo Imperator a Pontifice Romano unctus eſt, licet adhuc pater viveret. Quare annus 866. quo præfata epiſtola ſcripta, decimus nonus fuit ejus Imperii Italici, & decimus octavus ejus Conſulatus, ſeu Imperii poſt coronationem adminiſtrati. Cumque idem decimus octavus Conſulatus annus adhuc exeunte Februario curreret, & decimus nonus ante diem XXVI. Aprilis, uti jam diximus, inciperet, de Imperio eidem die Paſchatis ann. 850. collata conjectura noſtra magis confirmatur.

XVIII. *Conſulatus a Carolo Calvo Imp. Tribunitia poteſtatis inſtar geſtus.*

Idem Ludovicus II. anno octingenteſimo ſeptuageſimo quinto die ultima Auguſti e vivis exceſſit, Imperiumque Romanum ac Italiæ Principatum ſuſcepit Carolus Calvus, qui ipſo Natalis Chriſti die a Joanne octavo unctus & coronatus eſt. Hunc non aliter quam poſtremos Imperatores Conſtantinopolitanos, Imperii & Conſulatus annos numeraſſe, Conſulatumque Tribunitiæ poteſtatis inſtar geſſiſſe oſtendunt tria diplomata, quorum ſubſcriptionem idem Dufreſnius loco laudato recitat. Primum eſt Joannis VIII. pro Monaſterio Herenſi Diœceſis Pictavienſis datum. *Imperante Domino piiſſimo Auguſto Carolo a Deo coronato magno Imperatore poſt ejus Conſulatum anno I.* Secundum ejuſdem etiam Pontificis eſt pro Monaſterio S. Medardi Sueſſionenſi datum *menſe Januario, Indictione IX. IV. nonas Januarii, Pontificatus noſtri anno IV. anno I. regnante Domino piiſſimo Carolo Imperatore a Deo coronato, & poſt Conſulatum ejus anno I.* Conveniunt hi characteres in annum Chriſti 876. Tertium ejuſdem etiam Pontificis aſſervatum in Tabulario Flaviniacenſi ſic clauditur: *Scriptum per manum Gregorii Notarii Regionarii & Scrinarii S. R. E. in menſe Majo indict. X. bene valete IV. Kal. Jun. per manum Anaſtaſii Bibliothecarii S. Sedis Apoſtolicæ, imperante Domino piiſſimo perpetuo Auguſto Carolo a Deo coronato magno Imperatore, anno ſecundo, & poſt Conſulatum ejus anno ſecundo Indict. X.* Ex quibus intelligere eſt non tantum Occidentis Imperatores Conſulatus & Imperii annos non niſi diverſa loquendi formula diſtinxiſſe, ſed ut id facerent, Imperatorum Orientalium exemplo motos fuiſſe; ideoque verum eſſe quod diximus, Conſtantinum Pogonatum inſignem mutationem in Faſtos Byzantinos invexiſſe. Carolus Calvus Nonis Octobris anno 877. Imperii III. ut ait Flodoardus, mortuus eſt.

XIX. *Conſulatus Trib. poteſt. inſtar ab Impp. Italiæ geſtus.*

Idem ab Italiæ Imperatoribus factum. Carolo enim Craſſo Caroli Calvi in Imperio Occidentali ſucceſſore anno 888. pridie Idus Januarii, ut habet Regino, demortuo, tam Romanum Imperium, quam Francorum Regnum fluctuavit, & utrumque in varios diſciſſum eſt Principatus. In Italia Berengarius Forojulienſis Dux, & Guido Spoletanus Imperii jura ſuſcepere; cumque Berengario exacto Guido prævaluiſſet, Imperii diadema & titulos a Formoſo Romano Pontifice anno 891. aut circiter accepit. In hujus diplomate Pontificis pro Monaſterio S. Theuderii Diœceſis Viennenſis hæc clauſula legitur: *Dat. VII. Kal. Decembris per manum Sergii primicerii defenſoris S. Sedis Apoſtolicæ, imperante Domino piiſſimo perpetuo Auguſto Vvidone a Deo coronato magno Imperatore, anno primo, & poſt Conſulatum ejus anno primo.*

De-

XX. *Conſulatus Trib. pot. inſtar a Saracenorum Regibus geſtus.*

Denique Saracenorum, qui Hiſpanias occuparant, Duces, poſtquam civitates & præfecturas a ſe adminiſtratas regio nomine uſurpavere, quod non niſi longo poſt temporis intervallo ab iis factum eſſe Hieronymus Zurita ad annum 778. docet, eodem Conſtantinopolitanorum Imperatorum exemplo, ſe Conſules dixere, Imperiique & Conſulatus annos non diſtinxere. S. enim Eulogius in memoriali Sanctorum lib. 2. cap. 1. de Abderamine Saracenorum in Hiſpania Rege loquens ait: *In nomine Domini, regnante in perpetuum Domino noſtro Jeſu Chriſto. Anno Incarnationis ejus octingenteſimo quinquageſimo. Era octingenteſima octuageſima octava: Conſulatu autem Habdarragman XXIX. cujus temporibus rebus & dignitate gens Arabum in Hiſpaniis aucta totam pene Hyberiam diro privilegio occupavit: Cordubam vero, quæ olim Patritia dicebatur, nunc ſeſſione ſua urbem Regiam appellatam, ſummo apice extulit, honoribus ſublimavit, gloria dilatavit, divitiis cumulavit, cunctarumque deliciarum mundi affluentia (ultra quam credi, vel dici fas eſt) vehementius ampliavit; ita ut in omni pompa ſeculari prædeceſſores generis ſui reges excederet, ſuperaret, & vinceret.* Abderamen anno 821. ut Auctor eſt Rodericus, Cordubæ imperare cœpit. Quare annus Chriſti 850. tam Imperii quam Conſulatus ejus viceſimus nonus fuit. Anno 851. Mahomat patri Habdarragman, ſeu Abderamini demortuo in Imperio ſucceſſit; de quo idem Eulogius, qui tum vivebat, lib. 3. cap. 1. ait: *adepto Mahomat patrio Imperio, confeſtim in promptum odium contra nos prorumpens, ipſo die, quo faſcibus inſulatus ſolium regnaturus conſcendit, Chriſtianos omnes, Palatio abdicans indignos Aula principali miniſterio promulgavit.* Quibus ex verbis manifeſtum fit, Muhamedum Conſulatum ſicuti patrem ſumpſiſſe. Ambroſius Morales in ſcholiis ad caput primum libri ſecundi Eulogii præfata verba explicans dicit ea eſſe ex Latini ſermonis licentia, *qua regum Conſulatum, ſummos Regni Magiſtratus Conſules, honores etiam & dignitates faſces vocat. Idem facit Samſon Abbas Cordubenſis, de quo antea diximus.* Hæc ille. Sed vana hæc explicatio, licet enim Eulogius fictis quibuſdam ac novatis verbis & phraſibus aliquando utatur; præfatis tamen in locis plane & latine loquitus, cumque ipſo Morale fatente, idem loquendi modus a Samſone Abbate Cordubenſi uſurpetur, liquet id ex proprietate, non ex licentia ſermonis Latini factum fuiſſe. Sed idem Morales, qui non adverterat Imperatores Orientis, Occidentis, & Italici per hæc tempora annos a Conſulatu numeraſſe, eam adhibuit interpretationem.

XXI. *Saracenorum Reges Conſulatum Trib. pot. inſtar geſſiſſe, confirmatur.*

Porro Samſon Abbas Cordubenſis, de quo ante loquutus fuerat Morales, fuit presbyter Eulogii coætaneus, vir in Philoſophiæ & ſacrarum litterarum ſtudiis verſatus. Scripſit Apologeticum tribus libris diſtinctum contra Hoſtigeſium Malacitanum Epiſcopum, a quo in Concilio Cordubenſi cum convitio hæreticus appellatus fuerat. Quod opus Gothicis litteris deſcriptum in Eccleſiæ Toletanæ Bibliotheca aſſervari, idem Morales in ſcholiis ad lib. 1. Eulogii aſſerit, refertque ejus Epitaphium in quo legitur eum obiiſſe *Era* 928. Chriſti nempe 890. quare cum Samſon, eodem quo Muhamedus Cordubenſis Rex, qui ad annum uſque 887. imperavit, ut teſtis eſt Rodericus, tempore vixerit, ejuſdemque regis Conſulatus mentionem fecerit, non dubium quin a Regibus Cordubenſibus Conſulatus Tribunitiæ poteſtatis inſtar geſtus fuerit, idemque Abbas proprie, non vero figurate, aut ex Latini ſermonis licentia loquutus fuerit. Imo ſicuti in Oriente Imperatores, qui a Conſulatu Imperii annos deducebant, plures alios Conſules honorarios creabant, ita & in Hiſpania, nono Eccleſiæ ſæculo, Saracenorum Reges, non tantum ſe, ſed ſummos etiam Imperii ſui Magiſtratus Conſules appellabant, ut videre eſt apud eundem Eulogium lib. 2. cap. 6. qui & lib. 2. cap. 1. eum, qui *totius Reipublicæ in Hiſpaniis adminiſtrationem gerebat*, *Proconſulem* vocat. Neque melius Abderamini Conſulatum in Gloſſario mediæ & infimæ latinitatis, verbo *Conſul*, Carolus Dufreſnius explicat, dum ait hanc vocem eo in loco deſignare præfecturam maris, qua Abderamen exornatus fuit, eo fundamento innixus, quod ſequentibus ſæculis ad illud munus ſignificandum, ea vox a Saracenis uſurpata fuerit; quaſi Abderamen Rex potentiſſimus, quique, ut ait Eulogius loco laudato, in omni pompa ſeculari prædeceſſores generis ſui Reges ſuperavit, rei tantum maritimæ Præpoſitus fuerit, Admiraliorumque non minus, quam Regum anni apud Saracenos in Actis publicis numerati fuerint. Certum itaque manere debet, poſt Conſtantinum Pogonatum, Imperatores Orientales Imperii & Conſulatus annos non diſtinxiſſe, eorumque exemplo Imperatores Occidentis, qui in Gallia & Italia, & Reges Cordubenſes qui in Hiſpania Principatum obtinuere.

XXII. *Abolitis Conſulatus cauſa ejuſque umbra in privatis relicta.*

Atque hinc hujus nominis neglectus contemptuſque ortus; cum enim honorum tituli a pluribus uſurpati ſplendorem amittere ſenſimque negligi, ac tandem extingui ſoleant, cœpit Conſularis dignitas ab aliis Principibus aſſumpta, vileſcere, & ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis in minimis poni, ac demum poſt annum Chriſti, ut jam diximus, nongenteſimum ab iiſdem abolita eſt. Verum quidem eſt circa annum nongenteſimum trigeſimum tertium Albericum Maroziæ Romæ imperitantis filium, & circa annum nongenteſimum octuageſimum quintum Creſcentium Numentanum, Conſulum nomen Romæ renovaſſe, ſub eoque titulo tyrannidem exercuiſſe; ſed infelici ſucceſſu, ut videre eſt apud Sigonium lib. 6. & 7. de Regno Italiæ, ac Baronium in Annalibus Eccleſiaſticis. Per quadringentos itaque ferе annos, Conſulatus penes Imperatores Orientales fuit, ſed diſpari ratione; per annos enim duos ſupra centum Era Imperii Conſulatus Era poſterior fuit, ſed per reliquum tempus, qui Imperii, is & Conſulatus annus extitit. Illius dignitatis, tituli que umbra, ac imago quædam penes privatos remanſit; ex Gloſſario enim mediæ & infimæ latinitatis verbo *Conſul* & *Conſulatus* diſcimus variorum ordinum viris nomen illud poſtea tributum fuiſſe, Conſuleſque dictos, qui in Emporiis, ſeu maris portubus mercatorum jura ac merces tuentur. Codinus lib. cap. 7. num. 9. Pachymeres lib. 2. cap. 32. & Gregoras lib. 4. obſervant Piſanorum Magiſtratum, qui Conſtantinopoli degebat, *Conſulem* appellatum. Hoc etiam nomine inſigniti Admiralii, ſeu ſupremi claſſium Præfecti apud Saracenos. Kiſangerus anno 1272. ait: *Admiralius Joppenſis natione Saracenus, quæ dignitas apud nos Conſulatus vocatur.* Conſulatu Curiæ ſumma etiam rerum & præcipua adminiſtratio explicata, unde Albertus Stadenſis ann. 1068. de Alberto Epiſcopo loquens, ait: *Summam rerum, quod eſt vicedominatus, jam ſepties Conſul meruit.* Conſul etiam pro Comite ſumptus, uti in legibus Eduardi Confeſſoris cap. 2. *quod modo vocatur Comitatus, olim apud Britones temporibus Romanorum in Regno iſto Britanniæ vocabatur Conſulatus, & qui modo vocantur vicecomites, tunc temporis Viceconſules vocabantur. Ille vero vocabatur Viceconſul, qui Conſule abſente ipſius vices ſupplebat in jure & in foro.* Ita uſurpant paſſim ſcriptores, quorum plures citat Dufreſnius, ejuſdem Gloſſarii Auctor doctiſſimus, qui & obſervat Magiſtratus urbanos, in multis civitatibus Scabinos vocatos, Conſules etiam dictos fuiſſe, quod & in Gallia frequens.

CAPUT ULTIMUM.

Chronologia Aurelianea.

I. COnſulatu tertio Aureliani Imperatoris, qui in Epigrapha Forojulienſi memoratur, duplici modo explicato, dataque occaſione, cæteris Cæſarum & Auguſtorum Conſulatibus ſedulo diſcuſſis, reliquum eſt, ut ejuſdem Imperatoris Chronologiæ, non parum obſcuræ, aliquam lucem affundamus; cætera enim in præfata Inſcriptione contenta jam a viris doctis occupata ſunt, actumque agere, rei litterariæ magis obeſt, quam prodeſt. Incipio ab anno, qui Aureliani Imperium præceſſit, quod aliqua illi attribuantur, quæ ad Claudii Imperium pertinere mihi perſuaſiſſimum eſt.

ANNO CHRISTI 269.

Cyclo Solis 26. C. Lunæ 4.

Coſſ. M. *Aurelius Claudius Aug. II. Ovinius Paternus.*

II. Cum Paulus Samoſatenus damnatam priore Concilio Antiocheno, Gallieno imperante, celebrato hæreſim repetiiſſet, ſecundum adverſus eum in eadem urbe hoc anno coactum eſt, licet illud Baronius in Annalibus in annum 272. reliqui communiter omnes in annum 270. differant, & inter eos conveniat, Aureliano imperante illud celebratum fuiſſe; niſi quod Valeſius in Notis ad Euſebium lib. 7. cap. 31. partim ſub Claudio, partim ſub Aureliano habitum ac ſub priori cæptum, ſub poſteriori vero abſolutum ſcripſerit. Sed eodem Claudio imperante, & cæptum, & finitum, quæ mox afferemus, evincent. Et quidem quoad anni tempus nemini hactenus obſervatum, Autumnum fuiſſe minime dubitandum; ex Epiſtola enim Synodica, quam Epiſcopi ad Dionyſium Romanum Pontificem ſcripſere quamque Euſebius lib. 7. hiſt. cap. 30. refert, iidem dicunt: *unus quoque Antiochiam venturus erat Firmilianus, & jam Tarſum uſque* (Ciliciæ oppidum eſt) *pervenerat. Sed cum nos jam conveniſſemus; interea loci dum arceſſimus, dum ejus adventum expectamus abiit e vita*, Græci, ut in eorum Menologio videre eſt, Firmiliani Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopi feſtum die viceſima octava Octobris celebrant; quare ſi eo die Firmilianus ad cœleſtem patriam migravit, circa Octobris initium Concilium coactum. Quod dum celebraretur, idem Dionyſius Pontifex die viceſima ſexta Decembris e vivis exceſſit, uti recte Catalogus veterum Pontificum ab Henſchenio editus teſtatur. Ea mors in annum ſequentem eandem Synodum prorogatam oſtendit; non enim Epiſcopi ad eundem Pontificem ſcripſere, niſi quia mortuum ignorabant, ideoque anno ſequenti; quod & demonſtrare videtur Concilium Epheſinum, in quo Paulus Samoſatenus damnatus dicitur ante annos centum & ſexaginta. Sic enim, ut notat Valeſius loco laudato, habet libellus conteſtationis Cleri Conſtantinopolitani publice in Eccleſia propoſitus, *quod Neſtorius ejuſdem ſententiæ ſit cum Paulo Samoſateno, ante annos centum ſexaginta ab Orthodoxis Epiſcopis anathemate condemnato*. Scriptus eſt hic libellus Conſulatu Theodoſii Auguſti XIII. & Valentiniani III. anno nempe Chriſti 430. antequam Synodus in urbe Epheſo congregaretur. Ab anno autem Chriſti 270. ad annum 430. anni ſunt completi & ſolidi 160. Eodem loco utitur Valeſius, ut oſtendat eo anno Synodum celebratam, perperamque a Baronio anno 272. conſignatam fuiſſe. Sed ſi Baronius eum annum, qui Aureliani Auguſti, & Pomponii Baſſi Conſulatu notatus eſt, 271. uti ſecundum rectam Chronologiam debuit, appellaſſet, nihil ex eo contra ejus ſententiam deduci poſſet. Eo itaque loco ejuſdem quidem Chronologia everſa, ſed ſententia minime concuſſa; qui enim eam defendunt, reſpondebunt in ea annorum collectione ultimum terminum, ut ſæpe fit, excludi. Porro uſque ad annum ſequentem Synodum continuatam fuiſſe oſtendunt etiam verba Euſebii, qui loco laudato ait, cum Paulus Epiſcopatu excidiſſet, Domnuſque adminiſtrationem Antiochenſis Eccleſiæ a Synodo ordinatus ſuſcepiſſet, illum e domo Eccleſiæ nullatenus excedere voluiſſe, & non niſi Aureliano Imperatore jubente ab ea expulſum fuiſſe. Aliquanto itaque tempore Epiſcopi Antiochiæ ſubſtitere. Quod ſi in priori Concilio adverſus eumdem habito, *multa diſputationes, & quæſtiones in unoquoque conſeſſu agitatæ ſunt*, ut inquit idem Euſebius lib. 7. cap. 28. idem in poſteriori factitatum non dubitandum; ideoque cum ob mortem Firmiliani tardius illud inchoatum fuerit, anni ſequentis initio adhuc congregatum fuiſſe, certum.

III. Hanc ſynodum, Claudio imperante, celebratam fuiſſe, non tantum docent Hermannus Contractus, Eutyches Patriarcha Alexandrinus; cujus verba in Collectione Conciliorum Generalium leguntur, Marianus Scotus, & Abbas Uſpergenſis, ſed & Methodius ab eodem Mariano laudatus qui de Claudio Imperatore loquens ait: *Hujus temporibus ultimum apud Antiochiam Epiſcoporum Concilium congregatur, in quo Paulus manifeſte convincitur hæreticus, & damnatur ab omnibus, quæ ſub Cœlo ſunt, Eccleſiis Chriſti, &c.* Neque ſub aliis, quam ſub præſentis anni Conſulibus cogi illud potuit; cum ſub iis Dioniſius Pontifex Romanus, uti jam obſervavimus ad quem Epiſcopi ſcripſere, extremum diem obierit, communiſque opinio alio non innitatur fundamento, quam Euſebii loco male intellecto, ut infra videbimus. Dionyſii itaque Pontificis Romani mors ab hoc anno, quo & eam contigiſſe Anaſtaſius Bibliothecarius teſtatur, minime removenda, præfataque Synodus in hunc tandem annum quaſi poſtliminio reſtituenda.

ANNO CHRISTI 270.

Cyclo Solis 27. B. Lunæ 5.

Coſſ. *Antiochianus, Orfitus.*

IV. Claudius Imperator ſub hujus anni finem vita functus eſt, poſtquam imperaſſet annos duos & menſes circiter ſeptem. Quare erratum a Petavio in Chronico, & in Rationario temporum a Calviſio in opere Chronologico, aliiſque viris doctiſſimis, qui aliquorum Antiquorum auctoritate fulti, eum tantum annum unum & menſes decem imperaſſe tradidere; Gruterus enim Inſcriptionem Claudii refert, in qua is dicitur TRIB. POT. III. COS. II. tertium itaque Imperii annum attigit; immo pre ante diem viceſimam ſextam Octobris currentis anni deceſſit. Noriſius Diſſertat. de Vot. Decennal. cap. 6. obſervat in lib. 1. Codicis Juſtinianei tit. 23. L. *de diverſ. Reſcript.* in titulo notari: *Imp. Claudius Aug. Epagatho*, & ſignari: *Datum VII. Kal. Novemb. Antiochiano & Orfito Coſſ.* qua ſubſcriptione liquet non tantum exeunte Octobri Claudium adhuc in vivis fuiſſe, ſed & Synodum

An-

Antiochenam jam celebratam fuiſſe, cum jam fere ab anno Dionyſius Pontifex Romanus obiiſſet, neque tandiu Antiochiæ mors ejus ignotari potuerit, præſertim ob tumultus a Paulo Samoſateno in Oriente excitatos. Lucius Domitius Aurelianus, vir bello fortis ſed *natura ferocior*, ut ait Vopiſcus in ejus vita cap. 20. Claudio ſucceſſit, cujus Imperii initio a Marcomannis *omnia circum Mediolanum graviter evaſtata ſunt. Poſtea tamen ipſi quoque Marcomanni ſuperati ſunt*, inquit idem Vopiſcus loco laudato, cap. 18. quod hoc anno geſtum eſſe, quæ ſequenti dicam, oſtendent.

ANNO CHRISTI 271.

Cyclo Solis 28. A. Lunæ 6.

Coſſ. *Aurelianus Aug. II. Pomponius Baſſus.*

V. Aurelianum Imperatorem, qui ante ſuſceptum Imperium Crinito Collega, anno 259. Conſul ſuffectus fuerat, hoc anno Conſulem iterum dici debere, ex iis quæ ſuo loco diximus, probatum manet. Marcomannis in Gallia, Italiaque cuncta vaſtantibus, *ingentes Romæ ſeditiones motæ ſunt. Quare etiam libri Sybillini noti beneficiis publicis inſpecti ſunt*, inquit, Vopiſcus in Aureliano cap. 18. qui capite ſequenti dicit, Senatusconſultum, quo eos libros inſpici juſſum, factum *eſſe die tertio Idus Januarias*, ac dein capite 20. refert Aureliani reſcriptum ad Senatum, quo diſcimus librorum Sibillinorum lectionem Chriſtianis vetitam fuiſſe; *miror vos*, inquit, *Patres ſancti, tamdiu de aperiendis Sibyllinis dubitaſſe libris, perinde quaſi in Chriſtianorum Eccleſia, non in templo Deorum omnium tractaretis.* Extant Sibyllarum oracula octo libris carminum inſperſa, in Bibliotheca Patrum, quæ Antiqui patres ad Chriſtianæ Religionis confirmationem ſæpe protulerunt, quæ an ſint genuini Sibyllarum fœtus, noſtro ſæculo in magnam controverſiam vocatum. Videnda opera hac de re edita; nobis enim hic dicere ſufficit, licet Sibyllarum carmina prorſus genuina & incorrupta non ſint, quæ tamen ab Antiquis Patribus laudantur, Chriſtianorum figmenta non eſſe.

VI. Superatis ad Placentiam Marcomannis, Aurelianus Romam petiit, ubi crudeliter ſe habuit; *Interfecti ſunt enim nonnulli etiam nobiles Senatores*, inquit Vopiſcus cap. 21. qui addit; *adhibito conſilio Senatus muros urbis Romæ dilatavit.* Quod cum Aureliano & Baſſo Conſulibus, Idatius in Faſtis factum doceat his verbis; *His Coſſ. muri urbis cœpti fieri:* conſtat quæcumque Vopiſcus ante eam murorum urbis Romæ inſtaurationem narravit, hoc vel præcedenti anno geſtum eſſe; ideoque Marcomannorum evaſtationes, anno ſuperiori, inſpectionem vero librorum Sibyllinorum, præſenti recte conſignatas eſſe.

VII. *Tranſactis quæ ad Urbis ſtatum & civilia pertinebant, contra Palmyrenos, id eſt, contra Zenobiam, quæ filiorum nomine Orientale tenebat Imperium, iter flexit*, inquit Vopiſcus cap. 22. de Aureliano loquens.

ANNO CHRISTI 272.

Cyclo Solis I. GF. Lunæ 7.

Coſſ. *Quietus, Valdumianus.*

VIII. Aurelianus in Orientem profectus, multa in itinere, ac magna bellorum genera confecit, Byzantium, Tyanam, Antiochiam, & alias urbes obtinuit, ut videre eſt apud Vopiſcum, qui addit, poſt hæc pugnatum eſſe de ſumma rerum contra Zenobiam, quam captam triumpho reſervavit, *ut populi Romani oculis eſſet oſtentui*, addit idem Vopiſcus cap. 30. quod hoc anno, haud longe Antiochia factum eſſe, Euſebius in Chronico juxta editionem Scaligeri teſtis eſt.

IX. Zenobia, quæ, ut docet Athanaſius in Epiſt. ad Solitarios pag. 663. Paulo Samoſateno patrocinabatur, capta, is ſententiam adverſus ſe in poſteriori Synodo Antiochena prolatam ſubire coactus eſt, ut diſcimus ex Euſebio lib. 7. cap. 29. cujus verba perperam intellecta pleroſque omnes hactenus in errorem induxere. Licet enim idem Euſebius Paulum Samoſatenum, Aureliano imperante, ex Eccleſia exturbatum dicat, illi tamen volunt ipſum docuiſſe ſub ejus Imperio poſteriorem Synodum Antiochenam celebratam fuiſſe; qui error, ut tandem tollatur, Euſebii verba expendenda ſunt: *κατ' ἐν τελευταίας συγκροτηθείσης πλείστων ὅσων ἐπισκόπων συνόδου, φωραθεὶς καὶ πρὸς ἁπάντων ἤδη σαφῶς καταγνωσθεὶς ἑτεροδοξίαν ὁ τῆς κατὰ Ἀντιόχειαν αἱρέσεως ἀρχηγός, τῆς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν καθολικῆς ἐκκλησίας ἀποκηρύττεται.* Id eſt, ut Chriſtophorſonus vertit; *cujus* (nempe Aureliani) *temporibus Paulus Dux & author erroris, qui Antiochia graſſabatur, in poſtremo Concilio Epiſcoporum, numero prope infinitorum contra eum convocato, ſui erroris & peregrinæ opinionis perſpicue convictus, & omnium jam conſenſu palam condemnatus, ab univerſa & Catholica Eccleſia, quæ ſub cœlo eſt, penitus exturbatus fuit.* Significat itaque Euſebius Paulum Samoſatenum, imperante Claudio, in Concilio ſecundo Antiocheno convictum & condemnatum, Aureliani tandem temporibus ex Eccleſia penitus exturbatum fuiſſe, neutiquam vero ut illi imponitur, Aureliano imperante Synodum illam coactam. Quare Methodius ſupra a nobis laudatus, qui ea Euſebii verba exſcribit, recte eam ad Claudium, non vero ad Aurelianum retulit. Valeſii itaque verſio hæc rejicienda, utpote ab Euſebii mente aliena: *Hujus temporibus* (nempe Aureliani) *poſtrema Synodus innumerabilium fere Epiſcoporum congregata eſt; In qua author illa nefariæ apud Antiochiam Hæreſeos Paulus convictus & ab omnibus manifeſtiſſime deprehenſus falſi dogmatis reus, ab univerſa, quæ ſub cœlo eſt, Eccleſia Catholica eliminatus eſt.* Nicephorus lib. 6. cap. 28. in duobus deceptus eſt. Primum Epiſtolam Synodicam, quam Euſebius refert lib. 7. cap. 30. priori Synodo Antiochenæ perperam attribuit, ideoque Firmilianum eodem tempore, quo Dionyſium Alexandrinum anno nempe Gallieni Imperatoris duodecimo, demortuum fuiſſe ſcribit; ac præterea ſecundam Antiochenam Synodum ſub Aureliano habitam fuiſſe tradit; Baroniumque in priorem errorem, & in poſteriorem, non tantum hunc, ſed omnes qui poſt eum ſcripſere, induxit. At ſicuti Euſebius in Chronico anno decimo tertio Gallieni de Paulo loquens, quæ ſub eodem Imperatore, ac ſub Claudio contra eundem Paulum geſta ſunt, uno tenore proſequitur dicens: *Paulus Samoſatenus a cunctorum prædicatione deſciſcens, Artemonis hæreſim ſuſcitavit. In cujus locum Antiochenæ Eccleſiæ ſextus decimus ordinatur Epiſcopus Domnus:* Ita & in hiſtoria, occaſione ejuſdem Domni in Eccleſiæ Antiochenæ poſſeſſionem, Aureliano imperante, inducti, Paulique ex ea detruſi, de Concilio contra hunc coacto agit. Quem Euſebii loquendi modum Baronius anno 272. quo præfatam Synodum celebratam exiſtimat, aliique viri doctiſſimi non animadvertentes, ſcribunt Euſebium in Chronico erraſſe, & Gallieno imperante, Domnum Paulo Samoſateno fuiſſe ſubrogatum, docuiſſe; quod profecto a mente ejus alienum. Ne-

que

que aliter quam Chriſtophorſonus, Jacobus Goar, vir eruditiſſimus, præfata Euſebii verba a Georgio Syncello in calce Chronographiæ ſuæ citata verit; ſed Valeſius opinione communi occupatus, quod nempe poſterior Synodus Antiochena ſub Aureliano coacta fuerit, & a Nicephoro, qui loco laudato Euſebium in eum ſenſum trahit, deceptus, eam nobis interpreta tionem obtruſit, quæ quam a Græca phraſi recedat, communis opinionis inanitate patefacta, jam quilibet deprehendere poteſt.

X. Petavius in Chronico ad annum Chriſti 270. ait, Athanaſium de Synodis indicare Romæ ſuper Pauli hæreſi a Dionyſio Papa Synodum celebratam fuiſſe; & Baronius ann. 265. n. 10. & 22. dicit adverſus deteſtandas ejuſdem Pauli impietates, mox ut innotuere, ſanctos Epiſcopos inſurrexiſſe, imprimiſque Dionyſium Romanum, & alterum Dionyſium Alexandrinum Epiſcopum, a quibus inquit, *ſublatum eſſe Paulum ſanctus Athanaſius ſcribit*, Sed neutrum in Athanaſio legitur. Verum quidem eſt hunc pag. 918. editionis Græco-Latinæ ejuſdem libri de Synodis, loqui de Concilio Romæ, dum Dionyſius Alexandrinus viveret, celebrato, ſed diſerte ibidem docet contra aliam hæreſim illud habitum fuiſſe, refertque Epiſtolam, quam Dionyſius Romanus ad Dionyſium Alexandrinum ſcripſit. At hæc nihil ad hæreſim Pauli. Conſignatum illud Romanum Concilium a Baronio in Annalib. anno 263. in quo quæ geſta ſunt, legi poſſunt. Neque etiam ab utroque Dionyſio Paulum ſublatum eſſe dicit Athanaſius, ſed tantum a ſeptuaginta Epiſcopis, qui ſecundo Concilio interfuere, condemnatum fuiſſe. Hæc enim ejus verba: *Duo Dionyſii ante eos ſeptuaginta fuere, qui Samoſatenſem ſuſtulerunt*, (in ſecunda ſcilicet Synodo Antiochena) *quorum alter Romæ, alter Alexandriæ præſul erat*, quo in loco τὸ *ſeptuaginta* non ad utrumque Dionyſium, ut Baronius putavit, ſed ad Præſules ſecundæ Synodi Antiochenæ, quos paulo poſt, *ſeptuaginta Epiſcopos Pauli Samoſatenſis condemnatores* vocat, refertur. Ex quo & numerum Patrum, qui eidem Concilio interfuere, in Annalibus Eccleſiaſticis non memoratum, diſcimus. In Concilio tamen Epheſino tom. 3. ultimæ Collectionis Concil. General. pag. 425. in libello quodam ſupplici, quem Baſilius Diaconus, aliique Monachi contra Neſtorium obtulerunt, centum & octoginta numerantur, qui in Antiochena collecti Synodo contra Paulum Samoſatenum, ipſum depoſuerunt. Qua in re nihil habeo quod dicam, niſi quod Athanaſius ad Synodi finem, Baſilius ad ejuſdem initium reſpexerit. In magnis enim conventibus quicumque prioribus actionibus non ſemper poſterioribus interſunt, ſicque minor in fine, quam in principio numerus.

XI. Porro Zenobiam Palmyrenorum Reginam, hoc anno in Aureliani manus veniſſe, ideoque & Paulum Samoſatenum ex Eccleſia Antiochena exturbatum fuiſſe, nummus Græcus, qui apud Segulnum in Nomiſmatis ſelectis extat, oſtendere videtur. Legitur in eo: CEΠTIMIA ZHNOBIA CEB. L. E. id eſt, *Septimia Zenobia Auguſta anno quinto, Gallieno adhuc regente Rempublicam*, inquit Pollio in triginta tyrannis cap. XXX. *regale mulier ſuperba munus obtinuit*, quæ cum annos quinque imperaverit, liquet anno 277. Odenato marito demortuo, in Orientali Imperio ſucceſſiſſe, ac currenti captam fuiſſe.

XII. Hoc anno Conſtantinus Magnus apud Naiſſum Dardaniæ Illyricæ, hodie Serviæ dictæ oppidum, Conſtantio Chloro, poſtea Imperatore, patre, & Helena matre natus eſt, vel tertio Kalendas Martii, vel pridie Kalendas Aprilis: in utroque enim die Kalendarium a Petro Lambecio publicatum habet: NATALE CONSTANTINI, nihilque huc uſque a viris doctis allatum, quod uno potius, quam altero, eum natum fuiſſe demonſtret. Illud certum, alterum ad genuinum ejus Natale, alterum vero ad diem, quo Auguſtus a Maximiano Herculio appellatus eſt, referendum eſſe. Quoad annum, deducitur is ex Rufino lib. 1. cap. undecimo, Socrate lib. 1. cap. ultimo, & Sozomeno lib. 2. capite pariter ultimo, qui Conſtantini vitæ annos ſexaginta quinque numerant. Cum enim eum anno 337. die 22. Maji demortuum certum ſit, ſi retro ſexaginta quinque annos numeraveris, ad præſentem pervenies. Quoad patriam acriter de ea inter doctos certatum, eamque Britanniam fuiſſe diu creditum, & ab aliquibus etiam nuper ſcriptum. Quam opinionem Michael Alfordus e Societate Jeſu in eo libro, quem *de Lucii, Helenæ & Conſtantini patria, & fide* ſcripſit, Scriptorum tum Italorum, tum Hiſpanorum, & Belgarum, tum Germanorum, ſeptuaginta auctoritate confirmare conatur. Conſtantinum tamen Naiſſi ortum extra controverſiam eſſe debet, cum Anonymus ab Henrico Valeſio editus, Stephanus Byzantius, lib. de Urbibus, Conſtantinus Porphyrogenita in libro 2. περὶ θεμάτων, & Firmicus in lib. 1. Matheſeos ſub initium, id diſtincte tradant, & Cedrenus eum in urbe Daciæ natum aſſerat, Dardaniaque fuerit, ubi antea Decia Mediterranea; & nunc Servia ſita eſt. Quare cum nihil alicujus momenti contra Antiquorum Auctorum fidem afferatur, faceſſat e Doctorum virorum libris decantatiſſima illa fabula, quæ Conſtantinum Britannum facit.

ANNO CHRISTI 273.

Cyclo Solis 2. E. Lunæ 8.

Coſſ. *M. Claudius Tacitus.* *Furius Placidianus.*

Pacato Oriente, in Europam Aurelianus rediit victor, atque illic Carporum copias afflixit, ſed Palmyreni, eo rebus Europenſibus occupato, rebellarunt. Quare Aurelianus ex Europa revertit, atque Urbem, quia ita merebatur, evertit. Securior deinde iterum in Europam rediit. Interim Firmus quidam extitit, qui ſibi Ægyptum vindicavit. Ad quem continuo Aurelianus revertit, Ægyptumque ſtatim recipit. Atque vehementer iraſcens quod adhuc Tetricus Gallias obtineret, Occidentem petiit: ubi ipſo Tetrico exercitum ſuum prodente, quod ejus ſcelera ferre non poſſet, deditas ſibi legiones obtinuit. Hæc ſummatim Pollio in Aureliano cap. XXX. & infra. Quæ omnia non niſi per integri anni ſpatium fieri potuere. Quare perperam Petavius in Chronico victoriam de Zenobia in hunc annum differt, nec majori fundamento Euſebius etiam in Chronico, Aureliani triumphum in hunc annum conjicit. Nam ſi hoc tantum anno Zenobia victa fuiſſet, tot rebus agendis tempus Aureliano non ſuppetiiſſet.

ANNO CHRISTI 274.

Cyclo Solis 3. D. Lunæ 9.

Coſſ. *Aurelianus Aug. III.* *C. Julius Capitolinus.*

Ex hoc Aureliani Conſulatu diſcimus primo hunc Quinquennalia juxta II. Conſulatuum Cæſareorum Regulam edidiſſe. Secundo eum etiam hoc anno *de Oriente & Occidente*, triumphum Romanis oculis exhibuiſſe, recteque XIII.

que a Caſſiodoro in Chronico ſub hoc Conſulatu ſcriptum eſſe; *His Coſſ. Aurelianum, Roma triumphantem captivi Tetricus, & Zenobia præceſſerunt*. Tertio Agonem Solis hoc anno ab Aureliano inſtitutum, templumque Soli ab eo ædificatum, quod perperam idem Caſſiodorus ſub anni ſequentis Conſulibus, recte vero Euſebius in Chronico hoc anno conſignat; cum uti diximus, annis, quibus hujuſmodi ſolemnia celebrabantur, templa ædificari, novaque inſtitui ſolerent. Recte etiam ab eodem Euſebio ibidem ſcriptum: *Romam firmioribus muris vallat*, nempe Aurelianus, propter eandem rationem; qua in re Idatio contrarius non eſt; quia is, ſicuti & Vopiſcus, de cœpto ædificio; Euſebius vero de abſoluto loquitur. Quarto recte Vopiſcum in Aureliano cap. XXXV. hujus triumpho narrato, ſcripſiſſe: *Idem Aurelianus, & porcinam carnem populo Romano diſtribuit, quæ hodieque dividitur, leges plurimas ſanxit, & quidem ſalutares: Sacerdotia compoſuit, templum Solis fundavit & Pontifices roboravit. Decrevit etiam emolumenta Architectis & Miniſtris. His geſtis ad Gallias profectus &c.* Hæc enim, ſimiliaque, annis quibus Quinquennalia & id genus feſta edebantur, ab Imperatoribus de more facta. Triſtanus tomo 3. pag. 214. offert nummum Aureliani, in quo legitur: Α Κ. ΔΟΜ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟϹ ϹΕΒ. Α. Δ. id eſt, *Imperator Cæſar Lucius Domitius Aurelianus Auguſtus anno quarto*. Exprimitur in eo idem Imperator Lauro coronatus, in poſtica vero parte viſitur Aquila coronam gerens, inter duo ſigna militaria, poſita, duobus captivis in inferiori parte nummi expreſſis, hunc in ejus Quinquennalibus cuſum, ex iis quæ parte 2. cap. 3. diximus conſtat. Anno enim ejuſdem Imperatoris quarto ea acta, & ut ex his, quæ infra dicemus liquebit aliquot menſibus anticipata. Denique ex iiſdem Quinquennalibus manifeſtiſſimum redditur, præſenti tantum anno, non vero aliquo ex præcedentibus perſecutionem adverſus Chriſtianos ab eodem Imperatore decretam fuiſſe; quod quidem Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum recte ſcripſerat, ſed quod poſtea in Annalibus perperam retractavit, ob ingentem, inquit, eorum numerum, qui Aureliano imperante Martyrium ſubiere. Eandem poſt eum ſententiam Petavius in Chronico, Henſchenius & Papebrocius in Actis SS. omneſque recentiores ſequuti ſunt; ſed cum ea non tantum Aureliani Quinquennalia, ſed etiam omnes antiquos Scriptores tam Græcos quam Romanos adverſantes habeat, nulloque fundamento nitatur, rejicienda. Ii enim brevem eam fuiſſe affirmant. Euſebius lib. 7. cap. 30. ait: *Eum paratum jam, & compoſitis contra nos edictis, ut ita dicerem, ſubſcribentem, ulta eſt divina juſtitia: quaſi conſtricto cubito conatum ejus reprimens*. In Chronico vero eam non niſi ultimo Imperii Aureliani anno collocat. Baronius quidem non tantum eumdem Euſebium in Hiſtoria, ſed & Oroſium lib. 7. cap. 23. ita explicat quaſi ſcripſerint eam tantum intentatam fuiſſe; ſed eorum mentem vir doctiſſimus non aſſequitur; illi enim non aliud ſignificare intendunt, quam eam brevem fuiſſe. Unde Oroſius Aurelianum nonum Eccleſiæ perſecutorem vocat, ait enim: *noviſſime cum perſecutionem adverſus Chriſtianos agi nonus a Nerone decerneret, fulmen ante eum, magno pavore circumſtantium ruit, ac non multo poſt in itinere occiſus eſt*, id eſt, decreta perſecutione ſtatim periit.

XIV. Egregius eſt eamdem in rem Lactantii lib. de mortibus Perſecutorum cap. 6. locus: *Aurelianus*, inquit, *qui eſſet natura veſanus & præceps, iram Dei crudelibus factis laceſſivit. Verum illi ne perficere quidem, quæ cogitaverat, licuit, ſed protinus inter initia furoris ſui extinctus eſt. Nondum ad Provincias ulteriores cruenta ejus ſcripta pervenerant, & jam Cænofrurio, qui locus eſt Thraciæ, cruentus ipſe jacebat, falſa quadam ſuſpicione ab amicis ſuis interemptus*. Mitto Georgium Syncellum, Hermannum Contractum, Marianum Scotum, alioſque, qui hanc perſecutionem unanimi conſenſu in ultimum Imp. Aureliani annum contulere. Ea itaque hoc tantum anno excitata, ideoque S. Symphoriani, aliorumque Martyrum, quorum Acta Henſchenius & Papebrocius viri eruditiſſimi illuſtrarunt, agones, in hunc vel ſequentem, quo per ſex menſes interregnum fuit, quove Aureliani nomine perſecutio continuata, retrahendi. Infirmum porro Baronii fundamentum ſupra inſinuatum, adverſus omnium Antiquorum fidem; cum in libro Anaſtaſii de Romanis Pontificibus tradatur in Marcellino, uno duntaxat menſe numeratos eſſe decem & ſeptem millia martyrum in perſecutione Diocletianea, ut refertur in Epitome Spondani, anno 302. n. 4. Denique Euſebius in Hiſtoria lib. 7. cap. 30. communem ſententiam plane convellit, confirmatque quod jam in Chronico ſcripſerat, Zenobiam nempe anno Chriſti 272. captam eſſe, & currenti perſecutionem ab eo excitatam; quod ut evidenter pateat, ejus verba affero: *cum Paulus e domo Eccleſiæ nullatenus excedere vellet; interpellatus Imperator Aurelianus rectiſſime hoc negotium dijudicavit, eis domum tradi præcipiens, quibus Italici Chriſtianæ Religionis Antiſtites, & Romanus Epiſcopus ſcriberent. Hoc modo vir ſupra memoratus cum ſummo dedecore per ſecularem poteſtatem ab Eccleſia exturbatus eſt. Ac tunc quidem erga noſtros ſic affectus erat Aurelianus. Proceſſu vero temporis alter de nobis ſentiens, quorumdam conſiliis cœpit impelli, ut perſecutionem adverſus noſtros commoveret. Jamque ea de re multus ubique rumor ſpargebatur.* Syriam, in qua Antiochia, & Phœnicen Zenobiæ dominationi conceſſiſſe, Auctor eſt Theodoretus. Quare Aurelianus e domo Antiochena Paulum Samoſatenum ante annum 272. quo Zenobia capta Syriam obtinuit, expellere non potuit. Eo expulſo non ſtatim Chriſtianos vexavit Imperator, ſed tantum, ut habet Euſebius, *proceſſu temporis*, id eſt, uno vel altero poſt anno. Ex quo liquet quantum aberrent Baronius in Annalibus, Petavius in Chronico, Calviſius, aliique viri eruditi, qui perſecutionem Aurelianeam in Quieti & Volduſiani Conſulatum, victoriam vero de Zenobia, in annum ſequentem conjiciunt. Ex ea enim ſententia ſequitur, Aurelianum uno eodemque tempore in Chriſtianos deſæviiſſe, & ſimul illis faviſſe; falſoque Euſebium ſcripſiſſe, perſecutionem adverſus eoſdem commotam non fuiſſe, niſi poſt aliquod tempus a tradita Domno Antiocheno Epiſcopo in locum Pauli ſubſtituto, Antiochenſi Eccleſia. Quare, ut tam perſecutionis Aurelianeæ, quam Pauli depoſitionis Hiſtoriam abſolvam, ſcopus Euſebii præcipuus in ſeptimo Hiſtoriæ ſuæ libro, fuit, oſtendere ſub Aureliano Paulum Samoſatenum e ſede Antiochena vi dejectum fuiſſe. Qua occaſione, uti aſſolet, de rebus antea in eadem cauſa geſtis agit, Concilii Antiocheni, Paulique damnationis mentionem facit, Epiſtolamque Synodicam ad Dionyſium Romanum recitat; indeque de perſecutione adverſus Eccleſiam, *proceſſu temporis*, & aliquot poſt annos excitata tractat; neque enim in hac narratione in aliquo errasse oſtendi poteſt. In lib. 7. hiſt. cap. 36. libris a Dionyſio Alexandrino, qui extremis Gallieni Imperatoris temporibus obiit, enumeratis ait: *Verum his jam expoſitis, nunc tandem qua, qualiſve fuerit ætas noſtra, poſterorum notitiæ tradamus.* Ac poſtea de priori Synodo adverſus Samoſatenum ha-

habita agit. Quare ultimis Imperii Gallieni annis natus Euſebius, præfata hæreſis ejus tempore damnata, Eccleſiaque ab Aureliano vexata; Ideoque in iis quæ tam ad eam hæreſim, quam perſecutionem ſpectant, eidem authori fides adhibenda.

XV. Hoc anno, Inſcriptio Forojulienſis, in qua Aurelianus dicitur Tribunitiæ Poteſtatis IV. quæ menſe circiter Novembri abſolvabatur, poſita eſt; ideoque Conſulatus tertius ejuſdem Imperatoris in ea memoratus, non poteſt eſſe niſi deſignatus, aut ſaltem tertius ordine, numerato nempe, quem ante adeptum Imperium geſſerat, ſuffecto, ut ſuo loco a nobis oſtenſum.

ANNO CHRISTI 275.

Cyclo Solis 4. G. Lunæ 10.

Coſſ. *Aurelianus Aug. IV.*

Avonius Marcellinus.

XVI. Aurelianus poſt triumphum Romæ actum multaque ibidem præclare ſtatuta *ad Gallias profectus Vindelicos obſidione barbarica liberavit: deinde ad Illyricum vedit, paratoque magno potius quam ingenti exercitu, Perſis bellum indixit. Sed cum iter faceret apud Cœnophrurium, manſionem qua eſt inter Heracliam & Byzantium, malitia Notarii ſui, & manu Mucaporis interemptus eſt,* inquit Vopiſcus in ejus vita capite XXXV. quibus verbis conſtat Aurelianum longe ante ſuperioris anni finem, & triumphaſſe, & Quinquennalia egiſſe; alias eidem ad tanta, longumque adeo iter, tempus defuiſſet. Cumque nuncium mortis ejus *die tertio nonas Februarias* Romam allatum fuerit, ut teſtatur Vopiſcus cap. XXXXI. menſe Januario currentis anni illum periiſſe dicendum eſt. Imperavit itaque annos quatuor, menſes circiter tres. Quare errant quicumque annos ſex eidem attribuunt, niſi annos Julianos, & utrumque extremum incompletum, ut probabile eſt Euſebium, alioſque quoſdam Antiquos præſtitiſſe, numeraverint. Pſeudographæ pariter ſunt Inſcriptiones, quæ in quibuſdam nummis leguntur, in quibus Tribunitia poteſtas ejus ſexta, vel ſextus Imperii annus memorantur. Denique Imperium Aurelianeum in Chronico Alexandrino, & in Baronio valde perturbatum, cum in utroque ſeptem eidem anni attribuantur, ſicque ſequentium Imperatorum tempore neceſſario mutilentur. Natus erat Aurelianus *ſeptimo Idus Septembris*, ut legitur in veteri Kalendario a Petro Lambecio viro Græce Latineque doctiſſimo in lucem edito; interiitque annos natus ſeptuaginta quinque, ſi fides Chronici Alexandrini Auctori: In nummis enim, in quibus effigies ejus expreſſa, non adeo provectæ ætatis fuiſſe videtur. Ex iis conſtat poſt mortem eum inter Divos relatum, immo & dum viveret, Dei nomine appellatum. Unus enim apud Spanhemium diſſertatione quinta de uſu & præſtantia numiſmatum extat, in quo legitur: DEO ET DOMINO NATO AURELIANO AUG. Qui titulus a Caro Imperatore poſtea repetitus, & nummis ejuſdem aliquoties adſcriptus; DEO ET DOMINO CARO, aut, DEO ET DOMINO NOSTRO CARO. Hæc appellatin a Diocletiano retenta, ut ex ejuſdem, & ſequentium Auguſtorum nummis liquet, in quibus de more legitur: D. vel DN. N. id eſt, *Domini* ſeu *Domini noſtri*. Qua de re plare idem Spanhemius. Et hæc ſatis de Imperio Aurelianeo, Cæſarumque & Auguſtorum Conſulatibus, eorumque Decennalibus, & id genus feſtis.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
PRÆCIPUARUM RERUM
In hac Diſſertatione Contentarum.

Numerus Romanus numerum marginalem Prolegomenon, Vulgaris Diſſertationis paginas indicat.

A

Abderamen Saracenorum Princeps Conſul, pag. 131. Non fuit Admiralius, 131.
Aelius an dictus ſit Imperator. P. N. XXIII. fit Cæſar, 77. quo anno ab Hadriano adoptatus, 21. quo anno mortuus, *ibid.*
Albericus Conſulum nomen renovat, 131.
Albinus fit Cæſar, 81. Vincitur a Severo, *ibid.*
Alexander Leonis filius imperat, 129. Obit, *ibid.*
Alexander Severus adoptatur ab Heliogabalo, 83. Fit Imperator, *ibid.* Ejus triumphus, 64. & *ſeqq.* Occiditur, 84.
Anaſtaſius fit Imperator, 104. Obit, 105. In Conſulatus mutationem invexit, 48. & *ſeq.*
Anni inchoati pro completis numerati, 7. 39. 40.
Anni Sabbatici, 67. & *ſeq.* 88.
Anthemius fit Imperator, 103. Occiditur, *ibid.*
Seditio Antiochena, 96.
Quo anno celebratum II. Concilium Antiochenum adverſus Paulum Samoſatenum, 132. & 133. Quot Epiſcopi interfuerint, 134.
Antonini Pii adoptio, 9. & 77. Fit Imperator, *ibid.* Obit, 78.
Apologiæ Decennalium tempore a Chriſtianis, Imperatoribus oblatæ, 41.
Apollonius Senator Romanus nullum Apologeticum ſcripſit, 43.
Apſimarus imperat, 125.
Archadius fit Auguſtus, 96. Succedit Patri, 97. Obit, 98.
Arcus Veſontionenſis an triumphum Aureliani repræſentet, 66.
Arnobii libri adverſus Gentes quo anno ſcripti, 43.
Artabaſdus Imperium invadit, 126. Nicephorum filium conſortem Imperii facit, *ibid.*
Artemius imperat, 125. Dejicitur imperio, *ibid.*
Athenagoras quo anno Apologiam ediderit, 42.
Attilæ irruptio in Italiam, 121.
Auguſti anni vel a primo, vel a ſeptimo ejus Conſulatu deducti, 134. Quo die Imperium orbis adeptus, 9. Quo anno imperare cœperit, 70. Imperium ei per quinquennia & decennia datum, 31. Quo die Proconſul perpetuus dictus, 9. Obit, 72.
Quando duo primum Auguſti viſi, 29.
Auguſtæ in Decennalibus dictæ, Theodora uxor Juſtini Senioris, 105. Uxor Hadriani, 50. Uxor Domitiani, 75.
Auguſtulus fit Imperator, 103. In exilium mittitur, *ibid.*
Aurelianus fit Imperator, 85. 133. Perſequitur Chriſtianos, 135. Triumphat, 66. 134. Occiditur, 85. 136. Inter Deos refertur, *ibid.*
Avitus fit Imperator, 105. Deponitur, *ibid.*

B

BAlbinus fit Imperator, 84. Occiditur, *ibid.*
Baſiliſcus arripit tyrannidem, 103. Dejicitur, *ibid.*
Baſilius Macedo imperat cum Michaele Balbo, 128. Imperat ſolus, *ibid.* Proceſſum Conſularem differt, *ibid.* Conſtantinum filium Auguſtum facit, *ibid.* Quo anno obiit, 128. 129.
Bardas Imperium adminiſtrat, 127. A Baſilio Macedone Imp. occiditur, 128.
Berengarius imperat, 130.
Britannici Natale, 7.

C

CAius nepos Auguſti deſignatur Conſul, 4. Obit, 7.
Cæſares Decennalia edidere, 32.
Annus mortis S. Cæſariæ, 116.
Caligulæ Conſulatus ordinarii quomodo ordinandi, P. N. XV. Imperat, 74. Quo anno barbam poſuit, *ibid.* Occiditur, *ibid.* Fit Cæſar, 72.
Caracalla fit Cæſar, 81. Imperat cum patre, *ibid.* Ei ſuccedit, 83. Natale ejus genuinum, *ibid.* Occiditur, *ibid.*
Carolus Calvus Imperator & Conſul, 130. Obiit, *ibid.*
Caroli Craſſi obitus, 130.
Carolus Magnus Conſulatum cum Imperio capit, 129. Obit, *ibid.*
Carus fit Imperator, 86. Carinum & Numerianum filios Auguſtos facit, *ibid.* Obit, *ibid.*
Carinus fit Imperator, 86. Occiditur, *ibid.*
A Claudio Auguſto Conſules duodecim in annum ordinati, 4. Ejus Conſulatus IV. ab Herwarto & Petavio non intellectus, 6. Conſulatum ordinarium ſumendi morem initio Imperii induxit, 29. Ejus Quinquennalia. P. N. XV. Occiditur, 85.
Quot annis regnavit Claudius II. 132.
Clodovei Conſulatus, P. N. IX. & pag. 27. & *ſeq.*
Codices in Decennalibus promulgati. Juſtinianeus, 106. Theodoſianus, 45.
Collegæ Imperatorum in Conſulatibus, 62. & *ſeq.*
Collegæ Imperii Decennalia edidere, 32. Decennalium ope cogniti, 50. Alia etiam ratione detecti, 3.
Collegæ Tyrannorum in Conſulatu, 63.
Coloniæ in Decennalibus inſtitutæ a Veſpaſiano, 75. A Gallieno, 85.
Commodi Quinquennalia & id genus feſta explicata, 57. Fit Cæſar, 80. Tribunitia poteſtate ornatur, *ibid.* Regnat cum patre, *ibid.* Ei ſuccedit, *ibid.* Occiditur, *ibid.*
Concilium Conſtantinopolitanum Arianorum, 94. Ejus Epocha ſub Conſtantio, *ibid.*
Conſtans filius Conſtantini & nepos Heraclii Aug.

imperat, 113. Fit Conſul, *ibid.* Obit, *ibid.*
Conſtans ſuccedit Conſtantino M. 94. Occiditur, *ibid.*
Conſtantius Placidiæ Maritus fit Imperator, 99. Obit, *ibid.*
Urbs Conſtantinopolis quo anno ædificata, 53. 92.
Legatio Conſtantini Tyranni ad Honorium. P. N. X. 64. Occiditur, 66.
Conſtantinus M. fit Imperator, 89. Fit Cæſar, 91. An Conſul ſuffectus fuerit, 23. Quot annis imperavit, 37. Quo anno Decennalia & Quindecennalia ediderit, 61. & *ſeqq.* Ejus Monarchia quo anno cœpta. P. N. XXXIII. 91. Ejus Vicennalia, 62. Patria, 134. Quo anno & die natus, *ibid.* Quot annis vixit, *ibid.* Obit, 94.
Conſtantinus ſuccedit Conſtantino M. 93. Occiditur, *ibid.*
Conſtantinus Copronymus imperat cum patre, 215. Solus, 126.
Conſtantinus Pogonatus quo anno cum patre regnare cœpit, 124. Quo anno ei ſucceſſit, *ibid.* Quo anno mortuus, *ibid.* Auctor Conſulatuum per modum Tribunitiæ poteſtatis geſtorum, 124.
Conſtantinus Porphyrogenitus imperat, 129. Occiditur, *ibid.*
Conſtans ſuccedit Conſtantino M. 93. Occiditur, *ibid.*
Conſtantius ſuccedit Conſtantino M. 93. Quo anno dictus ſit Cæſar, 31. Obit, 94. Quot annis vixit ac imperavit, 32.
Conſtantius Chlorus fit Auguſtus, 86. Fit Cæſar, *ibid.* Obit, 89.
Quandonam Conſul ſine Collega creari cœperit, 129.
Conſularis dignitatis præſtantia, 2.
Conſulares feminæ, 16.
Conceſſorum Conſularium Inſignium formula, 26.
Proceſſus Conſularis aliquando dilatus, 117.
Ornamenta Conſularia quibuſdam conceſſa, 16.
Aliqui Imperatores in Conſulatu ſuſcipiendo abnormes, 3.
Conſulatuum regulæ ſex, 28.
Cur Conſulatum Imperii initio Auguſti ſumerent. 30.
Conſulatus explicati. Prior Commodi Imp. 5. Prior Neronis, *ibid.* Quintus Neronis, 23. Quartus Veſpaſiani cum ſecundo Titi, 5. Tertius Claudii Imp. 6. Ejuſdem ſecundus, 6. Secundus Maximini Imp. 13. Octavus Gallieni, 21. Macrini, 24. Clodovei, 27. Theodurici Italiæ Regis, 27. Conſtantini Tyranni, 63. Diocletiani X. 89. Prior Valentiniani Senioris, 91. Severi Auguſti cum Leone Aug. 102. Anaſtaſii Imp. IV. & Agapeti, 103. Paulini Junioris, 115.
Conſulatus continuati indicia Imperii P. N. XIII.
Conſulatus deſignati & Honorarii valde diverſi, 23. & *ſeqq.*
Conſulatus dimidiati ob quas rationes uſurpati, 109. &c.
Conſulatus Honorarius a quo tempore numerari cœptus, 23. 28.
Conſulatus ordinarius ab Imperatoribus ſolis regnantibus ſuſceptus, 30.
Conſulatus perpetuus quando, quare, & a quo inductus, 117.
Quando Conſulatus Romani ordinarii deſierint, 114.
Conſulatus ſuffectus ab Imperatoribus ſumptus, 24.
Conſulatus ſuffecti ſæpe non numerantur, 23.
Quando Conſulatus Tribunitiæ poteſtatis inſtar geri cœptus, 117.
Conſulatus Tribunitiæ poteſtatis inſtar geſtus a Principibus Francis, Italis, & Saracenis, 129.
Imperatores Conſulatum aliis deſtinatum Imperii initio in ſe transferebant, 4. 5.
Conſulatus vileſcit, 128. 129. Qua ratione deſierit, 131.
A Claudio Auguſto Conſules duodecim in annum ordinati, 4.
Conſules deſignati Conſules abſolute dicti, 5. & *ſeqq.* Eorum privilegia, 4.
Quo tempore Conſules deſignarentur, 4. 5.
Conſules in Codice Theodoſiano aut Juſtinianeo memorati, ordinarii, non ſuffecti fuere, 22.
Quomodo dignoſcendi Conſules Orientales ab Occidentalibus, & viceverſa. P. N. XXXVII.
Gothi & Romani ab Imperatore Orientis Conſules deſignati. P. N. XXXXI.
Conſulis nomen attributum Admiraliis, Comitibus, & Scabinis, 152.
Corbulo Proconſul, 9.
Creſcentius Numentanus Conſulum nomen renovat, 151.
Criſpus fit Cæſar, 92.
Chryſargyrum quo tempore ſolutum, 46. A quo ſublatum, 47.
S. Cyprianus quo anno martyrium ſubiit, 22.

D

DAlmatius fit Cæſar, 91.
Origo Quinquennaliorum & Decennaliorum, 31. Eorum Regulæ, 32. & *ſeqq.* Eorum annus non in omnibus certus. P. N. V. Illa Imperatores aliquando anticiparunt, aliquando diſtulerunt, 33. & toto cap. VII. part. 36. & *ſeqq.* In iis munera miſſa, 96. Stipendium militibus datum, *ibid.* & 104. Abolitum a Juſtiniano Imp. 107. Dilatum a Severo Imp., 82. Epocham conſtituebant, 37.
Decius imperat. P. N. VIII. 232. & 83. Occiditur, *ibid.*
An Dedicationes templorum die Dominica ſemper celebratæ. P. N. XXIV.
In Dedicatione templorum Conſulatus aſſumptus, 61. & *ſeqq.*
An Baſilicæ dedicatæ in Oriente, quando Decennalia in Occidente acta. P. N. XXIV.
Diadumenianus Macrini Imperatoris filius nunquam Conſul ordinarius fuit. 23.
Dies a Romanis religioſe obſervati, 9. 10. 33. 34.
Dierum intervalla quomodo ab antiquis Hiſtoricis computata, 8.
Diocletianus fit Imperator, 234. Natale ejus Imperii, 34. Triumphus, 35. Abdicat Imperium, 88.
Dionyſius Pontifex Romanus quo anno mortuus, 131.
Dioſpolitanum Concilium, 99.
Domitiani Conſulatus varie numerati, 24. Fit Cæſar, 74. In Conſulatibus ſuſcipiendis abnormis, 3. Perſequitur Chriſtianos, 40. Occiditur, 76.
Druſus occiditur, 73.

E

ECcleſiæ ædificatæ, 40. Templum a Domitiano ædificatum, *ibid.* Monaſterium S. Cæſarii, 103. Monaſterium Agaunenſe ſeu Acaunenſe, 125. S. Aureliani Epiſcopi Arelatenſis, 107. Eccleſia S. Sophiæ, *ibid.* Eccleſia Narbonenſis abſoluta, 114. Hieroſolymitana a Conſtantino ædificata, 91. Antiochena, *ibid.* Præcurſoris templum Conſtantinopoli, 121.
Templa vel Eccleſiæ dedicatæ, 40. 41. Hieroſolymitanum ab Herode, 71. Hieroſolymitanum a Conſtantino M. 38. Antiochenum a Conſtantio Imp. 43. Conſtantinopolitanum a Juſtiniano, 48. Templum Auguſti reſtitutum, 37. Templum pacis a Veſpaſiano, 67. Templum Hadriani ab Antonino Pio, 78. Pantheum a Severo, 82. Eccleſia Antiochena, 91. Hieroſolymitana, P. N. XXX. SS. Apoſtolorum

Digitized by Google

lorum apud Conſtantinopolim, 95. Conſtantinopolitana, 95. Eccleſia S. Anaſtaſiæ, 102. Laura S. Euthymii, 104. Laura S. Sabæ, *ibid.* Laura altera S. Sabæ, 104. Monaſterium S. Cæſarei, 105. Eccleſia S. Mariæ Arelatis, *ibid.* Baſilica Arauſioenſis, 106. Conſtantinopolitana, *ibid.* S. Vitalis apud Ravennam, 107. Eccleſia SS. Apoſtolorum Cp. *ibid.* S. Irenes, *ibid.* Conſtantinopolitana, *ibid.* Templum Minervæ, 9.

Eclipſes duæ Veſpaſiano imperante viſæ, 5.

Encænia templorum in Decennalibus acta, 43.

Era Dionyſiana a S. Gregorio uſurpata, 120.

Eugenius tyrannidem arripit, 27. Occiditur, 97.

Eumenii oratio pro Flavienſibus quo anno dicta, 51.

Euſebius quo anno finierit Hiſtoriam, P. N. XXX. Conſules ejus Chronico addidit Scaliger, 24.

F

FAſti Byzantini nondum recte ordinati P. N. IV.

Faſti Conſulares Romani quot annis viguerint, 116.

Faſti Romani poſt fundatam Monarchiam in Gallia retenti, 114.

S. Firmilianus quo anno obiit, 132.

S. Florentinus Abbas quo anno obierit, 115.

Florianus fit Imperator, 86. Occiditur, *ibid.*

Fructuoſus quo anno martyrium ſubiit, 22.

G

GAlba Imperium arripit, 14. & 74. Ejus emortualis dies, P. N. XIX.

Galerius Maximianus fit Cæſar, 86. Fit Auguſtus, 87. Ejus ſuperbia, 88. Obit, 90.

Galla Placidia moritur. P. N. XXX. fit Auguſta, 99. Decennalia agit, *ibid.*

Gallieni tres, 18.

Gallienus fit Imperator, 85. Septies tantum Conſul fuit, 22. Occiditur, 85. Quot annis imperavit, 21.

An Gallienus Junior fuerit Auguſtus, 18. Ejus conſulatus ſuffectus, 15. & *ſeqq.*

Gallus Voluſiani pater imperat, 85. Occiditur, *ibid.* & 21.

Gallus Cæſar creatus, 94. Occiſus, *ibid.*

Genſericus Catholicos in Africa vexat, 111.

Germanici adoptio, 8. Fit Proconſul, *ibid.*

Getæ Natale, 82. Fit Auguſtus, *ibid.* Fit Cæſar, 81. Occiditur, *ibid.*

Gladiatores ab Honorio ſublati, 70.

Glycerius fit Imperator, 103. Deponitur, *ibid.*

Gordianus ſenior fit Imperator, 84. Occiditur cum Gordiano filio, *ibid.*

Gordianus Gordiani Senioris nepos, imperat, *ibid.* Inſtituit ordinem Candidatorum, *ibid.* Occiditur, *ibid.*

Gratianus fit Imperator, 95. Occiditur, 96.

Guido Imperator, & Conſul, 130.

Quo anno D. Gregorius Nazianzenus obierit. P. N. XXXV.

H

HAdrianus fit Imperator, 76. Quot annis imperarit, 21. Perſequitur Chriſtianos, 40. Ælia ab illo condita, 77. Quo anno mortuus, 11. & *ſeqq.* An Patris patriæ nomen tardius acceperit, 50. Dies ejus natalis, ac emortualis, 11. & *ſeq.* Tardius nomen Patris patriæ ſumit, 50.

Haliogabalus imperat, 83. In Conſulatu ſuſcipiendo abnormia, 3. Occiditur, 83.

Heracleonas imperat, 115.

Heraclius proceſſum Conſularem differt, 117. Fit Imperator, 122. Heraclium filium conſortem Imperii facit, *ibid.* Obit, 121.

Heraclius Junior Aug. fit Conſul, 112. Conſtantinum fratrem Cæſarem dicit, *ibid.* Obiit, 123.

Quo anno Hieronymus librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis abſolverit. P. N. XXXV.

Honorius fit Imperator, 97. Succedit patri, *ibid.* Triumphat de Attalo Tyranno, 112. Obit, *ibid.*

I

INdictiones ſexto Eccleſiæ ſeculo a Januario cœptæ, 116. Earum initium unde deſumptum, 38.

Inſcriptio Forojulienſis explicatur, 6. & 15.

Inſcriptiones aliquando veræ, licet cum Hiſtoria non conveniant, 13.

Imperii diviſio, 18. & 89.

Prima Imperii diviſio a Conſtantino Chloro & Galerio Maximiano introducta, 89.

Tres Imperii Romani adminiſtrati formæ, 18.

Ab Imperii auſpicio prima Conſulatuum Cæſareorum Regula, 18.

Joannis Epiſcopi Antiocheni initium P. N. XXXIV.

Joannis Tyranni interitus. P. N. XXIX.

Joſephus Judæus quo anno Hiſtoriam abſolvit 72.

Jovianus fit Imperator, 94. Obit, *ibid.*

Irene Auguſta imperat, 126. Conſulatum capit, *ibid.* Conſtantinum filium excæcandum jubet, *ibid.* Quo anno in exilium miſſa, 127. Proceſſum Conſularem differt, 127. 128.

Quo anno S. Iſidori martyrium contigit. P. N. VIII.

Julianus Cæſar creatus, 94. Fit Imperator, *ibid.* Occiditur, *ibid.*

Julius Cæſar quo anno occiſus, 70.

Juſtinianus annum Imperatorum in Conſtitutionibus memorari jubet, 82. Dies ejus natalis, *ibid.* In conſortium Imperii a Juſtino vocatur, 115. Quo anno obierit, *ibid.*

Juſtinus Junior alius a Juſtino Germani filio; P.N. XXXXII. auctor Conſulatus perpetui, 116. Quo anno Conſulatum geſſerit. P. N. XXXXIII. & *ibid.* Imperio deſtitutus & in idem reſtitutus, 125. Quo anno regnare cœpit, *ibid.*

S. Juſtinus Martyr quo anno Apologias ediderit, 41.

Juſtinus Senior quot annis imperarit, 115.

L

LEo IV. Imperat. 125. Ejus obitus, *ibidem.* Epiſtola S. Leonis ad Neonam Epiſcopum Ravennæ quando ſcripta, 121. Ejuſdem ad Ruſticum quando ſcripta, 111.

Leo Armenus imperat, 127. Trucidatur, *ibid.*

Leo Iſaurus Imperat. 125. Quamdiu, *ibid.* Conſtantinum Copronymum filium conſortem Imperii facit, *ibid.* Duplex ejus Epocha. P.N. XXXXVI.

Leo Sapiens cum patre imperat. 128. Solus, *ibid.* Largitiones in Conſulatu ſuſcipiendo fieri ſolitas tollit, 128. 129. Quot annis imperavit, 129.

Leo Thrax fit Imperator, 102. Obit, 105.

Leo Junior Leonis Thracis filius fit Imperator, 105. Obit, *ibid.*

Leontius quo anno regnare cœpit, 115.

Legationes in Decennalibus factæ. Eliæ Patriarchæ Hieroſolymitani, 105. Syneſii ad Arca-

dinm, 51. Africani ad Heliogabalum, 53. Patrum Africanorum ad Honorium, 97.
Libri 10 Decennalibus & id genus feſtis publicati P. N. XXX.
Licinius fit Imperator, 89. An primus ejus Conſulatus fuerit ordinarius, 109. Occiditur, 92. Ejus filius fit Cæſar, 92. Perſequitur Chriſtianos, 41. Ex Cæſare factus Auguſtus, 58. Quo anno in Aſia imperare cœperit, 60.
Longobardi Italiam vexant, 119.
Lorum inſigne Conſulare, 216.
Lotharius Imperator & Conſul, 129. Triplex ejus Epocha. P. N. XXXXVIII. Obit, *ibid.*
Lucius Veras adoptatur ab Hadriano, 78. Fit Cæſar, *ibid.* Auguſtus, *ibid.* Triumphat, 79. Obit, *ibid.*
Ludi ſub Philippo. P. N. XII.
Ludi ſeculares ſub Claudio, Domitiano, Severo, & Philippo, 67. *& ſeqq.*
Ludi ſeculares ab Honorio non editi. P. N. XI.
In Ludis ſecularibus Conſulatus ſumptus, 67. *& ſeqq.*
Ludovci Imp. II. Epochæ. P. N. XXXXVIII. Imperator & Conſul, 130. Quadruplex ejus Epocha, *ibid.* Obit, 150.
Ludovicus Pius Conſulatum cum Imperio capit, 129. Obit, 130.
Quo anno S. Lupus Epiſcopus factus P. N. XXXI.

M

MAcrini Imp. Conſulatus ordinarius reſtitutus, 24. Imperat, 25. Occiditur, *ibid.*
Magnentius tyrannidem arripit, 94. Occiditur, *ibid.* Quot annis imperavit, 100.
Mahomat Saracenorum Princeps & Conſul, 231.
Majorianus fit Imperator, 102. Deponitur, *ibid.*
Marcianus fit Imperator, 101. Obit, 102.
Quo anno S. Marcianus Baſilicam S. Anaſtaſiæ dedicarit. P. N. XXXVI. & 102.
Marcomanni quo anno ab Aureliano victi, 135.
Marcus Aurelius poſtea Imperator ab Hadriano adoptatur, 10. 78. Fit Auguſtus, *ibid.* Fit Collega Imperii, 78. Ejus Natale, 10. Quæſtor creatus, *ibid.* Auctor novæ adminiſtrationis Imperii, 78. Triumphat, 79. Vexat Chriſtianos, 80. *& ſeqq.* Obit, *ibid.*
Mauricii Conſulatus. P. N. XXXXV. Fit Imperator, 119. Quo anno Conſul dictus, 120. Theodoſium filium conſortem Regni facit, *ibid.* Occiditur cum filiis, 138.
Maxentius arripit Imperium, 89. Romulum filium Cæſarem facit, *ibid.* Inter Deos refert, *ibid.* Occiditur, 91.
Maximianus Herculius fit Cæſar, 33. *& ſeqq.* 86. Auguſtus, *ibid.* Deponit Imperium, 87. Imperium reſumit, 89. Occiditur, 90. 91.
Maximinus fit Cæſar, 88. Fit Imperator, 52. 84. Occiditur cum Maximo filio, *ibid.* 90.
Maximus Tyrannus ſumit Imperium, 96. Debellatur a Theodoſio, 97.
Melitonis Apologia quo anno ſcripta, 43. 51. 79.
Michael Balbus imperat, 117. Occiditur, 118.
Michael Curopalates imperat, 127. A Bulgaris vincitur, *ibid.*

N

ECcleſia Narbonenſis quo anno dedicata, 13.
Neapolis a Longobardis obſeſſa, 119.
Nepos fit Imperator, 103. Deponitur, 104. Occiditur, *ibid.*
Nero quo anno e Græcia redux. P. N. XVIII. Ducit Octaviam uxorem, 7. Imperat, 74. Quo anno primum barbam poſuit, *ibid.* Ejus Natale, 7. Conſulatus perpetuus illi oblatus, 9. Conſulatus ejus ab Hervvarto non intellectus, 6. Conſulatus illius ſuffectus explicatur, 55. Quinquennalia ejus Imperii Cæſarei P. N. XVII. Occiſus, 74.
Nerva fit Imperator, 76. Obit, *ibid.*
Nicephorus imperat, 127. Stauracium filium participem Imperii facit, *ibid.* Occiditur, *ibid.*
Niger Imperium arripit & occiditur, 81.
Nobiliſſimi Conſulatu ordinario decorati, 19. 51. 96.
Numerianus fit Imperator, 86. Occiditur, *ibid.*
Error aliquorum in Numiſmatum deſcriptione, 55.
Nundinum quid ſignificet, 4.

O

ODoacer quot annis regnarit in Italia. P. N. XXXX. Fit Italiæ Rex, 103. Occiditur, 104.
Olybrius fit Imperator, 102. Obit, 103.
Otho imperat, 74. Ejus emortualis dies. P. N. XIX. & 74.
Oreſtes fit Patricius, 203. Occiditur, 104.

P

PArilia ſeu Natale urbis Romæ, 54.
Inſignia Patriciatus. P. N. IX.
S. Paulini Conſulatus. P. N. XXVI.
Paulus Samoſatenus damnatus, 131. Quo anno Antiochia pulſus, 133. Nulla adverſus eum Romæ celebrata Synodus, 134.
Perſecutiones in Decennalibus decretæ, 40. *& ſeqq.*
Perſecutio Aureliani quo anno excitata, 135.
Perſecutio Diocletiani, 41.
Perſecutio in Quindecennalibus Diocletiani adverſus Chriſtianos aucta. P. N. XXI.
Perſecutio Valeriani III. Neronis, Domitiani, Trajani, & aliæ, 40. 41.
Bellum Perſicum anno ſeptimo Alexandri Severi geſtum, 65. *& ſeqq.*
Quo anno peſtis Conſtantinopoli graſſata ſit, 113.
Quo anno Petrus, & Paulus martyrio affecti, 15.
S. Petrus Chryſologus obit, 111.
Pertinax fit Imperator, 80. Occiditur, *ibid.*
Phocas imperat, 110. Fit Conſul, 111. Occiditur, *ibid.* Numiſma Theodoſii M. perperam explicatum de SS. Andræa & Philippo, 100.
Philippus fit Imperator, 84. Filium Cæſarem dicit, *ibid.* Inſtituit Collegium Candidatorum, *ibid.* urbem nominis ſui conſtruit, *ibid.* milleſimum Urbis celebrat, *ibid.* Interficitur cum Philippo filio, *ibid.*
Quo anno Plinius Hiſtoriam naturalem ſcripſerit. P. N. XX.
Pontifex Maximus, Pontifex abſolute dictus, 5.
Proconſulare Imperium duplex, 8. 9.
Tria Poſtconſulatuum genera, 111. Ob quas rationes uſurpati, *ibid.*
Aliter Marcellinus, aliter Victor Tununenſis eos explicant, 113.
Præfectura Honoraria, 27. 28.
Probus fit Imperator, 86. Triumphat, *ibid.* Occiditur, *ibid.*
Procopius tyrannidem arripit, 95.
Pupienus fit Imperator, 84. Occiditur, *ibid.*

Q

QUæſtor deſignatus, Quæſtor abſolute dictus, 10.
Quadratus & Ariſtides quo anno Apologiam ſcripſerint, 42.

S. Ro-

Digitized by Google

R

S. Romanus occiditur, 33.
Reliquiæ in Decennalibus tranſlatæ, 44. S. Euſtathii, 104. SS. Andreæ, Timothei, & Lucæ, 107. S. Timothei, 94. SS. Andreæ, & Lucæ, *ibid.* Joſephi filii Jacob, & Zachariæ patris S. Joannis Baptiſtæ, 99. S. Samuelis, 44. S. Stephani Protomartyris, 99. S. Chryſoſtomi, 101.
An Reliquiarum tranſlatio die dominica fieret, P. N. XXIII.
Romæ mœnia amplificata, 133. 135.
Romanus filius Conſtantini Porphyrogeniti imperat, 129.
Romanus Lecapenus fit cuſtos Imperii, 129.
Ruſticus quando Epiſcopus Narbonenſis creatus, 114.

S

SAmſon Abbas Cordubenſis quo tempore floruit, 130.
Sejanus occiditur, 73.
Sergius fit Patriarcha Conſtantinopolis, 121.
Severi dies natalis, 13. Dicitur Cæſar, 81. Fit Imperator, *ibid.* Quo anno perſecutionem in Chriſtianos movit, 40. 81. Rurſus perſequitur Chriſtianos, 82. Obit, 83. Dies emortualis, 13.
Sibyllini libri, 133.
Quo anno Sidonius Arvernenſis Epiſcopus factus P. N. XXXI.
Socrates quo anno finierit Hiſtoriam, P. N. XXXIII.
Sozomenus quo anno Hiſtoriam ſcripſerit, P. N. XXXVI. Quo anno finierit, n. XXXIII.
Stauracius imperat, 127.
S. Symphorianus quo anno martyrium ſubiit, 135.
Quo anno oratio de Regno a Syneſio dicta, 32.

T

TAcitus fit Imperator, 86. Obit, *ibid.*
Tempus Concilii Tyri, P. N. XXXIV.
Temporum intervalla quomodo ab Antiquis numerata, 8.
Tertullianus quo anno Apologiam ediderit, 43.
Theodora Imperium regit, 127. Relegatur, 128.
A quo anno Hiſtoria Theodoreti incipit & deſinit. P. N. XXXIII. quo anno eam ſcripſerit, n. XXXVI.
Dies & annus emortualis Theoderici Italiæ Regis, 36. Duplex ejus epocha, P. N. XXXX. & *ibid.*
Quo anno Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus obiit, P. N. XXXIV.
Theodorus Papa quo anno ſedere cœpit, 113.
Theodoſius M. fit Imperator, 96. Obit, 97.
Theodoſius Junior fit Auguſtus, 98. Succedit patri, 99. Obit, 101.
Theodoſius tributorum exactor Artemio in Imperio ſuccedit, 144. Deponitur, *ibid.*
Theophilus imperat, 127. Obit, *ibid.*
Quo anno Theodotus Antiochiæ Epiſcopus obierit, P. N. XXXIV.
Thermæ in Decennalibus ædificatæ, aut dedicatæ Diocletianæ, 54. 87. Neronianæ, 74. Commodianæ, 80. Alexandrinæ, 84. Maximianæ, 87. Conſtantianæ, 94. Caroſianæ, 95. Arcadianæ, 97. Theodoſianæ, 100. Achilleæ, 101.
Thomas fit Patriarcha, Conſtantinopolis, 112. Obit, *ibid.*
Quo anno & die Tiberius Collega Imperii dictus, 8. 9. Ejus adoptio explicata, 11. & 72. Decennalia ejus Imperii Proconſularis, 59. Quindecennalia ejus Imperii Proconſularis, P. N. XIII. Tribunitia poteſtas illi data, 32. Obit, 8. & 73.
Tiberius Conſtantinus fit Cæſar, 118. 119. Anni ejus a Cæſarea dignitate numerati, 119. Ejus Conſulatus. P. N. XXXIV. Juſtino Juniori ſuccedit, 118. Obit, 119.
Titus Conſul abſolute dictus, licet tantum deſignatus eſſet, 3. Imperat, 75. Obit, *ibid.*
Trabea aliis quam Conſulibus conceſſa. P. N. XXVI.
Trajanus fit Auguſtus, 70. Fit Collega Imperii, *ibid.* Perſequitur Chriſtianos, *ibid.* & 40. Obit, 77.
Ornamenta triumphalia privatis conceſſa, 27.
Diſcrimen inter Triumphum Perſicum, alioſque, 66.
Tyrannorum Conſulatus, 27. 29.

V

VAlens fit Imperator, 95.
Valeriani tres, 18.
Valerianus imperat, 85. Capitur a Perſis, & quo anno, 66. Quot annis imperavit, *ibid.*
Valerianus Gallieni frater, quando Cæſar & Auguſtus dictus, 20. Illius Conſulatus ſuffectus, 16. *& ſeqq.*
Valentinianus ſenior fit Imperator, 94. Obit, 95.
Valentinianus II. fit Imp. 95. Occiditur, 97. Alius a Valentiniano filio Valentis, 95.
Valentinianus III. fit Cæſar, 99. Auguſtus, 100. Occiditur, 101.
Walid Saracenorum Princeps, 125.
Varroniani Conſulatus & mors, 94.
Veri poſtea Imperatoris adoptio, 10. Fit Cæſar, 78. Imperator, 78. Triumphat, 79. Obit, *ibid.*
Veſpaſianus Conſul abſolute dictus, licet tantum deſignatus eſſet, 3. imperat, 74. Obit, 75.
Vetranio dicitur Imp. 94. ab Imperio exturbatur, *ibid.*
Ara victoriæ poſita ab Auguſto, 9. Sublata, 93.
Aram victoriæ reſtituendam petit Symmachus, 96.
Conſules nunquam dicti Viceconſules, 125.
Vindex Imperium in Galliis arripit, 24.
Viri eximii a Græcis Conſules dicti, 26.
Vitellius imperat, 74. Ejus emortualis dies P. N. XIX.
Voluſianus imperat, 85. Occiditur, *ibid.*
Vota in Decennalibus & id genus feſtis acta, 32. *& ſeqq.* Initio Imperii ſemper vota ab Imperatoribus nuncupata, 35.
Urbes ædificatæ in Quinquennalibus & id genus feſtis. Cyrene, 52. Nicopolis, 53. Conſtantinopolis, *ibid.* Civitates Aſiæ reſtitutæ, 73. Ælia, 77. Philippopolis, 73. Drepanum 84. Arcadiopolis, 92. Nova urbs Antiochiæ, 88. Seleucia amplificata, 94. 98. Antaradum Conſtantia dicta, *ibid.*

Z

ZEno fit Imperator, 103. Obit, 104.
Zenobia quo anno ab Aureliano capta, 133. & 134. Quot annis regnavit, 134. Quo anno in triumphum ducta, *ibid.* 133.

FINIS.

Digitized by Google

HENRICI NORISII

VERONENSIS, AUGUSTINIANI,

TIT. S. AUGUSTINI S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS
ET SEDIS APOSTOLICÆ BIBLIOTHECARII

EPISTOLA CONSULARIS

IN QUA

Collegia LXX. Conſulum ab anno Chriſtianæ Epochæ XXIX. imperii Tiberii Auguſti decimoquinto uſque ad annum CCXXIX. imperii Alexandri Severi octavum, in vulgatis Faſtis hactenus perperam deſcripta, corriguntur, ſupplentur, & illuſtrantur.

Doctiſ.

Digitized by Google

Doctiſſimo ac eruditiſſimo Viro

P. ANTONIO PAGIO

Ordinis Min. Convent. Theologo.

CUM ante ſexennium Romam pergens, Piſis me conveniſſes, inſignemque tuam cum in profana, tum maxime in ſacra hiſtoria eruditionem iteratis colloquiis aperuiſſes, non ſemel queſtus ſum te nullis in Reipublicæ literariæ uſum editis voluminibus, tibi tantum ac Muſis intra ſpatium canere. Verum ubi nuper Antonius Magliabechius literarum æque ac literatorum ſtudioſiſſimus, Diſſertationem de Conſulibus Cæſareis abs te vulgatam, tuo mihi nomine exhibuit, animadverti te diutius umbraticum hominem egiſſe, ut res hactenus viris eruditis aut penitus ignoratas, aut tenuiter cognitas, veteri tandem diſcuſſa caligine, in bono lumine collocares, ac maximum Romanis faſtis atque hiſtoriæ Auguſtæ lucem inferres. Equidem nemini hactenus in mentem venerat, cur Imperatores Romani plures Conſulatus inivesint, quos quidam eorum præ ambitione ſæpius ſibimet uſurpaſſe, alii vero præ modeſtia rarius geſſiſſe credebantur. At unus tu hoc imperii arcanum indagare, hanc intactam ceteris Spartam aggredi auſus, ingentem hocce priori volumine evulgatu, tibimet famam circumdediſti, dum tanta eruditione veterum Principum Conſulatus, ac vota Decennalia & Vicennalia eiſdem ſolemni pompa nuncupata illuſtraſti, ut poſtremam eidem argumento manum impoſuiſſe videaris. Quod vero in fine eruditiſſimæ præfationis ſcribis meum judicium magni apud te eſſe ponderis, videſis ne dum, non dicam nullius (neque enim me ſtultum fateri velim) ſed tenuiſſimi judicii hominem laudas, non magni apud alios ponderis tute ipſe habeasis. Haud potis ſum præclariſſimos canones, quos omnium primus de Conſulatibus Cæſareis ſtatuiſti in examen adducere, ea tamen amice indicabo, quæ ab importunis quibuſdam cenſoribus, quos forte tui luminis ſplendor perſtringit, tuis illis regulis opponuntur, ſimulque adjiciam quæ eiſdem interim duxerim reponenda; ut plane intelligas me non quidem judicis, ſed amici tantum advocati, immo potius delatoris partes agere, cum hoc in campo malim tibi plaudere triumphanti, quam mei, ſi quo apud te fruor, nominis periculo novum certamen ingerere. Quod vero idem doctiſſimus tuique amantiſſimus Magliabechius mihi ſignificavit te in Annales Eccleſiaſticos notas adornaſſe, brevi in lucem evulgandas, meum eſſe putavi quædam tibi indicare, quæ eo in opere alicui forte uſui tibi eſſe poſſint; præſertim cum ea laudata tua Diſſertatione deprehenderim Johannem Leunclavium tibi quamvis accuratiſſimo atque oculatiſſimo, fucum feciſſe. Nam Indicem Conſularem, quem ille ab imperio Neronis ad octavum uſque annum principatus Alexandri Severi, Dionis libris præfixit, adeo ſecure ipſimet Dioni adſcribis, ut ejuſdem teſtimonio ſemel, iterum, ac tertio contra me diſputes; cum tamen totus ille catalogus ex noſtri Onuphrii Panvinii faſtis exſcriptus, ipſimet Dioni perperam deputetur. Haud ſane operæ pretium ducerem rem vel ſola Panvinii faſtorum lectione ſatis ſuperque manifeſtam, tibi pluribus demonſtrare; niſi animadverterem plurima Conſulum collegia tum a laudato ſcriptore, tum ab exſcriptore Leunclavio depravate recitata, abs te una cum ceteris, in Ratiocinio faſtorum recenſeri. Hinc veritus ne eoſdem Conſules fictis iterum characteribus, tuis in ſacros Annales notis inſeras, quæ in vulgaribus faſtis corrigenda ſunt, paucis exponam. Hoc autem quod gravioris momenti eſt, prius exequar, deinde ad ea deſcendam quæ ſtatutis abs te regulis a quibuſdam opponuntur. Et quidem Panvinius vir ad Romanas antiquitates e tenebris eruendas natus, ex Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus, ex tabulis Capitolinis, aliiſque inſcriptis lapidibus, ac Imperatorum nummis, Romanos faſtos ab Urbe condita ad exitum uſque Neronis pari labore ac laude concinnavit. Verum cum deinceps nuda Conſulum cognomina in faſtis Caſſiodori, & anonymi apud Cuſpinianum, itemque in Codice Juſtiniani, aliiſque vetuſtis monumentis legerentur, vir magnus ſumma diligentia eorumdem collegia ex inſcriptis antiquitus lapidibus, ac probatis illorum temporum ſcriptoribus integre expoſuit; ita tamen, ut ſæpius omni prorſus præſidio deſtitutus, ac conjecturis indulgere coactus, non paucorum Conſulum prænomina ac familias falſis characteribus deſcripſerit; quæ tamen dum in literas mittebat, iis ſubinde phraſibus interlocutus, *ut reor*, *ut puto* &c. ea ſe nomina divinare palam profeſſus eſt. Hinc quamvis eo in campo copioſiſſimam ille meſſem tulerit, plurimas tamen quas poſteri colligerent ſpicas, fecit reliquas. Ego ſane non exiguum earumdem manipulum ad te mittere deſtinavi, non modo ut tuas in magnos Eccleſiæ Annales notas qualicumque opera promoverem, verum etiam ut intelligeres Conſulum collegia libro Dionis 58. ac ceteris uſque ad lib. 80. inſarta, non erudi-

ta Dionis manu deſcripta, ſed illuc ex puris putis Panvinii faſtis a Leunclavio deportata, invito tamen genio huic correctioni manum admovi, quod ſciebam me potius decere conſulares noſtri Panvinii tabulas quacumque ratione defendere, quam eaſdem invidioſæ forte cenſuræ ſubiicere. Nam idem omnium eruditorum judicio, Lipſio elogium concipiente, *Faſtorum Pater* honoris gratia nuncupatur; immo jure patriæ, in qua natus ſum, ac profeſſione religioſi Ordinis, in quem cooptatus fui, Panvinius Veronenſis idemque Auguſtinianus mihi potius defendendus, quam quolibet vel juſto alio titulo, reprehendendus videbatur. Cæterum cum animadverterem poſt centum ac quindecim annos ab ejuſdem obitu Romanæ hiſtoriæ nimium acerbo, ſingulos quoſque qui urbium annales, vetera Cæſarum numiſmata, ac vetuſtioris etiam Eccleſiæ geſta ſcriptis complexi ſunt, Panvinianos tantum faſtos adſcribere, neminem vero eorumdem errores expungere, meum eſſe putavi in hanc quam ceteri abiiciunt, curam incumbere, ut Romanorum Cæſarum faſti in eadem patria ac familia, in qua magni Panvinii manu obſtetricante, in lucem editi ſunt, novum iterum ſplendorem acciperent. Itaque nos noſtra corrigimus, ne quis extraneus in hanc reparatorum victoris gentium populi faſtorum, non quidem gloriæ, quæ unum Panvinium manet, ſed curæ partem ſuccedat, quam mihimet ejuſdem conterraneo, ac ut ita dixerim, ſyncellitæ intaſsam feci. Qua quidem in re nihil ingenio, quidpiam fortaſſis induſtriæ, omnia certe temporum felicitati danda exiſtimo, quod ea ætate vivamus, in qua tot inſcripti e tellure lapides effoſſi ſunt, qui Panvinio latuere, in quos ſi ſuperiori ſæculo incidiſſet, nec unam mihi literam ſuos in faſtos referendam reliquiſſet. Nec non quidem apud te, ſed apud moroſos quoſdam criticos declinandæ invidiæ cauſa præfatus, ad rem aggredior.

Initium mihi aperis erunt duo Gemini Conſules qui anno Urbis Varroniano 782. vulgaris vero Chriſtianæ Epochæ 29. faſtis prænotantur; non ſolum quod Dio ad exitum vitæ Auguſti, ac primi Tiberii imperantis tempora optime conſularem indicem deſcripſit, cui poſtea Leunclavius Panvinianos faſtos aſſuit, verum etiam quia hic Conſulatus in veterum Patrum libris memoratur. Nec doctiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum conditor Baronius ſcribit ad annum 31. Chriſti Domini: *Proximus ſequitur annus XV. Imperii Tiberii Cæſaris, Evangelica atteſtatione celeberrimus, quo geſſerunt Conſulatum Rubellius atque Fuſius ambo Gemini. Annus quippe idem qui ab Iſaia placabilis per antonomaſiam dictus eſt & acceptabilis* &c. Hinc ab hoc anno Proſper Aquitanus Chronicon, Victorius vero Canonem Paſchalem inchoarunt. Quibus tu quoque addis pag. 595. Diſſertationis hypaticæ: *Notandus porro hic & ſequentes Conſulatus, quia in eorum aliquem paſſio Chriſti incidit, eamque ob rem frequens de his mentio.* Equidem, uti jubes, adnotabo hunc Conſulatum, ac quinque proxime ſequentes, & eorumdem etiam, quod non jubes, errores emendabo. Tacitus librum V. Annalium ita exorditur: *Rubellio & Fuſio Conſulibus, quorum utrique Geminus cognomentum erat.* Tertullianus in lib. contra Judæos cap. 8. ſcribit Chriſtum Dominum paſſum *ſub Tiberio Cæſare Conſulibus Rubellio Gemino & Rufio Gemino.* Idacius in faſtis ait: *Rufo & Rubellione.* Proſper vero: *Rufino Gemino, & Rubellio Gemino.* In magno Theſauro veterum Inſcriptionum pag. 535. 2. Q. Cætronius Paſſer miles veteranus dicitur honeſta miſſione

MISSUS. DUOBUS. GEMINIS. COS

S. Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 54. ait: *Mortuus eſt ergo Chriſtus duobus Geminis Conſulibus.* Eoſdem pene tantum cognomen ante centum, & quod excurrit, annos laudaverat ante Auguſtinum Lactantius lib. 4. Inſtit. cap. 10. Caſſiodorus, omiſſo cognomine, ſcribit: *C. Rubellius & C. Fuſius.* At S. Epiphanius lib. 2. contra Hæreſes ad Hæreſ. LI. ait: *Alius Conſulatus fuit duorum Geminorum appellatus, deinde alius Rufi & Rubellionis.* Ita ex cognomine unum, ex nomine vero Conſulum aliorum conſulatum formavit. In Collectaneis Archinti hæc lacera inſcriptio recitatur.

P. TUTILIUS. P. F. O...
VETERANUS. SIGINduno
AQUILIFER. LEG. V...
CURATOR. VET...
ACCEPIT. AR. IMPE...
PRAEMIA. DUPL...
NATUS. EST. A. NIRTIO..
VIBIO. PANSA. COS. Diem obit
C. FUFIO. GEMINO. L. RUbellio
GEMINO. COS. SIBI...
PATECINGI. P.....
DEMINCAE....
ANDORLATONI. P. F
GNATAE P. F

T. F

Ex hac inſcriptione communis error emendatur; ſiquidem Rubellius Geminus cum *Caii* prænomine ſcribitur; qui *Lucius* dicendus eſt. Præterea corriguntur Baronius, Calviſius, Riccioliu, quos tu quoque ſequeris, qui poſt Caſſiodorum ac Severum Sulpicium, priorem Conſulem FUSIUM vocant, qui FUFIUS vocabatur. Immo non poſſum non mirari Glandorpium, qui in Romanis familiis vitam vixit, Fufiam gentem ignoraſſe, pro qua FUSIAM perperam obtruſit, in qua reponit Q. Fuſium Calenum Conſulem A. V. 706. & C. Fuſium Geminum; cum tamen in faſtis Capitolinis, qui Romæ in tabulis marmoreis deſcripti ſunt, legatur Conſul Q. FUFIUS. Q. F. Q. N. CALENUS; qui Dioni etiam initio lib. 46. ubi illius orationem recitat, recte ſcribitur Φούφιος. Idem vero Dio lib. 40. ad A. V. 710. ait: *Ibi Cæſar cum exercitus parte Fufio Gemino relicto, Romam redit.* Græce legimus Φουφίου Γεμίνου, quem C. Fufii Gemini Conſulis A. V. 782. avum puto. Præterea in eiſdem faſtis Capitolinis dicuntur ludi ſæculares quinti ab Auguſto celebrati, præſide cum aliis a collegio XV. virum M. FUFIO M. F. STRIGONE. Ita Fufia gens diviſa erat in familias Calenorum, Strigonum, ac Geminorum. Fufius Geminus ob acerbiores facetias, quibus vivente Livia Auguſta, Tiberium impune perſtringere videbatur, eadem mortua, juſſu Tiberii occiſus fuit. Addit Tacitus paulo poſt initium lib. 6. Annal. *Necataque eſt anus Vitia Fufii Gemini mater, quod necem filii fleviſſet.* Quamvis de ordinariis tantum Conſulibus ſermonem inſtitui, quædam de ſuffectis etiam tum hoc ipſomet anno, tum quatuor ſequentibus inferam, quod in faſtis Panvinii, Pighii, & aliorum ſuffecti Conſules pro arbitrio finguntur. Enim vero hoc anno Kalendis Juliis C. Fufio ac L. Rubellio ſufficiuntur Conſules Q. Pomponius Secundus, ac Sanquinius Maximus. In opere Gruteriano pag. 1087. recitatur inſigne fragmentum faſtorum Municipalium, cui inſerti leguntur Conſules quatuor inſequentium proxime annorum. Deſunt ibidem duo Gemini Conſules; at ſuffecti memorantur alii a fictis a Panvinio.

SUF.

SUF. A. PLAUTIUS. L. NONIUS

Utrumque autem Kal. Juliis iniiſſe magiſtratum didici ex teſſera gladiatoria, cujus mihi inſcriptionem miſit Raphael Fabrettus ſelectæ eruditionis ſcriptor, ac veterum Romani Populi monumentorum ſcientiſſimus.

CELER
CLODI
SP. ID. JUL
L. ASPR. A. PLAUT

Hoc ſpectaculum, in quo Celer gladiator Clodii pugnavit, dicitur habitum L. Nonio Aſprenate & A. Plautio Conſulibus die XV. Julii. Tacito lib. 1. Annal. Lucius Aſprenas dicitur Africæ proconſul, cujus hic alter L. Aſprenas filius fuit. Extat Romana inſcriptio pag. 307. 4. in qua nominatur L. NONIUS ASPRENAS *Septemvir Epulonum*. Aulus Plautius decimo quarto abhinc anno Britanniam adminiſtravit, teſte Dione lib. 60. cui dicitur *A. Plautius Senator, vir clariſſimus*. Ibi vero ait: Πλαύτιος στρατηγήσας, Interpretes *Plautius prætor* perperam vertunt, cum *Plautius Dux belli* dicendus ſit, non enim prætor erat, ſed proprætor legatus Claudii Auguſti. Recte Tacitus in lib. de Vita Agricolæ recitans catalogum præſidum Britanniæ, ait: *Conſularium primus Aulus Plautius præpoſitus*. Itaque erat non prætor, ſed conſularis, ejuſque conſulatus tum ex laudata inſcriptione lapidis Nolani, tum ex recitata teſſera, quo anno geſtus ſit, intelligitur.

Anno V. 783. Chriſti 30. Conſules in mutilo libro V. Taciti, & in lib. 58. Dionis deſiderantur. Hi ab Idacio dicuntur *Vinicius, & Longinus Caſſius*; a Proſpero *Vinicius, & Longinus*; a Caſſiodoro *M. Vinicius, & L. Caſſius*. Panvinius cum legiſſet a Pomponio *D. de regulis juris*, commendari C. Caſſium Longinum, ac ibidem de illo ſcribi: *Hic Conſul fuit cum Quartino temporibus Tiberii*; hocce collegium Conſulum integre ita deſcripſit: *M. Vinicius Quartinus, & C. Caſſius Longinus Juris Conſultus*. Utrumque ad verbum Leunclavius exſcripſit, ac indici ad librum 58. Dionis inſarſit. Baronius cognomina tantum retento ait: *Quartino & Longino Coſſ.* ad A. 31. At Petavius, Bucherius, Calviſius, Goltzius, Occo, Ricciolius, quibus nuper tu quoque acceſſiſti, Panvinii Conſules reddunt. Lipſius tamen in notis ad cap. 15. lib. 6. An. Taciti ait laudari a Svetonio in Caligula L. Caſſium Longinum conſularem maritum Druſillæ neptis Tiberii Auguſti, ac ſororis Caii Cæſaris, qui ſibi videtur hujus anni Conſul cum M. Vinicio. Cujacius in notis ad locum laudatum *D. de regulis juris*, rem ita componit, ut C. Caſſius Longinus I. C. Conſul ordinarius fuerit cum M. Vinicio, Lucius vero Caſſius conſulatum ſuffectum geſſerit. Idem tradit Joſias Mercerus in notis ad Tacitum citatum lib. 6. Ceterum horum errores oſtendit idem fragmentum faſtorum municipalium Gruteri pag. 1087, ubi leguntur

L. CASSIUS. LONGINUS. M. VINICIUS. COS

SUF. C. CASSIUS LONGINUS

. L. NAEVIUS SURDINUS

Ex his patet perperam C. Caſſium Longinum I. C. poni a Panvinio ac ceteris Conſulem ordinarium, qui ſuffectus fuit. Præterea erraſſe vel Pomponium, vel exſcriptorem, qui ejus textum corrupit, ubi C. Caſſii collega dicitur *Quartinus*, qui *Surdinus* dicendus erat. Enim vero in nullis faſtis aut vetuſtis ſcriptoribus M. Vinicio *Quartini* cognomen tribuitur; quod primum a Panvinio ex falſo Pomponii textu deſumptum, omnium faſtorum laterculos ad hunc annum occupavit, & iterum anno V. 798. quo idem conſul II. imperante Claudio proceſſit. Vellejus Paterculus libros hiſtoriarum huic M. Vinicio nuncupavit, nec *Quartinum* uſpiam eumdem appellat; uti neque Tacitus lib. 6. ubi ſemel & iterum illum nominat. Extant nummi in quibus pater hujus Marci dicitur P. VINICIUS. M. F. III. VIR A. A. A. F. F. S. C. Idem in faſtis A. V. 755. *P. Vinicius M. F.* appellatur. Eradendum igitur illud ficititium *Quartini* cognomen. In Pomponio ſi pro *Quartino*, *Surdino* reponatur, lectio optime reſtituitur. Extant nummi cum epigraphe L. NAEVIUS. SURDINUS, qui imperante Auguſto fuit Triumvir monetalis. De L. Caſſio, ac C. Caſſio Longinis plura dixi Differt. 2. de Cenotaphiis Piſanis §. 13. ubi tamen Pomponii verba reddidi, neque emendavi. Tacitus libro 6. ad A. V. 786. utriuſque Conſulis L. Caſſii ac M. Vinicii genus ac mores exponit, addens Caſſio Druſillam, Vinicio Juliam Germanico genitas, a Tiberio Auguſto uxores datas.

Annum inſequentem V. C. 784. Chriſtianæ Epochæ 31. *Tiberius Aug. V. & L. Ælius Sejanus* ſuo nomine, hic vero ſua quoque nece, ſignarunt. Recte hoc collegium deſcribitur. Sed in faſtis tum eorumdem abdicatio, tum ſuffectorum Conſulum numerus, nec non menſis initi magiſtratus perperam ſtatuuntur. Svetonius in Tiberio cap. 26. ſcribit eumdem Imperatorem tres conſulatus duobus, quos olim privatus geſſerat, addidiſſe; de quinto autem qui tertius imperantis fuit, hæc ait: *Tertium abſens uſque in Idus Majas geſſit*. Quod vero Tacitus libro 5. eodem hoc anno, quo occiſus fuit Sejanus, Conſules nominat *Memmium Regulum* ac *Fulcinium Trionem*, Panvinius docet C. Memmium ac Fulcinium, cujus prænomen ignoravit, Idibus Maji ſuffectum conſulatum iniiſſe. Idem tradunt Pighius, Goltzius, aliique Panvinianorum faſtorum aſſeriptores. Verum Svetonii, ac qui eum ſequuntur, errorem refellit idem lapis Nolanus, in quo hæc leguntur.

TI. CAESAR AUG. V

SUF. VII. ID. MAI. FAUSTUS. CORNELIUS. SULLA

SEXTEIDIUS. CATULL. COS

SUF. K. JUL. L. FULCINIUS TRIO. COS

SUF. K. OCT. P. MEMMIUS. REGULUS. COS

Hæc faſtorum tabula poſt Seianum damnatum, ſculpta eſt; quare ejuſdem nomen omittitur. Ex eadem apparet error Svetonii, qui ad Idus Majas Tiberio conſulatum prorogavit, cum VII. Idus ejuſdem menſis illo ſe abdicaverit eum Seiano collega, ſuffecto cum Fauſto Sylla, Sextidio Catullino; cujus familiam quamvis conſularem, Glandorpius aliique omiſerunt. Nec eodem menſe L. Fulcinius, ac Publius (Cajum male appellabant) Memmius Regulus magiſtratum inierunt, ſed ille ſemeſtrem, hic trimeſtrem conſulatum geſſit. Etenim Tiberius cum Seiano necem inferra deſtinaſſet, Fulcinio Trioni quem Seiani ſtudioſum ſciebat, P. Memmium collegam addidit; qui Kal. Octobris magiſtratum auſpicatus, die 18. ejuſdem menſis literis Tiberii contra Seianum recitatis, eumdem in carcerem traxit, ac decreto Senatus eadem quoque die capite mulctavit. Tacitus in fine lib. 5. utriuſque Conſulis Trionis ac Reguli inimicitias recitat, iiſque finem voluminis imponit: *Manſere inſenſi ac minitantes, donec magiſtratu abirent*. Scribit de eiſdem iterum lib. 6.

Anno proximo V. 785. Chriſti 32. ordinarii Conſules laudantur Tacito initio lib. 6. Ann. ac Dioni libro 58. *Cn. Domitius Ahenobarbus, ac Furius Camillus Scribonianus*. Proſper, ejuſque exſcriptor Caſſiodorus hujus anni Conſules omittunt. Idacius, ac anonymus Cuſpiniani *Arruntium, & Ahenobarbum* Conſules ſcribunt. His favet Svetonius qui cap. 2. in Othone ait: *Otho Imperator IV. Kalend. Maji natus eſt, Camillo Arruntio, Domitio Ahenobarbo Conſulibus*. At Panvinius ex cap. 2. ejuſdem Svetonii in Vitellio aliud Conſulum collegium efformat. Hæc ille ſcribit de Aulo Vitellio Vitellii Imperatoris patruo: *Aulus in conſulatu obiit, quem cum Domitio Neronis Caſaris patre inierat*. Hinc Panvinio ordinarii hujus anni Conſules dicuntur *Cn. Domitius Ahenobarbus, & A. Vitellius*; qui cum in magiſtratu diem obierit, M Furium Camillum Scribonianum Tacito ac Dioni memoratum, eidem ſuffectum putat. Porro tantum valuit Panvinii auctoritas, ut Pighius, Calviſius, Goltzius, Petavius, Bucherius, Occo, Ricciolius aliique paſſim A. Vitellium ordinarium Conſulem ſcripſerint. Tu quoque omiſſo Furio Camillo, quem in indice conſulari, uti putabas, Dionæo legebas, ad Panvinii ſententiam in Prologom. num. 19. acceſſiſti. Hunc tamen veſtrum errorem jamdiu faſtos depravantem, confutat eadem Nolana tabula, in qua P. Memmio ſuperioris anni Conſuli hi ſtatim ſubjiciuntur.

CN. DOMITIUS. AHENOBARBUS. COS

SUF. KAL. JUL. A. VITELLIUS. COS

Habes hic, vir doctiſſime, A. Vitellium a Kal. Juliis Conſulem ſuffectum in locum M. Furii Camilli Scriboniani, cujus nomen in laudato lapide non legitur, quod imperante Claudio, cum præſes Dalmatiam regeret, imperium ſibi ſomniavit; quinto enim principatus ſive tyrannidis die ab eodem milite a quo purpuram, necem etiam accepit. Hinc S. C. hoſtis publicus denuntiatus, ejuſque memoria abolita, ac proinde in eodem marmore, uti proxime Seianus, omiſſus fuit, in aliis in quibus ſcalptum fuerat, ejuſdem nomen detritum eſt. Extat vetus inſcriptio Gruteri pag. 215. dicata Providentiæ Tiberii Cæſaris *ſublato hoſte perniciosiſſimo populi Romani*, nempe Seiano, ubi legitur.

GENIO. MUNICIPI. ANNO POST

INTERAMNAM. CONDITAM

DCCIIII. AD. CN. DOMITIUM

AHENOBARBUM.........

.... COS

Ibi M. Furii Camilli Scriboniani collegæ Cn. Domitii, nomen deletum eſt; quod tamen Panvinius eamdem inſcriptionem recitans, præter fidem, integrum poſuit, ac ſi ibidem detritum non fuiſſet. Et ſane Dio lib. 58. cum ſcripſiſſet: *Sequenti anno Cn. Domitio, & Camillo Scriboniano Coſſ. res apprime ridicula accidit*: narrat Senatores viritim *Kalendis Januariis* in acta Tiberii juraſſe, cum antea unus tantum Senator pro univerſis idem juramentum conciperet; ex quibus patet Cn. Domitium ac M. Furium Camillum Conſules Kal. Januariis magiſtratum iniiſſe. Tacitus numquam annos ſuffectorum conſulum nomine deſignavit, ſed ordinarios ſingulis quibuſque annis aſſignans, librum 6. exorditur: *Cn. Domitius, & Camillus Scribonianus conſulatum inierant* &c. Nec ex Svetonio, uti cenſuit Panvinius, A. Vitellius Conſul ordinarius dicendus eſt; ſiquidem Dio ſcribit: *Ex Conſulibus alter Domitius toto anno geſſit magiſtratum*: quare cum in locum Camilli Scriboniani Kal. Juliis A. Vitellius conſulatum accepit, dicitur a Svetonio eumdem *cum Cn. Domitio iniſſe*, hoc eſt collegam habens Domitium, non quod ipſe etiam Domitius ac Vitellius una ſimul magiſtratum eadem die auſpicati fuerint. Idem tamen Svetonius erravit, cum cap. 2. ſcripſit Othonem Cæſarem natum Camillo Arruntio, Domitio Ahenobarbo Conſulibus: dicendum enim erat: *Camillo Furio*: nam Camillus Scribonianus non erat ex gente Arruntia, ſed ex Foria. Gruteri pag. 295. in faſtis Capitolinis anno quo Auguſtus erat Tribunitiæ poteſtatis XXX. ponitur Conſul N. FURIUS. P. F. P. N. CAMILL. Inter Triumviros monetales idem in nummis obſignatur: M. FURIUS P. F. CAMILLUS. Erat is pater Camilli Scriboniani, qui collega Cn. Domitio hoc anno ordinarium Conſulatum geſſit. Svetonius ſane in Claudio cap. 13. ait. *Bellum civile movit Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus*. Itaque idem perperam *Arruntius* nominatur. Præterea non tantum in conſulatu ordinario A. Vitelli erratis, verum etiam dum idem vobis nuncupatur: *A Vitellius Nepos*. Hocce fictitium *Nepotis* cognomen mox tu quoque mecum ridebis; eſt enim mehercle ridicularium, immo ridiculoſiſſimum. Has voces ex Plauti comœdiis accepi.

Anno V. 786. Chriſti 33. a Tacito lib. 6. laudantur Conſules *Ser. Galba, L. Sulla*; a Dione lib. 58. *Servius Galba is qui deinde Imperator factus eſt, & L. Cornelius Sylla*. Qui iidem Conſules Leunclavio in Indice conſulari lib. 58. Glandorpio, Ricciolio, ac tibi etiam integre deſcribuntur *Sergius Sulpicius Galba & L. Cornelius Sylla*, ſive *Sulla*. Error eſt in prænomine. Nam *Servius*, non *Sergius* dicebatur Sulpicius Galba Imperator. Dioni recte loco citato ſcribitur Γάλβας ὁ Σέργιος, *Servius Galba*, quod prænomen Leunclavius interpres poſt Xylandrum, perperam *Sergium* latine ſcripſit. Idem tamen optime hæc ex Dione recitat lib. 63. *Vindex cum principatum ſibi parere minime ſtuderet, Servio Sulpicio Galba &c. imperium detulit*. Sulpicii tum patritii, tum plebeii Servii dicebantur. De plebeis ſcribit Cornelius Nepos in vita Attici: *Ipſe adoleſcentulus pro-*

pter

Google

per affinitatem P. Sulpicii, qui tribunus plebis interfectus eſt, non expers fuit illius perculi: namque Anicia Pomponii conſobrina nupſerat M. Servio fratri Sulpicii. Audin P. Sulpicium aa M. Servium fratres fuiſſe? Galbæ etiam Sulpicii patriniæ gentis Servii itidem dicebantur, Cicero in Bruto ait Luſitanos *a Servio Galba prætore* contra datam fidem interfectos. Ir fuit Servius Sulpicius Galbe Conſul A. V. 610, idemque ſua ætate Romanorum eloquentiſſimus, quem ibidem eximie Cicero commandans, ait: *De Servio autem & tu probe dicis;* de quo Brutur proxime loquutus: *Tum, inquit, de te, & de Servio Sulpicio cogitans, eſſe quamdam vobis cum illis ſimilitudinem judico.* Hinc Imperator Otho mortam ſibi illaturus, nepotem hiſce apud Tacitum lib. a. Hiſt. ſolabatur: *Satis ſibi nominis, ſatis poſteris ſuis nobilitatis quaſitum, poſt Julios, Claudios, Servios, ſe primum in familiam novam imperium intuliſſe.* Ita Galbam Serviæ gantia dicit. Plutarchus in vita Galbæ ſcribit aumdem *ampliſſima Serviorum domo natum.* Igitur *Servius* gentilitium nomen Sulpicii Galbæ fuit, loco tamen prænominis uſurpatum, ac proinde *Sergius* perperam dicitur. Svetoniur cap. 4. da Vita ejuſdem ait: *Adoptatus a noverca ſua, Livii nomen & Ocella cognomen aſſumpſit, mutato prænomine.* Nam & Lucium mox pro Servio *uſque ad tempus imperii uſurpavit.* Et ſane Galbam hoc anno quo conſulatum geſſit, non Servii ſed *Lucii* prænomen habuiſſe, patet ea teſſera gladiatoria, cujus axemplum ab aruditiſſimo Fabrato accapi. Eamdem vel ſimilem ſe habuiſſe teſtatur Fulvius Urſinus in notis ad lib. 6. Taciti, quam tamen laudatum Svetonii teſtimonium non obſervans, haud recte exponit.

MYRTILUS
ATTIÆ
SP. III. NON. JUN
L. SULL. L. SULP

Ex hac teſſera ſemeſtris conſulatus Galbæ Svetonio cap. 6. memoratus intelligitur, ſimulque *Lucii* prænomen, quod pro *Servio* poſt adoptionem uſque ad acceptum imperium tulit. Tacitus aa Dio poſterius prænomen poſuere, uti etiam legitur in Nolano poſt ejuſdem obitum inſcripto lapide Gruteri pag. 1087.

SER. SULPICIUS. GALBA

L. SULLA. FELIX. COS

Ego mallem in conſulatu *Lucium* vocare, quod illud prænomen tunc ferebat, eodemque in publicis monumentis ejus anni obſignabatur. Hac occaſione Plutarchus mihi corrigendus eſt, dum de eodem in vita illius ſcribit: *Erat etiam Liviæ uxori Cæſaris Galba genere conjunctus, cujusque opera Livia ex palatio Conſul proceſſit.* At Livia Auguſti uxor ac Tiberii mater, ante quadriennium quam Galba conſulatum gereret, e vita deceſſerat; quare non ejus opera Conſul deſignatus fuit. Quod Galba eximie Liviam coluerat, ſcribit Svetonius cap. 5. *Et vero gratia plurimum valuit, & mortua teſtamento pene ditatus eſt. Nam H. S. quingenties illo legavit, harede Tiberio legatum ad quingenta revocante, ne hæc quidem accepit.* Fortaſſe pro pecunia conſulatum tulit. Ea ſumma legati valebat Romanæ monetæ millionem, uti vocant, ducenta ac quinquaginta millia ſcutatorum.

Annus ſequens Urbis 787. Chriſti 34. Conſules habet apud Tacitum, *Paullum Fabium, L. Vitellium:* apud Dionem, *L. Vitellium, & Fabium Priſcum.* Proſper, & exſcriptor Caſſiodorus ponunt penes ſolum cognomen *Priſcum* cum *Vitellio.* Idacius ſcribit: *Perſico & Vitellio Pulo.* Baronius Conſules nominat *Paulum Fabium Perſicum & L. Vitellium Nepotem:* ita etiam loquitur Ricciolius. Petavius, aa V. C. Pagius quo nullus mortalium tibi intimior vivit, ſcribunt: *Paulus Fabius Priſcus, & L. Vitellius Nepos.* Sola bia Conſulum cognomina in dubium vocantur. Panvinius recte *Perſicum* priorem Conſulem appellat. Frontinus lib. a. de Aquæduct. ait: *Huic ſucceſſit Fabio Perſico, L. Vitellio Coſſ. Cajus Octavius Lenas.* Ita eumdem nominat vetus auctor vitæ Perſii. In fragmento ſacrificii fratrum Arvalium apud Fulvium Urſinum in notis ad Varronem, ac Gruterum pag. 116. & 117. cum L. Vitellio ac Cn. Domitio, quorum ille collega, hic vero Perſici ſucceſſor fuit in conſulatu, nominatur PAULUS FABIUS PERSICUS. Accedit Seneca lib. 4 de Benef. cap. 30. ubi ait: *Quid nuper Fabium Perſicum, cujus oſculum etiam impuri vitabant, Sacerdotem non in uno collegio fecit, niſi Verrucoſi, & Allobrogici, & illi trecenti, qui hoſtium incurſioni pro Republica unam domum objecerunt?* At Perſicum Imperator Claudius publice in Senatu anno abhinc decimoquarto laudavit, cum in oratione da civitate Gallis danda, Gruteri pag. 502. dixit: *PERSICUM nobiliſſimum virum, amicum meum, inter imagines majorum ſuorum Allobrogici nomen legere.* Ita ærea tabula, quæ librariorum erratis non deturpatur, *Perſicum* nobis exhibet. Juvenalis Sat. 3. verſu 220.

> *. . . . . . melioraа & plura reponit*
> *Perſicus orborum lautiſſimus, & merito jam*
> *Suſpectus, tamquam ipſe ſuas incenderit ades.*

De eodem Fabio Perſico Seneca ſcripſerat lib. a. de Benef. cap. 30 Hinc tranſeo ad cognomen *Nepotis*, quod tot eruditi viri L. Vitellio datis. Jam prædixeram te hocce cognomentum riſorum. Et ſane ſi ejuſdem cognominis origine intellecta, riſum comprimes, eris mihi alter Agelaſtus. Verrius Flaccus, ſive ignotus, ut Pighius contendit, auctor qui tabulas Capitolinas digeſſit, ibidem prænomina, nomina, ac cognomina Conſulum accuratiſſime recitavit; & ne nominum ſimilitudo in familiis numeroſis confuſionem gigneret, prænomina patris atque avi cujuſcumque Conſulis in eiſdem faſtis ſignavit, cognomina autem Conſulum in poſtrema parte verſus locavit. Si vero Conſules nullum cognomen tuliſſent, aut illud fortaſſe ignotum fuiſſet eidem auctori, loco cognominis deſignabat cujus Conſul nepos extitiſſet, non quidem unicam litteram N exarando, ut in aliis quorum cognomina adnotabat, ſed integram vocem NEPOS reponendo in ea extrema parte verſus, in qua aliorum cognomina legebantur. En tibi quoſdam Conſulatus ex iiſdem tabulis Capitolinis exſcriptos, juxta annos Urbis Capitolinos.

Con-

Conſules		Anni Urbis
Cn. Servilius Cn. F. Cn. N.	*CAEPIO.*	551.
Cn. Servilius Cn. F. Cn.	*NEPOS.*	
M. Æmilius M. F. M. N.	*LEPIDUS.*	567.
C. Flaminius C. F. C.	*NEPOS.*	
L. Cornelius P. F. L. N.	*SCIPIO.*	590.
C. Laelius C. F. C.	*NEPOS.*	
Q. Opimius Q. F. Q.	*NEPOS.*	600.
L. Poſthumius SP. F. L. N.	*ALBINUS.*	

In hiſce quatuor Conſulum collegiis vides poſtremum vocabulum NEPOS non exprimere quodpiam proprium eorumdem cognomen, ſed cujus Avi puta *Caji*, *Cnei*, *Quinti* iidem nepotes fuerint. Adeamus Faſtos Calviſii, aut Riccioli. Ibidem legimus:

Cn. Servilius Cæpio, *&* *C. Servilius Nepos*,

M. Æmilius Lepidus, *&* *C. Flaminius Nepos*.

L. Cornelius Scipio Aſiaticus, *&* *C. Lælius Nepos*.

Q. Opimius Nepos, *&* *L. Poſthumius Albinus*.

Videſne uti ridicule vox illa NEPOS, quæ in faſtis Capitolinis originem Conſulum ab avis indicabat, per ſupinam hallucinationem in fictitium cognomen *Nepotis* tranſierit? Hunc nepotinum errorem facile ſorbuiſtis, quod reapſe *Nepos* plurium cognomen ſeu agnomen fuit. Nominatus in faſtis A. V. 656. *Q. Cæcilius Metellus Nepos*, ejuſque etiam filius A. V. 697. qui epiſtolam 3. libro 5. fam. ad Ciceronem inſcribit: *Q. Metellus Nepos*. Celebris inter ſcriptores Cornelius Nepos recenſetur. Licinii Nepotis prætoris meminit Plinius lib. 6. epiſt. 5. Spartianus laudat Senatores Pletorium Nepotem cap. 4. in Hadriano, & in Severo Septimio cap. 13. Herennium Nepotem. Onuphrius Panvinius in continuandis Faſtis, horum auctorem imitatus, quoties cognomina Conſulum deficiebant, loco cognominum vocabulum NEPOS ſubſtituit. En tibi quinque collegia ex Faſtis Panvinii.

		Anno Chriſti
P. Vinnicius M. F. P.	*NEPOS.*	II.
P. Alfinius P. P.	*VARUS.*	
M. Æmilius L. F.	*LEPIDUS.*	VI.
L. Arruntius L. F. L.	*NEPOS.*	
Sex. Pompeius Sex. F. Sex.	*NEPOS.*	16.
Sex. Appulejus Sex. F. Sex.	*NEPOS.*	
Cn. Domitius L. F. Cn. N.	*AHENOBARBUS.*	32.
A. Vitellius P. F. Q.	*NEPOS.*	
Paullus Fabius Paulli F. Q. N.	*PERSICUS.*	34.
L. Vitellius P. F. Q.	*NEPOS.*	

Non pauci Panvinii characterem ſeu methodum in faſtis deſcribendis minus obſervantes, vocem NEPOS, quæ originem Conſulum ab avis ibidem indicabat, pro eorumdem Conſulum cognominibus acceperunt. Baronius magnus Annalium Eccleſiæ conditor, ad annum Chriſti IV. ait: *Vinnicius Nepos & Alfinius Varus conſulatum geſſere*. Rurſus anno VIII. *M. Æmilio Lepido*, *& L. Arruntio Nepote* &c. Poſtea inferius: *Anno Chriſti decimo ſexto, duobus Sextis, iiſdemque Nepotibus, Pompejo, & Appulejo Conſulibus*. Item ad annum 94. ait: *Cn. Domitio Ahenobarbo & Vitellio Nepote Coſſ.* Denique ſcribit anno 36. *Paullo Fabio Perſico & L. Vitellio Nepote Conſulibus*. Hos omnes Nepotes repetunt Altſordius, Ricciolius, aliique inferioris notæ chronologi. Petavius etiam in chronologia princeps, ſcribit: *L. Vitellius Nepos*. In tuis quoque faſtis leguntur *A. Vitellius Nepos*, *& L. Vitellius Nepos*. Sane Tacitus lib. 6. Ann. geſta L. Vitel-

lio

lio propraetori Syriæ fuſius deſcribit, item Dio lib. 59. Joſephus lib. 18. cap. 5. & 6. Philo de Legatione ad Caium, Svetonius cap. 2. in Vitellio, nec uſpiam *Nepotes* cognomen legitur. In veteri inſcriptione Gruteri pag. 116. nominantur C. *Caecina Largus*, L. VITELLIUS, *Paullus Fabius Perſicus*, C. *Piſo* &c. & pag. 118. recitantur A. VITELLIUS, *M. Aponius Saturninus*, *L. Salvius Otho Titianus*, *Sulpicius Camerinus*, *C. Vipſanus Apronianus*, *P. Memmius Regulus*, *C. Piſo*. Videſne ut ſingulorum cognomina exprimantur, Lucius vero Vitellius hujus anni Conſul, ejuſque filius A. Vitellius ſine cognomine efferantur? Nullum illi cognomen habebant, uti nec Pompejorum ac Antoniorum plerique. Rideas igitur, Amice jucundiſſime, tot *Nepotum* cognomina addita in faſtis, Conſulibus ipſis eorumque patribus, filiis, uxoribus, ne ſervis eadem ignorantibus.

Anno V. 788. Chriſti 35. legitur apud Tacitum lib. 6. *C. Ceſtio*, *M. Servilio Coſſ.* In Dionis lib. 58. *Secuti Conſules C. Gallus*, *M. Servilius*, ita integre prior Conſul deſcribitur C. *Ceſtius Gallus*. Plinius lib. 10. cap. 43. recitat exequias publice a Populo Romano corvo celebratas *V. Kal. Apriles M. Servilio C. Ceſtio Conſulibus*. Hinc ridendus Calviſius, cui hoc anno ſomniantur Conſules C. *Seſtius Camerinus*, ac *M. Servilius*. Plinius lib. 37. cap. 6. nominat Nonium Strumam, qui dicitur *avus Servilii Noniani*, *quem*, inquit, *Conſulem vidimus*. Ita *M. Servilius Nonianus* alter Conſul fuit. Sive hic, ſive pater e familia Nonia adoptatus, dictus fuit Servilius Nonianus. In Idacio, Proſpero, ac Caſſiodoro ſolo cognomine in faſtis ſignatur hic conſulatus, nempe: *Gallo & Noniano*. Panvinio ita deſcribuntur: *C. Ceſtius Gallus*, *M. Servilius Rufus Nonianus*. Addit alterum cognomen *Rufi* Servilio, quod Plinius lib. 6. cap. 5. nominat Servilium Rufum Conſulem. Nec verbum eo capite de Servilio, vel de Rufo legitur. Idem Panvinius ad A. V. 803. ait: *M. Suillius forte is eſt, de quo Plinius lib. 6. cap. 5. Suillius Rufus & Corbulo fratres ambo Conſules*. Ex libro ac capite iiſdem utrobique laudatis, ejuſdem errorem deprehendi. At ſcribendum eſt *lib. 7. cap. 5.* ubi Plinius de Veſtilia trium maritorum uxore ait: *Sempronium ſeptimo menſe genuit*, *Suillium Rufum undecimo*, *Corbulonem ſeptimo*, *utrumque Conſulem*. Ex his patet Panvinium priori loco pro *Suillio* Rufo in ſuis ſchedis ſcripſiſſe *Servilium* Rufum, unde fictitium poſtea *Rufi* cognomen M. Servilio Noniano ſuperaddidit. Ma cus Suillius Rufus Conſul fuit imperante Claudio A. V. 802. uti vulgo eum Conſulem nuncupant, ut ad annum V. 803. inferius oſtendo.

Anno V. 789. Chriſti 36. Tacito lib. 6. Plinio lib. 10. cap. 2. Solino cap. 36. Dioni lib. 58. *Sextus Papinius*, ac *Q. Plautius* Conſules adſcribuntur. Nullus eorumdem indicavit Conſulum cognomina, quæ ſola in Idacii, ac Proſperi Faſtis leguntur. Idacius ait: *Æmiliano & Plautio*; Proſper vero; *Galliено & Plautiano*. Caſſiodorus qui Proſperi faſtos exſcripſit, eidem ſimiliter loquitur. Anonymus apud Cuſpinianum ſcribit: *B. Gallieno & Plautio Sol. XI.* Ibi litera, B. annum hunc Biſſextilem indicat; *Sol.* ſignificat Kalendas Januarias eodem anno in diem Solis, vulgo Dominicam, incidiſſe. Utrumque recte; hic enim annus vulgaris Epochæ Chriſtianæ 36. fuit Biſſextilis, ac prima dies Januarii in Dominicam incidit, Cyclo Solis XVII. Lunæ XVIII. lit. Domical. AG. numerus XI. exponit epactas, quas Bucherius in comment. ad Canonem Paſchalem Victorii Aquitani examinat. Panvinius ita utrumque Conſulem deſcribit: *Sex. Papinius Q. F. Gallienus*, *Q. Plautius Plautianus*. Enimvero cognomen prioris Conſulis confirmat ex inſcriptione Patavina, in qua legitur: SEX. PAPINIO Q. F. GALLIENO &c. COS. XV. VIR. SACR. FAC. Hanc inſcriptionem antea produxerant Appianus, ac Scardeonius, eamdemque ex Verderianis ſchedis in hæc verba ſcalptam repetit Gruterus pag. 447. 9.

SEX. PAPINIO. Q. F.

ALLENIO

TR. MIL. Q. LEG.

. TI. CAESARIS AUG

TR. PL. PR. LEG

TI. CAESARIS AUG

PRO. PR. COS. XVVIR.

SACR. FAC

D. D

Hæc inſcriptio brevior recitatur a Scardeonio lib. 2. hiſt. Patavinæ, nec illius ætate in monaſterio celeberrimo S. Juſtinæ, ubi antea erat, viſebatur. Idem tamen ac ceteri ALLENIO ſcripſerunt. Panvinius ex faſtis Caſſiodori. ac anonymi GALLIENO repoſuit, cum ex lapidis characteribus certiſſimis falſæ potius faſtorum literæ corrigendæ eſſent. Idem tamen Panvinius eamdem correctionem non tantum Pighio, verum etiam eruditiſſimo amico olim meo Equiti ac Comiti Sertorio Orſato perſuaſit, quorum prior in tomo 3. Ann. ad A. V. Capitolinum 788. alter vero lib. 1. Hiſt. Patavinæ *Gallieno* ſcripſere. Alterum autem cognomen *Plautiani* quod Q. Plautio datur, unum Proſperum habet auctorem, cujus faſti omnium ſunt corruptiſſimi. Cognomen Plautiani illi dabatur qui ex Plautia gente in aliam per adoptionem tranſibat. Hinc Q. Plautio id cognominis dari non potuit, nlias ex Plautia in Plautianam gentem adoptatus fuiſſet. Cum apud omnes ſcriptores ac vetuſtiores faſtos Q. Plautius Conſul dicatur, Proſper, ſive ejuſdem exſcriptor per errorem *Plautianum* pro *Plautio* ſcripſit; unde illud cognomen Panvinius minus recte efformavit. Grandorpio in Onomaſtico dicitur *Q. Plautius Sylvanus*, quo cognomine Ti. Plautius, ac M. Plautius in vetuſtis Inſcriptionibus pag. 452. 6. & 457. Plautii Silvani prætoris necem recitat Tacitus lib. 4. Annalium. Interim corrigendus error Leunclavii, qui in indiculo Conſulari lib. 58. ſcribit: *Sex. Papirius & Q. Plautius*, & pag. 635. pro Sex. Papirio notat in margine reponendum *Papinio*. Nam Dio græce ſcribit Σέξτου Παπινίου, *Sexti Papinii*, uti eumdem ante Dionem Plinius, Solinus, ac Tacitus nuncupaverant, atque etiam in laudata Patavina inſcriptione mihi ſuperius recitata, appellatur. Denique Seneca lib. 3. de Ira cap. 18. ait: *Caius Cæſar Sex. Papinium, cui pater erat Conſularis &c. uno die flagellis cecidit, torſit, non quæſtionis ſed animi cauſa*. Vides filium patri Conſuli cognominem. Plinius lib. 25. cap. 14. ait: *Sex. Papinius quem Conſulem vidimus*, &c. Sequuntur Conſules A. V. 790. Cn. Acerronius Proculus, ac C. Pontius Nigrinus, qui recte nominantur Dioni ac Tacito ſuperius laudatis, itemque Svetonio qui integre eoſdem recitat in Tiberio cap. 73. licet ibidem *Pontio Nigro* pro Nigrino ſcribat, ſecus ac Dio & veteres faſti, ac antiqua inſcriptio produnt. Hæc extat apud Panvinium ac Gruterum pagina 18. ubi legitur: Cn. Acerronio & Pontio. NIGRINO COS. In decem MSS. Svetonii Mediceis *Nigro* legitur.

Juſ-

Juſſerat, vir eruditiſſime, adnotari conſulatum duorum Geminorum ac proxime inſequentes. Hinc tua juſſa executus, in eoſdem conſulatus curam intendi, ita ut plures eorum hactenus in omnium ſcriptorum recentium faſtis depravatos, ex vetuſtis inſcriptionibus emendaverim, alios autem ex antiquis itidem monumentis illuſtraverim, & ni mea me fallit opinio, ſpero fore ut poſitæ correctiones tibi harum rerum curioſiſſimo æque ac ſcientiſſimo, etiam atque etiam probentur. Jam ceteros conſulatus ſaltuatim percurram, cum præſertim undeviginti paria Conſulum in Taciti Annalibus, continuata annorum ſerie exacte recitentur. Tiberius proxime memoratis Conſulibus die 16. Martii mortalitatem explevit, ſuccedente Cajo Caligula Germanici filio, qui Kalend. Juliis, collega Claudio patruo Conſul proceſſit, ac dein pridie Idus Septembris eo ſe magiſtratu abdicavit. Scribit Dio libro 59. *Anno inſequenti Conſules ex his qui dudum deſignati fuerant, facti ſunt M. Aquilius Julianus, & P. Nonius Aſprenas*. Proſper, Idacius, Caſſiodorus Dioni ſimiliter in faſtis ſcribunt: *Juliano & Aſprenate*. Anonymus apud Cuſpinianum ait: *Juliano, Aſprenate MER.* nempe Mercurii die contigiſſe iiſdem Coſſ. Kalendas Januarii, uti reapſe accidit hoc anno V. 702. a Parilibus, Chriſti 38. Cyclo Solis XIX. Lunæ I. lit. E. At Panvinius hoc anno Conſules ponit *Cajum Auguſtum II. & L. Apronium Cæſianum*, additque: *Dio hoc anno profitetur Conſules C. Cæſarem Germanicum II. & L. Apronium, L. F. Cæſianum*. Quod ſane falſum eſt; nam Dio Julianum & Aſprenatem Conſules primis Kal. Januariis anno primo imperii Caii Cæſaris ſtatuit. Ex errore Suetonii Panvinius errandi anſam accepit. Ille enim cap. 17. recenſitis quatuor conſulatibus Caii, addit: *Ex omnibus duos noviſſimos conjunxit*. Ex quibus infert Panvinius inter ſecundum ac tertium conſulatum Caii inferendum eſſe conſulatum M. Aquillii & Nonii Aſprenatis. Et quidem in decem MSS. codicibus Suetonii in bibliotheca Medicea conſtanter eadem Suetonii verba leguntur. Ubi vero in quibuſdam eorumdem legitur: *Conſulatus quatuor geſſit: primum ex Kalendis Januarii per duos menſes*, uti etiam dicitur in antiquis editionibus Romana anni 1470. & Mediolanenſi anni 1475. ibidem in duobus codicibus legi: *Primum ex Kalend. Juliis*: quæ vera ac germana lectio eſt. Ceterum legendum eſſe in Suetonio: *Ex omnibus tres ordinarios conjunxit*, recte oſtendis in Prolegomen. numer. 15. ubi etiam recites hæc Frontini libro primo de Aquæductibus: *Cajus Cæſar altero imperii ſui anno, M. Aquilio Juliano & P. Nonio Aſprenate Coſſ. anno V. C. 790. duos ductus inchoavit*: ubi diverſam Epocham annorum Urbis illum ſecutum dicis. Sed facilior reſponſio eſt, alterum annum Caii Cæſaris initium ſumere anno Urbis 790. Chriſti 38. die 16. Martii, quo ineunte Aquæductus illos inchoavit, Juliano & Aſprenate Coſſ. & quidem anno Urbis DCCXC. qui die 21. Aprilis exibat, ſuccedente anno 791. & quamvis Frontinus diverſam a Varroniana Epocham forte uſurpaverit, id non colligitur ex laudato teſtimonio, quod perperam pro opinione Onuphrii adducitur, cum veræ ſententiæ apertiſſime ſuffragetur; neque enim anni Urbis menſe Decembri, ſed Aprili complebantur.

A. V. 792. Chriſti 39. Conſules nominantur a Dione in Indice libro 59. *Cajus Cæſar Germanicus II. & L. Apronius L. F. Cælianus, ſive Ceſianus*. Ita legitur in græco codice Mediceo. Leunclavius tamen legit *Apronius*. Proſperi ac Caſſiodori faſti hic corruptiſſimi ſunt; nam hoc anno ac ſequentibus, fictos Conſules exhibent, quos bonus Panvinius plerumque ſuffectos maluit appellare, quam falſos. Idacius ait: *Cæſare II. & Cæſiano*; anonymus Cuſpiniani: *Cæſare II. Cæſiano Jov.* ideſt diem Kalend. Januarii die Jovis iiſdem Conſulibus contigiſſe. Alter Conſul fuit L. Apronius Cæſianus, qui anno abhinc undevigeſimo ſub L. Apronio patre Africæ proconſule inita pugna, Numidas fugavit. Tacitus libro 3. ait: *Miſſuſque patris Apronius Cæſianus cum equite & cohortibus auxiliaribus, queis velociſſimos legionum addiderat, proſperam adverſus Numidas pugnam facit, pelliſque in deſerta*: Extat in gaza Reginarum Maximæ CHRISTINAE AUG. P. P. nummus Druſi cum epigraphe in averſa parte: PERMISSU L. APRONI PROCOS III. Idem L. Apronius Cæſiani Conſulis pater legatus proprætor inferioris Germaniæ anno poſt proconſulatum octavo V. C. 780. infeliciter contra Friſios pugnavit, ex eodem Tacito libro 4. Annal. Interim conſtat hujus Conſulis cognomina perperam in Dionis codice deſcribi. Idem vero Dio ſcribit de Caio Cæſare: *Geſſoque per triginta dies magiſtratu ac ſex menſibus L. Apronio collega conceſſis, abiit conſulatu ſucceſſore Sabinio Maximo, tum Præfecto Urbis*. Panvinius recte legit *Sanquinio Maximo*, uti etiam Lipſius in notis ad cap. 4. libro 6. Taciti, cui nominatur *Sanquinius Maximus e Conſularibus*. Errat vero uterque, dum primum conſulatum Sanquinii ſtatuunt a Kalendis Juliis A. V. 782. duobus Geminis Conſulibus; ſiquidem ex lapide Nolano ac teſſera gladiatoria alios Conſules ſuffectos eo anno ſuperius oſtendi. Incerto autem anno prioris conſulatus Sanquinii, alter ejuſdem conſulatus pridie Kalend. Februarii hoc anno initus apparet; unde non poſſum non mirari Panvinium in tabulis Conſularibus ſcribere: *Ex Kalend. Februariis Cn. Domitius Corbulo: ex Kalend. Juliis Sanquinius Maximus II.* cum Dio diſerte teſtetur Sanquinium Maximum in loco Caii abdicantis, conſulatum iniſſe. Inter nummos Triumvirum Monetalium, imperante Auguſto, percuſſos, reperiuntur inſcripti: M. SANQUINIUS. Q. F. ex quo hujus Sanquinii Conſulis II. ac prioris filii prænomen formari poteſt. Tacitus libro 11. Annal. A. V. 800. ait: *Per idem tempus Chauci nulla diſſenſione domi, & morte Sanquinii alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incurſavere, duce Gannaſco*. Itaque Sanquinius Maximus proprætor Germaniæ inferioris obiit, ſuccedente Cn. Domitio Corbulone, quem itidem conſulatus ſecundi hoc anno ſucceſſorem habuerat, ex Dione loco laudato. Hæc inſerui, quod Glandorpius vix unum & alterum verſum hac de familia recitat; ubi etiam Sanquinium ſemel tantum Conſulem nominat, ac ejuſdem Germaniæ præfecturam, ejuſque patrem omittit.

Anno V. 704. Chriſtianæ Epochæ 41. nono Kal. Februarii Caio Caligula occiſo, Tiberius Claudius imperium accepit, eoque rem Romanam adminiſtrante, tredecim collegia Conſulum ejuſdem imperii annos aperuere. In Caio Cæſare, Vir ſapientiſſime, index Conſularis Dionis libris præfixus terminetur, quamvis etiam Conſules præpoſiti libro 58. in Dionis volumine deſiderentur; ut patet in editione Xylandri, & veteri eoque optimo græco codice Mediceo. Sunt autem duodecim collegia, quæ Leunclavius partim ex eodem libro Dionis, partim ex Panvinii faſtis concinnavit. Id facile poteras intelligere, ſi Dionis in deſcribendis initiis cujuſque libri Conſulibus, methodum obſervaſſes. Nam ſemper ante Cognomen cujuſcumque Conſulis, indicat prænomen patris ejuſdem Conſulis. Hoc charactere neutiquam deſcribuntur Conſules libri 58. uti neque libri 60. ac ceterorum ad poſtremum uſque octogeſimum. His omnibus libris Leunclavius Conſules præpoſuit; quorum tamen patres prænomine tenus non deſignavit,

quod

Digitized by Google

quod eorum prænomina plane ignorabat. Hinc in laterculis Conſularibus ante eumdem librum 58. leguntur M. *Vinicius Quartinus*, *C. Rubellius*, *C. Caſſius Longinus*, *Sex. Papirius*, *Sergius Sulpicius Galba*; in quibus aut prænomina, aut nomina, aut denique cognomina falſa demonſtravi, quod ipſum in ſequentibus conſulatibus frequentiſſime apparebit. Primum collegium Conſulum imperatore Claudio in Dione deſignatur: *Claudius Auguſtus II.* & *C. Largus*. Eoſdem laudat Idacius. At Labbeus in margine pro *Largo* notat ſcribendum *Longo*, uti legitur apud anonymum Cuſpiniani. Pedianus in Scaurianam deſignat locum, in quo fuerat domus M. Scauri, ac ſtatim ait: *Poſſidet eam nunc Longus Cæcina, qui Conſul fuit cum Claudio*. Tibi vero poſt Petavium, Ricciolium, atque alios, dicitur *L. Licinius Largus*. Recte tamen *Caii* prænomen ac *Largi* cognomen legi in Dionis lib. 60. patet ex inſigni inſcriptione fratrum Arvalium, quam produxit Fulvius Urſinus in notis ad Varronem: ibi enim dicitur ſacrificio facto pro ſalute Claudii Auguſti, inter alios adfuiſſe C. CÆCINA LARGUS. Tacitus lib. 12. ait: *Ac ne dum in urbem* Claudius *vehitur ad penitentiam a L. Vitellio, P. Largo Cæcina mutaretur, in eodem geſtamine ſedem poſcit*. Erat forte Publius Caii Conſulis frater. Ex his *Largi* cognomen confirmatur. Fulvius Urſinus in notis ad lib 1. Hiſt. Taciti ſcribit vocem *Cæcina* ſignare familiam, non vero cognomen laudati Conſulis, ut & in reliquis qui Cæcinæ vocabantur. At Panvinius *Cæcina* putat cognomen tantum Liciniorum. Hinc A. Cæcina Vitellii dux ac Conſul ſuffectus A. V. 822. dicitur eidem *A. Licinius Cæcina*. Uterque inſignis ſcriptor aberrat. Tacitus lib. 1. Hiſt. ait: *Legati legionum Allienus Cæcina, & Fabius Valens*. Dio etiam lib. 65. ſcribit: *Vitellius Allienum cum paucis bello præfecit*: ibique *Allienum* ſemper penes familiam appellat, quem Tacitus paſſim *Cæcina* cognomine nuncupat. Hic habemus A. Allienum Cæcinam, ac proinde falſus eſt Panvinius, qui illum in Liciniam gentem adoptat, & itidem Urſinus qui Cæcinam ejuſdem cognomen negabat. Tacitus lib. 2. Hiſt. ait: *Notabile jurgium inde fuit, quo Licinius Cæcina Marcellum Eprium, ut ambigua diſſerentem, invaſit*. Hic quoque Cæcina cognomen eſt. Interim collega Claudii dicatur C. *Cæcina Largus*, ac *Cæcina* familiam ſignificet; uti & in altero Conſule ſuffecto Gruteri pag. 239. 3. C. *Cæcina Pæto*. Corrigendus eſt Goltzius qui in faſtis ſcribit C. Cæcinam Largum, in magiſtratu obiiſſe, cum Pediano laudato, poſt geſtum magiſtratum, ſuperſtes memoretur.

Anno V. 797. Chriſti 44. exhibentur a Dione lib. 60. Conſules C. *Criſpus II.* & *T. Statilius*. Hos tu quoque exſcripſiſti. In Idacio legitur: *Criſpo II.* & *Tauro*: in Proſperi autem faſtis: *Criſpino* & *Tauro*; Pighius tom. 3. Annal. ac Goltzius in faſtis ſcribunt: C. *Vibius Criſpus II. T. Statilius Taurus*. Addit ille a Frontino laudari Vibium Criſpum Curatorem aquarum Urbis. Addere poterat Tacitum qui lib. 14. Annal. & lib. 4. Hiſt. Vibii Criſpi Senatoris mentionem facit. Hi tamen Conſules dicuntur Panvinio C. *Quinctius Criſpinus II.* & *T. Statilius Taurus*. Ceterum omnes in hoc collegio deſcribendo errorem admiſiſſe, conſtat ex epitaphio Gruteri pag. 1041. 10. quod dicitur poſitum.

III. NON. JANUARI

L. QUINCTIO. CRISPINO. II

M. STATILIO. TAURO. COS

Apparatus in Baronium

Vides hoſce Conſules ordinarios ineunte anno, in lapide obſignatos. Anno V. 745. *T. Quinctius Criſpinus* legitur Conſul, collega Druſo Nerone. Et in nummis Triumvirum monetalium ſub Auguſto percuſſis, obſignatur: T. QUINCTIUS CRISPINUS, cujus nepos hic L. Quinctius in Conſulari familia natus. Falſa ſunt prænomina horum Conſulum apud Dionem & Panvinium.

Anno ſequenti V. 798. Chriſti 45. Dioni dicuntur Conſules *M. Vinicius II.* & *Statilius Corvinus*. Utrique *Marci* prænomen addit Panvinius, quem Petavius, Calviſius, Goltzius ceterique tecum ſequuntur. Bucherius, Goltzius, Ricciolius, Vinucio *Quartinus* etiam cognomen donant. In primis fictitium eſſe hoc cognomen *Quartini* jam tibi præmonſtravi in emendato collegio A. V. 783. quo idem Vinicius primum conſulatum geſſit. Hactenus prænomen Statilii Corvini ignoratum, ac perperam in faſtis ſcriptum, ex inſigni inſcriptione fratrum Arvalium apud Fulvium Urſinum ſuperius laudato loco corrigendum eſt. Ibidem Idibus Januariis. *Quod Tiberius Claudius Cæſar Auguſtus appellatus eſt Pater Patriæ*, ſacrificium peregerunt C. *Cæcina Largus*, *L. Vitellius*, *Paullus Fabius Perſicus*, *TAURUS STATILIUS CORVINUS*, C. *Piſo* &c. Itaque Statilius Corvinus *Tauri* prænomen tulit. Enimvero non ſemel familiarum cognomina in prænomina poſtea mutata ſunt. Inter Tribunos militares in tabulis Capitolinis nominantur *P. Cornelius Coſſus*, *Cn. Cornelius Coſſus*; at poſtea cum gens Cornelia alterum Lentulorum cognomen admiſiſſet, ejus familiæ viri cognomen vetuſtum *Coſſi* loco prænominis poſuerunt. Hinc imperante Auguſto, A. V. 753. *Coſſus Cornelius Lentulus*; anno 778. alter *Coſſus Cornelius Lentulus* in faſtis Conſules laudantur. Tacitus lib. 14. Ann. ait: *Nerone IV. Cornelio Coſſo Conſulibus*. In veteri tamen inſcriptione Gruteri pag. 8. legitur: *Nerone Cæſare Aug. IV.* COSSO LENTVLO COSSI F. COS. patres autem Conſulum, ac aliorum penes tantum prænomen obſignabantur. Ipſe Coſſi collega Nero Auguſtus dicebatur in nummis NERO CLAVDIVS CAESAR; ita etiam nominatur in vetuſtis inſcriptionibus Gruteri pag. 236. Nero cognomen Claudiæ gentis loco prænominis ab eodem uſurpatum, poſtquam per adoptionem in familiam Claudiam tranſierat. Porro cognomen *Tauri* proprium erat familiæ Statiliæ, uti *Corvinus* Valeriæ Meſſalorum. At cum Conſul hujus anni Statilius *Corvini* cognomen tuliſſet, antiquum familiæ cognomen *Tauri* loco prænominis uſurpavit. Id genus prænominum paſſim occurrit in Romana hiſtoria, ac plura exempla proponit Panvinius in fine opuſculi de Nominibus Romanorum. Si quis vero eumdem Conſulem appellare vellet *Titum Statilium Taurum Corvinum*, haberet tum prænominis, tum cognominum auctorem Phlegontem Trallianum, qui cap. 6. de Mirabilibus narrat quamdam virginem tredecim annos natam, in virum mutatam fuiſſe: *Romæ Marco Vinitio, & Tito Statilio Tauro, cui Corvini cognomentum fuit, Conſulibus*. Ibi tamen legito *Corvini*. Quo altero teſtimonio patet eumdem perperam *Marcum* in faſtis appellari, qui *Titus*, aut *Taurus* dicebatur.

Anno V. 799. Chriſti 46. *Caius Valerius Aſiaticus II. M. Valerius Meſſala Conſules*, inquit Panvinius, *memorantur a Dione lib.* 58. Eoſdem e lib. 60. producit Baronius A. Chriſti apud ipſum 48. etenim biennio vulgarem epocham anticipat. Illos hoc anno produnt Calviſius, Petavius, Bucherius, Altfordius, Occo, Ricciolius, ac ceteri recentiores quibuſcum ſcribis pag. 201. C. *Valerius Aſiaticus*, & *M. Meſſala*. Unus Panvinius vos omnes in errorem induxit. Summus ille vir, qui jure ac merito librorum

helluo, teſte doctiſſimo Manutio, dici potuit, tot voluminum lectione fatigatus, in iiſdem quandoque dormitavit. Equidem Dio hæc libro 60. ad A. V. 799. ſcribit: *Circumacto hoc anno, Valerius Aſiaticus II. M. Silanus conſulatum acceperunt. Silanus tempus magiſtratus ſui præſcriptum, exegit.* At Panvinius pro M. Silano ex Dione obtrudit M. Meſſalam e gente Valeria, atque hunc ipſum Conſulem, falſum licet ac uni Panvinio ſomniatum, ceteri ſuos in faſtos retulerunt. Idacius tamen in faſtis recte ait: *Aſiatico & Silano.* Ita quoque in faſtis Græcis, atque anonymo apud Cuſpinianum legimus. Non ipſe primus hujus correctionis auctor venio, quam olim Lipſius in notis ad initium lib. 11. Annal. Taciti pluribus expoſuit, Onuphrium *inſignis erroris* merito incuſans, ſed fruſtra; ſiquidem M. Valerius Meſſala collega Aſiatici non deſiit deinceps faſtos occupare. Verus tamen collega Aſiatici Conſulis II. fuit *M. Junius Silanus* filius Appii Junii Silani ac Æmiliæ Lepidæ proneptis Auguſti. Plinius lib. 7. cap. 14. ait. *Divus Auguſtus in reliqua exemplorum varitate, neptis ſuæ nepotem vidit genitum quo exceſſit anno, Marcum Silanum, qui cum Aſiam obtineret poſt conſulatum, Neronis Principis ſucceſſione, veneno ejus ſublatus eſt.* Natus eſt M. Junius Silanus A. V. 767. ex Æmilia Lepida filia Æmilii Paulli Conſulis A. V. 754. ac Juliæ filiæ M. Agrippæ ex Julia Auguſti filia. Claudius Imperator Octaviam filiam *L. Junio Silano* Marci fratri deſponſavit, ex Dione lib. 60. ac Svetonio cap. 27. Hunc poſtea generum interfecit. Tragicus in Octavia:

> *Mactata ſoceri concidit thalamis gener*
> *Victima, tuus ne fieret hymenæus potens.*
> *Proh facinus ingens! Femina eſt munus datus*
> *Silanus, & cruore fœdavit ſuo*
> *Patrios penates.*

Seneca in ludo de morte Claudii ſcribit: *Quandoquidem Divus Claudius occidit ſocerum ſuum Appium Silanum, generos duos Pompeium Magnum & L. Silanum.* Eadem ſcribit Svetonius in Claudio cap. 28. & 29. M. Junius Silanus L. Junii Silani Octaviæ mariti frater, cum hoc anno conſulatum geſſiſſet ex Dione & Plinio laudatis, ac anno abhinc nono V. C. 807. Aſiam Proconſul regeret, Agrippinæ Neronis Auguſti matris inſidiis ſublatus eſt. Hæc Tacitus ſcribit initio lib. 13. Annalium: *Prima novo principatu mors Junii Silani proconſulis Aſiæ, ignaro Nerone* (ſecus ac Plinius ſcripſit) *per dolum Agrippinæ paratur;* cujus impii facinoris cauſam prodit: *Agrippina fratri ejus L. Silano necem molita, ultorem metuebat.* Ubi eidem dicitur *Silanus Divi Auguſti abnepos.* Itaque e faſtis eraſo M. Valerio Meſſalla a Panvinio primum Conſule confictо, & a ceteris inſigni errore recepto, ejus loco *M. Junius Silanus* reponatur; de cujus nobilitate quædam adnotavi, ut promptius in conſulares tabulas reciperatur. Ejus collega Valerius Aſiaticus cum prænomine *Caii* a Panvinio effertur. Glandorpius in ſuo Onomaſtico *Publium* vocat. Valerii Aſiatici Conſulis meminerunt Joſephus libro 19. cap. 1. & 3. Tacitus initio libri 11. qui supereſt, Seneca libro 2. de Tranquillitate animi cap. 18. Dio in fine libri 59. & lib. 60. Valerium Aſiaticum ejuſdem filium Belgicæ provinciæ legatum, ac Vitellii Imperatoris generum laudat Tacitus libro 1. Hiſtor. & libro 4. idem Valerius Aſiaticus dicitur Conſul deſignatus. Neutrius prænomen alicubi recitatur; quare illud in medio relinquo. Ceterum tuis in faſtis deeſt Aſiatico nota iterati conſulatus. Illum enim tempore necis Caii Caligulæ Conſularem vocant Joſephus ac Dio laudati. Eumdem iterum Conſulem appellant Tacitus lib. 11. ac Seneca lib. 2. Natur. quæſt. 17.

Annus V. 800. Chriſti 47. Conſules habuit Claudium Auguſtum IV. ac L. Vitellium III. qui Conſules memorantur Cenſorino cap. 17. de Die natali, Svetonio cap. 2. in Vitellio. Dein ſequuntur in Taciti libris ab undecimo ad decimum ſextum, undeviginti collegia Conſulum. Hinc rarius in eiſdem erratum. Anno V. 803. Chriſtianæ Epochæ 50. nominantur a Tacito Conſules *C. Antiſtius, & M. Suillius.* Deerant cognomina. Panvinius priorem vocat *Veterem*; & recte faſtis omnibus conſentientibus; id enim cognominis Antiſtiis paſſim adponitur. De altero Conſule ſcribit: *Marcus Suillius forte is eſt, de quo Plinius lib. 6. cap. 6.* (legito libro 7. cap. 5.) *Suillius Rufus & Corbulo fratres, ambo Conſules.* Quod vero in depravato quopiam Caſſiodori Chronico legit, vel ſe legiſſe putavit ſtatui hoc anno Conſules *Veterem & Servilianum*, idem collega Antiſtii eidem integre in tabulis deſcribitur: *M. Suillius Rufus Servilianus.* Dicam equidem quod res eſt. Legit in Caſſiodoro ac apud Cuſpinianum, quem ubique appellat, *Nervilianі* cognomen Suillio attributum; at quod nuſquam in Romanis familiis idem occurrebat, unius prioris litteræ variatione in Servilianum mutavit, quod cognomen ex adoptione derivatum putabat. At ſcriptoribus prius cognomen Rufi magis arriſit. Leunclavius in indiculo præfixo libro 60. Dionis ait: *C. Antiſtius & M. Rufus.* Et ſane imprudenter; ſiquidem nomen *Suillii*, quod ex Tacito erat certum, omittit; addit vero *Rufi* cognomen, quod Panvinius *forte* huic Conſuli attribuendum dixerat. At M. Suillius Rufus receptus fuit a Goltzio, Petavio, Pighio, Bucherio, imo & amico meo dicitur *M. Servilius Rufus Servilianus.* Hunc tamen errorem confuto ex libro 3. Inſtitut. cap. 9. ubi memoratur S. C. *quod Claudianis temporibus factum eſt, Suillio Rufo & Hoſterio Scapula Conſulibus.* Ex his conſtat Suillium Rufum Corbulonis fratrem geſſiſſe, imperante Claudio, conſulatum ſuffectum, ac perperam fingi Conſulem ordinarium A. V. 803. collega C. Antiſtio Vetere, cum collegam habuerit P. Oſtorium Scapulam. Cum vero Oſtorius Scapula dicatur Tacito libro 12. hoc ipſo anno proprætor Britanniæ, in qua provincia hoc pariter anno bellum eidem hiſtorico deſcriptum, feliciter geſſit, ante hunc annum cum Suillio Rufo ſuffecto conſulatu perfunctus eſt. Idem Tacitus in libro de Vita Agricolæ recenſens præſides Britanniæ, ait: *Conſularium primus A. Plautius præpoſitus, ac ſubinde Oſtorius Scapula, uterque bello egregius.* Conſulares enim exercitibus regendis imponebantur. Itaque alius eſt M. Suillius hujus anni Conſul a Suillio Rufo, quem Plinius Corbulonis fratrem ex Veſtilia matre appellat. In faſtis Idacii, anonymi apud Cuſpinianum, Proſperi, ac Caſſiodori, in quibus nuda Conſulum cognomina ut plurimum recitantur, hujus anni Conſules dicuntur *Vetus & Nervilianus.* Equidem Cuſpinianus ad hoc cognomen hæſitavit, quod Tacitus libro 13. recitata Suillii damnatione, narrat accuſatores etiam *filium ejus Nerulinum* aggreſſos; quare dubitat num Suillius *Nervilianus*, ut in faſtis, potius dicendus ſit, quam *Nerulinus*, ut ejuſdem filius vocabatur. Et ſane Goltzius qui Panvinii faſtos paſſim exſcribit, Suillium *Nerulinum* appellat. At lapſus eſt Cuſpinianus duos Suillios in unum confundens; etenim hujus anni Conſul appellatur a Tacito Marcus Suillius; de Nerulini vero patre ait: *Is fuit Publius Suillius, imperitante Claudio terribilis & venalis.* Gloriatur ibidem Suillius ſe fuiſſe quæſtorem Germanici, nempe ante annos quadraginta, quod munus cum avare exercuiſſet, ſcripſerat antea idem Tacitus libro 4. Annalium, *Publium Suillium quæſtorem quondam Germanici a*

Ti-

Digitized by Google

Tiberio ob judicia vendita in inſulam deportatum, quem, inquit, *regreſſum, vidit ſequens ætas Claudii principis amicitia ſemper proſpere, numquam tamen bene uſum*. Itaque ex diverſo prænomine P. Suillius alius fuit a M. Suillio Conſule hujus anni. Publius quoque Conſul incerto anno ſuffectus fuerat; Tacitus enim ejuſdem damnationem deſcribens lib. 13. ait: *Repertique accuſatores, direptos ſocios, cum Suillius provinciam Aſiam regeret*. Aſiæ autem proconſules erant conſulares, qui eam provinciam decimo ut plurimum anno poſt conſulatum ſortiti, obtinebant; quod ex doctiſſimi Pighii Annalibus patet. Is ſub Cæſaribus mos ſervabatur. Hinc cum Tacitus narraſſet Agricolam poſt conſulatum, in Britanniam proprætorem miſſum, ac octavo poſtea anno Romam reverſum, ait: *Aderat jam annus quo proconſulatum Aſia & Africa ſortiretur*. Utramque vero provinciam annuo tantum imperio tenebant. Hæc laudato Pighio continuis fere exemplis demonſtrata, indicaſſe ſatis.

Anno V. 807. Chriſti 54. Tacito lib. 12. dicuntur fuiſſe Conſules *M. Aſinius & M. Acilius*; Svetonio in Claudio cap. 45. & Senecæ in libello Indicro de morte Claudii vocantur *Aſinius Marcellus*, *Acilius Avola*. Panvinius ex lapide, in quo legebatur *Q. Aſinius M. F. Marcellus Coſſ.* eumdem non *Marcum* cum Tacito, ſed *Quintum* maluit appellare. Leunclavius a Panvinio prænomen accepit, cui tu quoque adhæſiſti. Glandorpius Tacito ſimiliter ſcribit. Acilii etiam alterius Conſulis prænomen litera M in Taciti libro expreſſum, num Marcum, an Manium deſignet, incertum. Plurimi *Marcum*, Leunclavius *Manium* ſcripſit ante lib. 60. Dionis, quod prænomen proprium Aciliorum. Nam A. V. 563. Manius Acilius Glabrio legitur Conſul in tabulis Capitolinis. Dio lib. 35. ait: *Manio Acilio, & C. Piſone Coſſ.* A. V. 687. Imperante Hadriano Manius Acilius Glabrio, ac Manius Acilius Aviola Conſules laudantur in faſtis ac vetuſtis inſcriptionibus. His autem Conſulibus, Claudius Auguſtus III. Idus Octobris e vita deceſſit, Nerone Claudio privigno ſucceſſore, cujus imperii annos quatuordecim collegia Conſulum aperuerunt, quorum duodecim in Taciti libris leguntur; unde in eoſdem rari errores irrepſerunt.

Anno Urbis 812. Chriſti 59. C. *Vipſanius*, ac L. *Fonteius* Conſules initio libri 14. Taciti memorantur. Eoſdem nominant Plinius ac Solinus a Panvinio ac Pighio laudati. In faſtis Idacii & anonymi apud Cuſpinianum ſolo cognomine efferuntur: *Apronianus*, & *Capito*. Panvinio integre deſignantur: *C. Vipſanius Apronianus*, ac *L. Fonteius Capito*. Leunclavius ſcribit: *C. Fonteius Capito*: ita etiam Bucherius, quos exſcribis; At Tacitus non *Caji*, ſed *Lucii* prænomen Fonteio attribuit. Utriuſque etiam cognomina in Tacito leguntur. Nam libro 1. Hiſtor. A. V. 822. quo occiſus eſt Galba, meminit Vipſani Aproniani proconſulis Africæ. Vides hic eumdem anno decimo poſt conſulatum Africam provinciam ſortitum, uti proxime interfatus ſum. Ibidem etiam recitat necem Fonteji Capitonis juſſu Galbæ peractam. Panvinius ſcribit priorem Conſulem fuiſſe C. Vipſanium Poplicolam, qui a quopiam familiæ Aproniæ adoptatus, Aproniani cognomen accepit. Hinc Petavius & ejuſdem exſcriptor Ricciolius ſuis in faſtis ſcribunt: *C. Vipſanius Publicola*, Aproniani cognomine, quo ſolo in antiquis faſtis deſignatur, perperam omiſſo. Verum id Panvinius ac cum eo ceteri errarunt, quod Vipſaniam Poplicolarum a Vipſtana Apronianorum familia non diſtinxerunt, quod omnium primus fecit Fulvius Urſinus tum in notis ad initium libri 14. Taciti, tum etiam in notis ad Varronem, ubi Taciti ac Plinii codices recte emendavit ex veteri inſcriptione fratrum Arvalium, in qua ſacrificio ob natalem Neronis Auguſti dicuntur interfuiſſe *Sulpicius Camerinus Magiſter M. Apronius Saturninus*, C. VIPSTANUS APRONIANUS. Aliam inſcriptionem producit V. C. Sponius abs ſe Romæ exſcriptam, ſect. 1. Miſcellan. art. 2. in qua alteri Arvalium ſacrificio pro ſalute Veſpaſiani Conſulis VIII. leguntur adfuiſſe *L. Veratius Quadratus*, & poſt alios, C. VIPSTANUS APRONIANUS. Hinc patet priorem hujus anni Conſulem non C. Vipſanium, ſed C. *Vipſtanum Apronianum* appellandum. Alterum Conſulem L. Vipſtanum Meſſallam inferius ad A. V. 868. Trajano imperante, producam. Igitur Vipſtanorum gens Romæ erat conſularis.

Anno U. 814. Chriſti 61. *Cæſonius Pætus*, ac *Petronius Turpilianus* Conſules a Tacito lib. 14. recitantur. Utrique *Caji* prænomen Panvinius attribuit, ceteris conſentientibus, quos inter eſt Leunclavius in indiculo ante lib. 62. Dionis, Glandorpius in Onomaſtico, ubi Cæſenniorum catalogum concinnat, ait: *Cæſennius Pætus Conſul ordinarius ſub Nerone* &c. Et ſane apud Phlegontem cap. 20. de Mirabilibus Cæſennius Pætus appellatur; ibi enim narrat infantem quadricipitem Neroni allatum, *Athenis præfecto Thraſyllo, Romæ Conſulibus* Ποπλίυ Πετρωνίυ τῦ Σπιλιάνυ καὶ Καιϲεννίυ Παίτυ: *Publio Petronio Spiliano, & Cæſennio Pæto*. Scripſerat Phlegon Τυρπιλιάνυ, quod cognomen exſcriptor in duas voces perperam diſtinxit, priori ſyllaba in articulum mutata. At Cæſennium Pætum ſive ipſi Phlegonti, ſive librario perperam ſcriptum colligo ex duabus inſcriptionibus, in quarum una collega P. Petronii Turpiliani non Cæſennius, ſed Cæſonius dicitur; in altera vero L. Cæſennius Pætus Conſul ſuffectus indicatur. Prior ex Panvinio extat Gruteri pag. 62. 7. ubi dicitur P. Varguntejus ædem Silvano dicaſſe;

III. IDUS. AUGUST

PETRONIO. TURPILIANO

ET CAESONIO. PAETO. COS

In duobus antiquis MSS. codicibus Taciti in Bibliotheca Medicea *Cæſonio Pæto* legitur; poſtea in lib. 15. *Cæſennius Pætus* Armeniæ præfectus, uti in impreſſis voluminibus. Apud eumdem Gruterum pag. 64. 5. C. Coſutius aram Silvano poſuiſſe dicitur, quam

DEDICAVIT. KAL. MARTIIS

P. CALVISIO. RUSONE

L. CAESENNIO. PAETO. COS

Itaque L. Cæſennius Pætus conſulatum ſuffectum geſſit. Hinc reſtituendus Dionis textus lib. 62. inter excerpta Theodoſio, ubi de Nerone loquens, ait: *Lucium vero Sennium Pætum, ne quid apud Armenios novi motus exiſteret, miſit*. Ibi enim non *Sennium*, ſed *Cæſennium* legendum eſt. Tacitus lib. 15. de Corbulone ſcribens, ait: *Nam, ut retuli, proprium ducem tuendæ Armeniæ popoſcerat, & adventare Cæſennius Pætus audiebatur*. Hujus prænomen, quod in Tacito deſideratur, ac Glandorpius, Pighius, aliique ignorarunt, ex eadem inſcriptione ac verbis Dionis apparet. Cum Pætus Euphratem ponte tranſmiſiſſet, hoc inſecuti infortunii omen datum idem Tacitus narrat: *Turbatus equus, qui conſularia inſignia geſtabat, retro evaſit*. Igitur Cæſennius Pætus erat id temporis Conſularis, incerto tamen anno quo ſuffectum conſulatum geſſit, quem nec in Panvinii tabulis quærendi ullam mihi curam poſui. De collega vero Cæſo-

dri Pæti idem Panvinius ſcribens, narrat ſe vidiſſe nummum cum epigraphe: SABINUS TURPILIANUS III VIR. Hinc hujus anni Conſul eidem dicitur C. *Petronius C. F. Sabinus Turpilianus*. Leunclavius in indice Conſulum præfixo lib. 62. Dionis ſcribit: C. *Cæſonius Pætus*, *&* C. *Petronius Sabinus*. Ita pariter Petavius, Ricciolius, aliique quos tu quoque imitaris. Immo notat hæc ipſa num. 17. Prolegom. *Ubi obiter obſervabis C. Petronium Sabinum, ut a Dione vocatur, dictum etiam fuiſſe Sabinum Turpilianum, ut Onuphrius oſtendit*. Immo tu ipſe obſerves velim, non a Dione, ſed ab uno Panvinio cognomen *Sabini* Turpiliano ſuperadditum, idemque a Leunclavio in indiculo Conſulum, ante librum 62. Dionis collocatum; quod ſane nec Dio ſcripſit, nec ſomniavit. Tacitus in fine lib. 15. ait datum a Nerone *triumphale decus Petronio Turpiliano Conſulari*. Et antea lib. 14. juſſum Svetonium Paullinum tradere exercitum *Petronio Turpiliano, qui jam conſulatu abierat*. Libro primo Hiſt. deſcribit cruentum Galbæ iter ad Urbem occiſo inter alios *Petronio Turpiliano conſulari*. In libello de Vita Agricolæ inter legatos proprætores Britanniæ laudatur eidem *Petronius Turpilianus*. Otho Imperator obiecit Galbæ necem *Turpiliani in Urbe*, apud Tacitum lib. 1. Hiſt. Nuſquam *Sabinus* appellatur, quemadmodum nec in laudata inſcriptione, nec in faſtis Idacii, Anonymi, aliorumque veterum. Plutarchus etiam in Galba ait occiſum *Petronium Tertullianum*, ubi legendum *Turpilianum*. Sed nec nummus a Panvinio productus illud cognomen *Sabini* probat. Nam quædam Romanorum familiæ ſuam a Sabinis originem antiquitus deductam, in nummis deſignabant. Has inter fuere Titiria, Vetria, Petronia. Extant nummi Titiriæ familiæ in quibus Sabinarum raptus, vel T. Tatii Sabinorum regis effigies viſitur. Petronii quo a Sabinis genus vetuſtum indicarent, in nummis Feroniæ Sabinorum Deæ, vel Sabini filii Sabi, quem Sabini colebant, teſte Dionyſio Halicarnaſſenſi, in nummis obſignarunt. Proſtant, apud antiquarios nummi inſcripti: CAESAR AUGUSTUS; & in poſtica: TVRPILIANVS IIIVIR. FERON. ubi Feroniæ Deæ caput ſcalptum apparet. In illo Panvinii: TVRPILIANVS IIIVIR. SABINVS, ejuſdem Sabini Sabi F. imago viſitur. Porro ſicuti ridicule Turpilianus ex illo vocabulo FERON. cognomen *Feronis* acciperet, idem de *Sabini* quoque cognomine dictum ſit. Habes fictitiam cognominis *Sabini* Turpiliano ſuperadditi originem. Plura hac de re pete ab Urſino in libro de Familiis Romanorum, ac Spanhemio diſſert. 6. de Præſt. & uſu numiſmatum. Viſuntur nummi cum effigie Auguſti, & in poſtica Pegaſi, vel Syrenis, vel capitis Feroniæ, aut viri ſtantis cum patera ac flagro, cum epigraphe: P. PETRON. TVRPILIANVS IIIVIR. in quorum nullo *Sabini* cognomen legitur. Ita ex falſo cognomine avi pater idem perperam ejus nepoti attribuit, qui fictum etiam *Caii* prænomen in faſtis tulit, cum *Publius Petronius*, uti antea ejuſdem avus, diceretur; quod Phlegon laudatus teſtatur, idem prænomen more Græcorum integre deſcribens, non quemadmodum latinis familiare erat, priori tantum P. litera idem deſignans; unde fit ut prænomina non tam facile a Græcis exſcriptoribus ſeu librariis varientur.

Anno V. 816. Chriſti 63. Conſules leguntur in lib. 15. Taciti *Memmius Regulus*, *ac Verginius Rufus*. Eoſdem nominat Frontinus lib. 2. de Aquæductibus, ac Seneca initio lib. 6. Natur. quæſt. Nuſquam eorumdem prænomina legebantur. Panvinius eadem finxit; priorem *Lucium* poſteriorem *Publium* vocavit. Leunclavius prius prænomen exſcripſit, alterum omiſit. Calviſius, Goltzius, Petavius, Bucherius, ac cæteri utrumque prænomen admiſerunt. At vulgarem errorem confutat vetus inſcriptio Gruteri pag. 8. 3, in qua legimus:

VOTUM. SOLVERUNT. L. M.

L. VERGINIO. RUFO

C. MEMMIO. REGULO. COS

C. Memmius Regulus filius fortaſſis fuit C. Memmii Reguli, cui *conſulari exercitus regenti*, ut ait Svetonius cap. 25. Caligula Lolliam Paulinam uxorem abduxit. At L. Verginius Rufus ille ipſe eſt, qui legatus proprætor Germaniæ exortum auctore Vindice tumultum, compreſſit, ut patriæ, non autem ſibi imperium aſſereret. Tres ille conſulatus geſſit; priorem hoc anno ordinarium, alterum anno Chriſtianæ Epochæ 69. cumque ſuffectum, tertium denique Imperatore Nerva collega, anno abhinc quarto ac triceſimo. Panvinii ac Leunclavii, immo omnium, uno dempto Meurſio, in ejuſdem conſulatibus exponendis, errores oſtendam, cum de tertio ejuſdem conſulatu ſermo redibit. Panvinius omnium primus eidem Verginio ſictum *Titi* prænomen attribuit.

Anno V. 817. Chriſti 64. *Caius Lecanius & M. Licinius Conſules* ſcribuntur Tacito lib. 15. In omnium antiquiſſimo Taciti codice Mediceo legitur C. *Lecanius*: in altero vero haud æque antiquo *Lecanius*. Plinius lib. 26. cap. 1. ſcribens de carbunculo morbo peſtifero, ait: *quo duo Conſulares obiere, condentibus hæc nobis, eodem anno, Julius Rufus & Q. Lecanius Baſſus*. Itaque in Lecanii prænomine Plinius, a Tacito diſſentit, vel amanuenſium errore eorumdem diſſenſus factus. Ex iiſdem Plinii verbis Panvinius ſupplet Conſulem, qui collega Capitonis A. V. 820. ſolo cognomine *Rufi* in faſtis legitur, ut fuerit C. *Julius Rufus*, alter vero *L. Fonteius Capito*. Neuter ob deperditam poſteriorem partem lib. 16. Taciti, atque ob Dionis libros ab epitomiſta Xiphilino detonſos, in eiſdem legitur. Utrique tamen prænomen ac familiam Panvinius aſſignavit. Eoſdem arripiens Leunclavius ſcribit in indice libri 63. *L. Fonteius Capito & C. Julius Rufus*. Quæ ſane hic inſero non eo conſilio, ut alios Conſules utriuſque loco reponam, ſed ut intelligas non Dionis, ſed Leunclavii manu ex Panvinii faſtis illuc eoſdem Conſules deportatos. *Atteius Capito* vir conſularis Tiberio imperitante deceſſit, ex Tacito in fine lib. 3. Annalium, eidem lib. 13. memoratur *Coſſutius Capito* vir prætorius ac rector Bithiniæ a Nerone repetundarum damnatus ac poſtea eidem gratiſſimus, ex fine lib. 16. *Oppius Capito* memoratur Plinio lib. 7. cap. 15. *Titinius Capito* laudatur Plinio nepoti lib. 1. epiſt. 17. & in vetuſta Inſcriptione apud Gruterum pag. 61. 4. *Valerium Capitonem* poſt Agrippinæ matris necem ab exilio revocatum a Nerone idem Tacitus ſcribit lib. 14. Hinc cum cognomen *Capitonis* tot familiæ uſurparent, ex illo nude in faſtis ſignato, familiam Fonteiam alteri hujus anni Conſuli aſſignare, fallax ac lubrica conjectura eſt. Scio Fonteium Capitonem Germaniæ proprætorem anno ſequenti a Galba interfectum. At is fuit L. Fonteius Capito, qui ante octo annos conſulatum geſſerat. Illum vero A. V. 820. quo ignotæ familiæ Capito Conſul fuit, Germaniam inferiorem rexiſſe patet ex Tacito, qui ſcribit A. Vitellium A. V. 822. in provinciam advenientem *ſordem & avaritiam* Fonteii Capitonis integre mutaviſſe. Et ſane Fonteius erat proprætor, cum Julius Vindex rebellavit, quando teſte Tacito lib. 1. Hiſt. vulga-

gatum eſt eumdem *cogitatione rerum novarum abſtinuiſſe*, fide erga Neronem ſervata, aut certe diſſimulata, quod utrumque illi exitio fuit. Idem dicit de C. Julio Rufo; hoc enim cognomen pluribus familiis uſurpabatur, nempe Miuciæ, Sulpiciæ, Egnatiæ, Cluviæ, Pomponiæ, Petiliæ, aliiſque; & quamvis ex Plinio colligatur Julius Rufus vir conſularis Nerone imperante, quiſpiam eumdem inter ſuffectos, rejicit. Quod Plinius loco laudato, Lecanii Baſſi ac Julii Rufi conſularium mortem, quæ eodem morbo atque anno contigit, uno eodemque pariter verſu narrat, ipſe etiam de utroque verba conjunxi. Redeo tamen ad ordinem Conſulum.

Anno urbis 818. Chriſti, 65. Conſules in libro 15. Taciti deſignantur: *Ineunt*, inquit, *deinde conſulatum Silius Nerva, & Atticus Veſtinus*. Panvinio iidem integre deſcribuntur: *P. Silius Nerva, & C. Julius Atticus Veſtinus*. Leunclavius utrumque exſcribit, omiſſo tamen in ſecundo Conſule *Veſtinus* nomine, quod tu quoque facis, putans temet Dionis verba reddere, quæ unius erant mutilatæ a Leunclavio Panvinii voces. Lipſius in notis ad laudatum textum Taciti ait: *Ex faſtis & lapidibus Silanus*; ut prior Conſul in Tacito legendus ſit *P. Silanus Nerva*. Equidem Panvinius memorat inſcriptionem, quam ex eodem Gruterus pag. 80. 5. in hæc verba conceptam refert:

SANCTISSIMAE

NEMESI

L. AVINIUS. L. F. SER

VITALIUS

ET. AVINIA. FELICITAS

SUA. PEC. D. D

DEDIC. XV. KAL...

SILIANO. ET. ATTICO. COS

Ex hac inſcriptione, ex Velleio Paterculo, ac ex Phlegonte Tralliano Hadriani Auguſti liberto, prior Conſul mihi deſcribetur. Nam in cap. 23. de Mirabilibus Phlegon ſcribit: *ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Αὔλου Λικινίου Νέρουα Σιλιανοῦ, καὶ Μάρκου Οὐεστίνου Ἀττικοῦ*: *Conſulibus Romæ Aulo Licinnio Nerva Silianano, & Marco Veſtino Attico*. Ubi legendum eſt: *Licinnio*, ſeu ut Latini ſcribebant *Licinio & Silano*, uti recte ſcalptum eſt in recitato epigrammate. Velleio lib. 2. eximie laudatur *Aulus Licinius Nerva Silianus, P. Silii filius*; ex quibus verbis optime, ni mea me fallit opinio, prior ille Conſul exponitur. Aulus Licinius Nerva Publii Silii filium adoptavit, qui poſt adoptionem dictus fuit *A. Licinius Nerva Silanus*. Etenim qui in alienam familiam tranſibant, cognomen gentis in qua nati erant, retinebant, ſed paululum immutatum, cetera adoptantis nomina recipientes. Auctor Vitarum virorum illuſtrium ait: *P. Scipio Æmilianus, Pauli Macedonici filius, a Scipione Africano adoptatus* &c. Ille ante adoptionem dicebatur L. Æmilius Paullus, poſt adoptionem, P. Cornelius Scipio Æmilianus. Auguſtus vocabatur C. Octavius Thurinus; poſt adoptionem dictus eſt C. Julius Cæſar Octavianus. Ita filius P. Silii ab A. Licinio Nerva adoptatus nuncupabatur *A. Licinius Nerva Silianus*; quod poſtremum cognomen diſerte ponitur a Velleio, ac proinde legendum in indice Conſulum Dionis ante librum 55. ubi A. V. 760. erronee dicitur *Silanus*, quod erat cognomentum Juniæ gentis, non autem ex Silia gente adoptati, hoc enim *Silianum* erat, ut in Velleio ac veteri inſcriptione recte legitur. Et ſane cum ex hac inſcriptione certum ſit hunc Conſulem *Silianum* vocatum, idem nequit dici P. Silius, cum Siliani cognomen indicet eumdem ex Silia gente in aliam tranſcriptum. Hujus anni Conſul omnia nomina tulit, quibus ejuſdem avus Conſul A. V. 760. a Velleio ac Dione nuncupatur, ac proinde in Tacito ex laudata inſcriptione *Siliano Nerva* reponendum eſt, non autem *Silano*, uti Lipſius dicebat. Alter Conſul a Phlegonte *Marcus Veſtinus Atticus* appellatur. Panvinius ait in vetuſtis inſcriptionibus, *quæ nunc ad manum non ſunt, C. Julii Attici Veſtini Conſulis mentionem fieri inveni*. Viſne libere loquar? Suſpicor hanc illam eſſe inſcriptionem, ex qua idem Panvinius ſub Imperatore Hadriano, ut poſtea intelliges, Julium Atticum alterum Conſulem perperam efformavit; ibi enim laudat itidem inſcriptionem ſibi lectam, quam tamen præter morem non recitat. Ipſe quidem arbitror hunc Conſulem intelligi poſſe ex oratione, quam Claudius Auguſtus in Senatu habuit de Gallis comatis civitate donandis. Extat Gruteri pag. 502. ubi ait: *Ornatiſſima ecce colonia valentiſſimaque Viennenſium, quæ longo jam tempore Senatores huic Curiæ confert, ex qua colonia inter paucos equeſtris ordinis ornamentum, L. VESTINUM familiariſſime diligo & hodieque in rebus meis detineo, cujus liberi fruantur quæſo primo ſacerdotiorum gradu, poſtmodo cum annis promoturi dignitatis ſuæ incrementa*. Ea ſane promovit Marcus Veſtinus Lucii F. Atticus, qui a Claudio Imperatore ſacerdotio ornatus ab ejuſdem ſucceſſore Nerone conſulatum accepit. Ita patriam ac patrem M. Veſtini Conſulis mihi videor inveniſſe. Ex his autem Conſules hujus anni dicendi ſunt: *A. Licinius Nerva Silianus, & M. Veſtinus Atticus*. Obſervo tamen *Veſtinum* non eſſe cognomen, ſed familiam. Nam Quintiliano libro 6. cap 4. dicitur *M. Veſtinus*, ubi ejuſdem apophtegma recitat. Ita Conſul anni Chriſti 215. L. Vipſtanius, vel Vipſtanus vocabatur, ut inferius oſtendo.

Anno V. 819. Chriſti 66. Conſules ex Tacito libro 16. ſtatuuntur *Cajus Svetonius, Lucius Teleſinus*. In Frontini libro 2. de Aquæd. legimus: *Lucio Teleſino, & Svetonio Paulino Coſſ.* Panvinius ex utroque ſcriptore alterum Conſulem recte C. Svetonium Paulinum nominat; quod vero addit Svetonium Paulinum hujus anni Conſulem laudari a Plinio lib. 5. cap. 1. dicente: *quem Conſulem vidimus*, minus recte ſcribitur. Nam Svetonius Paulinus ibidem laudatur a Plinio ob Mauritaniam ſubactam; quod contigit A. V. 705. ex Dione lib. 60. Idem Svetonius Paulinus a Tacito de Vita Agricolæ laudatur inter Conſulares, qui Britanniam legati proprætores adminiſtrarunt, cujus etiam victoriam de Britannis recitat lib. 14. Ann. anno V. 814. Chriſti 61. & libro 2. Hiſt. ait: *Atque eo duces Othonianos ſpatium ut moras ſuaſiſſe præcipue Paulinum, quod vetuſtiſſimus conſularium, & militia clarus, gloriam nomenque Britannicis expeditionibus meruiſſet*. Itaque Svetonius Paulinus hujus anni Conſul, filius fuit Svetonii Paulini a Plinio laudati ob expeditionem Mauritanam, qui ante legationem Britannicam geſſit conſulatum ſuffectum. Idem vero Panvinius alterum Conſulem Teleſinum in familiam Pontiam tranſcribit, quod abhinc annis 154. Urbis 665. bello ſociali Pontius Teleſinus dux Samnitum recitatur apud Velleium lib. 2. Hinc idem collega Svetonii Paulini *L. Pontius Teleſinus* a Panvinio nuncupatur, quo pariter nomine a Lipſio, Baronio, Petavio, Scaligero in not. Euſeb. Calviſio, ceteriſque chronologis donatur. Hoc tamen vulgare veſtrum erratum corrigendum eſt ex vetuſta inſcriptione huc anno Arimini dicata M. Vettio Valenti.

C. LUC.

by Google

C. LVCCIO. TELESINO

C. SVETONIO. PAULINO COS

Integrum epigramma recitant Clementinus lib. 1. Hiſt. Arimin. pag. 46. ac Gruterus pag. 1102. Rectius tamen apud Clementinum LVCCIO cum duplici CC, ut ex epitaphio mox recitando apparebit. Uti *Appius*, *Sergius*, *Spurius*, apud Romanos non tantum prænomina virorum ſed ſæpe etiam nomina familiarum fuere, uti patet ex cap. 23. indicis Gruteriani Theſauri: ita *Lucius* in gente Romana non modo prænomen, verum etiam nomen fuit ex eodem cap. 23. Sæpe autem cum duplici CC. ſcalptum legitur, quo a prænomine diſtingueretur. Ita Gruteri pag. 431. 9. *C. Luccius Sabinus* (perperam pag. 81. *Lucceius* in hac epiſtola legitur) & pag. 432. 2. *L. Luccius Secundus* & *L. Luccius Hibernus*, ille e Palatina, hic e Terentina tribu laudantur. Scriptores Faſtorum Lucium Teleſinum in libris Taciti ac Frontini legentes, Lucium prænomen putarunt, qua tamen voce Luccia ejuſdem familia deſignabatur, cum ille non Lucii, ſed Caii prænomen ferret. Recte Dio in Nerone ſcribit: *Caio Teleſino, & Suetonio Paulino Conſulibus;* græce Γαΐω Τελεσίνω, quo locupletiſſimo teſtimonio memoratæ inſcriptionis characteres confirmantur, ac Panvinii error refellitur, qui ſcribit L. Teleſinum legi apud Dionem. Præterea Gruteri pag. 1148. 6. recitatur hocce epitaphium in hortis Romanis Julii III. extra portam Flaminiam.

DIIS. MANIBUS

LUCCIAE. C. F

TELESINAE

SACRUM

Feminæ apud Romanos ut plurimum ſolo nomine familiæ, cum paterno cognomine, aliquoties diminutive inflexo appellabantur. Suetonius in Claudio cap. 26. nominat Æmiliam Lepidam, Liviam, Camillam, Plautiam Urgulanillam (M. Plautii Urgulanii elogium extat Gruteri pag. 452. 6.) Æliam Pætinam, Valeriam Meſſallinam, & Lolliam Paulinam. Itaque Lucciæ Teleſinæ pater fuit C. *Luccius Teleſinus* hujus anni Conſul, vel alius ejuſdem gentilis. Philoſtrato lib. 4. laudatur *Teleſinus Conſulum alter*, quo cum habitum hoc anno Romæ ab Apollonio Tyanenſi colloquium recitat. Idem lib. 7. iterum laudat ore Apollonii Teleſinum *qui Neronis temporibus conſulatum geſſit*, cum id temporis ob ejectos ab Imperatore Domitiano ex urbe philoſophos in Campania degeret, *exulare potius eligens tamquam philoſophus, quam veluti conſularis remanere*. Ita Teleſinus philoſophus geſſo abs ſe conſulatui ſub ſeptem Romanis Imperatoribus ſupervixit.

Anno inſequenti Urbis 820. Chriſti 67. Panvinius ponit Neronem COS. V. ſed ſuffectum, quod Suetonius cap. 43. de Nerone poſt eidem nuntiatam Julii Vindicis in Gallia rebellionem, ſcribit: *Conſules ante tempus privavit honore, atque in utriuſque locum ſolus iniit conſulatum quaſi fatale eſſet non poſſe Gallias debellari niſi a Conſule*. At tu parte priori Diſſertat. Hypat. cap. 5. ac in Proleg. num. 17. Panvinium erudite confutans, oſtendis rebellionem Vindicis, ac ſuffectum conſulatum Neronis contigiſſe anno 68. addiſque pag. 39. *Ex quibus tandem omnibus ſequitur Neronem non niſi anno Chriſti 68. e Græcia reducem eſſe, ideoque toto anno ſuperiori Roma, Italiaque abfuiſſe*; unde infers Apoſtolorum principes Petrum & Paulum non fuiſſe anno 67. martyrio coronatos, ut vulgo eruditiores putarunt, ſed anno 65. In primis advertis Suetonium cap. 40. ſcribere de Nerone: *Neapoli de motu Galliarum cognovit die ipſo, quo matrem occiderat*. Illa vero nece fuit una die Quinquatrium, quæ a die 19. Martii ad 23. celebrabantur, teſtibus Tacito libro 14. ac Suetonio in Nerone cap. 34. Tum producto nummo ex Goltzio: NERO CLAUD. CAESAR AUG. GER. P. M. TR. P. XIIII. P. P. ſcribis Neronem die 13. Octobris anni 67. ſumpſiſſe Tribunitiam poteſtatem XIIII. *Quare*, inquis, *eo anno menſe Octobri conſulatum illum quintum nondum inierat*. At *incredibile dicis* Neronem intellecta menſe Martio Vindicis rebellione, poſt menſem Octobrem contra eumdem expeditionem diſtuliſſe, ac conſulatum ſuffectum ſumpſiſſe. Sed ex illo nummo nihil tibi probari poteſt, quod ibidem Nero COS. IIII. non obſignatur. At repones typographum omiſiſſe quartam conſulatum, qui in nummo apud Goltzium legitur. Verum & ipſe Goltzius impoſtor fuit, qui nummos Neronis, Trajani, Hadriani, continuata ſerie annorum Tribunitiæ poteſtatis ſuo ſibi calamo procudit, qui tamen nuſquam ab Antiquariis reperti ſunt. Ceterum recte incredibilia tibi viſa eſt adeo tarda Neronis contra Vindicem expeditio. Hic quædam mihi adnotata recitabo, quæ ad hæc ipſa in notis Baronianis contexendis, alicui forte uſui eſſe poſſint. Nero anno Chriſti 66. exceptum Neapoli Tiridatem, Romam ſecum duxit, ac ſolemni pompa diademate eidem dato, regem Armeniæ deſignavit. Poſtea vero Roma diſcedens, in Græciam navigavit, at in Elide Olympiadem CCXI. ſolitis ludorum ſolemniis celebraret; qui cum peragi debuiſſent anno proximo 65. die 7. Julii, *Nero Elienſes juſſit in adventum ſuum illos differre*, ex Apollonio apud Philoſtratum libro 5. unde Olympias CCXI. ut inquit Pauſanias lib. 10. *Ex omnibus in Elienſium literis prætermiſſa eſt*; quæ & in Euſebii Chronico leguntur. Nero ſcænicas omnes coronas in Olympiis publica canens, obtinuit. Pauſanias lib. 10. cit. putat Xenodamum Olympiade 211. oleaſtro coronatum, quod ea corona illius ſtatua ornabatur. Verum hanc quoque a judicibus Neroni decretam colligo, quod idem Olympionicus poſtea, uti dicam, triumphum Romæ agens, *oleaſtro coronatus*, deſcribitur Dioni. Verum muſicus ac citharœdus Imperator Olympicis victoriis non contentus, *certavit*, inquit Dio, *in omnibus urbibus, in quibus fiebant certamina*, exceptis Athenis ac Lacedæmone. Hinc in triumphi ſcænici pompa præferebantur tituli: *UBI, & quos, quo cantionum, quove fabularum argumento viciſſet*, ex Suetonio cap. 25. Interim dum Nero per Græciæ urbes canendo annum 66. abſumeret, Judæi rebellantes, variis cladibus, die præſertim VIII. Novembris Romanos afflixerunt. Ceſtius Gallus Syriæ legatus poſt hanc poſtremam cladem, nuntios *in Achajam ad Neronem* miſit, ex Joſepho lib. 2. cap. 23. Veſpaſianus id temporis, quod canente Nerone obdormiſceret, vel theatro egrederetur, principis contubernio excluſus, in deviam Græciæ urbem ſeceſſerat; uti tradit Suetonius cap. 4. de Vita illius, *quoad latenti, etiamque extrema metuenti, provincia*, nempe Judæa perdomanda, *cum exercitu oblata eſt*. Inter hæc exiit annus Chriſti 66. Nerone in Græcia hiemante. Jam manet inveſtigandum, num anno ſequenti 67. Romam redierit, uti Baronius, Pauvinius, Petavius, aliique eruditiſſimi viri prodiderunt, quorum tamen ſententiam reprehendis, contendens anno tantum 68. Neronem e Græcia Romam rediiſſe. Vellem quidem, vir doctiſſime, ob amicitiam quæ nos inter eſt maxima, omnes

calcu-

Digitized by Google

calculos tuæ ſententiæ adjicere. Verum bona tua venia, hancce tuam opinionem partim probabo, partim ſuſpenſo judicio, tuo iterum examini in notis Baronianis dimittam. Negas Neronem anno 67. die 29. Junii, qua Apoſtolorum principes vulgo paſſi dicuntur, Romæ fuiſſe. Equidem id abs te recte pronontiatum exiſtimo. Nam anno 67. uſque ad labentem autumnum Neronem perfodiendo Iſthmo Corinthiaco occupatum, in Græcia ſubſtitiſſe uno & altero teſtimonio mihi probatur. Auctor eſt Philoſtratus lib. 4. *cum ludorum Olympiorum tempus inſtaret*, nempe Olympiadis CCX. Apollonium ab Elienſibus ad eos ludos invitatum; qui cum in Iſthmo Corinthiaco ſubſtitiſſet: *Is*, inquit, *terræ vertex ſcindetur forſitan; ego tamen magis credo non ſciſſum iri. Hæc autem*, addit Philoſtratus, *dixit jam prænoſcens ſcindam Iſthmi ſectionem, quam μετὰ ἴτη ὀκτὼ anno poſtea ſeptimo facere cogitavit Nero, qui relicta Regia in Græciam venit.* Cum illa fingatur Apollonius prædixiſſe inſtante Olympiade CCX. quæ acta eſt 23. Julii anno Chriſti 60. annus ab hoc ſeptimus fuit Chriſti 67. quo Nero, teſte Philoſtrato, Iſthmum perfodere tentavit. Baronius ad annum 68. ait: *Nero igitur Imperator hoc ipſo anno Achajam, ut Iſthmum foderet, navigavit. Porro Iſthmi foſſione reddita irrita, idem Nero in Olympiis certans* &c. At ſecus omnes antiqui ſcriptores prodiderunt. Tacitus lib. 15. C. Lecanio, M. Licinio Coſſ. anno Chriſti 64. de Nerone ait: *Non tamen Romæ incipere ſcenas auſus, Neapolim quaſi Græcam urbem delegit. Inde initium fore, ut tranſgreſſus in Achajam, inſignesque & antiquitus ſacras coronas adeptus, majore fama ſtudia civium eliceret.* Itaque dudum peregrinationem Achaicam mente agitaverat, non ut Iſthmum foderet, ſed ut cantu ſacras coronas obtineret. Dio in Nerone: *Porro prætor inſtitutam ſuſcepta peregrinatione in Græciam, Iſthmum Peloponneſi cœpit perfodere.* Philoſtratus etiam lib. 4. ait: *Vicit etiam tragœdos in Olympiis, & tunc de Iſthmo reſcindendo dicitur cogitaſſe.* Igitur poſt peractos ludos Olympicos, de Iſthmo ſecando primum cogitavit. Cum ex Elide, in qua coronas Olympicas retulerat, per Iſthmum Corinthum peteret, ejuſdem foſſionem tentandam deliberavit. Lucianus in Nerone: *Cæterum Iſthmus haud quaquam ex illis erat, de quibus hic diu aut longe cogitaſſet; ſed cum forte naturam loci conſpexiſſet, magnificum hoc opus animo concepit.* Legatur Svetonius cap. 19. Quod vero altiora montium cacumina complananda erant, ad tam immane opus faciendum, *magna*, inquit Dio, *multitudo hominum etiam ex exteris gentibus accerſita eſt*; quas illuc niſi poſt hiemem anni 67. conveniſſe puto. Egregium ad hoc teſtimonium deſumo ex Joſepho, qui libro 3. de Bello Jud. deſcribens geſta Veſpaſiano per æſtatem *anni decimi tertii Imperii Neronis* cap. 13. contra Judæos, narrata cap. 29. Tarichæorum captivitate, *die octavo menſis Gorpiæi*, nempe juxta Romanos, ſub initium Septembris, ait: *Juvenum validiſſimorum ſex millia ad Iſthmum Neroni tranſmiſit.* Itaque exeunte æſtate anni Chriſti 67. Nero perfodiendo Iſthmo occupatus, in Græcis morabatur. Scio Lucianum ſcribere rebellionem Vindicis *revocaſſe ab Iſthmo & Græcia Neronem*. Sed Svetonio fides habenda eſt, qui cap. 40. narrat Neapoli Vindicis motus Neroni denuntiatos. Helius libertus, quem Imperator ſumma cum poteſtate Romæ reliquerat, eumdem per literas in Italiam revocare conatus, hocce reſponſum tulerat: *Suadere, & optare potius debere, ut Nerone dignus reverterer*, ex eodem cap. 23. Hinc Helius moræ adeo longioris impatiens, citiſſima ſeptem dierum navigatione, in Græciam tranſmittens, Neroni novæ in Urbe conjurationis metum injecit; qua credita, *Nero*, inquit Dio, *ſubito in Italiam navigavit*: cumque ſpes eſſet eumdem ὑπὸ χειμῶνος *periturum*, incolumis in Italiam appulit. Xilander vocem χειμῶνος *vi hiemis* interpretatur, Leunclavius vero latine reponit *procellis ſeu maris tempeſtatibus*; illa enim vox cum hiemem, tum etiam maris procellam græce ſignificat. Ut ut accipiatur, cum Romani ſperarent Neronem fluctibus obruendum; ſatis ſit veriſimile eumdem adulto autumno, vel ſub initium hiemis anni 67. cum mare procellis agitari ſolet, in Italiam rediiſſe. Svetonius cap. 25. ait: *Reverſus e Græcia Neapolim, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos hieronicarum eſt. Simili modo Antium inde Albanum, inde Romam. Sed & Romam eo curru, quo Auguſtus olim triumphaverat* &c. Ibi pluribus Olympici triumphi pompam deſcribit, uti etiam Dio. Quo vero ſtudio poſt triumphum, muſicæ arti incubuerit, tradit in eodem ſtatim capite Svetonius: *Ac poſt hæc*, inquiens, *tantum abfuit a remittendo, laxandoque ſtudio, ut conſervandæ vocis gratia, neque milites umquam niſi abſens, aut alio verba pronuntiante, appellaret; neque quidquam ſerio jocove egerit, niſi adſtante phonaſco qui moneret, parceret arteriis.* Idem etiam aſſiduæ poſtea luctæ operam dabat, ſcribente Svetonio cap. 53. *Exiit opinio poſt ſcenicas coronas*, quas mille octingentas & octo Romam reportaverat, *proximo luſtro deſcraturum eum ad Olympia*, nempe CCXII. *inter Athletas. Nam luctabatur ASSIDUE.* Interea Julius Vindex legatus Galliarum a Nerone deſcivit; qua de re Svetonius cap. 40. ait: *Neapoli de motu Galliarum cognovit die ipſo, quo matrem occiderat*, nempe uno die Quinquatrium, ut ſuperius dicebam, quem tu viceſimum primum Martii ſtatuis. Addit Svetonius eumdem conatum *per octo continuos dies* rebellionis famam ſilentio comprimere. Ita exiit Martius anni 68. *Edictis tandem Vindicis contumelioſis & frequentibus permotus, Senatum in ultionem ſui, Reique publicæ adhortatus eſt, excuſato languore faucium propter quem non adeſſet.* Vox illa *frequentibus* aliquam Aprilis partem ſecum trahit. Denique: *Sed urgentibus*, inquit, *aliis ſuper alios nuntiis, Romam PRÆTREPIDUS rediit. Ac ne tunc quidem aut Senatu, aut populo coram appellato quoſdam e primoribus viris domum evocavit, tranſactaque raptim conſultatione* &c. Audiſne cum hoc anno menſe Aprili Nero Romam *prætrepidus* redit, *qualis erat, quantum mutatus ab illo* Nerone, qui e Græcia primum redux Neapoli triumphali pompa iter per disjecta Antii, Albani, atque Urbis mœnia faciens, *ſequentibus currum ovantium ritu plauſoribus, per Velabrum Forumque, Palatium & Apollinem petiit?* Nero e Græcia reverſus bis Romam veniens, Svetonio deſcribitur. Primo quidem triumphans, & iterum *prætrepidus*. Quid poſt priorem reditum egerit ex eodem intelleximus; quid poſt alterum reditum fecerit, idem narrat cap. 41. Tu vero utrumque reditum adeo diverſum, in unum confundis in Proleg. num. 18. & pag. 38. Diſſert. hypaticæ. Itaque recte ſcribis in Prolegomenis *falſam eſſe communem ſententiam, qua SS. Apoſtolos Petrum & Paulum anno Chriſti 67. die 29. Junii, a Nerone morti traditos doceo; tunc enim is adhuc in Græcia erat.* At falſum quod ſtatim addis: *E qua non niſi anno ſequenti reverſus eſt, idque menſe Martio.* Nam menſe Martio A. 68. erat Neapoli, non quidem tunc e Græcia, ſed Roma reverſus. Nero enim, ex quo anno 64. ſcenis operam daturus, *Neapolim quaſi Græcam urbem delegit*, eamdem ſingulis annis frequentabat. Anno 65. filia L. Veteris ex Tacito lib. 16. *Neapolim pergit; & quia Neronis aditu prohibebatur* &c. Anno 66. ex Dione

ut Nero Neapoli Tiridatem exceptum, Romam ſecum duxit. Anno 67. ille Græcia redux Neapolim appulit. Denique anno 68. Neapoli, exeunte Martio degebat, teſte laudato Svetonio; ubi Vindicis rebellione intellecta, menſe Aprili *Romam præcipitus rediit*. Expeditionem vero contra Vindicem parans, *Conſules ante tempus privavit honore, atque in utriuſque locum ſolus iniit conſulatum*. Hinc recte arguis Panvinium, qui anno ſuperiori 67. hunc ſuffectum conſulatum V. Neronis recenſet. Equidem poteras uti locupletiſſimo Plinii teſtimonio in panegyri dicentis: *Fuit etiam qui in principatus ſui fine conſulatum quem dederat, ipſe magna ex parte jam geſtum, extorqueret & raperet*. Recte in *principatus ſui fine*; quia Nero altero menſe rapti conſulatus interiit. Baronio Conſules magiſtratu privati dicuntur C. Silvius Italicus, & Galerius Trachalus Turpilianus, qui Conſules annum 68. aperuerant. De Nerone autem ſcribit Svetonius cap. 15. *Conſulatum in ſenos plerumque menſes dedit*. Cæterum illud alterum Turpiliani cognomen a Panvinio perperam additum eſt quod in Chronico Caſſiodori legerat: *Italicus & Turpilianus*; eſt enim illud Chronicon mendoſiſſimum. Tacitus in fine lib. 1. Hiſt. *Galerio Trachali* ingenium laudat, quem maximum etiam oratorem deſcribit Quintilianus lib. 10. Gruteri pag. 300. cum Silio Italico Conſule ... ALERIO THRACHALO. P. R. C. AN. DCCCXXI. legitur. Itaque cognomen *Turpiliani*, quod erat gentis Petroniæ, falſo Galerio Thrachalo ſuperadditur. Idem Baronius putat apud Martialem lib. 8. epigram. 66. laudari tertium conſulatum ſuffectum Silii Italici ſub Domitiano. At poeta ibidem loquitur de filio Silii natu grandiori, quem Domitianus conſulem ſuffectum creaverat, optatque minorem etiam filium Conſulem deſignandum. Plinius lib. 3. epiſt. 7. Silio epitaphium recitans, ait: *Minorem e liberis duobus amiſit, ſed majorem melioremque florentem, atque jam etiam conſularem reliquit*. Hujus conſulatum Martialis laudat.

A. V. 821. Chriſti 68. Nerone die 9. Junii ſua ſe manu interficiente, Galba, qui jam in Hiſpaniis imperium invaſerat, Imperator a Senatu dictus eſt. Anno inſequenti *Servius Sulpicius Galba Auguſtus II. ac T. Vinius Rufinus* annum in faſtis ſignarunt. Petavius eos Conſules ita deſignat: *C. Sulpicius Galba, T. Virinius Criſpinianus*. Tu vero ſcribis: *Sergius Sulpicius Galba Aug. II. & T. Vinius*. Erratum in prænomine Galbæ; non enim *Cajus*, aut *Sergius* ſed *Servius* dicebatur, ut in priori ejuſdem conſulatu A. V. 786. præmonſtratum eſt. Porro collega Galbæ non uno modo apud ſcriptores invenitur. Panvinio in tabulis faſtorum vocatur T. *Junius Criſpinus*; anonymo apud Cuſpinianum *T. Junius*; in faſtis græcis ac Idacianis T. *Rufinus*; in prioribus editionibus Taciti, ac Plutarchi *T. Junius*. Ejus tamen nomen, ſeu familia ex inſcriptione effoſſa, cum idem Panvinius eruditiſſimos faſtorum commentarios elucubraret, innotuit. Hæc in eadem legebantur:

SER. GALBA. II. T. VINIO. COS.

Integrum epigramma recitat Gruterus pag. 189. 4. Quare ibidem Panvinius T. Vinium Criſpinum appellandum tradit, quo eum nomine ſcribit nuncupatum ab anonymo Cuſpiniani. At hoc falſum eſſe apparet ex ejuſdem Cuſpiniani commentariis, ubi ſemel, & iterum hunc Conſulem *T. Junium* vocari teſtatur ab ignoto auctore. Plutarchus in Galba ait Othonem, collega Ovinio deſignatum fuiſſe Conſulem; ubi pro *Vinio* in græcis exemplaribus legitur *Ovinius*. At M. Otho anno ſuperiori geſſerat conſulatum ſuffectum, ut ex ejuſdem nummis Panvinius oſtendit; nec Vinius habuit Collegam Othonem, ſed Galbam Auguſtum. Jam de T. Vinii cognomine agendum. In faſtis græcis T. *Rufinus* appellatur; at Panvinius ait nuſquam hoc cognomine T. Vinium nuncupatum. Hinc ſcribit dicendum *potius* Criſpinum; *filiam enim Criſpinam habuiſſe a Tacito ſcribitur, quæ nomen ex patris cognomine, ut tum conſuetudo erat, traxit*. Habes auctorem cognominis *Criſpini* T. Vinio adtributi. Id autem adeo Leunclavio placuit, ut omiſſo nomine, in conſulatu præfixo lib. 64. Dionis ſcripſerit: *Galba Caſ. Aug. II. & T. Criſpinus*. Hoſce Conſules Dionis manu deſcriptos arbitrabaris; ſed eorumdem auctorem jam tibi monſtravi, ac toto hoc opere oſtendam. Verum plerique illud cognomen exile nimis judicarunt, ac proinde illud ipſum auxere magno, ut ait Ovidius, ore ſonandum, nempe *Criſpinianum* ſcribentes. Ita Calviſius, Petavius, Bucherius, Ricciolius, aliique exſcriptores, quibus hic Conſul dicitur *T. Vinius Criſpinianus*, qui antea erat *Criſpinus* nomenclatore Panvinio; Ceterum ratio cognominis a nomine filiæ deducta, dubia plane & incerta eſt, ac perperam ejus ætatis conſuetudinem Panvinius appellat. Non ibo inficias, mulieres quandoque patrum cognomina retinuiſſe. Lollia Paullina uxor Caligulæ, filia fuit M. Lollii Paullini; Poppæa Sabina materni avi Poppæi Sabini nomen ac cognomen tulit ex Tacito lib. 13. At plerumque cognomen majorum diminutive inflexum ferebant. Ita Druſilla ab avo Druſo: Plautia Urgulanilla uxor Claudii Auguſti a M. Plautio Urgulanio, cujus elogium recitatur Gruteri pag. 452. 6. Meſſallina altera ejuſdem Claudii uxor a patre Valerio Meſſalla Barbato cognomina ſumpſere. Hinc T. Vinius a filia Criſpina *Criſpus*, non *Criſpinus* dicendus eſſet. Plerumque etiam cognomina, ſeu nomina habuere, quibus nihil cum cognomine Patrum commune erat. Domitia Calvilla filia fuit Calviſii Tulli bis Conſulis, ex Capitolino cap. 1. de Vita M. Aurelii; Julia Fadilla nata erat ex Julio Lupo, ex eodem cap. 1. de Vita Antonii Pii. Criſpina Imperatoris Commodi uxor filia erat Bruttii Præſentis. Et ſane ex nomine Criſpinæ ridicule quis patrem Bruttium Criſpinum nuncuparet. Hæc innumeris exemplis patent in vetuſtis inſcriptionibus magni Theſauri a pag. 668. ad pag. 748. Hinc fit, ut nulla ſit conſuetudo a Panvinio conficta ne incertum fundamentum, cui *Criſpini* cognomen innititur. At *Criſpinianus* cognomen nuper ſine teſte concinnatum, riſu potius excipiendum, quam vel uno verbo confutandum videtur. Longe probabilius hic Conſul eruditiſſimo Baronio nuncupatur *T. Vinius Rufinus*, quod hoc cognomine ſcribitur in faſtis græcis; quibus addere poſſumus omnium optimos Idacianos, quos evulgavit Philippus Labbeus; ibi enim legitur: *Galba II. & T. Rufino*. Hic annus quatuor Imperatores habuit: Galbam qui M. Salvii Othonis inſidiis die 15. Januarii interemptus eſt: Othonem, qui pugna Bedriacenſi victus, ſemet tertium imperii menſem emenſus interfecit: Veſpaſianum, qui Kal. Julii Imperator ab exercitu ſalutatus fuit: ac denique Vitellium, qui exeunte anno necatus, principatum uni Veſpaſiano reliquit. Hic imperavit annos decem, quorum octo, Tito filio ſepties collega, ſuis conſulatibus in faſtis ſignavit, teſte Svetonio in Veſpaſiano cap. 8. & cap. 6. de Vita Titi. Porro eoſdem conſulatus in Caſſiodoro aliiſque turbatos ac confuſos Panvinius, anonymo apud Cuſpinianum lampadem præferente, omnium primus accuratiſſime digeſſit, ac nummorum lapidumque inſcriptionibus ſolidiſſime confirmavit. Anno tamen V.

C.

Digitized by Google

C. 831. Chriſtianæ vulgaris epochæ 78. *Commodus ac Priſcus* privati Conſules in faſtis leguntur, qui Panvinio dicuntur *L. Ceionius Commodus*, & *C. Cornelius Priſcus*, Conſulares aliorum tabulas non moror, ſed deinceps indiculos tantum Conſulum libris Dionis præfixos appellabo, quos ex Panvinianis faſtis exſcriptos oſtendam. Itaque Leunclavius in indice libri 66. Dionis idem collegium ita deſcribit: *L. Commodus Verus*, & *C. Cornelius Priſcus*. Secundum Conſulem ex Panvinio deſumpſit, In priori omittit familiam Ceioniam Panvinio optime poſitam; addit de ſuo alterum cognomen *Veri*, & quidem perperam, Nam L. Ceionius *Commodi* tantum cognomen tulit, ut ex vetuſtis inſcriptionibus colligo, Leunclavius quod legit L. Ceionium Commodum ab Imperatore Hadriano adoptatum, *Veri* cognomen tuliſſe, idem cognomen ejuſdem avo hujus anni Conſuli attribuit. At certum eſt, L. Cejonium Commodum antequam ab Hadriano adoptaretur, cognomen *Veri* non tuliſſe. Cum idem anno V. 889. Chriſti 136. conſulatum iniſſet, in tribus inſcriptionibus Gruteri pag. 90.150. & 874. dicitur L. CEIONIUS COMMODUS, nuſquam altero *Veri* cognomine addito. Error Spartiani cap. 2. de Vita Ælii Cæſaris, ubi eumdem Ælium Verum appellat, corrigendus eſt ex Capitolino, qui de ejuſdem Ælii Cæſaris filio ac Imperatore L. Vero cap. 2. ait: *Igitur L. Ceionius Ælius Commodus Verus Antoninus, qui ex Hadriani voluntate Ælius appellatus eſt, ex Antonini conjunctione Verus & Antoninus*. Itaque cognomen *Veri* tum primum L. Ceionio datum eſt poſt mortem Ælii Cæſaris, cui hactenus auctore Spartiano Veri cognomen paſſim detulerunt. Ipſe etiam Capitolinus non ſibi conſtat; nam & Ælium Cæſarem Verum nuncupat, & poſtea cap. 7. de Vita M. Aurelii ait: *Et quaſi pater L. Commodi eſſet, Verum eum appellavit, addito Antonini nomine*. Et in Vero cap. 3. de eodem M. Aurelio ſcribit illum imperium cum L. Commodo communicaſſe, additque: *Verum vocari præcepit, ſuum in eum transferens nomen, quum ante Commodus vocaretur*. Hæc plane vera ſententia. Nam Aurelius Antoninus Pius adoptatus ab Ælio Hadriano, in familiam Æliam tranſiit, qui juſſus L. Ceionium Commodum ac M. Annium Verum ſibi adoptare, hic M. Ælius Aurelius Verus, ille vero L. Ælius Aurelius Commodus dictus fuit. Hoc egregie confirmant duæ inſcriptiones quas inferius producam, ubi de Conſulibus, imperante Antonino Pio, verba faciam. At ubi M. Aurelius L. Ceionium Commodum in imperii conſortium admiſit, eumdem nuncupavit *Verum*, quod Anniæ familiæ cognomen erat, non Æliæ Hadriani neque Aureliæ Antonini Pii. Itaque nullus Ceioniorum ante L. Verum Auguſtum, *Veri* cognomen tulit. Hæſit ad hoc cognomen Caſaubonus in notis ad cap. 7. vitæ M. Aurelii, ſcribens: *Video, nec video qui recte iſta capiam*. Salmaſius plura quidem adnotavit, ſed nec ipſe rem aſſecutus. Fons & origo vulgaris erroris, quod L. Aurelius Auguſtus Marci Aurelii Auguſti collega, *Veri* cognomen habuit, quo etiam ſolo pleromque in nummis obſignatur; hinc idem cognomen L. Ælio Cæſari ejuſdem patri vulgo datum; quod tamen neque in nummis, aut lapidibus eidem attributum legitur, in quibus ante adoptionem L. Ceionius Commodus, poſt adoptionem L. Ælius Cæſar tantum inſcribitur. Extat inſcriptio Gruteri pag. 150. quæ hoc collegio Conſulum obſignatur: L. *Ceionio Commodo, Sex. Vetuleno Civica Pompejano Coſſ.* Et pag. 874. 5. legitur: *Ceionio Commodo, & Civica Pompejano Coſſ.* in quibus inſcriptionibus collega L. Ceionii duplici cognomine effertur, ille vero unico tantum *Commodi* exprimitur. Interim corrigendus tibi eſt titulus hujus poſterioris inſcriptionis, quem pag. 27. ita deſcripſiſti ex Kirchmanno: *Ælius Cæſar duobus lib. Sannari Quintiliano ſalutem*; ubi notas eam eſſe *Ælii Cæſaris epiſtolam*. Non eſt, Amice, Ælii Cæſaris, ſed liberti cujuſdam reſcriptum, cujus titulus recte ex Smetio habetur apud Gruterum pagina laudata, 874. 5. C. JULIUS CAEDUS LIB. SEMIARIS QUINTIANUS SALUTEM. Vides quam erronee huncce titulum ille recimvit, ut poſtremam tantum vocem recte poſuerit? Hactenus de cognomine *Veri* L. Ceionio Commodo Conſuli A. V. 831. a Leonclavio perperam ſupperaddito, quod Ceioniorum primus L. Verus Auguſtus ejuſdem pronepos, accepit a M. Aurelio, ut in eo ſuæ ipſius familiæ Anniæ cognomen renovaret, illud in collegam transferendo, quod ipſe tum privatus, tum Cæſar ad mortem uſque Antonini Pii tulerat, nec poſtea Auguſtus uſurpavit. Ceterum alter Conſul *C. Cornelius Priſcus* fictitius eſt; ſiquidem e vetuſta inſcriptione fratrum Arvalium, quæ Romæ in villa Sabellorum, vulgo Montalto, legitur, verus L. Commodi collega innoteſcit. Hæc initio ejuſdem leguntur:

L. CEIONIO. COMMODO

D. NOVIO. PRISCO

IIII. NON. JAN

Integram inſcriptionem leges apud Jacobum Sponium veterum monumentorum diligentiſſimum collectorem, ſect. 1. Miſcellan. art. 2. In illa vero tabula recitantur vota nuncupata de more tertio Nonas Januarias pro ſalute *Imp. Veſpaſiani Cæſaris Aug. Trib. Pot.* COS. VIII. & *T. Cæſaris Aug. F. Veſpaſiani* COS. VI. Anno ſuperiori V. C. 830. Veſpaſianus Aug. VIII. Titus Cæſar VI. Conſules fuerant. Es quidem Sponius putabas Cornelium Priſcum fuiſſe Conſulem ordinarium, Novium vero Priſcum ſuffectum, aut erratum eſſe in faſtis Capitolinis. At D. Novius Priſcus fuit Conſul ordinarius, cum ineunte anno magiſtratum inierit; nec erratum eſt in faſtis Capitolinis, ſed in faſtis Panvinianis. Addit, hujus D. Novii Priſci mentionem fieri in Gruteriana inſcriptione pag. 104. 6, Verum ille Novius Priſcus non eſt vir conſularis, ſed quidam de plebe inter collegas curatores Tribus Succuſanæ numeratus. Tacitus in fine libri 15. Annal. meminit *Novii Priſci* a Nerone ob cultam eidem cum Seneca amicitiam in exilium miſſi, quem uxor Antonia Padilla comitata eſt. Hic poſt exceſſum Neronis, Romam regreſſus, ſatis probabiliter hujus anni Conſul videri poſſit.

Anno V. 832. Chriſti 79. die 24. Junii ſenex Veſpaſianus vita defunctus, Titum Cæſarem Imperii hæredem reliquit, quem antea in Tribunicia poteſtate ac cenſura collegam habuerat. Duo tantum collegia Conſulum imperitante Tito, annum aperuere. Anno altero eodemque poſtremo imperii ejuſdem V. C. 834. Chriſti 81. ſignantur in faſtis Conſules *Silvanus*, & *Pollio*. Panvinius, quod M. Plautius Silvanus collega legitur Auguſti Conſulis XIII. itemque in veteri Inſcriptione Tiberius Plautius Silvanus, imperante Veſpaſiano, Conſul II. ac præfectus Urbis dicitur, ex eadem familia hujus anni Conſulem appellavit *M. Plautium Silvanum*; collegam vero dixit *M. Annium Pollionem*. Utrumque mutuatus a Panvinio Leunclavius ſcribit in indice ante lib. 66. Dionis: *M. Plautius*, & *M. Annius Pollio*. At hucuſque erratum in faſtis. Extat Gruteri pag. 2040. 2. Inſcriptio Aræ a T. Canulejo dicatæ:

Apparatus in Baronium X KAL.

KAL. NOVEMBRIS

SEX. ANNIO. SILVANO

ET. T. ANNIO. VERO. POL

LIONE. COS

Uterque Conſul fuit e gente Annia; utriuſque prænomen falſo in faſtis deſcriptum, ac prioris etiam Conſulis familia Plautia. Hoc anno Titus Imperator Orbi Romano oſtenſus potius, quam datus Imperator, Idibus Septembris, in eadem qua pater, villa deceſſit, ſucceſſore Domitiano fratre, quo imperante quindecim paria Conſulum totidem annos principatus ejuſdem in faſtis ſignarunt. Hic oro te, vir doctiſſime & amiciſſime, atque obſecro, ut meam mihi cauſam bona cum venia apud te judicem paucis liceat defendere; ſiquidem ex Dionis faſtis mihi dicam dicis, quod ſuffectos Domitiani conſulatus cum ordinariis ſemper connumeratos aſſerui. Ipſa hic tua verba ex pag. 64. recito. *Sed*, inquis, *vir doctiſſimus* (hunc tibi quem unice mereris, titulum habeto) *non obſervavit non ſolum apud Dionem, quo nullus ex antiquis in Conſulibus recenſendis exactior, eorum omnium mentionem non haberi, ſed neque etiam in aliquibus Domitiani nummis eoſdem memorari*. Et ſtatim ſequenti pag. 65. uncialibus, ut quidam dixit, characteribus poſito titulo: SERIES CONSULATUUM DOMITIANI EX DIONE, eamdem recitas:

Titus Aug. VIII. Domitianus Cæſar III.

M. Plautius, M. Annius Pollio,

Domitianus Aug. IV. T. Flavius Sabinus.

Domitianus Aug. V. Eutropius Rufus II.

Domitianus Aug. VI. Junius Sabinus, &c.

Profecto ſi hanc ſeriem conſulatuum Dio deſcripſiſſet, nemo Dione pejus faſtos digeſſiſſet, cum inter hæc tantum quinque collegia Conſulum, tria ſint plane ſpuria ac fictitia, & ante Panvinium faſtis ignorata. Jam ſecundum collegium falſis characteribus deſignatum obſervaſti, pro Sexto Annio, Marco Plautio in faſtos relato. Proxime videbis pro Eutropio Rufo *Q. Petilium Rufum* in ſcriptis ac ſcalptis antiquitus monumentis obſignatum; denique non Junium Sabinum, ſed *Oppium Sabinum* in faſtis reponendum intelliges. Leunclavius hic tibi belliſſime impoſuit. Nam ubi hactenus mei Panvinii faſtos exſcripſerat, in Domitiani conſulatibus recitandis, manum de Panvinii tabulis tollens, ordinarios tantum illius principis conſulatus numeravit; id tamen peccans, quod priorem conſulatum ſuffectum una cum duodecim ordinariis computavit, cum vel omnes ſuffecti recenſendi fuiſſent, vel omnes nullo excepto, omittendi. Nec tu quidem recte calculos ponis, cum pag. 64. ſcribis: *In qua ſerie eidem Imperatori conſulatus tantum XIII. tribuuntur, & ex ſuffectis duo recenſentur, quatuor omittuntur*. Erras. In illa ſerie duodecim ordinarii Domitiano conſulatus tribuuntur, & ex ſuffectis unus recenſetur, quatuor omittuntur. Dixi te erraſſe? Corrigo memet errantem, cum olim ſcripſi Domitianum *ſexies* conſulatum geſſiſſe; ſcribendum erat *quinquies*, ut proinde unus ego erroris tui auctor venio, qui, ut ingenue fatear, illum numerum ex Riccioli faſtis exſcripſi. In veteribus lapidum Inſcriptionibus ſuffecti Domitiani conſulatus una ſimul cum ordinariis ſemper connumerantur. Leges illas in magno Theſauro pag. 5. 68. 244. 300. 574. 575. Smyrnenſem nondum editam, proxime exhibeo. Nec ſecus in nummis eoſdem conſulatus ſcalptos vidi. Illum vero Scaligero recitatum, in quo Domitianus dicitur *Auguſtus P. M. Coſ. VI.* perperam exſcripſerunt; in illo enim dubio procul ſcalptum fuerat COS. VII. detrita tamen injuria temporum, ſeu alio caſu poſtrema nota numerali, quæ Scaligero tibique ſupplenda erat ex innumeris, quos vidi, ejuſdem nummis, in quibus dicitur COS. VII. & in poſtica: PRINCEPS JUVENTUTIS. Ne quid tamen diſſimulem, dabo unum & alterum teſtem, qui Domitiano imperante, vixere, quorum teſtimonio mecum poteras ſolidius diſputare, quam ex ficta Leunclavio & Dioni abs te afficta ſerie conſulatuum Domitiani. Prior eſt Svetonius qui cap. 3. de Domitiano ſcribit: *Deinde uxorem Domitiam, ex qua in ſecundo ſuo conſulatu filium tulerat, alteroque anno conſalutaverat ut Auguſtam* &c. Cum Domitianus niſi Auguſtus uxorem itidem Auguſtam dixerit, patet Svetonium ſecundum Domitiani conſulatum accepiſſe pro altero, quem ordinarium Imperator geſſit. Alter vero eſt Statius, qui in carmine de XVII. conſulatu Domitiani ait:

> .... *ſubiere novi palatia faſces;*
> *Et requiem bis ſextus honos, precibuſque receptis,*
> *Curia Cæſareum gaudet viciſſe pudorem.*

Ita bis ſextum honorem faſcium, nempe duodecimum conſulatum ordinarium Domitiano delatum laudat; qui tamen quinque ſuffectis adnumeratis, erat decimus ſeptimus. Ceterum annus, quo Domitianus primum conſulatum ſuffectum geſſit, in Panvinii & aliorum faſtis, quos ipſe pag. 103. ſequeris, corrigendus eſt. Ille enim non fuit Conſul ſuffectus anno vulgaris epochæ 70. quo Veſpaſianus Aug. II. ac Titus ordinarii Conſules in faſtis ſignantur, ſed anno ſequenti 71. Tacitus lib. 4. Hiſt. de Veſpaſiano ſcribit: *Ipſi conſulatus cum Tito filio, prætura Domitiano & conſulare imperium decernuntur*. Hoc S. C. factum eſt poſt necem Vitellii, exeunte anno 69. Itaque anno 70. Veſpaſianus II. collega Tito Conſul fuit; Domitianus vero prætor. Extat Veſpaſiani nummus Bononiæ apud P. Minium cum epigraphe in poſtica: CAESAR AUG. F. COS. CAESAR AUG. F. PR. Vides hic Titum Cæſarem *Conſulem*; Domitianum autem *prætorem*. Julius Frontinus ante Domitianum prætor deſignatus, quod Conſules aberant, Kalendis Januariis Senatum coegit. Addit Tacitus loco laudato: *Et mox, ejurante Frontino, Cæſar Domitianus præturam cepit*. Idem confirmat Svetonius cap. 1. in Domitiano. In theſauro Gruteriano pag. 573. 2. legitur decretum, quo quidam veterani civitate donantur ab Imperatore Veſpaſiano TR. POT. II. COS. III. DES. IIII. nempe anno Chriſti 71. idem vero decretum dicitur ſcriptum NON. APRIL. CAESARE. AUG. F. DOMITIANO. CN. PEDIO. CASTO. COS. Itaque anno 71. Domitianus in locum Veſpaſiani Auguſti ſuffectus, gerebat menſe Aprili conſulatum. Panvinius putavit eumdem Kal. Juliis conſulatum iniiſſe. In magno theſauro numiſmatum Mediceo tres nummos primæ magnitudinis in antica parte inſcriptos vidi: IMP. CAES. VESPASIAN. AUG. P. M. TR. P. COS. III. & in poſtica: IMP. AUG. F. COS. DES. IT. CAES. AUG. F. DES. S. C. Hi nummi percuſſi ſunt anno 71. ante Martium, cum id temporis Titus *Imperator Auguſti filius Conſul deſignatus iterum* eſſet in annum ſequentem 72. & Domitianus *Cæſar Auguſti filius deſignatus* eſſet Con-

ſul

Digitized by Google

ſul ad proximas Kal. Martias. Itaque annus quo Domitianus primum conſulatum geſſit ex lapidis ac nummorum inſcriptionibus evidenter demonſtratur.

Anno V. 836. Chriſti Domini 83. leguntur in faſtis Conſules *Domitianus IX. & Rufus*. Panvinio hic collega Domitiani dicitur *T. Virginius Rufus II.* qui anno 69. poſt necem Galbæ ab Imperatore Othone deſignatus fuit Conſul ſuffectus a Kal. Maii, ad Kal. Julias, ex Tacito lib. 1. Hiſtor. En tibi Leunclavium totum hunc collegam Domitiani ex tabulis Panvinii in indicem conſularem lib. 67. Dionis deportantem; ibi enim ait: *T. Virginius Rufus II.* Tu quidem in ſerie conſulatuum Domitiani, huic ipſi Conſuli collegam addis *Eutropium Rufum II.* Ubinam, quæſo te, huncce Eutropium Rufum Conſulem inveniſti? Scito tamen neque Virginium Rufum, neque tuum illum Eutropium Rufum, ſed Q. Petilium Rufum fuiſſe verum ac legitimum collegam Domitiani Conſulis IX. Phlegon Imperatoris Hadriani libertus, & inſignis chronologus cap. 24. de Mirabilibus ſcribit mulierem Tridenti peperiſſe angues globi inſtar involutos: *ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Δομετιανοῦ Καίσαρος τὸ ἔνατον, καὶ Πετιλίου Ῥούφου τὸ δεύτερον*: *Conſulibus Romæ Domitiano Cæſare IX. & Petilio Rufo II.* Hoc ipſum collegium Conſulum prodit inſignis inſcriptio lapidis ſub monte Sipylo prope Smyrnam anno 1679. effoſſi; illius exemplar Daniel Coſſonus latinis græciſque literis apprime eruditus, miſit ad Antonium Magliabechium, ut eruditiſſimi ac ubique non barbararum gentium laudatiſſimi viri bibliotheca, collectis non ex Europa tantum voluminibus, verum etiam ex ipſa Aſia præclaro monumento accepto, diteſceret. Eſt prolixum ſatis epigramma, cujus hic tibi fragmentum recito.

ΣΟΤΑΠΙΚΙΟΣ. ΦΙΡΜΟΣ

ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ. ΑΡΤΕΜΑΣ. ΠΑΤΡΟΜΥΣΤΙΣ

ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ. ΕΥΔΗΝΟΣ. ΠΑΤΡΟΜΥΣΤΙΣ

ΤΡΟΦΙΜΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ

ΤΥΡΑΝΝΟΣ. ΠΑΠΙΟΥ. ΤΟΥ. ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ. ΚΑΙΣΑΡΙ.......

...ΣΕΒΑΣΤΩ ΤΟ. Θ. ΚΟΙΝΤΩ

ΠΕΤΤΙΛΙΩΡΟΥΦΩ. ΤΟ. Β. ΥΠΑΤΟΙΣ

ΕΠΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΚΟΣΚΩΝΙΑΣ

ΜΥΡΤΟΥ. ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣ.ΛΟ.ΚΑΙ

ΚΙΛΙΟΣ ΦΡΟΝΤΩΝ.-ΝΕ-ΞΥΣΤΑΡΧΗΣ

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ. ΚΙΚΙΝΟΣ-ΝΕ.

Vides hic decreto Senatus eraſum poſt ejuſdem necem nomen Domitiani *Imperatoris Cæſaris Auguſti IX.* Conſulis, cujus collega dicitur *Quintus Pettilius Rufus II.* quo quidem charactere Phlegontis teſtimonium, immo faſti ipſi mirifice illuſtrantur. Legi in inſcriptionibus Reineſii nuper publicatis, pag. 221. quoddam epigramma a Pyrrho Ligorio exſcriptum, quod dicitur dicatum T. FL. DOMITIAN. AUG. IX. T. VIRGINIO. RUFO. COS. At norunt eruditi Ligorium latini ſermonis ignarum, uti ejuſdem æqualis Antonius Auguſtinus in Dialogis teſtatur, laborioſiſſimum quidem, ſed plerumque fallacem ſcriptorem fuiſſe. Hinc non ſemel vapulat a Spanhemio, Schefferu, aliiſque viris eruditiſſimis, quibus fucum facere non potuit. Illi autem inſcriptioni addidit Conſules; quod non ſemel ab eo peccatum. Immo in illa ipſa pag. 221. ex eodem Ligorio recitatur inſcriptio poſita Kal. Aprilis IMP. VESPASIANO. III. & T. CÆSARE. COS. cum tamen certum ſit, Veſpaſianum ſecundum conſulatum Tito Cæſare collega geſſiſſe ex nummis ac Tacito ſcribente lib. 4. Hiſt. *Interea Veſpaſianus iterum, ac Titus conſulatum abſentes inierunt.* Idem vero Veſpaſianus anno ſequenti V. C. 824. tertium conſulatum non cum Tito, ſed cum Cocceio Nerva adminiſtravit. Extat vetus inſcriptio Gruteri pag. 300. Idem Ligorius apud Gruterum pag. 314. 3. fingit in lapide hunc conſulatum IMP. CÆS. FLAVIO. DOMITIANO. VIII. ET. C. VALERIO. MESSALINO. COS. Quod collegium verum quidem eſt, ſed in Domitiano fingitur titulus Imperatoris ac nota conſulatus VIII. cum Conſul II. collegam habuerit M. Valerium Meſſalinum. Idem vero Imperator ac COS. VIII. collegam habuit T. Flavium Sabinum, ex veteri inſcriptione pag. 68. 5. Et ſane Verginius Rufus non *Titi*, ſed *Lucii* prænomen tulit; unde plurium errorum convincitur fictus ille Ligorio conſulatus. Aliam ſimilem ejuſdem fraudem ad A. V. 900. notabo.

Anno V. 837. Chriſti 84. ſignantur in faſtis Conſules *Domitianus Aug. X. & Sabinus*. Panvinio collega Domitiani dicitur fuiſſe *Appius Junius Sabinus*, quem Svetonius in Domitiano vocat virum conſularem, bello Dacico interfectum. Hunc quoque Leunclavius arripiens inſerit indici lib. 67. Dionis ſcribens: *Ap. Junius Sabinus*. At memoria Panvinium defecit. Nam Svetonius cap. 6. ſcribit, Domitianum duas contra Dacos expeditiones ſuſcepiſſe: *Primam Oppio Sabino Conſulari oppreſſo*. Panvinius pro Oppia familia, Appium prænomen ſibi fingens, eumdem in Juniam familiam perperam tranſcripſit. Gruteri pag. 446. 4. laudatur Hadriano imperante C. OPPIUS SABINUS idemque COS, ſed ſuffectus, qui hujus Oppii Sabini a Dacis interfecti filius videri poſſit. Hinc ſatis probabiliter *C. Oppius Sabinus* Domitiano Coſ. X. collega dari poteſt.

Anno V. 845. Chriſti 92. Conſules in faſtis dicuntur *Domitianus Aug. XVI. & Saturninus*. Panvinius cum alterum Saturninum ante quintum annum, collegam Domitiani Coſ. XIII. Aulum Voluſium nuncupaſſet, eumdem iterum hoc anno Conſulem ſtatuit. Illum ipſum integre exſcribit Leunclavius, cui dicitur: *A. Voluſius Sa-*

geminus II. Errant in prænomine, ac iterato conſulatu. Gruteri pag. 300. legitur in veteri inſcriptione Tittienus Serenus in collegium cooptatus eo anno, quo conſulatum geſſere.

IMP. CAES...... AUG. GER. XVI. COS

Q. VOLUSIUS, SATURNINUS.

P. R. C. AN. DCCCXLIIII.

Annus Urbis 844. numerabatur uſque ad diem 31. Aprilis anno æræ vulgaris Chriſtianæ 92. Senatus tanto odio occiſum Domitianum perſecutus eſt, ut teſte Svetonio cap.23. *Noviſſime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret*. Quod patet in poſita inſcriptione, & in aliis pag. V. 2. XII. 2. 68. 1. 245. 3. 411. 1. & in Smyrnenſi ſuperius recitata, Anno ſecundo Neronis Q. Voluſius Saturninus Conſul in Faſtis, ac Gruteri pag.9. 4. legitur qui hujus Quinti Saturnini pater fuit: Hinc recte in faſtis Idacii, Proſperi ac Caſſiodori hic Saturninus non legitur Conſul II.

Domitiano A. V. 849. Chriſti 96. die 18. Septembris interfecto, M. Cocceius Nerva imperium accepit, cujus breviſſimi principatus annos duo collegia Conſulum aperuere. Anno V. 850. Chriſti 97. Nerva Auguſtus III. ac Rufus III. faſtis prænotantur. Proſper & ejus exſcriptores Caſſiodorus in Chronico, ac Victorius Aquitanus in Canone Paſchali hoc collegium omiſerunt. Idacius recte ſcribit: Nerva III. & Ruffo III. Frontinus lib. 2. de Aquæduct. ſcribit ſe deſignatum curatorem aquarum Urbis, *Imperatore Nerva III. & Verginio Rufo III. Conſulibus.* Panvinio vocatur *Titus Verginius Rufus III.* quo pariter prænomine illum Leunclavius inſerit indici lib.68. addit Panvinius eumdem in conſulatu mortuum ex Plinii epiſtolis. Glandorpius in Onomaſtico non Titum, ſed Publium Virginium ſcribit, cujus priorem conſulatum ponit anno noſtræ Epochæ 63. collega Memmio Regulo. At Panvinius eumdem anno 69. quo occiſus eſt Galba, Conſulem ſuffectum ſtatuit ex Kal. Maii ad Kal. Julias collega Poppæo Vopiſco ex Tacito lib. 1. Hiſt. iterum vero Conſulem anno V. 836. cum Domitiano Aug. IX. ac tandem Conſulem III. hoc anno cum Nerva Auguſto. At certum mihi eſt, Panvinium erraſſe in priori Nervæ conſulatu ſtatuendo. Nam ut prænotavi, primum conſulatum geſſit A. V. 816. collega C. Memmio Regulo, Nerone imperante. In veteri Inſcriptione Gruteri pag. 8. 3. dicitur votum ſolutum a quibuſdam libertis,

L. VERGINIO, RUFO

C. MEMMIO, REGULO. COS

Frontinus lib. 2. de Aquæduct. ſcribit: *Verginio Rufo, & Memmio Regulo Coſſ.* At Tacitus lib. 15. & Seneca lib. 6. Nat. quæſt. inquiunt: *Memmio Regulo, & Verginio Rufo Coſſ.* Verginium ſecundo loco nominantes. Ita optimi ſcriptores ordinem nominationis Conſulum minus ſibi ſervandum duxerunt. In duabus etiam teſſeris gladiatoriis ſuperius mihi in Conſulibus ſub Tiberio laudatis, ac totidem inſcriptionibus lapidum, & in aliis inferius imperante M. Aurelio recitandis, idem ordo variatur; quamvis major prius nominati Conſulis honor cenſeretur, uti ex Cicerone tradit Conſul Auſonius in panegyri ad Gratianum. Ceterum Panvinii ſententia de primo conſulatu Verginii ab Imperatore Othone accepto, refellitur, quod Verginius ſub necem Neronis Germaniæ legatus ac proprætor erat, Dio lib. 63. ait: *Rufus, qui Germaniam obtinebat, inde profectus eſt, ut Vindici bellum inferret*, Tacitus etiam lib. 3. Hiſt. *Nec ſtatim*, inquit, *pro Galba Verginius an imperare voluiſſet dubium: delatum ei a milite imperium conveniebat*. Et ſtatim; *Dux deerat*, nempe in Germania, *abducto Verginio per ſimulationem amicitiæ*. Illum enim Galba novus Imperator Romam ex Germania vocaverat. At certum eſt viros tantum conſulares, legatos ac proprætores Germanicis exercitibus impoſitos fuiſſe. Itaque L. Verginius ſub Nerone geſſerat conſulatum. Iterum Conſul deſignatus fuit ab Othone, collega Poppæo Vopiſco, ex Tacito lib. 1. Hiſt. Panvinius ſecundum conſulatum Verginii ſtatuit, collega Imperatore Domitiano IX. quam ſententiam ex Smyrnenſi inſcriptione ac Phlegonte confutavi; ſiquidem Q. Petilius Rufus cum Domitiano Conſule IX. magiſtratum geſſit. Denique Verginius anno ab hoc ſecundo, conſulatu vigeſimo octavo, imperante Nerva, tertio conſulatu perfunctus, eodem anno obiit, publico funere elatus, uti fuſius recitat Plinius lib. 2. epiſt. 1. Glandorpius fingit Verginium deſignatum fuiſſe Conſulem IV. a Trajano Auguſto; etenim poſt obitum Verginii, Trajanus imperium accepit, & quidem eodem anno circa initium Novembris in conſortium principatus a Nerva adſcitus, qui tertio poſtea menſe poſt Trajani adoptionem, teſte Aurelio Victore, deceſſit die 28. Jan. A. V. 851. in Parilibus.

Trajano imperante, undeviginti collegia Conſulum figuntur in faſtis, qui circa ea tempora ſatis turbati ac confuſi apparent ex tabulis Idacii, Proſperi, Chronici Alexandrini & Anonymi apud Cuſpinianum, ſi ſecum invicem conferantur. Anno V. 853. Chriſti 100. apud anonymum Cuſpiniani dicuntur Conſules *Trajanus III. & Frontinus*. Idacius ſcribit: *Trajano III. & Pontino*; Proſper vero: *Trajano IV. & Frontone*. Panvinius recte ex Plinio in panegyri probat Trajanum, ejuſque collegam Conſules III. ſcribendos; Plinius enim Imperatorem commendat, quod Conſul tertium duos itidem collegas Conſules III. deſignavit; *Laudandus quidem, inquit, & ille, qui tertium conſulatum meruit, ſed magis ſub quo meruit; magnus memorandusque qui tantum præmium cepit*. At illius nulla memoria apud poſteros manet. De illo tamen ſcribit Panvinius: *Hic eſt M. Cornelius Fronto orator nobiliſſimus, de quo in vita Marci Imperatoris Julius Capitolinus, Macrobius, & Plinius in epiſtolis ſæpe meminerunt*. Leunclavius pedibus, immo manibus in Panvinii ſententiam ivit, ſcribens in indiculo lib. 68. Dionis: *Nerva Trajanus Aug. III. & M. Cornelius Fronto III.* Capitolinus cap. 2. ſcribit M. Aurelium pluribus magiſtris uſum fuiſſe, juxta varias quas juvenis didicit, diſciplinas; *Oratoribus*, inquit, *uſus eſt Græcis Annio Marco, Caninio Celere, & Herode Attico: Latino, Frontone, Cornelio. Sed multum ex his Frontoni detulit, cui & ſtatuam in Senatu petiit*. Idem Capitolinus in Vero Auguſto cap. 2. hujus in rhetorica præceptorem laudat *Cornelium Frontonem*. Extat vetus inſcriptio apud Panvinium ad Annum V. 850. Gruterum pagina 469. 2.

M. AV-

Digitized by Google

M. AVFIDIO. FRONTONI
PRONEPOTI
M. CORNELI. FRONTONIS
ORATORIS. COS
MAGISTRI. IMPERATORVM
LVCI. ET ANTONINI
NEPOTI. AVFIDI. VICTORINI
PRAEFECTI. VRBIS. II. COS
FRONTO. COS
FILIO DULCISSIMO

At M. Cornelius Fronto orator nobiliſſimus, atque M. Aurelii Antonini magiſter fuit ſemel tantum Conſul, & quidem ſuffectus. Audiatur Conſul Auſonius in panegyri, *Unica mihi*, inquit, *amplectenda eſt Frontonis imitatio, quem tamen, Augusti magiſtrum ſic conſulatus ornavit, ut præfectura non cingeret. Sed conſulatus ille cujuſmodi? Ordinario ſuffectus, bimeſtri ſpatio interpoſitus, in ſextu anni parte conſumptus, quærendum ut reliquerit tantus orator, quibus Conſulibus geſſerit conſulatum*. Et ſtatim; *Non ego me contendo Frontoni, ſed Antonino præfero Gratianum*. Hinc in poſita inſcriptione M. Cornelius Fronto dicitur tantum Conſul ſine ulla iterati conſulatus nota. Ex his patet Panvinii error, dum M. Cornelium Frontonem oratorem ac magiſtrum M. Antonini, fingit Conſulem III. anno ſecundo imperii Auguſtei Trajani, cum ille unicum bimeſtrem, eumque ſuffectum conſulatum anno incerto geſſerit. Quis igitur Conſul III. collega Trajani aſſignabitur? Faſti veteres illius tantum cognomen habent, ſed in eodem diſcordant. Proſper, ejuſque exſcriptor Caſſiodorus *Frontonem* illum appellant, quibus ſuffragari videtur Dio qui Frontonem Conſulem laudat, Nerva imperante; Plinius vero de collegis Trajani ſcribit: *Uterque nuper conſulatum alterum geſſerat a patre tuo, id eſt quanto minus quam a te datum*: ex quibus verbis Panvinius Frontonem Conſulem II. ſub Nerva, & tertium cum Trajano itidem III. aſſeruit. In vetuſtis Inſcriptionibus Gruteri pag. 590. 1. inter IIIViros viarum curandarum a Trajano Imperatore conſtitutos, nominatur priori loco L. Licinius Sura, qui pariter fuit Conſul III. & ſecundo loco M. IVLIUS M. F. FRONTO, quem forte laudat Martialis lib. 1. epig. 56.

Votu tui breviter ſi vis cognoſcere Marci,
Clarum militia, Fronto, togaque decus.

Quod vero in faſtis Proſperi, qui omnium ſunt vitioſiſſimi, collega Trajani dicitur *Fronto*, cum apud anonymum Cuſpiniani *Frontinus* appellatur, ac conſtet hujus ignoti ſcriptoris tabulas conſulares omnium optimas eſſe; ſatis probabiliter dici poſſet *Sex. Julius Frontinus*, qui de Aquæductibus ſcripſit, Trajani tertium Conſulis collega. Et quidem Panvinius id etiam peccavit, quod ſcripſit: *Liber Cuſpiniani Trajanum III. & Frontonem edit*, cum diſerte ſcribat Cuſpinianus; *Ignotus auctor habet hoc loco: Trajanus III. & Frontinus*: & idem in Dione *Frontinum* legendum putet. Enim vero Frontinus poſt ſuffectum conſulatum, a Veſpaſiano Imperatore proprætor in Britanniam miſſus fuit, inter cujus provinciæ præſides conſulares poſt Petilium Cerealem laudatur Tacito in lib. de Vita Agricolæ *Julius Frontinus vir magnus*. Idem alterum conſulatum geſſit, teſte Martiale lib. 10. epig. 48. in quo tenue ac paupere poeta dignum convivium deſcribens, vinum recenſet non veteri aliquo Conſule in amphora ſignatum, ſed

De Nomentana vinum ſine fæce lagena,
Quæ, bis Frontino Conſule, plena fuit.

Quod nuper lagena plena fuerat vino, hinc eamdem ſine fæce dixit; quare Frontino nuper iterum Conſule impletam dicit. Idem vero ſuperius epigr. 6. & 7. exponit ſe cupere reditum Trajani ex Germania, ubi anno 97. & ſequenti ſubſtitit. Hinc Frontinus alterum conſulatum ſub Nerva geſſit, a quo etiam anno 97. & ſequenti ſubſtitit. Hinc Frontinus alterum conſulatum ſub Nerva geſſit, a quo etiam anno 97. curator aquarum Urbis deſignatus fuit, ut initio ſui operis & lib. 2. idemmet Frontinus teſtatur. Tertium vero conſulatum forte accepit a Trajano in Kalendas Januarias anni Chriſti 100. Plinius utrumque collegam Trajani tum ordinarium Conſulem, tum alterum Kal. Martii ſuffectum, laudat in panegyrico; ubi ait delatum ab Imperatore tertium conſulatum *viris ſingularibus*, non bene ac fortiter ſub ipſo, aut cum ipſo in bellicis expeditionibus, *ſed in toga meritis*. Et paulo inferius: *Nempe hi ſunt, quos Senatus cum publicis ſumptibus minuendis optimum quemque præficeret, elegit quidem primos*. Item; *Tertio Conſules fecit, quos vos elegeratis, & fecit hoc ordine quo electi a vobis erant*. Horum alter ſtatuendus eſt Conſul ordinarius, cujus mihi nomen hactenus incompertum; quamvis de utroque Julio Frontone ac Frontino quædam divinare conatus neutrum tibi forte Conſulem fuiſſe perſuaſerim. At Trajani conſulatum III. pluribus laudat Plinius in panegyri. Illum geſſit uſque ad Kal. Majas, duobus collegis bimeſtri magiſtratum conceſſo, dicente oratore: *Hanc tibi præcipuam cauſam fuiſſe extendendi conſulatus tui, ut duorum conſulatus complecteretur*. Addit: *Itaque & abiturus conſulatu, juraſti te nihil contra leges feciſſe*. Dein Senatus eumdem Imperatorem Conſulem IV. deſignavit. *Quo juſtius*, inquit, *Senatus, ut ſuſciperes quartum conſulatum, & rogavit, & juſſit*. Hunc tamen quartum conſulatum, cum Plinius panegyricum recitavit, nondum admiſerat. *Fortaſſe*, inquit, *ſuffecerat tibi tertius conſulatus; ſed nobis tanto minus ſufficit. Ille nos inſtituit, & induxit, ut te iterum iterumque Conſulem habere cupiamus. Remiſſius iſtud contenderemus, ſi adhuc non ſciremus qualis eſſes futurus*. At Imperator hanc deſignationem nondum ratam habuerat, cum

ibi.

Digitized by Google

ibidem orator dicat: *Pietati Senatus cum modeſtia principis felix ſpecioſumque certamen ſeu fuerit victa, ſeu vicerit.* Hanc orationem Plinius recitavit, cum ineunte Septembri conſulatum auſpicatus eſt, ex lib. 3. epiſt. 13. & 18. quod Verginii Rufi Conſulis exemplo confirmatur ex lib. 2. epiſt. 1. Hic mihi in mentem veniunt, quæ nuper de hoc quarto Traiani conſulatu ſcribis pag. 207. ad annum Chriſti 101. videlicet: *Sumptus hic conſulatus ob Quinquennalia imperii proconſularis, ac triumphum de Dacis, quem hoc anno conſignat Euſebius in Chronico.* Hæc mihi ſane difficilia viſa ſunt. Nam Traianus quartum ſibi delatum conſulatum recuſavit, ac vix tandem Senatus precibus exoratus ac victus admiſit. Ille ergo regulas de Quinquennalibus in conſulari prætexta celebrandis ignoravit. Sed nec eumdem conſulatum ob triumphum Dacicum accepit. Etenim anno Chriſti 100. cum Romæ degebat, deſignatus fuit Conſul IV. uti proxime Plinius expoſuit; at eo anno nondum Dacicum bellum eruperat, cum ibidem Plinius dicat; *Nam ut ipſe nolis pugnare, moderatio, fortitudo tua præſtat, ut neque hoſtes tui velint.* Et ſtatim; *Quod ſi quis barbarus rex eo inſolentiæ furoriſque proceſſerit, ut iram tuam indignationemque mereatur* &c. Nondum ergo motum erat in Dacos bellum, ac toto anno Traianus Romæ ſubſtitit, ubi etiam quartum conſulatum capeſſivit; cum tertium conſulatum in Germania inire recuſaverit, *quod eum abſens gerere non poterat,* teſte ibidem Plinio, qui de quarto conſulatu ait; *Dabiturne rurſus videre Conſulem illum? &c. præſidebit lætitiæ publicæ auctor ejus & cauſa?* Extant quidem apud Occonem nummi inſcripti: DIVO NERVÆ TRAJANO. AUG. P. M. TR. P. COS. III. P. P. & in poſtica: PROFECTIO AUG. GERMANIÆ S. C. At titulus ille, *Divi*, eos mihi nummos ſuſpectos reddit, dicente Plinio: *At tu etiam nomen patris patriæ recuſabas.* Etiamſi tamen admittantur uti legitimi, ita ut ante exitum anni 100. profectio in Germaniam in annum ſequentem indicta fuerit, quartus conſulatus nequit dici ſumptus ob triumphum Dacicum; niſi dicamus Senatum non modo ante victoriam, verum etiam ante bellum inchoatum, triumphum cecinisse.

Haud animum induxi exactiorem utriuſque belli Dacici chronologiam hic concinnare, quod eam brevi intelligemus ex eruditiſſimis commentariis quos modo de columna Trajani Raphael Fabrettus typis excudit. Quædam tamen hic inſeram, cum ut conſulatuum Traiani, quos Imperator Auguſtus omnes Romæ iniit, initii tempus intelligatur, tum etiam ut pateat, quo primum anno idem in Aſiam profectus, perſecutionem contra Chriſtianos exercuit; video enim cæteros quoſque ſcriptores, atque eos inter, qui de Epiſtolis S. Ignatii noſtra ætate acerrimis ſecum invicem ſcriptis depugnarunt, in prochroniſmos delapſos, qui tibi in notis ad magnos Annales evitandi ſunt. Itaque meam de tempore utriuſque belli Dacici, ac de profectione Traiani in Orientem, ſimulque de quinto ac ſexto ejuſdem conſulatu Romæ inito, ſententiam tibi proponam, quam ipſe poſtea ad limam revoces, vel ad incudem. Panvinius lib. 2. faſtorum ad A. V. 854. recitat e veteri lapide elogium Traiani in quo legitur: DACICUS TRIB. POT. IIII. COS. IV. VICTO DECEBALO. Ex hac inſcriptione Baronius, qui eamdem ex Panvinio recitat, ac alii paſſim crediderunt a Traiano quartum Conſule bello Dacico priori victum Decebalum; cum tamen ſpuria ſit illa inſcriptio utpote ab eodem Panvinio conficta. Lazius libro 12. cap. 7. idem epigramma laceratum ac detritum recitans, teſtatus extare in oppido Gumperdorff primo a Vienna milliario, ex fragmentis male compactis, ubi legebatur NERV .... ACICU .. US. AUG. Item VICT. D... D .. V. ADIA .. T. . R. P. IIII. COS. V. Gruterus pagina 190. 5. idem elogium e Lazio repetit, at non fideliter, cum ibi ſcribat, VICTO DECE..., uti & DACICUS, & alia verba minus detonſa. Panvinius tamen integre illud concinnavit, & COS. IIII. impoſuit, cum optime intelligeret conſulatum quintum Traiani non poſſe cum quarta ejuſdem Tribunitia poteſtate componi. Hoc ergo fallaci præjudicio, quod fons & origo communis erroris fuit, repudiato, Epocham prioris belli Dacici expono. Spartianus cap. 3. de Vita Hadriani ait: *Quæſturam geſſit Traiano IV. & Articuleio Coſſ. A. C.* 101. *Poſt quæſturam, acta Senatus curavit, atque ad bellum Dacicum Traianum familiarius proſequutus eſt.* Quæſtura adhuc ſub Traiano erat annuus magiſtratus. Plinio libro 8. epiſt. 23. laudatur Junius Avitus *quæſtor Conſulibus ſuis (& plures habuit) non minus jucundus* &c. Plures Conſules nominantur, nempe etiam toto anno ſuffecti, ſub quibus Avitus annuus quæſtor fuit. Et ſane ſi Hadrianus poſt quæſturam acta Senatus curavit, antequam ad bellum Dacicum Traianum proſequeretur, bellum Dacicum anno Urbis 855. Chriſtianæ Epochæ 102. a Traiano ſuſceptum eſt. Extat duplex inſcriptio apud Gruterum Venuſina pagina 177. 2. & Puteolana pagina 190. 3. in quibus Traianus dicitur tantum GERMANICUS TRIB. POT. VI. IMP. II. COS. IIII. Tribunitia poteſtas VI. eidem principi inchoabatur ſub initium Novembris anni 102. Rurſus vidi in muſeo Mediceo nummum inſcriptum: IMP. CÆS. NERVA TRAIAN. AUG. GERM. P. M. TR. P. VI. & in poſtica: IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. S. C. Viſitur ibidem mulier ſedens dextra ramum, ſiniſtra ſcipionem tenens. Alia numiſmata eadem inſcriptione obſignata recitantur in locupletiſſimo Auctario Occonis nuper edito a Comite Mediobarbo Romanæ hiſtoriæ æque ac veterum numiſmatum peritiſſimo. Ex his vero nummis patet Traianum ob victoriam de Dacis reportatam anno VI. Tribunitiæ poteſtatis, nempe anno 103. Imperatoris titulum multiplicaſſe. Enim vero obſervandum eſt neque in lapidum, neque in nummorum laudatis inſcriptionibus Traianum vocari *Dacicum*, ſed tantum *Germanicum*, quod Dio ſcribit: *Traianus de Dacis triumphavit, & Dacicus cognominatus eſt.* Itaque cum Romam triumphaturus adveniſſet, Dacici agnomen a Senatu tulit. Extat in eadem gaza Medicea nummus argenteus cum epigraphe: IMP. CÆS. NERVA TRAIAN. AUG. GERM. & in averſa parte: DACICUS COS. IIII. Viſitur Hercules ibidem dextra clavam, ſiniſtra ſpolium leonis tenens, uti etiam apparet in inſcriptione Romana Gruteri pag. 147. 2. Hæſi fateor, ad laudatas inſcriptiones. Nam cum inita Tribunitia poteſtate VI. Traianus nondum diceretur *Dacicus*, aut *Imp. IIII.* neque exeunte anno 102. per hiemem contra Dacos pugnaſſe eumdem arbitrarer, ſed anno 103. videbam his obſtare nummum æreum primæ magnitudinis, atque alterum argenteum, quos in Mediceo theſauro legitimos obſervaram; ibi enim Traianus dicitur DACICUS COS. IIII. & in æreo DES. V. Cum vero omnes vetuſtiores faſti Idacii, Proſperi, Caſſiodori, ac omnium recentium Chronologorum ſtatuant Traianum Conſulem V. A. Urbis 856. Chriſti 103. ad annum ſuperiorem 102. victoria Dacica retrahenda videbatur. Hoc poſtea dubium, ſimulque faſtorum errorem alia numiſmata ſuſtulerunt. Extant Bononiæ duo ſimilia Traiani numiſmata, unum quidem in muſeo Marchionis Ferdinandi Coſpii, alterum in ſcriniis doctiſſimi Joſephi Magnavaccæ cum epigraphe: IMP. CÆS, NER-

Google

NERVA TRAIAN. AUG. GERM. DACICUS P. M. & retroſus: TR. P. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. P. P. S. C. Ibi viſitur Victoria dextra lauream, ſiniſtra trophæum tenens, ac dextero pede globum premens. Raphael Fabrettus quod vulgarium faſtorum religione tenebatur; nummum Coſpianum ad ſe Romam deferendum curavit, qui poſtea mihi per literas ſignificavit eamdem poſticam inſcriptionem in altero quoque numiſmate ſemet Romæ obſervaſſe, ac putare ſe faſtos emendandos eſſe. Illi autem reſcripſi, nuper ex iiſdem nummis faſtos correctos a laudato Comitu Mediobarbo pag. 132. ubi ex Vaillantio aliud numiſma recitat inſcriptum: TR. P. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. S. C. ubi viſitur Trajanus paludatus inſidens trophæo &c. laudatum etiam Magnavaccam eruditæ rei nummariæ peritiſſimum recitati numiſmatis ectypum ad me miſiſſe, illudque legitimum ſi quod aliud, conteſtari. Itaque ſi tot nummi antiquitatis teſtes fidiſſimi atque incorrupti ſecum invicem conferantur, aperte intelligimus victoriam Dacicam in anno 103. collocandam, conſulatum vero Trajani quintum in ſequentem annum 104. protrahendum; etenim Trajanus circa Novembrem anni 103. auſpicatus eſt Tribunitiam Pot. VII. qua inita, in nummis dicitur COS. IIII. DES. V. Extat in theſauro Mediceo rariſſimus ſimulque pulcherrimus Trajani nummus inſcriptus: TR. P. VII. IMP. IIII. COS. V. P. P. S. C. Imperator in quadrigis triumphans dextra laurum, ſiniſtra ſceptrum tenet. Itaque

Anno V. 857. Chriſti 104. Traianus Romæ iniit quintum conſulatum, collega Maximo II. ut in faſtis anonymi apud Cuſpinianum legitur. Panvinius hunc vocat *L. Appium Maximum*, qui in veteri inſcriptione dicitur *Bis Conſul confector belli Germanici*. Is Domitiano imperante, Bithyniæ proconſul fuerat, ex lib. 10. Plinii epiſtola ante 67. Ob victum, & occiſum Antonium, qui Proprætor Germaniæ rebellaverat, eum titulum tulit. Num hic poſtea collega Traiani fuerit, incertum. Sane Maximus priori bello Dacico, oppido munitiſſimo cum ſorore Regis Decebali capto, eumdem ad petendam pacem adegit, teſte Dione libri 68. Hunc vero Maximum ignotæ familiæ collegam Trajani puto. Alterius etiam belli Dacici annus ex Spartiano indagandus eſt. Hæc ille in Hadriano cap. 3. ſcribit de eodem: *Tribunus plebis factus eſt Candido & Quadrato iterum Coſ.* Et ſtatim: *Secunda expeditione Dacica, Trajanus eum primæ legioni Minerviæ præpoſuit, ſecumque duxit*. Illud collegium Conſulum ſignatur in faſtis anno 105. Quo anno cum Hadrianus Romæ Tribunus plebis fuerit, altero anno 106. Legatus legionis ad bellum ſecundum Dacicum a Trajano ductus fuit. Caſaubonus ait perperam a Spartiano alterum bellum Dacicum poſt tribunatum plebis Hadriani recitari. Errat. Nam longe dignior erat legatio legionis, quam tribunatus plebis, ac proinde hic ante illam deferebatur. Ita Agricola ex Tacito in libro de Vita ejuſdem, Septimius Severus ex Spartiano cap. 2. Veſpaſianus ex Svetonio cap. 2. & 4. Pertinax ex Capitolino cap. 2. vel poſt tribunatum plebis, vel etiam poſt præturam legionum legati facti ſunt. Hoc ipſum patet in veſtutis Inſcriptionibus Gruteri pag. 407. 430. 5. 436. 7. 457. 2. 6. 493. 2. 1097. 7. Laudantur plures Trajani nummi in Auctario Occoniano pag. 154. in quibus idem dicitur: TR. P. VIII. IMP. IIII. COS. V. P. P. Rurſus in Romana inſcriptione Gruteri pagina 247. Trajanus vocatur TRIB. POT. VIIII. IMP. IIII. COS. V. At pag. 162. 2. in inſigni elogio dicitur TRIB. POTEST. VIIII. IMP. V. COS. V. P. P. Anno Chriſti 106. Trajanus uſque ad Novembrem erat Tribunitiæ Pot. VIIII. qua labente cum titulum Imperatoris multiplicaverit, eodem quoque anno altera eaque poſtrema ejuſdem victoria Dacica ſtatuenda eſt. Traianus Daciæ in provinciam redigendæ immoratus, anno 107. Romam rediit. De ejuſdem in Orientem profectione dicturus, redeo ad Spartianum, qui Hadrianus ob geſta eodem bello Dacico dicitur adamante a Traiano donatus, additque eodem cap. 3. *Prætor factus eſt, Sura bis, Serviano iterum Conſulibus*. Cum ille anno Chriſti 106. in Dacia militaverit, ejuſdem prætura contingit anno 107. Tum Spartianus: *Legatus poſtea prætorius in Pannoniam inferiorem miſſus, Sarmatas compreſſit*. Ante annum 108. legatum provinciæ non egit; quo munere num ultra annum perſunctus fuerit, incertum. Denique ſcribit Spartianus eodem cap. 4. egregie provinciam ab Hadriano adminiſtratam: *Ob hoc Conſul eſt factus. In quo magiſtratu, ut a Sura comperit adoptandum ſe a Traiano eſſe, ab amicis Traiani contemni deſiit ac negligi. Et defuncto quidem Sura, Traiani ei familiaritas crevit*. Panvinius ad A. V. 862. Chriſti 109. ſuffectum Hadriani conſulatum recitat; nec ſane celerius ſtatui poſſe geſti eidem ante conſulatum magiſtratus evincunt. At Dio lib. 68. narrat Traianum e Dacia Romam reverſum, Pontinas paludes lapidibus ſtraviſſe, vias muniviſſe, pontes extruxiſſe, ac Defunctum Licinium Suram publicis exequiis decoraſſe, addito etiam ſtatuæ honora. His vero ac quibuſdam aliis narratis ait: *Poſt hæc bellum intulit Armeniis Parthiſque* &c. Ex his colligo Traianum poſt Suræ mortem adhuc in Italia fuiſſe; illius vero obitum contigiſſe poſt conſulatum Hadriani, ac proinde Traianum anno Chriſti 110. nondum in Aſiam tranſmiſiſſe.

Cum Plinius junior Bithyniæ proprætor Chriſtianos edictis ac ſuppliciis perſecutus fuerit, Traiano utiam tum Romæ degente, libeat huiuſce perſecutionis tempus deſignare, quod ſibi incompertum fatetur Scaliger in notis Euſebianis num. 2124. Baronius ſcribit de Plinii præfectura Bithynica: *Poſt functionem ſuperioris anni conſulatus, more maiorum, provinciam ſuſcepit adminiſtrandam*. Is quidem mos ſtante Republica; ſed ſub Cæſaribus, Africam & Aſiam decimo anno a geſto conſulatu ſortiebantur; quæ tamen decennii intermedii præſcriptio in aliis provinciis non ſervabatur. Et ſane, mihi compertum eſt Plinium non perrexiſſe ſtatim a geſto conſulatu in Bithyniam. Rem altius paucis licet, repetam. Tullius Juſtus anno Chriſti 97. Bithyniam regebat, ad quem extat Imperatoris Nervæ epiſtola ante epiſt. 67. Plinii lib. 10. Juſtus proconſul ſucceſſorem habuit Julium Baſſum, qui in exilium a Domitiano miſſus, inquit Plinius lib. 4. epiſt. 9. *revocatus a Nerva, ſortituſque Bithyniam rediit reus*. Idem lib. 6 epiſt. 29. narrans Quadrato ordinatim cauſas ub ſe agitatas, ait: *Accuſavi Marium Priſcum*; deinde: *Tuitus ſum Julium Baſſum*. Accuſavit Marium Priſcum coram Traiano tertium Conſulem anno 100. ex lib. 2. epiſt. 11. menſe Janurio, cum eſſet Conſul deſignatus in Kal. Septembris, ex lib. 10. epiſt. 20. Idem lib. 4. epiſt. 8. narrat ſe poſt conſulatum, accepiſſe a Traiano auguratum, epiſtola vero ſequenti acta in cauſa Baſſi deſcribit. Itaque anno 102. Julii Baſſi cauſa cognita fuit. At lib. 10. epiſt. 64. ex Bithynia ſcribit Traiano quemdam *in perpetuum relegatum a Julio Baſſo proconſule*: quod vero ſciebat acta Baſſi a Senatu reſciſſa, dato jure damnatis ab eodem, *ex integro*, inquit, *agendi dumtaxat per biennium, interrogavi hunc, quem relegaverat, an adiiſſet, docuiſſetque proconſulem: negavit*; cum idem capius coram Plinio ſtetiſſet. Cui Traianus reſpondit eum qui exiſtimans ſe iniuria relegatum, *cum per biennium agendi facultatem habuerit*, nec adierit proconſulem, vinctum dimittendum ad præfectos prætorios. Itaque anno 103. hoc eſt biennio poſt

re-

reſciſſa acta Julii Baſſi, alius ante Plinium proconſul Bithiniæ præerat. Idem lib. 5. epiſt. 20. Urſo ſcribit: *Iterum Bithyni poſt breve tempus a Julio Baſſo etiam Rufum Varenum proconſulem detulerunt*. Hæc autem Vareni cauſa in aliquot annos protracta eſt, teſtibus ex Bithynia advocatis a Vareno, Bithinis legatos modo contra eumdem, modo mutata ſententia, pro eodem ad Trajanum tum in Daciam, tum Romam deſtinantibus, Plinio Varenum defendente; quæ quidem conſtant ex variis ejuſdem epiſtolis lib. 6. epiſt. 5. 13. & 29. & lib. 7. epiſt. 6. & 10. Idem lib. 10. epiſt. 113. ſcribit Trajano, Anicium Maximum proconſulem Bithyniæ largitionem pecuniæ, quam ſuper numerum in decuriones Trajani indulgentia allecti, faciebant in quibuſdam civitatibus ad eos quoque extendiſſe, qui a cenſoribus legebantur. Itaque Anicius Maximus alius fuit ante Plinium ſub Trajano proconſul Bithyniæ. Denique lib. 10. epiſt. 64. ſignificat Trajano ſibi denuntiaſſe, *adverſarios ſuos a Servilio Calvo clariſſimo viro in triennium relegatos*, in provincia morari, illis e contra affirmantibus a Calvo proconſule ſemet reſtitutos. Reſpondit Trajanus epiſt. 65. ſe proxime reſcripturum de iis, *qui a V. Servilio Calvo proconſule in triennium relegati* dicebantur, ubi primum rem ab ipſo Calvo didiciſſet. Ac certum eſt nondum elapſum triennium, ex quo illi relegati fuerant, cum ea Plinius principi ſcripſit; alias nullus fuiſſet accuſationi locus. Igitur & Servilius Calvus fuit proximus deceſſor Plinii in præfectura, ſeu proconſulato Bithyniæ; unde apparet poſt aliquot annos e geſto conſulatu, eumdem in Bithyniam miſſum, cum plures ſuos deceſſores, Trajano imperante laudet, & aliquot etiam præter eidem memoratos, Bithyniam fortaſſis adminiſtrarint. Et quidem nullus dubito, quin Plinius novem libros epiſtolarum ad privatos ſcripſerit, antequam in provinciam legatus proficiſceretur. Nuſquam enim in aliqua earumdem quidpiam legitur, quod Bithynicam ejuſdem legationem attineat. At lib. 6. epiſt. 10. ſcribit Albino, vidiſſe ſe ſepulcrum Verginii Rufi imperfectum, *ne poſt decennium mortis annum reliquias neglectumque cinerem*. Cum vero obierit Verginius anno 97. Chriſtianæ epochæ, ut ſuperius adnotavi, ea Plinius ſcribebat anno 107. aut etiam ſequenti 108. Item lib. 8. epiſt. 4. laudat Geminum, qui deſtinaſſet bellum utrumque Dacicum ſcribere, ac carmine narrare *pulſum regia, pulſum etiam vita Regem nihil deſperantem. Super hæc actos bis triumphos, quorum alter ex invicta gente primus, alter noviſſimus fuit*. Porro ex hucuſque narratis legatio Bithynica Plinii videtur mihi ſtatuenda circa Septembrem anni 109. aut ſequentis. Ille vero non proconſul, ut alii, ſed legatus Auguſti, ac proprætor conſulari poteſtate in provinciam miſſus fuit, ex vetuſto elogio ejuſdem, Gruteri pag. 454. 3. & quidem Trajano adhuc Romæ degente, quod ex lib. 10. epiſt. 13. 14. 15. 49. & 82. aperte colligitur. Plinius autem ultra annum Bithyniæ jus dixit; quia natalem Trajani die 18. Septembris ſemel in provincia celebravit ex lib. 10. epiſt. 28. & iterum anno ſequenti, epiſt. 89. Idem die natali imperii Trajani vota nuncupavit, epiſt. 60. eadem vero anno ſequenti ſolvit, epiſt. 103. & 104. Hæc prolixius inſerui, non ut annum inſtitutæ a Plinio contra Chriſtianos in Bithynia perſecutionis certis characteribus deſignarem, ſed cum ut ejuſdem in magnis Annalibus prochroniſmum, tum etiam ut annum profectionis Trajani in Orientem oſtenderem, cujus uti & faſtorum correctionis interpolatum ſermonem reſumo.

Anno V. 865. Chriſti 112. ſcribuntur in faſtis Conſules *Trajanus Aug. VI. & Africanus*; Panvinius de Trajani collega ait: *Hic eſt C. Julius Africanus de quo ſæpe Plinius in epiſtolis*. Leunclavius in indice conſulari lib. 68. Dionis, eumdem exſcribens ait: *Nerva Trajanus Aug. VI. & C. Julius Africanus*. Scribit Plinius lib. 7. epiſt. 6. juſſu Trajani agitatam coram Serviano cauſam matris veneficii incuſatæ: *Aderat*, inquit, *matri Julius Africanus, nepos Julii oratoris*. Ita ille ex advocato hujus anni Conſul a Panvinio fingitur, cui Baronius, Calviſius, Petavius, Bucherius, Ricciolius, ac Pagius V. C. crediderunt. Immo cum anno Chriſti 236. ſignentur in faſtis Conſules *Maximinus Auguſtus*, *& Africanus*; & hic itidem nobis ex Panvinio dicitur *C. Julius Africanus*. At verum collegæ Trajani nomen prodit, qui eidem æqualis fuit, Phlegon Hadriani Auguſti libertus cap. 25. de Mirabilibus, ſcribens mulierem Romæ edidiſſe maſculum bicipitem, qui monitu poſtea haruſpicum in Tiberim projectus fuit: *Athenis Archonte Hadriano, qui Imperator factus eſt*, ὑπατευόντων ἐν τῇ Ῥώμῃ αὐτοκράτορος Τραϊανοῦ τὸ ἕκτον, καὶ Τίτου Σεξτίου Ἀφρικανοῦ: *Conſulibus Romæ Imperatore Trajano VI. & Tito Sextio Africano*. Hujus familiam nobilem teſtatur Tacitus lib. 13. anno primo Neronis ſcribens: *Sextium Africanum nobilem juvenem a nuptiis Silanæ deterruerat Agrippina*. Lipſius in notis ait: *Scribe Sex. Africanum, ut prænomen ſit*. Addit ejus nobilitatem deductam a Julo Antonio Marcellæ marito, *cui*, inquit, *cognomen Africano*, cujus ex L. Antonio filio, Africanum hujus anni Conſulem nepotem dicit. Quot errores hic errat Lipſius! In primis non *Sextum*, ut ſit prænomen, ſed *Sextium*, ut gentem ſeu familiam deſignet, ſcribendum eſſe patet ex duobus Taciti codicibus MSS. Mediceis, in quibus diſerte *Sextium* legimus. Nec ille prænomen *Sexti*, ſed *Titi* ferebat, quod prodit inſignis inſcriptio fratrum Arvalium apud Fulvium Urſinum in notis ad Varronem, ac Gruterum pagina 119. 2. ubi cum aliis e collegio *ob natalem Neronis Auguſti Germanici*, dicitur vota nuncupaſſe T. SEXTIVS AFRICANVS, quem Lipſius in familiam Antoniam perperam tranſcripſit. Nec Julus Antonius *Africani* cognomentum tulit. Dio in ſuo indice conſulari lib. 54. ait A. V. 744. *Julus Antonius M. F. Q. Fabius Q. F. Africanus*. Lipſius memoria ſemet deficiente, cognomen *Africani*, quod Fabius Conſul ferebat, ejuſdem collegæ Julo Antonio attribuit. In vulgatis Taciti codicibus lib. 14. legitur: *Cenſus per Gallias a Q. Voluſio, & Sex. Africano, Trebellioque Maximo acti ſunt, æmulis inter ſe per nobilitatem Voluſio atque Africano*. At ibi legendum *Sextium Africanum*, non *Sextum* prænomen, ex dictis colligitur. Lipſius ex hoc depravato textu, Taciti veros prioris textus characteres emendandos putavit. Hic autem T. Sextius Africanus avus fuit collegæ Trajani, qui omnia avi nomina prætulit. In veteri inſcriptione Gruteri pag. 1029. 6. T. SEXTIVS laudatur AFRICANI CON . . . FILIVS.

Hoc anno Urbis 865. Chriſti 112. Trajanus cum conſulatum abdicaſſet, expeditione in Parthos ſuſcepta, Roma profectus Athenas appulit. Julianus Imperator in libello de Cæſaribus fingit Trajanum Jove coram aliiſque Diis hæc dixiſſe: *Parthos autem, priuſquam ab his injuria affectus eſſem, armis vindandos non exiſtimavi; ut vero injuriam intulerunt, non me ætas ingraveſcens, etiam tum legibus mihi militiæ vacationem concedentibus, ab iis invadendis revocavit*. Itaque Trajanus non ſtatim poſt debellatam Daciam, in Parthos movit, ſed ubi illi primum pacem violarunt. Injuriam, quam Trajanus ſibi a Parthis illatam prætexebat, exponit Dio lib. 68. *Poſt hæc bellum ſuſtulit*

Arme-

Digitized by Google

Armenis Parthiſque, propterea quod, ut ipſe dicebat, rex Armenorum non abs ſe, ſed a rege Parthorum diadema accepiſſet. Extat in gaza Medicea inſigne numiſma cum epigraphe: IMP. CÆS. NERVÆ TRAJANO AUG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. & in poſtica: PROFECTIO AUG. S.C. Ibidem viſitur Imperator eques, milite ſcutato præeunte, tribus aliis haſtatis ſubſequentibus. Huic fere ſimilem nummum recitat Vaillantius. Probe noris id genus nummos ſolitos ſcalpi, cum Auguſti in provincias Roma proficiſcebantur. Hinc ante ſextum conſulatum, qui in nummis obſignatur, Trajanus in Orientem non tranſmiſit. Interea cum Athenas adpuliſſet, legati Parthorum regis eumdem, illic cum muneribus convenerunt, teſte Dione in excerptis Theodoſii, rogantes ut delatum Parthamaſiri Armeniæ regnum ratum haberet. Trajanus, repudiatis muneribus reſpondit, ſe quum primum in Syriam adveniſſet, facturum omnia quæ fieri par eſſet. Athenienſes quo præſentis Imperatoris gratiam magis mererentur, Hadrianum ejuſdem conſobrinum, Archontem crearunt, ex Phlegonte cap. 25. de mirabilibus, cujus magiſtratus hoc anno illi delati nulla ratio aſſignari poteſt, niſi ejuſdem cum Trajano adventus Athenas. Hinc Trajanus in Aſiam tranſmiſit, ejuſque provinciis luſtratis, in Syriam deſcendit. Auctor eſt Dio, Trajanum, *cum eſſet Antiochia*, legatos ac munera ab Abgaro rege Oſrhoenorum accepiſſe. Ignatium quoque martyrem Antiochiæ ab Imperatore auditum ac damnatum, acta ejuſdem paſſionis teſtantur; qui cum Romæ Kalend. Februarii paſſus dicatur, ejuſdem damnatio contigit exeunte autumno anni 112. Recte in faſtis Idacii: *Trajano VI. & Africano. His Coſſ. perſecutio Chriſtianorum*. Trajanus anno Chriſtianæ Epochæ 113. Antiochia profectus, Samoſatas cum Commagene, bello tantum oſtentato, occupavit. Inde in Armeniam movens, ejecto Parthamaſire, eamdem Romanam provinciam fecit. In Meſopotamiam ingreſſus ſplendide ab Abgaro exceptus, regnum eidem ratum habuit. Dein expugnatis Niſibi ac Batnis, inter Tigrim & Euphratem urbibus, quas Rex Parthorum impoſito præſidio tenebat, ab exercitu *Parthicus* appellatus fuit. Luſius dux Mauritani equitatus, qui bello Dacico egregiam operam navaverat, Singara aliaque oppida occupavit. Hæc intra biennium a Trajano in Oriente geſta. Extant in theſauro Mediceo, aliiſque nummi, in quibus Trajanus COS. VI. obſignatur, cum epigraphe in poſtica: ARMENIÆ ET MESOPOTAMIA IN POTESTATEM P. R. REDACTÆ. In aliis legi: ARMENIA. Item in aliis: ADIAB. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. In quibuſdam etiam legitur: ARABIA CAPTA, vel ADQUIS. S. C. Ex his omnibus nummis poſita chronologia ſatis evidenter demonſtratur, nempe Armeniam ac Meſopotamiam poſt annum 112. ac ſextum Trajani Auguſti conſulatum, Romano imperio adjectas. Nam ſi anno V. 860. Epochæ Chriſtianæ 107, ut vulgo hactenas crediderunt, Trajanus in Syriam venit ac Armeniam, ejecto ſine prœlio, ut Dio teſtatur, rege a Parthis impoſito, aliaſque provincias occupavit, cur in nummis pleno quinquennio ejuſdem Trajani conſulatu quinto obſignatis, nulla captæ Armeniæ, aut Meſopotamiæ, aut Adiabenis literula apparet? Scio extare nomiſmata quinto Trajani conſulatu ſignata cum epigraphe: *Arab. Adq. S. P. Q. R.* &c. ſed illis indicatur Arabia Petræa, quam Cornelius Palma, nondum finito altero bello Dacico, teſte Dione, devicerat. Cum hiems bellicam expeditionem anni 114. clauſiſſet, Trajanus Antiochiam in hiberna ſeceſſit. Hinc gradum facimus ad alterum collegium Conſulum corrigendum.

Annus V. 868. Chriſti 115. Conſules in faſtis habet *Meſſallam & Pedonem*. Auctor eſt Dio lib. 68. Trajano Antiochiæ demorante, eamdem urbem horrendo terræmotu concuſſam, ædificiorum ruinis plurimos oppreſſos, ipſum Trajanum vix periculum evaſiſſe: *In eorum*, inquit, *numero fuit Pedo Conſul, qui ſtatim mortuus eſt*. Panvinio illud collegium conſulare ita deſcribitur: *M. Valerius Meſſalla, & C. Popilius Pedo*. Paſſim enim occurrunt Valerii Meſſallæ; in Tiburtino vero lapide eidem Panvinio legebatur: *C. Popilio C. F. Quir. Caro Pedoni* COS. &c. Utrumque Conſulem Leunclavius ſuum in indicem exactiſſime deportavit. Magnus Eccleſiaſticorum Annalium conditor falſa Evagrii ſupputatione deceptus, terræmotum Antiochenum ac utrumque Conſulem ad annum Chriſti 125. retraxit, quem Ricciolius ſecutus eſt pag. 5. Chronologiæ lib. 4. cap. 4. eos affigens anno 109. quod Baronius biennio vulgarem Epocham prævertit. Sed hic debuerat non errantem, ſed ſemet corrigentem Baronium audire, qui poſtea in appendice tom. XI. ex Romana inſcriptione, quæ integra Gruteri pag. 300. recitatur, veros Conſules, atque annum terræmotus memorati optime expoſuit. Hæc ibidem leguntur:

a

D. IVNIVS. CARVS. COOPT

VIPSTANO. MESSALLA. M. PEDONE. VERGILIANO. COS

P. R. C. ANN. DCCCLXVII

Annus V. 867. uſque ad 21. Aprilis correſpondet anno Chriſti 115. Ibidem vero apparent vera nomina utriuſque Conſulis, qui in aliis etiam lapidibus leguntur pagina 74. 1066. & 1070. & hæc poſtrema inſcriptio dicitur dicata *V. Kalend. Februarias*

L. VIPSTANIO MESSALLA. M. VERGILIANO PEDONE. COS

Unde patet ordinarios Conſules fuiſſe primi nundini ad Kal. Martias. Inſcriptio Pedoni dicata apud Panvinium mutila eſt, quam integram habes apud Gruterum pag. 457. 6. ubi de Popilio additur: *Divi Hadriani Aug. in omnibus honoribus candidato*. Ex his conſtat diverſum eſſe a Pedone Conſule ſub Trajano; ſiquidem Popilius Pedo, ſi a Trajano accepiſſet conſulatum, qui ſummus erat magiſtratus, perperam dictus fuiſſet Hadriani Auguſti in omnibus honoribus candidatus, cum quæſturam, præturam, ac denique conſulatum a Trajano obtinuiſſet. Id fateor dici potuiſſe, ſi idem Hadriani opera honores a Trajano impetraſſet. Interim ex hac altera inſcriptione prænomen prioris Conſulis in priori a Baronio adducta detritum, intelligimus. Dio eo terræmotu recitato, ait: *Ineunte vere, Trajanus in hoſtilem terram ingreditur. Cumque ea regio, quæ ad Tigrim fluvium ſpectabat, materiam ad ædificandas naves non ferret, ea navigia, quæ in ſylvis apud Niſibin fecerat, plauſtris in flumen convehi juſſit*. Tum narrat Romanos ſuperato Tigri, in Aſſyriam irrupiſſe, eodemque victoriæ impetu Babylo-

a *Apparatus in Baronium*

nem perveniſſe. Hucuſque Parthicam Trajani expeditionem ſtylo proſecutus ſum, ut expenderes, an ſtatuta mihi ejuſdem chronologia exactior illa tua ſit, cum ſcribis pag. 208. anno 111. *Calpurnius Piſo & M. Vettius Bolanus. Quindecennalia Imperii proconſularis Trajani, quo pertinet illud Euſebii in Chronico: Trajanus Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam fecit provincias.* Interim corrigito prænomen primi Conſulis, quod cum Panvinio ac exſcriptore Leunclavio *Lucium* vocas. In Vienneuſi lapide pag. 263. 7. & altero pag. 138. operis Gruteriani legitur: C. *Calpurnio Piſone, M. Vettio Bolano Coſſ.* Si Trajanus anno, uti ſcribis, Chriſti 107. in Aſiam venit, cum ſtatim Armeniam utramque, & Meſopotamiam in poteſtatem, teſte Dione, redegerit, integro ſeptennio otio induiſiſſet apud Daphnen, priuſquam ipſum Parthorum regnum, Tigri ſuperato, aggrederetur; nam Aſſyriam anno demum 115. invaſit.

Quædam alia collegia Conſulum imperante Trajano, dubia ſunt, & ex ſolis conjecturis eorumdem familiæ ac prænomina a Panvinio, & exſcriptore Leunclavio efformata. Anno V. 869. Chriſti 116. ſignantur Conſules in faſtis *Ælianus & Veter*, qui Panvinio dicuntur *Æmilius Ælianus*, & *L. Antiſtius Veter*. At Phlegon, qui id temporis vivebat, ſcribit cap. 9. de Mirabilibus ſe vidiſſe Romæ virum in feminam verſum, *Roma conſulatum gerentibus L. Lamia & Æliano Vetere.* Prior Conſul integre dicetur *L. Ælius Lamia*, filius fortaſſe, vel certe affinis L. Lamiæ occiſi a Domitiano, cui *Lamiarum cæde madenti* inſultat Juvenalis Satyra 4. Item alius L. Ælius Lamia ponitur Conſul A. V. 755. Alter Conſul duplici cognomine a Phlegonte effertur, uti & Vergilianus Pedo, Civica Pompejanus, aliique eorumdem familiis omiſſi. In faſtis ex ſecundo Conſule duo perperam finguntur. Anno V. 850. Chriſti 106. ſtatuuntur Conſules *Commodus & Cerealis*, qui Panvinio ſunt *L. Cejonius Commodus, & L. Tutius Cerealis.* Hunc alterum ita nominat, quod Plinius in epiſtolis laudat Tutium Cerealem virum Conſularem. Conſulto epiſtolam ſluit. Eſt undecima lib. 2. in qua ſcribit: *Itaque Tutius Cerealis conſularis jure Senatoria poſtulavit* &c. Ibidem ait de Trajano: *Princeps præſidebat, erat enim Conſul; & inferius: Cornutus Tertullus Conſul deſignatus* &c. Exponit acta in cauſa Marii Priſci diſcuſſa menſe Januario A. 100. quo Trajanus erat Conſul III. Hinc patet Tutium Cerealem ante annum 106. fuiſſe Conſulem, quippe qui anno 100. dicebatur conſularis; cum vero Cerealis Conſul A. 106. non dicatur iterum Conſul, diverſus ab eo eſt, quem ea in epiſtola Plinius laudat. Martialis lib. 11. epigr. 53. Julium Cerealem ſcriptorem carminum ſecum ad cœnam invitat. Petilius Cerealis via conſularis Britanniæ proprætor, ac bello civili inſignis Veſpaſiani dux, laudatur Tacito tum in lib. Hiſt. ac de Vita Agricolæ, tum etiam Joſepho lib. 7. de Bello Jud. cap. 57. Anicius Cerealis vir conſularis memoratur Tacito lib. 16. Velio Cereali ſcribit Plinius epiſt. 21. libri 4. Quare cum cognomen *Cerealis* pluribus familiis circa ea tempora commune fuerit, non auſim collegæ Cejonii Commodi familiam divinare. Leunclavius A. V. 858. ſtatuit Conſules *Julium Candidum, ac Julium Quadratum*, omittens iteratum utriuſque conſulatum, quem tamen recte Panvinius expreſſerat. Quadratus A. V. 866. priorem conſulatum ſuffectum geſſerat a Kal. Julii ex vetuſta inſcriptione Gruteri pag. 574. 6. quam antea Panvinius quoque recitaverat, ubi dicitur C. *Antius Julius Quadratus.* Vir diligentiſſimus Sponius pag. 2. Itinerarii pag. 413. recitat inſigne elogium a Pergamenis eidem dicatum, cujus initium: *Cajum Antium Aulum Julium Auli F. Quadratum, iterum Conſulem* (& variis provinciarum præfecturis recitatis) *Legatum proprætorem Trajani Cæſaris Auguſti, Germanici, Dacici, provinciæ Syriæ.*

Trajanus A. V. 870. Chriſti 117. die 10. Auguſti Selinunte in Cilicia obiit, *Quintio Nigro & Vipſanio Aproniano Coſſ.* Panvinius utrique familiam aſſignavit, nec eos ſine teſte in alias adoptato. Alterius tamen familia perperam dicitur Viſpania; nam Gruteri pag. 219. non ſemel laudatur C. VIPSTANUS APRONIANUS. Apud Sponium ſect. 2. Miſcell. art. 2. in veteri epigrammate legitur C. *Vipſtanus Apronianus.* Hadrianus opera Plotinæ defuncti Trajani uxoris, imperium accepit, eoque rem Romanam tenente collegia Conſulum XXI. faſtis nomen dederunt, quorum XIII. ex vetuſtis lapidibus Panvinius optime ſuas in tabulas deſcriptos, retulit. Eoſdem fideli Echo reddidit Leunclavius. Ubi vero aut erravit, aut defecit Panvinius, erroris ſe quoque ſocium eidem addidit, malens cum illo errare, quam proprio marte vel quidpiam melius ſapere. Anno V. 879. Chriſti Domini 126. anonymus apud Cuſpinianum nominat Conſules *Verum III. & Ambibulum, ſeu Ambigulum*; Caſſiodorus *Verum & Ambiguum*; Capitolinus cap. ult. in Pertinace ſcribit: *Vero & Bibulo Coſſ.* Quid in tanta faſtorum diverſitate Panvinius ſentiet? *Ego*, inquit, *alterum Veſpronium Candidum Verum II. Conſulem eſſe exiſtimavi, de quo Tertullianus ad Scapulam, & Spartianus in Didio Juliano mentionem faciunt: alterum vero ex his formavi Ambiguum Bibulum.* En tibi iidem Conſules a Leunclavio exſcripti: *Veſpronius Candidus Verus, & Ambiguus Bibulus*, in indice conſulari lib. Dionis 69. Sed perperam hic ab accuratiſſimo alias ſcriptore Conſul fingitur Veſpronius Candidus Verus II. Nam cum poſt annum tertium ac quinquageſimum noſtræ epochæ 179. dicantur in faſtis Conſules *Commodus Auguſtus II. & Verus*, hæc ibidem Panvinius repetit: *Veſpronii Candidi Veri viri conſularis meminit Tertullianus ad Scapulam, & in Juliani vita Spartianus.* Hæc lib. 2. faſt. ad A. V. 932. In tabulis vero faſtorum collega Commodi II. dicitur *Veſpronius Candidus Verus.* Errat primum, dum eumdem Veſpronium Candidum poſt annos 53. iterum Conſulem fingit, nempe anno Chriſti 126. & iterum anno 179. qui cum poſtea anno 193. teſte Spartiano cap. 7. in Juliano, legatione functus ad prætorianos dicatur, centenario major morte publica obiiſſet. Deinde errat, quod cum Veſpronium anno 126. Conſulem II. ſtatuat, anno 179. Conſul III. dicendus fuiſſet. Denique errat, quod contra teſtes quos laudat, Tertullianum ac Spartianum, cognomen *Veri* Veſpronio affingit, ut inferius oſtendam, ubi etiam ex veteri inſcriptione, quæ Panvinio latuit, conſtabit Veſpronium Candidum conſulatum non ordinarium, ſed ſemel ſuffectum tantum geſſiſſe. Alter etiam Conſul cum depravate a Caſſiodoro vocetur *Ambiguus*, ac corrupte etiam *Bibulus* apud Capitolinum legatur, geminato errore Panvinio dicitur *Ambiguus Bibulus.* Dionyſius Petavius in chronologia princeps, quamvis eo in campo Scaligerum ſæpe devicerit, Panvinii tamen faſtos maluit exſcribere, ſemel ac iterum tantum eiſdem correctis. At in collegio hujus anni 126. Panvinianos Conſules omittens, alios obtruſit, qui eidem dicuntur *M. Lollius Pædius Verus, ac Q. Junius Lepidus Bibulus*, quos dubio procul hic deportavit ex veteri epitaphio, quod Gruteri pag. 1031. 4. P. Minacio Albino Veterano dicitur.

DD.

DD. XIIII. KAL. NOVEMBRI

M. LOLLIO. PAEDIO. VERO. ET

Q. IVNIO. LEPIDO. COS

Quos Conſules ut anno 146. aſſignaret, cognomen *Bibuli* Junio Lepido belliſſime affinxit. At Ricciolius ſecus ſcribendum docens tum ſcalptum in lapide, tum etiam fictum a Petavio, cognomen omittens, ita ſignat annum 146. *M. Lollius Pædius, Q. Junius Lepidus*; cum tamen in vetuſtis faſtis anonymi Idacii, Proſperi, Victorii, ac Caſſiodori, *Verus*, & *Ambibulus*, ſive *Ambigulus*, vel *Ambigans* ſolo cognomine deſcripti Conſules recitentur. Raphael Fabretus ob eximiam eruditionem, ac ſingularem antiquitatum Romanarum peritiam, non Urbi tantum quam incolit, verum etiam Orbi litterario, quem editis ſumma cum laude voluminibus pervagatur, notiſſimus, via Lavicana in vinea vulgo *del Caſtratino*, ad arcus aquæ Claudiæ, hocce fragmentum vetuſti epigrammatis exſcripſit, mihique indicavit.

...VM. ET. POPULI. EIVSDEM. COLLEGI

.....S. ARGAEUS. LIB. EIVS. CVR. SVA

...HETIS. CAES. N. SERVI. VILICI

...THECA. IMPENSA. SVA. FECIT. DEDICA

... V. K. OCT. VERO. III. ET. AMBIBVLO. COS

Ex hoc, quod Conſules attinet, inſigni monumento patet, recte anonymum Cuſpiniani ſcripſiſſe: *Vero III. & Ambibulo*, uti etiam Idacium; *Vero III. & Ambegulo*, unius tantum litteræ variatione. Utriuſque Conſulis cognomine certis characteribus deſignato, ad prænomina ac familias explicandas gradum facio. Dio in Hadriano ſcribit de M. Aurelio: *Erat porro Marcus hic Antoninus, qui Catilius ante appellabatur, nepos Annii Veri, qui tertium Conſul ac tribunus militum fuerat.* Blanco ac Xylandro Dionis interpretibus *filius* Anii Veri perperam dicitur, cum Dioni ἔγγονος, ideſt *nepos* ſcribatur. Hinc prior hujus anni Conſul eſt *M. Annius Verus III.* Marci Aurelii Imperatoris avus. Hic ante quinque annos Conſul II. fuerat. Leunclavius A.V. 874. ſcribit; *M. Annius Verus, & Augur*; tu vero anno Chriſti 121. *M. Annius Verus, & L. Augur*. At ſcribendum fuiſſe *Verus II.* docet Capitolinus, qui in cap. 1. de Vita M. Aurelii ait eumdem natum VI. Kalend. Maias, *avo ſuo iterum, & Augure Conſulibus*. Idacius in faſtis: *Vero II. & Augure*. Spartianus cap. 8. de Hadriano ait; *Tertio Conſules cum ipſe ter fuiſſet, plurimos fecit.* Hos inter habemus M. Annium Verum, quem oſtendamus Caſaubono quærenti Conſules tertium ſub Hadriano; proxime alterum dabimus Servianum, reliquos inter ſuffectus indicare divinare ſit, ac optam ludere. In theſauro Gruteriano pagina 637. 2. recitatur prolixa ſimul ac faceta inſcriptio, quam Urſus Togatus luſor pilæ ſibi poſuit, ubi Annius Verus Conſul III. laudatur:

Nunc vera verſu verba dicamus ſenes:
Sum victus ipſe fateor a TER CONSVLE
VERO patrono, nec ſemel, ſed ſæpius,
Cujus libenter dicor exodiarius.

Tranſeo ad Annii Verii collegam Ambibulum, cujus prænomen ac familiam colligo ex una & altera inſcriptione, quæ in nuper edito Thomæ Reineſii opere poſthumo recitantur. Prior legitur pag. 620.

D. M

OLO. PLVTIO. SVCCESSO

PRISCVS

L. VARI. AMBIBOLI

AVIARIVS. ALTILIARIVS

Altera pag. 878.

L. VARIVS. AMBIBVLVS

ARTIACO. LIB

Qui in familia libertos ac altores avium numerabat, *L. Varius Ambibulus* memoratur, nihil tamen de ejuſdem conſulatu legitur, quod nondum illum geſſerat. Equidem cognomen *Ambibuli* Variæ familiæ conſulari proprium ex utroque epigrammate intelligimus, ac proinde laterculus Conſulum anni 126. hactenus adeo in omnium faſtis vel depravatus vel mutilus, integre reſtituitur, idemque reponendus in indice libri 69. Dionis, ubi ad annum V. 879. leguntur Conſules a Leunclavio ex faſtis noſtri Panvinii exſcripti, *Veſpronius Candidus Verus & Ambiguus Bibulus*, quos ſane Dio numquam ſomniavit, quamvis tu vigilans eoſdem illi adſcripſiſti.

Anno Urbis 887. Chriſti Domini 134. in faſtis Proſperi ac Caſſiodori ponuntur Conſules *Sergianus II. & Verus*; in tabulis anonymi apud Cuſpinianum: *Servianus & Varro*; in Idacianis; *Severus III. & Varus*. At Panvinius veros Conſules ſe nactum putavit in veteri inſcriptione quæ dicitur,

DED. XIIII. KAL. MART

SER. SERVIANO. III. ET

C. IVVENTIO. VERO. COS.

Hæc inſcriptio die 16. Februarii dicata Conſules ordinarios prodit. Cum vero idem Panvinius in altero epigrammate Beneventano, quod integrum recitatur Gruteri pag. 431. 9. legiſſet C. Luceium Sabinum miſſum honeſta miſſione ab Imperatore Hadriano Auguſto,

SERVIANO III. ET. VIBIO. VARO. COS.

retento altero nomine ſecundi Conſulis, VARI cognomen in VERUM mutavit, ita ut Conſules integre eo anno fuerint *C. Julius Servilius Servianus III. & C. Vibius Juventius Verus*. Leunclavius eoſdem a Panvinio mutuatus, ait: *Servilius Servianus & C. Vibius Juventius Verus*, cui tu plane ſimiliter ſcribis; quo in laterculo ille negligenter exſcribens tabulas Panvinii, notam tertii conſulatus Serviani omiſit. In vetuſto latere inter cimelia eruditiſſimi Fabretti legitur;

SERVIANO. III. ET. VARO. COS.

Hinc patet in priori inſcriptione cognomen *Veri* perperam exſcriptum, cum *Varus* dicendus ſit, uti vetuſta monumenta, quæ noſtris oculis vidimus, id evincunt. Plures nummos cum epigraphe VIBIUS VARUS producit cum Fulvio Urſino Eques Carolus Patinus eruditæ nummorum doctrinæ conſultiſſimus, ac de ſtelographia ſupra ceteros benemeritus. Quare cum alter Conſul e Vibia gente fuerit, non *Veri*, ſed *Vari* cognomen tulit, uti reapſe in faſtis Idacianis nuncupatur. Anno 160. imperante Antonino Pio, T. Vibius Varus Conſul in faſtis legitur. Tertii vero conſulatus Serviani teſtis etiam venit Spartianus in Hadriano cap. 8. *Serviano*, inquit, *tertium conſulatum, nec ſecum tamen, cum ille bis ante Hadrianum fuiſſet, ne eſſet ſecunda ſententia, non petenti, ac ſine precatione conceſſit*. In Gruteri etiam pag. 108. 7. legitur: SERVIANO III. COS. ut ſupine hallucinatus ſit Leunclavius qui Servianum ſine tertii conſulatus nota, ſuo indici infarſerit.

Anno 888. Chriſti 135. in faſtis græcis legitur: *Pontiano II. & Aquilino*; in Idacianis; *Pontiano, & Aquilino Ruſo*; in Proſperi ac Caſſiodori Chronicis: *Pompeiano & Attiliano*, at apud anonymum Cuſpiniani; *Luperco & Attico*. Panvinius in tanta cognominum diſcrepantia, ſcribit; *Videndum num ſint* Serg. Octavius Pontianus II. & Q. Vettius Aquilinus; *an quod magis credo*, Pompeianus Lupercus, & L. Julius Atticus Acilianus, *Conſul de quo Romæ in domo Matthæorum vetus adhuc extat epigramma*. Itaque in tabulis faſtorum Conſules hujus anni eidem nuncupantur *Pompeianus Lupercus, & L. Julius Atticus Acilianus*. Hos ſtatim Conſules deſcripſit Leunclavius, ac in indiculo libri 69. Dionis ad verbum, ad amuſſim, exacte, fideliter recitavit. Eoſdem repetunt Petavius, Bucherius, Calviſius, Goltzius, Ricciolius, aliique vulgo Chronologi, quorum nuper agmen clauſiſti, iiſdem vocibus Panvinianos Conſules reddens. Raphael Fabrettus hanc vetuſti lateris inſcriptionem typis ad Prototypum efformatam, mihi miſit.

PONTIANO. ET. ATILIANO. COS

EX. PR. ANN. VER. EX. OF. ANAOS

Ex hoc ſigillo lateris apparet, Idacium priorem Conſulem recte *Pontianum* appellaſſe, Proſperum vero optime ſecundum Conſulem *Atilianum* dixiſſe, utrumque vero ab anonymo Cuſpiniani falſis cognominibus expreſſum, quæ ſecutus Panvinius fictitios Conſules faſtis inſeruit, ac tot ſcriptoribus inſigniter impoſuit. Epigramma, in quo teſtatur laudari L. Julium Atticum Acilianum Conſulem, quamvis illud non recitet, extat inter veteres Inſcriptiones pagina 421. 5. cujus priores verſus exhibeo;

L. JULIO. TROM. ACILIANO

PRÆF. FAB. CONS. TAB. MIL

PROC. AUG. PATRON. COLON. &c.

Panvinius *Attici* cognomen inſeruit, ut anonymi Atticus Conſul ibidem locum haberet. Verum in eo elogio *L. Julius* e tribu *TROMentina*, *Acilianus* dicitur *Præfectus Fabrum*, ac *Conſervator Tabularii Militaris*, *Procurator Augusti*, *Patronus Coloniæ &c.* Illa enim ſyllaba CONS. non *Conſulem*, uti ille putabat, ſed *conſervatorem* ſignificat, uti demonſtrant cetera ejuſdem munia quæ Senatores, nedum Conſules dedecebant. Procuratores Auguſti equeſtris tantum ordinis erant. Gruteri pag. 584. nominatur Hermes A TABULARIO CASTR. Caſtra enim, urbes, domus Auguſta ſuos habebant tabularios, qui in vetuſtis Inſcriptionibus paſſim occurrunt. Haud tamen facile eſt divinare familias Pontiani & Atiliani, Anno quarto ante hoc collegium Conſulum, Serg. Octavius Pontianus Conſul fuit, quem Panvinius ſuſpicatur hoc iterum anno V. 888. conſulatum geſſiſſe; ſed in laudati lateris inſcriptione nulla iterati conſulatus nota legitur. Idem ſcribit, in epiſtolis Plinii *Julii Attici* mentionem fieri; epiſtolam tamen non indicat. Ea autem eſt duodecima lib. 1. in qua deſcribens mortem Corelli Rufi ſub initium imperii Nervæ ait: *Perveneram in proximum, cum mihi ab eadem Hiſpulla Julius Atticus nuntiat &c.* At hunc amicum uxoris Corellii poſt annos triginta octo Conſulem obtrudere, nimium ſupina hallucinatio eſt. In vetuſtis Inſcriptionibus pag. 71. 11. laudatur *C. Aurelius Atilianus* procurator Auguſti; pag. 394. *C. Cominius Atilianus* eques Romanus; pag. 485. 1. *L. Verginius Atilianus*. Vides hoc cognomen pluribus familiis uſurpatum. Ceterum Leunclavius non modo in recenſendis Conſulibus ſub Hadriano, recitatos cum Panvinio errores admiſit, verum alios etiam addidit, Panvinianos faſtos negligentius exſcribens. Nam in eodem indiculo lib. 69. Dionis A. V. 884. ait: *Octavius Pontianus, & M. Antonius Rufus*; cum Panvinius ex duplici inſcriptione non *Rufum*, ſed *Rufinum* ſcribendum oſtenderit. Præterea iteratos plurium Conſulum magiſtratus omiſit, nempe A. 874. *Annii Veri*: A. 878. *Serpronii Aſiatici*: A. 881. *Nonii Aſprenatis*: A. 882. *Juventii Celſi*: Anno denique 860. *Ælii Cæſaris*, ſecus ac illi ea vetuſtis elogiis Panvinius demonſtraverat. Rurſus ubi Panvinius nuda, uti erant in faſtis, Conſulum cognomenta reliquerat anno 874. *Augurini*: A. 880. *Gallicani*: A. 886. *Hiberi*, Leunclavius nec gru, nec gry ultra Panvinii voces loquitur, ut ſatis aperte idem tibi unius mei Panvinii amanuenſis appareat, quem Dionem eſſe arbitrabare.

An-

Anno V. 891. Chriſti 238. die 10. Julii Hadrianus vita & imperio defunctus Antoninum Pium ſucceſſorem excepit, quem eodem anno in filium adoptaverat die V. Kal. Martias Imperatoris titulo, Tribunitia poteſtate, ac imperio proconſulari eadem die enim ipſi communicatis, teſte Capitolino cap. 4. de Vita Pii, ac nummis. Olim quidem ex duplici inſcriptione Gruteri pag. 251. quibus addere poteram tertiam pag. 256. IV. in quibus Tribunitia poteſtas XXII. Hadriani legebatur, ejuſdem mortem in annum ſequentem protraxeram, quam opinionem poſtea exui viſis nummis Mediceis, in quibus legitur: ANTONINUS PIUS AUG. itemque COS. DES. II. cum vero anno 139. Conſul II. fuerit, anno 238. mortuo Hadriano, Auguſti titulum accepit una cum maximo Pontificatu, qui pariter titulus in nummis laudatis apparet, quem nondum Auguſti cum collegis Imperatoribus communicabant. Et ſane in inſcriptione pag. 256. dicitur *Imperator Ælius Cæſar Antoninus Imperatoris Trajani Hadriani Aug. Pont. Max.* TRIB. POT. XXII. *filius &c. Tribunitia poteſtatis, Conſul.* Eademque inſcriptio retrorſus legitur dedicata *Idibus Maii Nigro & Camerino Coſſ.* qui magiſtratum geſſere anno V. 891. cum menſe Maio Hadrianus eſſet TR. P. XXI. qui proinde numerus perperam ab exſcriptore XXII. exaratus eſt. Verum annum obitus Hadriani cap. 4. prioris par. Diſſert. Hypaticæ erudite ac ſolide demonſtravi. Imperante Antonino Pio tria ac viginti collegia Conſulum faſtis prænotantur, qui Kalendis Januariis proceſſerunt, quorum duodecim ex vetuſtis Inſcriptionibus Panvinius expoſuit, Octavius Falconerius eximiæ eruditionis præſul ac meus quondam amicus, in notis ad Inſcriptiones athleticas pag. 6. contendit faſtos prioribus imperii Antonini annis corruptos eſſe, gravemque Panvinio litem intendit, quod ſuffectos Conſules pro ordinariis obtrudens, conſulares tabulas depravaverit. Fons & origo hujus opinionis eſt inſcriptio Athletica quæ Romæ legitur in ædibus Farneſianis, in qua Antoninus Pius Auguſtus dicitur ΔΗΜΑΡΧΙΚΗC ΕΞΟΥCΙΑC. ΤΟ. Γ. ΥΠΑΤΟC. ΤΟ. Γ. videlicet *Tribunitia poteſtatis III. Conſul III.* eadem vero in fine deſignatur ſcripta ΠΡΟ ΙΖ. ΚΑΛ. ΙΟΥΝ. ΑΠΟ. ΡωΜΗC. ΤΟΡΚΟΥΑΤω. ΚΑΙ. ΗΡωΔΗ. ΥΠΑΤ. *Ante diem XVII. Kal. Jun. Romæ Torquato & Herode Conſulibus.* Cum vero primus annus imperii Antonini Conſules habeat Antoninum II. & Bruttium, tertius autem Torquatum & Herodem ex poſita inſcriptione, in qua iidem Conſules leguntur anno tertio Tribunitiæ poteſtatis Antonini Pii, conſequens fit, ut inter duo memorata Conſulum paria unum tantum par Conſulum locum habere poſſit, quo ſecundus annus Antonini obſignetur. Hinc infert *ſcriptores omnino omnes erraſſe*, qui conſulatum Turquati & Herodis ſtatuerunt anno ſexto imperii Antonini. Hæc ille. Verum ille plane erravit, dum omnes ſcriptores faſtorum erroris incuſat potius, quam exſcriptorem memoratæ inſcriptionis, ſive ejuſdem ſculptorem, de quo poſtea dicam. Vir alias eruditus in eam præpoſteram cenſuram deſcendit, quod initium Tribunitiæ poteſtatis Antonini ſumpſit ab obitu Hadriani, exiſtimans annos imperii Auguſtei Antonini, atque annos Tribunitiæ poteſtatis ejuſdem una eademque die 10. Julii anno 238. inchoatos, cum demortuo Hadriano ſucceſſit. At Antoninus die 25. Februarii ejuſdem anni 238. ab Hadriano adoptatus, Tribunitiam poteſtatem ac Imperium proconſulare cum titulis Imperatoris ac Cæſaris ſimul acceperat, teſte Capitolino cap. 4. cui dicitur Antoninus Pius *factus patri & in imperio proconſulari & in Tribunitia poteſtate collega*. Idipſum oſtendit laudata inſcriptio Gruteri pag. 256. 4. ubi Antoninus, vivente Hadriano, appellatur Cæſar, Tribunitiæ poteſtatis, ac Conſul. Proſtant nummi inſcripti: T. AELIVS CAESAR ANTONINVS; & in poſtica: TRIB. POT. COS. PIETAS; in aliis; CONCORDIA. S. C. in quibus non inſcribitur AVG. nec P. M. nec denique P. P. quia anus tantum tum ſuperſtes Hadrianus eos titulos ferebat, quamvis Antoninus Tribunitiæ poteſtatis particeps ibidem appelletur. Anno ſequenti 139. Conſules in faſtis ſignantur Antoninus Aug. II. & C. Bruttius Præſens, quo anno die 25. Februarii Antoninus auſpicatus eſt annum ſecundum Tribunitiæ poteſtatis. Extant nummi; ANTONINVS AVG. PIVS TR. P. II. COS. II. & in averſa parte: IMPERATOR II. LIBERT. S. C. Lapides antiquitus inſcripti eoſdem titulos præferunt pag. 253. 6. 7. 8. ubi num. 7. & antea pag. 163. 9. Antoninus dicitur TRIB. POT. II. COS. II. DES. III. Hoc anno erat Conſul deſignatus III. in annum ſequentem, collega M. Aurelio Cæſare filio per adoptionem. Extant nummi; IMP. ANTONINVS PIVS AVG. & retrorſus; AVRELIVS CAES. AVG. PII. F. COS. DES. Itaque recte in faſtis anno 140. ponuntur Conſules Antoninus Auguſtus III. & Aurelius Cæſar. In poſtica nummi Pii legitur: TR. P. III. COS. III. ITALIA S. C. In exteriori muro Baſilicæ Primatialis Piſanæ prope ſepulcrum Beatricis matris Heroidis Mathildis, viſitur fragmentum inſcriptionis Pii TRIB. POT. III. COS. III. qui pariter numeri leguntur in marmore Farneſiano, ex quo Falconerius faſtorum errorem inferebat. Hæc uti certa ſunt, ita etiam certiſſime conſtat Antoninum Pium anno 140. cum eſſet Conſul III. die 25. Februarii iniiſſe Tribunitiam Pot. III. quæ eidem decurrebat XVII. Kal. Junias, qua die in laudato marmore Farneſiano dicitur datum reſcriptum Antonini Auguſti ad athletas. Verum cum hocce reſcriptum obſignetur conſulatu Torquati & Herodis, inde aperte colligitur, falſum eſſe numerum annorum Tribunitiæ poteſtatis, nempe Trib. Pot. III. ibidem apud Gruterum ac Falconerium obſignatæ, cum die 16. Maii, qua Antoninus dicebatur Tribunitiæ poteſtatis III. ipſemet Antoninus III. & Aurelius Cæſar conſules in publicis monumentis ſignarentur, non vero Torquatus & Herodes, qui nequaquam eo anno Conſules proceſſerint. Porro inſcriptio illa athletica tantum abeſt a vulgatis faſtis emendandis, ut eoſdem potius optime digeſtos oſtendat. Etenim cum per literas rogaſſem Raphaelem Fabretum harum rerum conſultiſſimum, ut laudatam inſcriptionem in porticu areæ Romani Farneſiorum palatii perluſtraret, notaretque ſi quæ ibidem diverſitas appareret inter notas numerales Tribunitiæ poteſtatis, ac tertii conſulatus Antonini Pii; idem mihi reſcripſit inſignem inter utramque differentiam ſibi adnotatam. Nam nota multiplicatæ Tribunitiæ poteſtatis, non eſt purum Γ. uti perperam apud Gruterum, Fabrum, ac Falconerium legitur, ſed eſt gamma longiori tractu inferius ſinuatum; ubi nota tertii conſulatus vulgari majori Γ. ibidem exprimitur. Utramque notam numeralem heic in margine adpoſitam vides. Hinc patet priorem notam æquivalere minori ϛ ac deſignare ſextum Tribunitiæ poteſtatis annum, qui die 16. Maii Torquato & Herode Conſulibus, Antonino Pio agebatur, uti reapſe recte legitur in Panvinii faſtis, quos Falconerius ex Gruteri potius volumine, quam ex præſenti ſibi Romæ Farneſiano lapide, notam Tribunitiæ poteſtatis perperam exſcribens, emendandos putabat.

ϛ

Γ

Anno V. 900. Chriſti 147. quo Antoninus, ut poſtea oſtendam, ludos ſæculares celebravit, Conſules in faſtis aſſeruntur *Largus & Meſſallinus*, quos cum Marci prænomine e gente Valeria Panvinius obtrudit, teſtes laudans Capitolinum ac Dio-

Dionem, qui tamen in hiſtoria horum temporum, nempe in libris de Vita Antonini Pii, aut M. Aurelii, uti neque idem Dio, aut Spartianus de Vita Hadriani, nec ſemel eoſdem nominant. Ils quidem cognomina priori ætate erant gentis Valeriæ; ſed incertum eſt, an poſtea ab aliis familiis uſurpata fuerint. Non poſſum hac occaſione omittere inſignem Ligorii impoſturam. Extat in theſauro Gruteriano pag. 261. inſcriptio ab eodem Ligorio collecta cum titulo SABINAE AUGUSTAE, in cujus fine legitur;

DD. KAL. JANUAR

C. MANLIO. TORQUATO. ET

CORNELIO. MESSALLINO. COS

Hoc collegium Conſulum exhibetur ipſis Kalendis Januariis, ut Conſules ordinarii dicendi ſint. At Meſſallinus non e Valeria, ſed e Cornelia gente prodocitur, ejuſque collega non Largus, uti in omnibus faſtis legitur, ſed Manlius Torquatus inſcribitur. Eſt inſignis Ligorii impoſtura, cui familiare fuit non quidem fictas inſcriptiones concinnare, quod latinam linguam ignorabat, ſed e faſtis nomina Conſulum exſcribere, eaque vetuſtis Inſcriptionibus adponere. Tris perſimilis fraudis exempla hominis inſcitia ac vafritie confícta, in Conſulibus Domitiani Imperatoris prænotavi. Anno V. 900. ſignantur in faſtis Conſules *Largus & Meſſallinus*; anno ſequenti *Torquatus & Julianus*. Homo imperitus Meſſallinum ex priori laterculo, ex poſteriori Torquatum exſcripſit, novumque collegium Conſulum ordinariorum concinnavit, ac fraudi fraudem aſſuens, Torquatum e Manliis, Meſſallinum e Corneliis obtruſit, cum Manlii Torquati nuſquam hoc ſæculo nominentur; *Meſſallini* vero cognomen nulli umquam Corneliorum tulerint. Recte autem in faſtis Meſſallini collegam Largum poni patet ex reſcripto Antonini Pii quod legitur *L. 1. ſi adverſus creditorem libro 2. Cod.* quæ dicitur: *Dat. XI. Kalend. Aug. Largo & Meſſallino Coſſ.* Hæc adnotata volui, ne quis Ligoriani doli ignarus ex fictitio illo Conſulum collegio, faſtos emendandos putaret, cum Sabina Auguſta uxore Pii, aut hujus filia Sabina M. Aurelii ſuperſtitibus, commentitius ille conſulatus in faſtis appareat.

Anno Urbis 902. Chriſti 149. leguntur in tabulis conſularibus *Orfitus & Priſcus*. In vetuſtis Inſcriptionibus Panvinio laudatis, quæ etiam in theſauro Gruteri pag. 32. 9. & 48. 1. recitantur, ita iidem Conſules deſcribuntur: SER. SCIPIONE. ORFITO. ET. Q. NONIO. PRISCO. COS. Deſideratur familia prioris Conſulis. Panvinius e Corneliis eumdem pronuntiavit, ſcribens ad Ann. V. 918. *Cornelium Scipionem Orfiti nomen & cognomen eſſe manifeſtum eſt*. Caſaubonus in notis ad cap. 8. de Vita Antonini Pii, ait; *Videtur eſſe L. Cornelius Scipio Orfitus, qui ſub Pio Conſul fuit*. Errat in prænomine; nam ex laudatis inſcriptionibus *Sergii*, non *Lucii* prænomen tulit. Leunclavius cum Panvinio ſcribit in indice lib. 70. *Cornelius Scipio Orfitus*, quem tu quoque cum ceteris imitaris. Verum, ut inferius ex Tacito oſtendo in Conſulibus Commodo imperante, Reguli inſidiis, ac Neronis ſævitia Corneliorum Scipionum Orfitorum *domus ſubverſa* fuerat, & Orfitus qui Imperatore M. Aurelio conſulatum geſſit, e Gavia gente fuit, non vero ex Cornelia, uti putabat Panvinius. Orfitum tamen hujus anni Conſulem e Vettia gente ortum puto. Extat Gruteri pagina 302. fragmentum lapidis cum titulo *Ordo ſacer domus Aug. Palat.* in quo initio ſub titulo CLARISS. VIRI, quidam Senatores recitantur, quos inter legitur; VETTIUS SCIPIO ORFITUS, poſt Vettium Aquilinum, ac Vitraſium Pollionem viros conſulares. Quod vero qui decem primi vocantur, aliique poſtea ſubnotati, major pars *Aurelii* dicuntur, patet eoſdem fuiſſe in familia Aurelii Antonini Pii, ac proinde Vettium Scipionem Orfitum inter aſſeſſores Palatinos ibidem numeratum, hujus anni Conſulem fuiſſe, ut plane appareat falſa opinio Panvinii omnes Conſules *Orfiti* cognomine in faſtis ſignatos, in Corneliam Scipionum gentem adoptantis. Hac de re ad Conſules A. V. 918. iterum ſermo redibit. Itaque prior hujus anni Conſul mihi putatur *Serg. Vettius Scipio Orfitus*. Qui ſi tibi diſpliceat, eumdem iterum Corneliis adſcribito.

Anno Urbis 905. Chriſti 152. prænotantur faſtis *Glabrio & Omollus*, qui Panvinio ſunt *Sex. Acilius Glabrio*, & *C. Valerius Omollus*, quos integre iiſdem characteribus una cum reliquis exſcribis. Leunclavius fortuito utrinſque prænomen omiſit, quod ipſe conſulto tamen facerem. Hæreo veluti ad aquam ad illa prænomina. Nam ex Sirmondo viro eruditiſſimo æque ac accuratiſſimo, Gruteri pagina 1077. recitatur index Corporatorum Oſtienſium cum titulo;

MU. ACILIO. GLABRIONE

M. VALERIO. HOMULO. COS

Rurſus pag. 478. 10.

M. VALERIO

HOMULLO

COS. PATRON.

COL. D. D.

Pag. 344. 4.

ACILIAE. M'. F

M'. ANILIOLAE. C. F

M'. ACILI. GLABRION

SEN. COS. PRONEPTI

M'. ACILI. GLABRIONIS

COS. II. NEPTI

M'. ACILI. FAUSTINI

COS. F

Manlus Acilius Fauſtinus pater Aciliæ fuit Conſul anno Chriſti 210. Man. Acilius Glabrio fuit Conſul II. anno 186. ut oſtendam; Acilius *Senior* appellatus, geſſit conſulatum Antonino Pio imperante, M. Valerio Homullo collega. Panvinius qui inſcriptionem Sirmondi non viderat, hunc ſeniorem Acilium Conſulem putavit Imperatore Hadriano A. V. 877. Præterea extat epitaphium Gemellæ Torquatæ Reineſii pag. 575.

DE-

DEDIC. K. JUNIAS
SEX. GLABRIONE. ET. C. OMOL
LO. VERIANO. COS

Habemus hic duo paria Conſulum ſolis prænominibus diverſa. Rurſus inſcriptionum Reineſii pag. 230. recenſetur epigramma, quod dicitur

DEDIC. KAL. FEBR

JUNIOR. GLABRIONE. ET. HOMOLLO. COS

At in vita eruditiſſimi præſulis Angeli Celotii, qui omnium primus ſuperiori ſeculo erudita victoris gentium P. R. cimelia collegit, eadem inſcriptio recitatur; ſed ibi JUNIO GLABRIONE legitur. Verum in altera Reineſii pag. 334. mentio fit Aviti militis Beneficiarii.

JUN. OMULLI. CONSULAR

Harum prior cum dicatur dedicata Kal. Februariis, ſi prænomina præferret, ordinarios Conſules nobis indicaret. Poſterior dicitur extare Nemauſi. Si tanti putas hujus collegii veritatem ſcire, poteris Nemauſum ſcribere, ut certior fias num ibidem JUNI OMULLI legatur; ſiquidem Reineſius vetuſtas Inſcriptiones perinde ac amanuenſium ſcripta pro arbitrio mutare ſolet. Nam ut datis ea de re ad me literis notabat V. C. Abbas Fabrettus, quoties epitheton JUNIOR in vetuſtis elogiis legitur, nomen proprium ſemper ſubſequitur, numquam præcedit. Ipſe interim in faſtis Conſules ſine prænominibus ſignabo. Ex allatis monumentis conſtat unum collegium fuiſſe ordinarium, aliud vero ſuffectum.

Annus V. 906. Chriſti 153. Conſules habet in faſtis *Præſentem*, & *Ruſinum*. Panvinius priorem appellat *Bruttium Præſentem II.* eumdem putans qui ante annos XIV. cum Antonitio II. geſſerat conſulatum. De Ruſino vero ſcribit: *Alter, ut credo, Antonius Ruſinus*. Utrumque ſtatim rapit Leunclavius ſcribens in indiculo lib. 70. *Bruttius Præſens II. & Antonius Ruſinus*. Hic tamen conſulatus emendandus eſt ex inſigni inſcriptione Romana Gruteri pag. 300. ubi legitur Plotius Gallus cooptatus:

BRUTTIO. PRÆSENTE. A. JUNIO. RUFINO. COS.

P. R. C. ANN. DCCCCVI.

Ex laudata inſcriptione colligitur prænomen ac familia ſecundi Conſulis, itemque prior conſulatus Brutti Præſentis, qui ſine nota geminati magiſtratus ſcribendus eſt, ac diverſus dicendus a collega Pii Auguſti. Detritum eſt in lapide ejus prænomen; ſed reſtitui poteſt ex elogio ejuſdem filio dicato, qui Gruteri pag. 1095. dicitur *L. Fulvius C. F. Pom. Bruttius Præſens COS. II.* ut Conſules integre deſcribantur: *C. Bruttius Præſens, & A. Junius Ruſinus*. Panvinius, quod imperante Hadriano A. V. 884. M. Antonius Ruſinus Conſul fuerat, ex ſimili cognomine hunc quoque alterum Conſulem Antoniis adſcripſit; quem ſane continuum errorem erat idem in faſtis; quem quidem Panvinii errorem notas in Prolegom. num. 27. ſed perpetuo eumdem ſequeris in Conſulibus nominandis, quod non Panvinii, uti reapſe ſunt, ſed Dionis tu voces reddere opinabare.

Anno V. 907. Chriſti 154. ſunt in faſtis Conſules *Commodus*, & *Lateranus*. Panvinius cum legiſſet Capitolinum cap. 3. de Vita L. Veri Auguſti, ſcribentem: *Poſt quæſturam ſtatim Conſul eſt factus cum Sextilio Laterano*, ita eos Conſules deſcripſit: *L. Aurelius Cæſar, & Sextilius Lateranus*. Leunclavius more ſolito utrumque ad unum apicem ſuum in indicem retulit, ac tibi ſub imagine Dionis inſigniter illuſit. Nam ſcribis pag. 213. *Qui conſulatus in annum 154. incidit, hiſque verbis a Dione lib. 70. in indice Conſulari refertur: L. Aurelius Cæſar, & Sextilius Lateranus*. Hinc quod Dionem illa putabas ſcripſiſſe, colligis L. Verum anno 154. titulo Cæſaris decoratum; *id quidem*, inquiens, *veterum, immo & recentiorum nullus, quem legerim, ſcripſit*. At ſpero fore, ut ne tu quoque id in poſterum ſcribas. Capitolinus cap. 3. laudatu, narrat vivente Antonino Pio, nullum honorificentiæ adnomen L. Vero tributum, *quam quod Auguſti filius eſt appellatus;* & cap. 7. ſcribit eumdem poſt obitum Pii, a M. Aurelio & Cæſarem & Auguſtum creatum. At contendis vel Capitolinum, vel amanuenſes erraſſe, quod Dio anno 154. eumdem appellat Cæſarem, quo item titulo in nummis apud Goltzium ſine Auguſti cognomento, inſcribitur. Deſine talibus, vir eruditiſſime, ac me præmonſtrante, inſcriptos lapides legito. In priori græcis quidem literis, Romæ tamen ſcalpto, apparebit Gruteri pag. 1025. conſulatus

ΛΟΥ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ. ΚΟΜΜΟΔΟΥ

ΚΑΙ. ΤΙΤΟΥ. ϹΕΞΤΙΟΥ. ΛΑΤΕΡΑΝΟΥ

Vides hic Conſules *L. Aurelium Commodum & T. Sextium Lateranum*, ex quo epigrammate prænomen collegæ Commodi hactenus ignoratum intelligitur, uti etiam ejuſdem familia *Sextia*, non *Sextilia*, uti in Capitolino legitur. Sextii Laterani vetuſtas inter Romanarum gentium familias recenſentur; ſiquidem L. Sextius Lateranus ad plures conſulatus promotus legitur in Livii lib. 6. ac 7. In eadem quoque inſcriptione L. Aurelius non dicitur Cæſar, quod ipſum monſtrat altera etiam inſcriptio cap. 3. de Votis Decennalibus olim mihi ex pag. 300. Gruteri laudata, in qua legimus:

M. AELIO. AVRELIO. VERO. CAESARE. III.

L. AELIO. AVRELIO. COMMODO. II. COS

Incidit hic conſulatus in annum Chriſti 162. eumque poſtremum imperii Antonini Pii. Hanc inſcriptionem quam tibi indicaveram, altera ſtatim pagina tu quoque grandioribus characteribus exhibes, ut plane mirer te ſuppoſititio Dionis indici fidem præſtitiſſe. Nam M. Aurelius diſerte CAESAR ibidem inſcribitur, qui titulus cum in L. Aurelio collega non legatur, opti-

optime diſcere poteras eumdem nondum illa fuiſſe inſignitum. Extat quoque ſigillum lateris apud eruditiſſimum Fabrettum COMMODO. ET. LATERANO. COS. Nuſquam Commodus Cæſar inſcribitur, ut plane Capitolinus recte ſcripſerit eomdem tribus ac viginti annis privatum in domo Auguſta vixiſſe, quem poſtea M. Aurelius Auguſtus, inito ſtatim imperio, *Cæſaremque & Auguſtum dixit*. Nummus quem apud Goltzium laudabas, eſt Aurelii Commodi filii M. Aurelii Imperatoris, non vero L. Aurelii Commodi ejuſdem M. Aurelii per adoptionem fratris. Scribis pag. 27. L. Aelium ineunte anno 136. non fuiſſe Cæſarem, *ut colligitur*, inquit, *ex Dione in indice Conſulari, & ex duabus inſcriptionibus quæ extant apud Onuphrium lib. 2. faſtorum, quæ eodem anno dedicatæ ſunt, in quibus ſicut apud Dionem, Aelius dicitur tantum Conſul, non vero Cæſar*. Si pro Dione Leunclavium Panvinii amanuenſem reponas, omnia acute, erudite, vere. Exhibui heic tres inſcriptiones, ac locupletiſſimum Capitolini teſtimonium, ut probarem L. Aurelium Commodum ineunte anno 134. uno fuiſſe Cæſarem. Utere tua Regula.

Anno 908. Chriſti 155. in faſtis Proſperi & Caſſiodori leguntur Conſules *Verus & Sabinus*; in Idacio, & anonymo Cuſpiniani: *Severus & Sabinianus*, Panvinius ex inſcriptione in qua legebatur

SVBSCRIPSI. III. NON. NOEMB. ANTIQ

POLLIONE. ET. OPIMIANO. KOS. ORDI.

NARIS. SEVERO. ET. SABINIANO. COS

Item,

C. IVLIO. SEVERO.

M. RVFINO. SABINIANO. COS

Conſules hujus anni recte appellavit C. *Julium Severum*, ac M. *Rufinum Sabinianum*. Utrumque fideliter Leunclavius enſcripſit. At Falconerius pagina 8. & ſeq. de Inſcriptionibus athleticis arguit Panvinium qui Pollionem, & Opimianum ordinarios Conſules non poſuerit, *quos*, inquit, *Conſules ordinarios fuiſſe diſerte teſtatur hic lapis*. Dein reprehendit Panvinium quod ex inſcriptis lapidibus Conſules ordinarios ſæpe obtruſerit, qui tantum erant ſuffecti, nempe hos inter Conſules anno V. 924. & 925. Errat. Nam cum in nullis faſtis hoc anno legantur Conſules Pollio & Opimianus, eos poſuit Panvinius, qui in faſtis melioribus, ac lapidibus notatos vidit. Vox illa ORDINARIS perperam a Falconerio jungitur cum antecedenti collegio, quam cum Panvinio cum ſequenti collegio Severi & Sabiniani copulandam Idacii & anonymi faſti omnium optimi convincunt. Extat libro 2. Cod. Lex 1. *de edendo*, ab Antonino Pio publicata, quæ dicitur *PP. IV. Kalend. Octobris Sabino II. & Severo Coſſ.* Quamvis perperam iterati conſulatus nota appareat, patet eos fuiſſe Conſules ordinarios, qui imperante Antonino, ac ſucceſſoribus, ſoli legibus adponebantur. Nec Panvinius quoſcumque ſibi lectos in vetuſtis epigrammatis, Conſules in faſtos retulit, ſed eos tantum quorum cognomina in iiſdem faſtis legebat, uti reapſe fuere Conſules anno Urbis 924. & 925. quos Falconerius ſuffectos putabat, exiſtimans Torquatum & Herodem anno tertio imperii Pii conſulatum geſſiſſe, quam erroneam ejuſdem opinionem ſuperius confutavi.

Anno Urbis 909. Chriſti 156. notantur in faſtis Conſules *Silvanus & Augurinus*. Panvinius ſcribit: *Plautium Silvanorum, & Sentium Augurinorum nomina fuiſſe ſuperius demonſtravi*. En tibi Leunclavium ex Panvinio ſcribentem in indice libri 70. *Plautius Silvanus, & Sentius Augurinus*. Et quidem Panvinius cum legiſſet anno Urbis 752. Conſules Auguſtum XIII. & M. Plautium Silvanum, alium Silvanum qui imperante Tito anno Urbis 834. faſtis prænotatus, *M. Plautium* itidem appellavit, qui tamen T. Annius Silvanus dicebatur, ut oſtendi. At hic tertius Silvanus Conſul nec ex Plautiis, neque ex Anniis fuit, ſed ex Cejoniis. Extat inſcriptio apud Manutium in libro de Orthographia, ac Gruterum pagina 118. 5. in qua ædicula ſacra ædificata anno Urbis 864. imperante Trajano, C. Calpurnio Piſone & M. Vettio Bolano Coſſ. dicitur poſtes reparata, & ornata a Tib. Claudio Meſſalino centurione Cohortis V. Vigilum:

M. CEIONIO. SILVANO

C. SERIO. AVGVRINO. COS

Ceionia gens ad ſummum nobilitatis faſtigium evecta fuerat L. Ceionio in Cæſarem ac filium ab Hadriano adſumpto, cujus poſtea filius L. Ceionius Aurelius Commodus collega M. Aurelii imperavit. Quædam Ceioniorum familia Silvani cognomentum tulit, in qua prior hujus anni Conſul natus eſt. Ejus collegam Panvinius *Sentium* dixit, quod Plinius libro 4. epiſtolâ 27. laudat *Sentium Augurinum*. Sed aliter ſcribendam familiam docet laudata inſcriptio. Idem error corrigatur in altero Augurino Conſule A. V. 885.

Annus V. 910. Chriſti 157. Conſules habet in Chronico Proſperi, ejuſque exſcriptoris Caſſiodori *Barbarum & Regulum*. Panvinius *Barbari* cognomen in Romana gente barbarum putans, priorem Conſulem Barbarum vocat, nudaque uti erant, utriuſque cognomina in faſtis relinquens, ait: *De eis præterea nihil compertum habeo*. Leunclavio ex Panvinio ſimiliter penes ſola cognomina ſtatuuntur Conſules *Barbatus & Regulus*. At *Barbarum* priorem Conſulem appellandum docet Romæ inſcriptus lapis in hortis Juſtinianeis, qui a C. Julio Africano dicitur:

DEDICATVS X. K. AVG.

BARBARO. ET. REGULO. COS

Integram inſcriptionem producunt Sponius ſect. 1. Miſcell. art. 9 ac Reineſius in grandiori tomo Inſcript. pag. 8. Qui vero fuerit Conſul Barbarus exponit ejuſdem amicus Galenus in libro de Præcognit. cap. 2. *Similiter*, inquit, *& Barbarus avunculus Imperatoris Lucii, qui in Meſopotamiam expeditionem ſuſceperat, diſſectiones & ipſe videre affectabat, quemadmodum & Paulus; poſtremo quoque Severus qui tum Conſul erat, & Ariſtotelica diſciplina operam dederat*. Itaque Barbarus, quod erat L. Aurelii Commodi Imperatoris Antonini per adoptionem filii avunculus, ab eodem Antonino conſulatu inſigni-

Digitized by Google

gnitus fuit; Hujus familiam non falſa fortaſſa conjectura aſſequor. Capitolinus cap. 9. de Vita M. Aurelii laudat *Civicam patruum Veri Augusti*. Ille in vetuſtis epigrammatis dicebatur *Sex. Vetulenus Civica Pompejanus* qui cum L. Ceionio Commodo patre L. Veri Auguſti anno Chriſti 136. Conſul fuit. Capitolinum vero patruum pro avunculo ſcribere inde conſtat, quod L. Verus filius fuit Ceionii Commodi; quare frater patris dicendus itidem fuiſſet Ceionius, qui cum Vetulenus Civica dicatur, frater fuit matris L. Veri. Antiquus auctor libri de Progenie Auguſti ſcribit: *Sed demum Conſules regnum obtinuere; quorum faſces adusque Julii Cæſaris patris, patruique tui principatum defluxere* &c. Hic patruus pro avunculo accipitur. Ita Vetulenus Civica, quod eſſet frater uxoris L. Ceionii Commodi qui poſtea Aelius Cæſar poſt adoptionem dictus fuit, una cum cognato Conſul factus fuit ab Hadriano. Alter illius frater Vetulenus Barbarus. L. Aurelii Commodi poſtea Veri Auguſti patruus, ſive avunculus ab Antonino Pio conſulatum accepit.

Anno V. 911. Chriſti 158. memorantur in faſtis Conſules *Tertullus & Sacerdos*. Panvinius ait: *Q. Flavii Tertulli mentio eſt in antiquo lapide, cujus exemplum paulo poſt afferam*. Illud refert poſt quadriennium A. V. 915. ubi legitur:

DED. K. IVL

Q. IVNIO. RVSTICO.

Q. FLAVIO. TERTVLLO. COS

Quem quidem Tertullum eo anno Urbis 915. Conſulem ſuffectum tradit. At cum ibidem neutiquam inſcribatur nota iterati conſulatus, patet non eumdem Tertullum eſſe qui A. V. 911. Conſul legitur. Præterea Junius Ruſticus, ac Flavius Tertullus, qui eo in lapide leguntur, anno prorſus incerto conſulatum geſſere. Itaque Tertullus, Conſul A. V. 911. ſatis dubie Q. *Flavius* appellatur. Rurſus collegæ Sacerdotis familia incerta eſt; quamvis Panvinius ſcribat mentionem eſſe Licinii Sacerdotis in Capitolino & Dione; quod plane falſum eſt; nuſquam enim Licinii Sacerdotis mentio apud eoſdem occurrit. Cicero quidem in Cluentiana meminit C. Licinii Sacerdotis; & alter C. Licinius Sacerdos prætor Siciliæ eidem memoratur in Verrinis, ac in oratione pro Plancio, quem in conſulatu competitorem habuit, teſte Aſconio in argumento orationis de Toga candida. In veteri elogio dicato A. V. 853. in quo Trajanus Auguſtus COS. III. inſcribitur, uti poſtea oſtendo inferius A. V. 976. bimeſtres Conſules ita leguntur:

L. ROSCIO. AELIANO

TI. CLAVDIO. SACERDOTAE. COS

Porro nullus ignorat ſub Imperatoribus ſecundi ſæculi, vetuſtis Romanorum familiis partim extinctis, partim in ordinem redactis, novos homines in Romanis magiſtratibus ſucceſſiſſe, quod vel ipſa conſularium Faſtorum lectio manifeſtat. Hinc Sacerdotem ſub Antonino Conſulem *Claudium* potius quam *Licinium* nominandum exiſtimo, qui filius, aut nepos fuerit Tiberii Claudii Sacerdotis ſub Trajano Conſulis. Ceterum in Leunclavii indice ad lib. 70. Panviniani Conſules reponuntur: *Q. Flavius Tertullus & Licinius Sacerdos*, qui aliorum quoque ſcriptorum faſtos implent.

Annus inſequens V. C. 912. Chriſti 159. præfert Conſules *Quintilium & Priſcum*. Priorem *Plautium*, poſteriorem *Statium* e veteri epigrammate recte Panvinius appellavit. Omiſit prænomina, quæ in ſibi viſa inſcriptione non legebantur. Utrumque ſine prænomine Leunclavius pariter recitavit. Alterum tamen *Marcum* appellatum colligo ex inſcriptione Gruteri pag. XL. 13.

DIANAE

AVG

PRO. SAL. IMP

CAES

TITI. AEL. HADRIANI

ANTONINI. AVG. PII

P. P.

M. STATIVS. PRISCVS

LEG. AVG. PR. PR

V. S. L. M

Anno V. 915. a parilibus, Chriſti 161. Imperator Antoninus Pius die ſeptima Martii diem obiit, cui ſucceſſit M. Aurelius Antoninus cognomento Philoſophus, qui ſtatim L. Ælium Aurelium Commodum non modo Cæſarem, verum etiam Auguſtum novo exemplo, deſignavit, omnibus Imperatorum titulis, uno tantum excepto P. M. cum eodem communicatis. Imperante autem M. Aurelio undeviginti collegia Conſulum faſtis prænotantur, quorum magna pars erronee deſcripta eſt, ut etiamſi ceteri Conſules veris characteribus exarati legerentur, ex hiſce tantum appareret, eoſdem aliena plane manu libro 71. Dionis præfixos fuiſſe. Anno primo imperii Marci V. C. 916. Chriſti 162. in faſtis anonymi, ac Caſſiodori ſtatuuntur Conſules *Ruſticus, & Aquilinus*. Proſper ſcribit: *Ruſtico & Aquilo*; Idacius vero: *Ruſtino & Aquilino*. In lib. 5. Cod. L. 3. *de alendis liberis*, recitatur reſcriptum M. Aurelii, ac L. Veri Auguſtorum, quod dicitur: *PP. XIII. Kal. Martias Romæ Ruſtico, & Aquilino Coſſ.* Hinc cognomina Conſulum intelliguntur. Priorem Panvinius vocat Q. Junium Ruſticum, quem iterum Conſulem ab Imperatore creatum teſtatur Capitolinus in Marco cap. 3. In vetuſtis ponderibus idem, uti reor, prætor urbanus obſignatur: plura enim Gruteri pag. 221. recitantur inſcripta: Q. IVN. RVSTICI. PR. VRB. & rurſus pag. 222. Ulpianus D. 49. *L. 1. de Appellat.* laudat reſcriptum eorumdem Imperatorum *ad Junium Ruſticum præfectum Urbi*. Ejus collegam *Vettium Aquilinum* Panvinius nuncupat, cujus prænomen ſibi ignotum, punctis in tabulis notat. Leunclavius utrumque ſine prænomine digeſſit. Tu cum reliquis Panvinii faſtos exſcribis. In veteri Inſcriptione pag. 90. ſuperius indicata, in qua Aſſeſſores Palatini, ac familia Antonini Pii, ſive ut probabilius arbitror, M. Aurelii recitatur, inter viros clariſſimos, quorum duo Conſules ordinarii fuerunt, nominatur C. VETTIVS AQVILINUS, quem ipſum hujus anni Conſulem judico, ac cum *Caii* prænomine ſcribendum.

Anno V. 917. Chriſti 164. faſti habent Conſules *Macrinum & Celſum*. Panvinius ad A. V. 917. recitat hanc inſcriptionem: C. *Julio Macrino quondam veterano militi*, & *BIS CONSVLI Secunda Servata ſibi & Juliis Alpino & Alpinæ filiis B. M. F. C.* Ex hoc epitaphio prior hujus anni Conſul eidem fingitur C. *Julius Macrinus*, quem ſtatim arripuit Leunclavius, ſuoque indici inſeruit. At imperitus exſcriptor magno Panvinio fucum fecit, ac ceteros in errorem traxit. Extat illud epitaphium Auguſtæ Vindelicorum, ac num. 34. ab eruditiſſimo Velſero recitatur inter ſuæ patriæ monumenta, & veteri characterum qua ſcalptum eſt, forma expreſſum; ponitur etiam a Grutero pa. 346. 3.

D. M.

IVL. MACRIANO. QVONDAM

VETERANO. MILITI. M. H. M. EX. BF. COS

CONIVGI. CARISSIMO

SECVNDA. SERVATA. ET

SIBI. ET. IVLIIS

ALPINO. ET. ALPINAE. FILIIS

BENEVALENTIBVS. F. C.

Exſcriptor, quem ſcalprum potius quam calamus decuiſſet, pro *Macriano* ſcripſit *Macrinum*; tum omiſſis literis M. N. M. nempe: *Miſſo honeſta miſſione*, pro BF. COS. videlicet: *beneficiario Conſulis*, repoſuit: BIS CONSULI. Ita Macrianus purus putus veteranus miles, imperiti hominis inſcitia ac Panvinii auctoritate, conſulari prætexta decoratus, Romanos faſtos hactenus occupavit. Gruteri pag. 441. 10. laudatur: *M. Nonius M. F. Macrinus* COS. XV. VIR. SAC. FAC. PR. LEG. AUG. &c. In græco elogio Gruteri pag. 1078. a. laudatur *M. Macrinus* Marci Aurelii *legatus conſularis, ac proprætor*. Viſne hunc Macrinum verum Conſulem hoc anno ſubſtituamus in locum eraſi e faſtis Macriani militis? Ceterum alter etiam Conſul pari errore eidem Panvinio concinnatur *L. Cornelius Celſus* ex hac inſcriptione, loco unde eam acceperit, non deſignato.

L. CORNELIO. C. F.

GAL. CELSO

II. VIRO. PRAEF. ORAE

MARITIMAE

COHORT. I. ET. II

COS

Q. LICINIVS. SILVANVS

GRANIANVS

Ex illis litteris COS. Panvinius L. Cornelium Celſum *Conſulem* ſcripſit, cum legendum ſit POS. ideſt *Poſuit*. Hic tamen Cornelius Celſus erat decurio coloniæ Tarraconenſis, in qua geſſerat Duumviratum; idem fuit Præfectus oræ maritimæ, & Cohortis Primæ ac Secundæ. Extat Tarracone elogium eidem ab uxore inſcriptum Gruteri pag. 395. 10.

L. CORNELIO

C. F. GAL. CELSO

II. VIR. PRAEFECTO

ORAE. MARITUMAE

COH. I. ET. II

POMPEJA. DONACE

UXOR

Ex hac altera inſcriptione apparet priori perperam COS. inſertum fuiſſe, quaſi ille Conſul fuerit. Ita exſcriptor in hoc etiam Conſule Panvinium decepit. In aliis vetuſtis inſcriptionibus, quæ Tarracone dicuntur extare, alii etiam nominantur, qui eodem quo Cornelius Celſus munere perfuncti ſunt. Etenim Gruteri pag. 358. 3. laudatur *L. Antonius Silo Præfectus Cohortis IIII. TARRAC.* &c. *Præfectus Oræ Maritimæ Conventus Tarraconenſis*. Pag. 430. 1. *P. Licinius Lævinus* dicitur *Duumvir*, *Præfectus Cohortis novæ Tironum Oræ Maritimæ*. Immo ibidem num. 4. hoc epigramma recitatur:

Q. LICINIO. SIL

VANO. GRANIA

NO. FLAM. AUG

PROV. HISP. CITER

PRAEFECTO. ORAE

MARITIMAE. LALR

TANAE. PRO CURA

TORI. AUGUSTI

C. TERENTIUS. PHILE

TUS. DOMO. ROMA

Hic Q. Licinius Silvanus Granianus, qui elogium L. Cornelio Celſo conterraneo ſuo POſuit, eadem præfectura oræ maritimæ Conventus Tarraconenſis perfunctus eſt, quam antea Cornelius Celſus obiverat. Ex his patet Panvinium eumdem Cornelium ex Duumviro Tarraconenſi, ac præfecto cohortis I. & II. pro tuenda ora maritima, Conſulem anni V. 917. efformaſſe. Hic tamen, uti ejuſdem collega a Leunclavio inſeritur indici lib. 71. Dionis adpoſito, in quo leguntur Conſules C. *Julius Macrinus & L. Cornelius Celſus*, quorum prior miles tantum, alter vero Duumvir coloniæ ac

præ-

præfectus cohortis fuerunt. Utroque autem e faſtis, quos hactenus perperam occuparunt, ex puncto, ſola Macrini ac Celſi cognomina retinenda ſunt, quouſque eorumdem familiæ e vetuſtis monumentis apparebunt.

Anno V. 918. Chriſti 165. faſti habent Conſules *Pudentem & Orfitum*. Panvinius ait Servilii Pudentis mentionem fieri a Plinio in epiſtolis ad Trajanum. Eſt epiſtola 10. lib. 10. Itaque ex illius familia *Servilius Pudens* Panvinio nominatur. Addit Cornelios Scipiones cognomen *Orfiti* tuliſſe; hinc *L. Cornelius Scipio Orfitus*, altero loco Conſul obtruditur. Hos quoque nominat in indice Leunclavius. Veros tamen hujus anni Conſules exponit inſcriptio Gruteri pag. 1032. 6. dicata

A. D. XII. K. MART

M. GAVIO ORFITO

L. ARRIO, PVDENTE, COS

Anno V. 919. Chriſti 166. ſtatuuntur in faſtis Conſules *Pudens & Pollio*, quos cognomine tenus recitat etiam Lampridius in Commodo cap. 13. Panvinio dicuntur: *Servilius Pudens II. & T. Vitraſius Pollio*. Leunclavius omiſſa Pollionis familia, cetera exſcribit, quem falſa Dionis imagine ductus, imitaris. At obſervaras num. 13. in Prolegom. numquam duos conſulatus ordinarios conjunctim datos niſi Principibus re aut deſtinatione; unde num. 27. quereris te a Panvinio in errorem tractum, qui anno 381. & 384. bis Syagrium cum eodem ordinarium Conſulem dixeris. At hic quoque te Onuphrius decepit, cum Servilio Pudenti duos conjunctim ordinarios conſulatus tribuiſti. Quæſo te, Amice cum imperante Gallieno anno Chriſti 258. ponis Conſulem Pomponium Baſſum, & eumdem iterum Conſulem anno 259. producis, & rurſus cum Ovinium Paternum anno, 267. & iterum anno 268. Conſulem ſtatuis, putaſne temet tam frequenter a Panvinio in errorem inductum? At memorati anni V. 919. Conſules reſtituuntur ex inſcriptione aræ dicatæ pro ſalute Impp. M. Aurelii, ac L. Veri, quam Gruteri pagina 1009. 12. Fortunatus

CONSECRAVIT. X. K. SEPT

Q. SERVILIO. PUDENTE. L. FUFIDIO. POLLIONE. COS

Ita in indice erratorum reſtituitur, cum ibi erronee ſit: ULLO RUDENTE. Ibi nulla iterati conſulatus nota ſignatur; nam Pudens proximi anni Conſul, erat e familia Arria, hic vero gentis Serviliæ. Alter etiam Conſul falſo Vitraſius nominatur, qui e Fufidiis fuit.

Anno V. 922. Chriſti 169. ſunt in faſtis Conſules *Priſcus & Apollinaris*. Utriuſque familiam e veteri lapide recte Panvinius extulit. At quod ibidem ſine prænomine legebantur, uni Apollinari prænomen *Quinti* donavit. Leunclavius omnia fideliter a Panvinio accipiens priorem pariter Conſulem ſine prænomine poſuit. At prænomen *Quinti* primo Conſuli adponendum erat. En tibi integre hoc collegium ex pag. 300. veterum Inſcriptionum, in qua C. Licinius Licinianus dicitur cooptatus,

Q. SOSIO. PRISCO. P. COELIO. APOLLINARE. COS.

P. R. C. A. DCCCCXXII.

Habes non modo utrumque Conſulem integre deſcriptum, verum etiam rectum faſtorum ordinem annis Urbis exactiſſime congruentem. Nec negligenda eſt in Romanis familiis recta prænominum notitia, quia viri quarumdam ſolo prænomine diſtinguebantur, quod in Antoniis, Pompeiis, Vitelliis, aliiſque patet. Legiſti Svetonium cap. 5. in Vitellio.

Anno V. 923. Chriſti 170. nomen faſtis dedere *Cethegus & Clarus*. Panvinio ex plumbea fiſtula inſcripta: L. JUNIO. CLARO. ET. AUR. SEVERO. COS. hujus anni Conſules dicuntur: *M. Aurelius Cethegus, & L. Junius Clarus*. Leunclavius prioris tantum familiam brevitatis cauſa omittit, quod tu pariter facis. Hunc quoque errorem emendat inſcriptio Foroliivienſis in Æmilia, quam Eques Sigiſmundus Marcheſius lib. 1. Hiſtoriæ ejuſdem urbis inſeruit.

I. O. M.

M. VARENUS

POLYBIUS. PRO. SE

ET. SUOS

V. S. L. M

M. CORNELIO. CETHEGO. C. ERUCIO. CLARO

COS

In inſcriptione Gruteri pag. 106. legitur: CLARO ET CETHEGO; uti etiam L. 5. lib. 3. Cod. *de petit. hæredit.* dicitur: *PP. VI. Kal. Febr. Claro, & Cethego Coſſ.* utrobique Erucio Claro priori loco nominato. Porro Conſules in illa plumbea fiſtula inſcripti, fuere ſuffecti anno mihi ignoto, quos Panvinius, ut ordinarios hujus anni venditaret, cognomen *Severi*, quod in fiſtula legebatur, in *Cethegum* pro arbitrio commutavit. Eques Sertorius Orſatus meus quondam amicus, laudatam inſcriptionem prolixiori epiſtola expoſuit, ubi plura de voce SUOS ex vetuſtis monumentis producit. Et ſane Aurelii Cethegi in Romana hiſtoria nuſquam occurrunt, ſed paſſim Cornelii Cethegi, quorum plerique in faſtis Conſules recitantur. Erucius clarus

imperante Pio A. V. 899. Conſul nominatur, cujus hic alter Erucius fortaſſis filius fuit.

Anno ſequenti V. 924. Chriſti 171. ſcribuntur in faſtis Conſules *Severus II. & Herennianus*. Priorem ex Capitolino cap. 1. in Severo, vocat Panvinius *L. Septimium Severum*. De collega nec verbum addit. Ita pariter Leunclavius, ac ceteri. Hujus tamen prænomen ac familia legitur, uti quidem reor, Gruteri pag. 1095. 6.

JULIÆ. Q. F.
CALVINIANÆ
L. ALFIDI. HERENNIANI
CONSULIS
FABRATENI
NOVANI
D. D

Anno V. 926. Chriſti 173. nominantur in Faſtis Conſules *Severus II. & Pompejanus*. Panvinius ſcribit Capitolinum in M. Aurelio mentionem facere tum Claudii Severi ejuſdem Marci præceptoris, Peripateticæ doctrinæ philoſophi, tum etiam Claudii Pompeiani M. Aurelii generi. Hinc Conſules eidem dicuntur: *Cn. Claudius Severus II. & M. Claudius Pompeianus*. Leunclavius omiſſis prænominibus, utrumque Conſulem cum Panvinio e familiis Claudiorum facit. Errorem autem illorum pandit epitaphium via Appia Anicio Faltoni inſcriptum, Gruteri pag. 1025. 6.

X. OCTOB. M. AURELIO. SEVERO II.
ET. T. CLAUDIO. POMPEIANO. COS

Itaque erratum eſt in familia prioris Conſulis, ac prænominibus utriuſque. Claudius Severus Peripateticus, M. Aurelii præceptor, fuit Conſul ſuffectus, cum L. Verus Auguſtus bellum in Oriente gereret, teſte Galeno, cujus verba recitavi ad A. V. 910. ubi de Barbaro conſule ejuſdem teſtimonium laudavi. Præterea idem Panvinius erravit in altero etiam Conſule deſignando, ſcribens fuiſſe M. Claudium Pompeianum Marci Aurelii generum. Nam Vulcatius in vita Avidii Caſſii cap. 12. recitat fragmentum epiſtolæ M. Aurelii ad Senatum poſt intellectam necem Avidii, in qua ſcribit; *Habete igitur, P. C. pro gratulatione victoriæ generum meum Conſulem, Pompeianum dico: cujus ætas olim remuneranda fuerat conſulatu, niſi viri fortes interveniſſent, quibus reddi debuit quod a Republica debebatur*. Et ibidem in epiſtola ad Fauſtinam Auguſtam: *Pompeianum noſtrum in annum ſequentem Conſulem dixi*. Avidius Caſſius occiſus fuit anno Chriſtianæ epochæ 175. quo anno poſt Julium menſem Marcus Imperator eas literas ſcripſit, uti inferius evidenter oſtendam. Igitur Claudius Pompeianus ejuſdem Marci gener, non fuit Conſul ordinarius anno 173. ſed poſt triennium ſuffectus anno 176. Hinc notes velim Conſules non ſemper deſignari ſolitos paulo poſt initium anni in annum inſequentem, uti non ſemel ſcripſiſti, quod pluribus aliis exemplis poſſem demonſtrare. Caſaubonus in notis ad cap. 20. de Vita M. Aurelii, ubi Pompeianus gener dicitur *bis Conſul* factus a ſocero, ait hunc Pompeianum cum Severo II. Conſulem legi in faſtis, additque: *alterum conſulatum adhuc quæro*. Sed facile invenire poterat in laudatis litteris ad Fauſtinam, & Senatum; nec Pompeianus collega Severi II. fuit gener Marci, cum hic anno 176. conſulatum primum acceperit: alterum incerto anno ſuffectum geſſerit.

Anno V. 932. Cheiſti 179. leguntur Conſules *Commodus Auguſtus II. & Verus*. Panvinius ſcribit a Tertulliano in libro ad Scapulam nominari Veſpronium Candidum Verum, quem pariter laudat Spartianus in Juliano. Hinc collega Imperatoris Commodi dicitur eidem *Veſpronius Candidus Verus*. Leunclavius omiſſo altero cognomine, ſcribit; *Veſpronius Verus*. Hic quoque erratum eſt. Tertulliani verba ſunt cap. 4. ejus libri: *Ut Veſpronius Candidus, qui Chriſtianum quaſi tumultuoſum civibus ſuis ſatisfacere dimiſit*. Spartianus vero cap. 6. in Juliano ait; *Inter ceteros legatus eſt Veſpronius Candidus vetus conſularis*. Videſne fictum a Panvinio alterum cognomen *Veri*, ut Veſpronium hujus anni Conſulem efformaret? Tanti tamen valuit magni Panvinii auctoritas, ut Caſaubonus in notis ad Spartianum ſcripſerit legendum fortaſſe in eo capite 6. *Veſpronius Candidus Verus, vetus conſularis*; addens: *Veri cognomen eruditiſſimus quoque Onuphrius agnoſcit*. Immo fingit Onuphrius. Extat vetus inſcriptio pag. 66. 7. laudati totica Theſauri, aræ dedicatæ pro ſalute *Imperatoris M. Aurelii Commodi Antonini Auguſti Pii* P. P. SUB VESPRONIO CANDIDO COS. Neque hic *Veri* cognomen legitur. Immo hinc colligimus Veſpronium Candidum fuiſſe Conſulem ſuffectum poſt mortem M. Aurelii, quia in illa inſcriptione Commodus cum prænomine *Marci* ſignatur, quod poſt obitum patris aſſumpſit, cum illo vivente *Lucius* diceretur, quod ex nummis apparet, & ex vetuſtis lapidum inſcriptionibus pag. 261. 7. ubi legimus; *L. Ælio Aurelio Aug. F. Commodo Coſ.* Item num. 8. & 9. & pag. 262. 1. dicitur *L. Ælius Aurelius Commodus Conſul deſignatus*. Quare Veſpronius Candidus non fuit collega Imp. Commodi Conſulis, quia tunc is *Lucius*, non autem *Marcus* vocabatur. Sed quid his diutius immoror? En tibi vetus collega Commodi *Annius Aurelius Verus II.* ex duabus vetuſtis inſcriptionibus Ganteri pag. 65. 9.

D. D
NON. IANVAR
IMP. COMMODO. II.
T. ANNIO. VERO. II. COS

Rurſus pag. 77. 5.

DE-

DEDICATVM. IV. IDVS. AVG
IMP. COMMODO. II
ET. AVRELIO. VERO
II. COS

Ex utroque epigrammate alter Panvinii, Leunclavii, ac ceterorum error corrigendus eſt, dum *Verum* ſine nota iterati conſulatus deſcribunt. Recte Proſper, ac Caſſiodorus ſcribunt: *Commodo II. & Vero II.* Hic alter conſolatus Commodi una cum tribus collegiis conſularibus proxime antecedentibus memoratur in veteri inſcriptione una cum nominibus militum, qui eiſdem Conſulibus honeſta miſſione miſſi ſunt. Ejuſdem exemplum accepi ab eruditiſſimo Raphaele Fabretto.

EQV C. VITRASIVS. C. F. PVB. PRIMVS. CALIB
ETRIB C. NOVELLIVS. C. F. PAP. VERINVS. TICIN

APRO. II. ET. POLLIONE. II. COS

SP L. PASSENNIVS. L. F. OEF. FELIX. MEVI
C. ENASTELLO. C. F. FAB. EXORATVS. LUCA

COMMODO. ET. QVINTILLO. COS

COR C. MEMORIVS. C. F. PLA. MESSOR. SEGVS
M. AELIVS. M. F. MEC. MESTRIANVS. PEL
C. IVLIVS. C. F. FAR. SABINVS. HERAC
M. VITILIVS. M. F. POM. FVDENS. ARRET
EQV C. LARTILIVS. C. F. MEN. SPLVS. FRAEN
EQV M. CANIVS. M. F. VOT. RESTITVTVS. PLAC

ORFITO. ET. IVLIANO. COS

L. CASINIVS. L. F. POM. LEGITIMVS. VOLS
Q. VICCIVS. Q. F. POM. PVDENS. VOLSI
TI. CLAVDIVS. TI. F. OEF. VICTORIN. LUCA
M. VETTIVS. M. F. VEL. AVFIDIVS. FIR. PIC
LIBR. PR C. VACELLIUS. C. F. ANN. IVSTINIAN. ARIM
M. AELIUS. M. F. POM. IVSTVS. ARRET
M. FARRAX. M. F. STE. SATURNIN. FORVI
M. AESVTIVS. M. F. POL. VERVS. PARMA
T. FLAVIVS. T. F. CAM. LICINIANVS. RAVE
M. FOMPONIVS. M. F. NIC. STORIANVS. CONS
C. SATRIVS. C. F. LEM. MAXIMVS. BON
M. RADVSIVS. M. F. FAL. MARCIANVS. SAS

COMMODO II COS.

EQ C. CRISPIVS. C. F. ANI. SECVNDINVS. VEL
L. METELLIVS. L. F. POL. VALERIANVS. LETR EG
Q. VIRIVS. Q. F. CLA. NEOPTOLEMVS. GRVM
C. VETVRIVS. C. F. POL. PROFVTVRVS. PARM
Q. LOLLIVS. Q. F. MEC. CAESIANVS. BRVN
Q. LVCILIVS. Q. F. CAM. FRESENS. RAVE
C. VALERIVS. C. F. CLA. MASCVLIN. CAE
L. NAGIACVS. L. F. ANI. SEVERIN. VERC

Eſt fragmentum prolixioris inſcriptionis, ex qua patet Aprum, & Pollionem iterum Conſules ſcribendos, cum ſecus in faſtis Idacii, Proſperi, & Caſſiodori, atque tuis etiam legantur. Leunclavius Pollionem tantum bis Conſulem ex Panvinio exſcripſit, qui tamen utrumque iterum Conſulem ex veteri elogio recte poſuerat. Nec Lampridio cap. 12. in Commodo alter Apri conſulatus memoratur. Præterea ibidem ſcribit; *Orfito & Rufo Coſſ.* uti etiam Idacius, Proſper, hujuſque exſcriptor Caſſiodorus, cum tamen in laudato lapide *Orfito & Juliano Coſ.* legatur. Quod vero Lampridius ex actis Urbis plura ibi paria Conſulum recitat, dicendus eſt collega Orfiti *Julianus Rufus*, duplici cognomine. Hic vero in Panvinio ad AV. 931. dicitur *Vettius Rufus* ex Lampridio in Commodo. At perperam; ſiquidem ſcribit Lampridius cap. 4. *Interfecti & Vitraſia Fauſtina, & Velius Rufus, & Egnatius Capito Conſulares.* Itaque Rufus *Velia* gentis, non *Vettia* fuit. Tacito lib. 5. Annal. memoratur *Velius Gallus* inter amicos Sejani; Plinius lib. 4. ſcribit epiſtolam ar. *Velio Cerali*; Vopiſco cap. 3. de Vita Imperatoris Taciti laudatur *Velius Cornificius Conſul*. Quare cum in omnibus MSS. *Velius Rufus* apud Lampridium legatur, teſte Caſaubono, falſo dicitur e Vettiis fuiſſe. Hunc quoque errorem forbuit Leunclavius, tibique Dionis nomine, uti putabas, callide propinavit. Hic tamen non ſollicito familiam quoque Orfiti, quem vos cum Panvinio e gente Cornelia Scipionum putatis, quod ille ſcribat; *Cornelius Scipioque nota ſunt Orfiti nomina*; & ſuperius ad A. V. 918. *Cornelium Scipionem Orfiti nomen & cognomen eſſe manifeſtum eſt*. Cum tamen hic fuerit Gavius Orfitus, ut ex veteri elogio oſtendi. Et ſane Tacito libro 4. Hiſt. dicitur imperante

Ne-

Nerone Reguli inſidiis *ſubverſa Craſſorum*, & *Orſiti domus*. Hic erat a Cornelia gente Scipionum, Gavia poſtea familia Orſitorum ſub Antoninis floruit, vel & Vettia; & Gruterii pagina 302. inter *viros clariſſimos* nominatur *Vettius Scipio Orſitus*. Salvidieni etiam Orſiti cognomen tulere. Salvidienus Orſitus a Nerone damnatus dicitur Svetonio cap. 37. Salvidienus Orſitus conſularis a Domitiano relegatus cap. 10. de Vita Domitiani. Imperante Gallieno Furii Orſiti floruere, ex quibus Furius Orſitus Conſul fuit cum Aureliano Imperatore. Ego Orſitum ſub Commodo Conſulem M. Gavium Orſitum exiſtimo, Gavii Orſiti ante ſeptennium Conſulis conſanguineum.

Anno V. 933. Chriſti 180. in faſtis Caſſiodori leguntur Conſules *Præſens & Gordianus*; in Idacio, & anonymo Cuſpiniani: *Præſens & Condianus*. Panvinio autem dicuntur in tabulis faſtorum Arrius Præſens & Ælius Gordianus. At libro 2. Comment. priorem Conſulem modo *Bruttium*, modo poſt quatuor ſtatim verſus, *Arrium* vocat; ejus vero collegam *Sex. Quintilium Condianum* dicit. Leunclavius ſcribit: *Bruttius Præſens*, & *Quintilius Gordianus*, qui paſſim cognomine appellatur. In primis Bruttius Præſens cum iterati conſulatus nota ſcribendus eſt ex Lampridio in Commodo cap. 12. ubi ait: *XI. Kalend. Romanas Præſente iterum Conſule*. Ibi vero ſecus ac proxime fecerat, collegam Præſentis non nominat, quia uti recte prænotavit Caſaubonus, Condiani memoria e faſtis eraſa fuerat. Fuit is Sex. Quintilius Condianus Quintilii Maximi filius, quem Commodus neci tradidit, uti fuſius recitat Dio lib. 72. quare minus recte *Gordianus* pro *Condiano* nuncupatur. Extat Gruteri pagina 1095. 2. vetus inſcriptio in qua laudatur *L. Fulvius C. F. Bruttius Præſens* COS. II. ubi dicitur *Agrippinæ Aug. ſocer*, *M. Antonini Comes expeditionis Sarmaticæ* &c. Illa ſane inſcriptio aut erronee exſcripta, aut ſuppleta eſt. Ibi enim Agrippinæ Auguſtæ nomen perperam inſertum eſt. Scribit Capitolinus cap. 27. de M. Aurelio: *Filio ſuo Bruttii Præſentis filiam injunxit*. Itaque Bruttius Præſens pater Criſpinæ uxoris Commodi, erat ejuſdem Commodi ſocer, & ob id altero conſulatu a M. Aurelio decoratus. Ex illo tamen quamvis depravato epigrammate, intelligitur prænomen Brutii, quod hactenus Scriptores faſtorum latuit. Hoc anno die 17. Martii M. Aurelius Imperator in Germania vita defunctus, Commodum filium imperii, at non virtutum hæredem reliquit, quem antea collegam habuerat. Habes, vir eruditiſſime, non tria, aut quatuor, ſed plane decem collegia Conſulum ſub unius M. Aurelii imperio, perperam in faſtis deſcripta, veris tandem characteribus exarata.

Anno V. 936. Chriſti 183. Conſules ex Panvinio deſcribuntur *Commodus Aug. IV.* & *M. Aufidius Victorinus*. Deficit Victorino nota alterius conſulatus. Gruteri pag. 35. 1. dicitur ara Soli dicata:

IMP. COMMODO. AVG. PIO. FELICE. IIII

ET. VICTORINO. II. COS

Anno V. 937. Chriſti 184. faſti exhibent Conſules *Marullum & Ælianum*, qui e veteri elogio dicuntur Panvinio *M. Eggius Marullus*, & *N. Papirius Ælianus*. Erratum in prænomine Papirii, qui non *Numerius*, ſed *Cneus*, ſive Græcorum more *Gneus* dicebatur, Sponius V. C. ſect. 1. Miſcell. art. 2. recitat epigramma ab ſe Romæ exſcriptum, in quo legitur ara a M. Aurelio Auguſti liberto dicata

III. NON. JUNIAS. EGGIO

MARVLLO. ET. GN. PAPI

RIO. ALLIANO. COS

In Piſanis Cæſarum Caii ac Lucii Cenotaphiis oſtendi apud veteres in quibuſdam vocabulis v. g. Sullæ, Suriæ, Boruſtenis, V aut Y, promiſcue ſcribi. In inſcriptione ex Scaligero recitata pag. 30. 2. legitur: *L. Eggio Marullo*, *Cn. Paruvio Æliano Coſ.* Error in nomine ſecundi Conſulis ex ſuperiori, & altera pag. 49. 5. corrigendus eſt. In hac autem *Marcus*, non *Lucius* prior Conſul appellatur. Gravius erratum eſt Panvinio, Ricciolio, ac quod nollem, tibi quoque, dum eum illis ſcribere maluiſti: *M. Eggius Marcellus*, & *M. Papyrius Ælianus*. Typographus Ricciolii *Martellus*, pro *Marcellus*, edidit. Extat præter memoratas, alia inſcriptio Romana pag. 35. 12.

DEDIC. XV. K. JVL.

MARULLO. ET. AELIANO. COS

Non ſemel in faſtis ipſis *Marulli* cognomen occurrit. Nam Tacito lib. 14. nominatur *Junius Marullus Conſul deſignatus*. Capitolino cap. 2. de Vita Gordiani ſenioris laudatur ejuſdem pater *Metius Marullus Conſul*. Cæſar Epidium Marullum tribunum plebis poteſtate privavit, quem tamen proximis comitiis, plures Conſulem deſignarunt, teſte Svetonio in Julio cap. 79. & 80.

Anno V. 939. Chriſti 186. ſignantur in faſtis Conſules *Commodus Aug. V.* & *Manius Acilius Glabrio*. Hic iterum Conſul ſcribendus eſt, Gruteri pag. 94. memoratur votum ſolutum.

IMP. COMM. AVG

FELICE. V. ET. GLABRIONE

IT. COSS

Herodiano recitata nece Commodi, lib. 2. laudatur Glabrio *omnium patriciorum nobiliſſimus*, *ad Æneam Veneris & Anchiſis filium ſeriem generis referens*, *idemque iterum Conſul*. Hic autem Glabrio in tabulis conſularibus dicitur eidem Panvinio *Sex. Acilius Sex. F. M'. N. Glabrio II*. In libro tamen 2. Faſt. ad A. V. 939. non *Sextum*, ſed *Manium* eumdem prænominans, ait: *Hic Manius Acilius Glabrio*, *cujus pater Manius ſub Hadriano conſulatum geſſit*. Recte hic *Manii* prænomen eidem aſſignatum; ſed perperam filius dicitur Manii Acilii, qui collega C. Bellicio Torquato, ante annos LXII. ſub Hadriano Conſul in faſtis legitur; ſiquidem

filius

filius fuit Man. Acilii Glabrionis, qui cum M. Valerio Homollo conſulatum ſuffectum geſſit, Antonino Pio imperante, uti ſuperius adnotabam, ubi pariter recitavi inſcriptionem dicatam Aciliæ *filiæ Acilii Fauſtini Conſulis* anno 210. M'. ACILI GLABRIONIS COS. II. NEPTI, qui eſt hujus anni Conſul, *Man. Acilii Glabrionis Severis Conſulis pronepti*, qui cum M. Valerio Homollo Conſul fuit.

A. V. 945. Chriſti 188. C. *Allius Fuſcianus*, & *Dullius Silanus* Conſules abs te ex Leunclavio producuntur. Deeſt utrique nota numeralis iterati conſulatus. Gruteri pag. 1006. 9. vetus lapis habet:

FUSCIANO. II. ET. SILANO. COS

Lampridius etiam cap. 12. de Vita Commodi ait: *Fuſciano iterum Conſule*. Hinc colligas quam exacte ſuffecti conſulatus cum ordinariis ad hæc uſque tempora in faſtis ſoliti fuerint numerari; nec ſecus nobis ſcribendum eſt præter fidem tam inſignium monumentorum.

Anno V. 944. Chriſti 191. in faſtis Conſules *Apronianus* & *Bradua*. Panvinius putans ſecundum Conſulem eumdem eſſe Braduam qui ante ſextum annum Conſul legitur, cum geminati conſulatus nota illum deſcripſit. Hinc exſcriptori Leunclavio dicitur: *Metilius Bradua II.* At Braduam hujus anni Conſulem ſine nota iterati conſulatus ſcribendum, ac proinde diverſum fuiſſe a Metilio Bradua Conſule A. V. 938. docet inſcriptio apud Reineſium pag. 171. cujus fragmentum recito.

Q. VARIUS. VITA

LIS. B F. COS. ARAM

SACRAM. RESTI

TUIT

APRONIANO. ET BRA

DUA. COS.

Ulpianus *L. 10. D. de ſuſpect. tutor.* ait: *Sed Imperator Antoninus cum Divo Severo Bradua Maurico Africæ proconſuli reſcripſit* &c. Mauricius Bradua, qui imperante Commodo geſſeras conſulatum, decimo poſtea anno Africam ſortitus fuit, Imperatoribus Severo & Antonino Caracalla. Plinio lib. 4. epiſt. 22 & lib. 1. epiſt 14. laudatur *Junius Mauricus*. Num hic Conſul dicendus ſit ex eadem gente *Junius Mauricus Bradua*, in medio relinquo. Ipſe nihil ultra cognomen in faſtis ſcriberem.

Ex Addendis [Braduam alterum Conſulem A. V. 944. Mauricium Braduam, & hunc Juniæ forte gentis perperam ſcripſi. Extat Gruteri pag. 556. 2. epitaphium *M. Antonio Antio Lupo* poſitum, *cujus memoriam per vim oppreſſi* dicitur ex S. C. reſtituere M. VALERIUS BRADUA MAURICUS PONTIF. Commodus Auguſtus Antium Lupum per vim oppreſſerat, teſte Lampridio cap. 7. de Vita Commodi; ac proinde Imperatore eodem necato, ex S. C. Antii Lupi memoria reſtituta eſt a Valerio Bradua Maurico, qui cum *Pontifex* tantum dicatur, ejuſdem conſulatus, ac dein proconſulatus ſub Severo contigerunt.]

Idacius, Proſper, Caſſiodorus recte Braduam collegam Aproniani, ſine nota iterati conſulatus, ſcripſerunt. Inſeris conſulatibus ſub Commodo ejuſdem vota Quinquennalia, Decennalia Quindecennalia, Vicennalia, modo Cæſarei imperii, modo proconſulatis, ac denique Auguſtei, de quibus ſuperius diſputaveras par. 2. cap. 7. ubi quædam mihi aſſerta reprehendis. Etenim dicis me recte ſtatuiſſe anno noſtræ epochæ 175. tribunitiam poteſtatem Commodo delatam, erraſſe tamen, quod menſe Februario, aut Martio id ſcripſerim contigiſſe. Quotidie, Amice, diſcimus, ac poſterioribus curis, quæ dudum ſcripſeramus, expungimus. Dixeram eo loco quem ſolicitas; *ita diem liceat divinare*. Tu vero dicis tribunitiam poteſtatem datam Commodo poſt diem 17. Martii, ſed ante 28. Octobris. Viſne dicam? Verax es hariolus, qui rem intra latius octo fere menſium ſpatium ſecurius divinaſti. Agedum propius jam accedamus ad menſem tibi mihique ignotum, Dione, Lampridio, Capitolino, ac Vulcatio utrique noſtrum lampadem præferentibus. Hæc ſcribit Dio lib. 71. de M. Aurelio Auguſto: *Cum autem Caſſius res novas moliretur in Syria, Marcus vehementer perterritus, Commodum filium, veluti qui jam poſſet inter ephebos haberi, accerſiri ex Urbe jubet.* Commodus a Lampridio cap. 12. de Vita ejuſdem dicitur Roma *profectus in Germaniam XIV. Kalend. Ælias iiſdem Conſulibus*, nempe Piſone & Juliano. Itaque Commodus A. 175. die 19. Maii, a patre evocatus, in Germaniam perrexit. Vide quantum fallare, cum pag. 218. ſcribis ad A. 175. *ineunti Julio Caſſii defectio contigit*, cum ex Dione M. Aurelius poſt intellectam rebellionem Caſſii, Commodum in Germaniam accerſiverit. Sed audiamus etiam tertium ducem Capitolinum cap. 22. in M. Aurelio: *Filio*, inquit, *Commodo accerſito ad limitem, togam virilem dedit: quare congiarium populo diviſit*. Vidi nummum Mediceum inſcriptum: *M. Antoninus Aug. TR. P. XXIX.* & in poſtica: *Liberalitas Aug. VII.* Eſt congiarium Capitolino recitatum. At diem delatæ togæ Commodo prodit Lampridius cap. 2. *Indutus autem toga eſt Nonarum Juliarum die*. Imperator Marcus quo milites adverſus rebellantem Caſſium in fide contineret, filium depoſita prætexta, jam in toga virum, certum imperii ſucceſſorem oſtentavit. Tum M. Aurelius magnis itineribus in Italiam reverſus, nec Romam ingreſſus, in proximam Campaniam ſeceſſit, brevi cum claſſe in Orientem contra Caſſium tranſmiſſurus. Vulcatius in Avidio Caſſio quædam fragmenta recitat epiſtolarum, quas id temporis Fauſtina Auguſta ad Marcum miſit. In altera earumdem ſcribit: *Vide quid agas de Avidio Caſſio, & de ejus conſciis*; & ſtatim: *Sed ſi te Formiis invenire non potuero, aſſequar Capuam*. At iis plane diebus caput Caſſii ab ejuſdem interfectoribus ad Marcum delatum, ingenti eumdem ſollicitudine liberavit, qui ſtatim unius tantum hominis nece obtentæ Victoriæ nuntium miſit tum ad Fauſtinam, tum ad Senatum per litteras, quarum fragmenta Vulcatius recitat. At Senatus lætis acclamationibus memoratas litteras excepit, de quibus idem ſcriptor cap. 13. Eas inter conclamarunt: *Commodo Antonino tribunitiam poteſtatem rogamus, præſentiam tuam rogamus*. Ceterum Marcus Romam quidem ingredi recuſavit, ſed de altero morem gerens Senatui, filio Commodo tribunitiam poteſtatem detulit, ac cum eodem paulo poſt in Aſiam tranſmiſit. Viden, vir eruditiſſime, ut tempus collatæ Commodo tribunitiæ poteſtatis, quod a die 17. Martii ad 28. Octobris latiori ſpatio extendebas, intra Auguſtum contrahatur? Commodus Nonis Juliis eum virilem togam accepit, nondum erat tribunitia poteſtate inſignitus, quam accepit poſt nuntium occiſi Caſſii ad patrem in Campaniam delatum. Caſſius imperavit, teſte Dione, menſes tres, dies ſex. Menſe Aprili rebellaſſe dicendus eſt, cum Marcus celeri ejus defectionis nuntio accepto, filium Roma

nia accerſierit, qui die 19. Maji ad patrem profectus eſt, Itaque menſe Julio, occiſo Caſſio, caput ejuſdem certiſſimum compreſſæ rebellionis nuntium ipſimet interfectores Imperatori Marco menſe Auguſto obtulerunt. Tum petita a Senatu, atque etiam impetrata Commodo Cæſari tribunitia poteſtas. Nullus dubito quin dicturus ſis me hac altera vice probabilius divinaſſe. Hinc corrigendus Capitolinus qui cap. 27. cum narraſſet geſta Marco Aurelio in Oriente, ac in Græcia, ait: *Romam ut venit, triumphavit. Exinde Lavinium profectus eſt. Commodum deinde ſibi collegam in tribunitiam poteſtatem junxit.* Peccat anni & quod excurrit, metachroniſmum.

Ex annis tribunitiæ poteſtatis qui in nummis votorum Commodi obſignantur, varia eidem nuncupata vota in ſuos quæque annos refers. Et quidem initio ſcribis me *deceptum* qui nummum tertio Commodi conſulatu ſignatum deputaverim anno 180. Mitiſſime præ amicitia noſtra loqueris, cum deceptum dicis quem jure deceptorem poteras appellare. Eos nummos mutilata deſcriptione produxi, dum ſciens ac volens omiſi poſtremam partem epigraphæ COS. III. quam videbam meæ interpretationi contrariam. At ſuſpicabar Occonem, vel alium exſcriptorem nummi minus recte notas numerales conſulatuum exaraſſe. Habes fatentem reum. Comes Mediobarbus accurato ſtudio, ac diligenti cura Occonis numiſmata aliquot millium additione, nuperrime illuſtravit. Ibidem autem a pag. 248. Vota X. Commodo ſuſcepta recenſet. In primis: *Vota Decenn. Suſc. TR. P. VIII. Imp. VI, Coſ. III.* &c. ex Muſeo Coſpiano. Item; *VOT. Suſc. Dec. P. M. TR. P. VIIII. Imp. VII. Coſ. IV.* ex inſigni Muſeo quod poſſidet, Rurſus: *Vota. Suſcep. Decen. P. M. TR. P. X. Imp. VII. Coſſ. III.* ex ſcriniis Polacii. Præterea: *Sac. Fel. P. M. TR. P. XI. Imp. VII. Coſ. V.* &c. Victoria in clypeo ſcribente: VO. DE. videlicet: *Vota Decennalia*, vel *Votis Decennalibus*. Ad hæc; *Vota Sol. Decen. P. M. TR. P. XII. Coſ. V.* Verum anno etiam ſequenti Vota nuncupata tradit cap. 12. Lampridius: *Vota pro eo facta ſunt Nonis Piis Fuſciano iterum Conſule.* Nonis Piis, hoc eſt die quinta Aprilis erat TR. P. XIII. Denique paſſim proſtant nummi Commodi cum Votis X. ac TR. P. XV. Hæc vota abs te dicuntur nuncupata pro imperio Cæſareo, deinde pro imperio Proconſulari, denique pro Auguſteo. Numquam exactam rationem aſſignari poſſe puto cur ab TR. P. VIII. ad XII. per quinquennium ſingulis quibuſque annis vota Decennalia nuncupaverit, niſi dicamus quandoque concepta pro ſalute Populi Romani, quæ poſt decennium ſolvit, cum extent nummi ejuſdem Commodi inſcripti; VOTA SOL. PRO SAL. P. R. COS. VI. aut forte eadem Vota repetita memoria in nummis obſignata iis etiam annis quibus reapſe concepta non ſunt; vel denique ſtultum illum Principem qui in unicum annum conſules viginti quinque deſignavit, pro arbitrio Vota nuncupaſſe. Horum votorum explicatio minus pro voto mihi ſuccedit; quare eam tibi dimitto, qui hoc in ſtadio ceteros longo poſt te intervallo relinquis. Itaque ad faſtorum correctionem revertor.

Commodo Imperatore nocte quæ Kalendas Januarias anni Chriſtianæ Æræ 193. præcedebat, occiſo, Pertinax Imperium accepit, quo die 25. Martii interfecto, Didius Julianus Romanum urbem ingenti pretio a prætorianis redemit, qui pariter neci traditus, imperium Septimio Severo ac Peſcennio Nigro lacerandum reliquit. Annos imperii Severi duodeviginti Conſulum paria in faſtis ſignarunt. Eorum major pars ex vetuſtis monumentis a diligentiſſimo Panvinio optime deſcribitur. Quædam vero hic mihi vel reſtauranda ſunt, vel emendanda. Annus V. 948. Chriſti 195. Conſules habet *Tertullum ac Clementem*, qui Panvinio dicuntur *Q. Flavius Tertullus ac T. Flavius Clemens.* Utrumque ad unum apicem Leunclavius repoſuit in indice libri 74. Dionis. Apud Gruterum pagina 1027. 4. Corpus Fabroſum Navalium Oſtienſium dicat inſcriptionem P. Marcio Philippo, quæ dicitur;

DEDICATA. III. IDVS. APRILIS

SCAPVLA. TERTVLLO. ET. TINEIO. CLEMENTE. COS

Tertulli inſignis Romanæ familiæ viri id proprium fuiſſe habuere, quod cognomen nomini, ſeu familiæ proponebant. Ita Plinio lib. 5. epiſt. 15. laudatur *Cornutus Tertullus Conſul deſignatus;* & in panegyrico verſus finem ait: *Pro collega meo Cornuto Tertullo conſulari viro.* Cum vero ad eumdem ſcribit lib. 7. ep. 21. ait: *C. Plinius Cornuto ſuo*, ſolo cognomine eum deſignans. Panvinius Tertullum cognomen putavit, quod fortaſſis nomen gentile erat. Tertullianus librum ad eumdem proconſulem poſtea Africæ, mittens, *Scapula* inſcripſit, ſolo cognomine Proconſulis poſito. Libro 1. Digeſt. L. 14. *de officio Præſidis* legitur: *Divus Marcus, & Commodus Scapula Tertyllo reſcripſerunt.* At lib. 27. tit. *de rebus eorum qui ſub tutela* &c. dicitur oratio Severi Auguſti *in Senatu recitata Tertyllo, & Clemente Conſulibus Idibus Juniis.* Jam dixi Y & V promiſcue ſcribi in quibuſdam nominibus propriis apud antiquos. Hinc diſcimus Scapulam Tertullum poſtremis annis imperii M. Aurelii alios magiſtratus geſſiſſe ante conſulatum. Itaque ſine teſte, in gentem Flaviam tranſcribitur, uti & collega Clemens, qui erat familiæ Tineiæ. In Romano lapide pag. 731. 11. laudatur *Tineia Lucida* uxor P. Ælii Veri; feminæ autem paſſim prænomine carentes, familiæ nomine appellabantur, variis pro libito additis cognominibus.

Anno V. 960. Chriſti 207. Conſules fuere Aper & Maximus, quorum prior eſt Panvinio *M. Flavius Aper*, alter vero *Q. Allius Maximus.* Primum ita vocat, quia ante annos 77. Aper Conſul inſcribitur in lapide *M. Flavius;* alterum ait vidiſſe ſe in inſcriptione, *quæ*, inquit, *nunc ad manus non eſt.* Sed neque ad rem erat inſcriptio, etiamſi fuiſſet ad manum. Illa extat apud Gruterum pag. 172. 6. ubi legitur porticus *dedicata X. Kal. Junias:*

L. MAMMIO. POLLIONE

Q. ALLIO. MAXIMO. COS

Hinc patet Q. Allium Maximum collega Mammio Pollione geſſiſſe conſulatum ſuffectum, ac proinde minus recte poni Conſulem collegam Apri. Quem ergo Allio Maximo ſubſtituemus? Hæc cura poſteros maneat, ſi quandoque hujus anni Conſules in effoſſo marmore apparebunt. Tacitus lib. 11. *Memmium Pollionem* anno V. 802. imperante Claudio, Conſulem deſignatum memorat, qui fortaſſis idem videri poſſit qui in proxima inſcriptione laudatur.

Anno V. 962. Chriſti 209. ſunt in faſtis Conſules *Pompejanus & Avitus.* Panvinio integre deſcribuntur *M. Aurelius M.F. Claudius Pompejanus, & Lollianus Avitus.* Notat priorem memorari a Spartiano in Caracalla cap. 3. ubi narrat ab

eodem

Digitized by Google

eodem occiſum Pompeianum nepotem M. Aurelii Auguſti; addit laudari etiam in inſcriptione quam recitat ad A. V. 966. nempe:

GRNIO. SANCTO

M. AVRELIVS CL. POMPEIANVS

MIL. LEG. VIII. ANTONINIANAR

AVG. P. F. COS. K. IANVAR

IMP. D. N. ANTONINO. AVG. IIII. ET

BALBINO. II. COS

At exſcriptor imperitus peritiſſimum Romanarum rerum in errorem traxit. Ea inſcriptio ab Huttichio exſcripta legitur Gruteri pag. 108. 1. & iterum ad autographum delineata pag. 1075. ubi dicitur *M. Aurelius CL. Pompeianus*.

MIL. LEG. VIII

ANTONINIANAE

AVG. BP. COS. &c.

Nempe: *Miles Legionis VIII. Antoniniana Auguſta. Beneficiarius Conſulis* &c. In Panvinio perperam legitur: *Auguſta, Piu, Felicis Conſul*, ex milite factus. Sed neque alter Conſul recte dicitur Lollianus Avitus, quod Capitolinus cap. 2. in Pertinace laudat, inquit Panvinius, *Lollianum Avitum virum conſularem*. Nam hic Avitus, non dicitur Conſul II. quare non eſt idem cum eo, qui ante Pertinacis imperium geſſerat conſulatum. Utrumque Conſulem exſcripſit Leunclavius in indice libri 76.

Anno V. 963. Chriſti 210. annum aperuere *Fauſtinus, & Rufinus*. Panvinius e veteri elogio priorem vocat *Manium Acilium Fauſtinum*, alterum appellat *L. Ceſonium Macrum Rufinianum*, qui in antiquo epigrammate Conſul dicitur. Extat alterum elogium eidem a filio Cæſonio Lucillo dicatum Gruteri pag. 381. 1. ubi dicitur donis militaribus donatus *a Divo Marco*, ac *Comes Imp. Severi Alexandri Auguſti*; ex quibus patet eumdem, Severo imperante, vixiſſe. Hic tamen fingitur hoc anno collega Acilii Fauſtini, quia iſte *Rufinus*, non *Rufinianus* dicebatur. In codice Juſt. extant reſcripta Impp. Severi, & Antonini filii L. 1. *de bonis libert.* L. 2. *de contrahen. ſtipul.* L. 3. *de evction.* L. 1. *de donat.* quæ dicuntur PP. *Fauſtino, & Rufino Conſulibus*. Igitur cognomen *Rufini* perperam in *Rufinianum* mutatur. Hoc collegium conſulare habetur Gruteri pag. 300.

M'. ACILIO. FAVSTINO... TRIARIO. RVFINO. COS

Familia Triariorum erat conſularis, & anno 185. ſub Commodo, Triarius Maternus Conſul fuerat. Leunclavius hunc Conſulem Triarium Rufinum ex Panvinio *Macrum Rufinianum* appellat. Idem tamen Leunclavius ſatis negligenter magni ſcriptoris faſtos exſcribens anno V. 951. *Cornelii Anullini*, & anno 957. *Fabii Cilonis* iteratos conſulatus omittit, cum tamen uterque Conſul II. vetuſtis lapidibus a Panvinio laudatis, inſcribantur. Præterea ſupine hallucinatur, dum Getam Severi filium Conſulem A. V. 958. & 961. eumdem putat cum Septimio Geta Severi Auguſti fratre Conſule anno 956. ac proinde tres Getæ Cæſari conſulatus attribuit, qui binos tantum conſulatus geſſit.

Severus Auguſtus A. V. 964. Chriſti 211. die 4. Februarii Eboraci in Britannia decedens, Antonino ac Getæ filiis imperium, non vero concordiam reliquit. Nam Antoninus altero anno fratrem in ipſo Juliæ matris ſinu interfecit. Natalem Getæ optime exponis ad annum 202. At natalem Cæſareæ dignitatis Getæ didici ex actis paſſionis SS. Perpetuæ & Felicitatis. Ibi Sancta martyr ſcribit: *Munere enim caſtrenſi eramus pugnaturi. Natale tunc Getæ Cæſaris*. At ipſæ cum ſociis paſſæ ſunt die 7. Martii, ex omnibus vetuſtis Martyrologiis. Antonino Caracalla imperante, ſex collegia Conſulum annis nomen dederunt. Horum tria apud Panvinium, quatuor vero apud Leunclavium in indice Dionis libris 77. & 78. adpoſito, corrigenda ſunt, aut ſupplenda. Anno V. 965. Chriſti 212. leguntur in faſtis Conſules Aſper & Aſper. Leges pleræque Antonini ſignantur: *Duobus Aſpris Coſs.* In vetuſtis etiam Inſcriptionibus pag. 132. votum quoddam ſolutum recitatur *Idibus Juniis* DUOBUS ASPRIS COS. Panvinius ait: *Horum alterum eſſe exiſtimo, de quo mentio eſt in antiqua marmorea inſcriptione*; ex qua Conſul eidem deſcribitur *M. Pompejus Aſper*. De collega nihil addit. Eam inſcriptionem mutilam recitat, quæ integra legitur Gruteri pag. 557.

M. POMPEIO. M. F. ANI. ASPRO

7. LEG. XV. APOLLINAR. 7. COH. III. PR

PRIMOP. LEG. IIII. CYREN. PRAEF. CASTR

LEG. XX. VICTOR. &c.

Habes tertium militem a Panvinio ſago exutum, ac conſulari prætexta repente decoratum. Marcus Pompejus Aſper dicitur ibidem *centurio Legionis XV.* dein *centurio Cohortis III. Prætoriæ*; poſtea *primopilus Legionis IV. Cyrenaicæ*, ac tandem *præfectus caſtrorum Legionis XX. Victricis*. Hunc tamen militem cum Panvinio Leunclavius ac ceteri tecum, inſcio Antonino Imperatore ac Senatu, Conſulem crearunt. Ceterum Leunclavius cum nactus fuiſſet ineditum codicem excerptorum a Theodoſio quodam ex Dionis libris, ibidemque legiſſet *Julium Aſprum*, hunc ipſum Pompejo Aſpro collegam aſſignavit in indice, hæc ad marginem notans: *Sic adpellatur a Dione lib. 79. Faſti nomen hoc non habent*. Nullum tibi fucum, vir amiciſſime, Leunclavius fecit. Non dicit: *ſic adpellatur a Dione hic*, ſive *in indice*, ſeu *libro* 79. Addit: *Faſti* no-

nomen hoc non habent. At ſi illi faſti eſſent Dionis, dixiſſet: *alterum faſti* &c. Itaque appellat faſtos Panvinii quos eaſcribebat, & quos ceteri ad verbum ſecitant. Gratulandum tamen Leunclavio, qui poſt tot errores quibus faſtos depravavit, Julium Aſprum anni laudati Conſulem in memoratis Theodoſii excerptis recte obſervavit. Sed ejus collegam altera Dionis excerpta apud eruditiſſimum Henricum Valeſium oſtendunt. Dio enim pag. 743. Valeſiani voluminis ſcribit Antoninum Caracallam eximios honores in Julianum Aſprum contuliſſe: *at poſtea tum ad maximum*, inquit, *culmen extuliſſet ipſum ac filios tot ſimul faſcium pompa*, eumdem ignominioſe tractatum, in patriam remiſiſſe. Ex quibus Valeſius collegit Aſprus Conſules anni 212. filios fuiſſe Juliani Aſpri. Igitur ejus anni Conſules fuerunt *Julii Aſpri*, quorum prænomina ignorantur. Horum forte pater eſt *L. Julius Julianus*, qui Gruteri pag. 422. dicitur Conſul, legatus Auguſti, proprætor, ac proconſul.

Anno V. 966. Chriſti Domini 213. nominantur Conſules *Antoninus Aug. IV. & Balbinus II.* Panvinius ſcribit Balbinum fortaſſis eſſe fratrem D. Balbini, qui poſtea imperavit; hinc Conſul hujus anni eidem dicitus *P. Cœlius Balbinus II.* Leunclavius cautius prænomen Balbini omiſit, ac perperam notam iterati conſulatus. Erras Panvinius; ſiquidem Balbinus collega Imp. Antonini ipſus ipſus eſt *Decimus Cœlius*, qui poſtea fuis Imperator. Pag. 44. apud Gruterum num. 2. legitur:

III. NON. NOVEMBRES

IMP. ANTONINO. AVG. N. IV. ET. D.

CEILIO. BALBINO. II. COS

D. Cœlius Balbinus a Capitolino cap. 7. de Vita ejuſdem, dicitur ante acceptum imperium, *nobiliſſimus & iterum Conſul.* Hoc autem anno alteru conſulatu perfunctus eſt. Anno V. 968. Æmilius Lætus ſine nota geminati conſulatus a Leunclavio ſcribitur, ſecus oc in veteri Inſcriptione pag. 315. itemque apud Panvinium legitur.

Annus V. 969. Chriſti 216. Conſules habuit Sabinum II. & Anullinum. Panvinius ait in plumbea fiſtula ſe legiſſe:

Q. AQVILIO. SABINO. II.

SEX. AVR. ANVLLINO. COS

In tabulis tamen faſtorum iidem Conſules ipſimet Panvinio dicuntur *Q. Aquillius Sabinus II. & Sex Cornelius Anullinus*, qui ad verbum itidem leguntur in indice Leunclavii. As cum in ea fiſtula legeretur *Sex. AVR.* nempe *Sexto Aurelio*, miror Panvinium mutata gente ſeu familia, eumdem *Cornelium nominaſſe*. At V. C. Sponius priore parte Itinerarii pagina 346. recitat inſcriptionem abs ſe in villa Tuſculana Burgheſia lectam, in qua laudatur Antoninus Caracalla, ac prope eamdem legitur:

DEDIC XVIII. KAL

SEPTEM

C. ATIO. SABINO. II. ET. CORNELIO

ANVLLINO. COS

Rurſus Gruteri pagina 260. 1. recitatur elogium dicatum Antonino Caracallæ prope Legionem in Hiſpania.. *VII. Kalend. Oct.*

CATTO. SABINO. II. ET. CO. ANVLLINO. COS

Error corrigendus ex Sponiana proxime recitata, ac pro CATTO, C. ATIO legendum eſt. Utrique autem inſcriptioni major fides habenda eſt; tum quia ſcalptæ ſunt Caracalla imperante, tum quia in illis fiſtulis obſignabantur etiam Conſules *ſuffecti*, uti de alia oſtendi in Conſulibus, M. Aurelii ad annos Urbis 925. Idem vero Panvinius Sabinum ante alterum annum Conſulem Silii Meſſallæ collegam, Q. Aquillium nominaverat, quod eumdem putabat cum Sabino, qui hoc anno Conſul II. dicitur. Quare cum hic C. Aſius Sabinus fuerit, prioris etiam familia dubia evadit.

Anno V. 970. Chriſti 217. *Præſens, & Extricatus Conſules* aſſeruntur. Panvinius priorem ſine prænomine Bruttiis adcenſuit, alterum ſolo cognomine, ut in faſtis, recitavit. Leunclavius omnia illi ſimiliter poſuit. Extat illud collegium integre ſcalptum pag. 300. Theſauri magni Inſcriptionum.

IMP. ..... SEVERVS ....

COOPTATVS

C. BRVTTIO. PRAESENTE. T. MESSIO. EXTRICATO

II. COS

P. R. C. ANN. DCCCCLXX.

nem-

nempe: *Imp. Opelius Severus Macrinus Auguſtus coeptatus* &c. Antoninus enim Elagabalus ejuſdem nomen e faſtis eraſit, ut proxime exponam. Ea illa etiam inſcriptione colligimus faſtorum ſeriem cum annis Urbis optime hactenus collatam.

Hoc anno die 6. Aprilis occiſo Antonino Caracalla, Opelius Macrinus imperium occupavit. Anno primo imperii ejuſdem V. C. 971. Chriſti 218. leguntur in faſtis Conſules *Antoninus & Adventus*. Prior a Panvinio dicitur *M. Opelius Antoninus Diadumenianus Cæſar* Imperatoris Macrini Auguſti filius. Tu vero, vir alias oculatiſſime, ſcribis pagina 67. *Error hic evellendus. Nam Dio qui tunc vivebat, in indice Conſulari habet: M. Opelius Macrinus Aug. & ..... Adventus*. Non faſtorum, ſed Panvinii error evellendus, ſed una ſimul tuus quoque tibi error deponendus; illum enim indicem non qui id temporis vivebat, Dio, ſed qui poſt tredecim, quod excurrit, ſæcula vixit, Leonclavius concinnavit; immo a meo Panvinio concinnatum, exſcripſit. Hic quæ nova Dionis excerpta apud Theodoſium invenit, a pag. 955. & ſeq. Græco idiomate ex codice MS. recitavit, ubi cum nuſquam index Græcus Conſulum recitetur, *facile* poteras intelligere eum indicem aliunde a Leonclavio libris Dionis inſartum, non vero e Theodoſii chartis tum primum productum. Et ſane Leunclavius in laudato codice, quem ineditum, ac in angulo latentem, Panvinius non viderat, recte obſervavit anno 218. epochæ Chriſtianæ Macrinum Auguſtum collega Advento, ordinarium Conſulem Kalendis Januariis proceſſiſſe. Nam Dio in illis fragmentis Theodoſii ſcribit reprehenſum Macrinum, qui Adventum dudum ſpeculatorem, tabellarium ac nuper procuratorem, *non modo Senatorem, ſed etiam collegam in conſulatu, & Præfectum Urbis creaſſet*. Itaque Macrinus Auguſtus, ac Adventus annum 218. Conſules aperuerunt. Cum vero hoc ipſo anno Antoninus Elagabalus, Macrino acie victo, ac paulo poſt interempto, imperium occupaſſet, quædam teſte ibidem Dione, innovavit, inter quæ, *conſulatus*, inquit *Macrini loco, qui jam geſſus erat, nomen ſuum ſubſtituit, quum nec conſulatum a nobis accepiſſet, nec prorſus eum attigiſſet: quod initio tribus in litteris annum indicavit per adventi conſulatum, quaſi qui ſolus eum geſſiſſet*. Itaque Auctor eſt Dio Macrinum Imperatorem, & Adventum Conſules hunc annum aperuiſſe; Macrinum vero bimeſtri conſulatu perſunctum, eodem ſe abdicaſſe illis verbis deſignat: *qui jam geſſus erat*. Suffectos vero Conſules ſuppreſſo nomine idem libro 78. recenſet ſcilicet Pſeudantoninum Elagabalum perduellionis a Macrino datis ad Senatum literis incuſatum, quæ cum recitatæ eſſent, *dixere quidem*, inquit, *aliqua tum Conſules in Pſeudantoninum*. Hi erant ſuffecti in locum Macrini & Adventi. Addit Dio Elagabalum, occiſo Macrino, tribus litteris, nomen prioris ejus anni Conſulis Macrini hoſtis ſui exſecratum, collegæ tantum Adventi nomen adpoſuiſſe, ac poſtea ſuummet nomen Macrini loco ante Adventum ſubſtituiſſe, nomine Macrini eo facto e faſtis eraſo, quando Macrini ac Adventi conſulatus priori parte ejus anni *jam geſtus erat*, quem *nec prorſus attigiſſet*, quippe qui menſe Junio, poſt abdicatum a Macrino conſulatum, acclamatus fuerat Imperator. Quiſnam vero fuit Antoninus qui collega Advento hujus anni Conſul in omnibus faſtis legitur? Scribis pagina 67. *Qui quidem Antoninus alius non eſt a Macrino*. Non noſti hominem vir amiciſſime. Eſt Antoninus Elagabalus, qui eraſo e faſtis Macrini hoſtis nomine, *ſuum ſubſtituit*; & quidem ſtulte, quod ille conſulatus *jam geſtus erat, nec prorſus eum attigiſſet*. Hinc etiam in proxime recitata inſcriptione vidiſti nomen Macrini eraſum, ſeu, ut recte de marmoreo elogio loquar, detritum. En tibi alterum teſtimonium. Extat *lib. 2. Cod. L. 8. de Nuptiis geſtis*, reſcriptum Antonini Elagabali, quod ſignatur; *Dat. VI. Kalend. Auguſti Antonino & Advento Conſulibus*. Antoninus prior Conſul non eſt Macrinus; nam Elagabalus, teſte Dione, recuſavit literas ab ſe datas, Conſulis Macrini nomine obſignare; ac proinde nec ſuamet reſcripta odioſo hoſtis ſui nomine ſignavit. Eſt autem ipſemet Antoninus Elagabalus, qui *conſulatus Macrini loco, nomen ſuum ſubſtituit*, ut Dio nobis expoſuit. Hinc factum eſt, ut veteres faſtorum ſcriptores hunc annum *Antonini & Adventi* conſulatu faſtorum tabulis indicaverint. At tu pagina 226. Leunclavium ſecutus ad A. 218. ſcribis: *M. Opelius Macrinus Aug. & Adventus*. Jam vidiſti priorem Conſulem decreto, immo ipſa manu Imperatoris Antonini Elagabali e faſtis eraſum, nec tu potis es illum poſt quatuordecim ſæcula privata auctoritate reponere. Rideas, Amice, quas ad te ſcribo, nugas. Si petas e qua gente emerſerit Adventus. In familia viliſſima natum, ac ſordidis muneribus ante perſunctum Dio teſtatur. Apud Reineſium pag. 226. dicat inſcriptionem quamdam *C. Antiſtius Adventus legatus proprætor* &c. Viſne illum in gentem Antiſtiam referamus? Hæc plane cura Cenſores maneat, quorum munus erat plebejos in patricios adſciſcere, quod de Claudio, ac Veſpaſiano Cenſoribus hiſtorici prodiderunt. Conſules, imperante Elagabalo, recte in faſtis nominantur. At anno primo imperii ejuſdem Licinius Sacerdos Conſul II. ſcribendus eſt, uti legitur Gruteri pag. 300. In Reineſiana tamen altera inſcriptione ſine nota numerali clarum vidi. Anno V. 973. Chriſti 220. ſcribuntur Leunclavio Conſules *Gratus Sabinianus, & Claudius Seleucus*. Alterum cognomen prioris Conſulis prodidit Julius Africanus qui ſuum Chronicon clauſit *Conſulibus*, ut ipſe ait, *Grato Sabiniano & Seleuco*. In Digeſt. *L. 13. de his quæ ut indignis*, legitur; *Claudius Seleucus Papiniano ſuo ſalutem*. Papinianus paucos ante annos Caracallæ juſſu interfectus fuerat.

Anno V. 975. Æræ Chriſtianæ 222. Antoninus Elagabalus occiſus fuit die 6. Martii, qua Alexander Severus a Senatu imperium accepit. Septem collegia Conſulum lib. 80. ac ultimo Dionis a Leunclavio præfiguntur, & ea quidem adeo falſis ac mutilis characteribus deſcripta, ut etiamſi ceteros Conſules ad hæc uſque tempora optime digeſſiſſet, hinc tamen ſatis manifeſte oſtenderetur, eum indicem neutiquam a Dione concinnatum, qui proximos ſuos in altero conſulatu deceſſores ne nomine quidem tenus notos habuiſſet. Anno V. 976. Chriſti 223. annum in faſtis ſignarunt *Maximus & Ælianus*. Panvinius Maximi, uti erat in faſtis, cognomine tantum ſcripto, *Papirium Ælianum* alterum nuncupat. Idem omnino ſcribit Leunclavius. Utrumque Conſulem exhibet tabula ænea in agro Canuſino nuper reperta, quam anno 1681. Venetiis vidi, eamdem mihi indicante Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Julio Juſtiniano D. Marci Procuratore, antiquiſſimæ familiæ nobilitate, eximia eruditione, veterum monumentorum peritia, & quod in magna fortuna rarum, prompta ac facili comitate, domi foriſque conſpicuus. In ea, inquam, grandiori tabula initio ſtatim legitur;

L. MARIO. MAXIMO. II

L. ROSCIO. AELIANO. COS

M. ANTONIUS. PRISCUS, L. ANNIUS. II. VIR. QUINQUENN
NOMINA. DECURIONUM. IN. AERE
INCIDENDA. CURAVERUNT

Ibi recitatur poſtea catalogus Patronorum, Magiſtratuum, ac Decurionum Coloniæ qui videri poteſt in exemplari Venetiis æreis formis edito, literis ad amuſſim prototypi delineatis. Hic habemus prænomina ac familias Conſulum, itemque alterum L. Marii Maximi conſulatum, quem poſt Proſperum, ac Caſſiodorum, Panvinius, & exſcriptor Leunclavius, ceterique omiſerunt. Unus Idacius recte in faſtis ſcribit: *Maximo II. & Æliano*. Extant in codice Juſtinianeo plurima reſcripta Imperatoris Alexandri Severi *L. 3. de tranſact. L. 2. 3. de fide inſtrument. L. 6. de edendo*, *L. 8. de inoffic. teſtam. L. 4. ad S. C. Velleian. L. 5. qui petant tutor. L. 6. 7. de admin. tutor*, *L. 1. ubi pupilli*. *L. 3. de ſervit. L. 10. de evict.* & alia paſſim, quæ ſignantur data, aut propoſita: *Maximo II. & Æliano Conſulibus*. Auctor eſt Dio lib. 78. Macrinum Auguſtum detuliſſe præfecturam Urbis Advento qui cum ob literarum imperitiam, peſſime eo munere fungeretur, *factum eſt ut non multo poſt ejus loco præfecturam Urbanam Mario Maximo tribueret*, qui anno Chriſti 218. nempe quinto ante ſecundum ſuum conſulatum, præfectus Urbi fuit. Inferius etiam recitat quæ idem Macrinus poſt rebellionem Antonini Elagabali, ſcripſit *Maximo præfecto Urbis*. Num hic idem fuerit Marius Maximus, qui plurium Imperatorum vitas in literas miſit, ac laudatur a Capitolino cap. 15. in Pertinace, a Lampridio in Commodo cap. 18. a Vulcatio in Avidio cap. 6. a Spartiano in Hadriano cap. 20. in medio relinquo. Equidem Voſſius lib. 2. de Hiſtoricis Latinis cap. 5. recte obſervat Marium Maximum vitam quoque Alexandri Severi deſcripſiſſe, teſte Lampridio cap. 48. in Alexandro; illum vero nuſquam memorari a ſcriptoribus, qui ſucceſſorum Alexandri geſta enarrarunt, at plane videatur eodem Alexandro imperante floruiſſe. Panvinius Ælianum Marii Maximi collegam Papiriæ gentis deputavit, quod Ælianus Conſul A. V. 940. Commodo Imperatore, Papirius dicebatur. Verum extat Romæ inſcriptio apud eruditiſſimum Fabrettum, in qua laudatur Trajanus TRIB. POT. IIII. COS. III. DESIG..... eaque dicitur dedicata IIII. K. JAN.

L. ROSCIO. ÆLIANO
TI. CLAUDIO. SACERDOTAE. COS.

Habemus hic Conſules ſuffectos poſtrema parte anni Chriſtianæ epochæ 100. poſt bimeſtrem conſulatum C. Plinii, ac Tertulli Cornuti; illorum autem primus L. Roſcius Ælianus dicebatur, uti & collega poſtea Marii Maximi, e conſulari Roſciorum gente natus.

Anno V. 977. Chriſti 224. prænotantur faſtis Conſules *Julianus & Criſpinus*, de quibus Panvinius ſcribit: *Claudii Juliani meminit Spartianus in Alexandro. Criſpini vero conſularis Herodianus lib. 8.* Quod vero alius Criſpinus Conſul ſub Trajano A. V. 866. in veteri ſaxo C. Clodius inſcribitur, hunc quoque Criſpinum e Clodiis obtrudit. Leunclavius utrumque de more exſcribens, in indiculo lib. 80. Dionis ait: *Claudius Julianus*, *& Clodius Criſpinus*. Errat Panvinius, voſque omnes qui eidem ſimiliter eos Conſules ſtatuitis. Profecto Spartianus nihil de Claudio Juliano in Alexandro ſcripſit, cum Alexandri vitam Lampridius, non autem Spartianus deſcripſerit. At Lampridius nuſquam in Alexandro Claudii Juliani meminit. Unus Capitolinus hunc ipſum nominat in Maximo & Balbino cap. 17. ubi recitat epiſtolam, *qua*, inquit, *ſcripta eſt a Conſule ſui temporis de Pupieno & Balbino*, cum inſcriptione: *Pupieno & Balbino Auguſtis Claudius Julianus*, qui gratulatur delatum eiſdem imperium, quod intellexerat ex S. C. *quod vir*, inquit, *clariſſimus Celſus Ælianus collega tranſmiſerat*. Itaque Claudius Julianus una cum Celſo Æliano poſt imperium Alexandri Severi, ſuffectum conſulatum geſſit; ac proinde perperam imperante Alexandro ordinarius Conſul obtruditur. Alter quoque vulgarium faſtorum error corrigendus eſt; ſiquidem in iiſdem omittitur nota numeralis alterius conſulatus, quem Julianus hoc anno geſſit. Cum Inſcriptionem, quæ in villa territorii Brixienſis Conſeſio pagina XVIII. 10. Gruteriani Theſauri extare dicebatur, erronee ibidem deſcriptam ſuſpicarer, quod pariter idemmet Gruterus exiſtimans, eamdem in adpoſitis notis perperam ex ingenio emendavit, rogavi per literas Illuſtriſſimum ac Excellentiſſimum D. Julium Juſtinianum Venetum Patricium ſuperius mihi laudatum, ut illius epigrammatis ad Archetypum efformati exemplum deſcribendum curaret; noveram enim ampliſſimum Senatorem veterum numiſmatum, quorum ſcrinia poſſidet ac inſcriptorum antiquitus lapidum ſtudioſiſſimum. Itaque miſſo illuc homine, non modo erroneam, verum etiam mutilam inſcriptionem memoratam deprehendit, cum omiſſi fuiſſent Conſules in latere ejuſdem lapidis ſculpti. Extat epigramma in Eccleſia Conſeſii in baſe pilæ lapideæ cui tectum innititur;

JOVI. O. M
CONSERVATORI. POS
SESSIONUM. ROSCIOR
UM. PACULIAELIANI. N. COS
ET. BASSAE. FILIORUMQUE

EOR.

ROR. EX. VOTO. L

ROSCIUS. EUBULUS. NUTRIT

ET. PROCURAT. CUM. P. ROSCIO

FIRMO. LIB. PROC. ROR

In latere vero baſis,

D. IIII. NON. MART

JULIANO. II. ET. CRISP....

COS

At non modo ex hoc inſigni monumento, verum etiam ex plurimis reſcriptis Imperatoris Alexandri Severi conſtat Julianum COS. II. ſcribendum eſſe. Illa paſſim occurrunt in Codice Juſtiniani *L. 12. ex quibus cauſis: L. 3. de judiciis: L. 6. de rem. dotibus. L. 5. ad S. C. Vellejan. L. 1. de confir. tutore; L. 6. qui petant tutor. L. 2. quando mulier; L. 2. ſi tutor; L. 24 de uſur. pupillar. L. 6. de excuſat. tutor. L. 6. de furtis*, aliiſque reſcriptis, quæ ibidem ſubſignantur: *Juliano II. & Criſpino Conſulibus*. Neutrius familias compertas habeo. Criſpinus enim ſine teſte in Clodios refertur, cum Vettius Criſpinus Vettii Bolani viri conſularis filius laudetur a Statio lib. 5. Sylvar. Æmilius Criſpinus memoratur Gruteri pag. 1006. & T. Annius Criſpinus pag. 108. 7. aliique in diverſis familiis Criſpini occurrunt, at plane lubrica ſit conjectura ex Clodio Criſpino ante annos 111. Conſule, Criſpini anno 242. Conſulis familiam effingere.

Anno Urbis 978. Chriſti 225. in faſtis ſignantur Conſules *Fuſcus & Dexter*. Panvinius ex inſcriptione Tiburtina quam recitat etiam Gruterus pag. 40. 3. ac noviſſime Sponius in Itinerario, dicata Herculi Saxano Kalendis Decembris, L. TVRPILIO. DEXTRO. M. MAECIO RVFO. COS. hoſce pariter Conſules hoc anno ſtatuit. Hic quoque errat Panvinius, quem tamen Leunclavius de more ſecutus, in indiculo lib. 80. ait: *Turpilius Dexter, & Macius Rufus*. At faſti Proſperi, Caſſiodori, lapides inſcripti, leges ab Alexandro emiſſæ collegam Dextri *Fuſcum*, non autem *Rufum* appellant. In ſacrificio fratrum Arvalium quod Gruteri pag. 121. *Genio D. N. Severi Alexandri* factum dicitur, legimus:

FUSCO. II. ET. DEXTRO. COS. XIV. KAL. MAI. &c.

item pag. 9. 2.

I. O. M. ET

GENIO. LOCI

M. AURELIUS

URSULUS

B. F. COS. PRO

SR. ET. SUIS

V. S. L. M

FUSCO. II. ET

DEXTRO. COS

Ex utraque inſcriptione alter vulgarium faſtorum error apparet, cum in eiſdem Fuſcus ſine nota alterius hoc anno geſti conſulatus, deſcribitur. Optime in Codice recitantur plura reſcripta Imperatoris Alexandri Severi *L. 2. qui dare tutor. L. 3. in quibus cauſis: L. 6. de teſtam. milit. L. 4. de impub. ſubſt. L. 7. de fideicom.* aliaque plura ſubſignata *Fuſco II. & Dextro Coſſ.* Hæc olim in Diſſertat. de Nummo Diocletiani & Maximiani prænotaveram. At nuperrime pag. 228. tuæ Diſſertationis hypaticæ, reſpondiſti allatis a me teſtimoniis probari collegam Dextri vocatum fuiſſe *M. Macium Fuſcum Rufum, eo magis quo Dio in indice eoſdem edat, quos inſcriptio Onuphriana.* Jam tibi, Amicorum dulciſſime, quinquagies immo fere ſexagies opinionem de Dionis indice excuſſi, quem non celebris ille hiſtoricus concinnavit, ſed unus mei Panvinii amanuenſis Leunclavius. Sed nec tuum reſponſum juvat ficta tibi alterius cognominis additio, quæ nuſquam in laudatis inſcriptionibus, aut Alexandri reſcriptis, aut denique vetuſtis faſtis apparet. Præterea Fuſcus COS. II. ac propterea priori loco ante Dextrum recitatur, ubi Mæcius Rufus ſine nota iterati conſulatus, ſecundo loco nominatur, ut plane conſtet eumdem fuiſſe poſtrema anni incerti parte Conſulem ſuffectum. Ad hæc, quoties Conſul plura cognomina ferebat, poſtremo tantum in faſtis ſignabatur, ut denſatis exemplis Sirmondus in notis ad epiſtolas Ennodii ac Wilhelmius in libro de Diptychis præmonſtrarunt. Hinc ſi collega Dextri Mæcius Fuſcus Rufus ut opinaris dictus fuiſſet, *Rufi* cognomine in allatis monumentis ſignatus fuiſſet, cum tamen in omnibus *Fuſcus* tantummodo nuncupetur. Dixi Fuſcum utpote iterum Conſulem priori loco nominatum, quod id ſub Cæſaribus in uſum venerat, cum ſtante Republica non ſemel qui iterum Conſul procedebat, poſterior fuerit collega tum primum Conſule, ut patet ex tabulis Capitolinis ad Annos V. 578. 595. & 597. Imperante Antonino Caracalla Meſſius Extricatus Conſul II. poſteriori loco cum Bruttio Præſente ſemel Conſule legitur Gruteri pag. 300. ſed Extricatus conſulatum non ſuffectum, ſed honorarium forte geſſerat, qui Plautiano auctore in numerum cum ordinariis venire ſolebat, quem morem Macrinus imperium ipſis Præſente & Extricato Coſſ. occupans, antiquavit, teſte Dione lib. 78.

Anno V. 980. Chriſti 227. *Albinus & Maximus* Conſules ſcribuntur in faſtis Idacii, Proſperi, ac Caſſiodori; apud anonymum Cuſpiniani, *Albinianus & Maximus*; in faſtis græcis quos legit Panvinius, *Balbinus & Maximus*, apud anonymum Bucherii pag. 247. *Sabinus & Maximus*. Panvinio faſtos græcos ſequuto, iidem dicuntur *D. Cælius Balbinus II. & M. Clodius Pupienus Maximus*, qui poſtea collegæ Auguſti contra Maximinum a Senatu creati fuerunt. Hos ſtatim Conſules exſcribens Leunclavius, indici ad Dionis lib. 80. infarſit, voſque omnes Chronologi eoſdem ad unum apicem repetitis. Falleris,

ſti, Amice, falleris ſi Panvinio aut imaginario Dioni, quod perinde eſt, tam facile fidem commodas. Nam D. Cœlius Balbinus, qui poſtea imperavit, fuit Conſul II. cum Caracalla IV. uti ſuperius ex veteri elogio monſtravi. Idem ex Capitolino cap. 7. de Vita ejuſdem fuit *iterum Conſul*, ac in nummo apud Occonem COS. II. inſcribitur. Ille autem hoc anno Conſul III. fuiſſet. Non *Balbinus*, ſed *Albinus* prior Conſul dicendus eſt. Extant Imp. Alexandri reſcripta *L. 1. de errore advocat. L. 10. de procurat. L. 2. de pactis. L. 11. de negot. geſtis: L. 2. de condict. ob cauſam dati: L. 5. de donat. inter virum & uxor.* aliaque paſſim quæ dicuntur data, aut propoſita: *Albino, & Maximo Coſſ.* Præterea Gruteri pag. VII. 3. recitatur votum ſolutum ab Aulo Catrali ALBINO. ET. MAXIMO. COS. In vetuſtis Inſcriptionibus Reineſii pag. 324. legitur epitaphium:

D. M

SEP. VICTORI. NEPOTI

SEP. JUSTUS. EQ. SIN. D. N

AUC. TUR. ANTIOCHI. AUN

CULUS. NEPOTI. B. ME. AL

BINO. ET. MAXIMO. COS

XVII. KAL. SEPT. VIXIT. A. XXXIII.

Albini collega Maximus ea facilitate qua dicitur Clodius Pupienus, ex alia familia fingi poſſit. Et ſane inter ordinarios Conſules ſub Alexandro Severo quinque tenus cognomine *Maximi* in faſtis ignantur, quorum, uno hoc excepto, ſine prænomine ac familiæ deſignatione in faſtis, uti erant. Panvinius reliquit ſcribens ad conſulatum Maximi II. & Urbani Anno V. 987. ac duodecimo imperii Alexandri: *Veritas in obſcuro eſt per hæc tempora, quibus & librorum & lapidum auxilio deſtituti ſumus*. Hinc ſola pariter Maximi, & Urbani cognomina recitat. In vetuſtis Inſcriptionibus Reineſii pag. 407. laudatur C. *Cælius Urbanus conſularis*, quem anni memorati 987. Conſulem arbitror. Gruteri etiam pagina eror. 8. dicatur elogium

L. VALERIO. L. F. CL. POPLICIO

BALBINO. MAXIMO. COS. ORD

Annus tamen quo hic Maximus ordinarium conſulatum geſſerit, mihi hactenus incompertus eſt. Quare Albino Conſule faſtis reſtituto, indeque D. Cœlio Balbino remoto, ipſius ac collegæ familiam aliis indagandam dimitto. Ipſe quidem M. Nummium Albinum vocabo, filium Nummii Albini Conſulis anno Chriſti 206. patrem vero M. Nummi Albini Conſulis anno Chriſti 246. & iterum anno 263. cum Reineſii pag. 465. legatur: M. NUMMIO ALBINO CONSULI ORDINARIO ITERUM, quo charactere ſecundi conſulatus ex libello etiam ſeu indice præfectorum Urbis tibi deinceps ſecus ac in faſtis feciſti, ſcribendus erit.

Anno V. 981. Chriſti 228. prænotantur faſtis Conſules *Modeſtus & Probus*. Panvinius vero ſcribit: *Vettii Modeſti ſæpe meminit Plinius in epiſtolis lib. primo*. De poſteriori nihil recitat; quare eidem in tabulis ſcribuntur *Vettius Modeſtus & .... Probus*. Leunclavius adeo fideliter hoc par Conſulum exſcripſit, ut cum Panvinio vacuum ignotæ familiæ Probi ſpatium punctis notaverit: Riſi fateor novam hanc hominis in exſcribendo diligentiam, qui in indiculo lib. 69. Dionis *Auguris*, dein *Gallicani*, ac tandem *Hiberi* Conſulum nuda cognomina ſcripſerat, nec Panvinio ſimiliter incognitæ familiæ eorumdem ſpatium punctis obſignaverat. Ceterum Modeſti familia longius petitur a Vettio, quem ante 130. annos & quod excurrit, a Domitiano relegatum Plinius teſtatur. Præterea ex melioribus codicibus, in recentioribus editionibus lib. 1. epiſt. 5. *Metius* Modeſtus, non *Vettius* legitur. Plutarchus in Sympoſ. meminit Aufidii Modeſti. In vetuſtis Inſcriptionibus Gruteri pag. 403. laudatur C. Domitius Modeſtus; pag. 324. L. Antonius Modeſtus; pag. 26. 2. Q. Aſconius Modeſtus. Itaque cum id cognominis diverſarum gentium viri tulerint, ex eodem Modeſtus Conſul ſine fundamento, in Vettiam familiam trahitur. In inſigni inſcriptione Romana pag. 300. plura collegia Conſulum recta ſerie recitantur. Porro ibidem inter Acilium Fauſtinum, ac Triarium Ruſinum Conſules anno Chriſti 210. & Virium Agricolam ac Catium Clementinum Conſules anno 230. hocce par Conſulum detritis ibidem cognominibus, legitur:

TI. MANILIO......

SER. CALPURNIO......

Cum vero Conſules ab anno memorato 210. ad A. 230. certis characteribus in faſtis partim deſcripti, partim a me hactenus collocati ſint, præter Conſules anni 224. ac præſentis 228. quorum omnium, nempe quatuor, familiæ ignorantur, recitatos proximæ Conſules huic anno deputabo, ut fuiſſe dicantur *Tiberius Manilius, Modeſtus, ac Sergius Calpurnius Probus*. Dio lib. 78. meminit Manilii Senatoris a Macrino Auguſto relegati.

Habes, vir doctiſſime, in indice conſulari libri 80. Dionis ſex collegia Conſulum, quorum quinque falſis characteribus exarata demonſtravi, ut etiamſi ceteri anteriores conſulatus optime digeſti fuiſſent, ex iis tamen poſtremis palam intelligere poſſes eoſdem aliena manu eidem poſtremo Dionis libro infectos. Nam Dio priores ſui conſulatus ſucceſſores, & alterius deceſſores ignoraſſet, qui priorum ſæculorum Conſules tam exacte recenſuerat? Ille vero index, uti etiam liber tertio Imperatoris Alexandri, ac ſecondo ipſiuſmet Dionis hiſtorici conſulatu terminantur, qui cum certiſſimus ſit, ejuſdem Conſulis teſtimonio, putabam nullam mibi de il-

la

lo cum quopiam diſputationem ineundam; cum repente ejuſdem conſulatus occaſione, mihi litem intendis de loco, in quo tum Imperator, tum ejuſdem collega Dio memorato conſulatu defuncti ſunt. Enimvero in Diſſertat. de Nummo aureo grandioris moduli Mediceo Diocletiani ac Maximiani cap.6. ſcripſeram Alexandrum ac Dionem in Italia eodem conſulatu perfunctos. At tu part.2. Diſſert. Hypaticæ cap.9. num.3. contendis Imperatorem Alexandrum anno vulgaris epochæ 228. in Aſiam tranſmiſiſſe, ac Kal. Januariis Antiochiæ Conſulem III. proceſſiſſe; cujus quidem ſententiæ ipſum Alexandri collegam Dionem auctorem producis. Verum facile oſtendam te Dionis verba a me laudata partim diſſimulare, partim (da veniam dicto) falſa commentatione pervertere. Etenim Dio ſcribit ſe e Pannonica legatione Romam reverſum, a militibus prætorianis criminibus impetitum. Tum ſubdit: *At Alexander horum rationem habuit nullam, ſed contra me magis honeſtavit, ſecumque una iterum Conſulem deſignavit, & ſumptus quos ea dignitas poſtulat, ſe facturum recepit. Quod enim moleſte ferrent prætoriani, timuit ne me, ut vidiſſent cum inſignibus magiſtratus* (ita vox ἀρχῆς hic Latine reddenda eſt) *interficerent. Itaque mihi juſſit Alexander, ut alicubi extra urbem in Italia commorarer tempore hujus conſulatus mei. Quod cum feciſſem, Romam veni: dein profectus ſum ad ipſum in Campaniam, verſatuſque cum eo per aliquot dies, viſuſque a militibus, cum magna ſecuritate domum redii.* Hactenus Dio. Quæ quidem verba tam clare ac manifeſte mihi ſuffragantur, ut non poſſim non mirari eadem abs te in alienum ſenſum hac commentatione detorta, cum ſcribis: *Addit:* quod cum feciſſem, Romam veni, *ubi de eo tempore intelligendus eſt, quo Conſul tantum deſignatus erat, non vero quo conſulatum gerebat, ut perperam arbitratur* Noriſius: *neque enim id tutum, neque decorum fuiſſet.* Fallis, Amice, immo etiam falleris. Ipſe enim nec ſcripſi, nec ſomniavi quæ mihi imponis. Dionis tantum verba recitavi, quæ cum, uti reapſe ſunt, clariſſima viderentur, nullam inſuper interpretationem adjunxi. Ego ſane non putavi Dionem Romam rediiſſe, cum adhuc eſſet Conſul deſignatus, aut cum ipſo bimeſtri conſulatu fungeretur, ſed poſtquam magiſtratu abdicato, privatum Senatorem induerat. Tu vero arbitraris Alexandrum juſſiſſe Dioni, ut tempore etiam *quo Conſul tantum deſignatus erat*, alicubi extra Urbem in Italia moraretur; quæ opinio non una ratione falſa ac Dionis verbis contraria convincitur. Nam id juſſerat Alexander, *quia timuit*, inquit Dio, *ne me, ut vidiſſent cum inſignibus magiſtratus, interficerent.* At Conſules deſignati, o bone, nulla gerebant magiſtratus inſignia, non trabeam ſeu prætextam conſularem induebant, non ſellam curulem inſidebant, non cum faſcium aut lictorum pompa in publicum procedebant, ſed togati uti ceteri quoque privati Senatores, inambulabant. Hinc Alexander Dioni, quo tempore erat Conſul tantum deſignatus, nihil timere poterat ab invidia militum, qui tunc illum videre non poterant cum inſignibus magiſtratus; ſed tantum eidem timuit, cum inito magiſtratu, toga prætexta ornatus, faſcium ac lictorum pompa conſpicuus, foret proceſſurus. Quare eidem juſſit, ut tempore initi magiſtratus alicubi extra Urbem in Italia degeret, quouſque conſulatu abiret. Addit Dio: *Quod cum feciſſem, Romam veni.* Itaque abdicato conſulatu, Romam rediit, ac dein in Campaniam ad Imperatorem profectus eſt, ac proinde menſe Martio anno Chriſti 229. Alexander Severus adhuc erat in Italia. Præterea Dionem Imperatori refragatum comminiſceris. Peto enim abs te, num Alexander juſſerit Dioni, ut extra Urbem degeret tempore conſulatus initi, an deſignati? Si primum dicas, jungamus dexteras; ſin alterum aſſeras, te rurſus interrogatum volo, num Dio redierit Romam adhuc Conſul deſignatus, vel conſulatu jam abdicato? Reſpondes eumdem Romam rediiſſe eo tempore, *quo Conſul tantum deſignatus erat*; at ſecus illi Imperator, te interprete, juſſerat, nempe ut tempore ſui conſulatus deſignati extra Urbem moraretur. Profecto Dio qui melius quam tu aut ego, ſua geſta novit, teſtatur ſemet Principi paruiſſe: *Quod cum feciſſem*, inquit, *Romam veni.* Rurſus illa verba: *Juſſit Alexander, ut alicubi extra Urbem commorarer in Italia tempore hujus conſulatus mei*, commentaris, ſcribens: *Quibus verbis patet eum jam Conſulem hæc ſcripſiſſe, poſtquam domum redierat.* At falſo, Amice, eas voces *hujus conſulatus mei* ita exponis, ac ſi Dio ipſo conſulatu fungens in patria, illa ſcripſerit. Hæc ſunt ipſamet Dionis verba: καὶ ἐπέλευσεν ἔξω τῆς Ῥώμης ἐν τῇ Ἰταλίᾳ που διατρῖψαι τὸν τῆς ὑπατείας χρόνον, id eſt *ac juſſit, ut extra Romam alicubi in Italia tempus conſulatus tranſigerem.* Reddidi verba ad verbum, in quibus pronomen demonſtrativum *hujus*, in quo totam tuam opinionem fundas, non legitur; quod tamen nec falſo ab interprete additum eſt; de eo enim deſignatur conſulatus non quem gerebat, ſed de quo tunc ſermonem faciebat. Viden' ut ipſe Dio ſuis verbis teſtetur juſſiſſe ſibi Alexandrum, ut extra Romam alicubi IN ITALIA degeret quouſque conſulatu abiret? Tu vero fingis eumdem Conſulem deſignatum anno 228. primo vere non tantum ex Urbe & Italia, verum etiam ex Europa profectum, in Aſiam perexiſſe, ac ineunte anno 229. Nicææ in Bithynia conſulatum iniiſſe. Quare totum tempus conſulatus tum deſignati, tum initi extra Italiam tranſegiſſet, ſecus ac eidem ab Imperatore injunctum fuerat, ac reapſe factum eſt a Dione, qui ait: *Quod cum feciſſem*, nempe cum tempus conſulatus extra Urbem in Italia tranſegiſſem, *Romam veni, dein profectus ſum ad ipſum in Campaniam.* Scribis pag.177. *Mora itaque Alexandri in Campania pertinet ad initium anni Chriſti* 228. *non autem ad ſequentem*, ut interpretatur *idem Noriſius.* Cum vero conſtet, Dionem initio anno 228. deſignatum fuiſſe Conſulem in annum ſequentem, ſi initio anni 228. in Campaniam ad Alexandrum profectus eſt, non tempus deſignati, ut contendis, conſulatus, antequam in Urbem rediret, tranſegiſſet, qui aliquot tantum diebus extra Urbem fuiſſet? Producis ex Occone nummum Alexandri in antica parte inſcriptum: P. M. TR. P. VIII. COS. II. P. P. S. C. *in cujus*, inquis, *averſa parte viſitur Imperator eques cum haſta aut ſolo præeunte Victoria, circum vero ſcriptum:* PROFECTIO AUG. S. C. ex quo infers Alexandrum anno 228. quo erat TR. P. VIII. ac inſcribebatur COS. II. in Aſiam profectum, ac proinde Dionem anno 229. non perrexiſſe ad eumdem in Campaniam. Falleris. Sunt duorum ac diverſorum, non unius nummi inſcriptiones. Vixi tres menſes in Mediceæ gazæ numiſmatis, in quibus tu plane hoſpes appares, dum Imperatoris Alexandri nummum ſine ejuſdem Principis nomine ſcalptum obtrudis; cum tamen in omnibus legatur ALEXANDR AUG. in parte antica, in qua (de nummis Alexandri Auguſti loquor) numquam hi tituli apparent P. M. TR. P. COS. qui in poſtica ſemper ſcalpti ſunt. En tibi ex eodem Mediceo theſauro quas falſo recitaſti, veras numiſmatum inſcriptiones: IMP. SEV. ALEXAND. AVG. in aliis integre legitur ALEXANDER. Hæc anticæ partis inſcriptio; in averſa vero legitur: PROFECTIO AUG.

AUG. S. C. Nuſquam in nummis Alexandri, in quibus *Profectio* inſcripta eſt, apparent anni Tribunitiæ Poteſtatis. Hunc ſæpe lapidem offendis. Nam pag. 525. A. 210. Antonini Caracallæ; pag. 528. A. 230. Alexandri; pag. 530. A. 243. Gordiani; pag. 532. Philippi binos ubique nummos in unum confundis. Narras Alexandri anno 228. in Orientem tranſmiſſionem, addiſque: *Æſtate contra Perſas pugnavit, confectoque bello, Antiochiam copias montium atque hiemis aſperitate attritas, reduxit.* At Dio lib. 80. promiſerat ſe in ſumma ſcriptorum, *quæ*, inquit, *uſque ad ſecundum conſulatum meum geſta ſunt*. Quare cum geſſerit conſulatum ineunte anno 229. ac nec verbum quidem ſcripſerit de expeditione, aut præliis Alexandri adverſus Perſas, hæc neutiquam anno 228. contigere. Reſpondes hæc Dioni omiſſa, vel quia prælia eo anno parum proſpera Romanis fuere, vel quia eadem Dio ignoravit, qui ante Imperatoris *in Orientem profectionem, jam domum redierat*. Hæc ſcribis pag. 278. At illud primum optimi hiſtorici fidei notam importat; cum præſertim Dio tot illatas Romanis clades memoraverit; alterum virum diligentiſſimum inſcitiæ incuſat, qui belli in Armenia geſti ſucceſſus ignoraverit, & quidem in Bithynia degens, non in remotiori Græcia aut Italia, aut aliqua ultra Alpes provincia. Si vero Dio anno 228. ante Alexandri in Orientem profectionem *jam domum redierat*, tempus deſignati conſulatus (ego initi dicu) extra Italiam in Aſia tranſegiſſet, ſecus ac illi Imperator juſſerat, ac ſe idemmet Dio feciſſe teſtatur.

Hactenus faſtorum correctionem ab anno Chriſtianæ Epochæ 29. ad annum uſque 229. executus ſum; hoc enim anno Imperatore Alexandro III. & Dione II. Coſſ. index conſularis Dionis libris prænotatus, una cum poſtremo ejuſdem ſcriptoris volumine terminatur. Hæc autem ad te ſcribere auſus ſum, non ut falſam, qua tenebaris, de Dione ejuſdem indicis auctore opinionem exueres (id enim ſub uno tantum Alexandro Severo conſulatuum correctione confici poterat,) ſed uti dudum præfabar, notas quas in magnos Eccleſiæ Annales adornas, expunctis tot fictitiis Conſulibus, aliiſque plurimis qui falſis characteribus deſcripti, hactenus faſtos deturparunt, reſtitutis legitimis eorumdem nominibus, emendatiores in publicam lucem emitteres. Equidem certos tantum Conſules repoſui, locum in faſtis iis relinquens, qui quamvis dubiæ, & incertæ familiæ mihi viderentur, nullos interim certiores ipſorum loco poteram ſubſtituere. Hæc poſterior cura poſteros maneat, aut certe illos, quibus vetoſtæ inſcriptiones, quæ mihi latent, hac ætate compertæ ſunt, in quibus alia Conſulum collegia integre perleguntur. Emendationem vero faſtorum ultra indicem conſularem Dionis libris inſertum non promovi, quod illius tantum occaſione, huic operæ manum admovi. Nolo tamen putes ſequentia Conſulum collegia melius in vulgaribus faſtorum latereulis deſcripta eſſe; ſiquidem qui ſtatim ſequuntur Conſules A. V. 983. Chriſti 230. *Agricola & Clementinus* vel depravate, vel mutilatim ex Panvinio a vobis dicuntur *Calpurnius Agricola & Clementinus*, qui tamen leguntur exacte ac vere deſcripti Gruteri pag. 300.

L. VIRIO. AGRICOLA. SEX. CATIO. ClementiNO...

Viria gens fuit conſularis, ac mox alterum Conſulem, de quo eximie lætaberis, ex eadem hactenus ignotum recitabo. Catii etiam non ſemel in hiſtoriis occurrunt. Livius lib. 27. ſcribit Q. Catium Ædilem ludos Cereales celebraſſe. Catius Fronto orator memoratur Plinio lib. 2. epiſt. 11. & lib. 6. epiſt. 13. quem Panvinius ad A. V. 853. cum Cornelio Frontone oratore confundit. Qui vero deinde conſulatus reſtituendi ſint, privatis literis indicabo. Nam collegia Conſulum imperante Gallieno a viris eruditiſſimis Baronio ac Petavio aut expuncta, aut variata, in libro de Duobus Nummis ſtabilivi, uti etiam priorem ordinarium conſulatum Probi, & Maximiani Auguſtorum expoſui, quod in utroque Panvinius defecerat. Hinc ob quatuor aut quinque conſulatus illuſtratos, viſus ſum tibi pag. 544. Diſſertat. Hypaticæ *in doctrina faſtorum eruditiſſimus*, quem eximii honoris titulum tuæ erga me benevolentiæ deputo, cum ſubinde in doctrina faſtorum ipſemet meam inſcitiam incuſem, quam veterum monumentorum præſidio deſtitutus, nulla plane ratione poſſim excutere. Spero tamen fore, ut majorem apud te virum faſtorum doctrinæ ſcientiſſimum, gratiam ineam, cum non quinque tantum uti dudum, conſulatus, ſed ſeptuaginta Conſulum collegia hactenus in faſtis depravata ac mutila emendaverim, ac ſuppleverim, eaque intra annos tantum ducentos, a duobus Geminis Conſulibus uſque ad tertium Alexandri Severi conſulatum, qui poſtremus poſtremo hiſtoriæ Dionis a Leunclavio editæ & auctæ libro prænotatur. Unum tamen & alterum par Conſulum extra Panvinianos ab eodem Leunclavio exſcriptos faſtos, tibi indicabo: nec dubito quin prius collegium lætiſſimo animo excepturus ſis, immo in eodem plane triumphaturus. Etenim juſtæ magnitudinis, at maximæ eruditionis volumen ſingulari ſtudio, accuratiſſima diligentia, multa variaque lectione nuper procudiſti, ut ſuffectum Imperatoris Aureliani conſulatum contra ea quæ ſcripſeram, demonſtrares, ac ejuſdem inſuper ordinarium conſulatum anno primo imperii laudati Auguſti, Chriſtianæ vero epochæ 271. contra Panvinium aſſereres. Ipſe quidem, quod veri patientiſſimus ſum auditor, ac uni veritati ſumma religione lito, non modo tibi herbam victori porrigo, verum etiam victoriæ abs te feliciter partæ, monumentum nullo unquam ævo interituris characteribus inſcriptum, tibi do, dedicoque. Eſt epitaphium. Apage, inquies, hinc a me epitaphium; epinicia mihi quem victorem fateris, inſcribito; victæ vero, ac interemptæ erroneæ tuæ opinioni, quam egomet erudito ſtylo confeci, epitaphium dicato, ſi lubet rei tibi pudendæ, memoriam ad poſteros tranſmittere. Quæſo te, ne me interpelles; neque enim uni tuæ ſententiæ, aut errori meo epitaphium pono. Eſt, inquam, epitaphium A. Chriſtianæ epochæ 271. Urbis conditæ 1024. ab Amitia familia Diis Manibus Amitiorum ſacratum via Oſtienſi, quod legitur in opere poſtumo Inſcriptionum Thomæ Reineſii pag. 384. Eccum ipſum.

DIS.

DIS. AMIT. FAM. MANIBVS
SACRVM
XIII. KAL. IANVAR
IMP. CAES. VALERIO. AVRELIANO. AVG. II. ET
M. CEIONIO. VIRIO. BASSO. COS
L. AMITIVS. L. F. QVIR. TARQVISIVS. MODES
TVS. EQ. R. TARQVISIA. SABINA. AMITIA. VX
C. AMITIVS. Q. F. QVIR. CAPITOLINVS. FLA
MEN. MARTIALIS. ET. AEMILIA. FLAMINIA. VX
Q. AMITIVS. C. F. PRISCILLIANVS. VI. VIR
AVGVSTALIS. ET. MAMILIA. VENVTA. VX.
PERMISSV. L. AMITI. FELICI. PATRI. F. F. CVR
IN FR. P. XX. IN AGRO. P. XXX

Hæc ſepulcralis inſcriptio graviorem controverſiam, cui explicandæ longiorem ac difficiliorem operam inſumpſiſti, uno tantum verſu profligat, eique, ut cum Tacito quæ tuam victoriam decent, grandiora verba loquar, magnum diem imponit, cauſa tibi ex integro adjudicata. Hinc apparet Imperatorem Aurelianum anno 271. iterum Conſulem proceſſiſſe, ac proinde priorem conſulatum ſuffectum Valeriano & Gallieno imperantibus, geſſiſſe. Rurſus ejuſdem collegæ Baſſi hactenus a Panvinio aliiſque Pomponiæ gentis deputati, vera familia innoteſcit. In lapidis quidem inſcriptione N. *Ceionius Virius* legitur, quaſi prænomine *Numerius* diceretur; verum quod Reineſius in explicatione epitaphii *Marcum* appellat, hoc ipſum prænomen poſui in inſcriptione. Baſſus e Ceionia ac Viria gente ortus erat, quæ utraque conſularis. Nam anno 130. L. Virius Agricola Conſul fuit. Ceionius Commodus Imperatore Veſpaſiano conſulatum geſſit, ex qua poſtea gente L. Ælius Cæſar, L. Verus Imperator, ac poſtea Albinus Auguſtus prodiere. Vopiſcus in Aureliano cap. 31. recitat fragmentum epiſtolæ cum titulo: *Aurelianus Auguſtus Ceionio Baſſo*, quem ſupra ceteros Aureliano cariſſimum indicat, quod prioris conſulatus, quem Imperator geſſit, collegam eumdem voluerit. In aliis inſcriptionibus Gruteri pag. 276. ac Foroiulienſi abs te laudata initio Diſſertationis, Imp. L. *Domitius* Aurelianus appellatur; in hac tantum ſepulcrali *Valerius* Aurelianus nuncupatur. In nummis quibuſdam inſcribitur: *Imp. CL. Dom. Aurelianus Aug.* nempe *Claudius Domitius*. Sed Valeriam familiam eidem gentilem fuiſſe patet ex datis ad eumdem ante imperium a Claudio Auguſto literis, in quarum titulo apud Vopiſcum cap. 17. legitur: *Flavius Claudius Valerio Aureliano ſuo ſalutem*. Idem, utpote obſcuriore familia ortus, Claudiis ac Domitiis ſemet poſtea inſeruit, quæ tamen patritiarum gentium nomina in memorato epitaphio non memorantur. Hoc collegium conſulare extra Leunclavii indicem recitavi, quod in eodem totius tuæ cauſæ non quidem cardo, ſed victoria verſatur. Alterum par Conſulum pertinet ad annum noſtræ epochæ 517. quem ſignas conſulatu *Anaſtaſii Aug. IV. & Agapiti*. Scribis vero par. 2. cap. 5. num. 2. & in Rationario ſtſtorum ad eumdem annum, Anaſtaſium præter tuos canones hunc quartum conſulatum accepiſſe. Sed hac ſollicitudine te putabam liberatum a Scaligero, qui apud Gruterum laudat hoc epitaphium quod extare dicit Aquis-ſextiis in Baſilica Salvatoris. Recitatur pag. 1049. 2.

HIC. IN. PACE. QVIESCET
ADIVTOR. QVI. POST
ACCEPTAM. PAENITEN
TIAM. MIGRAVIT. AD. DNM
AN. LXV. MENS. VII. DIES. XV
DEPOSITVM. SD. VIIII. KAL
IANVAR. ANASTASIO. V. C
CONSVLE

Hic Anaſtaſius eſt privatus quipiam Senator, cum inſcribatur V. C. non vero D. N. nec videtur geſſiſſe conſulatum niſi A. 517. Et ſane Marcellinus, Marius Aventicenſis, & anonymus apud Panvinium eo anno Anaſtaſium ſine ullo titulo imperii, aut numerali nota conſulatus recitant. Anonymus qui id temporis vivebat, ac Conſules recitat ad obitum uſque Theodorici Regis Italiæ, cum ſcripſiſſet ad A. 507. *D. N. Anaſtaſio Conſ. ſolo*, anno abhinc decimo ait: *Anaſtaſio & Agapito*. Verum ſi illud epitaphium adhuc Aquis-ſextiis ſervatur, qui fieri poſſit, ut tuam diligentiam, immo oculos fugerit, quippe qui eadem in urbe ſcribebas? Laudas in cap. 8. partis ſecundæ tuæ Diſſertationis diptychum Leodienſe ac alterum Bituricenſe ab Alexandro Vuithelmio publicata, quæ tamen eruditiſſimo Domino Carolo Dufreſnio in doctiſſimo opere de Numiſmatis inferioris ævi accepta refers. Ceterum ſi ipſius Vuithelmii libri copiam habere potuiſſes, numquam de quarto illo Anaſtaſii Imperatoris conſulatu cogitaſſes. Nam totus ille liber verſatur in explicando conſulatu Flavii Anaſtaſii, qui cum Agapito anno 517. conſulatu ordinario perfunctus fuit. In utroque diptycho ejuſdem conſulis Anaſtaſii effigies conſulari habitu ornata conſpicitur cum inſcriptione: FL. ANASTASIVS. PAVLVS. PROBVS. SABINIAN. POMPEIVS. ANASTASIVS. VIR. INL. COM. DOMESTIC. EQVIT. ET. CONS. ORDIN. Idem vero Vuithelmius denſatis exemplis oſtendit conſules quoties plura nomina aut cognomina fe-

rebant, poſtremo tantum cognomine in faſtis obſignatos. Itaque fictitius eſt quartus Anaſtaſii Auguſti conſulatus cum *Fl. Anaſtaſius vir Illuſtris, ac Comes Domeſticorum Equitum, Conſul ordinarius*, Agapito collega, ineunte anno 517. proceſſerit. Interim præ inſigni tua eruditione indagare poteris, cur in veſtra Gallia Orientalis Conſulis nomen in memorato epitaphio inſcriptum fuerit, & ejuſdem diptycha in Galliam miſſa; mihi enim ſatis eſt utriuſque diptychi beneficio, curam ac ſolicitudinem tibimet ademiſſe, qui moleſte ferebas ab Imperatore Anaſtaſio quartum illum conſulatum præter ſtatutos abs te canones ſuſceptum.

Faſtorum correctione abſoluta, obligatæ fidei memor, alterum quod ſpoponderam, exequor, ea paucis tibi indicans, quæ a quibuſdam poſita a te Conſulatuum Cæſareorum Regulis opponuntur. Hi quidem adhuc vulgari opinione tenentur, exiſtimantes Auguſtos modo plures, modo pauciores conſulatus pro arbitrio ſuſcepiſſe, teque longiorem operam inani labore luſiſſe putant, dum eorumdem conſulatuum cauſas ac rationes inveſtigaſti. Vir ſane doctiſſimus ac tui nominis cultor, datis ad me literis teſtatus eſt, ingenii tui ſemet acumen mirari, dum tot Regulas concinnaſti, quas tamen nullas ipſe putabat, quod tot exceptiones ſubeant, ut ſæpius ab Imperatoribus contemptæ, quam obſervatæ videantur. Enimvero Veſpaſianus decem annis imperii octies Conſul proceſſit, Tito filio ſepties collega, Domitianus vero quindecennali imperio, decies Conſul in faſtis legitur; cum tamen Hadrianus, Antoninus Pius, ac M. Aurelius quorum principatus ultra ſexageſimum annum proceſſit, decem tantum annos ſuo conſulatu aperuerint, Hadrianus quidem ter, ac totidem M. Aurelius, quater vero Antoninus Pius. Horum moderationem commendant, qui tam raros conſulatus admiſerint: illorum vero ambitionem ſugillant, qui & biſſenos faſcera atque annos tam ſæpe occupaverint. Domitiani certe conſulatus ſub leges ac regulas abs te coactos, præter deceſſorum ac ſucceſſorum exempla fuiſſe contendunt, idque prolixa diſputatione demonſtrare conati ſunt, cujus ad te ſummam tranſmitto. Et quidem initio laudant vetuſtos ſcriptores, qui toties iteratos Domitiani conſulatus irriſerunt. Plinius, qui eodem Imperatore, prætor fuit, in panegyrici ad Trajanum ait: *Nec te ad exemplar ejus*, videlicet Domitiani, *voco, qui continuis conſulatibus fecerat longum quemdam & ſine diſcrimine annum*. Dio lib. 67. tot conſulatus eidem Imperatori *ſtulte & inſolenter multiplicatos* teſtatur, qui proinde nulla ſub regula, nullove ſub exemplo poni poſſunt. Denique Auſonius Conſul in panegyrico ait: *Scis enim, Imperator doctiſſime, (rurſus enim utar laude privata) ſcis, inquam, ſeptem ac decem Domitiani conſulatus, quos ille invidia alios provehendi continuando conſeruit, ita in ejus aviditate deriſos, ut hoc cum pagina faſtorum ſuorum, immo faſtidiorum ſeveris inſolentem, nec potuerit præſtare felicem*. Audin, inquiunt, uti teſtatur irriſos eos conſulatus, quos invidiæ etiam incuſat? Aut ille peſſime de Domitiani conſulatibus judicarunt, aut fictitiæ ſunt nuperæ regulæ, juxta quas eorumdem conſulatuum cauſa aſſignatur. De octavo illius conſulatu, quem anno primo imperii ſuſcepit, priorem tuam regulam admittunt, quod Plinius laudat Trajani moderationem, qui delatum ſibi anno primo principatus poſt Nervæ mortem, conſulatum recuſavit, *quem novi*, inquit, *Imperatores deſtinatum aliis, in ſe transferebant*. De ceteris vero vanas ac commentitias reliquas tuas regulas pronuntiant, quas variis hinc inde petitis exemplis oppugnant.

Anno vulgaris epochæ 83. altero vero imperii Domitiani idem Conſul IX. annum in faſtis ſignavit. Scribit hoc de conſulatu pag. 303. *Domitiani conſulatus juxta II. regulam. Quindecennalia nempe Cæſarei ejus imperii.* Regula II. abs te ſtatuitur part. 2. cap. 2. a pag. 83. deducta a votis Quinquennalibus, ac Decennalibus Imperatorum; *Cum ea ſolemnia*, inquis, *a Cæſaribus vel Imperatoribus conſulari trabea indutis, quod nemini hactenus obſervatum, peragi ſolerent, indeque ſecunda conſulatuum Cæſareorum regula deducatur* &c. Hinc pag. 200. ais: *C. Cæſar Caligula IV. Hic conſulatus Caligulæ Quinquennalibus deſtinatus erat juxta ſecundam regulam, ſed die 24. Januarii occiſus, ea celebrare non potuit.* Rurſus pag. 202. *Anno 58. Nero Cæſar Aug. III. Neronis conſulatus propter ejus Quinquennalia juxta ſecundam regulam.* Hanc tamen tuam regulam non modo dubiam, verum etiam falſam eſſe contendunt. Nam Imperatores, inquiunt, ante plures menſes quam Quinquennalium aut Decennalium ſolemnis dies adveniret, conſularem prætextam una cum conſulatu depoſuerant. Domitianus, teſte Tacito lib. 3. Hiſt. exeunte Decembri Cæſar ſalutatus fuit; idem vero demortuo Idibus Septembris Tito, imperium Auguſtum obtinuerat. At obſervant Svetonium in Domitiano cap. 13. de ejuſdem conſulatibus ſcribere: *Omnes autem pene titulo tenus geſſit, nec quemquam ultra Kalendas Maii, plures ad Idus uſque Januarias.* Igitur, inquiunt, ante Decembrem, quo menſe celebranda erant vota Quinquennalia, & ante Septembrem, quo fiebant vota pro imperio Auguſteo, erat ſine trabea conſulari, quam die votorum ſuffecti tantum Conſules induebant. Caligula ex eodem Svetonio cap. 17. geſſit conſulatum *quartum uſque in VIII. Idus Januarias*, qua die abdicato conſulatu, alium ſibi ſuffecit; adeo ille parum de votis Quinquennalibus in trabea conſulari celebrandis, cogitabat. Nero etiam, teſte eodem Svetonio cap. 14. conſulatum *tertium quadrimeſtrem* geſſit, videlicet uſque ad Kalendas Maias; vota vero menſe Octobri, quo imperium mortuo Claudio, occupavit, agenda erant. Hoc de ceteris Imperatoribus opponunt, qui poſt datam ante aliquot menſes ſuffectis conſulibus trabeam, memorata vota nuncupabant. Hæc illi, quibus reſpondi neutiquam ita ſentire Auguſtos die ipſa ſolemni Decennalium conſularem prætextam geſſiſſe, ſed ſolum tantum, quo agenda erant vota, ſuo ipſorum conſulatu in faſtis obſignaſſe, quo illuſtrior ejuſdem memoria ad poſteros perennaret. At reclamant ita diſerte ſcribere Imperatores *conſulari trabea indutos, ea ſolemnia peragere ſolitos*: ſe vero demonſtraſſe oppoſitum, nempe eoſdem conſulari trabea exutos Decennalia edidiſſe. Interim ſolidiorem reſponſionem petunt; ipſe enim quæ probabiliora reponam, plane non habeo; noſco enim in hac palæſtra memet minus verſatum ac rudem.

Rurſus anno inſequenti 84. Domitianus Conſul X. in faſtis legitur, cujus conſulatus aſſumendi rationem profers, quod eo anno templum Jovi cuſtodi dedicavit. Sexta autem regula ineundi conſulatus cap. 10. pag. 58. tibi dicitur templi, theatri, coloſſi, thermarum &c. dedicatio. Neque hæc eiſdem regula probatur. Nam Tacitus lib. 4. Ann. ſcribit, Tiberium in Campaniam digreſſum *ſpecie dicandi templi apud Capuam Jovi, apud Nolam Auguſto*. Id contigit Lentulo Getulico & Calviſio Sabino Conſulibus. De Caio Caligula ſcribit Dio lib. 59. *Deinde Caius habitu triumphali templum Auguſti dedicavit*. Id temporis Caius gerebat ſuffectum conſulatum; at in dedicando templo, non toga prætexta, quæ adhuc erat veſtis propria Conſulum, ſed habitum triumphalem induit.

Ad

Ad hæc Traianus medio inter quintum ac ſextum conſulatum ſeptennio, portum Centumcellis, Romæ vero thermas, forum, Ulpiam bibliothecam, aliaque Dioni lib.68. deſcripta, dedicavit, cum privati Conſules ſeptem illos annos in faſtis ſignaverint. Hadrianus anno imperii ſecundo tertium conſulatum, eumque poſtremum ad Kalendas uſque Maias geſſit ex Spartiano cap.8. de Vita ejuſdem; idem tamen poſtea templum Traiano dicavit, coloſſum Soli ſacravit, fecit ſui nominis pontem, ac vaſtæ molis ſepulcrum apud Tiberim; pantheum, ſepta Julia, baſilicam Neptuni, forum Auguſti inſtauravit. Equidem nihil conferre putant trabeam conſularem in dedicatione templorum. Hæc peragebatur a collegio pontificum, vel ab aliquo ex illorum collegio, qui poſtem manu tenens, verba quædam effabatur, uti fuſius tradit Cicero in oratione pro Domo ſua. Illi vero prætexta, quæ non a ſolis Conſulibus, ſed etiam a pontificibus geſtabatur, capite obvelato, eam ceremoniam exequebantur. Si Imperatores templa per ſemet conſecrabant, id jure pontificatus maximi præſtare poterant; ac tunc togam prætextam induebant, tamquam pontifices, non uti Conſules, etiamſi reapſe conſulatu fungerentur eo anno, quo dedicatio peragebatur. Laudant Lampridium cap.40. de Alexandro Severo ſcribentem: *Prætextam & pictam togam numquam niſi Conſul accepit*; & ſtatim; *Accepit prætextam etiam cum ſacra faceret, ſed loco pontificis maximi non Imperatoris*. Qui igitur conſulatum accepiſſent, ut in trabea conſulari templa dicarent, cum ea dedicatio in pontificali prætexta perageretur, ficuti cetera ſacra Populi Romani? His quoque repoſui te id tantum intendere, nempe Imperatores eo anno, quo ædificii inſignioris dedicatio inſtituta erat, conſulatum accepiſſe, non ut trabeati ipſam dedicationem celebrarent, cum ſæpius illa fieret abdicato ab eiſdem conſulatu, ſed ut annum dedicationis Auguſteo nomine in faſtis nobiliorem efficerent. Ita cogor eamdem iterum cantilenam cantare.

Anno 85. Domitianus Aug.XI. Conſul fuit, *quia*, inquit pag. 226. *hoc anno de Germanis triumphavit*, cum proſtent nummi undecimo ejuſdem conſulatu obſignati cum epigraphe: *Germania capta*. Hinc cap.9. hunc titulum ponit: *Triumphi quinta conſulatuum Cæſareorum regula*. Hanc quoque regulam falſam adſtruunt. Etenim ſtante Republica, Conſules prætextam induebant, quæ toga erat limbo purpureo circa fimbriam circumdata. Triumphantes vero utebantur toga picta, nempe auro intexta. Polybius lib.6. deſcribens exequias eorum qui ſummis magiſtratibus defuncti fuerant, ait ſimulacrum demortui elatum: *Hæc porro ſimulacra togis induuntur; ſi vir conſularis fuerit aut prætorius, prætexta; ſi cenſorius, purpurea, ſi triumphalis, auro radiante*. Plinius lib.5. cap.36. *Purpura*, inquit, *in triumphali miſcetur auro*. Hinc Appiano in Punicis Scipio triumphans dicitur *corona aurea redimitus, ac more patrio indutus toga purpurea aſtris aureis intexta*. Toga picta eadem & triumphalis. Dio enim lib. 37. ait Pompeio datum, ut equeſtribus certaminibus *veſtem triumphalem* geſtaret, quam Cicero lib. 1. epiſt. 13. ad Atticum ſic irridet: *Pompejus togulam illam pictam ſilentio tuetur ſuam*. Itaque toga picta propria erat triumphantium. Veſpaſianus ac Titus cum die triumphi ſummo mane proceſſiſſent, deſcribuntur Joſepho lib.7. cap.24. lauro coronati, ac *patriis veſtibus purpureis* induti; cum vero Veſpaſianus ad ſacra peragenda ſe contuliſſet, *amictu*, inquit, *magnam partem capitis adopertus, ſolemnia vota celebravit*. Erat toga prætexta quam in ſacris de more induebant. Addit, cum cibum ſumpliſſent, *triumphalibus veſtibus amictos*, mitam pompa triumphum per Urbem duxiſſe. Quare depoſitit prætexta, togas pictas induerunt, quæ propriæ erant triumphantium. Hinc factum, inquiunt, ut Imperatores quibuſdam darent ornamenta conſularia, aliis vero triumphalia, illis videlicet ſellam curulem ac prætextam, iſtis togam etiam pictam ac tunicam palmatam. Hæc paſſim occurrunt in Hiſtoria Auguſta. Laudant Tacitum circa finem lib. 15. Ann. Addunt Svetonium cap. 17. in Claudio Britannicum ejuſdem triumphum hiſce verbis deſcribentem: *Secuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, ſed ceteri pedibus & in prætexta: Craſſus frugi equo phalerato & in veſte palmata, quod eum honorem iteraverat*. Quamvis enim Claudius eiſdem togas pictas, id eſt auro intexto rutilantes conceſſiſſet, qui tamen triumphalis veſtis ſplendor penes ſe unum triumphantem maneret, Juſſit Craſſum ſine toga picta, palmatam tantum ferre, ceteros vero pompam triumphi augere in prætextis, quas etiam geſtabant L. Criſpinus ac M. Statilius, qui tunc conſulatum gerebant, non vero ipſe Claudius, teſte Dione lib. 60. nondum illa quinta regula de triumpho in trabea conſulari ducendo, Imperatoribus obſervata, quæ ſane nulla erat, cum Conſules prætextam, triumphantes vero togam pictam geſtarent. Hinc Statius lib. 4. de conſulatu XVII. Domitiani ait:

> ——— *da gaudia faſtis*
> *Continua: hos humeros multo ſinus ambiat oſtro,*
> *Et properata tuæ manibus prætexta Minervæ.*

Non dicit: *multo ſinus ambiat auro*, ſed oſtrum tantum nominavit, quia Conſules ſolas prætextas purpura togas geſtabant, non autem togas pictas auro intexto irradiantes; quæ id temporis a triumphantibus induebantur. Tacitus lib.3. Hiſt. ait: *Sed ubi Cæcina, prætexta lictoribuſque inſignis, dimota turba, Conſul inceſſit*. Plinius in panegyrico laudans Trajanum, qui iterum Conſules deſtinaſſet eos qui nuper conſulatum abdicarant ait: *Modo prætextas exuerant, reſumant: modo lictores abire juſſerant, revertantur*. Pictam togam non appellat, ſed ſolum prætextas, quia illa ad Conſules non pertinebat, ſed tantum prætexta. Patentur quidem ſequiori ætate Conſules pictas togas ac tunicas palmatas geſtaſſe, cujus teſtis locupletiſſimus Auſonius in panegyrico ad Gratianum: *In procinctu*, inquit, *& quam maxime dimicaturus, palmata veſtis mea ornamenta diſponis feliciter & bono omine. Namque iſte habitus ut in pace Conſulis, ſic in victoria triumphantis*. Et ſtatim: *Hæc plane, hæc eſt picta, ut dicitur, veſtis non magis auro ſuo, quam tuis verbis*. Et Claudianus in panegyri de conſulatu Olybrii ac Probini:

> *Lætatur veneranda parens, & pollice docto*
> *Jam parat auratas trabeas, cultuſque micantes*
> *Stamine, quod molli tondent de vellere Seres;*
> *Frondea lanigeræ carpentes vellera ſylvæ;*
> *Et longum tenues tractus producit in aurum,*
> *Filaque concreto cogit ſqualere metallo.*

Olim vero is uſus invaluerat, ſcribente Lampridio cap.40. in Alexandro Severo: *Prætextam & pictam togam numquam niſi Conſul accepit, & eam quidem quam de Jovis templo ſumptam alii quoque accipiebant aut prætores, aut Conſules*. Et Capitolinus cap. 4. de Gordiano ſeniore: *Palmatam tunicam & togam pictam primus Romanorum privatus ſuam propriam habuit*; non qua in triumpho, quem nullum geſſit, ſed qua

prætor ac Conſul uſus fuerat. Idem tradit Vopiſcus in Aureliano cap.13. & in Probo cap.7. Cum hæc illi profluius inculcarent, quorſum, inquam, iſta, o boni? Tot prætextis, togis pictis, ac tunicis palmatis me pene ſuffocaſtis; num forte tot veſtra ingeſſitis, ut quintam regulam de triumpho *cum trabea conſulari* ab omni veritate nudatam oſtendatis? Ita quidem, inquiunt. Nam cum priore ætate Auguſtorum Conſules prætextas tantum togas geſtabant, Imperatores poſt victorias de hoſtibus, conſulum nequaquam induebant, ut *cum trabea conſulari*, uti auctor operis ſcribit, triumpharent; quia id temporis licet Conſulm, prætexta propria veſte Conſulum depoſita, in toga picta ac tunica palmata triumphum ducebant. Nec ob triumphum trabeam conſularem ſumpſiſſent, cujus nullus in triumpho uſus futurus eſſet? At cum ſequiori ævo Cæſarum, eadem toga picta eſſet in pace Conſulis, & in victoria triumphantis, neque tunc eo conſilio Imperatores Conſules procedebant, ut *cum trabea conſulari* triumpharent; quia etiamſi Conſules non fuiſſent, cum eadem tamen triumphum ducebant, quod erat proprius habitus tum Conſulis, tum etiam triumphantis. Illam vero geſtabant in triumpho non jure conſulatus, uti perperam auctor quintæ regulæ conſulatuum fingit, ſed jure triumphi. Exempla etiam quibus quintam regulam confirmas, eamdem evertere potius pronuntiant. Etenim cum ſcribis initio ſtatim cap.9. *Triumphantes Imperatores quo hæc pompa illuſtrior foret, conſulatu ordinario decorari voluere*. Id factum dicis a Veſpaſiano in tertio ſuo conſulatu de Judæis, a Trajano in quinto de Dacis triumphantibus; quem morem poſtea neglectum, ab Alexandro Severo rurſus revocatum teſtaris. Hæc, inquam, exempla ne hilum quidem poſſunt quintam regulam promovere. Nam Veſpaſianus deſignatus fuit Conſul III. anno Chriſti 70. quo menſe Auguſto Titus Hieroſolymam expugnavit, ob quam victoriam triumphus de Judæis actus. Hic petunt, num putes deſignatum Conſulem ante captam urbem vel poſtea. Si primum dicas, en, inquiunt, decretum conſulatum III. natu victoriam Judaicam, ac proinde non ob triumphum, cum is niſi poſt debellatos Judæos, Veſpaſiano decretus fuerit. Sin alterum mavis, videlicet tertium conſulatum deſignatum poſt expugnatam Judæorum metropolim, id uno & altero argumento confutant. Primo quia cap.1. prioris partis Diſſert. pag.8. ſcribis paulo poſt initium annum, puta Februario vel Martio Conſules in annum ſequentem creatos. Deinde quia ſi poſt nuntium victoriæ, & conſulatus III. & triumphus decretus fuit Veſpaſiano, cur Nerva collega datus, non vero Titus, cui una cum patre triumphus decretus fuerat? Habemus, inquiunt, Veſpaſianum ac Titum Cæſarem una ſimul triumphantes, ut non ambos eo anno Conſules. Si ex patris conſulatu regulam de triumpho in trabea conſulari conſtituis; hanc ſtatim evertit Titus non Conſul triumphans. Præterea contendunt neque ipſum patrem Veſpaſianum in trabea conſulari triumphaſſe. Auctor eſt, inquiunt, Joſephus lib.7. de Bello cap. 18. Titum die 8. Septembris adhuc Hieroſolymis fuiſſe; cap. 20. narrat eumdem manubias ac captivos apud Cæſaream repoſuiſſe, *quod ad Italiam navigare tempus hiemis prohibebat*. Præterea ait, Titum eadem in urbe natalem fratris Domitiani celebraſſe, nempe die 24. Octobris, natalem vero patris apud Berytum, die 17. Novembris, ubi *diutius commoratus dicitur*. Inde Antiochiam profectus eſt. Poſtea ad Zeugma, quæ Euphrati urbs impoſita, ille a legatis Vologeſi Regis Parthorum munera accepit. Antiochiam reverſus, iterum in Palæſtinam ſe contulit, ac conſtituta provincia, terreſtri itinere Alexandriam perrexit. Ita exiit annus 70. Reliquam partem hiemis exegit in Ægypto, obi interiora provinciæ penetrans, conſecrando apud Memphim bovi Appidi, coronatus interfuit. Interim deſinente hieme, oneraria nave in Italiam appulit. Hæc producunt ex Joſepho ac Svetonio in Tito cap. 5. Addit Joſephus eumdem poſtquam Romam advenit, non multo poſt tempore triumphaſſe. Hunc triumphum dicunt ante Martium non contigiſſe; ſiquidem ſpolia Judaica ac captivi, quod ad Italiam navigare hiems prohibebat, apud Cæſaream repoſiti fuerant, ac proinde niſi hieme vim remittente, & aperto jam mare, in Italiam menſe Martio tranſmiſſi ſunt; quo etiam eodem fere tempore Titus adveniſſe dicendus eſt, ex recitata ejuſdem itinerum narratione. At Veſpaſianus exeunte Februario abdicarat conſulatum, Domitiano ſibi ſuffecto, quod probant ex inſcriptione Gruteri pag. 575. ubi *Nonis Aprilis* Domitianus ac Cn. Pedius Conſules nominantur, Veſpaſianus vero dicitur Trib. Pot. II. Coſ. III. Deſ. IIII. et plane eiſdem videtur Domitianus Kal. Martiis iniiſſe conſulatum ac Veſpaſianus triumphaſſe abdicato jam conſulatu. Hæc illi certe prolixius de triumpho Judaico Veſpaſiani. At brevius alterum exemplum a Traiani triumpho ductum oppugnant. Nam inquiunt, cum ſcribis Traianum in ſuo quinto conſulatu de Dacis triumphaſſe, ac pag. 207. primum ejuſdem de Dacis triumphum ſtatuas annum 103. de altero triumpho id abs te aſſertum dicunt, quaſi Traianus anno 103. quo tuis in faſtis conſul V. legitur, triumphum duxerit. Hoc ineluctabili Spartiani teſtimonio convellunt, qui in Hadriano cap. 3. ait eumdem poſt primum bellum Dacicum tribunum plebis factum, Candido ac Quadrato iterum Coſſ. anno videlicet 105. & ſtatim ait: *Secunda expeditione Dacica Traianus eum primæ legioni Minerviæ præpoſuit, ſecumque duxit*. Itaque alter triumphus Traiani de Dacis contigit poſt annum 103. ac quintum conſulatum Traiani. Ne me eluguem ac nutum putarent, repoſui cum Caſaubono, Spartianum non ſervaſſe ordinem temporum in ea hiſtoria contexenda. Immo, inquiunt, optime ſervavit. Iſti enim magiſtratus hoc ordine conferebantur, ut poſt quæſturam, daretur tribunatus plebis, inde prætura, vel legatio legionis. Agricola poſt quæſturam ac tribunatum plebis, teſte Tacito, legatus legionis factus fuit. Severus Septimius prius quæſtor, dein tribunus plebis fuit, quam legatus legionis IV. Scythicæ, ex Spartiano cap. 3. & 4. de vita ejuſdem. Nullus poſt legationem legionis tribunus plebis factus eſt, ne ex majori dignitate ad inferiorem deſcenderet. Hinc cum Hadrianus anno 105. tribunatum plebis geſſerit, poſt eum magiſtratum legionem regendam bello ſecundo Dacico accepit. Tum tertium exemplum, quod a triumpho Perſico Alexandri Severi in ſuo tertio conſulatu proponebas, pene, ne quid te celem, irrident. Nam in eodem cap. 9. n. 3. ſcribis Dionem deſignatum Conſulem II. collegam Alexandri Auguſti III. *initio ejuſdem anni* 228. Quod vero Dio ſcribit ſe una cum Imperatore Alexandro Conſulem deſignatum, ad eumdem in Campaniam profectum, hæc ibidem te ajunt adnotaſſe: *Mora itaque Alexandri in Campania pertinet ad initium anni Chriſti 228. non autem ad ſequentem, ut interpretatur idem Noriſius*. Tum ipſe veſtra vos, inquam, fallit opinio, ſi ad adverſarios me tranſitionem facturum ſperatis, quod ille me ibidem ut adverſarium oppugnat. Amicus amicum meliora, uti putat, & docet & forte etiam rogat. At illi ea quidem ut libet, ut lubet, interpretare. Nos oſtendimus Alexandrum

drum ineunte anno 228. Conſulem III. deſignatum in Campania ſubſtituiſſe, qui igitur fieri potuit ut eum conſulatum ſumpſerit ob triumphum Perſicum, cum nondum bellicam contra Perſas expeditionem ſuſcepiſſet? Num hariolum dices, qui triumphum ante victoriam, immo etiam ante bellum ſibi cecinerit? His vero repoſui te ſcripſiſſe Alexandrum in ſuo tertio conſulatu triumphaſſe, ac diſerte initio cap. 7. dixiſſe: *Quod licet fortuito factum, ſucceſſores tamen ut plurimum ſequaces habuit*. Verum illi ridere, quod *fortuito factum* novæ conſulatuum ineundorum regulam inſtituerit. Rurſus quæſo te, inquiunt, putaſne Alexandrum, qui exeunte Septembri anno 229. ut ille tuus contendit, triumphum egit, nondum ſe conſulatu abdicaſſe? Auctor Regularum pag. 9. ſuæ Diſſertationis, ſcribit ex Lampridio in vita Alexandri Severi, *eum principem conſulatum iuiſſe ter tantum, ac primo nundino ſibi alios ſemper ſuffeciſſe*, quod primum nundinium ibidem hiſce explicat: *Primum nundinium ordinariorum Conſulum a Kalendis Januariis uſque ad Martias*. Hinc inferunt, temet auctore, Alexandrum pridie Kalendas Martias abiiſſe, tertio conſulatu. Qua ergo ratione idem menſe Septembri in trabea conſulari triumphavit, quam ante octo menſes depoſuerat? Tum cœpi Lampridii fidem elevare, qui ſcripſerit Alexandrum in ſuis conſulatibus primo nundino ſibi alios ſemper ſuffeciſſe. Nam Capitolinus cap. 4. in Gordiano ſeniore ſcribit: *Poſt juriſdictionem conſulatum primum iniit cum Antonino Caracallo, ſecundum cum Alexandro*. At nuſquam Gordianus in faſtis legitur collega Alexandri. Itaque Alexander quempiam trium conſulatuum extendit ultra Kalendas Martias, ut Gordianus ejuſdem collega dici poſſit. Rurſus tamen inſtabant num continuaſſe Alexandrum uſque ad Octobrem tertium illum conſulatum, ne Lampridius, immo tot inſignes ſcriptores eidem laudati qui geſta Alexandri in literas miſerunt, gravioris mendacii rei peragantur. Vix dum finierant, cum ego tot diſſenſionum fluctibus hinc inde agitatus, ad prius illud reſponſum veluti ad ſacram anchoram in tempeſtate, me recepi, afferens non infringi quintam illam regulam, etiamſi Imperatores poſt abdicatum conſulatum, triumphum duxerint, modo illi eumdem triumphi annum ordinario ſuomet conſulatu illuſtriorem in faſtis reddiderint. Hinc ſi quæratis, inquam, quando de Judæis triumphus actus? *Veſpaſiano Conſule III.* dicetur; quando primus de Perſis? ſtatim reſpondebitur, *Alexandro Imperatore Coſ. III.* Hæc de ceteris dictum accipite. Rurſus illi opponere hanc mollem licet ac fluxam interpretationem ipſa tua verba non admittere, qui initio ejus capitis 9. ſcribis: *Triumphantes Imperatores quo hæc pompa illuſtrior foret, conſulatu ordinario decorari voluere*: Audis, inquiunt, ut diſerte ait: *quo hæc pompa illuſtrior*, non quo annus hujus pompæ illuſtrior foret. Quid, quæſo te, conſulatus abdicatus, ac dudum præteritus ad præſentem triumphi pompam faciebat? Numquid erat in recenti adhuc memoria ſpectatorum pompæ triumphalis. At hoc ipſum præſtare poterat conſulatus proximo anno ante triumphum geſtus; neque enim finges eumdem ex ipſorum memoria excidiſſe, niſi Lethæis undis immerſos comminiſcaris. His potabant me ad incitas redactum; cum ego pene iratus inclamavi, diſtinguo: quo pompa illuſtrior foret, in faſtis, *concedo*: in ipſo triumpho, *nego*. At illi numquid, inquiunt, putas non ſcholaſticos, quibuſcum ſumptis de ſchola vocibus loqueris? Hæ ſunt illæ unſæ, quibus ipſa etiam mendacia in delubro veritatis ſæpe ſuſpenditis. Ludis alienis vocibus, quas nec noſtræ aures, nec amici tui dicta patiuntur. Exere, ſi quas ruſſus habes, conſulatuum Cæſareorum regulas.

Anno noſtræ epochæ 86. Domitianus Auguſtus Conſul XII. proceſſit. *Primus agon Capitolinus*, inquis, *hoc anno a Domitiano inſtitutus*, quem hujus conſulatus cauſam adſtruis, nempe ut *majori pompa fieret*. Hæc ſcribis pag. 206. laudans Svetonium cap. 4. in Domitiano. Mirantur te in eodem cap. 4. hæc Svetonii verba diſſimulaſſe: *Certamini præſedit crepidatus, purpureaque amictus toga græcanica, capite geſtans coronam auream cum effigie Jovis ac Junonis Minervaque*. Habes inquiunt Domitianum non togam prætextam, ſeu, ut ille vocat, trabeam conſularem geſtantem, ſed toga græcanica indutum, ac corona aurea redimito capite, qui nequid conſularis habitus ferret, ipſis calceis abjectis, crepidas ſumpſit. Quam agonis pompam auxit conſulatus, cujus omnia ornamenta ille depoſuit? Præterea cum, teſte Svetonio, Domitianus conſulatus *plures ad Idus uſque Januarias* geſſerit, ſi hoc duodecimo conſulatu die 12. Januarii ſeſe abdicavit, præteritus ejuſdem conſulatus non poterat præſentis agonis pompam augere, cui tamen ſuffecti Conſules ſuis prætextis ac faſcibus ſplendorem addebant. Hæc illi: quorum ora claudere non alia ratione me poſſe putavi, quam adhibitam toties reſponſionem repetendo. Itaque dixi Domitianum, te auctore conſulatum XII. ſumpſiſſe, ut annum inſtituti ab ſe agonis Capitolini, Auguſteo nomine in faſtis conſecratum, ad ſeros quoſque poſteros perenni recordatione tranſmitteret. Illi autem, ut ipſorum tibi verba reddam, crambem, recoctam irridere, & quod idem reſponſum dabam deploratam iſtam cauſam conclamare. At ipſe Cenſorini voces ex cap. 17. de die natali repoſui: *Quorum agonum primus a Domitiano inſtitutus fuit duodecimo ejus & Serg. Dolabellæ conſulatu*. Videtiſne, inquam, ut agonum inſtitutio eo Domitiani conſulatu in faſtis indicata, immo nobilitata, ad noſtram uſque memoriam pervenerit? Sed reclamant te ſcripſiſſe duodecimum conſulatum ſumptum, ut *ſolemnitas majori pompa fieret*, non ut nobiliori principis nomine in faſtis, aut ſcriptorum libris primus ejuſdem annus obſignaretur. Vah homines importunos!

Anno 87. Domitianus XIII. Conſul fuit. Hujus conſulatus ineundi nullam quæ Domitiano fuerit, cauſam producis. Non defuit qui diceret mirari ſe, cur ejus cauſam non adduxiſſes, quod ita voluit tredecim Auguſti conſulatus æquare. Quiſpiam alius me interrogavit, num ad aliquam tuarum regularum hic conſulatus XIII. Domitiani revocari poſſet. Ego, inquam, ad quartam reducerem, quæ cap. 8. num. 4. pagina 273. apud auctorem legitur: *Petitur quarta regula ab expeditionibus militaribus*. Juxta quam pagina 200. dicitur Caligula Conſul III. *propter bellum Britannicum* pag. 201. Claudius Conſul III. *propter expeditionem Britannicam*: pag. 558. Alexander Conſul III. *propter bellum Perſicum*. Mirum, inquiunt, videtur, quod cum Domitianus quatuor bellicas expeditiones contra Chattos, Marcomannos, Dacos, ac Sauromatas ſuſceperit, nec unus inter tot ejuſdem conſulatus expeditioni bellicæ ab amico tuo deputetur. Hic fortaſſis, inquam, quod anni illarum expeditionum incerti ſunt, noluit eiſdem applicare conſulatus, quorum certam ſibi aliunde cauſam nanciſcebatur. Tum illi, quid tute de illa quarta regula judicas? Immo, inquam, quid de eadem vos cenſores ſentiendum putatis? Ego certe arbitror eſſe probabilem. Haud mehercle, inquiunt, nobis probatur. Nam Auſonius Conſul deſignatus, cum dixiſſet deſtinatam ſibi trabeam conſularem, ait: *Namque eſſe habitus ut in pace Conſulis eſt, ſic in victoria triumphantis*. Hinc ipſi Conſules cum ad bellum proficiſcebantur, non in conſulari prætexta, ſed in paludamento Ur-

be

be egrediebantur. Livio lib. 36. Acilius Conſul ad bellum dicitur *paludatus Urbe egreſſus*, quod idem apud eumdem frequentiſſima occurrit. Cœlius lib. 8. famil. epiſt. 10. ſcribis Ciceroni vereri Conſulus, *ne illud E. C. fiat, ut paludati exeant*. Plinius in panegyrico commendans ſecundum Trajani conſulatum ait: *Geſtus conſulatus non in hoc Urbis otio, & intimo ſinu pacis, ſed juxta barbaras gentes, ut illi ſolebant, quibus erat moris paludamento mutare prætextam*. Nec ſecus Auguſti Urbe exibant, bellum in provinciis adminiſtraturi. Capitolinus in Marco cap. 24. ait; *Profecti itaque ſunt paludati ambo Imperatores*. Itaque trabea conſularis, *qui habitus in pace Conſulis eſt*, perperam ab Imperatoribus ob inſtans bellum indusa affirmatur. Quorſum iſta, o boni, an ut apud imperitos arudituli judicemini? Uſum prætextæ in pace, uti & paludamenti in bello fruſtra virum aruditiſſimum docetis; ille enim non trabeam, ſed ipſum conſulatum ob bellicas expeditiones ſuſceptum dicit, quamvis Imperatores conſulatum in ipſa trabea, non vero in paludamento Kalendis Januariis auſpicarentur. Agedum, inquiunt, loquamur de conſulatu. Cajus tertium conſulatum Lugduni hiemans iniit, ac duodecimo poſtea die eodem ſe abdicavit, ex cap. 17. Svetonii in Caligula. Quid tam brevis conſulatus ad expeditionem bellicam, quam etiam extra conſulatum ridicule peragit? Claudius A. V. 796. Conſul III. deſignatus fuit, bello Britannico needum exorto; huic enim anno ſequenti Aulus Plautius initium dedit, qui ejuſdem per ſemet conficiendi difficultate cognita, teſte Dione, *Claudium acceſſit*. Itaque anno priori Claudius cum deſignatus fuit Conſul III. iter ad bellum Britannicum non decreverat, quod evocatus Plautii literis, poſtea ſuſcepit. Præterea abdicaſſe conſulatum priuſquam Roma diſcederet, conſtat tum ex Svetonio, qui cap. 14. ſcribit tertium Claudii conſulatum bimeſtrem fuiſſe; tum etiam ex Dione lib. 60. ubi quamvis ſemeſtrem eumdem conſulatum faciat, poſtea tamen ſcribit Claudium Romam rediiſſe *C. Criſpo II. & T. Statilio Conſulibus ſexto quam diſceſſerat menſe*, quod itidem teſtatur Svetonius cap. 17. Hinc patet Claudium Roma profectum poſt Kalendas Julias, cum antea tertio conſulatu abiiſſet. Quid ergo facit ad expeditionem Britannicam præteritus conſulatus? Alexander denique tertio conſulatu in Italia defunctus fuit, ut diſerte Dio teſtatur, & quidem ejuſdem Imperatoris collega, cui plus credendum, quam affictis aidem ab Amico tuo interpretationibus. Trajanus deſignatus fuit Conſul IV. nullo ſe tunc hoſte contra Romanos movente, uti tradit Plinius in panegyrico. Quid quod idem Trajanus cum exercitu in Germania degens, tertium conſulatum recuſavit, hanc prætexens excuſationem: *quod eum abſens gerere non poterat*? Hujus auctor venit ibidem Plinius. Itaque conſulatus erat magiſtratus in pace, in Urbe exercendus, nihil illi cum bello ſuſcipiendo. Nam ſub Cæſaribus bella vel ab ipſis Imperatoribus, vel a legatis conſularibus, non autem a Conſulibus adminiſtrabantur. Lucius Verus A. 162. ad bellum Parthicum profectus eſt, nec ob illam expeditionem conſulatum accepit. Anno 169. duo collegæ Imperatores Marcus ac Verus ad bellum Germanicum perrexere, quorum neuter trabeam conſularem induerat. Severus neque in expeditione contra Albinum, neque contra Britannos conſulatum capeſſivit. Caracalla ſine adſumpta conſulari trabea contra Parthos movit, Gordianus ad bellum Perſicum in Orientem tranſmiſit, Attico ac Prætextato Conſulibus. Valerianus cum ante biennium, quartum ac poſtremum conſulatum geſſiſſet, bello contra Perſas infauſtis auſpiciis ſuſcepto, acie victus ac captus fuit. Videſne quantas exceptiones regula illa quarta patiatur? Equidem tot Romani principes illam ignorarunt, quæ ſane nulla erat. Interim nobis ediſſere, cur conſulatum XIII. Domitiani ad quartam illam regulam revocabas? Mihi, inquam, pene certa ſententia ſtat, anno ſequenti Domitianum alterum triumphum de Germanis duxiſſe, ac proinde bellum hoc anno geſtum arbitror. Ad hæc illi: incerta loquaris; ſiquidem eodem anno & bellum geri, ac de victis hoſtibus triumphus agi poteſt. In his tamen ab Amici tui ſententia diſcedis, qui hunc alterum Domitiani triumphum alligat anno 90. Domitiano XV. Conſule. Ne prævaricari in cauſa videaris, miſſam hic facito tuam opinionem, ac temet cohibeto intra terminos, quos amici tui ſententiæ præfigunt. Id ſane, inquam, modo agam; nec arbitramini me in ejuſdem verba juraſſe. Et illi, miramur te hoc non advocaſſe tuum illud Palladium, in quo

Omnis ſpes Danaum & cœpti fiducia belli,

Cur enim non dimiſſi Caligulam, Claudium, Alexandrum, ceteroſque ſi qui alii fuerunt, juxta quartam regulam conſulatum propter expeditionem bellicam iniiſſe, neque tamen regulæ illi officere, quod ante expeditionem ſuſceptam, conſulatum ſuffectis Conſulibus ceſſerunt; quia ſatis regulæ conſultum putas, ſi annum belli adminiſtrati, ſuo nomine in faſtis inſigniorem reddiderint? Hoc plane, inquam, vobis reſponſum habetote, quod jam ſæpius datum, in præſentia non reddidi, ne veſtræ memoriæ injuriam tam frequenti ejuſdem repetitione inferri putaretis. Exempla Cæſarum, qui privatis Conſulibus annum aperientibus, bellicas expeditiones ſuſceperunt, laudatæ regulæ exceptiones appello; præterquamquod ſæpius bella a barbaris mota ſunt, Conſulibus ordinariis in annum proximum deſignatis; Imperatores vero, ne comitia conſularia, ſive nundina decreta pervertere, deſtinata aliis conſulatus ad ſemet transferre recuſantes, ſine trabea conſulari expeditiones bellicas ſuſceperunt. Quæſo vos, ne diutius immoremur conſulatui XIII. Domitiani, quem auctor Regularum intactum dimiſit, ne invidiæ propiores videamini, eam regulam reprehendentes, ſub qua vir, velitis nolitis, eruditiſſimus, nullum Domitiani conſulatum coegit, quamvis tres, vel etiam quatuor conſulatus ad eamdem facile potuerit revocare.

Annus 88. habuit Conſulem Domitianum XIIII. *Sumptus*, inquis, *is conſulatus a Domitiano propter ſeptimos ludos Sæculares, quos edidit juxta VI. regulam*. Hunc quoque canonem de aſſumpto ab Imperatoribus conſulatu ob Sæculares ludos, ludicrum putant; ſiquidem ſtatim opponebant ludos quintos ab Auguſto celebratus C. Furnio ac C. Junio Silano Coſſ. A. V. 737. Itaque eo anno ludi Sæculares ab Auguſto editi ſine trabea conſulari, privatis Conſulibus annum in faſtis ſignantibus. Reſpondi ta cap. 10. pag. 184. id ultro admittere, qui ibidem Claudium ſextæ hujus regulæ auctorem publicas, de eodem ſcribens: *Sed quod conſulari munere fungens eos ludos ediderit, omnes præter Severum, ſequaces habuit. Hoc quidem a nullo, neque ex veteribus, neque ex recentioribus animadverſum*. Immo eidem, inquiunt, Amico tuo haud animadverſum, Claudium nequaquam conſulari munere fungentem, ludus Sæculares ſextos dediſſe. Nam Claudius eos ludos celebravit anno Urbis conditæ octingenteſimo, ex Tacito lib. 11. Ann. ac Cenſorino cap. 17. de die Natali. Fatentur eodem anno Imperatorem Claudium IV. ac L. Vitellium III. Conſules fuiſſe. Ceterum notant Svetonium in Claudio ſcribentem

cum-

Digitized by Google

eumdem ultra ſuffectum, quo adhuc privatos defunctus fuerat, quatuor ordinarios conſulatus geſſiſſe, *ſemeſtrem noviſſimum, bimeſtres caeteros*. At noviſſimum geſſit anno Chriſti 51. quartum vero anno 47. V. C. 800. qui bimeſtris fuit, uſque ad Kal. Martias, qua die ſuffecti Conſules magiſtratum inierunt. Porro annus Urbis 800. inchoatus eſt eodem anno XI. Kal. Maias, ipſo Urbis natali. Cum vero ludi celebrati fuerint, teſte Tacito cum Cenſorino, *anno octingenteſimo*, fit conſequens, ut editi fuerint poſt XI. Kal. Maias. At Claudius ante duos fere menſes conſulatu abierat, ac proinde perperam tibi ſcriptum contendunt, quod *conſulari munere fungens* eos ludos ediderit. Si Claudio, uti ſcribis, *ſumptus conſulatus propter ludos Saeculares ſextos*, cur eo anno non geſſit, quod poſtea Conſul V. fecit, conſulatum ſemeſtrem? Cur quadrimeſtrem non accepit, ut initium anni DCCC. Urbis quo ludi edendi erant, Conſul auſpicaretur? Videſne Claudium ſextae regulae everſorem, qui tamen a Pagio tuo primus ejuſdem auctor publicabatur? Hinc tranſeunt ad ſeptimos ludos Saeculares Domitiani. Proſtant, inquiunt, nummi ejuſdem inſcripti: *Imp. Caeſ. Domit. Aug. Germ.* TR. P. VIII. & in poſtica: *Coſ.* XIIII. LVD. SAEC. FEC. S. C. Ex his eruditiſſimus Panvinus in lib. de Ludis Saecularibus, optime collegit Domitianum non edidiſſe eos ludos ante Idus Septembris A. Chriſti 88. quia ea tantum die tribunitia poteſtas VIII. in nummis obſignata, eidem inchoabatur. At Domitianus ante aliquot menſes abdicaverat conſulatum, quem numquam geſſit *ultra Kalendas Maii* teſte Suetonio cap. 13. Itaque nec Domitianus *conſulari munere fungens* eos ludos dedit. Rurſus gradum faciunt ad octavos ludos Saeculares Antonini Pii quos celebravit. A. V. 900. quo ſane non ipſemet Imperator, ſed duo Marci Valerii, Largus ac Meſſallinus conſulatum ordinarium, alii vero nobis ignoti ſuffectum geſſere. Tum interloquutus, dixi te negare ludos Saeculares octavos a Pio Imperatore editos, cum ſcribas pag. 183. *Sed Cenſorini de his ſilentium, illos tunc editos non fuiſſe oſtendit*; praeſertim cum dicat *Octavos* celebratos ab Imperatoribus collegis, Severo ac filio M. Antonino Caracalla. Hi vere *Noni* dicendi fuiſſent, ſi Antoninus Pius ludos Saeculares celebraſſet. Illi tamen contendunt ipſum etiam Cenſorinum erraſſe. Nam Capitolinus cap. 10. de vita Antonini tacito, Victor vero Schotti expreſſo nomine Saeculares Antonini ludos laudant. Sed omnem, inquiunt, dubitandi locum praecludit inſigne epitaphium, quod Gruteri pag. 926. 8. recitatur:

MEMORIAE

SEX. VIGELLI. AQVINAT. QVI

ANN. ATTIGIT. CENTENS

SET. ALTERVM. ET. NONAGENS

PERPET. INOFFENSA. VALETVD

EXEGIT. RELIQVOS. SEPTEM. ET. D. XIIX.

DECVBVIT. ET. OCCVBVIT

NAT. LVD. SAECVL. VIII. OBIIT. SEQVENT

In hac autem inſcriptione advertunt illis verbis *alterum & nonageſimum*, non deſignari annum 91. ſed 92. Ita Livius lib. 3. ſcribit Decemviros conſulari poteſtate creatos *anno Urbis trecenteſimo altero*, qui quidem in faſtis Capitolinis creati leguntur anno Urbis CCCII. erraſſe vere Panvinium ac Sigonium, qui putarunt Livium anno diſcordare a faſtis Capitolinis. Nam cum dicimus *primus & alter*, pro ſecundo *alter* accipitur; ita *nonageſimo primo*, ac *nonageſimo altero anno*, non idemmet annus ſignatur, ſed 91. & 92. Laudant Angelum Rocham bibliothecae Angelicae in Urbe conditorem, qui hanc latinae elocutionis formulam in libro de Elegantiis recitavit. Virgilius Ecloga VIII. 39. ait:

Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus.

Hic non duodecimum, ſed decimum tertium annum ſignificari Servius olim adnotavit, ac Donatus in Terentii Andria Act. 2. Scena 5. ad illa verba: *Unus & item alter*, uti poſtea Scaliger, Sigonius, & qui puerorum manibus teritur, Farnabius. Tum ego iterum interloquutus: Nolite, amabo, extra chorum ſaltare. Agimus de regulis conſulatuum, non de regulis grammaticorum. Immo, inquiunt, ea latina phraſis hic praenotanda erat, cum ut numerus annorum in epitaphio ſignatus intelligeretur, tum etiam ut dubitatio, qua Cerda aliique interpretes tenentur in illo carmine Virgilii, toto ejus lapidis pondere elideretur. Jam probamus ex eodem epitaphio ludos VIII. ab Antonino peractos. Sextus Vigellius *natus ludis Saecularibus octavis*, cum attigiſſet annum centeſimum, *obiit* ludis Saecularibus *ſequentibus*. Certum eſt eumdem non eſſe natum ludis ſaecularibus editis a Septimio Severo anno Chriſti 204. qui *octavi* Cenſorino dicuntur; ſiquidem poſt ludos Saeculares anno 247. a Philippo Imperatore exhibitos, nullos deinceps ludos celebratos auctor Regularum optime eo capite num. V. demonſtrat. Zoſimus lib. 2. diſerte ſcribit anno 304. nullos Saeculares ludos editos fuiſſe; neque itidem anno 347. ſive 348. evoluto centeſimo a ludis Philippi, eoſdem reſtauratos Aurelius Victor teſtatur. Itaque Sex. Vigellius natus eſt ludis octavis Saecularibus Antonini Pii A. V. 900. obiit ludis ſequentibus Philippi A. V. milleſimo. Ex his inferunt nec Auguſtum, nec Claudium, nec Domitianum, neque Antoninum *conſulari munere fungentes*, ludos Saeculares peregiſſe. His addunt Severi ludos, quos non in ſuo aut filii Auguſti, ſed in Cilonis II. ac Libonis conſulatu celebravit. Poſtremi ludi Saeculares editi ſunt a Philippo Auguſto. At in ſuo altero, inquam, vel tertio conſulatu. Illi vero: Nae quod fortuito factum, pro regula venditabis? Sexies illi ludi ab Imperatoribus editi ſunt. Quinque Imperatores, non Conſules illos dederunt; omnium poſtremus Philippus poſtremos ludos Conſul edidit. Putaſne unius exemplo regulam firmari, quam quinque Caeſares evertunt? Inſignem plane regulam, quae unico eoque fortuito exemplo ſtabilitur, ſed quinque exceptiones patitur tam evidentes, tam locupletes, tam certas! Praeterea Philippus ip-

ſe

ſe conſulatum abdicaverat, prius quam ludos Sæculares perageret, uti antea fecerant teſte Svetonio, Claudius ac Domitianus. Ad hæc, inquiunt, rem ipſam paucis examinemus. Ludi Sæculares peragebantur votis ad aras Deorum ſuperum & inferurum, item in circo, theatro, amphitheatro variis ludorum generibus, quæ juſto volumine tuus Panvinius eruditiſſime complexus eſt. At vota ad aras Numinum non peragebantur in trabea conſulari, ſive toga picta, ſed in toga prætexta, ejuſdem lacinia capite obvoluto. Cum Decius Mus Conſul ſe Diis pro patria dubio prælio devovere deſtinaſſet, *pontifex eum togam prætextam ſumere juſſit*, ut tradit Livius lib. 10. Rurſus cum medio ævo Auguſtorum, Conſules togam pictam geſtarent, Alexander Severus, qui *pictam togam nunquam niſi Conſul accepit*, quæ ſunt verba Lampridii cap. 40. *accepit prætextam etiam cum ſacra faceret*. Hinc in nummo Domitiani inſcripto: COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. viſitur Imperator caput amictus toga prætexta, ſacris operans. Itaque nullus trabeæ conſularis ſeu togæ pictæ uſus in ſacris Sæcularibus. Sed neque ludis Circenſibus, aut theatralibus Imperatores in trabea conſulari præſidebant, ſed una cum collegio XV. virum in prætexta caput lauro redimiti, quod ex Tacito lib. XI. Annal. aliiſque Panvinius demonſtravit. Imperatores vero in collegium Quindecim virum cooptari ſolitos patet ex vetuſtis Inſcriptionibus Gruteri pag. 135. & 136. Praſtant nummi argentei Vitellii IMP. AUG. cum epigraphe: XV. VIR. SACR. FAC. Quare ergo Imperatores finguntur ob ludos Sæculares ſumpſiſſe trabeam conſularem, ſi hæc nulli omnino uſui erat inter eorumdem ludorum ſolemnia? Hæret tibi certe aqua. Hæc illi ſupercilio magiſtrali. At ego: immo vobis hæret aqua, qui inani opera deſudatis. Nunc veſtram aquam uno ſaltu tranſiliam, priuſquam ſudario voſmet abſtergatis. Nam auctor regularum nunquam putavit, Auguſtos in ipſis ludorum Sæcularium ſolemniis trabeam conſularem geſtaſſe, quippe qui jam conſulatu abierant, ſed eoſdem voluiſſe annum illuſtrem ludorum ſuomet conſulatu in faſtis nobilitare. Ah, ah, eamdem, inquiunt, cantilenam cantas, ac recantas. Mirus es advocatus, qui tantam objectorum ſtruem uno eodemque verbo diſpeſcas. Equidem arbitrabamur auctorem regularum in hac cauſa abs te deſerendum; ille enim, tibi dicam, dicit, quod ſeipſeſis Philippum ediſiſſe ludos Sæculares anno 348. quos ille anno priori peractos contendit. Ipſe autem: erratis, inquam, neque enim prævaricationis crimen incurram; rem mihi levites indicatam paucis retractabo. Ex recitato epitaphio patet ludos Sæculares editos tum ineunte, tum exeunte anno centeſimo. Etenim Vigellius dicitur ibidem vixiſſe annos nonaginta novem ac dies inſuper duodeviginti. Si vero ludi Sæculares editi fuiſſent anno centeſimo exeunte, Vigellius neutiquam dici poſſet natus ludis octavis, obiiſſe ſequentibus; neque enim complevit, ſed tantum *annum attigit centeſimum*. Itaque natus eſt exeunte anno V. 900. cum Antoninus Pius ludos ultimos anni ſæcularis celebraret; obiit autem ineunte anno milleſimo, quo Philippus ludos millenarios inchoabat. Ex his patet ludos eoſdem ineunte ac exeunte anno ſæculari celebratos. Ceterum cum primaria eorumdem ſolemnitas triduo ac trinoctio populo pervigilante, perageretur, Horatio eoſdem appellante,

Ter die ſacro, totieſque grata
Nocte frequentes,

Haud puto hæc triduana ac trinoctialia ſacra ineunte ac exeunte anno centeſimo edita, ſed ſemel tantum vel initio vel fine anni ſæcularis, vel etiam in medio ejuſdem curſu pro Imperatorum arbitrio. Hæc vero ſolemnia anno 348. nempe milleſimo exeunte celebrata nummi utriuſque Philippi nos docent, in quibus ſæcularia ſacra Philippi patris tertio, Philippi vero filii altero conſulatu obſignantur. Hi tamen ludos Circenſes, alioſque ineunte milleſimo edidere, uti ex memorato epitaphio colligimus. Hunc, quæſo, ludum ludorum Sæcularium claudamus.

Anno 90. Domitianus Aug. XV. Conſul in faſtis ſcribitur. Eſt hic ultimus inter ſeptem conſulatus, quos, teſte Svetonio, continuavit; unde idem Plinio dicitur in panegyrico, *continuis conſulatibus feciſſe longum quemdam & ſine diſcrimine annum*. Scribis ad hunc conſulatum pag. 206. *Decennalia Imperii Auguſtei Domitiani, ejuſque ſecundus de Germanis triumphus*. Utrumque oppugnant moleſti illi cenſores. In primis petunt quis tibi Apollo revelaverit, Domitianum ediſiſſe Decennalia hoc anno, quo inibat annum decimum imperii, non vero ſequenti, quo eumdem decimum annum complebat? Reſpondi juxta tuam regulam II. ex conſulatu quem hoc anno geſſit; cum inſequentem annum privati Conſules aperuerint, colligi Domitianum hoc anno Decennalia celebraſſe, *cum ea ſolemnia*, uti ſcribis pag. 83. initio cap. 2. *a Cæſaribus, vel Imperatoribus conſulari trabea indutis, peragi ſolerent*. Verum illi: quid trabeæ, inquiunt, conſulari cum Decennalibus? Auguſtus, Tiberius, Nero, Trajanus, Hadrianus, Antoninus Pius, M. Aurelius, ſine trabea conſulari Decennalia celebrarunt. At Claudius, inquam, in ſuo quinto conſulatu, Veſpaſianus in nono Decennalia nuncuparunt. Tum illi: Profecto ſi duo Imperatores ejus regulæ aſſertores putas, nos ſeptem ejuſdem regulæ everſores producimus. Contra tot exceptiones nulla videtur regula ex uno tantum & altero exemplo deducta. Immo ipſum Veſpaſianum inter exceptiones reponito; nam ille menſe Julio, quo imperium accepit, Decennalia celebraſſet, ſed ſuperiori menſe deceſſit. Ipſe etiam Domitianus inter eaſdem exceptiones recenſendus eſt; ſiquidem Idibus tantum Septembris hoc anno, imperii decimum inchoavit; verum ille trabeam conſularem vel ad Idus uſque Januarii, vel ad Kal. Majas geſtavit, ex alias laudato Svetonio cap. 13. de vita ejuſdem. Itaque non erat *conſulari trabea indutus* menſe Septembri, quo edidit decennalia. Hæc illi: quibus repoſui hanc quidem regulam pati non paucas exceptiones, nec te inficias ire. Domitianum fateor ſemet conſulatu abdicaſſe; at auctori Regularum ſatis eſt, ſi annum decennalium Auguſteo nomine in faſtis inſigniverit, quamvis tempore ſolemnium non ipſe, ſed ſuffecti Conſules trabeam geſtarent. Ridemus, inquiunt, te cuilibet pedi eumdem calceum inducere. Si forte ſortum medicum ageres, omnes oculorum morbos uno eodemque collyrio curares. Interim cicatrix male ſana hoc plaſmate non obducitur. Auctor enim Regularum diſerte ſcribit decennalia celebrata *ab Imperatoribus conſulari trabea indutis*; at Domitianus inſtante die decennalium erat trabea exutus, quam ante aliquot menſes ſuffectis Conſulibus ceſſerat. Verum quod tot commenta pro arbitrio aſſuis, adde alteram fabulam, nempe Domitianum ludis decennalibus abſtractam ſuffectis Conſulibus trabeam, ſuis iterum humeris aptaſſe; quo quidem facto bis eodem anno Conſul proceſſiſſet, ordinarius Kalendis Januariis, & iterum ſuffectus Idibus Septembris. Rideo, inquam, haſce fabulas. Habemus in faſtis Domitiani trabeam quo anno edidit decennalia, quamvis illam idemmet non haberet in circo, aut in theatro, cum ludos ageret decen-

cennales. Hanc benignam æque ac probabilem laudatæ regulæ interpretationem vobis dono, non vendo. Eamdem vel gratis recipite, vel ingrati rejicite. Agite, uti libet, uti lubet. Ego certe ad alium Domitiani conſulatum gradum faciam. At illi: ſiſte amice parumper. Nolo, inquam, longiorem in his moram facere, hinc cito citius me proripiam; eadem enim ſemper objecta regeritis, dum abdicatos ab Imperatoribus conſulatus ad ravim uſque veſtram, meam vero nauſeam inculcatis. Aſt illi: morem tibi gerimus; nihil hic addemus de conſulatu abdicato ante quindecennalia imperii, ut ille ait, Cæſarei, ante agones Capitolinos, ante ludos Sæculares, deoque ante decennalia imperii Auguſtei. Agemus hic de altero Domitiani triumpho de Germanis, qui auctori Regularum aſſeritur altera cauſa conſulatus decimiquinti ejuſdem Imperatoris. Illum vero triumphum hinc anno deputat, quod ab Occone producitur nummus Domitiani cum epigraphe: GERMANICUS COS. XV. ac in eodem obſignatur *Germania ſedens lugubri habitu induta*. Scimus te multa millia numiſmatum in Medicea gaza contrectaſſe; hinc quod aliquantulam apud te gratiam inire cupimus, ne ſubiratus a diſputatione mox finienda, tuam hic ſententiam de anno memorati triumphi rogamus, nihil plane interloquuturi, etiamſi minus forte nobis probata pronunties. Hic ego: gratias debeo, quod aliquam apud me gratiam vobis parare jam vultis; nolo tamen ſperetis eamdem aliquo nos inter fœdere firmatum iri. Extat Gruteri pag. 411. 1. inſcriptio, in qua laudatur *T. Flavius Germanus* CURATOR TRIUMPHI FELICISSIMI GERMANICI SECUNDI; ibidem vero detrito nomine Domitiani, ejuſque conſulatu ac anno tribunitiæ poteſtatis, annus ejuſdem triumphi in obſcuro latet. Tacitus lib. 11. Ann. teſtatur ſe libros compoſuiſſe de rebus Domitiani, quos Oroſium legiſſe conſtat ex iis, quæ indicat lib. 7. cap. 10. Illis vero deperditis, chronologia rerum Domitiani obſcura eſt & ambigua; quæ tamen ex nummis ejuſdem poteſt utcumque illuſtrari. Svetonius in Domitiano ait cap. 13. *Poſt autem duos triumphos, Germanici cognomine aſſumpto* &c. priorem de Cattis, alterum vero de Dacis triumphum egit. Statius lib. 1. laudans imaginem equi Domitiani, ait:

An te Palladiæ talem, Germanice, nobis
Effinxere manus? qualem modo frena tenentem
Rhenus, & attoniti vidit domus ardua Daci.

Martialis lib. V. 3.

Accola jam noſtræ Degis, Germanice, ripæ,
A famulis Iſtri qui tibi venit aquis.

Degis Decebali regis frater, ut ibidem innuit Martialis, jubente eodem Decebalo, ad Domitianum veniens, diademate ſibi ab Imperatore impoſito, pacem Dacis impetravit. Hinc Domitianus ſecundum triumphum, ac cognomen Germanici obtinuit. Victoriam Dacicam atque ob eamdem Germanici nomen Imperatori delatum, laudat Martialis lib. 5. epig. 2. Extat in theſauro Mediceo aureus Domitiani nummus inſcriptus: *Domitianus Auguſtus*; & in poſtica: GERMANICUS COS. XIIII. Anno 88. Domitianus fuit Conſul XIIII. Ille quidem poſt victoriam contra Cattos, titulum Germanici obtinuerat; qui tamen in antica parte cum titulis P. M. ac TR. P. in nummis priori ſyllaba Germ. inſcriptus legitur. Hinc cum in laudato nummo integre *Germanicus* exhibeatur, cognomen potius, quam titulum ſignificat. Extat rurſus in eodem theſauro nummus argenteus, in quo Domitianus dicitur TR. P. VI. & in poſtica: IMP. XIIII. COS. XIII. CENS. P. P. P. Cuſus eſt hic nummus anno 87. quo idem geſſit conſulatum XIII. Panvinius alterum nummum laudat Domitiani cum epigraphe: I. TR. P. VII. IMP. XIII. COS. XIIII. Anno inſequenti 88. erat TR. P. VII. ac in nummis ſignabatur Conſul XIV. Extant nummi apud Occonem, in quibus idem Domitianus dicitur COS. XIIII. & IMP. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. ac XXI. Vidi in gaza Medicea argenteum cum TR. P. VIII. in averſa ſcalptum: IMP. XIX. COS. XIIII. CENS. P.P.P. Viſitur ibidem figura galeata dextra fulmen, ſiniſtra haſtam tenens, cum clypeo ad pedes. Præterea alter nummus ibidem ſervatur, in quo Domitianus legitur TR. P. X. & retrorſum: IMP. XXI. COS. XV. &c. Rurſus Gruteri pag. 575. 5. inſcribitur in vetuſto epigrammate: TRIBUNIC. POTESTAT. XI. IMPERATOR. XXI. & CONSUL. XVI. Nec ſecus in nummis deſcribitur. Ex his colligo Domitianum ante annum 90. quo Conſul XV. fuit, Victorias de Dacis tuliſſe, ob quas toties titulum Imperatoris iteravit; qui tituli cum juncti leguntur cum TR. P. VIII. ac COS. XIIII. pertinent ad annos 88. & 89. quibus in nummis dicebatur Conſul XIV. & tribunitiæ poteſtatis VIII. Cum vero Idibus Septembris A. 88. inierit TR. P. VIII. ac conſtet poſt eam diem Romæ celebraſſe ludos Sæculares, bellum Dacicum, ac ex eodem victoriæ referendæ videntur ad annum 89. quo inſcribebatur in nummis Coſ. XIIII. atque itidem TR. P. VIII. uſque ad Idus Septembris. Num vero hoc ipſo anno, vel ſequenti triumphum de Dacis egerit, voſmet indagate; ipſe enim propius, ni mea me fallit opinio, ad annum triumphi de Dacis vos conduxi. Scio Martialem lib. 7. epig. 7. ſcribere Domitianum menſe Januario Romam adveniſſe poſt expeditionem Germanicam. Ibi tamen loquitur de expeditione contra Sarmatas, ut patet ex quinto epigrammate, quod in hæc carmina deſinit:

Sed jam lætitia quia ſit fiducia major,
Sarmatica laurus nuntius ipſe veni.

Eadem ſcribit lib. 8. epig. ad Janum:

Tu tamen hoc mavis, Latia quod contigit Urbi,
Menſe tuo reducem, Jane, videre Deum.

Et epigrammate 15.

Dat populus, dat gratus Eques, dat thura Senatus.
Et ditant Latias tertia dona Tribus.
Hos quoque ſecretos memorabit Roma triumphos;
Nec minor iſta tuæ laurea pacis erit.

Secretos triumphos vocat; quod de Sarmatis triumphare recuſavit. Svetonius in Domitiano cap. 6. *De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit*. Hinc Domitianus dicitur dediſſe *ſerta Jovi* apud eumdem poetam lib. 10. epig. 103. Expeditionem ac victoriam Sarmaticam refero ad A. 93. noſtræ epochæ; quia anno 92. cum eſſet tribunitiæ poteſtatis XI. ac Coſ. XVI. in Gruteriana inſcriptione ac nummis dicitur IMP. XXI. at anno 93. Gruteri pag. 574. 5. idem legitur: TRIBUNIC. POTESTAT. XII. IMP. XXII. COS. XVI. qui tituli iiſdem numeris expreſſi, in quatuor nummis recitantur a Comite Mediobarbo in accuratiſſimo ac locupletiſſimo Auctario Occoniano pag. 139. Hinc ſi anno 93. ſemel ſupra XXI. Imperator dictus eſt, ob victoriam Sarmaticam eum titulum iterum auxit, qui etiam poſtremus fuit; nuſquam enim in nummis deinceps auctus legitur. Itaque Domitianus anno 93. victis Sarmatis, anno alte-

to 94. ineunte, Romam adveoit, quo privati Conſules faſtis nomen dederunt; quæ etiam cauſa fuit cur Domitianus iter Romam non celeraverit, ſecus facturus, ſi eo anno Conſul Kal. Januariis proceſſiſſet. Poſtremam vero Domitiani expeditionem fuiſſe contra Sarmatas, patet ex laudato Martiali, cui addendus Statius lib.3. ubi de lacrymis Hetruſci, laudans Domitianum, ait:

Hæc eſt qua victis parcentia fœdera Cattis,
Quæque ſuum Dacis donat clementia montem,
Quæ MODO Marcomannos poſt horrida bella, vagoſque
Sauromatas Latio non eſt dignata triumpho.

Ite en nupera victoria de Sarmatis non triumphum, ſed lauream tulit. Vix dum finieram; cum illi, demus, inquiunt, auctori Regularum Domitianum anno 90. quo Conſul XV. proceſſit, de Dacis triumphaſſe, expeditio bellica contra eoſdem anno ſuperiori 89. deputanda erit; quo tamen anno non ipſe Imperator ſed Fulvus II. & Atratinus Conſules in faſtis ſignantur. At hoc eſt contra regulam IV. conſulatuum Cæſareorum, in qua cap.8. num.4. pag. 173. dicuntur Imperatores ob expeditiones bellicas conſulatum accepiſſe. Obligatam, inquam, fidem implete: meam tantum ſententiam de anno triumphi Dacici rogaſtis; nec fas eſt tranſgredi limitem, quem voſmet ſtatuiſtis. Auctor diſerte eo loci ſcribit conſulatum ob expeditiones bellicas *non raro*, non autem ſemper ſuſceptum. Si illius verba fideliter redderetis, continuo veſtra evaneſcerent. Prætcrquam quod bellum fortaſſis exortum erat eo ipſo anno quo a Domitiano geſtum fuit, ejuſdem anni Conſulibus jam ante bellum deſignatis.

Anno 92. Domitianus XVI. ac Q. Voluſius Saturninus Conſules in faſtis, ac Gruteri pag. 300. recitantur. Scribis autem pag.206. *Sumptus is conſulatus propter quinta quinquennalia Cæſarei imperii, quæ tamen nonniſi anno ſequenti celebrata.* Hoc vir eruditiſſime, Domitiani imperium Cæſareum irrident, uti etiam cum pag.171. laudas imperium Cæſareum M. Aurelii, cujus A. 179. octava quinquennalia producis; & pag.159. imperii item Cæſarei Commodi meminiſti, quem dicis *veterem morem quinquennalia & id genus feſta cum trabea conſulari edendi renovaſſe.* Nos plane, inquiunt, ignoramus quidnam ſit hocce imperium Cæſareum Domitiani, ac Commodi, ut ille tuus fingit. Nam Dio lib. 53. differens de titulis Imperatorum, teſtatur appellationem Cæſaris *nihil peculiaris potentiæ* ſignificare, ſed tantum *ſucceſſionem ſtirpis*. Et ne a Domitiano diſcedamur, Tacitus in fine lib.3. Hiſtor. ſcribit Domitianum poſt necem Vitellii a frequenti milite Cæſarem conſalutatum. Et initio lib.4. ait: *Nomen ſedemque Cæſaris Domitianus acceperat.* Eo autem titulo nullum eidem imperium collatum, patet ex iis quæ ſtatim ſubjungit: *Præturam Domitiano & conſulare imperium decernunt.* Prætura nullum imperium, ſed juriſdictionis tantum poteſtatem Domitiano conferebat. Ceterum ut Cæſar, idemque filius Veſpaſiani Auguſti quidpiam auctoritatis ac poteſtatis ſupra privatos prætores haberet, eidem *conſulare imperium* S. C. decretum fuit, quod nuda illa Cæſaris appellatio nullum eidem imperium tribuebat. Marcus Aurelius filios adhuc pueros Cæſares creavit, nullo cum eiſdem imperio, cujus ob ætatem nondum capaces erant, communicato. Idem vero poſt annum nonum, imperium proconſulare Commodo tradidit, ante quod ſine ullo imperio Cæſar tantum fuerat. Etenim Auguſti poteſtatem atque imperium intra Urbem ſibi reſervantes, filios Cæſares imperio proconſulari extra Urbem inſigniebant.

Itaque Commodus ac reliqui Cæſares ante imperium proconſulare, omnis imperii expertes cenſebantur. Hinc cum anno 175. Senatus nuntium necis Avidii Caſſii accepiſſet, inter feſtivas acclamationes abſenti M. Aurelio factas, dixerunt: *Commodo imperium juſtum rogamus, Commodo tribunitiam poteſtatem rogamus.* Erat igitur Commodus ſine imperio, quamvis jam inde ab anno 166. Cæſar eſſet, deſtinatus tamen ad imperium, quod una cum tribunitia poteſtate eodem demum anno 175. accepit. Idem Commodus cum Albinum Cæſaris nomine donaſſet, hic poſtea Imperator pro concione dixit: *Commodum donantem me Cæſariano nomine, contempſi.* Non imperium Cæſareum dixit, ſed purum putum nomen Cæſareum. Horum auctor Capitolinus cap.2. & 3. in Albino. Hæc illi, quibus repoſui te nomine imperii dignitatem Cæſaream intelligere, cum probe ſcires filiis Principum nullum imperium ex Cæſaris appellatione collatum, cum præter juſſionem Auguſtorum, neminem pro imperio cogere poſſent. Odiſſe vero me logomachias, quando nulla de rebus eſſet diſputatio. Tum illi detur, inquiunt, tam benigna interpretatio tuæ erga auctorem Regularum amicitiæ: jam ipſis de rebus diſputemus. Scribit ſumptum a Domitiano conſulatum XVI. ob quinta quinquennalia; addit tamen *nonniſi anno ſequenti celebrata*. Hæc doctrina nobis monſtro ſimilis videtur. Si ſumit conſulatum ob quinquennalia, cur eadem in eodem conſulatu non celebrat? Si differt quinquennalia, cur non etiam conſulatum? Videſne ut hæc ſententia, ut alicubi Tertullianus ait, ſe ipſam ſtrangulet? At operæ pretium eſt audire, unde habeat ea quinquennalia feſta in annum 93. dilata; quia, inquit ibidem, hoc anno contigit *perſecutio adverſus Chriſtianos, & publicatio viginti librorum de Antiquitatibus Judaicis*, quos Joſephus hoc anno 93. evulgavit. Hic ſane auctor petit principium; uti loquuntur logici noſtri. Nam ſuperius cap. 3. pag. 150. ſcribit recte ab Euſebio ac ſcriptore Chronici Alexandrini perſecutionem ab eodem principe contra Chriſtianos inſtitutam collocari in anno vulgaris epochæ 93. hæc ſubnotans: *In eum autem annum quinta quinquennalia Cæſarei imperii Domitiani incidunt.* At in Rationario faſtorum ubi de conſulatibus Domitiani, tradit ea quinquennalia incidiſſe in annum 92. quamvis in ſequentem dilata fuerint ob perſecutionem. Ita hic probat annum quinquennalium ab anno perſecutionis, alibi e contrario annum perſecutionis ab anno quinquennalium. Viden quinquennalia eidem figi, refigi, uti libet, ubi lubet? Magnus eccleſiaſticorum Annalium conditor perſecutionem a Domitiano decretam, alligat anno 91. Reſpondet, pagina 120. eo anno *quo eam Baronius locat, nulla hujuſmodi ſolemnia edita; unde & nullo teſte id ab eo factum.* Quæſumus, ut unum teſtem ipſemet nobis exhibeat, qui dixerit in annum 93. dilata eſſe quinta quinquennalia Domitianea, de quibus nullus ante hunc auctorem ſomniavit. Sed nec lepidior eſt altera nota dilatorum quinquennalium, quæ petitur a publicatis a Joſepho libris Antiquitatum Judaicarum. Plinius libros Hiſtoriæ naturalis non tantum publicavit, verum etiam dicavit Imperatori Tito Cæſari *Conſuli ſextum*. At Titus Chriſti anno 77. fuit Conſul VI. nec eo anno quinquennalia aut decennalia celebravit. Idem vero Titus dicitur ab amico tuo quinquennalia edidiſſe anno Domini 76. Cur non eadem dilata dixit in annum ſequentem 77. quorum nota eſſet Plinii liber Tito Conſuli VI. dedicatus? Joſephus teſtatur ſe libris Antiquitatum Judaicarum finem impoſuiſſe anno imperii Domitiani XIII. qui coincidit cum anno Chriſtianæ epochæ 93.

Num

Digitized by Google

Nom Joſephus divioavit quinta quinquennalia n Domitiano in alterum annum differenda, ut lento ſtylo opus promovens, hoc ipſum eo tantum anno 93. ad umbilicum deduceret? Vel Domitianus diſtulit ea ſolemnia, ut expectaret finem elucubrationis Hiſtoriæ Hebræorum quos ſeveriſſimis exactionibus opprimebas, quarum nimirum oculatus teſtis venit Svetonius cap. 12. de Vita ejuſdem? Interim interlocutus, equidem, inquam non puto expectaſſe terminum illius hiſtoriæ; ſed quæſo vos, ut expectetis notas quas maximæ vir eruditionis in Annales eccleſiaſticos brevi evulgabit. Interea judicium de anno memoratæ perſecutionis uſque ad exactiorem cauſæ cognitionem ſuſpendite. Scitote vos accuſatoris, non judicis partes agere; illius autem eſt querelas exponere, hujus vero ſententiam ea qua voluerit, die pronuntiare. Maneat in præſentia hæc ſub judice lis. Interim legite quæ de editis a Plinio libris Hiſtoriæ naturalis Pagius retractat num. 20. in prolegomenis.

Anno 95. Domitianus conſulatum XVII. accepit, de quo ſcribis pag. 207. *Eſt hic ultimus Domitiani conſulatus propter Auguſtei imperii quindecennalia ſumptus.* Illi autem reponunt ſe jam demonſtraſſe Idibus Septembris, qua die quindecennalia edenda erant, non Domitianum, ſed Conſules ſuffectos trabeam geſtaſſe, cum ille ultra Kal. Majas nullum conſulatum continuaverit. Id poſtremum conceſſi, quod ſibi ſatis eſſet, ſi Domitianus annum quindecennalium ſuo conſulatu in faſtis clariorem effecerit, quamquam ante diem illorum ſolemnium trabeam depoſuerit. Tum illi irridere mihi toties repetitum aſylum, hiſcere meam defenſionem, quæ uni ſemper & quidem lubrico fundamento nitatur. At ipſe, num Aiax, inquam, ſeptemplicem clypeum eum Nomidica cetra mutaſſet, quod ejus tantum præſidio cuncta hoſtium tela toties retuderat: immo uno illo uſus dicitur, quem omnibus jaculis impenetrabilem noveras. Cum novis armis pugnabitis, eum poeta dicam: *Mutemus clypeos.* Næ tu, inquiunt, In re ſeria fabularis Aiacis clypeum & poetæ hemiſtichion recantas? Agedum, en tibi poetam non fabuloſe, ſed hiſtorice rem enarrantem. Statius lib. 4. Sylvarum de hoc ipſo conſulatu XVII, Domitiani ſcribit.

—— *ſubiere novi Palatia faſces,*
Et requiem bis ſextus honos, precibuſque receptis,
Curia Cæſareum gaudet viciſſe pudorem.

Bis ſextum honorem vocat hunc duodecimum conſulatum ordinarium Domitiani, qui connumeratis quinque ſuffectis, eſt decimus ſeptimus. Cum dicit eumdem conſulatum *ſubiiſſe quietem*, teſtatur Domitianum non ſemel oblatum ſibi conſulatum non admiſiſſe, quem enixis Senatus precibus victus, tamdem recepit, gaudentibus Patribus victam principis non una repulſa delatos faſces reſpuentis, moderationem. Itaque Domitianus hoc anno conſulatum gerere recuſabat; quare nuperas regulas de ſolemniis quindecennalium in trabea conſulari edendis, vel uti tu molliter interpretaris, de anno eorumdem faſtorum Auguſteo nomine in faſtis nobilitando, ignoravit. Num Senatus Domitianum ad memoriam agendorum in trabea quindecennalium, quorum oblivio illum ceperat, revocavit? Tum ego: Erant illæ regulæ; erat tamen Imperator ſuper regulas. Domitianus tot geſtorum conſulatuum non tam ſatietate, quam pudore affectus, malebat in decimo ſeptimo conſulatu recuſando moderationem ſimulare, quam annum quinquennalium de more ſuo in faſtis nomine inſignire. En rurſus, inquiunt,

Apparatus in Baronium

nomen in faſtis, quod tibi puppis ac prora eſt, ac ſacra anchora in tempeſtate. Amicus ille tuos novas, at bellas regulas conſulatuum Cæſareorum procudit, tu belliſſimas earumdem exceptiones obtrudis. Ille conſulatum XVII. ad ſecundam regulam revocat, quam tu a Domitiano eumdem conſulatum recuſante, inſigni exceptione, violatam pronuntias. Immo, inquam eamdem obſervavit, eum conſulatum accepit; quamvis initio eumdem recuſans moderationis potius quam regulæ laudatæ conſiderationem habuiſſe videatur. At illi: Mirus homo es, qui non tantum ejus regulæ, verum etiam arcanæ Domitiani mentis tam certum interpretem agis; enimvero pene jurati teſtes aſſerimus illum Principem de illa regula non cogitaſſe, quam tamen tanti apud ipſum ponderis facis, ut illius tantum cauſa, conſulatum non ſemel antes rejectum, admiſerit. Hactenus contra regulas conſulatuum Cæſareorum diſputatum. Illarum auctor ludos Seculares, bellicas expeditiones, triumphos, vota decennalia, agonas Capitolinos, templorum dedicationes, & alia id genus ſolemnia *in trabea conſulari* a Domitiano edita putavit; cum tamen ille trabeam conſularem ſæpe ad Idus tantum Januarias, numquam certe ultra Kalendas Maias geſtaverit. Equidem trabeam conſularem pro nomine in faſtis conſularibus ſignato interpretaris; at præter mentem ſcriptoris, cujus amicum ſed non æque veracem advocatum agis. Ille pag. 83. ſcribit quinquennalia ac decennalia peragi ſolita ab Imperatoribus *conſulari trabea indutis*: ludos Sæculares editos a Claudio, qui pag. 184. eidem dicitur *conſulari munere fungens*: pag. 178. triumphum Alexandro Severo *in trabea conſulari actum*. Hoccine eſt per tuam fidem Auguſteo nomine, quæ tua eſt unica interpretatio, faſtos ſignare? Id quidem hercle certum eſt trabeam recipere, induere, geſtare, non vero nomen in latereulis conſularibus deſcribi. Papæ inquam, quam invidioſe peroratis! Haſce nubeculas jam a me diſſipatas, iterum denſatis, ut clariſſimis regulis conſulatuum umbræ inducantur. En vobis Dio ſcribit de Claudio lib. 60. *Deinde ludos triumphales edidit, accepta ad id Conſulari poteſtate*; cum tamen eo anno V. 797. Criſpinus, ac Statilius trabeam conſularem geſtarent; an non idem vobis videtur *fungens Conſulari munere* cum eo, qui conſulari fungitur poteſtate? Triumphaverat Claudius de Britannis, togam pictam auro intexto intermicantem, quæ trabea eſt conſularis, geſtaverat; idem tamen ut ludos ederet triumphales, conſularem poteſtatem accepit, quam forte etiam obtinuit, dum ludos Sæculares celebrabat, quod veteri Romanæ Reipublicæ inſtituto, illorum editio ad Conſules pertinebat. Hæc ſcribit auctor Regularum initio cap. 9. pag. 575. *Sicut triumphalia ornamenta in conſularia transferunt* &c. Primus novi habitus conſularis auctor ignoretur; at certum eſt, imperante Alexandro Severo, Conſules uſi ſua toga picta ac tunica palmata, quæ propriæ erant veſtes triumphantium. Legite Lampridium cap. 40. de vita Alexandri. Itaque recte eidem auctori Regularum ſcribitur, triumphum Alexandri in trabea conſulari actum fuiſſe. Ipſa tamen toties vobis redditum reſponſum præjuli, nempe Auguſtos voluiſſe annos, quibus inſigniora ſolemnia ludorum triumphorum, &c. agenda erant, ſuo nomine in faſtis ſignari, quod hac ratione plura objecta, quæ laudatis Regulis a vobis opponuntur, facile ſolverentur. Miror autem tam præpoſteram opinionem de eximia amici mei eruditione vobis indici potuiſſe, ut putaretis ipſum, qui tot annos in faſtis habitavit, cum eas Regulas conderet, ne ſemel quidem cogitaſſe Imperatores, quamvis Kalendis Januariis conſulatum iniiſſent, eodem tamen

ſemet abdicaſſe, antequam dies Decennalium, triumphorum, ludorum Sæcularium, aliorumque id genus ſolemnium adveniret. Hinc quoties ſcribis eas ſolemnitates ab Imperatoribus *in trabea conſulari* peractas, ita interpretatus ſum, ac ſi dixiſſet Imperatores annos illorum ſolemnium Auguſteo conſulatu in faſtis nobilitaſſe. Hanc vero reſponſionem, qua univerſa veſtrarum obiectationum machina diſſipatur, invidioſis nominibus excipitis, eandem ſacram anchoram in tempeſtate, Palladium, puppim ac proram, crambem recoctam, repetitam cantilenam ignominiæ cauſa appellantes, ego eidem non ſecus ac conchæ aut polypi ſcopulo, adhæreſcam, quouſque & probabiliorem & ſolidiorem ipſemet auctor Regularum reſponſionem mihi ſuggerat, qua veſtra obſtinatio frangatur, aut certe tam facilis calumniandi importunitas comprimatur. Interim claudatur hæc de Domitiani conſulatibus diſputatio, ac ſuperi meliorem vobis erga præclariſſimas Regulas mentem duint.

Habes vir eruditiſſime, &, quod honori meo deputo, amiciſſime, quæ adverſus tuas de Cæſareis conſulatibus Regulas obiiciuntur. Equidem pudet me frigidiori advocatione tuorum inſignium canonum patrocinium exercuiſſe. Verum quemadmodum velites leviori armatura circumcurſantes, hoſtium irruentium impetum tantiſper ſuſtinent, quouſque in prælium triarii educantur, qui hoſtiles cuneos & irrumpant & diſſipent; hoc plane conſilio qualemcumque advocationem clamore vago, ac inani voce commodavi, ut ipſe poſtea plena eximiæ vaſtæque eruditionis tuæ acie explicata, ſtatariam pugnam inires, ac canones tuos maioribus ignotos, poſteris laudandos, ab adverſariorum oppugnatione vindicares. Nemo enim hæc ipſa Cæſareorum conſulatuum arcana melius exponere, aut validius defendere poteſt, quam tu, ad cujus ſublimem doctrinam ac præſtantiſſimum ingenium diuturnior huiuſce operis cura ac longior meditatio acceſſere. Interim tibi etiam atque etiam gratulor, quod Cæſareis faſtis non levi hactenus caligine offuſis, tantum ſplendoris intuleris, ut plus ipſe, quam iidem abs te illuſtrati conſulatus, eniteſcas. Illi enim nomine tenus anguſtos faſtorum latereulos implent; ut vero eoſdem faſtos ab Octaviano Auguſto ad Byzantinos uſque Cæſares latius extenſos, ampliſſimis ſcriptis complexus es, ut nullus pene Conſul imposterum ſcribi poſſit, quin eamdem plane paginam tui ipſius nomen pariter impleat. Hoc autem priori abs te edito volumine, tuarum in Annales eccleſiaſticos animadverſionum ac notarum deſiderium acrius intendiſti. Illarum nitorem quantulacumque mea opera promoturus, faſtorum emendationes, quas potui, concinnatas, tibi inſcripſi ac nuncupavi, ut eaſdem magno Notarum operi inſereres; in quo ſi ipſemet vel ſemel earumdem correctionum auctor ſine elogio nominabor, agam gratias pro nominis immortalitate immortales; *augurer enim*, ut Plinii in epiſtola ad Tacitum verbis utar, *hiſtorias tuas immortales futuras*. His ſcribendis, his edendis, cæteris omiſſis, toto opere incumbe, ut huic tuæ Cæſareorum conſulatuum expoſitioni præclariſſimorum in Eccleſia Dei iiſdem Conſulibus geſtorum, enarratio ſuccedat, ac utroque opere, ut in Claudiani verba deſinam,

——— ſubnixus in ævum
Procedas, pariter libris, faſtiſque legendus.

IN-

I N D E X

CONSULATUUM EMENDATORUM

FASTI VULGARES.	FASTI EMENDATI.	
Conſules TIBERIO Imperante.		
Anno Urbis 782.	Anno Chriſti 29.	
C. FUSIUS Geminus. *C. Rubellius Geminus.*	*C. FUFIUS Geminus.* *L. Rubellius Geminus.*	Pag. 146.
SUF. A. K. JUL.	SUF. A. K. IUL.	
Q. Pomponius Secundus. *. . Sanquinius Maximus.*	*A. Plautius.* *L. Nonius Aſprenas.*	Pag. 147.
A. V. 783.	A. C. 30.	
M. Vinicius Quartinus. *C. Caſſius Longinus.*	*L. Caſſius Longinus.* *M. Vinicius.*	Pag. 147.
SUF. A. K. JUL.	SUF. A. K. IUL.	
L. Caſſius Longinus.	*C. Caſſius Longinus.* *L. Naevius Surdinus.*	
A. V. 784.	A. C. 31.	
Tiberius Auguſtus V. *L. Aelius Seianus.*	*Tiberius Aug. V.* *L. Aelius Seianus.*	Pag. 147.
SUF. IDIBUS MAI.	SUF. VII. IDUS MAI.	
C. Memmius Regulus. *. . Fulcinius Trio.*	*Fauſtus Cornelius Sulla.* *Sextedius Catullinus.*	Ibid.
	SUF. K. IUL.	
	L. Fulcinius Trio.	Ibid.
	SUF. K. OCTOBR.	
	P. Memmius Regulus.	Ibid.
A. V. 785.	A. C. 32.	
Cn. Domitius Ahenobarbus. *A. Vitellius Nepos.*	*Cn. Domitius Ahenobarbus.* *M. Furius Camillus Scribonianus.*	Pag. 148.
SUF. K. IUL.	SUF. K. IUL.	
Furius Camillus Scribonianus.	*A. Vitellius.*	
A. V. 786.	A. C. 33.	
Sergius Sulpicius Galba. *L. Cornelius Sulla.*	*L. Sulpicius Galba.* *L. Cornelius Sulla Felix.*	Ibid.
A. V. 787.	A. C. 34.	
Paullus Fabius Priſcus. *L. Vitellius Nepos.*	*Paullus Fabius Perſicus.* *L. Vitellius.*	Pag. 149.
A. V. 788.	A. C. 35.	
C. Ceſtius Gallus. *M. Servilius Rufus.*	*C. Ceſtius Gallus.* *M. Servilius Nonianus.*	Pag. 151.
A. V. 789.	A. C. 36.	
Sex. Papinius Gallienus. *Q. Plautius Plautianus.*	*Sex. Papinius Allenius.* *Q. Plautius.*	Pag. 151.

Con-

FASTI VULGARES.	FASTI EMENDATI.	
Conſules CAJO Imperante.		
A. V. 791.	A. C. 38.	
Cajus Auguſtus II. *L. Apronius Caſianus.*	*M. Aquillius Julianus.* *P. Nonius Aſprenas.*	Pag.152.
A. V. 792.	A. C. 39.	
M. Aquillius Julianus. *P. Nonius Aſprenas.*	*Cajus Auguſtus II.* *L. Apronius Caſianus.*	Pag.152.
SUF. KAL. FEBR.	SUF. K. FEBR.	
Cn. Domitius Corbulo.	*M. Sanquinius Maximus II.*	Ibid.
SUF. KAL. JUL.	SUF. KAL. JUL.	
Sanquinius Maximus II.	*Cn. Domitius Corbulo.*	Ibid.
Conſules CLAUDIO Imperante.		
A. V. 795.	A. C. 42.	
Claudius Auguſtus II. *L. Licinius Largus.*	*Claudius Auguſtus II.* *C. Cacina Largus.*	Pag.153.
A. V. 797.	A. C. 44.	
C. Criſpus II. *T. Statilius Taurus;*	*L. Quinctius Criſpinus II.* *M. Statilius Taurus.*	Ibid.
A. V. 798.	A. C. 45.	
M. Vinicius Quartinus II. *M. Statilius Corvinus.*	*M. Vinicius II.* *Taurus Statilius Corvinus.*	Ibid.
A. V. 799.	A. C. 46.	
C. Valerius Aſiaticus II. *M. Valerius Meſſalla.*	*.. Valerius Aſiaticus II.* *M. Junius Silanus.*	Pag.154.
A. V. 803.	A. C. 50.	
C. Antiſtius Veter. *M. Suillius Rufus.*	*C. Antiſtius Veter.* *M. Suillius Nervilianus.*	Ibid.
Conſules NERONE Imperante.		
A. V. 812.	A. C. 59.	
C. Vipſanius Apronianus. *L. Fonteius Capito.*	*C. Vipſtanus Apronianus.* *L. Fonteius Capito.*	Pag.155.
A. V. 814.	A. C. 61.	
C. Caſonius Patus. *C. Petronius Sabinus.*	*.. Caſonius Petus.* *P. Petronius Turpilianus.*	Ibid.
A. V. 816.	A. C. 63.	
L. Memmius Regulus. *P. Virginius Regulus.*	*C. Memmius Regulus.* *L. Verginius Rufus.*	Pag.156.
A. V. 818.	A. C. 65.	
P. Silius Nerva. *C. Julius Atticus Veſtinus.*	*A. Licinius Nerva Silianus.* *M. Veſtinus Atticus.*	Pag.157.
A. V. 819.	A. C. 66.	
C. Suetonius Paulinus. *L. Pontius Teleſinus.*	*C. Suetonius Paulinus.* *C. Luccius Teleſinus.*	Ibid.
A. V. 821.	A. C. 68.	
C. Silius Italicus. *M. Valerius Trachalus Turpilianus.*	*C. Silius Italicus.* *M. Valerius Trachalus.*	Pag. 160.

Con-

FASTI VULGARES.	FASTI EMENDATI.	
Conſules GALBA Imperante.		
A. V. 822.	A. C. 69.	
Imp. Sergius Sulpicius Galba. T. Junius, ſeu Vinius Criſpinianus.	*Imp. Servius Sulpicius Galba II. T. Vinius Rufinus.*	Ibid.
Conſules VESPASIANO Imperante.		
A. V. 823. A. C. 70.	A. V. 824. A. C. 71.	
SUF. A. K. JUL.	SUF. K. MART.	
Fl. Domitianus Cæſar.	*Fl. Domitianus Cæſar. Cn. Pedius Caſſius.*	Pag. 162.
A. V. 831.	A. C. 78.	
L. Cejonius Commodus Verus. C. Cornelius Priſcus.	*L. Cejonius Commodus: D. Novius Priſcus.*	Pag. 161.
Conſules TITO Imperante.		
A. V. 834.	A. C. 81.	
M. Plautius Silvanus. M. Annius Pollio.	*Sex. Annius Silvanus. T. Annius Verus Pollio.*	Ibid.
Conſules DOMITIANO Imperante.		
A. V. 836.	A. C. 83.	
Imp. Domitianus Auguſtus IX. T. Verginius Rufus II.	*Imp. Domitianus Auguſtus IX. Q. Petilius Rufus II.*	Pag. 163.
A. V. 837.	A. C. 84.	
Imp. Domitianus Aug. X. Appius Junius Sabinus.	*Imp. Domitianus Aug. X. C. Oppius Sabinus.*	Ibid.
A. V. 845.	A. C. 92.	
Imp. Domitianus Aug. XVI. A. Voluſius Saturninus II.	*Imp. Domitianus Aug. XVI. Q. Voluſius Saturninus.*	Ibid.
Conſules NERVA Imperante.		
A. V. 850.	A. C. 97.	
Imp. Nerva Auguſtus III. T. Virginius Rufus III.	*Imp. Nerva Auguſtus III. L. Verginius Rufus III.*	Pag. 164.
Conſules TRAIANO Imperante.		
A. V. 853.	A. C. 100.	
Imp. Traianus Aug. III. M. Cornelius Fronto III.	*Imp. Traianus Aug. III. Sex. Julius Frontinus III.*	Ibid.
A. V. 856. A. C. 103.	A. V. 857. A. C. 104.	
Imp. Traianus Auguſtus V. L. Appius Maximus II.	*Imp. Traianus Auguſtus V. L. Appius Maximus II.*	Pag. 167.
A. V. 864.	A. C. 111.	
L. Calpurnius Piſo. M. Vettius Ruſticus Bolanus.	*C. Calpurnius Piſo. M. Vettius Bolanus.*	Pag. 170.
A. V. 865.	A. C. 112.	
Imp. Traianus Aug. VI. C. Julius Africanus.	*Imp. Traianus Aug. VI. T. Sextius Africanus.*	Pag. 168.

A. V.

FASTI VULGARES	FASTI EMENDATI.	
A. V. 868.	A. C. 115.	
M. Valerius Meſſala. *C. Popilius Pedo.*	*L. Vipſtanus Meſſala.* *M. Vergilianus Pedo.*	Pag. 169.
A. V. 869.	A. C. 116.	
.. Æmilius Ælianus. *L. Antiſtius Vetus.*	*L. Ælius Lamia.* *... Ælianus Vetus.*	Pag. 170.
A. V. 870.	A. C. 117.	
.. Quinctius Niger. *T. Vipſanius Apronianus.*	*.. Quinctius Niger.* *C. Vipſtanus Apronianus.*	Ibid.

Conſules HADRIANO Imperante.

A. V. 879.	A. C. 126.	
.. Veſpronius Candidus Verus. *.. Ambiguus Bibulus.*	*M. Annius Verus III.* *L. Varius Ambibulus.*	Pag. 171.
A. V. 887.	A. C. 134.	
C. Julius Servianus III. *C. Vibius Juventius Verus.*	*C. Julius Servianus III.* *C. Vibius Varus.*	Ibid.
A. V. 888.	A. C. 135.	
.. Pompeianus Luperçus. *L. Julius Atticus Acilianus.*	*........ Pontianus.* *........ Atilianus.*	Pag. 172.

Conſules ANTONINO PIO Imperante.

A. V. 906.	A. C. 153.	
.. Bruttius Præſens II. *.. Antonius Rufinus.*	*C. Bruttius Præſens.* *A. Junius Rufinus.*	Pag. 175.
A. V. 907.	A. C. 154.	
L. Aurelius Cæſar. *.. Sextilius Lateranus.*	*L. Aelius Aurelius Commodus.* *T. Sextus Lateranus.*	Ibid.
A. V. 909.	A. C. 156.	
.. Plautius Silvanus. *.Sentius Augurinus.*	*M. Ceionius Silvanus.* *C. Serius Auguſtinus.*	Pag. 176.
A. V. 910.	A. C. 157.	
.... Barbatus. *......... Regulus.*	*.. Vetulenus Barbarus.* *.......... Regulus.*	Ibid.
A. V. 911.	A. C. 158.	
Q. Flavius Tertullus. *.. Licinius Sacerdos.*	*...... Tertullus.* *.. Claudius Sacerdos.*	Pag. 177.
A. V. 912.	A. C. 159.	
.. Plautius Quintillus. *.. Statius Priſcus.*	*.. Plautius Quintillus.* *M. Statius Priſcus.*	Ibid.

Conſules M. AVRELIO Imperante.

A. V. 915.	A. C. 162.	
Q. Junius Ruſticus. *.. Vettius Aquilinus.*	*Q. Junius Ruſticus.* *C. Vettius Aquilinus.*	Ibid.
A. V. 917.	A. C. 164.	
L. Julius Macrinus. *L. Cornelius Celſus.*	*M. Nonius Macrinus.* *....... Celſus.*	Pag. 178.

A. V.

Digitized by Google

FASTI VULGARES	FASTI EMENDATI	
A. V. 918.	A. C. 165.	
.. Servilius Pudens. *L. Cornelius Scipio Orfitus.*	*L. Arrius Pudens.* *M. Gavius Orfitus.*	Pag. 179.
A. V. 919.	A. C 166.	
.. Servilius Pudens II. *T. Vitraſius Pollio.*	*.. Servilius Pudens.* *L. Fufidius Pollio.*	Ibid.
A. V. 922.	A. C. 169.	
. Soſius Priſcus. *Q. Cœlius Apollinaris.*	*Q. Soſius Priſcus.* *P. Cœlius Apollinaris.*	Ibid.
A. V. 923.	A. C. 170.	
M. Aurelius Cethegus. *L. Junius Clarus.*	*M. Cornelius Cethegus.* *C. Erucius Clarus.*	Ibid.
A. V. 924.	A. C. 171.	
L. Septimius Severus II. *...... Herennianus.*	*L. Septimius Severus II.* *L. Alfidius Herennianus.*	Pag. 180.
A. V. 926.	A. C. 173.	
Cn. Claudius Severus II. *M. Claudius Pompeianus.*	*M. Aurelius Severus II.* *T. Claudius Pompeianus.*	Ibid.
A. V. 931.	A. C. 178.	
.. Vettius Rufus. *.. Cornelius Scipio Orfitus.*	*.. Julianus Rufus.* *.. Gavius Orfitus.*	Pag. 181.
A. V. 932.	A. C. 179.	
L. Aurelius Commodus Auguſtus II. *. Veſpranius Candidus Verus.*	*L. Aurelius Commodus Aug. II.* *T. Annius Aurelius Verus II.*	Pag. 180.
A. V. 933.	A. C. 180.	
.. Bruttius Præſens. *.. Quinctilius Gordianus.*	*L. Fulvius Bruttius Præſens II.* *Sex. Quinctilius Condianus.*	Pag. 182.
Conſules COMMODO Imperante		
A. V. 936.	A. C. 183.	
Imp. Commodus Aug. IV. *M. Aufidius Victorinus.*	*Imp. Commodus Aug. IV.* *M. Aufidius Victorinus II.*	Ibid.
A. V. 937.	A. C. 184.	
M. Eggius Marcellus. *N. Papirius Ælianus.*	*M. Eggius Marullus.* *Cn. Papirius Ælianus.*	Pag. 182.
A. V. 939.	A. C. 186.	
Imp. Commodus Aug. V. *M. Acilius Glabrio.*	*Imp. Commodus Aug. V.* *M. Acilius Glabrio II.*	Ibid.
A. V. 941.	A. C. 188.	
C. Allius Fuſcianus. *.. Dullius Silanus.*	*C. Allius Fuſcianus II.* *.. Dullius Silanus II.*	Pag. 183.
A. V. 944.	A. C. 191.	
.. Caſſius Apronianus. *M. Metilius Bradua II.*	*.. Caſſius Apronianus.* *........ Bradua.*	Ibid.
Conſules SEPT. SEVERO Imperante.		
A. V. 948.	A. C. 195.	
Q. Flavius Tertullus. *T. Flavius Clemens.*	*.. Scapula Tertullus.* *.. Tineius Clemens.*	Pag. 184.

FASTI VULGARES	FASTI EMENDATI.	
A. V. 960.	A. C. 207.	
M. Plavius Aper. *Q. Allius Maximus.*	.... *Aper.* .... *Maximus.*	Ibid.
A. V. 962.	A. C. 209.	
M. Aurelius Claudius Pompejanus. .. *Lollianus Avitus.*	.. *Claudius Pompejanus.* .... *Avitus.*	Ibid.
A. V. 963.	A. C. 210.	
M. Acilius Fauſtinus. *L. Cæſonius Macer Ruſinianus.*	*M. Acilius Fauſtinus.* .. *Triarius Ruſinus.*	Pag. 185.
Conſules ANTONINO CARACALLO imperante.		
A. V. 965.	A. C. 211.	
M. Pompeius Aſper. ... alter *Aſper.*	.. *Julius Aſper.* .. *Julius Aſper.*	Ibid.
A. V. 966.	A. C. 213.	
Imp. Antoninus Aug. IV. *P. Cælius Balbinus II.*	*Imp. Antoninus Aug. IV.* *D. Cælius Balbinus II.*	Pag. 186.
A. V. 969.	A. C. 216.	
Q. Aquillius Sabinus II. *Sex. Cornelius Anullinus.*	*C. Atius Sabinus II.* .. *Cornelius Anullinus.*	Ibid.
A. V. 970.	A. C. 217.	
.. *Bruttius Præſens.* .... *Extricatus.*	*C. Bruttius Præſens.* *T. Meſſius Extricatus.*	Ibid.
Conſules MACRINO Imperante.		
A. V. 971.	A. C. 218.	
M. Opelius Diadumenianus Cæſar. ...... *Adventus.*	*Imp. M. Opelius Macrinus Auguſtus.* Cujus e faſtis eraſi loco ſemet ſubſtituit *Imp. M. Aurelius Antoninus Auguſtus.* .... *Adventus.*	Pag. 187. Ibid.
Conſules ALEXANDRO SEVERO Imperante.		
A. V. 976.	A. C. 223.	
.... *Maximus.* .. *Papirius Ælianus.*	*L. Marius Maximus II.* *L. Roſcius Ælianus.*	Ibid.
A. V. 977.	A. C. 224.	
.. *Claudius Julianus.* .. *Clodius Criſpinus.*	.... *Julianus II.* .... *Criſpinus.*	Pag. 188.
A. V. 978.	A. C. 225.	
L. Turpilius Dexter. *M. Macius Rufus.*	.... *Fuſcus II.* .... *Dexter.*	Pag. 189.
A. V. 980.	A. C. 227.	
D. Cælius Balbinus II. *M. Clodius Pupienus Maximus.*	*M. Nummius Albinus.* .... *Maximus.*	Ibid.
A. V. 981.	A. C. 228.	
.. *Vettius Modeſtus.* ...... *Probus.*	*TI. Manilius Modeſtus.* *Sergius Calpurnius Probus.*	Pag. 190.
A. V. 983.	A. C. 230.	
.. *Calpurnius Agricola.* .... *Clementinus.*	*L. Virius Agricola.* *C. Catius Clementinus.*	Pag. 194.

P. ANTONII PAGII

Pro regulis a ſe conſtitutis de Conſulatibus Cæſareis Diſſertatio apologetica in Opere Gallico Journal des Sçavans *an.* 1686. *pag.* 459. *inſerta, & hic in commodum Lectorum recuſa.*

Digitized by Google

DISSERTATION

Sur les Conſulats des Empereurs Romains, Par le P. Pagi.

Mes Adverſaires ayant admis la premiere des regles que j'ay établies (ce qu'il ſemble qu'ils font auſſi à l'égard de la troiſiéme, puiſqu'ils ne la combattent pas) m'ont objecté en 1. lieu touchant les autres, que l'autorité des Empereurs ayant eſté indépendante, il n'eſt pas croyable qu'ils s'y ſoient aſſujettis. Cette raiſon a quelque apparence; mais je la trouve pourtant fort foible; car autrement il faudroit dire que ces Princes ne ſe ſeroient ſoûmis à pas une de ces regles, ce que neanmoins ces cenſeurs ne nient pas. D'ailleurs il y avoit diverſes loix que tous les Empereurs ont gardées fort exactement; ainſi il n'en eſt aucun juſqu'à Conſtantin qui ait rien changé dans la Police, qui n'ait creé deux Conſuls ordinaires toutes les années, ſans en augmenter ou diminuer le nombre, qui n'ait pris la puiſſance Tribunicienne, & qui n'ait celebré chaque cinquiéme année une ſolennité que Dion appelle un renouvellement d'Empire, c'eſt-à-dire ſes Quinquennales ou Decennales, ſans que pourtant en s'aſſujettiſſant à ces Loix, & à une infinité d'autres, ils ayent en rien bleſſé leur ſouveraineté.

Ils objectent en 2. lieu que c'eſt mal-à-propos que j'ay poſé pour principe que les Empereurs prenoient le Conſulat dans les années auſquelles ils celebroient leurs Decennales & les Jeux Seculaires, & qu'ils entreprenoient quelque grande guerre, ou qu'ils triomphoient de leurs ennemis; puiſque les Empereurs quittoient ordinairement le Conſulat aux Calendes de Mars pour faire place aux Conſuls *Suffecti*, & que cependant ils ne celebroient leurs Decennales qu'au jour qu'ils avoient pris l'Empire, qui arrivoit communément aprés le mois de Mars, & qu'ils ne triomphoient le plus ſouvent que dans les derniers mois de l'année. Ils inferent de là que le Conſulat n'eût ſervi de rien, ou qu'il eût fallu le reprendre dans la ceremonie de ces ſortes de ſolennitez, ce qu'on ne pourroit dire avec fondement.

Cet argument combat 4. de mes regles tout à la fois; mais je l'avois prévenu dans ma Diſſertation, lors que j'ay dit que les Empereurs, pour rendre leurs Decennales & ces autres actions plus memorables, prenoient ordinairement le Conſulat, & n'oublioient rien de ce qui pouvoit contribuer à leur ſplendeur. Procope au 2. *liv.* de l'Hiſtoire des Vandales ayant parlé du Triomphe de Beliſaire, qui arriva l'an 534. ſous le 4. Conſulat de l'Empereur Juſtinien, ajoûte, *Non multò poſt Beliſario, quod ei ex veteri more ad triumphi ſpeciem deerat, acceſſit; Conſul enim factus, &c.* Ce paſſage (à l'occaſion duquel on pourroit demander dans la ſuppoſition de mes adverſaires à quoy ſervoit à Beliſaire un Conſulat en l'an 535. pour un triomphe fait en l'année précedente) montre évidemment que c'eſtoit la coûtume de prendre le Conſulat l'année du Triomphe, & qu'on n'avoit point d'autre veuë en cela que de rendre cette action plus conſiderable & plus éclatante. Ainſi Euſebe dans la Vie de Conſtantin l. 4. c. 47. dit que le Concile de Nicée rendit celebre les Vicennales de cet Empereur, & que la dédicace de la ſuperbe Egliſe de la Reſurrection rendit ſes Tricennales plus éclatantes. Tant il eſt vray que les Peuples auſſi bien que les Empereurs n'oublioient rien de ce qui pouvoit contribuer à la gloire de leurs Decennales & d'autres pareilles ſolennitez, & qu'ils croyoient que la conſtruction des Temples & des Villes, leur dédicace, & les ouvrages publics en ſemblables années leur apportoient plus de gloire.

Ils diſent en 3. lieu que je me ſuis fort trompé, n'ayant pas pris garde que les Empereurs celebroient leurs Decennales avec l'habit de Sacrificateur, & que lorſqu'ils alloient à la guerre ils ſe revêtoient de l'habit appellé *Paludamentum*. Ils auroient neanmoins bien pû juger qu'il ne m'eſt pas tombé dans l'eſprit que les Empereurs ayent pris l'habit Conſulaire dans l'action de ces ſolennitez, s'ils avoient fait reflexion ſur ce que j'établis pour principe au commencement de ma Diſſertation, que le Conſulat ordinaire ne duroit communément que juſqu'au commencement du mois de Mars, & que d'un autre côté j'ay toûjours marqué les jours auſquels tomboient les Decennales que fort peu d'Empereurs ont celebrées avant le même mois, ayant pris l'Empire les mois ſuivans.

Ils repliquent que j'ay dit en termes formels qu'ils ſe ſont revêtus de la robe Conſulaire, pour celebrer les Decennales, ou pour entreprendre quelque guerre. A cela je répons, que par ces termes ou ſemblables *induere veſtem Conſularem*, je n'ay entendu autre choſe que prendre le Conſulat, comme il ſe voit en cent endroits de ma Diſſertation.

4. Ils ſoûtiennent qu'il eſt ridicule de dire que les Ceſars ayent fait leurs Quinquennales & Decennales en qualité de Ceſars; puis que ce nom n'eſtoit qu'un nom de famille, & que les Ceſars avoient bien le droit de ſucceder à l'Empire, mais qu'ils n'avoient aucune part au gouvernement s'ils n'avoient la puiſſance Tribunicienne, ou s'ils n'avoient eſté honorez de l'Empire Proconſulaire qui leur donnoit pouvoir ſur les armées.

Je répons à cette objection, qu'il eſt bien vray que juſques à Neron, en qui la famille des Ceſars fut éteinte, le nom de Ceſar eſtoit un nom de famille, & que même tous les Empereurs l'ont pris depuis pour faire voir qu'ils eſtoient ſucceſſeurs d'Auguſte: mais on s'eſt trompé juſques-icy, quand on a cru que les Ceſars, qui ont eſté creez aprés la mort de Neron, n'avoient point de part à l'Empire, puiſqu'il eſt vray qu'ils en avoient plus ou moins ſelon qu'il plaiſoit aux Empereurs; que même depuis l'Empire de Severe ils ont porté le nom d'Empereur auſſi bien que les Empereurs mêmes, & qu'ils ont toûjours fait leurs Quinquennales ou Decennales comme eux; ce qui marque qu'ils avoient part à l'Empire.

Herodien parlant de l'Empereur Severe *l. 3. c. 9.* dit, qu'ayant fait part de l'Empire à Caracalla & à Geta ſes deux fils, il partit avec ſon armée pour l'Orient, *participans Filiis Imperio, exercitum in Orientem eduxit*: & neanmoins il eſt certain qu'il n'y eut que Caracalla qui fut appellé Auguſte, & que Geta ne fut fait pour lors que Ceſar. Le même Herodien l. 2. c. 7. aprés avoir dit qu'Heliogabale avoit adopté ſon Couſin Alexandre Severe, & qu'il l'avoit honoré de la qualité de Ceſar, voulant

dire

dire qu'il ne tarda pas à s'en repentie, ſe ſert de ces paroles, *jamque Adoptionis Imperiique participem puniteba*t.

Mes Adverſaires fondent leur difficulté ſur ce que l'an de J. C. 75. le Senat ayant appris la mort de Caſſius, demanda à Marc Aurele de faire participant de l'Empire ſon fils Commode qui eſtoit déja Ceſar; car ils liſent dans la Vie de cet Empereur, compoſée par Capitolin, *Commodo Imperium juſtum rogamus; Commodo Tribuniciam poteſtatem rogamus*; d'où ils concluent que Commode eſtoit ſans Empire, & y eſtoit ſeulement deſtiné depuis l'an de J. C. 166. qu'il fut fait Ceſar.

Je dis là-deſſus qu'ils tombent dans une ignorance pareille à celle où ils me reprochent d'eſtre tombé, qui eſt de n'entendre pas le Latin; puiſqu'ils ne ſçavent pas que cet adjectif *juſtus*, veut dire la même choſe que *plenus* ou *major*. Ainſi Bode, dans le Treſor de Robert Eſtienne, ſur le mot *juſtus*, dit que *juſtum prælium illud eſt quod vere & proprie prælii nomine cenſeri poteſt*. Commode avoit donc quelque part à l'Empire par ſa qualité de Ceſar; mais le Senat ſouhaitoit qu'il eût une plus grande autorité, & que ſon pere l'honorât de l'Empire Proconſulaire & de la puiſſance Tribunicienne, parce que ceux qui en eſtoient revêtus avoient un pouvoir beaucoup plus étendu que les ſimples Ceſars. De là vient que le Senat dit *Commodo imperium juſtum rogamus*, & non pas ſimplement *Commodo imperium rogamus*.

En 5. lieu, ils me blâment d'avoir dit que Domitien prit ſon VI. Conſulat à l'occaſion de ſes cinquiémes Quinquennales, qu'il differe neanmoins à l'année d'apres. Car diſent-ils, s'il prit le Conſulat à cauſe de ſes Quinquennales, pourquoy ne les celebrat-il pas dans ſon Conſulat? & s'il differa le Conſulat, pourquoy ne differe t-il pas ſes Quinquennales?

Ce procedé de Domitien a eſté imité par d'autres Empereurs. Quant à ce qui en a eſté le motif, qu'ils rendent eux-mêmes raiſon, pourquoy l'Empereur Juſtinien ne differa pas le triomphe de Beliſaire juſques en l'année qu'il le fit Conſul, & pourquoy Severe prit le Conſulat l'an de J. C. 202. & ne fit neanmoins ſes Decennales qu'en l'an 203. comme il paroît par les Medailles; & je tâcheray enſuite de les ſatisfaire ſur ce point.

6. Ils diſent que Domitien fit ſon ſecond Triomphe l'an 88. de J. C. ou l'anné ſuivante qu'il n'eſtoit pas Conſul, parce que ce fut en ce temps-là qu'il termina la guerre contre les Allemans; & ils ſe plaignent que j'aye differé ce triomphe juſques en l'an 90. que Domitien prit ſon XV. Conſulat, ajoûtant que c'eſt auſſi mal à propos que j'ay avancé, que cet Empereur celebra ſes Decennales la même année. Cette objection vient d'une prevention outrée en faveur des opinions communes qui fait que dés qu'un Auteur ne repete pas ce que les autres ont dit, l'on s'imagine qu'il ne dit pas vray. En voicy un exemple.

Onuphre dans ſes Faſtes a écrit que les Empereurs ne faiſoient leurs Decennales, qu'à la fin des dix premieres années de leur Empire. J'ay neanmoins découvert par le moyen de la deuxiéme de mes regles, qu'ils les celebroient tantoſt au commencement des dix années, & tantoſt le primier jour de l'onziéme. Mes adverſaires ſe ſont imaginez là-deſſus que je ſuis tombé dans une lourde faute. Mais ce ſont eux-mêmes qui ſe trompent; puiſque j'ay fait voir dans ma Diſſertation par des preuves inconteſtables, qu'Onuphre, & ceux qui l'ont ſuivi, ont erré; que les Empereurs ont ſouvent differé leur triomphe d'une ou pluſieurs années, qu'Euſebe dans ſa Chronique, joint le ſecond triomphe de Domitien avec l'année 90. de J. C. & que ce Prince ne peut avoir pris ce XV. Conſulat qu'à l'occaſion de ſes Decennales. Depuis ce temps-là j'ay fait une belle remarque qui confirme cette conjecture, & qui fait encore mieux voire que je ne me ſuis nullement trompé. J'ay obſervé que les Empereurs n'ont jamais triomphée que dans les années qu'ils ont pris le Conſulat, ou qu'ils ont celebré leurs Decennales, & autres ſemblables ſolemnitez, & cela par le moyen d'une Medaille de Domitien, qui eſt marquée du XV. Conſulat de cet Empereur, & de la puiſſanc Tribunicienne XV. & qui fait mention de ſes Decennales. Cette Medaille, qui eſt rapportée par le Sr. Mezabarba, dé truit entierement, comme l'on voit, l'opinion d'Onuphre, dont j'avois déja fait voir la fauſſeté par le moyen des regles que j'ay poſées.

On avance en 7. lieu contre la ſixiéme regle que l'Empereur Philippe, qui prit le Conſulat l'an. 247. qu'il celebra les Jeux Seculaires, le quitta vers le mois de Mars, & ne commença cette ſolemnité que le jour natal de la Ville de Rome, qui tomboit le 21. Avril. On veut par là que ce Conſulat de Philippe n'eut rien de commun avec les Jeux Seculaires. On ajoûte qu'Auguſte celebre les Jeux Seculaires, auſſi bien que Severe, ſans prendre le Conſulat, & que l'Empereur Antonin en uſa de même dans la celebration de ces mêmes Jeux l'an, 147. de J. C. qui eſtoit la 900. de Rome, ce qu'on tâche de prouver par divers argumens.

Mais c'eſt en vain que l'on parle des Jeux Seculaires qu'Auguſte celebra; car j'ay remarqué dans ma Diſſertation que ce fut l'Empereur Claude, le quel changeant le temps auquel on avoit auparavant celebré ces Jeux, voulut encore prendre le Conſulat l'année de leur celebration; en quoy il fut imité par Domitien, & par l'Empereur Philippe, Capitolin dans la Vie de Gordien le jeune, dit touchant ce dernier en particulier, *milleſimum ab Urbe condita annum in Conſulatu ſuo & filii ſui celebravit*. Ce n'eſt pas cependant qu'il n'eût déja quitté le Conſulat quand il commença de les celebrer, mais il ne l'avoit pris que pour ce ſujet, & pour rendre cette année plus memorable. Pour ce qui eſt de l'Empereur Severe, il eſt vray qu'il ne prit pas le Conſulat lors qu'il celebra les Jeux Seculaires, parce que les Empereurs ne le prenoient pas toûjours aux années qui leur eſtoient deſtinées, comme je l'ay obſervée. Outre cela Severe eut une raiſon particuliere pour ne le prendre pas. En effet l'Empereur Claudius, qui avoit joint le Conſulat avec les Jeux Seculaires, voulut qu'on les celebrât à l'avenir chaque année centenaire de la ville de Rome: mais l'Empereur Severe ne voulant pas garder cet ordre (puiſqu'il les celebra l'an, de Rome 957.) voulut auſſi à l'exemple d'Auguſte, qui les repreſente l'an de Rome 737. laiſſer le Conſulat à des perſonnes privées.

Quant à l'Empereur Antonin j'ay montré ſi evidemment qu'il n'a point celebré de Jeux Seculaires, qu'il eſt croyable, qu'il n'y aura à l'avenir aucun bon Ecrivain qui tienne une opinion ſi mal fondée. Scaliger dans ſon livre, De *Emendatione temporum*, eſt le premier qui l'a propoſée; mais comme mes Adverſaires s'en vouloient faire honneur ils n'ont pas fait mention de luy, & ils ont ſeulement apporté quelques raiſons que je crois avoir entierement détruites.

Voila pour les objections que le P. Noris dit dans ſon Epître Conſulaire luy avoir eſté fournies contre moy. Il me reſte à en refuter deux qu'il à propoſées de luy-meme,

La

Digitized by Google

La 1. eſt tiré du Panegyrique que Pline a fait de Trajan, & qu'il recita l'an 100. de J. C. On voit par cette Piece que cet Empereur refuſoit le quatriéme Conſulat que le Senat luy offroit pour l'année ſuivante: *Fortaſſe ſufficiat tibi tertius Conſulatus, ſed nobis tanto minus ſufficit. Ille nos inſtituit, & induxit, ut te iterum iterumque Conſulem habere cupiamus. Remiſſius iſtud contenderemus, ſi adhuc non ſciremus qualis eſſet futurus.* Qua s'il y eût eu des années deſtinées pour le Conſulat des Empereur, il n'aut pas eſté neceſſaire de l'offrir à Trajan pour l'an de J. C. 101. auquel Trajan devoit celebrer les Quinquennales de ſon Empire Proconſulaire.

Cette raiſon au lieu de détruire la 2. de mes regles, comme le pretend l'Auteur; la confirme au contraire. Car Trajan ayant refuſé le Conſulat qu'il devoit prendre ſelon la coûtume, l'année des ſes Quinquennales, le Senat luy fit tant d'inſtances, qu'il ſe reſolut de la prendre comme avoient fait ſes predeceſſeurs. Ce ne fut donc que parce que les Empereurs avoient coûtume de prendre le Conſulat la cinquiéme année de leur regne, que le Senat pria ſi fort Trajan de le prendre: la raiſon du P. Noris ne ſeroit de quelque poids qu'en cas que le Senat eût offert le Conſulat à Trajan pour quelque année, où les Empereurs ne le priſſent pas ordinairement.

La 2. raiſon de ce ſçavant Auteur eſt tirée du troiſiéme Conſulat d'Alexandre Severe, qui, comme je l'ay remarqué dans ma Diſſertation, prit cette dignité l'an 229. de J. C. à cauſe de la guerre contre les Perſes, ou du triomphe Perſique. Le P. Noris pretend que cela ne peut-être, & il ſoûtient dans ſa Diſſertation *de Numiſmate Diocletiani & Maximiani*, que l'Empereur Severe eſtoit encore à Rome & dans la campagne l'année de ſa puiſſance Tribunicienne VIII. & que cette année-là, il ne fut point en Orient pour combattre les Perſes. Cette anné commence au mois de Mars de l'an. de J. C. 229. & dure juſques au mois de Mars de l'an 230. par où l'on voit que cet Auteur a crû que la guerre Perſique ne commença qu'apres le 6. jour de Mars da l'an de J. C. 230. auquel Alexandra prit la IX. puiſſance Tribunicienne.

J'ay fait voir dans ma Diſſertation que la guerre contre les Perſes avoit commencé depuis l'an 228. & j'ay dit qu'Alexandre qui partit la meſme année pour l'Orient triompha l'année ſuivante dans ſon 3. Conſulat. J'ay trouvé de puis 2. Medailles qui decident la difficulté, & qui font voir que le P. Noris & moy nous nous ſommes egalement trompez. La 1. eſt rapportée par Erizzu pag. 478. au revers de laquelle il y a VOT. X. & autour P. M. TR. VIII. COS. . . . . . P. P. S. C. Alaxandre Severe avoit eſté fait Ceſar l'an de J. C. 221. & commençoit la dinieme année de ſon Empire en qualité de Ceſar l'an 229. en la quelle il prit la VIII. puiſſance Tribunicienne; car il faut remarquer que l'année des Quinquannales, qui eſtoit l'an 225. ſe comptoit 2. fois, & eſtoit en meſme temps le terme des cinq premieres annèes, & le commencement des cinq ſuivantes; ce que perſonne avant moy n'avoit encore remarqué; De cela neanmoins depend tout l'ordre des Quinquennales & des Decennales & ſans ce principe certain & infaillible il eſt impoſſible de les pouvoir bien ranger. Alexandre Severe prit donc ce Conſulat pour ſes Decennales en qualité de Ceſar, c'eſt a dire ſelon la 1. regle, & non pas ſuivant la 4. ou 5. comme je l'avois crû; car ces mots VOT. X. marquent toûjours une ſemblable ſolemnitè.

La 2. Medaille d'Alexandre Severa eſt rapportée par le Sieur Mezabarba dans ſon Livre des Medailles des Empereurs mis au jour depuis que ma Diſſertation a paru, & que je n'avois meſme pas encore veu lorſqua j'ay fait imprimer les Panegyriques de S. Antoine de Padouë. Dans cette Medaille il y a *Imp. Sev. Alexander Aug.* Au Revers P. M. TR. P. VIIII. On y voit une Victoire qui écrit ſur un bouclier VOT. X. Alexandre prit la neuviéme puiſſance Tribunicienne l'an de J. C. 230. & par conſequent il celebra en la méme année les Decennales de ſon Empire en qualité d'Auguſte. C'eſt pourquoy comme les Empereurs n'ont jamais triomphé que dans les années qu'ils ont pris le Conſulat, ou qu'ils ont celebré les Decennales & ſemblables ſolemnitez, il n'y a plus de doute que l'opinion commune qui differa la guerra Perſique & le Triomphe d'Alexandre Severe juſques à la fin de ſon regne ne ſoit fauſſe, & que cet Empereent n'ait triomphé l'an 230. de J. C. comme je le feray voir plûs au long dans mes remarques ſur Baronius qui a differé cette guerre juſques à la panultiéme année de l'Empire d'Alexandre, quoy qu'elle ait commencè l'an 228.

Depuis ma Diſſertation je me ſuis apperceu qu'outra les occaſions qui ont ſervi de fondement aux regles que j'ay établies, les Empereurs prenoient les Conſulats auſquels ils avoient eſté deſtinez lors qu'ils eſtoient encore perſonnes privées. Nous en avons l'exemple de l'Emp. Claudius lequel, ainſi que le remarque Suetone, avoit eſté deſtiné Conſul par Caligula pour la 4. année aprés ſon premier Conſulat qu'il prit en effet l'an de J. C. 42. ayant eſté fait Empereur l'année precedente, & differa le Conſulat deu à ſon avénement à l'Empire, juſques en l'an da J. C. 43. l'Empereur Hadrien ayant de meſme eſté deſtiné Conſul pour l'année 118. & ayant eſté fait Empereur l'an 117. prit an 118. la Conſulat auquel il avoit eſté deſtiné étant encore perſonne privée; & en l'an 119. il prit celuy qui luy appartenoit comme nouvel Empereur; apres quoy il ne prit plus de Conſulat quoy qu'il regna 21 ans; parce que, comme il a deja eſté dit, il y a eu divers Empereurs qui ont cedé leurs droits, & qui ne ſe ſont pas mis en peine de cet honneur.

C'eſt une exception qu'il faut encore ajoûter à celles qua j'ay marquées avec une autre à laquelle je n'avois pas pris garde, ſçavoir qua l'Empereur Heliogabale prit ſon premier & troiſiéme Conſulat contre la coûtume etablie, comme l'a fort bien remarqué Dion dans ſa Vie. J'avois cru que Domitien ne s'y eſtoit pas non plus conformé dans les Conſulats ordinaires qu'il prit; mais ayant examiné la choſe avec plus de ſoin, j'ay trouvé que cet Empereur n'a pris aucun Conſulat que conformément à l'uſage que ſes Predeceſſeurs avoient établi, comme je le prouveray ailleurs. Pour tous les autres Empereurs depuis Tibere qui commença de celebrer les Quinquennales & Decennales juſqu'à Juſtinien qui fut le dernier qui les celebra, il n'y en a point qui ne ſe ſoit reglé ſur l'uſage & ſur la coûtume qui avoit la force da Loy; autrement les Hiſtoriens n'auroient pas manqué de le remarquer.

La ſeiziéme des Oraiſons da Themiſtius qua le P. Hardouïn a mis au jour, qui eſt *de Conſulatu Saturnini*, confirme ce que j'avois écrit là-deſſus: Et parce qu'on ne peut rien oppoſer contre las autres regles qui ne combatte celle là, mes Adverſaires trouvent dans cet endroit leur entiere condamnation.

Saturnin Capitaine illuſtre fut fait Conſul par Theodoſe le Grand l'an 383. auquel cet Empe-

perent celebra ſes Quinquennales. Cet Orateur prend de là occaſion de faire voir que en Conſulat de Saturnin ſurpaſſe tous ceux des autres particuliers; puiſqu'il a tenu la place de l'Empereur meſme & occupé un poſte que celuy-cy devoit remplir, *Magnus ex iis qua dixi merito praſens eſt habendus honor: ſed ex iis qua deinceps audietis multo pluris exiſtimandus eſt. Nam cum ſuperioris memoriæ Imperatores omnes hoc ſibi devitandum imprimis putare conſueviſſent, ut ne Quinquennali aut Decennali vertente curriculo, eum magiſtratum à quo annus inſcribitur cuiquam concederent: hunc tamen prærogativam iſti detulit & Conſulatum dedit neutiquam cum aliis numerandum, ſed tanto pluris æſtimandum quanto præſentes quinquennalia annis prioribus antecellunt, &c.*

Themiſtius parle des derniers Empereurs qui avoient commandé en Orient & qui avoient pris regulierement le Conſulat la 5. & 10. année de leur Empire, pour celebrer leurs Quinquennales & Decennales avec plus d'éclat. Quoyque quelques-uns de ces Princes n'euſſent pas obſervé cette Loy, cet orateur dit pourtant ſelon la coûtume des Grecs qui exagerent ordinairement les choſes, qu'ils s'eſtoient tous étudiez à ne pas donner le Conſulat aux perſonnes privées dans les années auſquelles ils devoient celebrer de ſemblables ſolemnitez.

Les objections qu'on a formées contre mes regles, eſtant maintenant toutes détruites, il me reſte à dire quelque choſe de leur utilité. Parmi une infinité d'exemples que je pourrois apporter, j'en ay choiſy ſeulement deux.

Le 1. eſt de l'Obeliſque dreſſé depuis quelques années dans la ville d'Arles, où il fut trouvé enterré. Le Sr. Terrin Conſeiller au ſiege Preſidial de cette ville, & le Sr. Spon ont donné le plan de ce celebre Monument, & en ont écrit ce qu'ils ont pû préſumer. Mais perſonne encore n'avoit pû deviner qui en étoit l'auteur, ni en quel temps. & pour quelle occaſion cet Obeliſque fut dreſſé; au lieu que par le moyen de la 2. regle des Conſulats, on peut facilement penetrer dans ces tenebres. Voicy comment.

L'Empereur Conſtance Fils de Conſtantin le Grand prit ſon 6. Conſulat l'an 353. de J. C. & celebra dans la ville d'Arles les Tricennales de ſon Empire en qualité de Ceſar, comme nous l'apprenons d'Ammian Marcellin *l.* 14. *c.* 5. Or comme les Empereurs faiſoient dreſſer des Obeliſques en ſemblables occaſions, ainſi que j'en ay apporté divers exemples, il y a d'autant moins de doute que ce Prince fit dreſſer celuy-là que celebrant à Rome les ſeptiémes Quinquennales de ſon Empire en qualité de Ceſar l'an de J. C. 357. comme nous l'apprend Idace dans ſes Faſtes, il y en fit dreſſer un ſuperbe au rapport du meſme Marcellin *lib.* 17. *c.* 4. que l'on voit encore aujourd'huy dans cette Ville. Cependant il paroit par les paroles de Marcellin que j'ay eu raiſon de dire que les Ceſars eſtoient participans de l'Empire & qu'ils faiſoient leurs Decennales & ſemblables ſolemnitez auſſi bien que les Empereurs; puiſque ces deux Auteurs ne ſçauroient parler des Tricennales ou des ſeptiémes Quinquennales de l'Empire de Conſtance en qualité d'Auguſte, n'ayant ſuccedé à ſon pere, ni pris cette qualité qu'en l'année 337. & qu'au contraire il fut fait Ceſar l'an 323. c'eſt à dire 30 années avant l'an 353, & 35. années avant l'an 357.

Le ſecond exemple eſt tiré du celebre Edit que l'Emper. Trajan donna en faveur des Chreſtiens. Pluſieurs Ecrivains ont expliqué ce reſcript, & cherché l'année en laquelle il fut donné; mais comme perſonne ne s'eſt aviſé de remarquer que les perſecutions des Chreſtiens euſſent eſté excitées dans les années des Decennales & autres feſtes de cette nature, perſonne auſſi n'en a découvert l'Epoque qui eſt neantmoins la meſme que celle des perſecutions. Idace dans ſes faſtes ſous le VI Conſulat de Trajan qui tombe en l'an 112 de J. C. dit, *his Conſulibus perſecutio Chriſtianorum*. C'eſtoit la 15 année de l'Empire Proconſulaire de Trajan, qui par conſequent prit le Conſulat pour celebrer ſes Quindecennales; & comme les Chreſtiens avoient eſté perſecutez la 10 année de ſon regne, ainſi que nous l'apprend Euſebe dans ſa Chronique, la perſecution fut renouvellée 5. ans aprés à l'occaſion de ſes Quindecennales, dans leſquelles l'Empereur faiſoit les veux ordinaires à ſes faux Dieux, & s'étudioit à donner des marques de ſon zele pour ſa religion.

Pline le jeune à qui la Bythinie avoit eſté commiſe ayant eu ordre de pourſuivre les Chreſtiens écrivit à l'Empereur qu'ils eſtoient en tres-grand nombre dans cette Province. Enſuite de cette lettre l'Empereur luy fit le reſcript que Baronius a inſeré dans ſes Annales. Il a cru que ce fut l'an 104. bien qu'Euſebe en eut parlé dans ſa Chronique en l'an 107. Le P. Noris dans ſon Epitre Conſulaire où il a examiné au long cette difficulté, conclut qu'il a eſté donné plus tard qu'Euſebe n'a dit, & qu'il fut publié l'an 109. ou 110. Pour moy je ne doute point qu'il ne fut donné plus tard encore & preciſément en l'année 112. La raiſon eſt que Pline fut fait Conſul *Suffect* l'année 100. de J. C. & que comme nous apprend Pighius dans ſes Faſtes, les Proconſuls n'eſtoient ordinairement envoyez en Aſie, ou en Afrique que dix ans aprés leur Conſulat. Pline ne fut donc envoyé en Bythinie que l'an 110. de J. C. Il dit dans une de ſes Epiſtres qu'il y arriva le 17. du mois de Septembre, & dans l'Epiſtre 44. du liv. 10. il écrit à Trajan qu'il a fait avec ſon armée les vœux des precedentes années, qu'il a promis aux Dieux immortels de les renouveller cinq ans aprés. Il dit enſuite dans l'Epiſtre 101. du même liv. qu'il a fait derechef les mêmes vœux, *vota domine priorum annorum nuncupata perſolvimus novaque ſuſcepimus*. Par là on voit manifeſtement que Pline eſtoit en Bythinie tant en l'année que Trajan celebra la 15. année de ſon Empire Proconſulaire, qu'en celle en laquelle il celebre la 15 année de ſon Empire en qualité d'Auguſte, qui fut l'an 113. ainſi que je l'ay fait voir. En cette même année Pline finit ſa Prefecture qui ordinairement eſtoit annuelle; mais qu'on prorogeoit quelquefois juſques à trois années ſelon qu'il plaiſoit aux Empereurs. De ſorte que cet Edit n'ayant pas eſté donné avant l'an de J. C. 109. comme prouve fort bien le P. Noris, il n'y a nul doute qu'il n'ait eſté donné l'année 112. c'eſt à dire dans le VI. Conſulat de Trajan. Marianus Scotus l'avoit remarqué dans ſa Chronique; mais comme il joint mal à propos ce Conſulat avec l'année de J. C. 110. & que d'ailleurs il manque ſi ſouvent, on n'a pas fait cas juſqu'icy de ſon opinion qui eſt neanmoins la veritable, & qu'il avoit tirée de quelque Auteur ancien dont les œuvres ne ſont pas venuës juſqu'à nous. Quant à Euſebe il n'a point erré en cette rencontre, comme on ſe l'eſt imaginé. Mais les Chrêtiens ayant eſté perſecutez l'an de Jeſus-Chriſt 107. à l'occaſion des Decennales de Trajan, cet Hiſtorien à ſon ordinaire à rapporté à la même année 1686. tout ce qu'il avoit à dire de cette perſecution.

On doit conclurre de tout cela que les regles que j'ay établies eſtant d'une ſi grande utilité pour découvrir divers myſteres de l'antiquité, dans leſquels on ne ſçauroit penetrer ſans ce ſecours, c'eſt injuſtement qu'on a voulu les refuter & les combattre.

PROSPERI CHRONICON
V A T I C A N U M

Cum Labbeana editione collatum, cum Auctario, Laterculo Paſchali & Notis Dominici Georgii.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN CHRONICON
PROSPERI VATICANUM
CUM AUCTARIO

Monitum prævium.

I. De codice Vaticano, in quo Proſperi Chronicon, deque variis ejuſdem Chronici editionibus.

SÆpius in noſtris ad Faſtos Conſulares Adnotationibus, Proſperi Chronicon, & laterculos Paſchales ex codice veterrimo Vaticano, in calce Gennadii, memoravimus. Fuit olim is Gennadii codex Bibliothecæ S. Andreæ de Valle, dein in Vaticanam tranſlatus, nunc inter pluteos Vaticanos Codicum Reginæ Suecorum num. 2077. aſſervatur. Litteris quadratis, ut ajunt, eſt exaratus, & ex ſpecimine characteris, ex membranæ forma, aliiſque indiciis, ſæculo Chriſti ſexto, vel ſaltem ſeptimo ſcriptus eſſe creditur. Itaque operæ pretium nos facturos putavimus, ſi nunc Chronicon illud una cum ejus Auctario, & cum Labbeana editione, quæ ceteris caſtigatior habetur, collatum ederemus. Multa a viris doctrina, & eruditione præſtantibus de Proſperiano Chronico, ejuſque auctore ſunt hactenus diſputata. Nos varias ejus editiones primum afferemus, deinde cetera proſequemur. Porro vulgatum, quod & conſulare appellatur, Proſperi Chronicon, quodque in antiquis S. Hieronymi editionibus, Hieronymiano Chronico ſubjiciebatur, ſcilicet ab an. Chr. 379. ad 445. genuinus Proſperi fœtus habitus eſt, uſquequo Andreas Ducheſnius aliud ejuſdem Proſperi nomine inſcriptum edidit A. D. 1636. tomo I. Hiſtoriæ Francorum Scriptorum pag. 201. additis decem annorum Periochis, ad annum uſque 455. ex Codicibus MSS. Jacobi Sirmondi, & Petri Franciſci Chifletii. Proſperi vero Chronicon Imperatorium appellatum per annos Auguſtorum progrediens, neglectis conſulibus, Proſperi Tyronis nomine, primum Petrus Pithœus A.D. 1588. in lucem emiſit; neque deinceps a Scaligero, Ducheſnio, aliiſque omiſſum eſt. Immo poſt Pithœum Henricus Caniſius ſub A. D. 1601. accepto a Marco Velſero ex codice Auguſtano, apographo, a Pithœano item diverſo, illud edidit Antiquarum Lectionum tom. I. pag. 148. ac incipit: Igitur Valente &c. *& deſinit:* Poſt Conſulatum Theodoſii XVII. & Feſti, nempe A. D. 440. *inde nonnulla habet de Vandalorum in Africa regno. Demum Philippus Labbeus Societatis Jeſu presbyter, integrum Proſperi Chronicon, id eſt ab Adam, & orbe condito uſque ad* A. D. 455. *cum adnotatione conſulum Romanorum a duobus geminis conſulibus, & anno æræ Chriſtianæ 28. uſque ad Valentiniani Auguſti VIII. & Anthemii conſulatum, hactenus maxima ſui parte mutilum, ac diu deſideratum in lucem protulit* A. D. 1657. tomo 1. pag. 16. *novæ Bibliothecæ* MSS. *librorum, Pariſiis ex officina Cramoiſiana. Ibidem ſubjecit Labbeus Proſperi Chronicon Imperatorium, a Pithœo vulgatum, iterum ad cœnobii S. Victoris exemplar MS. exactum, & quibuſdam in locis emendatum. Labbeana editio deinceps & purior, & emendatior eſt habita, atque adeo inter Antiquitates Romanas a Jo. Georgio Grævio collectas, & junctim editas, recuſa eſt tom. XI. pag. 269. editionis primæ. Quod ante Labbei editionem Proſperi Chronicon circumferebatur, mutilum, & mancum fuiſſe, bene multi docti viri animadverterant, inter quos Ægidius Bucherius, qui in libro de Doctrina temporum, ſeu Commentario in Victoris Canonem Paſchalem, edito* A. D. 1634. *monet pag. 135. ſe habere Proſperi Chronicon MS. ſed mutilum, integrum autem, Spiræ nuper repertum, quod brevi Chifletius eſſet editurus.*

II. De Auctore Proſperiani Chronici.

Hactenus de Proſperiani Chronici vulgatis editionibus, nunc de ejus auctore aliqua ſunt promenda. Nos ea tantum, quæ ad Chronicon ſpectant, afferemus, & an hujus Chronici auctor ſit. Quod autem Chronici auctor ſit Proſper natione Aquitanus, luculentiſſimus teſtis eſt Gennadius de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. LXXXIV. qui in vetuſtiſſimo noſtro Codice, ſic habet: Proſper homo Aquitanicæ regionis, ſermone ſcholaſticus, & aſſertionibus nervoſus, multa compoſuiſſe dicitur: ex quibus ego Chronicam nominis prætitulatam legi, continentem a primi hominis conditione juxta divinarum Scripturarum fidem, uſque ad obitum Valentiniani Auguſti & captivitatem urbis Romæ, Genſerico Vandalorum rege factam. *Eadem ferme in editis Gennadii exemplaribus leguntur; quare non eſt dubitandum, quia Proſper Chronicon ſcripſerit ab Adam uſque ad urbem Romam per Genſericum captam* A. D. 455. *Sirmondus in Hiſtoria Prædeſtinatiana cap. 5. Oper. tom. IV. pag. 411. duos Proſperos Chronici ſcriptores diſtinguit: qui eadem ætate, eadem in Gallia, Chronicon ambo ſcripſerint, eumdemque ambo ad terminum, hoc eſt ad Valentiniani Aug. VIII. & Anthemii conſulatum, Urbemque a Genſerico captam perduxerint.* Sed hoc, inquit, Chronici utriuſque diſcrimen, quod Proſper Pithœanus appendicem dumtaxat Euſe-

bio, & Hieronymo videtur adjeciſſe, hoc eſt non amplius compoſuiſſe, quam quod a Pithæo in lucem eſt datum. Tiro autem Proſper, Victorii, Gennadii, & Caſſiodori teſtimonio, ab Adam mundique principio exorſus, ad Vandalicam uſque direptionem opus ſuum deduxerit. Chronicum hoc, ut res docet, Chronici Euſebiani, quouſque cum Hieronymo ſupplemento porrigitur, mera eſt epitome: unde epitomen Chronicorum interdum vocant, aut excerpta ex Chronicis, quia inde Proſper omnia decerpſerat, niſi quod Conſulum Faſtos, quibus illi carebant a Chriſti uſque baptiſmo ſuis Proſper locis inſeruit, ac cætera quoque deinceps uſque ad operis finem de ſuo contexuit. *Huc Sermondus, cujus quidem opinionem minime ſecutus eſſe videtur Labbeus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui unum tantum Proſperum utriuſque Chronici auctorem agnoſcit. Non negat autem ebidem Labbeus, Chronicon Pithaanum ex ſcriptorum incuria, & audacia in pleriſque corruptum eſſe; at non videt, cur idem Proſper Pithaanam appendicem Hieronymianæ non potuerit ſubmittere, ac deinde proprium Chronicon ſcribere ab initio mundi uſque ad Romanæ Urbis captivitatem.*

III.
Num Proſper, Epiſcopus, presbyter, an laicus fuerit.

Rurſus & illud de Proſpero in controverſiam vocatum eſt, num Epiſcopus fuerit an Laicus. Bellarmino in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ubi de S. Proſpero Aquitano agit, aliiſque, Proſper Epiſcopus Rhegienſis in Gallia fuiſſe videtur. Labbeo vero in diſſertatione Hiſtorica ad hunc Bellarmini locum laicus fuiſſe creditur, & conjugio copulatus; quod Beda in fine libelli de re Metrica Proſpero tribuat nonnullos verſiculos ad uxorem ſuam; quod Victorius Aquitanus in epiſtola ad Hilarum urbis Romæ Archidiaconum, numquam Proſperum, quem ſanctum ac venerabilem virum vocat neque Epiſcopum, neque presbyterum dicat; cum in eadem epiſtola Euſebium Cæſarienſem epiſcoporum appellavit, & S. Hieronymum presbyteri titulo donavit. Alia addit ibidem Labbeus, ut ſuam ſententiam adſtruat. At Auctuarium Chronici Proſperiani in noſtro Gennadii Codice Proſperum presbyteri munere ornat, quemadmodum & Ado Viennenſis in ſexta ætate, ut habet ipſe Labbeus. Noriſius quoque Hiſtoriæ Pelagianæ lib. II. *cap. XIV. Proſperum Aquitanum in presbyterorum numerum referri poſſe non negat.*

IV.
Pagii ſententia de auctore Proſperiani Chronici.

Pagius in Critica ad A. D. 445. num. XXII. *nonnulla de Proſperi Chronico adnotat, nempe Baronii tempore Proſperi Chronicon, nonniſi ad A. D. 445. perveniſſe, decem annorum Periocham ab Andrea Ducheſnio additum; Petrum Pithæum Proſperi Tyronis Chronicon edidiſſe, quod Pithæanum, & Imperatorium dici ſolet. Integrum vero Proſperi Chronicon a Labbeo in lucem emiſſum: Garnerium in Diſſert. III. ad opera Marii Mercatoris exiſtimare duos Proſperos fuiſſe, nam Chronographum a Diſcipulo S. Auguſtini ſecernit. Verum cenſet Pagius, Proſperum Aquitanum, Chronicon ſcripſiſſe, uti Victorius & ipſe Aquitanus, Gennadius, Caſſiodorus, & S. Iſidorus Hiſpalenſis teſtantur, & alii; neque verum eſſe, quod aſſerit Garnerius, Chronici iſtius Scriptorem Collatori adverſari; quippe quia, ut oſtendit Antelmius in Diſſertatione VIII. de Operibus Sanctorum Leonis, & Proſperi Aquitani, Chronographia Proſperi cum aliis ejus dictis, & aſſertionibus cohæret. Hinc Pagius num. XXIII. eodem Antelmio auctore opinatur, Chronicon Imperiale ſeu Pithaanum, ab aliquo ex Chronico Proſperi ad privatum uſum decerptum fuiſſe, & ab eo interpolatum; tum quia uterque chronographus a Valentis obitu ducit initium, iiſdem verbis exorditur: deinde auctor Chronici Imperialis multa contrahit, quæ Proſper fuſius narrat; aliqua miſcet, quæ Proſper omittit; & in eis ſuo duce deſtitutus in Chronologiam multimode peccat. Demum Antelmius conjicit, ex quibuſdam geſtis, Chronico illi Proſperiano infartis, illius auctorem in Gallo-Provincia natum, aut in ea ætatis plurimum exegiſſe. Hæc Pagius ex Antelmio. Verum enimvero magnus Noriſius Hiſtor. Pelagiana lib. II. cap. XV. Proſperi Tyronis Chronicon vulgatum, quod tomo VI. Biblioth. PP. Lugdunen. edit. an. 1616. legitur, non Proſperi Aquitani eſſe contendit, quod turpiter ſæpe in Chronologiam peccet, ſed Proſperi cognomento Tyronis. Alii denique opinantur, hujus Opuſculi auctorem fuiſſe anonymum quemdam ſæculi poſterioris & incerti, qui ut Opuſculo fidem conciliaret, atque ſucceſſu temporum Proſperi Aquitani nomen ei obveniret, Proſperi Tyronis nomen falſo induerit.*

V.
De antiquitate Chronici Vaticani, ex quo tamen genuinum Proſperi Chronicon non diſpicitur.

Siquis vero codicis Vaticani vetuſtate inſpecta, Sacramento contenderet, genuinum hoc eſſe Proſperi Aquitani Chronicon, ei fidem omnes forte tribuerent. Sed quum tanti viri, de quibus nos hucuſque, velint genuinum Proſperi Chronicon ad annum Chriſti 455. tantum pertingere; ac alii Proſperum Aquitanum, Chronici Pithaani auctorem non eſſe, dare manus victas cogimur; neque audemus definire, utrius Proſperi Chronicon, quod ex Vaticano Gennadii Codice edimus, fœtus ſit. Ad antiquitatem codicis quod attinet, nullum æque vetuſtiorem, neque Pithæum, neque Labbeum, neque Chifletium, neque Ducheſnium, aut alium quempiam, qui hujuſmodi Chronicon ediderunt, præ oculis habuiſſe, jure nobis affirmare liceat. Mirum certe videri debet, Proſperi Chronicon tam cito interpolatum, quod vero auctum ſit, conqueri non debemus. Ut igitur, & Chronicon ipſum, & ejus Auctarium invenimus, hic damus.

Ad-

VI. De Paſchalibus laterculis, qui in lucem proferuntur.

Adjecimus Paſchales laterculos, qui in eodem Auctario habentur. Neque prætermiſimus Paſchalem alium laterculum ab A. D. 354. ud 437. præmiſſa Admonitione quadam de ratione Paſcha; quæ ſingula in eodem codsee habentur pag. 79. & ſequentibus. Qui Admonitionem illam legerit, forte mirabitur, quid factum ſit, cur cyclum Paſchalem annorum 84. proponat, cujus initium ſtatuere videtur ANTONIO, & SYAGRIO COSS. nempe A. D. 382. & cyclus Paſchalis annorum quidem 84. ſed ab A. D. 354. ad 437. exhibeatur. Proſperi cyclus Paſchalis, qui quartus dici ſolet, ut animadvertit Bucherius in libro de Doctrina temporum pag. 135. ubi de Proſperi Chronico meminit, initium ſumit; Antonio & Syagrio Coſſ. anno Mundi Euſebiano 5583. Chriſti 382. quæ omnia, inquit Bucherius, Proſper habet, quem Latinum eſſe conſtat, & in Paſchate finiendo cum S. Leone M. aliiſque Romanis ſenſiſſe. Mox pag. 142. Bucherius ait, primæ emendationis cycli auctorem ſe non quærere, de quo nulla memoria ſupereſt; ſecunda vero Proſperum quemdam fuiſſe non dubitat, ſed illum tamen ab aliis ejuſdem tam nominis, quam ætatis non ſatis diſtinguit; quod Gennadius, Iſidorus, & Honorius Auguſtodunenſis, cum de Victorio Aquitano verba faciunt, Paſchalem curſum compoſuiſſe aiunt poſt quatuor priores, qui compoſuerunt, ideſt Hippolytum, Euſebium, Theophylum & Proſperum. Trium priorum cyclos decennovennales, *ſequitur Bucherius*, jam novimus: quarti iſtius Proſperi, quis alius eſſe poteſt quam Judaicus ille 84. annorum, ſed anno Chriſti 382. ad veros iſtius ævi Lunæ motus emendatus, & ad Paſchales Latinorum ſecundi generis rationes inflexus? Verum huic Soli coævi plures Proſperi, & inter ſe confuſi nebulam aliquam offundunt. *Ita Bucherius, qui iterum pag. 427. Proſperianum Latinum 84. annorum cyclum ab anno Chriſti 382. incipere monet, & in annum 465. deſinere, & hoc poſtremo ejuſdem cycli anno, littera Dominicali C. Paſcha fuiſſe V. Kal. Aprilis Luna XVII. Ita & in auctario Proſperiano, quod edimus exordium ſumit deſignandis Lunæ motibus A. D. 456. At erucre non poſſumus, num Proſperi ſit, neque primus, Proſperiano more confectus cyclus, ab A. D. 382. initium ducit, qui primus annus Romanæ ſupputationis a Paſchaſino in Epiſt. ad S. Leonem vocatur. Cyclum Annorum 84. qui computatur die Kalendarum Januariarum, Feſto & Gallo Coſſ.* (a) *A. D. 298. & impletur Syagrio, & Antonino (pro Antonio) Coſſ.* (b) *& redit ad caput Merobaldo, & Saturnino Coſſ.* (c) *& tertio redit ad caput Poſæo & Joanne V. C. Coſſ.* (d) *ex Anonymo, qui C. A. D. 810. vixit, libro de computo ſeu de Kalendario in lucem eruit Ludovicus Antonius Muratorius Anecdot. Latin. tom. III. pag. 204. Sed ſecundus cyclus non exorditur ab an. 382. ut de Proſperiano ſtatuunt; neque tertius ab A. D. 465.*

(a) A. D. 298.
(b) A. D. 389.
(c) A.D. 383.
(d) A.D. 467.

VII. De Paſchali tabula ex codice Reginæ Suecorum.

Præter Paſchales laterculos quos in Gennadii codice invenimus, alium offendimus in codice, olim Reginæ Suecorum num. 586. *nunc Vaticano, qui ſcriptus videtur Sæculo Chriſti decimo. Incipit ab anno a Paſſione Domini CXLI. qui ex Canone Paſchali Victoriano eſt annus Chriſti vulgaris 168. Deſinit in annum a Paſſione Domini CCXII. qui Chriſti eſt an. 239. Quocirca annos 71. complectitur. Paſchalem diem per hoſce ſingulos annos cum Victorii Canone Paſchali, a Bucherio edito contulimus, & apprime cum eo convenire comperimus. Tum Proſperi Chronicon, ejuſque Auctarium, quam Paſchales laterculos quibuſdam adnotatiunculis identidem aſperſimus, in quibus interdum errata quædam Pagii in Paſchatis diebus aſſignandis notavimus. Laterculum Paſchalem ex codice Reginæ Suecorum, & Paſchalem cyclum annorum 84. ad extremum rejecimus, ut princeps locus conjunctim daretur Proſperiano Chronico ejuſque Auctario, in quo item Paſchalis cyclus ab A. D. 464. ad 560. habetur. Facilioris Lectorum commodo in utriſque Chronicis, ac tabulis Paſchalibus, a latere annos Chriſti numeris Arabicis deſignavimus.*

PROSPE-

PROSPERI CHRONICON VATICANUM

CUM LABBEANA EDITIONE COLLATUM.

CODex incipit: pag. 93. col.2. *Hucuſque Hieronymus, ex hinc Proſper ſecuta ſubjunxit. Igitur Valente*, ut in editis.

Auſonio, & Olybrio A.D. 379.

Ubi legitur in editis: *Theodoſium Theodoſii filium*. In Codice habetur: *Theodoſium Theodoſii Comitis filium*. Reliqua ut in editis.

Gratiano V. & Theodoſio 380.

Omnia, ut in editis.

Syagrio, & Eucherio 381.

Omnia, ut in editis, niſi quia pro *miraculis*, in codice legitur: *multis*.

Antonio, & Syagrio 382.

Finis cycli quarti, & exordium quinti. Hæc verba deſunt in codice; reliqua, ut in editis.

Merobaude II. & Saturnino 383.

Prout in editis.

Ricimere, & Clearcho 384.

In Codice legitur: *Ricomede*. Pro *Romana Eccleſia* &c. In Codice tantum habetur: *Siricius Papa fit*. Ad ea verba: *Gratianus Merobaudis* &c. in codice habetur: *perfidi Merobaudis magiſtri militum proditione* &c. reliqua, ut in editis.

Arcadio & Bautone 385.

Pro *habetas*, in codice legitur *habitabat*. Verba: *Burdigale* uſque *extincta eſt*, Deſunt in codice, ſed addita videntur in margine, charactere nunc obſoleto, atque evaneſcentibus litteris.

Honorio IV. P. & Evodio 386.

CCCLX. *Valentiniano III. & Eutropio*. Sequitur in Codice (*a*) *Socero ſuo apud Viennam Valentiniano*. Deinde hæc in codice habentur. 387.

Theodoſius XLIII. cum jam XIIII. regnaret annos, regnat cum Arcadio, & Honorio, annos III. Quo Mediolani mortuo. Hic deſunt aliqua. Non ſequitur in Codice.

Arcadius XLIIII. cum jam regnaſſet annos XII. regnat cum fratre Honorio ann. XIII. mortuo Arcadio Conſtantinopoli.

Honorius XLV. cum Theodoſio fratris filio regnat annos XV. quo mortuo

Theodoſius XLVI. cujus decreto tertio regni ejus anno

Valentinianus XLVII. cum ſocero Theodoſio an. XXVI. quo mortuo regnat cum Marciano an. IIII.

Marcianus XLVIII. regnat poſt Valentinianum annis tribus, quo mortuo

Leo & Majorianus XLVIIII. regnat ſimul annis tribus.

Severus cum Leone regnat quinquageſimus, an. IIII.

Severo mortuo, regnat Leo in monarchia anno uno, & cum Antemio an. VII.

Olybrius regnat quinquageſimus ſecundus menſ. III. quo mortuo IIII. Non. Novemb. eodem anno Imperator fit V. Non. Martii Gliſerius LIII. quo depoſito Nepos LIIII.

Avitus filius LV.

Zeno, Anaſtaſius. Et hic deſinit codex. Sequitur in codice alia pagina nempe 94.

Anno a Paſſione Domini CCCLXI. Theodoſio II. & Cynegio (*b*) *Maximus tyrannus Aquilejæ occiditur & . . . . ejus ab Arbogaſte in Galliis*. Aliter in editis. 388.

Timaſio & Promoto 389.

(*c*) *Accuſator Priſcilliani. Ob necem ejus communione privantur Epiſcopi*. Aliter in editis.

Valentiniano IIII. & Neoterio 390.

Titiano (ita Codex) & *Symmaco* 391.

Arcadio II. & Rufino 392.

Va-

N O T Æ.

(*a*) NOnnulla hic a librario oſcitanter prætermiſſa ſunt; addita deinde nonnulla de annis Imperii *Theodoſii* uſque ad *Zenonem*, & *Anaſtaſium*, quæ in alium locum detrudi debent.

(*b*) DE *Maximi* cæde, ac nece apud *Aquilejam*, nec non de *Victoris* filii ejus in Galliis nece, Pagius ad A.D. 388. num. VI. ex Idatii Faſtis, & Chronico.

(*c*) DE *Priſcilliano* a Concilio Burdigalenſi & a *Maximo*, capitis damnato, deque aliorum ſupplicio agit Baronius ad A. D. 385. ex Severo Sulpicio. S. Ambroſius an. 387. *Treviros ad Maximum* profectus, a communione Epiſcoporum, qui capitis *Priſcillianum* damnarant, abſtinuit. Quæ ergo ad hunc annum habet Proſperiani Chronici deſcriptor in alium annum ſunt transferenda, & quidem ante *Maximi* necem.

(d) *(d) Valentinianus ab Arbogaſtis auctoritate laqueo perit, & Eugenium .... Imperatorem facit, Arbogaſtes magiſter. Theodoſius cum Arcadio & Honorio filiis regnat.* Paullo fuſius in editis.

THEODOSIO III. & ABUNDANTIO A. D. 393.

ARCADIO III. & Honorio II. 394.

(e) *(e) Johannes monachus habetur* (ſupple *clarus*). *Prædixit Eugenium vincendum.* Fuſius, & emendatius in editis.

Sequitur in codice pag. 94. column. 2.

ARCADIO QUATER & HONORIO TER 396.

(a) CCCLXX. Cæſario & Attico. 397.

(a) Hi numeri in codice non habentur.

Honorio IV. & Eutychiano 398.

In margine litteris Langobardicis hæc habentur. *Anno a paſſione Domini CCCLXXI.*

(f) Deinde ſequitur: *Honorio quater & Eutyciano (f). Romæ Papa fit Anaſtaſius. Gildo in Africa occiditur.* Cætera deinceps, ut in editis uſque ad A. D. 401.

Vincentio & Fravito. 401.

(g) In codice ſequitur: *(g) Johannes CPoli, & Theophilus Alexandriæ Epiſcopi habentur clare: ſed utroſque obſcuravit diſcordia. Johannes oppreſſus exiliatus injuſte.*

Arcadio V. & Honorio V. 402.

(h) In codice legitur: *(h) Pollentiæ ad Gothos utriuſque partis in clade pugnatum eſt. Innocentius Papa fit.* Deinde reliqua, prout in editis, uſque ad A. D. 407.

(b) CCCLXXX. Honorio VII. & Theodoſio II. 407.

(b) Deſunt in codice hi numeri, ſed ponuntur, conſulum *Baſſi & Philippi*, hoc pacto, CCCLXXXI.

Baſſo, & Philippo 408.

(i) In Codice hæc leguntur: *(i) Arcadius Imperator CPoli moritur, Honorius cum Theodoſio fratris filio regnat.*

Honorio VIII. & Theodoſio III. 409.

Ubi in editis habetur *cohæſit*, in Codice legitur: *Gothis ceſſit.*

Flavio Varane V. C. Coſ. 410.

(k) Codex ita habet: *Varane. (k) Romam Alaricus capit VIIII. Kal. Septembr. & idem Conſul Orientis tantum fuit; ſic & in ſequenti anno.*

Theodoſio Aug. IV. 411.

(l) Codex: *(l) Conſtantinus Areto* (pro *Arelato*) *capitur, cujus filius in Hiſpania regnare orſus. Gerontius Comes occiditur, in Maximum quemdam transferens tyrannidem.*

Honorio IX. & Theodoſio V. 412.

(m) Codex: *(m) Maximo in Hiſpania regno ablato, vita conceditur. Gothi Rege Ataulfo Gallias ingreſſi.*

Lucio V. C. Coſ. 413.

Co-

NOTÆ

(d) DE *Valentiniano* laqueo ſoffocato *Arbogaſtis* perfidia an. 392. Oroſius lib. VII. cap. XXXV. Rufinus Hiſtor. Eccleſ. lib. II. cap. XXXI. Vide Baronium ad hunc annum, & Tillemontium Hiſt. Imp. tom. V. pag. 354.

(e) DE victoria *Theodoſii* contra *Maximum*, & *Eugenium* a Johanne anachoreta Ægypti prædicta, multa habet etiam Baronius A. D. 393. 394. Adi etiam ea de re Tillemontium Hiſtor. Imp. tom. V. pag. 362. & 383. *Eugenii* nummum vide apud Banduinum tom. II. pag. 523. Obtruncatus fuiſſe dicitur *Eugenius* an. 394. menſe Septembri.

(f) DE electione *Anaſtaſii Papæ* Pagius ad A. D. 398. num. II. De *Egildonis* interitu, ibidem num. XIV.

(g) HIs lucem dant, quæ præter Baronium habet Pagius ad A. D. 401. num. III. & XXV. & ad an. 403. num. II.

(h) PUgnam inter *Gothos*, & *Romanos* ad *Pollentiam* Pagius ad A. D. 403. num. VI. VII. & ſeq. contigiſſe contendit anno 401. contra Baronii ſententiam, qui hanc pugnam ſtatuit an. 403. Baronii ſententiam ſequitur Tillemontius Hiſt. Imp. tom. V. pag. 530. qui *Gothos* ſub *Alarico* victos fuiſſe narrat a Stilichone apud *Pollentiam* die *Paſchatis*, qui fuit 29. *Martii*. Paſcha A. D. 403. incidit in diem 29. *Martii*. Contra vero Pagius cenſet diem Paſchatis, de quo Oroſius lib. VII. cap. XXV. intelligendum eſſe de Paſchate anni 402. quod celebratum fuit die 6. *Aprilis*. De electione *Innocentii Papæ* itidem Pagius ad A. D. 402. num. XIX.

(i) DE morte *Arcadii* vide Pagium ad A. D. 408. num. II.

(k) PAgius non an. 410. ſed ſuperiori 409. *Romam* captam fuiſſe ab *Alarico* contra Baronium demonſtrare conatur ad A. D. 410. num. II. & ſequentibus. At pro Baronio ſtat Tillemontius Hiſtor. Imp. tom. V. a pag. 590. ad 599. & a pag. 821. ad 823. captam Urbem fuiſſe docet an. 410. die 24. *Auguſti*, & ab ea *Alaricum* diſceſſiſſe die 26. ejuſdem menſis.

(l) DE his vide Pagium A. D. 411. num. V.

(m) DE initio regni *Gothorum in Galliis* Pagius ad A. D. 412. num. XX.

Codex: (n) *Hujus pariter & Collega Heraclianus rebellans Africa, & honorem amiſit, & vitam. Jovinus & Sebaſtianus fratres in Galliis regno arrepto, perempti .... exercent.* (n)

Conſtantio V.C. Coſ. A.D. 414.

Codex: *Conſtantio & Conſtante.* (o) *Attalus Gothorum præſidio tyrannus fit in Galliis.* (o)

Honorio X. & Theodoſio VI. 415.

Codex pro *invaſit*, habet: *invadit*.

Theodoſio VII. & Palladio. 416.

Codex: (p) *Placidiam Vallia reddit. Conſtantius eam accepit uxorem. Zoſimus Papa fit.* (p)

Honorio XI. & Conſtantio II. 417.

Codex: (q) *Honorius Romam cum triumpho ingreditur euntes uſque.* In editis habetur: *præeunte currum ejus Attalo.* (q)

Honorio XII. & Theodoſio VIII. 418.

Codex: CCCXC. *Honorio XII. & Theodoſio Octies.* (r) *Conſtantius ex Vicario Romæ factione Pelagianorum occiditur. Ad Carthaginenſis Concilii decreta* (ſupple *Romæ damnatur*) *hæreſis Pelagiana, ubi Senator Valentinianus NP. naſcitur.* (r)

Monaxio & Plinta 419.

Codex: (ſ) *Bonifatius Papa fit XLII. Conſtantius pace firmata cum .... ei Aquitanica, & aliis civitatibus.* (ſ)

Theodoſio IX. & Conſtantio III. 420.

Codex: *Theodoſio VIII.* (pro *VIIII.*) *& Conſtantio ter.* (t) *Conſtantius ab Honorio in conſortium regni adſumitur. Hieronymus presbyter moritur.* (t)

Agricola & Euſtathio 421.

Codex habet: *Agricola, & Euſtaſio.* (u) *Conſtantius Imp. moritur.* Cætera ut in editis. (u)

Honorio XIII. & Theodoſio X. 422.

Codex: (x) *Odoacer ad Spanias, pro Hiſpanias, Vandalos mittit cum Caſtino duce.* (x)

Mariniano & Aſclepiadoto. 423.

Codex: (y) *Placidia a fratre Honorio pulſa ad Orientem cum Honoria, & Valeriano* (forte *Valentiniano*) *filio proficiſcitur. Caleſtinus Papa*) ſupple *fit*). *Honorius moritur. Regnum ejus Johannes occupat. Theodoſius XLVI. Romanum accipit imperium.* (y)

Codex: (z) *Caſtino & Victore. Theodoſius Valentinianum Cæſarem facit; & ad recipiendum imperium cum matre mittit contra Johannem.* 424. (z)

Theodoſio XI. & Valentiniano. 425.

NOTÆ

(n) DE *Heracliani* defectione ejuſque ſupplicio, item de *Jovini*, & *Sebaſtiani* nece Pagius ad A. D. 412. num. VI. & ad an. 413. num. II. III. De his vide etiam Tillemontium Hiſtor. Imp. tom. V. pag. 609. & a pag. 613. ad 615.

(o) DE *Attalo*, qui in *Galliis* rex iterum aſſumitur Pagius ad A. D. 414. num. XVI. de quo eo capto & tradito *Honorio* Auguſto an. 416. ibidem ad A. D. 415. num. XXV.

(p) VIde Pagium ad A. D. 415. num. XXV. qui pacem initam inter *Vualliam* Gothorum regem, & *Honorium* Aug. cenſet ante Kal. Martias anni 416. quo eodem anno *Placidia* Honorio fratri reſtituta ſit. Tillemontius Hiſtor. Imp. tom. V. pag. 629. 630. 631. 632. *Ataulphum* occiſum Barchinone una cum filiis ſub finem Auguſti menſis an. 415. fuiſſe tradit, ac ſucceſſiſſe *Vualliam*; qui pacem cum Romanis iniit an. 416. ac *Placidiam* reddidit.

(q) NOnnulla hic etiam Chronici exſcriptor præteriit. De triumpho *Honorii* Romæ hoc anno 417. poſt menſem Maium Pagius ad A. D. 417. num. XXIII. ibidemque vide *Philoſtorgium*. Adi etiam & Tillemontium Hiſt. Imp. tom. V. pag. 634. 635.

(r) DE *Conſtantii* Vicarii urbis Romæ Baronius ex hoc Proſperi loco A. D. 418. De cæteris item, quæ Chronographus noſter habet, Pagius ad A. D. 418. num. XVII. LXII. & LXXIII.

(ſ) DE electione *Bonifatii* Papæ an. 418. Pagius ad A. D. 418. num. LXXII. et an. 419. n. II. quo agnitus eſt Pontifex. De pace inter *Gothos*, & *Conſtantium* firmata, qua illis *Aquitaniam Secundam* conceſſit an. 418. Tillemontius Hiſt. Imp. tom. V. pag. 640.

(t) DE *Conſtantio* in ſocietatem Imperii ab *Honorio* adſcito, Pagius ad A. D. 420. num. II. & ſeq. De *S. Hieronymi* obitu, ibidem num. XXI.

(u) PAgius ad A. D. 420. num. II. & ſeq. peccaſſe Proſperum in Chronologiam ſcribit, quod velit *Conſtantium* fuiſſe ad Imperium aſſumptum an. 420. & ſequenti obiiſſe; nam Pagius ad an. 421. num. II. eumdem *Conſtantium*, ſeptimo Imperii ſui menſe an. 421. deceſſiſſe putat. Eadem de *ſeptimo* Imperii menſe, nondum abſoluto habet Tillemontius Hiſt. Imp. tom. V. pag. 646. apud quem leges, *Conſtantii mortem* contigiſſe *Ravennæ* menſe *Septembri* an. 421. ac ita quoque apud Bandurium tom. II. pag. 547.

(x) CAſtinus in Bætica a Vandalis fuſus eſt an. 422. ut diſces etiam ex Pagio ad A. D. 420. num. XXVIII. & an. 422. num. III. & ex Tillemontio, ubi ſupra, pag. 650.

(y) DE ſingulis vide Pagium ad A. D. 423. num. II. & ſeqq.

(z) VIde de his Pagium ad hunc annum 424. num. IV. & V.

Digitized by Google

Codex; (aa) *Placidia & Valentinianus Johannem opprimunt, Data ſtipendia Caſtino ad*
(aa) *exilium,*

Theodoſio XII. & Valentiniano Aug. II. A. D. 426.

Codex; *Theodoſio XII. & Valentiniano ſecundo.* Cætera ut in editis,

(*) CCCC. *Hierio & Ardaburo.* 427.

(*) *Hæc deſunt in Codice.*

Felice & Tauro. 428.

Codex hæc habet; *Anno a paſſione Domini CCCCI. Felice & Tauro. Neſtorius proditur. Partes Galliarum, quas Franci occupaverant Ætius recepit.* (bb)
(bb) *Florentio & Dionyſio.* 429.

Codex; (cc) *Ætius magiſter militum fit. Britannos ab hæreſi Pelagiana Papa corrigit Ca-*
(cc) *leſtinus,*

Theodoſio XIII. & Valentiniano III. 430.

Codex; *Auguſtinus Epiſcopus moritur.* (dd)
(dd) *Baſſo & Antiocho.* 431.

Codex: *Neſtorius ab Epheſina Synodo damnatur. Ad Scotos primus Epiſcopus Palladius a*
(ee) *Papa mittitur Caleſtino,* (ee)

Ætio, & Valerio, 432.

(ff) Codex; *Syxtus Papa fit, Ætium ſuperat Bonifatius. Ætius pergit ad Hunnos.* (ff)

Theodoſio XIV. & Maximo. 433.

Codex Conſules tantum ponit, cæteris, quæ in editis, omiſſis,

Aſparo & Areobinda, 434.

Codex; *Aſpere, & Ariovinda.*

Theodoſio XV. & Valentiniano IV. 435.

(gg) Codex ita habet; (gg) *Pace facta cum Vandalis, data eſt eis Africa portio. Deinde ſequitur,*

Iſidoro & Senatore, 436.

Ætio II. & Sigiſvulto, 437.

Codex; *Ætio & Sigiſvulto*, reliquis, ut in editis, prætermiſſis.

Theodoſio XVI. & Fauſto. 438.

(hh) Codex; *Anno a paſſ. Domini CCCXL. Theodoſio XVI. & Fauſto.* (hh) *Piratæ multas inſulas, & præcipue Siciliam vaſtant.*

Theodoſio XVII. & Feſto. 439.

Codex; *Julianus Epiſcopus irrepere conatur, vitatur, Carthago capitur a Vandalis, anno*
(ii) *poſtquam Romana eſſe cæperat quingenteſimo octogeſimo quarto.* (ii)

Valentiniano Aug. V. & Anatolio. 440.

Codex; (kk) *Diaconus Leo Papa fit. Genſericus Siciliam vaſtat ....*

Cyro V. C. Conſule, 441.

Co-

NOTÆ (aa) ADi Pagium ad A. D. 424. num. II. & ad A. D. 425. num. II, III. IV.

(bb) DE his Pagius ad A. D. 428. num. VIII. & XVI.

(cc) AEtium ex Proſpero vulgato, magiſtrum militiæ factum A. D. 429. fatetur etiam Pagius ad an. 430. num. XXX. De legatione *S. Germani* Autiſſiodorenſis Epiſcopi ad *Britannos* ob hæreſim Pelagianam, juſſu *S. Cæleſtini* Papæ obita, vide Pagium ad A. D. 429. num. II.

(dd) DE *S. Auguſtini* morte ex Proſperi Chronico vulgato Pagius ad A. D. 430. num. XXVIII.

(ee) DE *Neſtorii* damnatione Baronius, & Pagius hoc anno 431. De *Palladio* Scotorum Epiſcopo item Pagius ex vulgato Proſpero, hoc anno num. LI.

(ff) VIde Pagium de *Sixti Papæ* electione ad hunc an. 432. num. V. & VI. De Aetio vero ibid. num. XVIII. & ſeqq.

(gg) DE hac pace Pagius ex Proſperi Chronico ad A. D. 435. num. XLIII. Vide Procopium lib. 1. Hiſtoriæ Vandalicæ, & Ruinartium Hiſt. Perſecut. Vandalicæ, P. II. cap. IV.

(hh) P*iratarum* nomen in vulgato Proſpero de *Vandalis* intelligit Pagius ad A. D. 438. n. VIII.

(ii) VIde quæ de capta Carthagine a Vandalis ex vulgato Proſpero habet Pagius ad A. D. 439. num. VIII. In vulgatis Proſperi Chronicis legitur, captam fuiſſe Carthaginem anno DLXXXV. poſtquam Romana eſſe cæperat. Rectius ex noſtro codice numerus annorum, anno exciſſæ a Romanis Carthaginis accommodatur. Velleius lib. I. captam fuiſſe Carthaginem ſcribit; *Cornelio Lentulo, & L. Mummio Coſſ.* ſcilicet anno Urbis Varroniano 608. more vero Dionyſii Halicarnaſſæi & ſecundum Faſtos Capitolinos anno Urbis 607. cui anno ſi addas annos 584. fiet annus Urbis 1191. atque adeo annus Chriſti 439.

(kk) DE electione *S. Leonis Papæ* Pagius ad A. D. 440. num. II. Item de Sicilia per *Genſericum* vaſtata, ibidem num. IV. ubi tamen nonnulla apud vulgatum Proſperum caſtiganda eſſe putat.

Codex: (*ll*) *Ariovinda miſſo a Theodoſio contra Vandalos* (ſupple *militibus*) *magis Siciliam preſſit, quam Africæ ſubveniret*. Deinde ſequitur in Codice. (*ll*

Dioſcoro & Eudoxio. A.D. 442.

Contra Hunnos Thraciam vaſtantes exercitus de Sicilia redit, & inter Genſericum & Valentinianum Africa certis ſpatiis dividitur. (*mm*)

Maximo II. & Paterio. 443. (*mm*)

Codex: *Maximo bis, & Paterio.* Cæteris, quæ in editis habentur, prætermiſſis. 444.
Deinde ſequitur in codice. *Theodoſio XVIII. & Albino. Attila Bledam fratrem ſuum, conſortemque regni perimit.* (*nn*)

Valentiniano VI. & Nonio. 445. (*nn*)

Codex; *Valentiniano VI. & Nomo.*

Aetio III. & Symmacho. 446.

Callepio, & Arvabure. 447.

Codex: *Calepia, & Ardabure,*

Poſthumnno & Zenone. 448.

Codex: *Anno a paſſ. Domini CCCCXXI. Poſthumiano, & Zenone......*

Aſturio & Protogene, 449.

Codex: *Aſyrio, & Protegone.* Cæteris omiſſis.

Codex: *Valentiniano VII. & Avieno.* (*oo*) *Moritur Theodoſius, levatur Marcianus.* 450. (*oo*)

Marciano Aug. & Flavio Adelfio. 451.

Codex: *Marciano Aug. & Adelfio. Pugnarunt in Galliis Attila, & Ætius. Aquileia fracta eſt* (*pp*)

Herculano & Sporatio. 452. (*pp*)

Codex: *Herculano & Aſphoracio.*

Opilione U. C. Conſule, 453.

Codex: *Opilione, & Vincomalo.* Cæteris omiſſis.

Ætio & Stadio. 454.

Codex; *Ætio, & Studio. Ætius & Boetius occiſi ſunt.* (*qq*) (*qq*)

Valentiniano VIII. & Anthemio. 455.

Codex: *Valentiniano VIII. & Anthemio. Valentinianus occiditur. Levatur Maximus XVI. Kal. April. & occiditur Prid. Kal. Jun. Genſericus intrat Romam.... Avitus in Galliis Imperator efficitur.* (*rr*) *Cætera quæ in editis, omiſſa. Deinde ſequitur in codice.* (*rr*)

Johanne XXXI. & Varane. Avitus privatur imperio. (*uu*) 456. (*uu*)

Conſtantino & Rufo, Moritur Marcianus. Levatur Leo. Et Ravenna Majorianus. (*xx*) 457. (*xx*)

Anno a Paſſ. Domini. CCCXXXI. Leone & Majoriano. 458.

Recimero & Patritio. Valamer Doracium intravit. (*yy*) 459.

Magno & Apollonio. 460. (*yy*)

NOTÆ

(*ll*) Vide Baronium, & Pagium ad hunc annum 442. num. XII.

(*mm*) De his Baronius, & Pagius hoc anno 442. num. II. & ſeqq.

(*nn*) De *Bleta* ab Attila interfecto Pagius ad hunc an. 444. num. XIII.

(*oo*) De *Theodoſii* morte Pagius hoc anno 450. num. VIII.

(*pp*) De pugna *Attilæ* in Galliis, Pagius ad A.D. 451. num. XVIII. & ſeqq. Item de Aetio, ibid. num. XXVI. De *Aquileiæ* excidio vide Baronium ad A. D. 452. qui hoc anno everſam *Aquileiam* putat, ex Caſſiodori Chronico. De hujus etiam urbis vaſtatione Jornandes de rebus geticis cap. XLII. Pagius etiam *Aquileiæ* everſionem an. 452. contigiſſe cenſet, ut ex eo patet ad hunc ann. num. VI.

(*qq*) De utriuſque nece Pagius ad hunc an. 454. num. II.

(*rr*) Vide de his Pagium ad hunc annum 455. num. II. ubi ex Chronographo Cuſpiniani, his ſimilia refert, in quo tamen emendandum eſſe putat *XVI. Kal. April.* in *VI. Kal. April. & Prid. Kal. Junii*, in *Pridie Idus Junii*. Si vere emendat Pagius, hæc emendanda quoque veniunt in noſtro codice. De Romanæ urbis excidio per *Genſericum*, & de *Avito* in Galliis Imperatore renunciato, vide eumdem Pagium ibidem num. III. IV. & X.

(*uu*) De *Aviti* exauctoratione Pagius ad hunc annum 456. num. V. & VI.

(*xx*) De his Pagius hoc anno 457. num. II. & XII.

(*yy*) De *Vvalamiro* Hunnorum rege Jornandes cap. XLVIII. XLIX. & LIII. de rebus Geticis.

(zz) *Severino & Gudalaiſo. Moritur Majorianus, Levatur Severus.* (zz) A.D. 461.
Leone Aug. & Severo Aug. 462.
Baſiliſco, & Bibiano (ſic). 463.
Olybrio, & Ruſticio, ſic. 464.
(aaa) *Baſilino, Erminrico* (ſic). *Severus moritur* (aaa) 465.
(bbb) *Leone Aug. ter.* (bbb) 466.
Ita in Codice Chronicon deſinit. Sequitur litteris Langobardicis: *Paſco & Johanne*, nempe innuit Indiculum Paſchæ, qui incipit ab A. D. 467. poſt tertium conſulatum *Leonis Auguſti*, ubi ſequitur chronotaxis.

AU-

NOTÆ

(zz) Vide de his Pagium ad an. 461. num. II.

(aaa) De *Severi* morte Pagius ad an. 465. num. VII.

(bbb) Hic deſinit Proſperi Chronicon in noſtro Codice, nempe in an. Chriſti 466. Editio vero Labbeana deſinit *Valentiniano VIII. & Anthemio* Coſſ. ideſt A. D. 455. Poſtquam controverſiam de Paſchate hujus anni inter Alexandrinos, & Latinos retulit, ac ab *Adam* uſque ad *Vandalorum* perditionem annos 5733. præteriiſſe monet.

Google

Auctarium, ſeu continuatio Chronici, & Canonis Paſchalis Proſperiani, ex codice Vaticano veterrimo, litteris quadratis exarato, pag. 96. col. 2.

Incipit Epitome temporum, & Indiculus Paſchæ.

SAnctorum ac veſtris orationibus faciam ſpiritaliter quod ſolent hi facere, qui in brevi tabella terrarum & urbium ſitus pingunt, & latiſſimas regiones in modico ſpatio demonſtrare nituntur, ut ſcilicet qui hanc parvulam legerit ſchedulam, non ſolum Hiſtoricorum ſapientiæ luce fulgentiam, & varias divinorum luminum in unam ſcientiæ coronam diſtinctos reperiat.

Joſephus igitur qui XX. Antiquitatum edidit libros ab exordio mundi uſque ad XIV. annum Domitiani Cæſaris. V DCV. ſcripſit.

Julius Africanus, cujus quinque de temporibus extant volumina, a primo homine uſque ad Domini Incarnationem V D. ſtilo terminavit.

In Chronica Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi, quam Beatus Hieronymus in Latinam linguam vertit, & nonnulla, quæ omiſſa videbantur, adjecta; a principio mundi uſque ad XIIII. Valentis annum, ideſt uſque ad *Conſulatum ejus ſextum; & Valentiniani iterum*, annos V. DLXXVIIII. legimus.

Oroſius presbyter in ſeptimo ad Auguſtinum libro, ab initio mundi ad tempora *Honorii* V DCXVIII. adſcrit.

Proſperius presbyter uſque ad annum XV. *Tiberii Cæſaris*, ideſt *duobus Geminis*, quo Dominus noſter Jeſus Chriſtus paſſus eſt, ann. V CCXXVIII. exponit.

Porro autem juxta diligentiſſimam ſupputationem, ut poſterior declaravit exitus, a principio mundi uſque ad *Conſulatum Olybrii, & Ruſtici:* V DCCCCXLIII. colliguntur anni.

		A.D.	
	His Conſulibus (Olybrio & Ruſtico) *Paſcha primum* Pridie Idus April.	464.	
	Sequenti anno Paſcha V. Kal. April. *HERMENIRICO & BASILISCO.*	465.	
	Defunctus eſt Severus (a)		(a)
	LEONE AUG. TER, Kal. *Jan. die ſabbatu*, luna XXX. Paſcha XV. Kal. Mai. Lun. XVII.	466.	
CCCCXL.	* *PUSEO ET JOHANNE*, Paſcha V. Id. April. Luna XX.	467.	* ideſt an. 440. a paſſione Domini.
	His Conſulibus, Anthemius Imp. efficitur. (b)		
	ANTHEMIO AUG. BIS, Paſcha Prid. Kal. April. Luna XXII.	468.	
	Marcellinus occiditur Sicilia. (c)		
	MARCIANO AC ZENONE. Paſcha *Prid. Id.* (*) April. Luna XVI.	469.	(b)
	SEVERO V. C. CONSULE. Paſcha *Prid. Non.* April. (*) Lun. XVIIII.	470.	(c)
	LEONE AUG. IIII. & *PROBIANO*, Paſcha V. Kal. April. Luna XXII.	471.	* lege Idibus.
	FESTO ET MARCIANO. Paſcha XVI. Kal. Mai. Luna XXII.	472.	* leg. Nonis
	Bellum civile inter Anthemium, & Recimere, Occiditur Anthemius V. Id. Jul. (d)		(d)
	Levatur Olybrius. Moritur Recimer, XIIII. Kal. Septemb. Et Olybrius moritur IIII. Non. Novemb.		
	Leone AUG. V. Paſcha Kal. April. Luna XVIII.	473.	
	Lucerius Imp. levatus eſt V. Non. Mart. (e)		(e)

Leo-

NOTÆ

(a) VIde Pagium ad A. D. 465. num. VII.

(b) DE *Anthemii* inauguratione Pagius ad A. D. 467. num. II.

(c) DE *Marcellini* cæde Caſſiodorus in Chronico A. D. 468. Procopius de bello Vandalico cap. VI. in fine ſcribit, *Marcellinum*, quem *Marcellianum* vocat, *Dalmatiæ* invaſorem, fraude cujuſdam ex ipſius collegis fuiſſe extinctum. Vide Theodoricum Ruinartium Hiſt. Perſecut. Vandalicæ P. II. pag. 479. editionis Pariſienſis.

(d) DE *Anthemii* nece ad V. *Idus Julii* Pagius ad A. D. 472. num. IV. ex Chronographo Cuſpiniani, in quo tamen mors *Ricimeris XV. Kal. Septemb. & Olybrii ad X. Kal. Novemb.* illigatur; Imperii quoque utriuſque tempus non bene ex eodem Cuſpiniani Chronographo ſupputat, Pagius.

(e) PAgius ad A. D. 473. num. II. de *Glycerii* electione ex Chronographo Cuſpiniani agit; in quo tamen, III. *Nonas*, non V. *Nonas* habetur.

LEONE AUG. JUN. Paſcha XI. Kal. Mai Luna XVIIII. 474.
POST CONS. LEONIS AUG. Paſcha VIII. Id. April. Luna XV. Latini Idib. April. Luna XXII. 475.
Deponitur Lucerius. Levatur Nepos. (f)
(f) (g) *ZENONE AUG. BIS. Fugavit Oreſtes Nepotem, & levatur Auguſtulus.* (g)
CCCCL. *BASILISCO AUG. II. & ARMATO.* Paſcha V. Kal. April. Luna XVII. 476.
(h) *Odoacer levatur X. Kal. Septemb.* (h)
POST CONSUL. ſupraſcriptorum. Paſcha XV. Kal. Mai. Luna XVIIII. 477.
ILLO V. C. CONSULE Paſcha V. Id. April. Luna XXI. 478.
(i) *Theodoricus Dyrrachium ingreſſus eſt.* (i)
ZENONE AUG. III. Paſcha VII. * Kal. April. Luna XVII. 479.
* lege VIII. *PLACIDO V. C. CONSULE.* * Paſcha Non. April. Luna XXI. 481.
* Hic abeſt Conſ. *Baſilii jun.* *SEVERINO V. C. CONS.* Paſcha XIV. Kal. Mai. Luna XV. Græci VIII. Kal. Mai. Luna XXII. (k) 482.
FAUSTO V. C. CONS. Paſcha IIII. Id. April. Luna XVIII. 483.
VENANTIO V. C. CONS. ET THEODORICO. Paſcha Kal. April. Luna XX. *Nunricus perſequitur Catholicos.* (l) 484.
(k) *SYMMACHO V. C. CONS.* Paſcha XI. Kal. Mai. Luna XXI. 485.
(l) CCCCLX. *DECIO V. C. CONS.* (m) Paſcha Idib. April. Luna XVII. 486.
(m) *BOETIO V. C. CONS.* Paſcha IIII. Kal. April. Luna XX. 487.
DINAMIO ET SIFIDIO. Paſcha XV. Kal. Mai. Luna XX. 488.
* lege VIII. *PROVINO V. C. CONS.* Paſcha IIII. Non. April. Luna XVI. 489.
FAUSTO JUNIORE. Paſcha VII. * Kal. April. Luna XVIIII. 490.
(n) *OLYBRIO JUN. V. C. CONSULE.* Paſcha XVIII. Kal. Mai. Luna XX. *Zeno defunctus eſt. Levatur Anaſtaſius.* (n) 491.
(o) *ANASTASIO AUG. ET RUFO.* Paſcha Non. April. Luna XXII. (o) 492.
ALBINO V. C. & EUSEVIO. Paſcha XIV. Kal. Mai. Luna XVI. 493.
(p) *His conſulibus ignari præſumptores antichriſtum naſciturum* (ſupple *dixerunt*) *Ravenna Theodoricus ingreſſus.* (p)
ASTERIO ET PRÆSIDIO. Paſcha IIII. Id. April. Luna XVIIII. 494.
(q) *VIATORE V. C. CONS.* Paſcha IV. Non. April. Lun. XXII. (q) 495.

POST

NOTÆ

(f) PAgius ad A. D. 474. num. VII. citat Cuſpiniani Chronographum, in quo his Coſſ. nempe *Leone Aug. jun.* habetur, *dejectum de Imperio Olycerium in portu Urbis Romæ*; & *eo anno levatum eſſe Julium Nepotem VIII. Kal. Julias*. Chronographus noſter hæc refert *poſt conſul. Leonis Aug.* ſcilicet A. D. 475 ſed fortaſſe oſcitanter; nam idem eſt ibi; *Poſt conſul. Leonis Aug.* ac *Zenone Aug. bis*; quo anno *Oreſtes* fugavit *Nepotem*.

(g) PAgius ad A.D. 475. num. II. ex Chronographo Cuſpiniani in hunc annum confert depoſitionem, & fugam *Nepotis per Oreſtem*. Intravit, inquit Chronographus, *Ravennam Patricius Oreſtes cum exercitu, & fugavit Imperatorem Nepotem ad Dalmatias V. Kal. Septemb. Eo anno levatus eſt Auguſtulus Imp. Ravenna a Patricio Oreſte patre ſuo, Prid. Kal. Novembr.*

(h) ITa quoque ad diem, quo *Odacer* rex levatus eſt, Chronographus Cuſpiniani apud Pagium A. D. 476. num. II.

(i) PAgius ad A. D. 479. num. IV. putat hoc tantum anno, *Theodoſium* in Romanum imperium excurſiones feciſſe, quod Marcellinus in Chronico ad *tertium Zenonis conſulatum* referat, *Sabinianum* utriuſque militiæ ductorem, virtute magis, quam ingenio *Theodoricum* apud *Græciam* debacchantem deterruiſſe. Item quod Malchus pag. 80. ſcribat, *Theodoricum* apud *Epidamnum*, ſeu *Dyrrachium* graſſatum fuiſſe.

(k) PAgius in tabula Paſchali A. D. 482. ſequitur cyclos Græcorum, apud quos Paſcha fuit die 25. *Aprilis*, Latini celebrarunt Paſcha die 18. *Aprilis*.

(l) EX his Chronographi noſtri verbis apparet, A. D. 484. non 483. *Hunericum* in orthodoxos ſævire cœpiſſe; vide Pagium A. D. 483. num. VIII. De perſecutione *Hunerici* Marcellinus quoque in Chronico ad A. D. 484. Conſule de his Ruinartium Hiſt. Perſecut. Vandalicæ P. II. cap. VII. num. 4. & ſeq.

(m) PAgius in tabula Paſchali A. D. 486. Paſchale feſtum collocat die 6. *Aprilis*, ita quoque Victoris Canon; noſter vero Chronographus *die* 13. *Aprilis*, quæ Dominica etiam fuit, littera Dominicali E.

(n) DE *Zenonis* morte, & *Anaſtaſii Aug.* electione vide Pagium A. D. 491. num. III.

(o) MEndo typographi in tabula Paſchali apud Pagium A. D. 492. habetur Paſcha die 7. *April.* legendum, 5. *Aprilis*, quo Dominica fuit, littera Dominicali D. & recte in noſtro Chronico *Nonis Aprilis* deſignatur.

(p) DE *Theoderici* ingreſſu Ravennam Pagius ad A. D. 493. num. II. ex Chronographo Cuſpiniani.

(q) MEndum forte eſt in noſtro Chronico Paſchali, ad diem Paſchatis quod attinet; nam ſcribitur IIII. *Non. April.* ſed A. D. 495. in tabulis Paſchalibus Paſcha figitur ad VII. *Kal. April.* ideſt die 26. *Martii*, ut habent Canon Victorii, & *Alexandrini*; niſi forte in diem 2. *Aprilis* tranſtulit ex nonnullis latinorum cyclis, quod probabile eſt.

CCCCLXX.	*POST CONS. VIATORIS*. Paſcha XVIII. Kal. Mai. Lun. XV.	496.	
	Alii delirantes hoc conſule dicunt Antechriſtum naſciturum. (*r*)		(*r*)
	ITERUM POST CONS. VIATORIS. Paſcha VIII. Id. April. Luna XVIII. Latini X. Kal. Mai. Luna XXII. (*ſ*)	497.	(*ſ*)
	PAULINO. Paſcha IV. Kal. April. Luna XXI.	498.	
	P. C. *PAULINI*. Paſcha XIV. Kal. Mai. Luna XXII. Alii Idib. April. Luna XV. (*t*)	499.	
	ITERUM P. C. PAULINI. Paſcha IV. Non. April. Luna XVIII.	500.	(*t*)
	ABIENO. Paſcha X. Kal. Maii Luna XVIIII.	501.	
	Romani VIII. Kal. April. Luna XXI. (*u*)		(*u*)
	ABIENO JUNIORE. Paſcha XVIII. Kal. Mai. Luna XXII. (*x*) Synodes congregata eſt propter Symmachum Papam.	502.	(*x*)
	VOLUSIANO. Paſcha III. Kal. April. Luna XVIII.	503.	
CCCCLXXVII.	B. *CITHEGO*. Paſcha XIIII. Kal. Mai. Luna XVIII.	504.	
CCCCLXXVIII.	*THEODORO*. Paſcha III. * Id. April. Lun. XXI. Mona Beſubius eructavit V. Id. Novemb. (*y*)	505.	* lege IIII. (*y*)
CCCCLXXIX.	*MESSALA* Paſcha VIII. * Kal. April. Luna XVII.	506.	* lege. VII.
CCCCLXXX.	*VENANTIO*. Paſcha XVII. Kal. Mai. Lun. XVIII.	507.	
CCCCLXXXI.	B. *BASILIO VENANTIO*. Paſcha VIII. Id. April. Alii XII. Kal. M. Lun. XV.	508.	
CCCCLXXXII.	*ANASTASIO IMPORTUNO*. Paſcha XI. Kal. April. Luna XVIII.	509.	
CCCCLXXXIII.	*BOETIO* V. C. *CONSULE*. Paſcha III. Id. April. Luna XVI.	510.	
CCCCLXXXIIII.	*FELICE* V. C. *CONSULE*. Paſcha III. Non. April. Lun. XX. Latini X. Kal. April. Lun. XXII.	511.	
CCCCLXXXV.	B. P. C. *FELICIS*. Paſcha X. Kal. Mai. Lun. XXI. Sequitur in Codice literis Langobardicis, charactere minus antiquo: *Hoc anno in Kal. Jul. Sol. Eclipſim, Et in monte Veſuvio....... Id. Jul.* (*z*)	512.	(*z*)
CCCCLXXXVI.	*PROBO*. Paſcha VII. Id. April. Lun. XVI.	513.	
CCCCLXXXVII.	*SENATORE*. Paſcha III. Kal. April. Lun. XVIIII.	514.	
CCCCLXXXVIII.	*FLORENTIO*. Paſcha XIII. Kal. Maj. Lun. XX.	515.	
CCCCLXXXVIIII.	B. *PETRO*. Paſcha III. Non. April. Lun. XVI.	516.	
CCCCXC.	*AGABITO*. Paſcha VII. Kal. April. Lun. XVIII.	517.	
CCCCXCI.	P. C. *AGAPITI*. Paſcha XII. * Kal. Mai. Lun. XVIIII.	518.	* lege XVII.
CCCCXCII.	*EUTHARICUS CILLICA*. Paſcha Prid. Kal. April. Lun. XVI.	519.	
CCCCXCIII.	B. *RUSTICIO*. Paſcha XII. * Kal. Mai. Lun. XVI.	520.	* lege XIII.
CCCCXCIIII.	*VALERIO*. Paſcha III. Id. April. Lun. XVIIII. Alii. VI. * Kal. April. Lun. XV.	521.	* lege V.
CCCCXCV.	*SYMMACHO ET BOETIO*. Paſcha. III. Non. April. Lun. XXII.	522.	
CCCCXCVI.	*MAXIMO*. Paſcha XVI. Kal. Mai. Luna XVI.	523.	
CCCCXCVII.	B. *OPILIONE*. Paſcha VII. Id. April. Lun. XVIII.	524.	
CCCCXCVIII.	*PROBO JUNIORE*. Paſcha III. Kal. April. Lun. XXI.	525.	
CCCCXCVIIII.	*OLIBRIO JUNIORE*. Paſcha XIII. Kal. Mai. Lun. XXII.	526.	
D.	*MAVORTIO*. Paſcha Prid. Non. April. Lun. XVIII.	527.	
DI.	B. P. C. *MAVORTI*. Paſcha VIII. * Kal. April. Lun. XX.	528.	* lege VII.

DI.

NOTÆ

(*r*) DE *Antechriſti* ortu vide Baronium ad A. D. 496.

(*ſ*) IN noſtra Paſchali tabula mendum cubat, ubi dicitur, apud *Latinos* hoc anno 497. Paſcha fuiſſe *X. Kal. Maii*, nempe die 22. *Aprilis*, legendum potius *XII. Kal*; nam cum hoc anno littera Dominicalis fuerit E. die 20. *Aprilis* Dominica fuit, non 22. Apud *Græcos* hoc anno Paſcha fuit die 6. *Aprilis*, ut & in Victorii Canone.

(*t*) MEndum quoque in noſtra Paſchali tabula ad A. D. 499. ubi deſignatur Paſcha *Idibus Apr.* Legendum potius: III. *Idus April.* quo die Paſcha ſtatuitur apud Pagium. Recte porro Paſcha ex aliorum cyclis ad diem *XIIII. Kal. Maii*; ideſt die 18. *Aprilis* refert. In Victorii Canone ponitur *Paſchatis* dies *XIV. Kal. Maii*; & apud *Alexandrinos IV. Idus Aprilis*, unius & hic numeri lapſu; nam ſcribendum fuit III. *Id. April.*

(*u*) APud Pagium Paſcha A. D. 501. eſt die 22. *Aprilis*, littera Dominicali G. In Victorii Canone hoc anno duo diverſa Paſchalia feſta deſignantur, nempe *X. Kal. Maii*, ideſt die 22. *Aprilis*, & quibuſdam *Latinis VIII. Kal. Aprilis*, ideſt die 25. *Martii Luna XXI.* Utrumque Paſchale feſtum & Chronographus noſter notavit.

(*x*) DE Synodo Romana A. D. 502. propter Papam Symmachum habita, Pagius hoc anno num. II, III. Vide Manſii notas in hunc Pagii locum.

(*y*) THeodorico imperante, *Veſuvium* erupiſſe conſtat ex Caſſiodoro Variar. lib. IV. epiſt. L. ubi *Fauſto* Præfecto Prætorio *Theodoricus* rex mandat, ut mittat virum probatæ fidei ad *Nolanum*, ſive ad *Neapolitanum*, territorium Veſuvii montis incendio vaſtatum. Baronius A. D. 472. in fine Veſuvii incendium commemorat, cujus cineres CPolim uſque dilapſi ſunt. Ea de re teſtem adducit Marcellinum in Chronico *Leone Aug. IV. & Probiano* Coſſ. ideſt. A. D. 471. ſed nihil apud Marcellinum his Coſſ. invenimus.

(*z*) ET hic alterum Veſuvii incendium memoratur. De hujus montis mugitu ſub *Beliſario* vide Procopium de bell. Gothic. lib. II. cap. IV. item ejus deſcriptionem ibid. lib. IV. cap. XXXV.

	DII.	*DECIO JUNIORE*. Paſcha XVII. Kal. Mai. Lun. XXI.	529.
* lege XI.	DIII.	*LAMPADIO ET ORESTE*. Paſcha Prid. Kal. April. Lun. XVII. Latini X. * Kal. April. Lun. XX.	530.
	DIIII.	*P. C. SUPRASCRIPTORUM*. Paſcha XII. Kal. Mai. Lun. XVII.	531.
	DV.	*B. ET ITERUM P.C. SPURASCRIPTORUM*. Paſcha III. Id. April. Lun. XX.	532.
	DVI.	*ET ITERUM P. C. SUPRASCRIPTORUM*. Paſcha VI. Kal. April. Lun. XVI.	533.
	DVII.	*PAULINO JUNIORE*. Paſcha XVI. Kal. Mai. Lun. XVI.	534.
* leg. VI.	DVIII.	*P. C. PAULINI*. Paſcha V. * Id. April. Lun. XX. Latini in Kal. April. Luna XXII.	535.
	DVIIII.	*B. ITERUM P. C. PAULINI*. Paſcha X. Kal. April. Lun. XV.	536.
* ad oram legitur: *quod eſt conſulatus iterum.*	DX.	*P. C. BELISARI*, * Paſcha Prid. Id. April. Lun. XVI.	537.
	DXI.	*JONANNE*. Paſcha Prid. Non. April. Lun. XX.	538.
(aa)	DXII.	*APPIONE CONS.* Paſcha VIIII. Kal. Mai. Lun. XX. Alii XVI. Kal. Mai. Lun. XV. Nonnulli ex Kal. April. Lun. XXII. quæ tertia eſt. (aa)	539.
	DXIII.	*B. JUSTINO*. Paſcha VI. Id. April. Lun. XVIII.	540.
	DXIIII.	*BASILIO JUNIORE*. Paſcha Prid. Kal. April. Lun. XVIII.	541.
	DXV.	*P. C. BASILI*. Paſcha XII. Kal. Mai. Lun. XX.	542.
(bb)	DXVI.	*ITER. P. C. BASILI*. Paſcha Prid. Non. April. Lun. XVI. (bb) Græci Prid. Id. April. Lun. XXIII.	543.
	DXVII.	B. Paſcha VI. Kal. April. Lun. XVIII.	544.
	DXVIII.	Paſcha XVI. Kal. Mai. Lun. XVIIII.	545.
(cc)	DXVIIII	Paſcha VI. Id. April. Lun. XXII. Græci XI. Kal. Lun. XVI. (cc)	546.
	DXX.	Paſcha VIIII. Kal. April. Lun. XVIII.	547.
	DXXI. B.	Paſcha Prid. Id. April. Lun. XVIII.	548.
	DXXII.	Paſcha Prid. Non. April. Lun. XXI.	549.
	DXXIII.	Paſcha XV. Kal. Mai. Lun. XV. Græci ꞮIII. Kal. Mai. Lun. XVI.	550.
	DXXIIII.	Paſcha V. Id April. Lun. XVIIII.	551.
	DXXV. B.	Paſcha Prid. Kal. April. Lun. XX.	552.
	DXXVI.	Paſcha XII. Kal. Mai. Lun. XXI.	553.
	DXXVII.	Paſcha Non. April. Luna XVII.	554.
	DXXVIII.	Paſcha V. Kal. April. Lun. XX.	555.
(dd)	DXXVIIII. B.	Paſcha XVI. Kal. Mai. Lun. XX.	556.
(ee)	DXXX.	(dd) Paſcha Prid. Kal. April. Lun. XVII.	557.
	DXXXI.	(ee) Paſcha X. Kal. Mai. Lun. XVIII.	558.
(ff)	DXXXII.	Paſcha Id. April. Lun. XXI.	559.
	DXXXIII. B.	(ff) Paſcha XI. Kal. Mai. Lun. XXII.	560.
	DXXXIIII.	ЄΓѠ ΛΟΥΠΟΥΤЄϹ ΠЄϹΟΥΜ	561.
	DXXXV.		562.
	DXXXVI.		563.
	DXXXVII. B.		564.
(gg)	DXXXVIII.		565.
	DXXXVIIII.	BASILI XXV. (gg)	566.

DXL.

NOTÆ

(aa) MEndum eſt apud noſtrum Chronographum in numeris omnibu· Paſchalis feſtivitatis; nam pro *VIIII. Kal. Mai*, legendum VIII. nempe die 24. *Aprilis*; pro ex *Kal. April.* legendum Prid. *Non. April*, ideſt die 4. *Aprilis*, quibus diebus, Dominica fuit, littera Dominicali B. A. D. 539.

(bb) LEgendum quoque hoc anno 543. *Nonis Aprilis*, pro *Prid. Nonas*; nam hoc anno, littera Dominicali D. dies Dominica fuit 3. *Aprilis*.

(cc) LEgendum in die Paſchatis A. D. 546. *X. Kal. Maii* ex ſupputatione Græcorum; nam cum littera Dominicalis G. eſſet, dies Dominica fuit 22. *Aprilis*, ideſt *X. Kal. Maii*. Alii celebrarunt die 8. *Aprilis*, ut recte quoque in noſtro Chronographo.

(dd) IN Paſchatis die A. D. 557. legendum *Kal. April.* nam hoc anno Paſcha fuit die *prima Aprilis*, littera Dominicali G.

(ee) IN Paſchatis die A. D. 558. legendum XI. *Kal. Maii*; nam Paſcha incidit in diem 21. *Apr.* littera Dominicali F.

(ff) IN Paſchatis die A. D. 560. legendum potius XIIII. *Kal. Maii*, ideſt die 18. *Aprilis*, littera Dominicali DC. In aliis tabulis vulgatis, & apud Pagium hoc anno Paſcha eſt die 28. *Martii*.

(gg) VIde noſtras adnotationes in Faſtos Conſulares ad A. D. 566. num. 2.

Digitized by Google

	DXL.	CONSUL. JUSTINI AUG. *(bb)*	567.
(bb)	DXLI. B.		568.
	DXLII.		569.
	DXLIII.		570.
	DXLIIII.		571.
	DXLV. B.		572.
	DXLVI.		573.
	DXLVII.		574.
	DXLVIII.		575.
	DXLVIIII. B.	IN HOC ANNO TRIUMPHAVIT . . . *(ii)*	576.
(ii)	DL.		577.
	DLI.		578.
	DLII.		579.
(kk)	DLIII. B.	*Conſulatu Conſtantini Auguſti* . *(kk)* Litteris Langobardicis, charactere minus antiquo.	580.
	DLIIII.		581.
	DLV.		582.
	DLVI.		583.
(ll)	DLVII. B.	*Conſulatu Maurici Aug.* *(ll)* Litteris Langobardicis, charactere minus antiquo.	584.
	DLVIII.		585.
	DLVIIII.		586.
	DLX.		587.
	DLXI. B.		588.
	DLXII.		589.
	DLXIII.		590.
	DLXIIII.		591.

Deinde ſequuntur litteris Langobardicis aliquot numeri ſequentium Paſchatum uſque ad annum DLXVIII. a Paſſione Domini, & e regione aliquot Paſchatum termini, iiſdem litteris Langobardicis exarati; qui a manu poſteriori, ſcilicet diu poſtquam codex primum ſcriptus eſt, additi ſunt.

NOTÆ *(bb)* DE *Juſtini* conſulatu. vide item notas in Faſtos A. D. 566. num. I.

(ii) VIde quoque noſtras notas in Pagium ad A. D. 575. num. VII.

(kk) ADi noſtras in Pagium notas ad A. D. 580.

(ll) VIde item noſtras in Pagium notas ad A. D. 584.

LATERCULUS PASCHALIS

Ab a. d. 168. ad 239.

EX CODICE VATICANO, OLIM REGINÆ SVECORUM num. 586. pag. 9.

Scriptus videtur ſæcul. Chriſti decimo.

A.D.

(a) B. Emb. (a) CXLI. Kal. Jan. Feria prima, Luna VI. Initium Quadrageſimæ II. Kal. Mart. Luna V, Paſcha III. Id. April. Luna XVII. 168.

(b) Com. (b) CXLII. Kal. Jan. dies Sab. Luna XVII. Initium Quadrag. X. Kal. Mart. Luna. VIII. Paſcha III. Non. April. 169.

Emb. CXLIII. Kal. Jan. die Dominica, Luna XXVIII. Initium Quadrag. IIII. Id Mart. Luna VIIII. Paſcha VIIII. Kal. Mai. Luna. XXII. 170.

(c) *Finit Endecades, incipit Ogdoades*, (c)

Com. CXLIIII. Kal. Jan. ſecunda feria, Luna, VIIII. Initium Quadrag. V. Kal. Mart. Luna. V. Paſcha VI. Id. April. Luna XVII. 171.

* lege XVIIII. B. Com. CXLV. Kal. Jan. tertia feria, Luna XX. Initium Quadrag. XIIII. Kal. Mart. Luna VII. Paſcha III. Kal. April. Luna VIIII. * 172.

Emb. CXLVI. Kal. Jan. quinta feria, Luna. I. Initium Quadrag. VIII. Id. Mart. Luna VIII. Paſcha XIII. Kal. Mai. Luna. XX. 173.

Com. CXLVII. Kal. Jan. ſexta feria, Luna XII. Initium Quadrag. VIII. Kal. Mart. Luna IIII. Paſcha II. Non. April. Luna XVI. 174.

Com. CXLVIII. Kal. Jan. die Sabb. Luna XXIII. Initium Quadrag. Idib. Febr. Luna VII. Paſcha VI. Kal. April. Luna XVIIII. 175.

B. Emb. CXLVIIII. Kal. Jan. die Dominic. Luna IIII. Initium Quadrag. IIII. Non. Mart. Luna VII. Paſcha XVII. Kal. Mai. Luna XVIIII. 176.

*lege III. Com. CL. Kal. Jan. feria II. *, Luna XVI Initium Quadrag. XIII. Kal. Mart. Luna IIII. Paſcha II. Kal. April. Luna XVI. 177.

* lege IV. Emb. CLI. Kal. Jan. feria III. * Luna XXVII. Initium Quadrag. VII. Id. Mart. Luna X. Paſcha XII. Kal. Mai. Luna XVIII. 178.

ſic.

Finit Ordoatus, incipit undeguatus.

* lege V. Com. CLII. Kal. Jan. Fer. IV. * Luna VIII. Initium Quadrag. Kal. Mart. Luna VIII. Paſcha II. Id. April. Luna XX. 179.

B. Com. CLIII. Kal. Jan. Fer. VI. Luna XVIIII. Initium Quadrag. X. Kal. Mart. Luna X. Paſcha III. Non. April. Luna XXII. 180.

Emb. CLIIII. Kal. Jan. die Dominic. Luna XXX. Initium Quadrageſ. III. Non. Mart. Luna IIII. Paſcha XVI. Kal. Mai. Luna XVI. 181.

Com. CLV. Kal. Jan. Feria II. Luna XI. Initium Quadrag. V. Kal. Mart. Luna VII. Paſcha VI. Id. April. Luna XIX. 182.

Com. CLVI. Kal. Jan. Feria III. Luna XXII. Initium Quadrag. XIII. Kal. Mart. Lun. X. Paſcha II. Kal. April. Luna XXII. 183.

B. Emb. CLVII. Kal. Jan. Feria IIII. Luna III. Initium Quadrag. VIII. Id. Mart. Luna X. Paſcha XIII. Kal. Mai. Luna XXII. 184.

Com. CLVIII. Kal. Jan. Feria VI. Luna XIV. Initium Quadrag. VIIII. Kal. Mart. Luna VI. Paſcha Prid. Non. April. Luna XVIII. 185.

Com. CLVIIII. Kal. Jan. die Sabb. Luna XXV. Initium Quadrag. Idib. Febr. Luna VIIII. Paſcha VI. Kal. April. Luna XXI. 186.

Emb. CLX. Kal. Jan. die Dom Luna VI. Initium Quadrag. III. Non. Mart. Luna X. Paſcha XVI. Kal. Mai. (d) Luna XXII. 187.

(d) B. Com. CLXI. Kal. Jan. Feria II. Luna XVII. Initium Quadrag. XIII. Kal. Mart. Luna V. Paſcha II. Kal. April. Luna XVII. 188.

Emb. CLXII. Kal. Jan. Feria IIII. Luna XXVIII. Initium Quadrag. VII. Id. Mart. Luna VI. Paſcha XII. Kal. Mai. Luna XIX. 189.

Finit Endeqatus, incipit Ocdoatus.

Com. CLXIII. Kal. Jan. Feria V. Luna IX. Initium Quadrag. Kal. Mart. Luna VIIII. Paſcha II. Id. April. Luna XXI. 190.

Com. CLXIIII. Kal. Jan. Feria VI. Luna XX. Initium Quadrag. XVI. Kal. Mart. Luna V. Paſcha V. Kal. April. Luna XVII. 191.

B. Emb.

(a) HÆc Sigla; *embeliſmum* ſignificat.

(b) HÆc item; *communem*. *De embeliſmo*, & *communi* anno, vide Epiſtolam ſecundam Paſchalem Dionyſii exigui.

(c) DE *Endecade*, & *Ogodoade*, vide eandem Dionyſii epiſtolam.

(d) ERrat Pagius ad A. D. 187. dum hoc anno ſtatuit Paſcha die 17. Aprilis; nam incidit die 26. littera Dominicali A. ut recte hac die deſignatur in hoc Paſchali laterculo.

B. Emb. CLXV. Kal. Jan. die Sabb. Luna I. Initium Quadrag. III. Non. Mart. Luna V. 191.
Paſcha XVI. Kal. Mai. Luna XVII.

Com. CLXVI. Kal. Jan. Feria II. Luna XII. Initium Quadrag. V Kal. Mart. Luna VIII. 193.
Paſcha VI. Id. April. Luna XX.

Com. CLXVII. Kal. Jan. Feria III. Luna XXIII. Initium Quadrag. IIII. Id. Febr. Luna 194.
IIII. Paſcha IX. Kal. April. Luna XVI.

Emb. CLXVIII. Kal. Jan. Feria IIII. Luna IV. Saltus lunæ. Initium Quadrag. VI. Non. Mart. 195.
Luna. V. Paſcha Idib. April. Luna XVII.

B. Com. CLXVIIII. Kal. Jan. Feria V. Luna XVI. Initium Quadrag. VIIII. Kal. Mart. 196.
Luna VIII. Paſcha II. Non. April. Luna XX. (e).

Emb. CLXX. Kal. Jan. die Sabb. Luna XXVII. Initium Quadrag. III. Id. Mart. Luna 197. (e)
VIIII. Paſcha VIII. Kal. Mai. Luna XXII.

Finit Ordoadis, incipit Endegadis.

Com. CLXXI. Kal. Jan. die Dom. Luna VIII. Initium Quadrag. IIII. Kal. Mart. Luna 198.
V. Paſcha V. Id. April. Luna XVII.

Com. CLXXII. Kal. Jan. Feria II. Luna XIX. Initium Quadrag. XII. Kal. Mart. Lu- 199.
na VIII. Paſcha Kalend. April. Luna XX.

B. Emb. CLXXIII. Kal. Jan. Feria III. Luna XXX. Initium Quadrag. VII. Id. Mart. 200.
Luna VIII. Paſcha XII. Kal. Maii Luna XX.

Com. CLXXIV. Kal. Jan. Feria V. Luna XI. Initium Quadrag. VIII. Kal. Mart. Luna 221.
IIII. Paſcha Nonis April. Luna XVI.

Com. CLXXV. Kal. Jan. Feria VI. Luna XXII. Initium Quadrag. XVI. Kal. Mart. 202.
Luna VII. Paſcha V. Kal. April. Luna XIX.

Emb. CLXXVI. Kal. Jan die Sabb. Luna III. Initium Quadrag. II. Non. Mart. Luna 203.
VIII. Paſcha XV. Kal. Mai. Luna XX.

B. Com. CLXXVII. Kal. Jan. die Dom. Luna XIV. Initium Quadrag. V. Kal. Mart. Lu- 204.
na X. Paſcha VI. Id. April. Luna XXII. (f)

Com. CLXXVIII. Kal. Jan. Feria III. Luna XXV. Initium Quadrag. IV. Id. Febr. Lu- 205. (f)
na VI. Paſcha IX. Kal. April. Luna XVIII.

Emb. CLXXVIIII. Kal. Jan. Feria IV. Luna VI. Initium Quadrag. VI. Non. Mart. Lu- 206.
na VII. Paſcha Idibus April. Luna XIX.

Com. CLXXX. Kal. Jan. Feria V. Luna VI. Initium Quadrag. VIII. Kal. Mart. Luna 207.
X. Paſcha Nonis April. Luna XXII. (g) (g)

B. Emb. CLXXXI. Kal. Jan. Feria VI. Luna XXVIII. Initium Quadrag. II. Non. Mart. 208. (h)
Luna III. Paſcha XV. Kal. Mai. Luna XVI. (h)

Et ipſe annus qui ſuperius eſt ſcriptus CLXXXI. apud Græcos initium Quadrag. III. Id. Mart. Luna X. Paſcha VIII. Kal. Mai. Luna XXI. *Uſque hic Græci & Latini inſimul faciunt Paſcha: hoc ſunt anni L. Finis Endegadis, incipit Ordoadis.*

Com. CLXXXII. Kal. Jan. die Domin. Luna IX. Initium Quadrag. IV. Kal. Mart. Luna 209.
VI. Paſcha V. Id April. Luna XVIII.

Com. CLXXXIII. Kal. Jan. Feria II. Luna XX. Initium Quadrag. XII. Kal. Mart. Lu- 219.
na IX. Paſcha Kal. April. Luna XXI.

Emb. CLXXXIIII. Kal. Jan. Feria III. Luna I. Initium Quadrag. VI. Id. Mart. Luna 211.
X. Paſcha XI. Kal. Mai. Luna XXII. (i) (i)

Et apud Græcos ipſe annus CLXXXIIII. Kal. Jan. III. Fer. Luna I. Initium Quadrag. V. Non. Mart. Paſcha XVIII. Kal. Maias Luna XV.

B. Com. CLXXXV. Kal. Jan. Feria IV. Luna XII. Initium Quadrag. VIII. Kal. Mart. 212.
Luna V. Paſcha Nonis April. Luna XVII. (k) (k)

NOTÆ

(e) BUcherius in Victorii Canonem, ad hunc annum ita habet: *Latinis primi generis fuiſſet XIII. Kal. April. Luna eorum XVI. ſed nunquam celebratum docet Prologi ſine Victorius.*

(f) BUcherius in Victorii Canonem. *De hoc anno vide quid Fredegarius dicat in appendice ad Gregorium Turonenſem* cap. CVIII. Vide eundem Bucherium cap. X. pag. 193.

(g) ERrat Pagius ad A. D. 207. in Paſchate hujus anni deſignando die 15. *Aprilis*, nam fuit die 5. *Aprilis*, ut noſter hic habet Paſchalis laterculus. Hoc anno littera Dominicalis fuit D. & Nonis Aprilis fuit Paſcha Dominicum.

(h) BUcherius ex Victorii Canone: *Sed Alexandrini VIII. Kal. Maj.* Ad hæc Bucherius: *De Paſchate hujus anni, qui eſt Chriſti 740. idem Fredegarius ſimeat, ut nos, ibidem*. Latini ergo A. D. 108. Paſcha celebrandam eſſe docuerunt die 17. *Aprilis*, Luna XVI. Alexandrini vero die 24. *Aprilis* Luna XXI. Pagius ſecutus eſt Alexandrinos. Item A. D. 740. Paſcha ab aliis die 17. *Aprilis*, ab aliis die 24. ejuſdem menſis celebratum fuit, quod a Pagio quoque ad A. D. 740. eſt adnotatum.

(i) PAgius ad A. D. 211. ſequitur Alexandrinos, apud quos etiam ex Victorii Canone Paſcha fuit die 14. *April.* In cyclis latinorum die 20. *Aprilis*, Luna XXII.

(k) ERrore typographi, ut puto, apud Pagium, in Paſchate hujus anni habetur 5. *Martii*, pro *Aprilis*, nam Paſcha hoc anno, ut recte in noſtro laterculo, fuit die 5. *Aprilis*; & quivis intelligit, nunquam in diem 5. *Martii* Paſcha incidere poſſe.

Com. CLXXXVI. Kal. Jan. Feria VI, Luna XXIII. Initium Quadrag. VIII. Kal. Mart. Luna VIII. Paſcha V. Kal. April. Luna XX. (l) 213.

(l) Com. CLXXXVII. Kal. Jan. die Sabb. Luna IV. (ſaltus Lunæ) Initium Quadrag. V. Non. Mart. Luna VIIII. Paſcha XV. Kal. Mai. Luna XXI. (m) 214.

(m) Com. CLXXXVIII. Kal. Jan. die Domin. Luna XVI. Initium Quadrag. VIIII. Kal. Mart. Luna VI. Paſcha IV. Nonas Mai. * Luna XVIII. 215.

* lege April. B. Com. CLXXVIIII. Kal. Jan. Feria II. Luna XXVII. Initium Quadrag. VI. Id. Mart. Luna VII. Paſcha XI. Kal. Mai. Luna XIX. 216.

Finit Ordoadis, incipit Endegadis.

Emb. CXC. Kal. Jan. Feria IIII. Luna VIII. Initium Quadrag. VI. Non. Mart. Luna VIIII. Paſcha Idibus April. Luna XXI. 217.

Com. CXCI. Kal. Jan. Feria V. Luna XIX. Initium Quadrag. XII. Kal. Mart. Luna V. Paſcha IV. Kal. April. Luna XVII. 218.

Com. CXCII. Kal. Jan. Feria VI. Luna XXX. Initium Quadrag. Non. Mart. Luna VI. Paſcha XIV. Kal. Mai. Luna XVIII. 219.

B. Emb. CXCIII. Kal. Jan. Sabb. Luna XI Initium Quadrag. IIII. Kal. Mart. Luna VIII. Paſcha V. Idus April. Luna XX. 220.

Com. CXCIIII. Kal. Jan. Feria II. Luna XXII. Initium Quadrag. II. Id. Mart. * Luna III. Paſcha VIII. Kal. April. Luna XVI. 221.

* lege Feb. Com. CXCV. Kal. Jan. Feria III. Luna III. Initium Quadrag. V. Non. Mart. Luna V. Paſcha XVIII. Kal. Mai. Luna XVII. 222.

(n) Com. CXCVI. Kal. Jan. Feria IIII. Luna XIIII. Paſcha VIII. Id. April. Luna XX. (n) 223.

B. Com. CXCVII. Kal. Jan. Feria V. Luna XXV. Paſcha V. Kal. April. Luna XXI. 224.

Hic, & deinceps abſunt a Codice dies initii. Quadrageſimæ.

Com. CXCVIII. Kal. Jan. Sabb. Luna VI. Paſcha IV. Id. April. Luna XVI. 225.

Emb. CXCVIIII. Kal Jan. die Dom. Luna XVII. Paſcha IV. Non. April. Luna XIX. 226.

Com. CC. Kal. Jan. Feria II. Luna XXVIII. Paſcha X. Kal. Mai. Luna XXI. 227.

B. Emb. CCI. Kal. Jan. Feria III. Luna IX. Paſcha Idibus April. Luna XXII. 228.

Et apud Græcos VIII. Id. April. Luna XXI. (o)

Com. CCII. Kal. Jan. Feria V. Luna XX. Paſcha IV. Kal. April. Lun. XVIII. 229.

Com. CCIII. Kal. Jan. Feria VI. Luna I. Paſcha XIV. Kal. Mai. Luna XIX. 230.

(o) Emb. CCIIII. Kal. Jan. Sabb. Luna XII. Paſcha IV. Id. April. 231.

Et apud Græcos III. Nonæ April. Luna XV.

B. Emb. CCV. Kal. Jan. Dominic. Luna XXIII. Paſcha VIII. Kal. April. Luna XVII. 232.

Com. CCVI. Kal. Jan. Feria III. Luna IV. Init. Qudarag. . . . Paſcha XVIII. Kal. Mai. Luna XVIII. 233.

Com. CCVII. Kal. Jan. Feria IV. Luna XVI. Initium Quadrag. , Paſcha VIII. Id. April. Luna XXII. 234.

Com. CCVIII. Kal. Jan. Feria V. Luna XXVII. Initium Quadrag. . . . Paſcha XVI. * Kal. Mai. Luna XVII. 235.

* lege XIII.

Finit Ordoadis, incipit Endegadis.

B. Com. CCVIIII. Kal. Jan. Feria VI. Luna VIII. Init. Quadrag. , Paſcha IV. Id. April. Luna XVIII. 236.

Com. CCX. Kal. Jan. Dominic. Luna XIX. Initium Quadrag. , Paſcha IV. Non. April. Luna XXI. 237.

Com. CCXI. Kal. Jan. Feria II. Lun. XXX. Initium Quadrag. , Paſcha X. Kal. Maii. Luna XXII. 238.

* lege XVII.

*Et apud Græcos Paſcha XVIII. * Kal. Mai. Lun. XV.* (p)

(p) Com. CCXII. Kal. Jan. Feria III. Luna XI. Initium Quadrag. , Paſcha VIII. * Id. April. Lun. XVIII. 239.

* lege VII.

PRÆ-

NOTÆ

(l) Emendandum quoque eſt Paſcha apud Pagium A. D. 213. perperam enim ibi legitur die 25. *Martii* pro die 28. Hoc anno littera Dominicalia fuit C. quæ incidit in diem 28. *Martii*, ut recte in noſtro laterculo Paſcha denotatur.

(m) Bucherius ad Victorii Canonem A. D. 224. hæc monet: *Hic juxta Chronicon Proſperi MS. incipit initium tertii, ut vocat, cycli 84. annorum.* Vide eundem Bucherium pag. 136.

(n) Errore typographi apud Pagium A. D. 223. habetur, Paſcha fuiſſe die 16. *Aprilis*. Legendum die 6. qua die recte ponitur in noſtro laterculo, cum hoc anno littera Dominicalia E in curſu eſſet.

(o) Bucherius ad Victorii Canonem A. D. 228. *Hoc anno Codex MS. Alexandrinorum tantum Paſcha, non Victoris, exhibebat.* Itaque Pagius in Paſchate hujus anni decernendo, cyclos Græcorum ſecutus eſt, qui Paſcha celebrarunt die 6. *Aprilis*; latini vero celebrarunt die 13. *Aprilis*.

(p) Ex Græcorum cyclo Paſcha A.D. 238. fuit die 15. *Aprilis*; apud Latinos vero die 22. *Aprilis*. De Paſchate Græcorum hoc anno nihil apud Bucherii cyclum Victorianum. Errat autem Pagius, qui Paſcha ſtatuit die 23. Aprilis. Nam littera Dominicalia hoc anno fuit G. Itaque dies 23. *Aprilis* in diem Lunæ incidebat.

Digitized by Google

P R Æ F A T I O

DE RATIONE PASCHÆ, ET LATERCULUS PASCHALIS AB A. D. 354. AD 437.

EX GENNADIO VATICANO.

Incipit ratio Paſcha

Dicente Domino ad Moyſen, menſis hic initium menſis primus erit vobis in menſibus anni, qui cum mundum ſtatuerit per ſignificantiam rerum perfectarum, aperte nobis declaravit, quando dixit: Producat terra herbam pabulum habentem ſemen ſecundum ſuum genus, & lignum fructiferum faciens fructum, cujus ſemen in ipſo ſit ſimilitudinem ſecundum genus: & factum eſt ſic. Et in die qua agnus occiſus eſt immaculatus Chriſtus Jeſus Dominus noſter produxit terra herbam pabuli ovibus Chriſti ad refectionem animarum in ipſum credentium, qui ovium innocentiam habuerint, & lignum fructiferum habens fructum: quod lignum, niſi Crux Chriſti, qua portavit hominem fructum, cujus ſemen, hoc eſt caro mortua, vel ſepulta, incorrupta ſurrexit in eo ſemine, vel in ea ſimilitudine, in qua ante fuit. Quaeramus ergo qua die quartadecima menſis primi debeat cena pura Paſcha obſervari. Manifeſtum eſt quando filii Iſrael exierunt de terra Ægypti, decimamquartam Lunam fuiſſe in menſe primo, hoc eſt Martio die Pridie Iduum Martiarum, & quia a quartadecima die menſis uſque in viceſima prima menſis dies ſunt ſeptem azymorum, vel quibus diebus prohibuit Deus cum maledicto, ut nullus domus uteretur fermento, ideſt ex die Iduum Martiarum in die XII. Kalendarum Aprilium; ideo priores noſtri ſtatuerunt completis diebus azymorum, ex die XI. Kalendarum Aprilium uſque in diem XI. Kalendarum Majarum, in his XXX. & unum diebus, diem Paſcha juxta ſuperne rationem, & diem Dominicum Reſurrectionis Domini omnibus annis Paſcha agere ſua conditione, ut a quartadecima cena pure Luna uſque in viceſima prima Sabbathi lex Paſcha cuſtodiatur. Simili modo & dierum ordinationem addiſce. LXXXIIII. anni, quod habent dies numero XXXDCLX. his immittendi ſunt dies Biſexto, dies numero viginti & unum, ad ſuperioris ſumma dies ſiunt ſimul cum die adiecto uno Sabbathi, dies numero XXXDCLXXXII. Partiris in ſeptima, ne ante Luna XIIII. incurrat, vel Sabbathi dies poſt Luna viceſimaprima: hac diſciplina ſervata, a nullo reprehenderis. Sane annus laterculi ab initio ſexti Paſcha extra computum haberi, ut compluros incurrunt, omneſque erroris ſunt plena; ſiunt dies numero IIIICCCLXXXIII. remanet as, ſic hoc eſt dicis primus dies, Sabbathi, qui & a capite fuit. Ideo in laterculum, ſive in volumen, quae minus juxta computum Romanum eas ordinatum, cujus ratio inſra ſcripta eſt ANTONIO, & SYAGRIO CONSULIBUS, qua Kalenda Januaria fuerunt die Sabbathi Luna prima: qui annus in cyclo octogenario & quaternario primus eſt, qui cyclus diviſus per ſeptem duodecennium ordine digeſtus; qua per annos ſingulos hoc continet, Kalendu Januaria, qua die, vel quota Luna ſit azima, etiam vel quotus Kalendus, vel Idus agatur. Paſcha quoque ſuo tempore quota Kalendas, Nonas, vel Idus, vel quota Luna die ſemper Dominica celebretur. Errores etiam temporum diverſorum in quibus illa erit, electione dies Dominica Paſcha ante XI. Kal. Apriles, vel poſt XI. *Kal. Majas venerit dies etiam cena pura.* A.D.382. littera Dom. B.

Poſt octogeſimo quarto anno revertitur ad ſe cyclus.

I.	Anno Kal. Januar. die Sabbathi Lun. XXI. Dies Paſchæ VI. Kal. Aprilis Lunæ XVI. *CONST. VII. ET CONST. IV.* (*)	A. D. 354.	* ideſt *Conſtantio* VII. & *Conſtantio Gallo* IV errore Librarii una nota numerali adiecta, ut monuimus in Faſtis.
II.	Anno Kal. Jan. die Dominica Lun. II. Dies Paſchæ XVI. Kal. Majas Lun. XVIII.		
	ARBITIONE ET JULIANO, (pro *LOLLIANO*) *Coſſ.*	355.	
III.	B. Anno Kal. Jan. die ſecunda feria Lun. XIII. Dies Paſchæ VII. Idus April. Lun. XX.		
	CONSTANT. VIII. ET JULIANO.	356.	
IV.	Anno Kal. Jan. die quarta feria Lun. XXIV. Dies Paſchæ X. Kal. April. (*a*) Lun. XVI.		
	CONSTANTINO (pro *Conſtantio*) *IX. & JULIANO.* (*)	357.	(*a*) * addendum II;
V.	Anno Kal. Jan. die quinta feria Lun. VI. Dies Paſchæ Pridie Idus Aprilis Luna XVIII.		
	DATIANO ET CEREALE.	358.	
VI.	Anno Kal. Jan. die ſexta feria Luna XVI. Dies Paſchæ Pridie Non. April. Lun. XXI.		
	EUSEBIO ET YPATIO.	359.	
VII.			

(*a*) ERrat Pagius, dum A.D. 357. Paſcha figit ad diem 20. *Martii*; nam ex noſtro laterculo fuit die 23. *Martii*, quo anno fuit littera Dominicalis E. Recte etiam in Canone Victorii die 23. *Martii* ſtatuitur. NOTÆ

VII. B. Anno Kal. Jan. die Sabbathi Lun. XXVIII. Dies Paſchæ V. Id. April. Lun. XVI. (*b*)

DNIS NOSTRIS. * 360.

(*b*)

* nempe *Conſtantio X & Juliano III.*

VIII. Anno Kal. Jan. ſecunde ſeria Lun. VIIII. Dies Peſchæ VI. Id. Aprilis. Lun. XVII. (*c*)

(*c*)

TAURO ET FLORENTIO. 361.

IX. Anno Kal. Jan. die tertia ſeria Lun. XX. Dies Paſchæ Pridie Kal. April. Lun. XX.

MAMERTINO ET NEBITTA. 362.

X. Anno Kal. Jan. die quarta ſeria Lun. I. Dies Paſchæ XII. Kal. Maji Lun. XXI.

JULIANO IV. ET SALLUSTIO. 363.

XI. B. Anno Kal. Jan. die quinta ſeria Lun. XII. Dies Paſchæ Prid. Non. April. Lunæ XϚ. *

* nempe XVI.

JOBIANO ET BONONIANO. 364.

XII. Anno Kal. Jan. die Sabbathi Luna XXIII. (*d*) Dies Paſchæ VI. Kal. April. Lun. XϚIII. *

(*d*)

* nempe XIX.

VALENTIANO ET VALENTE. 365.

XIII. Anno. Kal. Jan. die Dominica Lun. IIII. Dies Paſchæ XVI. Kal. Mai. Lun. XX.

GRATIANO ET DAGALAIFO. 366.

(*e*) XIV. Anno Kal. Jan. die Secunda ſeria Lun. XV. (*e*) Dies Paſchæ Kal. April. Lun. XϚ.

LUBICINO ET JOVINO. 367.

(*f*) XV. B Anno Kal. Jen. die tertia ſeria Lune XXϚ. (*f*) Dies Paſchæ XII. Kal. Mai. Lun. XϚI.

VALENTINIANO ET VALENTE II. 368.

XVI. Anno Kal. Jan. die quinta ſeria Lun. VII. Dies Peſchæ Prid. Id. April. Lun. XϚIII.

VALENTINIANO AUG. & Vict. * 369.

* ideſt *Valentiniano juniore, & Victore.*

XVII. Anno Kal. Jan. die ſexta ſeria Lun. XϚIII. Dies Paſchæ V. Kal. April. Lun. XϚ.

VALENTINIANO ET VALENTE III. 370.

(*g*) XVIII. Anno Kal. Jan. die Sabbathi Lun. XXX. (*g*) Dies Paſchæ XV. Kal. Maji Lun. XϚ.

GRATIANO II. & Probo. 371.

XVIIII. B. Aonn Kal. Jan. die Dominica Luna XI. Dies Paſchæ VI. Id. April. Luna XX.

MODESTO ET ARINTHEO. 372.

XX. Anno

NOTÆ (*b*) LAtercolus noſter diem Paſchatis, in diem 9. *Aprilis* confert. Pagius A. D. 360. ad 23. *Aprilis* ſecundum *Alexandrinos*, ſecundum *Latinos* vero ad diem 26. *Martii*. Hoc anno Kalendæ Januariæ fuerunt die Sabbati, littera Dominicali B A. quare die 23. Aprilis fuit littera Dominicalis A. nempe dies Dominica fuit, & item die 9. *Aprilis*, qua Paſcha ſignat noſter laterculus; qui cyclos Latinorum ſequitur.

(*c*) PAgios Paſcha hujus anni 361. diei 4. *Aprilis* aſſignat. Fuit autem Dominica dies hoc anno 8. *Aprilis*, quod in curſu erat littera Dominicalis G. Errat ergo Pagius, & recte latercolus noſter. In Victoriano quoque Canone die 8. *Aprilis* Paſcha habetur.

(*d*) PAgius A. D. 365. perperam Paſcha ſtatuit die 23. *Martii*; nam recte laterculus noſter, & Canon Victorianus ad diem 27. *Martii* fixerunt, quo Dominica fuit, Littera Dominicali B.

(*e*) PAſcha apud Pagium A. D. 367. die 10. *Aprilis* celebretur, at in noſtro laterculo *die prima Aprilis*, ut & in Victoriano Canone, & recte; nam hoc anno Dominica dies incidit in *diem primam Aprilis*, littera Dominicali G. & dies 10. *Aprilis* non fuit *Dominica*. Mendoſum igitur eſt Paſcha hujus anni in Pagio.

(*f*) ERrat Pagius in Paſchate anni 368. nam illud aſſignat diei 20. *Martii*, quo anno fuit *feria quinta*. Recte laterculus noſter ad 20. *Aprilis*, ſtatuit, quæ Dominica fuit littera Dominicali E.

(*g*) PErperam Pagius A. D. 371. Paſcha deſignat ad diem 4. *Aprilis*; cum ea die *feria ſecunda* eſſet. Recte in noſtro laterculo Paſcha eſt ad diem 17. *Aprilis*, quæ incidit in Dominicam, littera Dominicali B.

Digitized by Google

XX. Anno Kal. Jan. die tertia feria Lun. XXII. Dies Paſchæ Prid. Kal. April. Lun. XXI.

VVALENTINIANO ET VVALENTE IIII. 373.

XXI. Anno Kal. Jan. die quarta feria Luna III. Dies Paſchæ Idibus April. Lun. XϚ.

*GRATIANO ET * EQUITIO* 374. *adde III.

XXII. Anno Kal. Jan. die quinta feria Lun. XIV. Dies Paſchæ Nonis April. Lun. XϚIII.

P. C. GRATIANI ET EQUITII. 375.

XXIII. B. Anno Kal. Jan. die ſexta feria Lun. XXV. Dies Paſchæ VI. Kal. April. Lun. XXI.

*VVALENTE * ET VALENTINIANO.* 376. * adde V.

XXIV. Anno Kal. Jan. die Dominica Lun. VI. Dies Paſchæ XϚ. Kal. Mai. Lun. XXI.

GRATIANO IIII. ET MEROBAUDE. 377.

XXV. Anno Kal. Jan. die ſecunda feria Lun. XVII. Dies Paſchæ Kal. April. Lun. XϚI.

*VALENTE * ET VALENTINIANO. II.* 378. * adde VI.

XXVI. Anno Kal. Jan. die tertia feria Lun. XXVIII. Dies Paſchæ XI. Kal. Mai. Lun. XX.

AUSONIO ET OLYBRIO. 379.

XXVII. B. Anno Kal. Jan. die quarta Lun. IX. Dies Paſchæ Prid. Idus April. Lun. XXI.

*GRATIANO * ET THEODOSIO.* 380. * adde V.

XXVIII. Anno Kal. Jan. die ſexta feria Lun. XX. Dies Paſchæ V. Kal. April. Lun. XϚI.

SYAGRIO ET EUSEVIO Coſ. 381.

XXIX. Anno Kal. Jan. die Sabbathi Lun. I. Dies Paſchæ XV. Kal. Mai. Lun. XϚII.

ANTONIO ET SYAGRIO. 382.

XXX. Anno Kal. Jan. die Dominica Lun. XVII. Dies Paſchæ V. Idus April. Lun. XXI.

MEROBAUDE ITERUM, & Saturnino. 383.

XXXI. B. Anno Kal. Jan. die ſecunda feria Lun. XXIII. (h) Dies Paſchæ VII. Kal. April. Lun. XϚI. (h)

RICOMEDE ET CLEARCO. 384.

XXXII. Anno Kal. Jan. die quarta feria Lun. IV. Dies Paſchæ Idibus April. Lun. XϚI.

ARCHADIO ET BAUTONE. 385.

XXXIII. Anno Kal. Jan. die quinta feria Luna XV. Dies Paſchæ Nonis April. Lun. XX.

HONORIO ET EUBODIO (pro *Evodio*). 386.

XXXIV. Anno Kal. Jan. die ſexta feria Lun. XXVII. (i) Dies Paſchæ V. Kal. April. Lun. XXI. (i)

*VALENTINIANO * ET EUTROPIO* 387. *adde III.

XXXV. Anno B. Kal. Jan. die Sabbathi Lun. VII. Dies Paſchæ V. Idus April. Lun. XVII.

*THEODOSIO * ET CYNEGIO.* 388. * adde II.

XXXVI. Anno Kal. Jan. die ſecunda feria, Lun. XVIII. Dies Paſchæ Kal. April. Lun. XIX.

TIMASIO ET PROMOTO. 389.

XXXVII.

NOTÆ

(h) LAterculus noſter Paſcha A. D. 384. notat ad VII. *Kal. Aprilis*, nimirum ad diem 26. *Martii*, errore quadratarii, qui duas unitates omiſit, & ſcribere debuerat VIIII. pro VII. Nam recte apud Pagium hujus anni Biſſextilis, Paſcha eſt die 24. *Martii*, littera Dominicali G F.

(i) HIc eſt ille annus, quo magna de Paſchate apud Latinos controverſia fuit, de qua S. Ambroſius A. D. 386. ſcripſit epiſtolam illam ſuam, alias 83. nunc epiſt. XXIII. ad Epiſcopos per Æmiliam conſtitutos. Nonnulli ſentiebant, A. D. 387. Paſcha Dominicum die 21. *Martii* eſſe celebrandum, alii die 25. *Aprilis*, alii demum die 18. *Aprilis*. Primi erant *Latini*, ſecundi erant *Alexandrini*, quos ſequitur, ac defendit Ambroſius. Tertii demum Victorio adhærebant, hoc ſaltem anno, quocirca Ambroſius, eos *Romanos* appellat. Pagius A. D. 387. Paſcha deſignat ad diem 25. *Aprilis*, ex Alexandrinorum cyclo. Laterculus noſter neque *Alexandrinos*, neque *Latinos*, neque *Romanos* ſequitur, nam Paſcha ad diem 28. *Martii* collocat, Luna XXI. at æquinoctii diem præterlabi ſineret. *Latini* celebrabant die 21. *Martii*, ipſo æquinoctii die, ut Bucherii Canon Victurianus habet.

(k) XXXVII. Anno Kal. Jan. die tertia feria, Lun. XXIX. (k) Dies Paſchæ XI. Kal. April. Lun. XXI.

VALENTINIANO IV. ET NEOTERO. 390.

XXXVIII. Anno. Kal. Jan. die quarta feria Lun. X. Dies Paſchæ VIII. Id. April. Lun. XVI.

TATIANO ET SYMMACHO. 391.

XXXVIIII. B. Anno Kal. Jan. die quinta feria, Lun. XI. Dies Paſchæ V. Kal. April. Lun. XIX.

* adde II. *ARCADIO AUG.* * *ET RUFINO.* 392.

(l) XL. An. Kal. Jan. die Sabbathi, Lun. II. (l) Dies Paſchæ XI. Kal. Mai. Lun. XIX.

* adde III. *THEODOSIO AUG.* * *ET ABUNDIO.* 393.

XLI. Anno Kal. Jan. die Dominica, Lun. XIV. Dies Paſchæ IV. Non. April. Lun. XVI.

ARCHADIO III. ET HONORIO II. 394.

XLII. Anno Kal. Jan. ſecunda feria, Lun. XXV. Dies Paſchæ VIII. Kal. April. Lun. XIX.

OLYBRIO ET PROBINO. 395.

XLIII. B. Anno Kal. Jan. die tertia feria, Lun. VI. Dies Paſchæ Id. April. Lun. XX.

ARCHADIO IV. ET HONORIO III. 396.

XLIIII. Anno Kal. Jan. die quinta feria, Lun. XVII. Dies Paſchæ Nonis April. Lun. XXI.

CÆSARIO ET ATTICO. 397.

(m) XLV. Anno Kal. Jan. die ſexta feria, Lun. XVIII. (m) Dies Paſchæ XVIII. Kal. Mai. Lun. XVII.

HONORIO AUG. IV. ET EUTICIA. 398.

XLVI. Anno Kal. Jan. dia Sabbathi, Lun. VIIII. Dies Paſchæ IV. Id. April. Lun. XVIIII.

MALLIO THEODORO. 399.

XLVII. B. Anno Kal. Jan. die Dominica, Lun. XX. Dies Paſchæ Kal. Aptil. Lun. XXII.

FLAVIO STILICONE. 400.

(n) XLVIII. Anno Kal. Jan. die tertia feria, Lun. I. (n) Dies Paſchæ XI. Kal. Mai. Lun. XXII.

VINCENTIO ET FRAVITO. 401.

XLVIIII. Anno Kal. Jan. die quarta feria, Lun. XII. Dies Paſchæ VIII. Id. April. Lun. XVIII.

* adde utriſque V. *ARCADIO.* * *ET HONOR. AA.* * 402.

L. Anno Kal. Jan. die quinta feria, Lun. XXIII. Dies Paſchæ IV. Kal. April. Lun. XXI.

* ideſt *juniore.* *Theodoſio Aug.* * *& Rumorido.* 403.

LI. B. Anno Kal. Jan. die ſexta feria, Lun. IV. Dies Paſchæ XV. Kal. Mai. Lun. XXII.

HONORIO AUG. VI. 404.

LII. Anno Kal. Jan. die Dominica, Lun. XV. Dies Paſchæ IV. Non. April. Lun. XVI.

FL. STILICONE. 405.

(o) LIII. Anno Kal. Jan. die ſecunda feria, Lun. XXVII. (o) Dies Paſchæ VIII. Kal. April. Lun. XXI.

ARCADIO VI. ET PROBO. 406.

LIIII. Anno

NOTÆ (k) Dies Paſchæ apud Pagium A. D. 390. eſt 12. *Aprilis* & perperam; nam dies 12. *Aprilis* hoc anno, littera Dominicali F. ſignato, non incidit in Dominicam, ſed in *feriam ſextam*, dies vero 14. fuit Dominica. Dies Paſchæ item in noſtro Paſchali laterculo male in diem 22. *Martii* detruditur, quæ non incidit in *Dominicam*, ſed in *feriam ſecundam*. Recte porro in Victorii Canone Paſcha habetur XI. *Kal. Maii*, nempe die 21. Aprilis, quæ Dominica fuit.

(l) Laterculus noſter A. D. 393. Paſcha celebrari monet *XI. Kal. Maii* ideſt die 21. *Aprilis*; at rectius apud Pagium die 17. *Aprilis*. Ergo putamus, librarii errore pro *XV. Kal. Maii* ſcriptum eſſe XI.

(m) Librarii lapſu in noſtro laterculo ſcriptum eſt A. D. 398. in Paſchatis die deſignando, *XVIII. Kal. Maii*, pro XIIII. nam recte apud Pagium ſtatuitur ad diem 18. *Aprilis*, hoc eſt *XIV. Kal. Maii*, quæ Dominica fuit.

(n) Laterculus noſter Paſcha hujus anni 401. diei 21. *April.* ſeu *XI. Kal. Maii* affigit, Luna XXII. Pagius vero diei 14. *Aprilis*, utraque dies Dominica fuit; ſed laterculus noſter, ideo in diem 21. *Aprilis* tranſtulit, ne Luna XIV. Paſcha denotaret. Idcirco in Victorii Canone hoc anno *XI. Kal. Maii*, Luna XXII. Paſcha celebrari monetur, ſed apud Alexandrinos *XVIII. Kal. Maii*, ideſt die 14. Aprilis.

(o) Paſcha apud Pagium A. D. 406. eſt ad diem 22. Aprilis ex cyclo Alexandrino; in noſtro laterculo ad *VIII. Kal. April.* ſcilicet die 25. *Martii*, *Luna XXI.* Littera Dominicalis hoc anno fuit G. itaque & 25. *Martii*, & 22. Aprilis Dominica fuit. Bucherius ad Paſcha Victorianum hujus anni, notat, nonnullis Latinis fuiſſe *VIII. Kal. April. Luna XXI.*

by Google

LIIII. Anno Kal. Jan. die tertia feria Lun. III. Dies Paſchæ XVIII. Kal. Mai. Lun. XXII.

HONORIO VII. ET THEODOSIO II. 407.

LV. B. Anno Kal. Jan. die quarta feria, Lun. XIX. Dies Paſchæ IV. Kal. April. Lun. XVII.

BASSO ET PHILIPPO. 408.

LVI. Anno Kal. Jan. die ſexta feria, Lun. XXX. Dies Paſchæ XIV. Kal. Mai. Lun. XIX.

HONOR. VIII. ET THEODOSIO III. 409.

LVII. Anno Kal. die Sabbathi, Lun. XI. Dies Paſchæ IV. Id. April. Luna XXI.

VARANNE. * 410. * pro *Varane.*

LVIII. Anno Kal. Jan. die Dominica, Lun. XXII. (*p*) Dies Paſchæ VI. Kal. April. Lun. XVII. (*p*)

THEODOSIO AUG. IV. 411.

LVIIII. B. Anno Kal. Jan. die ſecunda feria, Lun. III. Dies Paſchæ XVIII. Kal. Mai. Lun. XVIII.

HONORIO IX. ET THEODOS. AG. * 412. * adde V.

LX. Anno Kal. Jan. die quarta feria, Lun. XIII. Dies Paſchæ VIII. Id. April. Lun. XX.

P. C. IX. ET V. * 413. * idest P. C. *Honorii* IX. & *Theodoſii* V.

LXI. Anno Kal. Jan. die quinta feria, Lun. XXV. Dies Paſchæ XI. Kal. April. Lun. XVI.

CONSTANTIO. 414.

LXII. Anno Kal. Jan. die ſexta feria, Lun. VI. Dies Paſchæ III. Id. April. Lun. XVII.

HONOR. X. ET THEODOS. AUG. * 415. * adde VI.

P. C. *PAULINI.*

LXIII. B. Anno Kal. Jan. die Sabbathi, Lun. XVIII. Dies Paſchæ IV. Non. April. Lun. XX.

THEODOS. AUG. VII. ET PALLADIO. 416.

LXIV. Anno Kal. Jan. dia ſecunda feria Lun. XXIX. (*q*) Dies Paſchæ VIII. Kal. April. Lun. XXII. (*q*)

HONOR. XI. ET CONSTANTIO II. 417.

LXV. Anno Kal. Jan. die tertia feria, Lun. X. Dies Paſchæ VI. Id. April. Lun. XVII.

HONOR. XII. ET THEOD. VIII. 418.

LXVI. Anno Kal. Jan. dia quarta feria, Lun. XXI. Dies Paſchæ III. Kal. April. Lun. XX.

MONAXIO ET PLINTA. 419.

LXVII. B. Anno Kal. Jan. die quinta feria, Lun. II. Dies Paſchæ XIV. Kal. Mai. Lun. XXII.

THEOD. AUG. VIII. & CONSTANTIO III. 420.

LXVIII. Anno Kal. Jan. die Sabbathi, Lun. XIII. Dies Paſchæ III. Non. April. Lun. XVI.

AGRICOL. ET EUSTASIO. 421.

LXVIIII. Anno Kal. Jan. die Dominica, Lun. XXIIII. Dies Paſchæ VII. Kal. April. Lun. XIX.

HONOR. XIII. ET THEOD. X. 422.

LXX. Anno Kal. Jan. die ſecunda feria, Lun. V. Dies Paſchæ XVII. Kal. Mai. Lun. XX.

MARIANO ET ASCLIPIODOTO. 423.

LXXI. B. Anno Kal. Jan. die tertia feria, Lun. XVI. (*r*) Dies Paſchæ III. Kal. April. Lun. XVI. (*r*)

PL. GAASTINO V. C. CONS. 424.

LXXII. Anno Kal. Jan. die quinta feria, Lun. XVII. Dies Paſchæ XIII. Kal. Mai. Lun. XVII.

THEODOS. XI. ET VALENTINIANO. 425.

LXXIII. Anno Kal. Jan. die ſexta feria, Lun. VII. Dies Paſchæ III. Id. April. Lun. XIX.

THEODOS. XII. ET VALENTINIANO. * 426. * adde II.

LXXIIII. Anno Kal. Jan. die Sabbathi, Lun. XIX. Dies Paſchæ III. Non. April. Lun. XXII.

HIERIO ET ARTABURI. 427.

NOTÆ

(*p*) Errore librarii in Paſchate A. D. 411. ſcriptum fuit *VI. Kal. April.* pro VII. uno ſcilicet numero omiſſo.

(*q*) Paſcha A. D. 417. a Pagio decernitur ad diem 22. *April.* in noſtro latereulo ad diem 25. *Martis Luna XXII.* Littera Dominicalis fuit G. Utroque die, ſcilicet 22. *April.* & 25. *Martii* Dominica fuit. Bucherius ad Victorii Canonem, hoc anno; *Paſcha a quibuſdam Latinis Romæ celebratum eſt VIII. Kal. April. Luna XXI.*

(*r*) Paſcha A. D. 424. in Pagio eſt die 6. Aprilis; rectius in noſtro latereulo, ut in Victoriano Canone, die 30. *Martii Luna XVI.*

LXXV. B. Anno Kal. Jan. die Dominica Lun. XXX. (r) Dies Paſchæ XVII.
(r) Kal. Mai. Lun. XVI.
FL. FELICE V. C. COS. 428.

(s) LXXVI. Anno Kal. Jan. die tertia feria, Lun. XI. (s) Dies Paſchæ VII. Kal. April. Lun. XVIII.
FLORENTIO ET ZIONISIA. 429.

LXXVII. Anno Kal. Jan. die quarta feria, Lun. XXIII. Dies Paſchæ IV. Kal. April. Lun. XXII.
* lege XIII. *THEODOS. VII.* * & III. * 430.
* ideſt *Valentiniano* III. LXXVIII. Anno Kal. Jan. die quinta feria, Lun. IV. Dies Paſchæ Prid. Id. April. Lun. XV.
BASSO ET ANTIOCHO. 431.

LXXVIIII. B. Anno Kal. Jan. die ſexta feria, Lun. XV. Dies Paſchæ III. Non. April. Lun. XVIII.
ANTIOCI VALERI. * 432.

* lege *Aetio & Valerio.* LXXX. Anno Kal. Jan. die Dominica, Lun. XXVI. Dies Paſchæ VII. Kal. April. Lun. XXI.
MAXIMO II. 433.

LXXXI. Anno Kal. Jan. die ſecunda feria, Lun. VII. (u) Dies Paſchæ
(u) XVIII. Kal. Mai. Lun. XXII.
ASPERE ET ARIOVINDA. 434.

(x) LXXXII. Anno Kal. Jan. die tertia feria, Lun. XVIII. (x) Dies Paſchæ Kal. April. Lun. XVIII.
THEODOS. X. ET VALENT. II. 435.

(y) LXXXIII. B. Anno Kal. Jan. die quarta faria, Lun. XXIX. (y) Dies Paſchæ XI. Kal. April. Lun. XXI.
ISIDORO ET SENATORE. 436.

LXXXIV. Anno Kal. Jan. dia ſexta feria, Lun. X. Dies Paſchæ III. Id. April. Lun. XXI.
Ætio iterum ET SEGUERTO. 437.

Hucuſque Codex, qui mox habet hæc verba: *Ideſt hic uſque ad annum* CCCC. *a Paſſione Domini; & in alio ſequitur a Felice, & Tauro*, ideſt ab A. D. 428. deinde Codex habet: *Explicit computus Paſchalis cum computo Lunæ, qua ſi cuſtodiatur reprehendi non poteſt.*

NOTÆ

(r) APod Pagium A. D. 428. Paſcha figitur die 22. *Aprilis*; & in noſtro laterculo die 15. *April. Luna XVI.* Hoc etiam anno dubitatio fuit de die Paſchatis. Bucherius pag. 429. notat, in textu cycli Proſperiani, hoc anno poni Paſcha *X. Kal. Maii*, id eſt 22. *Aprilis*, ac item apud *Victorium* & *Alexandrinos*, ſed extra limitem Cæſarienſem, quanquam fatetur S. Leo, in *X. Kal. Mai.* aliquando ante ſe perveniſſe paſcha ex ratione Paſchaſini. Alioquin ſi diem prioris anni abundantem in hunc differas, Paſcha erit *XVII. Kal. Maii, Luna XVI. extra limitem.* Hæc Bucherius qui ad S. Leonis epiſtolam amandat.

(s) LIbrarii lapſu A. D. 429. in Paſchate definiendo, ſcriptum eſt *VII. Kal. April.* pro VII. *Id. Aprilis*, qua die re vera Paſcha fuit.

(u) LEgendum A. D. 434. in laterculo pro *XVIII. Kal. Maii*, XVII. Librarius enim unum addidit per errorem numerum.

(x) SUpple A. D. 435. in noſtro laterculo *Pridie Kal. April.* non *Kalendis April.* nam Paſcha hoc anno celebratum eſt die 31. *Martii*.

(y) LAterculus noſter A. D. 436. Paſcha ſtatuit die 22. *Martii*, Luna XXI. apud Pagium vero habetur die 19. *April.* Utriſque diebus *Dominica* fuit.

DIONYSII
EXIGUI
EPISTOLÆ PASCHALES.

Digitized by Google

MONITUM

IN PASCHALES EPISTOLAS DIONYSII

COGNOMENTO EXIGUI.

I. De Dionyſii Exigui Epiſtolis Paſchalibus cum codice Vaticano collatis.

INdiculis Paſchalibus, quos in lucem protulimus, ac pro virili illuſtravimus, ſubjiciendas eſſe putavimus Dionyſii Exigui Paſchales Epiſtolas, jam pridem a Dionyſio Petavio in Appendice Operis de Doctrina temporum, ſcilicet tomo II. pag. 8. editionis Pariſienſis anni 1627. editas; ac paullo poſt, nimirum anno 1634. ab Ægidio Bucherio in Commentario ad Victorii Canonem Paſchalem pag. 485. cum variis lectionibus recenſitas. Eas igitur cum Codice Vaticano, qui ſæculo IX. aut forte X. ſcriptus videtur, olim Reginæ Suecorum num. 586. collatas, nos quoque hoc loco edendas curavimus, variaſque lectiones ad oram, addita voce Vat. deſignavimus. Nævos orthographicos, & barbariſmos librarii, qui codicem ſcripſit, retinuimus, ut religioſe codicis fidem ſequeremur.

II. Dionyſius Exiguus cycli Paſchalis auctor, quandonam primam Epiſtolam paſchalem ſcripſerit.

Dionyſium cognomento Exiguum, natione Scytham, profeſſione monachum, & Abbatem Romani monaſterii, Græce, & Latine doctum, cycli Paſchalis, quem deinde ab ejus nomine Dionyſianum appellarunt, auctorem fuiſſe omnes eruditi norunt; atque de ſuo Paſchali cyclo Epiſtolas ſcripſiſſe fatentur. Inter hos Robertus Card. Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis notat, cyclum Paſchalem anno Chriſti 527. a Dionyſio ſcriptum, qui omiſſa profana numeratione annorum ab Imperio Diocletiani, annos ab Incarnatione Chriſti numerare cœpit. Hinc Philippus Labbeus in Diſſertationibus & Supplemento ad eundem Bellarmini librum, de Paſchalibus Dionyſii Epiſtolis diſſerit, quarum altera de cyclo Paſchali ad Petronium Epiſcopum, conſulatu Philoxeni, & Probi junioris ſcripta fuiſſe dicitur, nimirum anno Chriſti 525. altera vero ad venerandos Bonifacium Primicerium, & ad Bonum Secundicerium Romanæ Eccleſiæ de ratione Paſchæ inſcribitur, quam pro certo habet Labbeus, ſcriptam fuiſſe anno Domini 526. Indictione quarta labente, & Lunæ cyclo XIV. Pagius etiam ad A. D. 527. num. VII. monet, Epiſtolam primam Dionyſianam ſcriptam fuiſſe A. D. 525. ante menſem Septembrem; ut Petavius ipſe in notis ad eam Epiſtolam pag. 889. indicarat, propterea quia in regio exemplari Bibliothecæ regis Chriſtianiſſimi, quo poſt eam excuſam uſus fuerat, hæc adnotata reperit. „ In præſenti „ namque tertia Indictione, Conſulatu Probi junioris tertius decimus circulus de„ cennovenalis, decimus Lunaris eſt. *Eadem quoque habet Codex Reginæ Suecorum num. 755. nunc inter Vaticanos. Hæc autem ipſius Dionyſii verba eſſe cenſet Petavius. Idcirco nonnulli, inter quos Pagius, ſcriptam fuiſſe primam Dionyſii Epiſtolam anno Chriſti 525. & antequam Indictio quarta menſe Septembri inciperet, aperte diſſerunt. Secunda vero Epiſtola ſcripta videtur Pagio eodem anno Chriſti 525. tranſacta jam tertia Indictione, propterea quod, ubi apud Bedam legitur:* tranſacto anno, Indictione V. *Petavius legendum putavit:* tranſacto anno, Indictione III.

III. Pagii error de anno, quo ſcripta eſt Dionyſii Exigui ſecunda epiſtola Paſchalis.

Ex his ergo conjicit Pagius, ſecundam Dionyſii Epiſtolam ſcriptam fuiſſe pariter A. D. 525. quarta jam Indictione a Kalendis Septembris inchoata. Sed hac in re diſcrepantem habet, ut vidimus, non modo Labbeum, verum & Bucherium, & ipſum Dionyſium. Etenim editio Bucheriana hujus Epiſtolæ, cum qua conſentit Codex Vaticanus, habet. „ Tranſacto anno per Indictionem tertiam in Paſcha Lunam XIV. „ Nono Kalendarum Aprilium die, ideſt vigeſimo quarto menſis Martii fuiſſe, quis „ dubitet? &c. *Paullo ante dixerat Dionyſius, velle ſe cycli ſui rationes ab anni* præſentis, *quo* Indictio quarta *erat, exemplo demonſtrare. Si ergo anno tranſacto, ideſt anno Chriſti 525. quo* Indictio tertia *decurrebat, Luna XIV. fuit die XXIV. Martii, & Paſcha celebratum eſt die XXX. ejuſdem menſis, Luna XXI. ut Paſchales etiam tabulæ, a nobis ſuperius vulgatæ perhibent, annus præſens, de quo Epiſtola Dionyſii, erit annus Chriſti 526.* Prætetea *Dionyſius ibidem, dies qui effluxerunt a die XXIV. Martii anni præteriti enumerans, ut decimam quartam Lunam anni 526. indicaret,* præſentis *nomine ab eo deſignato,* in Pridie Idus Aprilis Lunam decimam quartam *incidere demonſtrat; quamobrem in tabulis Paſchalibus anni 526. Paſcha ſtatuitur ad XIII. Kal. Maii, Luna XXII.* Nam cum decima quarta Luna *in diem Dominicum Pridie Idus Aprilis incidiſſet, Paſchalis feſtivitas tranſlata eſt in Dominicam ſequentem. Itaque Bucherius qui ad hæc animo reſpexerat, ad oram ſecundæ hujus Dionyſianæ Epiſtolæ, ad illa verba:* tranſacto anno per Indictionem tertiam, *monet, denotari a Dionyſio annum Chriſti 525. & in fronte ſecundæ epiſtolæ memoratæ præmiſit, eam ſcriptam fuiſſe anno Chriſti vulgari 526. Patet ergo Pagii alucinatio.*

IV. De anno, quo Dio-

Hæc de annis, quibus Dionyſii Epiſtolæ ſcriptæ fuerunt. Addamus & aliqua de anno, quo Dionyſianus Paſchalis cyclus exaratus fuit. Hunc autem cyclum, de quo Dionyſius ipſe in his Epiſtolis, initium capere ab anno æræ vulgaris 531. cyclo Lu-

nyſii cyclus exaratur eſt, Petavii error. næ XIX. *Petavius lib. XII. de Doctrina temporum cap. II. putavit, atque illius exordium, ſi retrocedatur, figendum eſſe biennio ante vulgarem Chriſti epocham, uniminum ad annum* Julianum XLIV. Cyclo Lunæ XIX. Solis IX. *& Incarnationem Dominicam convenire in annum* Julianum XLV. Cyclo Lunæ I. Solis IX. *At Beda, ut monet Pagius, cæterique tam veteres, quam recentiores, communi conſenſu docent, cyclum Dionyſianum annorum 532. incipere ab anno* Juliano XLV. Cyclo Solis IX. Lunæ I. notato. *Inter recentiores, ante Pagium, Henricus Noriſius magni nominis vir in Diſſertatione de cyclo Paſchali Ravennate annorum XCV. pag. 214. 215. erroris hac in re Petavium coarguit, ut & Langium, & Ricciolum eum ſecutos. Docet autem ibidem paullo ſuperius Noriſius, ſcilicet pag. 173. ſtatim in Eccleſia Ravennate, prout in Romana, ac aliis pleriſque Eccleſiis, Dionyſii cyclum fuiſſe receptum. Cyclus autem Ravennas Lapidi inſculptus, & a Noriſio vulgatus pag. 216. initio hæc habet.*

Anno I. Luna XIV. Nonis Aprilis Paſcha III. Idus Aprilis, Luna XX. *Quæ notæ conveniunt anno æræ vulgaris 532. Hinc ſi retrocedatur, non eodem anno, quo Chriſti Incarnatio, & Natalis vulgo ſtatuuntur, ſed octiduo poſt Chriſti Natalem primus Dionyſii cycli annus figendus eſt. Ad Epiſtolas revertimur. Ubi in vulgata a Bucherio Dionyſiana Epiſtola prima legitur:* mobilium caſuum, *Noriſius legendum eſſe mallet, laudata Diſſertatione pag. 169.* mobilium caſum, *ut recte Petavius in fine tomi II. de Doctrina temporum emendavit; quo ſpectare cenſet Noriſius illud Victorii,* dierum *mobilitate conſtiguunt.* Cæterum *in codice Vaticano legitur:* caſum; *quæ ſcribendi ratio:* caſuum *indicare videtur.*

V. Quid præter Dionyſii Epiſtolas habeat Codex Vaticanus. *Codex præterea Vaticanus in principio habet Epiſtolam Theophyli Epiſcopi, atque ita exorditur:* „ Incipit Epiſtola Theophili Epiſcopi. Poſt reſurrectionem: *uſque:* Sancta Paſcha vobis juſtum eſt celebrare. Pag. 3. habet. „ Incipit Epiſtola „ Hilarii ad Victorium de poſtulatione cycli. Dilectiſſimo & honorabili Sancto fra„ tri Victorio Hilarius Epiſcopus urbis Romæ. Cum pleraque, *uſque:* ora pro no„ bis dilectiſſime frater. Reſponſio Victorii ad Hilarium. Domino vere Sancto & in „ Chriſto venerabili Hilario Papæ urbis Romæ Epiſcopo Victorius; *uſque* videres „ expoſci. Pag. 4. Incipit prologus Victorii ad Hilarium Papam urbis Romæ de ra„ tione Paſchali. Paſchalis igitur; *uſque* diligenter abſolvam. *Sequitur deinde in Codice.* „ Incipit de diverſis cyclis. *Mox ſuccedit Paſchalis laterculus annorum LXXI. ſcilicet ab anno Chriſti vulgari 168.* ad 239. *quem ſupra edidimus. Hilari & Victorii Epiſtolas edidit Bucherius principio ſui Commentarii in Victorii Canonem Paſchalem, licet tantiſper Codex Vaticanus in titulis dignitatum a Bucheriana editione diſcrepet. Nam Hilari Epiſtola apud Bucherium,* Archidiaconi urbis Romæ, *non* Epiſcopi *nomen præfert, ut & Victoris reſponſio ad Hilarum: & fortaſſe rectius. Epiſtola vero, quæ in Codice Vaticano Theophili Epiſcopi nomine inſignitur, apud Bucherium pag. 469. refertur, &* Philippi *nomen retinet.* Ibi notat *Bucherius, ita eſſe in manuſcriptis, licet ei ignotus ſit ipſe Philippus. Animadvertit etiam, hanc Epiſtolam exſtare inter Opera Bedæ in fine tomi ſecundi ſub titulo de vernali æquinoctio.*

VI. Cur Dionyſianæ Epiſtolæ recudantur in Apparatu. *Cum vero frequens ſit apud Pagium de Dionyſianis Epiſtolis, deque eius Paſchali cyclo mentio, tum in Diſſertatione de Periodo Græco-Romana num. XIII. XVI. XVIII. XIX. XX. XXVIII. & ſequentibus, & num. LXVII. LXVIII. & in Critica* ad *A. D.* 527. *num. VII. non abs re fore putavimus, ſi Epiſtolas illas, quæ poſt annos centum nondum recenſæ fuerant. (ſi Petaviani Operis de Doctrina temporum repetitas editiones excipias) ad fidem Vaticani Codicis recognitas, rurſus in lucem emitteremus, quo huic Apparatui ornando quodammodo inſervirent. Rogamus ergo Lectores, ut hac in re etiam, qualemcumque induſtriam noſtram æquo animo, benevoleque accipiant.*

DIO-

DIONYSII
EXIGUI
EPISTOLA PRIMA PASCHALIS.

Domino (*a*) beatiſſimo, & nimium *deſideratiſſimo* (*b*) Patri Petronio Epiſcopo Dionyſius Exiguus. Paſchalis feſti rationem, quam multorum diu frequenter a nobis expoſcit inſtantia, nunc adiuti precibus veſtris explicare curavimus: ſequentes per omnia Venerabilium *trecentorum* (*c*) & *octodecim* Pontificum, qui apud Nicæam Civitatem Bithyniæ contra veſaniam *Arii* (*d*) convenerunt, etiam rei hujus abſolutam veramque ſententiam qui quartas decimas Lunas Paſchalis obſervantiæ per novemdecim annorum redeuntem ſemper in ſe circulum ſtabiles immotaſque fixerunt: quæ (*e*) *cunctis* ſæculis eodem quo (*) repetuntur (*f*) exordio ſine varietatis labuntur excurſu. Hanc autem (*g*) regulam præfati circuli non tam peritia *ſingulari* (*h*) quam ſancti ſpiritus illuſtratione ſanxerunt, & velut anchoram firmam & ſtabilem huic rationi lunaris dimenſionis appoſuiſſe cernuntur, quam poſt modum non nulli vel arrogantia *deſpicientes*, (*i*) vel tranſgredientes in ſcientia, Judaicis inducti fabulis, diverſam, atque contrariam formam feſtivitatis *nunc ea* (*k*) tradiderunt. Et quia ſine fundamenti ſoliditate non poteſt ſtructura ulla conſiſtere, longe aliter in quibuſdam annis *Dominicum* (*l*) Paſcha, & Lunæ computum præfigere maluerunt, inordinatos circulos (*) ordinantes: (*m*) qui non ſolum nullam recurſus ſtabilitatem, verum etiam curſum præferunt errore notabilem.

Sed Alexandrinæ urbis (†) *Archiepiſcopus* beatus *Athanaſius* (*n*) qui (*) *etiam* (*o*) *ipſe* Nicæno Concilio tunc Sancti Alexandri Pontificis Diaconus, & in omnibus adjutor interfuit; & deinceps Venerabilis Theophilus, & Cyrillus, ab hac Synodi *veneranda* (*p*) conſtitutione minime *deſcivernnt* (*q*). Imo potius eumdem decemnovennalem *circulum*, (*r*) qui *Enneacaidecaëterida* (*ſ*) Græco vocabulo nuncupatur, ſollicite retinentes, Paſchalem curſum nullis diverſitatibus interpollaſſe monſtrantur. Papa denique Theophilus centum annorum curſum Theodoſio ſeniori Principi dedicans, & Sanctus Cyrillus cyclum temporum nonaginta & quinque annorum componens, hanc ſancti Concilii traditionem ad obſervandas *quartaſdecimas* (*t*) Lunas Paſchales per omnia ſervaverunt. Et quia ſtudioſis, & quærentibus *ſcire* (*u*) quod verum eſt, debet ejuſdem circuli regula fixius inhærere; hanc poſt præfationem noſtram credidimus *adſcribendam*. (*x*) *Nonagintaquinque* (*y*) *autem* annorum hunc cyclum ſtudio, quo valuimus expedire contendimus: ultimum ejuſdem beati Cyrilli ideſt quintum *circulum* (*z*) *quia* ſex adhuc *ex eo* (*a*) anni *ſupererant* (*b*) in noſtro hoc opere præferentes: ac deinde quinque alios juxta normam ejuſdem Pontificis, imo potius ſæpe dicti Nicæni Concilii, nos ordinaſſe profitemur.

Quia (*c*) vero Sanctus Cyrillus primum cyclum ab anno Diocletiani *centeſimo* (*d*) *quinquageſimo* cœpit, & ultimum *in ducenteſimo* (*e*) *quadrageſimo ſeptimo terminavit; nos a ducenteſimo quadrageſimo octavo anno ejuſdem* Tyranni potius quam Principis inchoantes, *noluimus* (*f*) circulis noſtris memoriam impii & perſecutoris innectere; ſed magis elegimus ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti annorum tempora prænotare: quatenus exordium ſpei noſtræ notius nobis exiſteret, & cauſa reparationis humanæ ideſt Paſſio Redemptoris noſtri, evidentius (*g*) *eluceret*.

Hoc præterea lectorem putavimus admonendum, quod circulus iſte *nonaginta* (*h*) *&* *quinque* annorum, quem fecimus, cum finito tempore in id ipſum reverti cœperit, non per omnia propoſitam teneat firmitatem. Nam licet anni Domini noſtri Jeſu Chriſti ordinem ſuum continuata ſerie cuſtodiant, & Indictiones per annos quindecim ſolita revolutione decurrant, Epactas etiam, quas Græci vocant ideſt adiectiones annuas Lunares undecim, quæ triginta dierum fine in ſe redeunt, fixis regulis invenias annotatas, decemnovennalem quoque recurſum, & Paſchales quartas decimas Lunas eaſdem omnium ævorum revolutione reperias; tamen tenorem ſimilem conſtantiæ nequeunt cuſtodire concurrentes Dies *hebdomadum* [*i*], & dies Paſchæ *Domini*, (*k*) Lunaque ipſius Diei Dominici. Concurrentium (*l*) *autem* * *hebdomadum* ratio, quæ de Solis curſu provenit † *ſepteno* (*m*) annorum jugi circuitu terminatur. In quo per annos ſingulos unum numerare curabis, in eo tantummodo anno, in quo Biſſextus fuerit, duos adjicies, quæ cauſa etiam facit, ut non per omnia circulus iſte nonaginta *quinque* (*n*) annorum ſuo recurſui concordare videatur. Nam cum in cæteris annis non diſſentiat, in *illis* (*o*) ſolis, in quibus ſe Biſſextus interſerit, Paſcha Do-

(*a*) Vat. Cod. *In nomine Dei ſummi. Incipit epiſtola Dionyſii exigui ad Petronium de ratione Paſchæ Domino &c.* (*b*) Vat. *deſiderantiſſimo*. (*c*) Vat. CCCXVIII. (*d*) Vat. *Arris* Vid. quæ ſupra in Vict. pag. 94. & alibi Bucherius. (*e*) Vat. *a cunctis*. * al. *reponuntur*. (*f*) Vat. *repetuntur*. (*g*) Vat. *b* (*h*) Vat. *ſaculari*. (*i*) Vat. *deſpicientes*. (*k*) Vat. *nuncq;* (*l*) Vat. *&* *Dominicum*. * al. *ordientes*. (*m*) Vat. *ordinantes*. (†) Vat. *Archiepiſcopi*. (*n*) Vat. *Anathaſius*. * al. *&* *ipſe*. (*o*) Vat. *etiam ipſi*. (*p*) Vat. *reverenda*. (*q*) Vat. *diſceſſerunt immo potius*. (*r*) Vat. *ciclum*. (*ſ*) Vat. *ennacaidecerida*. (*t*) Vat. XIIII. (*u*) Vat. *ſcire*. (*x*) Vat. *adſcribendum*. (*y*) Vat. XCII. h. (*z*) Vat. *ciclum aut ſeu*. (*a*) Vat. eo legitur in codice, ſed punctulis ſignato, ut obliterandum denotat. (*b*) Vat. *ſuperant'*. (*c*) Vat. Quo. (*d*) Vat. CLIII. (*e*) Vat. per *annos ſingulos unum numerare curabis in eo tantummodo anno. Nos a* CCXLVIII. *anno ejuſdem &c.* Alio charactere ſed æque vetuſto. (*f*) Vat. *noluimus*. (*g*) Vat. *eluceret*. (*h*) Vat. XCV. (*i*) Vat. *ſeptimus* (*k*) Vat. *Dominicus* (*l*) Vat. h *ſeptimanae*. * al. *ſeptem dierum*. † al. *ſeptem*. (*m*) Vat. *Septeno*. (*n*) Vat. *&* V. (*o*) Vat. *hae*.

Dominicum cum ſua Luna vario modo rationis occurrit. Sed hi qui ordine fixo per omnia decurrunt tempora, mobilium *caſuum* (a) ſua ſtabili circuitione ſine ulla poſſunt difficultate dirigere. Et ideo poſt expletionem nonaginta quinque annorum, cum harum rerum diligens ad exordium redire voluerit; non ad quintum cyclum Sancti Cyrilli, quem nobis neceſſario propoſuimus, ſed ad noſtrum primum vigilanter excurrat, & ordine quo diximus, per eos, qui firmum curſum retinent, eorum progreſſum, qui videntur titubare, ſuſtentet.

Illud quoque non minori cura notandum eſſe cenſuimus, ne primi menſis agnitione fallamur. Hinc enim pæne cunctus error diſcrepantiæ Paſchalis exoritur, dum temporis initium ignoratur. Nam cum Dominus omnipotens hanc ſacratiſſimam ſolemnitatem, celebrandam filiis Iſrael, qui ex Ægyptia ſervitute liberabantur, indiceret, ait in libro Exodi ad Moyſen & Aaron in terra Ægypti: *menſis iſte principium menſium primus erit in menſibus anni*. Itemque ibidem. *Primo*, inquit, *menſe, decimoquarto die menſis ad veſperum comedetis azyma, uſque ad vigeſimum primum ad veſperum*. In Deuteronomio quoque idem *legiſlator* (b) Moyſes ita populum de hac re commonet dicens: *Obſerva menſes* (c) *novarum frugum & verni primum temporis, ut facias Paſcha Domino Deo tuo, quoniam in iſto menſe eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto noctu* (d). Tanta hac auctoritate divina claruit, primo menſe, decimo quarto (e) *die* ad veſperum, uſque ad vigeſimum primum feſtivitatem Paſchalem debere celebrari. Sed quia menſis *hic* (f) unde ſumat exordium, vel ubi terminetur, evidenter ibi non *legitur* (g) præfati trecenti & octodecim Pontifices, antiqui moris obſervantiam, & exinde a Sancto Moyſe traditam, ſicut in ſeptimo libro Eccleſiaſticæ *refertur* (h) hiſtoriæ, ſolertius inveſtigantes; ab octavo Idus Martii, uſque *in* (i) diem Nonarum Aprilium, natam lunam facere dixerunt primi menſis *exordium* (k): & a duodecimo *die* (l) Kalendarum Aprilium uſque in decimum quartum Kalendas Maias Lunam decimam quartam ſolertius inquirendam. Quæ quia cum Solis curſu non æqualiter *volvitur* (m), tantorum dierum ſpatiis occurſum vernalis æquinoctii conſequatur: *qui* (n) a duodecimo Kalendarum Aprilium die, cunctorum orientalium ſententiis, & maxime Ægyptiorum, qui calculationis præ omnibus gnari ſunt, ſpecialiter annotatur. In quo etiam, ſi Luna decima quarta Sabbato contigerit (*quod* (o) ſemel in nonaginta quinque annis *accidere* (p) manifeſtum eſt) ſequenti die Dominico, id eſt undecimo Kalendas Aprilis, Luna decimaquinta, celebrandum Paſcha, eadem Sancta Synodus ſine ambiguitate firmavit. Hoc modis omnibus admonens, ut ante duodecimum Kalendas Aprilis Lunam decimamquartam (q) *Paſchalis feſti* nullus inquireret; *quam* (r) non primi menſis, ſed ultimi eſſe conſtaret.

Exod. XII, 2. Ibid. 18.

Deuter. XVI, I, & ſeqq.

Sed nec hoc prætereundum eſſe putavimus, quod nimis errant, qui Lunam peragere curſum ſui circuli triginta dierum ſpatiis æſtimantes, duodecim Lunares menſes in trecentis ſexaginta diebus annumerant, quibus etiam quinque dies adjiciunt, quos *intercalares* (s) appellavit antiquitas, ut Solarem annum adimplere videantur. Cum diligens inquiſitio veritatis oſtendarit in duobus Lunæ circulis non ſexaginta dies, ſed quinquaginta novem debere numerari. Ac per hoc in duodecim Lunaribus menſibus trecentorum quinquaginta quatuor dierum ſummam colligi, cui epactas Ægyptii annuas, id eſt undecim dies accomodant: ut ita demum Lunaris * emenſio (t) rationi Solis *adæquetur* (u). Quod veriſſimum eſſe, atque certiſſimum ſupraſcriptorum Patrum ſententia comprobatur; qui, juxta *hanc* (x) Ægyptiorum calculationem quartas decimas Lunas Paſchalis obſervantiæ tradiderunt. Sed nonnulli tantæ ſubtilitatis ſive potius ſanctionis ignari, dum alia ſupputationis argumenta perquirunt, a veritatis tramite *recedunt*. (y) Unde plerumque *contingit*, (z) ut quando ſæpe dicti Patres decimam quartam Lunam poſuit, eam iſti decimam quintam ſuſpicientur; & quæ vigeſima prima eſt, vigeſimam ſecundam eſſe pronuntient. Sed nobis quibus amor, & cura eſt Chriſtianæ *religionis* (a) nulla prorſus oportet ratione diſcedere; ſed præfixam ab his Paſchalem regulam ſinceriſſima convenit *obſervatione* (b) ſervare.

Quanta vero in Eccleſiis toto terrarum orbe diffuſis horum Patrum nitamur auctoritate non labor eſt oſtendere; * cum *ſecundum* (c) *Concilium apud Nicæam* poſt tempora non longa conveniens, eorum primitus definitionem, quam de Paſchali ratione protulerant, nullo modo violandam eſſe cenſuerit. Denique in Sanctis Canonibus ſub titulo ſeptuageſimo nono, qui eſt primus ipſius Antiocheni Concilii, his verbis invenitur expreſſum: *Omnes qui auſi fuerint diſſolvere definitionem ſancti & magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum eſt, ſub præſentia piiſſimi & venerandi Principis Conſtantini, de ſalutifera ſolemnitate Paſchali, excommunicandos, & de Eccleſia pellendos* (d) *eſſe cenſemus; ſi tamen contentioſi*, (e) *adverſus ea quæ bene ſunt decreta perſtiterint. Et hæc quidem de laicis dicta ſint. Si quis autem eorum, qui præſunt Eccleſiæ aut Epiſcopus aut* (f) *presbyter, aut diaconus, poſt hanc definitionem tentaverit* (g) *ad ſubverſionem populorum, & Eccleſiarum perturbationem ſeorſim colligere*, (h) *& cum Judæis Paſcha celebrare; ſancta Synodus* (i) *hunc alienum jam hinc ab Eccleſia judicavit, quod non ſolum ſibi, ſed* (k) *pluribus cauſa corruptionis ac perturbationis extiterit*. (l) *Nec ſolum a miniſterio tales removet; ſed etiam illis* (m) *qui poſt damnationem hujuſmodi communicare tentaverint damnati* (n) *ſunt, omni quoque extrinſecus honore* (o) *privati, quem ſancta regula, & ſacerdotium Dei promeruit*. His non *diſſimilia* (p) Venerabilis Papa Leo Sedis Apo-

(a) Vat. *caſum*. (b) Vat. *lator legis*. (c) Vat. *menſem*. (d) Vat. *nocte*. (e) Vat. *die menſis*. (f) Vat. *iſte*. (g) Vat. *intelligitur*. (h) Vat. *fertur*, (i) Vat. *ad* (k) Vat. *initium*. (l) Vat. deeſt: *die*. (m) Vat. *evolvitur*, (n) Vat. Quin. (o) Vat. *qui* (p) Vat. *accedere* (q) Vat. *Paſchali feſto*. (r) Vat. *qua*. (s) Vat. *inter Kalares*. * al. *demenſio*. (t) Vat. *emenſio*. (u) Vat. *adæquatur*. (x) Vat. deeſt: *hanc*. (y) Vat. *receſſerunt*. (z) Vat. *contigit*. (a) Vat. *religionis a tantorum Pontificum conſtitutione nulla oportere ratione diſcedere; ſed præfixam &c.* (b) Vat. devotione. * al. *cum ſanctum Concilium apud Antiochiam poſt tempora &c.* rectius, ut ex ſequentibus videtur, Bucherius. (c) Vat. *Scm. Concilium apud Antiochiam poſt tempora &c.* (d) Vat. *Expellendos de Eccleſia*. (e) Vat. *contentioſius*. (f) Vat. *prespiter*. (g) Vat. *temptaverint*. (h) Vat. *ſeorſum collegere*. (i) Vat. *Senodus*, (k) Vat. *ſed etiam*. (l) Vat. *extiterit non ſolum a miniſterio*. (m) Vat. *illos*. (n) Vat. *damnatas hautem* (nempe *damnat hoc autem*) (o) Vat. *privatque*. (p) Vat. *diſſimilia* Leo epiſt. LV. ad Pulcheriam Auguſtam. Ibi vero S. Leo non de Paſchalibus decretis agit, ſed de diœceſeon limitibus, quos innovare volebat Anatolius CPolitanus Epiſcopus. Vide epiſtolam. Bucherius

Digitized by Google

Apoſtolicæ Præſul pronuntiat, dicens: *Contra ſtatuta canonum paternorum, quæ ante longiſſima ætatis annos in* (a) *urbe Nicæa* (b) *ſpiritalibus ſunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur: seu ut ſi quis diverſum quid velit* (c) *decernere* (d) *ſe potius* (e) *minuat, quam illa corrumpat. Quæ ſi ut oportet a cunctis Pontificibus intemerata ſerventur, per univerſas Eccleſias pax erit, & firma concordia. Et iterum: In omnibus, inquit,* (f) *Eccleſiaſticis cauſis, his legibus obſequimur,* (g) *quas ad pacificam obſervantiam omnium ſacerdotum per trecentos octodecim Antiſtites* (h) *Spiritus* Sanctus inſtituit: ita ut etiamſi multo plures aliud quam *illi ſtatuere, decernant, in nulla reverentia ſit habendum, quidquid fuerit a prædictorum conſtitutione diverſum.*

Sufficienter ut putamus, cunctis *indicitur* (†) ne deinceps aliter, quam a ſanctis conſtitutum eſt Patribus, Sacratiſſimum Paſcha celebretur. Quod ſi teſtimonia tantorum Sacerdotum forſitan quis obſtinata mente *deſpexerit* (*) etiam in (i) hiſtoria Eccleſiaſtica paria breviter intimata *reperiet*; (k) multorumque *relatione* (l) Pontificum, & maxime beati *Athanaſii*, (m) cujus ſupra meminimus, hæc eadem vulgata cognoſcet. Idipſum *vero* (n) epiſtola Sancti Proterii Alexandrinæ urbis Epiſcopi, ad eundem Papam Leonem pro hac eadem Paſchali quæſtione directa teſtatur quam ante hos annos transferentes e Græco, huic operi *adnectendam* (o) eſſe * perſpeximus, necnon & argumenta Ægyptiorum ſagacitate quæſita ſubdidimus; quibus, ſi forſitan ignorentur, Paſchales tituli *poſſint* (p) facile reperiri: ideſt quotus ſit annus ab Incarnatione Domini * *& quota* ſit indictio, quotus etiam lunaris circulus, ſive (q) decemnovennalis exiſtat; † *cæterique* (r) *ſimili* ſupputationis compendio *requirantur* (s). Orantem pro nobis Beatitudinem veſtram Divina gratia cuſtodire dignetur.

Epiſtola II. Dionyſii de ratione Paſchæ.

Dominis (t) a me plurimum venerandis Bonifacio primicerio Notariorum, & Bono ſecundicerio, Dionyſius exiguus *ſalutem* (u).

* *Obſervantiæ* (x) Paſchalis regulam, diu Sancto ac venerabili Petronio *Epiſcopo* (y) commonente, tandem ſtilo commendare compulſus, omnem deinceps diverſitatis *oppugnationem* (z) ſublatam fore credideram; maxime quod ſanctorum trecentorum octodecim *Antiſtitum* (a), qui apud *Nicæam* (b) *convenerant*, auctoritatem totis niſibus inſinuare curaveram; qui in ipſo concilio venerando decemnovennalem cyclum regulariter affigentes, quartas decimas Lunas Paſchalis obſervantiæ per omnia tempora *legi* (c) ſuæ revolutionis immobiles annotaverunt. Sed quoniam Sanctitas veſtra, orta rei hujus quæſtione, de archivio Romanæ Eccleſiæ Paſchaſini venerabilis Epiſcopi ſcripta, quem conſtat pro perſona Beatiſſimi Papæ Leonis ſancto *Chalcedonenſi* (d) præſediſſe Concilio, ad eundem Papam per idem tempus directa nunc protulit, quæ ſanctis patribus evidenti ratione conſentiunt, *huic* (e) præſenti indidimus operi, ut hujus etiam viri teſtimonio uteremur, qui manifeſto miraculo venerabilium Pontificum Paſchalia decreta confirmat. *Quod* (f) vero *in* (g) ſcriptis ipſis *communium* (h) annorum & emboliſmorum mentio facta eſt, & a nonnullis hæc ratio, quæ ex Æbræorum, ut fertur, traditione deſcendit, magnopere quæritur, ſcire volentibus, * utrum huic * *Paterna* (i) *regula* conſonare videatur; neceſſarium duximus, & hanc notitiam, ne probetur in aliquo *diſſidere* (k) coacta brevitate digerere.

Noverimus itaque, quia idem decemnovennalis cyclus per Ogdoadem & Endecadem ſemper in ſe revolvitur. Octo namque & undecim ipſe numerus explicatur. Ogdoas ergo, quæ incipit a primo decemnovennali cyclo, qui eſt Lunaris decimus ſeptimus, hac ratione peragitur, ut annos primum & ſecundum, communes, ideſt minores habeat, tertium Emboliſmum, ideſt majorem; annum quartum & quintum item communes, ſextum Emboliſmum, ſeptimum communem, octavum Emboliſmum. Ac per hoc *Ogdoadis* (l) *communes* anni quinque, & tres Emboliſmi jugiter adſcribuntur. Communis autem annus duodecim Lunares menſes colligit, qui dies trecentos quinquaginta quatuor efficiunt. Emboliſmus autem annus, & (m) *Lunas* tredecim, & dies trecentos octoginta quatuor habere monſtratur. Item Hendecas hac lege *diſcurrit* (n). Incipit nono anno cycli decemnovennalis, qui eſt lunaris ſextus, cujus primus & ſecundus annus communis eſt, tertius Emboliſmus; quartus & quintus communis, ſextus Emboliſmus; ſeptimus & octavus communis, nonus Emboliſmus; decimus communis, undecimus Emboliſmus; ſicque Hendecas communibus annis ſeptem, Emboliſmis *quatuor* (o) terminatur. Emboliſmorum autem iſta ratio probatur exiſtere, quia annorum communium videtur damna ſupplere: quatenus ad Solare tempus Lunaris exæquetur excurſio. Quamvis enim *anni Solaris circulum* (p), per ſingulos menſes Luna circumeat, tamen ejus perfectionem duodecim ſuis menſibus implere non prævalet. Denique in annis communibus ad rationem Solaris anni, undecim dies deeſſe cernuntur. In Emboliſmis vero novemdecim diebus eumdem annum videtur Solarem Luna tranſcendere. Quapropter Ogdoadis, & Hendecadis annos, juxta præfati circuli ordinem, in medium proferamus; & liquide probabimus, per octo annos & undecim, Lunæ curſum cum Sole contendere: quando tot dies (q) *illa* colligit, quot ille cucurrerit.

In Ogdoade diximus quinque annos eſſe communes, tres Emboliſmos. Quinquies ergo trecenteni quinquageni quaterni fiunt mille ſeptingenti ſeptuaginta; & tertrecenteni octogeni quaterni, mille centum quinquaginta duo, ac per hoc ſimul fiunt bis mille nongenti viginti duo. Similiter octo anni Solares, ſi in ſummam redi-

(a) Vat Deeſt: *in* (b) Vat. *Necea* (c) Vat. *vellit* (d) Vat. *diſcernere*. (e) Vat. *putius* (pro *potius*). (f) Vat. *in quid*. (g) Vat. *obſequitur*. (h) Vat. *antiſtites*. (†) Vat. *indecis*. (*) Vat. *deſpexerit*. (i) Vat deeſt: *in*. (k) Vat. *reperiret*. (l) Vat. *revolutione*. (m) Vat. *Anathaſii epiſcopie*. (n) Vat. *vero ſcilicet proteri Epiſtola Alexandrina &c.* (o) Vat. *nectandam*. * al. *proſpeximus*. (p) Vat. *poſſunt*. * Vat. Cod. *noſtri Jeſu Chriſti, & quæ*. (q) Vat. *qui*. † al. *cæteraque ſimilia*. (r) Vat. *Cæteriaque ſimules*. (s) Vat. *requirentur*. (t) Vat. Cod. *Incipit diſputatio Dionyſii exigui. Dominis &c.* (u) Vat. deeſt: *Salutem*. * al. *Reverentia* non bene Bucherius. (x) Vat. *Reverentia*. (y) Vat. *epiſcopus*. (z) Vat. *obpugnantium*. (a) Vat. *Anteſtitum* (b) Vat. *Necenus convenerunt*. (c) Vat. *lege*. (d) Vat. *Calcidonenſi*. (e) Vat. *hac* (f) Vat. *quia*. (g) Vat. deeſt: *in*. (h) Vat. *communium*. * Vat. Cod. *Veritatem*. * al. *Paterna regula*. (i) Vat. *regula paterna*. (k) Vat. *deſedere* (l) Vat. *Ogduadis communes*. (m) Vat. *Lunares* XIII. *menſes, & dies* CCCLXXXIIII. (n) Vat. *decurrit*. (o) Vat. *vero quatuor*. (p) Vat. *Sole annuum cielum*. (q) Vat. *iſta*.

Digitized by Google

gantur, ideſt octies trecenti ſexageni quini; & (a) *quadrans faciunt* ſimul bis mille nongentos viginti duos. Simili modo & Hendecadis annos, qui ſunt communes ſeptem, & *quatuor* (b) Emboliſmi ſi in Summam ea qua diximus ſupputatione congeſſerit, tantumdem pæne raperies, quantum undecim Solares anni conficiunt; hoc eſt, quater mille quatuordecim. Hæc eſt ergo Emboliſmorum, ſicut prædiximus, ratio, ut incrementis ſuis communium annorum detrimenta compenſent.

Sed jam pulcherrimam vobis atque præclaram collectionem *ipſius* (c) cycli decemnovennalis oſtendam, per quam omnem deinceps ambiguitatem, ſi qua mota fuerit, auferatis, nec ſit ita quis nimio ſtupore perculſus, qui demonſtrata ſibi veritatis luce non gaudeat, & ignorantiæ relictis tenebris, tantæ rationi protinus *non* (d) acquieſcat.

Beda de rat. temp. cap. XL. Bucherius

A decima quinta Luna Paſchalis feſti, anni verbi gratia præcedentis, uſque ad decimam quartam ſequentis, quod quærimus, ſi communis annus eſt, trecentos quinquaginta quatuor dies habebit; ſi Emboliſmus, trecentos octoginta quatuor. Quod ſi dies unus plus minuſve contigerit, evidens error eſt. Excepto videlicet anno primo ſæpe dicti decemnovennalis cycli, quem a decima quarta Luna Paſchæ ultimi ideſt nonidecimi anni, uſque ad decimam quartam ejuſdem primi numerare * *curamus*. Propter quod idem ultimus Epactas, ideſt adjectiones Lunares, octodenas tunc retinens, primo anno non undecim, ut cæteris annis fieri ſolet, ſed duodecim dies accommodat. Et quia triginta dierum fine volvuntur, nulla Epacta in principio ipſius cycli ponitur; ſecundus autem annus Epactas undecim ſuſcipit: & ideo ſicut diximus, a decima quinta Luna Paſchæ primi cycli, uſque ad finem ejus, in communibus & Emboliſmis annis præfixos dies nos invenire, non dubium eſt. Quod ſi aliter aliquando calculantium imperitia fuerit fortaſſis expoſitum, hac obſervantia ratiocinationis eorum falſitas arguetur.

Atque ut hoc manifeſtius poſſit intelligi, præſentis anni monſtremus exemplo. Indictio quippe quarta eſt, & Lunaris circulus undecimus, decemnovennalis cyclus decimus quartus. Et quoniam Hendecadis ſextus annus eſt, eum Emboliſmum eſſe neceſſe eſt. A decima quinta itaque Luna præteriti feſti, uſque ad decimam quartam præſentis, quot ſunt dies diligentius inquiramus: & inveniemus procul dubio, quando Paſcha celebrare *debeamus* (e). Tranſacto anno per Indictionem tertiam in Paſcha Lunam decimam quartam nono Kalendarum Aprilium die, ideſt, vigeſimo quarto menſis Martii fuiſſe, quis dubitet, qui curam hujus rei habere quantulumcumque cognoſcitur. Et ideo ab octavo Kalendarum Aprilium die numerandi ſumamus exordium; habemus Martii dies ſeptem, Aprilis triginta, Maii triginta & unum, Junii triginta, Julii triginta & unum, Auguſti triginta & unum; Septembris triginta, Octobris triginta & unum, Novembris triginta, Decembris triginta & unum, Januarii triginta & unum, Februarii viginti octo, Martii triginta & unum, Aprilis duodecim dies quod eſt pridie Idus Aprilis. Fiunt ſimul trecenti octoginta quatuor. Quod ſi juxta eorum diffinitionem * qui Lunam aliter, quam ſe veritas

Anno Christi 525. Cyclo Lunæ Alexand. XIII. litteræ Dominicali E. Bucherius.

habet, computant, decimam quartam non pridie Iduum Aprilium, ſed tertio Iduum demus occurrere; trecentos octoginta tres dies imminuto numero *colligemus* (f), quod nullo fieri pacto conceditur.

Et ita ſemper quotiens dubitatio talis occurrerit, a decima quinta Luna tranſactæ feſtivitatis, uſque in decimam quartam Paſchæ, quod quærimus, dies ſollicite computemus. Et ſi communis annus eſt, trecentos quinquaginta quatuor dies; ſi Emboliſmus eſt trecentos octoginta quatuor inveniemus; nec * *inæqualitas* (g) prorſus eveniet: quia regula cycli hujus hac ratione ſubſiſtit, cujus enucleatam formulam ſubjecta deſcriptione pandemus.

Anno decemnovennali primo, Lunari decimo ſeptimo, a decimo quinto Kalendas Maii, uſque Nonas Aprilis, quia communis annus eſt, ſunt dies trecenti quinquaginta quatuor.

Anno decemnovennali ſecundo, Lunari decimo octavo, ab octavo Idus Aprilis, uſque ad octavum Kalendas Aprilis, quia communis eſt, ſunt dies trecenti quinquaginta quatuor.

Anno decemnovennali tertio, Lunari decimo nono, a Septimo Kalendas Aprilis, uſque in Idus Aprilis, quia Emboliſmus eſt, fiunt dies trecenti octoginta quatuor.

Anno decemnovennali quarto, Lunari primo, a decimo octavo Kalendas Maii, uſque in quartum nonas Aprilis, quia communis eſt, fiunt dies trecenti quinquaginta quatuor.

Anno decemnovennali quinto, Lunari ſecundo, a tertio Nonas Aprilis, uſque in undecimum Kalendas Aprilis, quia communis eſt, fiunt dies trecenti quinquaginta quatuor.

Anno decemnovennali ſexto, Lunari tertio, a decimo Kalendas Aprilis, uſque in quartum Idus Aprilis, quia Emboliſmus eſt, fiunt dies trecenti octoginta quatuor.

Anno decemnovennali ſeptimo, Lunari quarto a tertio Idus Aprilis, uſque in tertium Kalendas Aprilis, quia communis eſt, fiunt dies trecenti quinquaginta quatuor.

Anno decemnovennali octavo, Lunari quinto, a pridie Kalendas Aprilis uſque in decimum quartum Kalendas Maii, quia Emboliſmus eſt, fiunt dies trecenti octoginta quatuor.

Anno decemnovennali nono, Lunari ſexto, a decimo tertio Kalendas Maii, uſque in ſeptimum Idus Aprilis, quia communis eſt, fiunt dies trecenti quinquaginta quatuor.

Anno decemnovennali decimo, Lunari Septimo, a ſexto Idus Aprilis, uſque in ſextum Kalendas Aprilis, quia communis eſt, fiunt dies trecenti quinquaginta quatuor.

Anno decemnovennali undecimo, Lunari octavo, a quinto Kalendas Aprilis, uſque in decimum ſeptimum Kalendas Maii, quia Emboliſmus eſt, fiunt dies trecenti octoginta quatuor.

Anno decemnovennali duodecimo, Lunari nono, a decimo ſexto Kalendas Maii, uſque in pridie Nonas Aprilis, quia communis eſt, fiunt dies trecenti quinquaginta quatuor.

Anno decemnovennali decimo tertio, Lunari decimo, a Nonis Aprilis uſque in nonum Kalendas Aprilis, quia communis eſt, fiunt dies trecenti quinquaginta quatuor.

Anno decemnovennali decimo quarto, Lunari undecimo, ab octavo Kalendas Aprilis, uſque in ſecundum Idus Aprilis, quia Emboliſmus eſt, fiunt dies trecenti octoginta quatuor.

Anno

(a) Vat. *quadrantes ſunt*. (b) Vat. III. (c) Vat. *iſtius*. (d) Vat. deeſt: *non*. * al. *cauſavimus*. (e) Vat. *debemus*. * Lunarem Victorii cyclum V, hic notat; quem ad Martii 29, appoſuimus uno ante cyclum Alexandrinorum XIV. die recte ad Dionyſii mentem. Bucher. (f) Vat. *colleguntur*. * al. *inæqualiter*. (g) Vat. *inæqualiter*.

Google

Anno decemnovennali decimo quinto, Lunari duodecimo, ab Idibus Aprilis, uſque in Kalendas Aprilis, quia communis eſt, fiunt dies trecenti quinquaginta quatuor.

Anno decemnovennali decimo ſexto, Lunari decimo tertio, a quarto Nonas Aprilis, uſque in duodecimum Kalendas Aprilis, quia communis eſt, fiunt dies trecenti quinquaginta quatuor.

Anno decemnovennali decimo ſeptimo, Lunari decimo quarto, ab undecimo Kalendas Aprilis, uſque in quintum Idus Aprilis, quia Emboliſmus eſt, fiunt dies trecenti octoginta quatuor.

Anno decemnovennali decimo octavo, Lunari decimo quinto, a quarto Idus Aprilis, uſque in quintum Kalendas Aprilis, quia communis eſt, fiunt dies trecenti quinquaginta quatuor.

Anno decemnovennali decimo nono, Lunari decimo ſexto, a tertio Kalendas Aprilis, uſque in decimum quintum Kalendas Maii, quia Emboliſmus eſt, fiunt dies trecenti octoginta quatuor.

Digitized by Google

Digitized by Google

P. ANTONII PAGI
IN CRITICAM BARONII
PRÆFATIO AD LECTOREM.

I. *Onuphrius Annales Eccleſiaſticos meditabatur.*

SEculo proxime elapſo, quo ſuperiorum temporum infelicitate, Majorumque negligentia, Eruditio pene conſepulta ex ſuis veluti favillis reviviſcere cœpit, altas, quas dudum miramur, radices actura, ea præcipuam in defœcanda ac integritati ſuæ reſtituenda Hiſtoria operam collocavit. Cujus notitia cum ad omnes egregias artes ac diſciplinas conſequendas plurimum conducat, ad Eccleſiæ doctrinam perdiſcendam multo magis neceſſariam eſſe, non eſt cur heic demonſtrare ſatagam; quod penes omnes æque convenit, qui res Eccleſiaſticas illotis, ut aiunt, manibus non attrectarunt. Id ipſum Sectarios præjudicaſſe, dum novos errores priſcis ac depravatis Antiquitatis documentis propaginare machinati ſunt, neminem latere exiſtimo. Verumtamen ex eorum conatu ſtudioque illud inter alia plurima non poſtremum in Eccleſiam Catholicam redundavit emolumentum; quod exinde de ſincera ejus Hiſtoria per omnes ſuas ætates digerenda concinnandaque ſerio cogitatum eſt. Ad tantum opus, antea intentatum, expediendum duo ſummi Viri, quorum fama celebritaſque numquam deficient, præſto adfuerunt, quaſi valentiſſimi pugiles, qui in hac ſacra palæſtra primi præcipuique mererentur, *Onuphrius* ſcilicet *Panvinius*, Auguſtinianæ Familiæ decus, & *Cæſar Cardinalis Baronius*, Congregationis Oratorii a Sancto Philippo Nerio tum recens inſtitutæ, ac Sacri Collegii lumen & ornamentum. Et quidem Onuphrius ex Romanæ Hiſtoriæ Scriptoribus, Tabulis Capitolinis, inſcriptis Lapidibus, ac Imperatorum Nummis jam faſtos Conſulares non minori labore quam laude elucubrarat: tempora poſt Juſtinianum Auguſtum uſque ad Albertum Romanorum Regem primore manu & opera informarat: Chronicon Eccleſiaſticum, aliaque plura egregia Opera in lucem emiſerat; cum anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octavo, ætatis vero triceſimo nono, magno Hiſtoriæ, tum Eccleſiaſticæ, tum Romanæ detrimento, mortalitatem explevit.

II. *Quod Onuphrius meditabatur, Baronius executus eſt.*

Natus tunc erat Baronius annos ferme triginta, jamdiuque a Sancto Philippo Nerio electus fuerat, qui Magdeburgenſium Centurias adverſus Eccleſiam Catholicam ſcriptas refelleret. Quem, dum Onuphrius viveret, idem conſilium mente concepiſſe diſcimus ex iis, quæ in vita S. Philippi lingua Italica ac typis Romanis MDCXXXI. excuſa, lib. 1. cap. 13. leguntur: *Gli parve una notte in ſogno* (de Baronio auctor loquitur) *di diſcorrere inſieme con Onofrio Panvino, il quale in que' tempi andava anch'egli mettendo inſieme l'Iſtoria Eccleſiaſtica: e ragionando ſeco di ciò, che Filippo gli aveva impoſto, lo pregava con grandiſſima iſtanza, che voleſſi egli dar compimento all'incominciata impreſa. Hor mentre il Baronio tutto anzioſo diceva queſte parole: Gli parve che Onofrio non lo voleſſe altrimente aſcoltare; ma ſi voltaſſe altrove, e volendo pure il Baronio ſeguitare il ſuo diſcorſo, e moſtrarli con ragioni, che a lui s'apparteneva per ogni riſpetto di comporre gli Annali, ſentì ſenſibilmente e diſtintamente la voce del S. Padre, che gli diſſe: Quietati Baronio, e non ti affaticare più in queſto ragionamento, perche l'Iſtoria Eccleſiaſtica l'ha da far tù, e non Onofrio.* Poſtquam itaque Baronius eo in Opere annos triginta inſumſiſſet, præmiſſis auſpicii vice *Notationibus ad Martyrologium Romanum*, primum Annalium Eccleſiaſticorum Tomum publicavit, tanto omnium applauſu, ut fuerint etiam ex Proteſtantibus, qui ejus diligentiam, fidem, eruditionem, judicium commendarint. Et revera tam in eo, quam in ſequentibus tomis undecim innumeras difficultates, quæ antea diſſolvi non poſſe credebantur, enodavit; complura denſis tenebris circumfuſa in manifeſtam lucem eduxit; tantumque rerum Eccleſiaſticarum cognitionem promovit, quantum ante eum nemo.

III. *Annales rerum narratione & temporum conſignatione conſtant.*

Verum cum eo labore Centuriatorum vires penitus enerventur, ſumta inde a quibuſdam Proteſtantibus anſa adverſus Baronium varios libros ſcribendi, qui ſtatim a Catholicis ſolide confutati ſunt. Non eſt tamen, quod quis exiſtimet, ex hujuſmodi concertationibus Annales Eccleſiaſticos aliquam lucem accepiſſe; cum fere omnia, quæ inter utroſque agitata fuere, externa & Annalibus Eccleſiaſticis adventitia ſint. Hoc enim tanquam certum principium ponendum, eos ex Hiſtoria, ſeu rerum in Eccleſia geſtarum, vel quæ cum iis connexionem aliquam habent, narratione tamquam ex materia, ex Chronologia vero ac recta conſignatione temporum, quibus res, quæ referuntur, peractæ, tanquam ex forma conſtare: & quæcumque alia in iis contenta cujuſvis momenti ſint, ea tantum tanquam corollaria & auctaria

ria

ria quædam eſſe ſupra id quod Annalibus neceſſarium, debitumque, adjecta; Eccleſiaſticæ enim Hiſtoriæ hoc quidem probant, ut ſcribit Lanfrancus in Commentario de Euchariſtia adverſus Berengarium, *quod hanc Fidem quam nunc habemus, omnes Fideles qui nos præceſſerunt, a priſtis temporibus habuerunt*; ſed earum non eſt id alio argumento probare, quam narratione rerum ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis in diverſis Orbis partibus actarum. Profecto tot ac tam diverſorum eventuum ſincera expoſitio, annis, quibus contigêre, illigata, campum ſatis amplum ſuppeditat, abſque eo quod opus ſit, ut Hiſtoricus Eccleſiaſticus in iis quæ tanquam aliena reputare debet, laboris & induſtriæ partem inſumat. Quæ itaque ad Fidem adverſus Hæreticos certis argumentis & auctoritatibus tuendam ſpectant, ea ad Auctores, qui de controverſiis Catholicos inter & Heterodoxos verſantibus tractarunt, aut ad Sacræ Scripturæ Interpretes rejiciat oportet. Sic ejus non eſt pertractare ad quæ ſeſe Poteſtas Eccleſiaſtica extendat, quidve in rebus Eccleſiaſticis Principibus ſecularibus liceat, ac ſimilia declarare. Hæc quippe pluraque id genus alia, nonniſi ex accidente ac ex occaſione & rarius in Annalibus Eccleſiaſticis examinanda; alioquin aliquibus ii limitibus vix circumſcriberentur, aliudque non eſſent, quam aggregatum quodpiam ex Theologia, controverſiis Fidei, ſacræ Scripturæ interpretatione, Jure Canonico, aliiſque hujuſmodi ad res ſacras pertinentibus. Mirum autem videri non debet, Baronium multum in hujuſmodi fuiſſe; cum primarius ac præcipuus, quem ſibi propoſuerat, ſcopus, eſſet confutatio *Centuriarum Magdeburgenſium*, in quibus Auctores cumularant quæcumque adverſus ſanctitatem Eccleſiæ Romanæ, auctoritatem Summorum Pontificum, omniaque Religionis Catholicæ dogmata facere ſibi videbantur. Quamobrem Operi Controverſiarum Opus mere Chronico-Hiſtoricum opponendum non erat. Quod ſi puros puros Annales Eccleſiaſticos Cardinalis non minus ſapientia ac prudentia, quam doctrina præſtans, elucubrandos habuiſſet, varia, de quibus fuſe diſſerit, leviter tantum attigiſſet.

IV. *Annales non illuſtrati a Baronii adverſariis.* Ex quibus facile quilibet intelligere poteſt, omnes qui adverſus Annales Baronii ex profeſſo ſcripſere, parum aut nihil ad eorum emendationem, ac illuſtrationem conatuiſſe, cum nec eorum materiam, nec eorum formam fere attigerint; ſed ipſis rei neglectis capitibus, acceſſionibus occupati fuerint. Quod quidem nullo negotio demonſtrari poteſt. Non longe poſt ejus mortem, quæ anno hujus ſæculi ſeptimo contigit, *Iſaacus Caſaubonus*, Vir magni apud ſuos nominis, calamum ſtrinxit in primum ejus Annalium tomum; ſed dum Theologum & Scripturæ Interpretem agit, vixque Hiſtoriam & quæ ad temporum notationem pertinent, præ oculis habet, *Exercitationes in Baronium* (ita liber ejus inſcribitur) in poſtremis habeatur. Scripſit & dedita opera in Baronium *Melchior Goldaſtus* in Commentario, quem adjecit Operi ſuo *de Conſtitutionibus Imperialibus*, ſpecie Imperii tuendi adverſus illum ac Romanos Pontifices. Sed cum Commentarius ille Politiam Eccleſiaſticam, in quo ea multifarie pervertitur, non vero Hiſtoriam & Chronologiam Chriſtianam reſpiciat, aliud ad Annalium illuſtrationem ſubminiſtrare non poteſt, quam chartas quaſdam, quas tamen is Auctor male interpretatus eſt. Omiſit Pagius *Ricardum Montacutium*, alioſque quoſdam, quos palam eſt, in libris adverſus Baronium editis, nihil quo Annales aut corrigerentur, aut amplificarentur, in medium protuliſſe, ut veniret ad *Joannem Henricum Ottium*, poſtremum Annalium Baronii impugnatorem.

V. *Præſertimque ab Ottio.* Hujus prior Tomus prodiit Tiguri anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto, ita inſcriptus: *Examen perpetuum Hiſtorico-Theologicum in Annales Cæſaris Baronii Cardinalis*. Complectitur volumen illud Centuriam primam, ſeu centum primorum Eccleſiæ annorum Hiſtoriam, quemadmodum, & alia, ab eodem Scriptore deinceps edita, Centurias ſequentes. Ubi contigit titulum illum legere, aſſerere non dubitavit Pagius, nihil ad Annalium elucidationem ab eo Opere ſperandum; cum Theologia, quæ tanquam pars illius præcipua proponitur, nec ad formam, nec ad materiam Annalium pertineat. Nec fefellit opinio: cum enim duo priores Tomi, ſeu priores duæ Centuriæ ad manus ejus venere, in Præfatione prioris hæc legit: *Quid curem hoc, vel illo anno; prius, an poſterius; hoc, vel illud negotium; hanc, vel illam rem, in qua nihil periculi, nihil fraudis geſtam? Scaligeri, Petavii, Calviſii, Bucholzeri, Helvici & aliorum Chronica in magno æſtimo: at Baronium me tractare, atque res ipſius me ſpectare, meminerit Lector*, Quid ſperandum ab homine, qui in Annalibus Eccleſiaſticis examinandis excutiendiſque, Chronologiæ notitiam inutilem exiſtimat, quorum tamen hæc potiſſima pars, ac veluti forma; res autem magis ſit ſua forma, quam ſua materia, & homo magis anima, quam corpus; forma, ut inquiunt Philoſophi, dante eſſe rei. Annalium Auctor res per annos ſingulos monumentis commendat, teſte Gellio lib. 5. cap. 18. indeque Tacitus præclarus Annalium Conditor: *Ni deſtinatum*, inquit, *mihi foret, ſuum quaque in annum referre*. Quare Annalium Emendator, Reformatorque, quale ſibi munus *Ottius* aſciſcere videtur, nudas res contemplari non debet, ſed ſemper cum ordine ad tempus, quo res actæ, caſque in ſuos annos reſtituere, ſi quem corri-

gît

git Auctor, eo in capite peccaverit. Denique quod prius contigit, poſtponere, & e contra, eſt ſibi, aliiſque viam detegendæ veritatis obſepire, ſeſeque & alios fraudi errorique exponere.

VI. *Ottius pſeſſimus Criticus.*

Sed qui tam depravatum de Annalium Eccleſiaſticorum forma judicium fecit, de rerum narratione melius non habuit. Loquens enim de Catholicis Scriptoribus, qui iis illuſtrandis, in illis quos edidere libris, operam dedere, ait: *Interdum quidem Tabulas prætendunt, imo forte oſtentant; at vel ficta illa ſunt & prætenſa, vel ſubreptitia a ſubornatis transfugis ſcripta, vel tandem ſenſum habent longe alium.* Paulo ante, Concilia, quæ Catholici in eorum, quæ in medium adducunt, confirmationem citant, præſertimque Romana, tanquam falſa commentitiaque ſeſe reprobare, rejicereque ſcripſerat. Quamobrem ex illis Centuriis adverſus Baronium ſcriptis nulla prorſus utilitas eſſe poteſt, neque ad ejus Hiſtoriam, neque ad ejus Chronologiam magis perficiendam.

VII. *Illuſtrationem Annalium baſſenus intentatam Auctor aggreditur.*

Quoad Catholicos, nullus ex illis fuit, qui vel unum Annalium ſeculum examinandum aggreſſus fuerit. Verum quidem eſt, *Joannem Dartis*, in Senatu Pariſienſi Advocatum, decimo circiter poſt Baronii mortem anno, Libellum compoſuiſſe, cui titulus, *Animadverſiones in Annales Eccleſiaſticos Cæſaris Baronii S. R. E. Cardinalis, & Iſaaci Caſauboni Exercitationes.* Sed Notæ eo in Opuſculo contentæ adeo numero exiguæ, ut ad duos vel tres annos Annalium emendandos, plures ſæpe requirantur. Præterquam quod circa difficultates parvi momenti fere omnes verſantur, præcipuaſque Spondanus in Epitomen ſuam luſeruit. Quando alias initum a ſe conſilium *Noeſio* Viro in rebus tum profanis, tum Eccleſiaſticis exercitatiſſimo, poſtea Cardinali, Pagius literis aperuit, reſcripſit ille, ſibi dum *Chriſtianus Lupus*, ejuſdem Sodalitii Auguſtiniani celebris Scriptor, in vivis eſſet, eandem Annalium emendationem in mentem veniſſe; ſed quod ſciret, illum idem conſilium meditari, alio ſeſe animo ac cogitatione convertiſſe. Cum itaque videret nobiliſſimum argumentum a nemine occupatum, operæ pretium ſe facturum exiſtimavit, ſi illud ſibi ſumeret. *Etſi autem nos* (inquit Pagius) *ejuſmodi operi impares eſſe non ignoramus*, ut antiqui Scriptoris anonymi in Vita Sancti Domnoli Cenomanenſis ſexto *Eccleſiæ ſeculo Epiſcopi verbis utar, *quippe cui eſt ingenii, eloquentiæ, & eruditionis anguſta ſuppellex: attamen ſatius fore arbitrati ſumus, vel exiliter dicere ea pauca quæ novimus, quam cum ſervo pigro & deſidioſo* (Matthæi 25.) *pro retenta domini pecunia in damnationis diſcrimen adduci.* Quantum enim ad Eccleſiæ utilitatem & Eruditionis augmentum hoc Opus neceſſarium ſit, in Epiſtola nuncupatoria ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Archiepiſcopum Pariſienſem, cui illud acceptum referri debet, jam indicavit.

VIII. *Emendationes aliorum in hanc Criticam translata.*

Porro plura ab Auctoribus, qui poſt Baronii mortem ſcripſere, in peculiaribus Tractatibus, Operibuſque Criticis, aut Chronologicis annotata; quæ poſtquam momento ſuo expendit, ſparſim in hanc Criticam inſeruit, ubique imitatus ingenuitatem Nepotiani, de quo Hieronymus ad Heliodorum ſcribit: *Illud, ajebat, Tertulliani, iſtud Cypriani, hoc Lactantii; illud Hilarii eſt; ſic Minutius Felix; ita Victorinus: in hunc modum eſt locutus Arnobius. Me quoque, quia pro ſodalitate avunculi diligebat, interdum proferebat in medium*, dum ſcilicet adhuc Hieronymus viveret, nondumque ampliſſima illa laudum præconia, quæ poſtea, conſecutus eſſet. Nullus enim ſua laude fraudandus; quod tam de Scriptoribus Orthodoxis, quam de Proteſtantibus intelligi voluit. Ex his multi Hiſtoriæ & Chriſtianæ Chronologiæ difficultatibus expediendis in privatis ſuis operibus non parum laboris inſumſere, pluraque primum animadverterunt, quæ hactenus alios latuerant, quæque in hanc Criticam corrivavit, & ſuis Auctoribus attribuit. Neque enim exiſtimandum, Veritatem & Eruditionem hæreticas eſſe, ut periculum ſit iis adhærere, quæ a Viris doctis Catholicam Fidem non profitentibus, accurate ſcripta ſunt. Quod ab his itaque laudabiliter inventum, non prætermiſit; imo novis argumentis confirmavit, vel eorum conjecturas ad ſcientiam & evidentiam, quod facile ſit inventis addere, quando potis fuit revocavit. Qua in re Origenem & Hieronymum auctores habuit. Ille in fine libri octavi & ultimi contra Celſum Chriſtianæ Religionis adverſarium, inquit: *Scito, Celſum polliceri editurum ſe alium Tractatum, in quo doceatur, quomodo vivere debeant, qui volunt & poſſunt parere ipſius monitis; quem ſi non ſcripſit, quamvis promiſſum, contenti ſimus ei reſpondiſſe his octo voluminibus. Quod ſi & illud Opus ab eo perfectum eſt, quæſitum ad me mittito, ut & ad id reſpondeamus quidquid veritatis pater ſuggeſſerit, & rebellamus mendacia. Si quid autem verum admixtum fuerit, citra contentionem confirmabimus noſtro teſtimonio.* Hieronymus vero in Apologetico adverſus Rufinum: *Vir*, inquit, *doctiſſimus Euſebius, doctiſſimum dixi, non Catholicum; ne more ſolito, mihi & in hoc calumniam ſtruas.* Facit & ad eandem rem quod Ludovicus Vives; & Petrus Bleſenſis ſcripſerunt. Ille lib. 5. de tradendis diſciplinis habet: *Non erubeſcet homo ſciendi cupidus a quocumque diſcere, qui docere quid poſſit. Cur hominem ab homine pudeat diſcere; cum humanum genus multa a belluis diſcere non puduerit?* Bleſenſis etiam in Epiſtola 92. adverſus Zoilum quendam Scriptorum ſuorum obtrectatorem. *Quis fraudi*, ait,

ait, *Virgilio vertat, ſi ad ſui ornatum carminis quædam ab Homero, vel aliis mutuetur? imo gratia habenda eſt ei, quod in opus perpetuo manſuram dicta eorum tranſtulit, quos jam neglectus & viſus habebamus.* Et paulo poſt: *Denique & judicio transferendi, & modo imitandi conſecutus eſt, ut quod apud eum alienum legimus, melius ibi, quam ubi natum eſt, ſonare miremur.* Scriptores itaque tam Catholici, quam extra Eccleſiæ caſtra militantes, multas ipſi emendationes ſuppeditarunt, licet in variis Annalium locis aliquod ei ſpicilegium, in aliis vero integram meſſem reliquerint; *quam partem*, ut in ſimili, Oratorum princeps loquitur lib. 3. de Officiis, *relictam* explevit, *nullis adminiculis, ſed, ut dicitur,* ſuo *marte*.

IX. *Emendatio Annalium expetita.* Cumque omnibus, quantum fieri poteſt, debitum retribuendum ſit; quod judicii ſui teſtimonium dare dignati ſunt Eminentiſſimi Cardinales *Hieronymus Caſanata, Gregorius Barbarigo, & Laurentius de Laurea*, clariſſima Sacri Collegii lumina, de quorum pietate, ſapientia, doctrina, cæteriſque heroicis virtutibus quidquid in medium afferri poſſet, minus eſſet, heic non celavit. Illi non ſolum crebris literis benevolentiæ & amoris pleniſſimis ei ſignificarunt, jamdiu ſibi in votis fuiſſe, ut ex Literatis quis *Opus* iſtud *operoſiſſimum*, in Eccleſiæ utilitatem ceſſurum, in ſe ſuſciperet; ſed etiam hortamentis continuis ardentiſſimiſque magnos animos ſecere ad illud abſolvendum, multorumque annorum moleſtiam devorandam. Qui intelligentes, eum minutius & ſcrupuloſius omnia ſcrutati, interimque annos effluere, ne diutius eo ſubſidio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lectores defraudarentur, ut moras omnes rumperet, juſſere: ſatis vel ex hoc vulgi opinamenta prædamnantes, qui inde Baronio decrementum, imo & injuriam inuri ſomniat, unde ſapientiſſimi illi rerum æſtimatores decoris titulos accreſcere putant; cum ſi quid heic reconditi atque accerſiti deprehendatur, id pene totum in Polyhiſtoris gloriam ac celebritatem non minus refundi debeat, quam rivi in fluvium ſponte labentes; & ejuſdem Operi illuſtrando perennandoque litatum fuerit. Quod etſi jam ultro, iſtud ut auſpicatus erat, intellexiſſet, tantorum tamen Cenſorum non illi pergratum judicium eſſe non potuit, nec eorum vota ei deinceps pro lege non cedere: indeque promptum obſequium longioribus induciis antehabuit, ratus ſe id ſaltem conſecuturum, ut tam venerandis *Arbitris* non repoſceretur (quod ait Sidonius lib. 9. epiſt. 16. ad Firminum) *res omnino diſcrepantiſſimas, maturitatem celeritatemque. Nam quotiens liber quiſpiam ſcribi ſcito jubetur, non tantum honorem expectat Auctor a meritis, quantum ab obſequio.*

X. *A viris doctis promota.* Multum præterea ſe debere ſemper profeſſus eſt Nobiliſſimo & Eruditiſſimo D. Ludovico de Thomaſſin D. de Mazauguez, & Clariſſimo D. Antonio Magliabechio, Viris non minus Literatorum, quam literarum ſtudioſis, qui non ſolum quæcumque in Orbe literario ad ejus inſtitutum conducentia, geſta erant, vel gerebantur, illi identidem ſignificabant, ſed & libros, quos commode habere non poterat, ſuppeditabant. Denique multa documenta magni momenti accepit a Clariſſimo & omnigenæ eruditionis Viro D. Ludovico Du Four de Longuerue Abbate S. Joannis de Jardo ad Melodunum, & Septem Fontium in Theraſcia, circa ea præſertim, quæ Italorum, Hiſpanorum & Arabum res geſtas ſpectant. Sed pluribus libris Hiſtoriæ earum gentium deſtitutus, metuebat ne amanuenſes aliquos errores admiſiſſent, quibus ut occurreret, ex iis excerpta ad ipſum iterum tranſmittere ſibi propoſuerat, ut ante impreſſionem recognoſcerentur. Quod ſi tot doctas obſervationes eo innominato, locis ſuis inſeruit, illud ejuſdem Illuſtriſſimi Abbatis modeſtiæ adſcribendum, qui id ex eo, iteratis litteris requiſierat; a quo promiſſo cum liber ſim, hic ejus mentionem eo libentius faciendam duxi, quo Vir Doctiſſimus Auctoris Elogium conſcribere dignatus eſt.

XI. *Auctor diſſertationem Hypaticam, ut Baronius Notas ad Martyrologium præmiſit.* Fiduciam aliunde præſtitit Pagio, quod, cum ſolemne ſit ad magnos & arduos conatus, velitationibus quibuſdam ſeſe accingere, ut juxta prudens Poetæ conſilium experimento poſſit intelligi.

Quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

& hujus moris ſervans *Diſſertationem Hypaticam*, ſeu de Conſulibus Cæſareis publicavit: ea autem Eruditorum commendationem laudeſque cum retuliſſet, quaſi publicus vades ac arrhabo fuit ſuffragii operæ ſecceſſuri, quæ jam excuſſis ac probatis principiis niteretur. Qua quidem in re Eminentiſſimi *Baronii* ſigniferi ſui veſtigiis inſtitit, qui *Notationes* ſuas *ad Romanum Martyrologium*, Annalium Eccleſiaſticorum editionem, ob ſummam, quæ inter utrumque Opus intercedit, affinitatem, antecedere voluit. Animadvertit enim, rerum Eccleſiaſticarum notitiam a Romana & Byzantina Hiſtoria, quas in ea Diſſertatione illuſtrare conatus eſt, perſæpe pendere, & ipſis quadantenus implicatam eſſe. Etſi enim labor ille aliquot Criticorum, quorum querelas pro ſua in eum voluntate ei ſpeciali Epiſtola in lucem emiſſa deſerere duxit, Doctiſſimus *Henricus Noriſius* ſæpius laudandus, cenſuram moverit, cujus robore ſua omnia deturbaſſe pronuntiabant, res tamen ſecus illis ceſſit;

adeo

Digitized by Google

adeo ut Conſulatuum Cæſareorum regulas, quas ibidem ſtatuit, Oratio Themiſtii de Conſulatu Saturnini, quæ tunc nondum e tenebris prodierat, eas certas eſſe demonſtrarit, ut infra anno Chriſti CCCLXXXIII, quo Saturninus dignitatem illam geſſit, & Theodoſius Magnus Quinquennalia dedit, videbitur. Unde quia illis ipſis adhærendi major deprehenſa neceſſitas, & trita jam via in Operis iſtius ſerie, magis magiſque terenda veniebat, eaſdem regulas contra omnium molitiones, qualibet data occaſione, ſolidavit, earumque notitiam heic paucis retractavit, in eorum gratiam, ad quorum manus Diſſertatio illa non pervenit, eoque magis, quo eas ad majorem perfectionem perducere conatus eſt.

XII. *Sex regulæ Conſulatuum Cæſareorum.*

Docuit itaque, Auguſtos ac Cæſares aliis annis Conſulatum de more non iniiſſe, quam initio Imperii; in Quinquennalibus & id genus feſtis; in conſortio aliorum Imperatorum aut Cæſarum Conſulatum ſecundum eaſdem regulas ſuſcipientium; occaſione alicujus expeditionis militaris aut victoriæ reportatæ; ratione triumphi, ſi cum Quinquennalibus aut hujuſmodi ſolennils non copularetur; ac denique quam annis, quibus Ludi ſeculares celebrati. Ex quibus tamen regulis excipiendi Conſulatus, ad quos aliqui eorum ante Imperium deſignati fuerant. Claudius v. g. qui anno Chriſti XXXVII. dum adhuc privatus eſſet, Conſul ſuffectus fuit, quique teſte Suetonio in Claudio cap. 7. *ſortitus eſt & de altero Conſulatu in quartum annum*, Imperator anno Chriſti XLI. renuntiatus, alterum illum Conſulatum anno inſequenti, in quem incidebat, geſſit: ſurſumque anno XLIII. propter Imperii initium, ac juxta primam Conſulatuum Cæſareorum regulam tertium capeſſiit. Hæ itaque ſex hujuſmodi Conſulatuum regulæ.

Prima, *Imperii initium.*
Secunda, *Quinquennalium & id genus feſtorum celebratio.*
Tertia, *Cæſarum vel Auguſtorum in eadem dignitate conſortium.*
Quarta, *Expeditiones militares aut victoriæ reportatæ.*
Quinta, *Triumphi.*
Sexta, *Ludi ſeculares.*

XIII. *Ex his unica in dubium vocari poteſt.*

Ad eas regulas, omnes tum Auguſtorum, tum Cæſarum Conſulatus revocantur. Non quidem quod ii annis, quibus præfata contigere, ſemper eum magiſtratum ſumerent; ſed quia non aliis de cauſis quam ſupra memoratis juxta receptum in Imperio uſum, ullum inirent: a qua conſuetudine unicum Elagabalum receſſiſſe comperit, ut ſuis locis notavit. Fatetur tamen, ſe diu hæſiſſe, an tertium Caligulæ, quintum Neronis, decimum Domitiani, tertiumque Probi inter Conſulatus extra ordinem ſumptos numeraret; an vero ex illis quartam regulam conſtitueret; cum omnes fere Imperatores aliquam expeditionem ſuſceperint. Verum quarta regula, ad quam hos duntaxat quatuor reduxit, præter auctoritates ab eo in citata Diſſertatione relatas, iſtis adhuc innititur. Tacitus lib. 13. Annal. poſtquam locutus eſt de Artaxata Armeniæ urbe, a Corbulone, imperante Nerone, capta & incenſa anno Chriſti quinquageſimo octavo, ait: *Ob hæc conſalutatus Imperator Nero; & Senatuſconſulto ſupplicationes habitæ, ſtatuæque & arcus, & continui* CONSULATUS PRINCIPI: *atque inter feſtos referretur dies, quo patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum de ea eſſet, aliaque in eandem formam decernuntur.* Præterea Zonaras lib. 2. de Domitiano ſcribit: *Falſis victoriis jactabundus Conſulatum in decennium, Cenſuram per omnem ætatem accepit.* Quatuor itaque illi Conſulatus expeditionibus, aut victoriis attribuendi, & hæc quarta regula, non minus quam ceteræ quinque, certa. Porro de quinto Neronis Conſulatu legendus Suetonii locus in hac Critica anno LXVIII. num. II.

XIV. *Utilitas regularum Conſulatuum Cæſareorum.*

Illarum regularum adjumento varios Romani Imperii uſus huc uſque reconditos, variaque Antiquitatis tam Eccleſiaſticæ quam profanæ arcana reſeravit. Annis enim Quinquennalibus & id genus feſtis addictis coloniæ ex more inſtitutæ: provinciæ factæ: thermæ, templa, urbeſque aut conditæ, aut dedicatæ, aut novis nominibus inſignitæ: novæ conſuetudines inductæ: libri ab Auctoribus publicati: Cæſares vel Collegæ Imperii renuntiati: perſecutiones adverſus Chriſtianos motæ: Gentilium religio promota: & poſtquam Imperatores Chriſtiani Rempublicam Romanam rexere, Religioni Chriſtianæ conſultum: Edicta adverſus Paganos, Judæos & Hæreticos promulgata: celebres de Fide Catholica Collationes habitæ: Sanctorum reliquiæ tranſlatæ: dedicationes Eccleſiarum peractæ: uno verbo, annis illis, quæ majori pompa fieri ſolitum erat, deſtinata. Quod etiam non raro factum annis aliis, quibus Imperatores Conſules procedebant, ut Conſulatus illi celebriores evaderent. Quare hoc ſubſidio variæ Codicis Theodoſiani Conſtitutiones, plura Hiſtoriæ tam Auguſtæ quam Byzantinæ loca, Chronologia, Geographia, & Numiſmatographia lucem accipere poſſunt. Quod ad majorem hujus Criticæ intelligentiam præmittendum duxit.

XV. *Diſciplina Eccleſiæ a Thomaſſino egregie tractata.*

Poſt ejuſdem Diſſertationis, in aliquibus ab eo hic emendatæ promulgationem, adornavit primum tomum *Criticæ Hiſtorico-Chronologicæ in Annales Eccleſiaſticos Eminentiſſimi Cardinalis Baronii, Illuſtriſſimi Henrici Spondani, Appamiarum Epiſcopi, Epitomatoris ejus, ordine ſervato.* Is enim hujus Operis titulus erat, in quo ſolido criterio Annalium Eccleſiaſticorum materiam & formam, ſeu Hiſtoriam & Chro-

Chronologiam expendit, rarius extra limites illos egreſſus. Indeque factum, ut antiquam Eccleſiæ diſciplinam nonniſi leviter ſtrictimque attigerit. Præterquam enim quod opus in immenſum creviſſet, nuper eam egregiam Antiquitatis partem propriam ſibi fecit Eruditiſſimus *Ludovicus Thomaſſinus*, cujus præſtantiſſimi ea de re libri tanto plauſu, tam a Gallis, quam ab aliis nationibus, accepti, ut intra paucos annos Lingua Gallica & Latina lucem viderint. Ideoque quod jam actum ruſſus agendum fuiſſet, ejuſque doctiſſimi Tractatus integri exſcribendi.

XVI. *Hæc Critica magis appoſite Annalibus, quam Epitome affixa.* Verum cum poſt illius Tomi publicationem undique ſollicitaretur, ut univerſos Annales, non vero horum Epitomen illuſtraret, in tribus poſterioribus huic conſilio acquievit, & experientia didicit, rem literariam, majorem inde fructum conſecuturam. Quare, eo mortuo, primum Tomum ordini Baroniano etiam reſtitui, & plures, ex ejus mente, annotationes adjeci; totum enim illum Tomum ſupplere, & interpolare decreverat, ac inprimis retractare quæ ſpectant explicationem ſexti Canonis Concilii Nicæni.

XVII. *Diſſertatio Auctoris de anno mortis S. Martini imperfecta.* Statuerat etiam obſervationes quaſdam præmittere ad Catalogos veteres Pontificum Romanorum, hic adjectos, ibique de Libro Pontificali, Anaſtaſio attributo diſſerere, ac pariter in lucem emittere Diſſertationem *de Anno & die mortis S. Martini Epiſcopi Turonenſis*, ad quam pluribus hujus Criticæ locis Lectorem remiſit, ſed morte præventus dictis obſervationibus operam dare non potuit, & Diſſertationem de S. Martino imperfectam reliquit; quam tamen, cum in ea multa ſingularia contineantur, & invictis, ni fallor, argumentis demonſtretur, hunc S. Præſulem die XI. Novembris anni CCCC. ad Deum migraſſe, publici juris aliquando faciam.

XVIII. *Critica bono litterarum reperta.* Nec quenquam movere debet, quod quidam Critice ſummo litterarum bono reperta abutantur; ob id enim non hæc, ſed illi in odium contemtumque venire debent. *Aliter*, inquit Vir ea in arte peritiſſimus, *olent catuli, aliter ſues: longe alia ratione opus apes ac fuci faciunt: imo nihil operis eſt, nec quidquam ceris infundunt; ne cereas quidem domos fundare, aut ceras extruere norunt. At illa ceræ pariter & mellei liquoris opifices admiranda malas & ignavas beſtias a melle ſuo defendunt, & a favis arcent. Sic illud profanum vanumque vulgus quam longiſſime a venerandis Muſarum adytis, araſque quas polluunt, pellendum, & capite foras protrudendi improbi & inertes litterarum fuci.* Criticam hoc Opus eo magis inſcribere placuit; quod *Critici* vox etiam in Scriptura ſacra uſurpetur. Divus enim Paulus in Epiſtola ad Hebræos cap. 4. de Verbo Divino loquens, ait: Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐνεργὴς, καὶ τομώτερος ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον, καὶ διϊκνούμενος ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς τε, καὶ πνεύματος, ἁρμῶν τε, καὶ μυελῶν, καὶ κριτικὸς ἐνθυμήσεων, καὶ ἐννοιῶν καρδίας, idest, juxta verſionem Vulgatæ: *Vivus enim ſermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad ſpiritum quoque compagum ac medullarum, & DISCRETOR cogitationum & intentionum cordis.* Quæ ultima verba, καὶ κριτικὸς, &c. ſic etiam verti poſſunt, *& dijudicat cogitationes & conceptiones cordis.* Quo ſenſu Critica hoc in Opere ſumitur.

XIX. *Baronius & Spondanus optimi Hiſtorici partes implevere.* Porro in Baronio Spondanoque illuſtrandis, ſemper præ oculis habui, quæ Melchior Canus, Vir rei Criticæ apprime intelligens, lib. 11. de Locis Theologicis cap. 6. de Hiſtoria Eccleſiaſtica Bedæ & Gregorii Turonenſis ſcribit: *Quoniam modeſte & circumſpecto judicio de tantis viris pronuntiandum eſt, ne in his quidem duobus rejicienda ſunt plurima. Pauca enim in iis poſſis arguere, quanquam Hiſtoriam Eccleſiaſticam revocare ad ſeveriora judicia contendas: ac ſi neceſſe eſt in alteram peccare partem, omnia eorum probari legentibus, quam multa reprobari malle. Neque enim exiſtimandum, eorum doctiſſimis elucubrationibus fidem eſſe denegandam, quod nonnulle in iis errores irrepſerint; cum errores illi non fallentium Auctorum fuere mendacia, ſed ignorantium. Neque ob unum aut alterum peccatum, cujus ſemper probabilis eſt excuſatio, tantorum virorum Volumina debent improbari. Si enim ita agendum eſſet, pretioſiſſima omnium fere Eccleſiæ Doctorum lucubrationes contemnendæ eſſent, & proculcanda; cum vix eorum quemquam invenias, qui in aliquo, ſi non ad Fidem, ſaltem ad rerum geſtarum Hiſtoriam pertinente, non erraverit.* Imo neceſſario multa intacta relinquenda fuere; cum in Hiſtoria Eccleſiaſtica id contingat, quod Auguſtinus in Epiſtola 55. ad Januarium, quæ veteri ordine eſt 119. in Sacra Scriptura contingere obſervavit, ut nempe multo plura neſciamus quam ſciamus. Hinc Walfridus Strabo in fine libri ſui de rebus Eccleſiaſticis: *Fateor*, inquit, *me nec reperiſſe cuncta, quæ dilucidare, cupivi, nec cuncta potuiſſe, quæ reperi; cum & rerum magnitudo ſcribendi cupiditatem ſuccenderet, & diverſitatum confuſio faſtidii nimietatem præberet.* Denique, ut, quod jam conteſtatus erat, denuo profiteretur, tantum abeſt, ut Baronium & Spondanum minus habendos putaret, quod illum, dum Annales conderet, huncque dum eos abbreviaret, notaſque aliquas adjiceret, multa fugerint; ut e contra magis temporum noſtrorum felicitati, quam propriæ induſtriæ attribuendum arbitraretur, quod res nunc magis apertæ & manifeſtiores ſint, quam eo tempore, quo ambo ſcripſere. Poſteriores ſiquidem Scriptores ut ſecte Petrus Bleſenſis in Epiſtola laudata, reſpectu eorum qui eos tem-

pore

pore præceſſere, ſunt quaſi pumiliones gigantum humeris invecti, qui ideo ipſis gigantibus longius in aliquibus proſpiciunt. Hinc nunquam utrumque ſine elogio citaſſer, niſi brevitati ſtudendum ſuiſſet, & veritus eſſet, ne id nimis aliquibus aſſectatum crederetur. Qaare utrumque Hiſtoricum omni laude majorem nominare, laudare eſt.

XX. Annales Periodo Græco-Romana innexi.

Quod ſupereſt, quia res poſt Eccleſiam Chriſtianam fundatam geſtæ, cum iis quæ antea apud Jadæoa, Romanos, alioſque populos acta, connexionem habent, ut omnia eodem fulcimento innirerentur, Periodum concinnavir, qaam, quia tres Eras mundanas ſeu Periodos Chriſtianoram Otienralium, in Hiſtoriæ Byzantinæ Scriptoribus, & Eccleſiæ Græcæ Monumenris ſæpe memoratas complectitur, & e veſtigio exhibet, *Græco-Romanam* appellavit. Ea omnium Eratam ante Chriſtum natum inſtitutarum fulcrum & ſuſtentaculum, ſingulisque annis Cyclos Lanæ, Solis, ac Indictionis, tam veros quam prolepticos, repræſentat, quorum ope variæ difficultates uno intuitu & ſine alioram librorum auxilio explicari poſſunt. Dubitatur v. g. quo die Paſcha, a qao Feſta mobilia pendent, anno aliquo celebratam, vel quæ littera Dominicalis, aut quæ Indictio in curſu fuerint, vel demum an res qaæ in Annalibus Feſto Pentecoſtes v. g. accidiſſe narratur, in annum, quo in iis legitur, reipſa competat, dubiam, Cyclorum ope, extemplo dirimes. In Annalibus, ſicuti & in illorum Epitome, omnes illi temporum characteres certiſſimi ac ſubinde neceſſarii deſideranrat, Indictionibas exceptis, quæ etiam in eiſdem ante ſexti ſeculi finem non habentur; licet jam a Conſtantini Magni Imperio viguerint, multaqae identidem occurrant, quæ quo anno contigerint, earum tantum beneficio detegi poſſit. In periodo aurem Græco-Romana, quæ Jaliana Scaligeri longe commodior & aniverſalior, quamque peculiari Diſſertatione explicat, primas Eræ Chriſtianæ annus, qui quadrageſimus ſextus Julianas eſt, concarrit cum anno quinquies milleſimo quadringenteſimo, nonageſimo quarto, qui partitus per quindecim reddit Indictionem quartam, qua primur ille Chriſti annus inſignitur, diviſas vero per novendecim exhibet Cyclum Lunæ tertium; ideoque cum primus ille Chriſti annus Cyclo Lunæ ſecundo notetur, in annis Periodi Græco-Romanæ, ut cum annis Chriſti convenire poſſint, e Cyclo Lunæ ex perpetua methodo unitas rejicienda. Contra vero cum primus ille Chriſti annus Cyclo Solis decimo muniatur, & annas Periodi Græco-Romanæ quinqaies milleſimus quadringenteſimas nonageſimus quartus per viginti octo partitus ſex ſolum numeros relinquat, Cyclo Solis, quatuor anitates ſemper adjiciendæ, at Cyclus Solis, quem Chriſti annus reddit, inveniatur. Denique tam annus quilibet Periodi Græco-Romanæ, quam tres Cycli Solis, Lunæ, & Indictionis a Kalendis Januatiis auſpicantur. Reliqua in eadem Diſſertatione explanata habes.

XXI. Novus Apparatus confectus.

Baronius *Apparatum* ad Annales Eccleſiaſticos præfixit, qai cum magis Hiſtoricus quam Chronologicus ſit, non tantum incipientes, ſed etiam aliquando doctiores irretiros tenet. Res enim Judaicæ & Romanæ, quæ Annalibus Eccleſiaſticis neceſſario præmittendæ, in eo non ſatis fuſu diſtincteque tractatæ; cum tamen Lector ad primum Eræ Chriſtianæ annum ſenſim manuducendus ſit, ideoque & Apparatas Chronologicus eſſe debeat, & a mandi exordio deduci; quia Novi Teſtamenti Hiſtoria ſine aliquali Veteris notitia perfecte ſciri non poteſt. Cum autem in Apparata Baroniano multa corrigere neceſſe fuerit, quorum in Epitome nulla mentio, novus ferme conficiendus fait; eoque magis quo Periodi Græco-Romanæ praxis & uſas demonſtrandus erat.

XXII. Annales suppleti.

Ex tribas, quæ ſibi in hoc Opere propoſuit, *illuſtrationem* nempe *Hiſtoriæ, rerum prætermiſſarum ſupplementum*, & *Chronologiæ emendationem*, huic præſertim inſiſtendum fuit; non tantam quia ratio temporum forma Annalium reputanda; ſed etiam quia ſæpius in temporum conſignatione, quam in rerum narratione in iiſdem peccatum; & aliunde pauciora ſint, magni ſaltem momenti, quæ in Annalibus deſiderantur. Varia tamen ex Romana Hiſtoria, uti triumphi, bella præcipua, aliaque id genus plura Baronii tempore valde obſcura, ſupplenda fuere; quod ſine illis multa, quæ in ſanctis Patribus, ſacris Conciliis, Sanctorum Actis, ac libris Eccleſiaſticis occurrant, quæque in Annalibas explicanda ſunt, ſatis intelligi non poſſint. Addidit & ſeriem Regam præcipuorum Regnoram, uti Perſarum, Wiſigothorum, Burgundionum, Wandalorum, Principum Saracenorum, aliorumque, quia ex illis aliqui in Annalibus obiter duntaxat tanguntur, alii omnino prætermittuntur. Nam experientia magiſtra comperit, quod ſi illorum Principum ſucceſſiones integræ non recitentur, multam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ claritati & integritati detrahitur.

XXIII. Plura poſt Baronii mortem e tenebris eruta.

Ad hæc varia Concilia, vel Conciliorum Fragmenta poſt Baronii obitum e tenebris eruta ſummarie retulit, & pluribus eorum, quæ jam extabant, majorem lucem affundere conatas eſt. Denique *præcipuas hæreſes*, uti Arianam, Pelagianam, Neſtorianam, Euticbianam, aliaſque; Scripta & Epiſtolas, quibus illæ jugulatæ, magis declaravit; Acta ſuppoſititia indicavit; nullique labori pepercit, ut hoc Opus, qaantùm rerum antiquarum obſcuritas patitur, omnibus ſuis numeris abſolutum prodiret.

XXIV. *Chronologia in Annalibus labefactata.*

Mnjorem, Annalibus labem Chronologiæ in multis depravatio obducit. *Nam*, ut egregie alicabi Gerardus Joannes Voſſius ſcripſit, *ia totius Orbis Hiſtoria, vel magni ac diuturni Imperii, tantiſque Eccleſiæ rebus, ſi ordo geſtorum fœde conturbetur, ne illa quidem quæ videre nobis videmur, magis cernimur, quam eximiam & ab omni arte laudatam corporis humani fabricam conſpiceremus, ſolum oculorum aciem defigentes in monſtroſam hominis picturam; ubi pectus, capitis; venter, pectoris; brachia, pedum occuparent locum. E contrario autem, ubi ſeſe extulerit aureum temporum jubar; pulſis tenebris pluſquam Cimmeriis, clara omnia luce veſtiuntur, inque formoſo corpore omne membrorum decus apparet. Atque hoc eſt ſerenum, ac ſplendidum illud lumen, quod in Hiſtoria exigimus.* Idem jam n multis ſeculis Divus Chryſoſtomas Homilia 2. de Oſiu lu verbis illis, *Vidi Dominum*, circa finem tomi Saviliani 5. obſervarat: *Quemadmodum*, inquit, *terminis fineſque iu agris fundis miſceri non patiumur, ita & tempora res invicem confundi non ſinunt: verum ab invicem ea ſeparantia, & ſecundum debitum ordinem ea diſponentia, magna confuſione nos liberant.* Qanre magnu a Pugio adhibita diligentiu, ut res quæque tam Chriſtiunæ quam profanæ, ad nnnam, quo accidere, revocarentur, menſibus etiam & diebus ubi uterque eburacteriſmus detegi potuit, deſcriptis, qaod utriuſque ingens ſæpe ſit adjumentum. Quum etiam ob cauſam Kalendarium Romanum in bujus tomi calce ſubjecit, ut Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſi aſſueſcant dies & ferias, quibus res multæ peractæ, annoture.

XXV. *Baronius Eram Chriſtianam biennio anticipavit.*

Buronil tempore *Eræ Chriſtianæ initium* ſolis *Computiſtis*, ut vocunt, cognitum erat; unde Onuphrius in Faſtis anno Juliano XLV, Conſulatuique Cornelii Lentuli & Calpurnii Piſonis; Baronius auno Juliano XLIV. ae Conſulatiſi Auguſti Cæſaris XIII. & Plautii Silvuni; aliique aliis Conſulatibus anniſqae Juliaois illud iiligarunt. Primus omnium Scaliger Periodi Julianæ n ſe inventæ, Cyclorum Solis, Lunæ, & Indictionis, nliorumque argumentorum opera, primum Eræ Chriſtianæ annum eum anno Juliano XLVI. Conſulatuqae Caii Cæſaris & L. Æmilii Pnuli certo congraere nos docuit; quod tamen omnibus illieo perſuadere non potuit. Neque enim deſuere Scriptores, qui opinionis Baronii defenſionem ſuſceperint; imo Spondanus, gui Epitomen ſaum confecit aliquot annos poſt ſecundam editionem Operis Scaligeri *de Emendatione Temporum*, ab opinione Baronii, qaæ jam convuluerat, ſibi diſeedendum non putavit. Et qaod magis miram, noſtris etiam diebus *Cointius* Annuliam Eccleſinſticorum Francorum Auctor, in Chronologia ſeſquioris Imperil verſntiſſimus, in eandem lapidem offendit. Verumenimveru nobiliſſimæ hujus Eræ exordium, cum certis & infallibilibas demonſtrationibus nitatur, ut ſparſim in boc Opere videbitur, a Scriptorum opinionibus independens, ideoque cum nnno Juliano XLVI. neceſſario eonnectendam. Quare Baronius, qui eam biennio anticipavit, & cum anno Juliano XLIV. incepit, aſque ad Deciam Imperatorem, unnumque Chriſti CCXLIX. daorum annorum prochroniſmo ſemper peccavit, & poſt hunc Chriſti annum aſque ud CCLXXX. quintumque Probi Imperatoris, Chronologiam ndhue magis perturbavit. Cum enim Conſulatus tres ordinarios Decio Auguſto, quem duos duntaxat ordinarios, annumque ſuffectum geſſiſſe indubitatum, anuoſque ſeptem Philippo Auguſto, qui ſextum tantum inchoavit, quatuorque, Gullo & Volaſiano Imperatoribus, qui biennium ſolum delibarunt, uttribuerit, a Decio jam non bienuio, ſed triennio ab Era Chriſtinna diſſidet. Tum daobus Conſulatibus expuuctis, nonniſi anno uno ab ea diſtat; neque eam aſſequitur, niſi poſt reſecatam alium Conſulatum ordinarium, ur ſuis locis oſtenditur. At quemudmodum violentu remedia, quæ morbo alicui medicinam afferunt, uliam procreare ſolent; ſie Baronius tres illos Conſulatus e Fuſtis eradere non potuit, quin totidem annos eiſdem reſpondentes reſeinderet; udeoque quin anno Chriſti CCLXXX. quo veram Eram Chriſtianam amplexus eſt, uc deinde conſequentibus annis omnes alias Eras biennio mutilaret. Qunre in Annalibus Chronologiu tam ante annum Chriſti CCLXXX. qaam poſt illum depravata, ſed diverſimode. Nam unte illum Chriſti unuum Era Chriſtiana in illis eorruptu, cæteræ omnes, ati Olympiadum, aunorum Autiochenorum, Seleucidarum, & aliorum minime perturbatæ. Contra vero poſt annum Chriſti CCLXXX. Era Chriſtiana in illis accurate deſcripta, reliquæ vero annis duobus decurtntæ. Utrique vitio certis paſſim argumentis demonſtrato remedium adeo fucile Auctor adhibet, ut non putet fore impoſterum, qui vulgarem illum errorem, ex quo multa inconvenientiu ſequuntur, libenter non deponat. Annum enim Chriſti, quem Baronius v.g. CCXXIV. appellut, ipſe eum anno CCXXII. conjungit, unnos qaippe duos, quos Baronius male addidit, rejicit: ſicque muniſeſte innoteſcit, quæcunque ſub anno CCXXIV. idem Baronius narrat, ad annum CCXXII. pertinere; niſi tamen in aliquu peculiuri re recitanda erraverit; quo caſu eidem ſuum unnum uſſignat Pagius. Si quid autem u Baronio omiſſum eſt, in fine anni udjicitor, ut in Critica videre erit.

XXVI. *Faſti magis illuſtrati.*

Ob *Faſtos* in qaibuſdam Annalium locis labefactatos, qaod uno unno contigit, in alium qunndoque transfertur, præſertimque per atriuſque Philippi, Decii, Galli & Voluſiani, Valeriani atqae Gullieni tempora. Cui malo ut provideret Pagius, ve-

verumque ac certum rerum geſtarum ordinem, quantum poſſet, repræſentaret, Faſtos Conſulares tum ex veteribus monumentis, tum ex doctorum Virorum obſervationibus emendavit: notam numeralem in Conſulatibus, ubi ea detegi potuit, adjecit; & ubi abundabat, prætermiſit: poſt imperii diviſionem in Occidentale & Orientale, quæ initio Valentiniani & Valentis Imperatorum facta, qui Conſules in Occidente, qui in Oriente deſignati fuerint, indicavit: Conſulatuum Cæſareorum rationes ab ipſo Tiberiani imperii initio aſſignavit; & Quinquennalia, aliaque id genus feſta, aliquando ex certa, aliquando ex probabili ratione, & ex conjecturis, aut ex mutua inter ſe conſecutione digeſſit; quod omnino faciendum, quando explorata argumenta haberi non poſſunt. Denique Faſtis Conſularibus Romanis Byzantinos ac Orientales ſubjunxit, in omnibus hactenus Chronicis omiſſos, quod eorum diſpoſitio non ſatis innoteſceret.

XXVII. *Chronologia Cæſarea.* Chronologiam *Cæſaream*, qua plerumque Chriſtiana innititur, quantum potuit accuratam exhibuit, quod deprehendiſſet ob eam non ſatis exacte diſcuſſam, in Annalibus non raro erratum eſſe. Sic ſi Baronius, aliique poſt eum, annum v. g. quo Nero in Græciam tranſmiſit, indeque rediit, e tenebris eruere tentaſſent, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ, Nerone præſente, ut fert Eccleſiæ traditio, paſſorum Martyrium anno Chriſti LXVII. quem Baronius LXXIX. vocat, uno fere conſenſu non collocaſſent. Eis enim conſtaſſet, Neronem eo anno non Romæ, ſed in Græcia fuiſſe, ex qua, exeunte illo anno diſceſſit; cum tamen martyrium illud ex eorum ſententia menſe Junio contigerit. Omiſit complures alios vulgares errores, qui exactæ Chronologiæ Cæſareæ beneficio vitari poſſunt.

XXVIII. *Chronologia Pontificia.* *Pontificum Romanorum*, & poſt Diocletianum, Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum, Alexandrinorum, Antiochenorum, Jeroſolymitanorum tempora, quanto diligentius fieri potuit, ordinavit; certus, Acta Sanctorum, Concilia, aliaque id genus plura ab eorum annis recte collocatis non raro lucem accipere. Chronologia Pontificum Romanorum per tria fere priora ſæcula in multis emendanda fuit, & non minus in ſequentibus ſeculis: neque enim in ulla alia ſæpius peccavit Baronius.

XXIX. *Error vulgaris in Chronicis Euſebii & Hieronymi citandis.* Ex Chronicis tam *Euſebii* quam *Hieronymi* per quatuor fere ſecula plura in Annales derivata. Quæ tamen Baronius ex utroque affert, præter illorum mentem cum iis Chriſti annis ſæpe conjunguntur, quibus ipſi non illigarunt: qui error ab aliis etiam Scriptoribus paſſim admiſſus, quod non adverterint, in iis Chronicis citandis, non ad Imperatorum annos, ut fit, ſed ad numerum Euſebianum, ſeu annum Abrahamiticum reſpiciendum eſſe, quoties certus rei geſtæ annus quæritur. Cum enim Euſebius & Hieronymus annum a Kalendis Octobris incipiant, & eum in quo aliquis Imperator ſupremum diem obit, eidem integrum deputent, & ſucceſſoris initium a ſequentibus Kalendis Octobris exordiantur, ſupputatio per Imperatorum annos plerumque fallit. Viderunt ante Pagium aliqui Viri docti ad numerum Euſebianum attendendum eſſe, methodumque tradidere, cujus ope utroque Chronico ſine erroris periculo uti poſſemus. Verum cum illius methodi præcepta ſine temporis jactura ad praxim reduci non poſſint, ea ab ipſis etiam inventoribus, cum utrumque Chronicon laudant, vix in uſum vocata. Quare aliam in Diſſertatione de Periodo Græco-Romana proponit adeo facilem, ut vel ipſi in Chronologia tyrones, cui anno Hieronymus & Euſebius rem, de qua agitur, copularint, ipſo pene lectionis momento intelligere poſſint. Quæ methodus in Chronico *Idacii*, quod Baronii tempore non extabat, etiam adhibenda. Cum enim Idacius Euſebii & Hieronymi Chronica continuet, numero Euſebiano ſeu anno Abrahamitico tempora deſignat. Porro Pagius in prima hujus Tomi Editione ſcripſerat Euſebium annos Abrahami a Kalendis Septembris cum anno populari exorſum eſſe, ſed poſtea re maturius examinata, communi ſententiæ adhæſit, & Euſebium annum a Kalendis Octobris, more Syrorum & maxime Cæſarienſium inchoaſſe, comperit.

XXX. *Regum Francorum Chronologia magis explicata.* Primæ ſtirpis *Regum Francorum*, qui poſt Clodovei Magni converſionem multa Annalibus ſuppeditant, Chronologiam, Baronii tempore ferme deploratam, noſtroque in multis adhuc rudem & imperfectam, omni qua potuit cura diſcuſſit, ut in ſecundo Tomo apparet; poſt annum enim Chriſti CCCXCV. Monarchia Francica nata.

XXXI. *Annales Nummis & Inſcriptionibus illuſtrati.* Denique ut Chronologiam Chriſtianam omni ex parte reſtauraret Pagius, undique argumenta conquiſivit, ex ipſis etiam *Numiſmatis* & *Inſcriptionibus*. Fauſtum enim fortunatumque fuit, quod ſuperiori ſeculo, quo in Antiquitate Eccleſiaſtica elucidanda, pellendaque obſcuritate, celebrium Scriptorum conatus inſumti ſunt, tot inſcripti Lapides effoſſi fuerint, totque Numiſmata, quæ in Principum cimeliis, aut privatorum muſeis, cum magno litterarum damno ſepulta erant, ſenſim in lucem prodierint, ut quod libris non potuerat, illo medio in lucem proferretur. Quod niſi plerique *Antiquarii* Nummorum inſcriptiones male deſcripſiſſent, & ſæpe emendationis prætextu corrupiſſent, aut mutilaſſent, poſticam ſcilicet tantum partem publici juris facientes, anticam vero, quam inutilem perperam judicabant, ſilentes, non dubium, quin plura, quæ adhuc latent, clare innoteſcerent. Cæterum cum pro veritatis exploratione ſtylum arripuiſſet, incunctanter in viam regredi ſpondebat, cum illi monſtrata fuiſſet; alte enim ejus menti fixum erat Lactantii effatum adverſus eos, *qui cum ſemel aberraverint, conſtanter in ſtultitia perſeverant, & vana vana defendunt.*

LET-

LETTRE
DU PERE PAGI
A
MONSIEUR L'ABBE' NICAISE,
ANCIEN CHANOINE DE LA SAINTE CHAPELLE DE DIJON.

MONSIEUR,

Puiſque vous perſiſtés dans vôtre premier ſentiment que je dois publier ſommairement quelques unes des principales decouvertes & remarques que j'ay faites dans les deux derniers Tomes de ma Critique ſur les Annales Eccleſiaſtiques, je vous obeis d'autant plus volontiers que vous m'aſſeurés que pluſieurs Sçavans vous ont temoigné le ſouhaiter ainſi, & que le Libraire, qui en fera l'Edition, ſera bien aiſe qu'on connoiſſe par cet echantillon l'utilité que le Public en pourra recevoir. Je le fais neanmoins fort ſuccintement, croyant que cecy ſuffira pour pouvoir penetrer dans ce que la brevieté d'une lettre ne me permet pas de deduire plus au long.

Je commence par l'année de la mort de St. Martin Evêque de Tours, qui donne la gêne aux eſprits depuis plus d'un ſiecle, je fûs perſuadé d'avoir trouvé la reſolution de cette difficulté, dés que je m'apperçeus qu'il n'y a jamais eu parmy les Anciens que deux opinions touchant cette Epoque, l'une que Gregoire de Tours a tiré d'une vie de ce Saint, qui contenoit diverſes fables parmy pluſieurs bonnes choſes, dont Gregoire de Tours fait mention, & ſelon laquelle St. Martin mourût l'an CCCXCVII, l'autre que le même Gregoire a priſe de Sulpice Severe intime ami de St. Martin, ſelon lequel ce St. Prelat eſt mort l'an CCCC. Mais Sulpice ne s'eſt pas expliqué aſſés clairement, & Gregoire de Tours a ſuivi en cette occaſion tantôt la premiere opinion, & tantôt la ſeconde, comme je demontre qu'il a fait en pluſieurs autres. Cet embarras a été cauſe que les uns ont embraſſé le premier ſentiment, que les autres ſe ſont attachés au ſecond, & qu'enfin les troiſiémes ont pris de toutes differentes, & mis cette mort ou en l'an CCCXCV. comme a fait Scaliger, ou en l'an CCCXCVIII. comme Henſcheoius, ou en l'an CCCCI. comme M. l'Abbé Antrimy dans la diſſertation qu'il a publiée depuis peu, ou en l'an CCCCII. comme Baronius & quelques autres. Mais ſeparant le pur de l'impur, & les fables de la verité, on trouve dans Gregoire de Tours ce que Sulpice, qui ne peut pas avoir erré en ce point, a dit quoyque avec quelque obſcurité, & ce que la tradition certaine portoit du tems de l'Autheur de la vie fabuleuſe de cet Apotre de nôtre France, ſçavoir que ce St. Prelat eſt mort l'an CCCC, le XI. de Novembre à la minuit du Samedy entrant au Dimanche: *Tranſiit media nocte, quæ Dominica habebatur, Attico Cæſarioque Coſſ.* dit Gregoire au liv. 1, chap. 48. ne s'étant pas neanmoins pris garde que le XI. de Novembre concourt avec le Mecredy l'an CCCXCVII. qu'Atticus & Ceſarius furent Conſuls, ou au contraire l'an CCCC. le X. de Novembre concourt avec le ſamedy, & le XI. avec le Dimanche; ce Conſulat doit donc eſtre rejetté.

De plus le même Gregoire *au liv. 1, de Mirac. D. Martini chap. 3.* aprés avoir dit les mêmes paroles, ſans faire pourtant aucune mention dudit Conſulat, adjoute au chapitre ſuivant: *B. Severinus Colonienſis civitatis Epiſc. dum die Dominica loca ſancta ex conſuetudine POST MATUTINOS HYMNOS cum ſuis Clericis circumiret, illâ horâ quâ Beatus obiit, audivit chorum canentem in ſublimi, &c.* c'eſt pourquoy on ne peut pas tirer Gregoire à l'opinion de CCCCI, ni à celle de CCCCII, puiſqu'il parle de la nuit du ſamedy au Dimanche.

Gregoire avoit tiré cela de Sulpice, qui en ſon troiſiéme Dialogue chap. 15. aprés avoir parlé du Concile de Treves auquel ſaint Martin aſſiſta dit: *ſedecim poſtea vixit annos.* Car de l'an CCCLXXXV. que ce Concile fût tenu, comme il ſe colligé de Proſper en ſa Chronique au Conſulat d'Arcadius & de Bauto, juſques en l'an CCCC. il y a ſeize ans Juliens, mais dont le premier & le dernier ne ſont pas complets, que les Hiſtoriens content ſouvent pour entiers.

Il eſt vray que Sulpice au livre de la vie de ſaint Martin chap. 23. dit qu'Evodius étoit Conſul & Prefect du Pretoire, lorſque ſaint Martin aſſiſta au Concile de Treves, & qu'il eſt certain qu'il y a un Evodius Conſul l'an CCCLXXXVI, mais c'eſt mal à propos qu'on tire de là que ce Concile ne fût celebré que ladite année, & que St. Martin ne mourût que l'an CCCCI. ou le ſuivant, puiſqu'il n'eſt pas moins certain que les Tyrans, comme l'étoit Maxime, avoient leur Conſuls & leur Prefects du Pretoire differents de ceux qu'avoient les Empereurs legitimes, comme il ſe voit dans le premier Tome de ma Critique, lorſque je parle des Tyrans Magnentius & Maxance, & comme je prouveray encore plus amplement dans mon ſecond Tome. Les Tyrans n'étoient pas ſi peu aviſés que de donner la Prefecture de leur Pretoire aux ſujets, ou aux amis des Empereurs qu'ils vouloient détroner. C'eſt pourquoy il faut inferer de tout cecy qu'il y a eu à même temps deux Evodius, l'un qui fût Conſul ſous le Tyran Maxime l'an CCCLXXXV, & l'autre Conſul ſous l'Empereur Valentinien II. l'année ſuivante.

Sul-

Digitized by Google

Sulpice dans ſon Dialegue II. chap. 7. dit que St. Martin étoit ſeptuagenaire du tems du Concile de Treves, *jam ſeptuagenario*, &c. D'où il s'enſuit que Gregoire l'e ſuivi, lorſqu'il e dit au premier livre de ſon Hiſtoire chap. 36. qu'il étoit né l'onziéme ennée de l'Empire de Conſtantin le Grand, qui commence en l'année CCCXVI. M. l'Abbé Antelmi dans ſe diſſertation déja citée page 10. dit qu'il e veu deux Mſſ. de Sulpice dans le Bibliteque de M. Colbert oppoſér à cette opinion. J'ay leu les mêmes Mſſ. & je ey trouvé le mot de ſeptuageneire bien qu'avec quelque petite corruption en un ſeul dans le texte de Sulpice par la feute des copiſtes, mais le lieu ſe trouve tout pur, auſſi bien que le mot de *ſeptuagenario* dans ſix eutres Mſſ. de le même Biblioteque. De plus ayant écrit à M. Ciampini Secretaire des Brefs de Sa Sainteté, il me répondit qu'il y e un Mſ. dans la Biblioteque Veticane qui s'accorde avec ceux là, un eutre dens la même Biblioteque venuë d'Urbin, écrit au neuviéme ſiecle, un troiſiéme conſervé dans le Biblioteque de Monſeigneur le Cardinal Ottobon; & qu'enfin ayant écrit au Moneſtere de Mont-Caſſin, on luy e répondu qu'il y en avoir un écrit depuis plus de ſix ſiecles en lettre Lombarde qui contient le même choſe; c'eſt pourquoy ce point doit être inconteſtable.

Gregoire en liv. 1. chap. 48. dit que ce Saint mourût âgé de LXXXI. ans, ſous le conſulat d'Atticus & de Ceſerius, c'eſt-à-dire en l'année CCCXCVII, & en cet endroit il ſuit les deux opinions dont l'une détruit l'autre, parce qu'il eſt bien vrey que ſelon Sulpice, S. Martin ladite année étoit âgé de LXXXI. ans, puiſqu'il étoit ſeptuagenaire en CCCLXXXV; mais c'eſt une fable que ſa mort ſoit arrivée en cette année là, puiſque comme nous evons dit, elle n'erive que l'en CCCC. Je renvoye le reſte au ſecond Tome de ma Critique.

Venons à S. Nicetas que Baronius a diviſé en deux, eyant parlé du premier dans le Martyrologe Romain le VII. du moir de Janvier, & du ſecond le XXII. du moir de Juin, & que pluſieurs diſent avoir été Evêque dans l'ancienne Dace. Je ferey voir qu'il n'y e eu qu'un ſeul Nicetas, qui e prêché dans la Dace Mediterranée, & non pas dans l'encienne, qu'il a été Evêque daor la Ville eppellée *Romanciana*, dépendante de le Metropole de Serdique, où habitoient les peuples appellez *Beſſi*, que ce Saint convertit, & que Baronius s'eſt trompé, lorſqu'il l'a fait Evêque d'Aquilée. Holſtenius e doctement parlé de toutes ces difficultez dens une Lettre qu'il écrivit à un de ſes amis, ſur quoy je vous diray, Monſieur, en paſſant, que M. de Mazaugues e diverſes lettres dudit Holſtenius & eutres Sçeveos écriter à feu M. de Peireſk, qu'il ne terdera pas de mettre en jour. Je confirme les découvertes d'Holſtenius par diverſes remarques.

Je fais voir qu'il y e eu deux Saints Servatius en l'Evêché de Tongres, qui fût depuis transferé à Maſtrich, & de là à Liege, dont le premier fût contemporain de Victor Evêque de Mets, & aſſiſta avec luy au Concile de Cologne tenu en l'en CCCXLVI. & le ſecond fût contemporain de Saint Auctor auſſi Evêque de Mets, & a ſenti du tems de l'invaſion des Gaules par Attila Roy des Huns, Paul Diacre dans ſon livre des Evêques de Mets parle de l'un & de l'autre en decrivant les ravages que fit Attila, & non ſeulement Sigebert dans ſa Chronique, mais encore Flodoard dans ſon Hiſtoire de Rheims, portent le même temoignage, Et ce qui eſt bien conſiderable, c'eſt que Flodoard dit que ce ſecond Servatius vivoit du tems de S. Nicaiſe Evêque de Rheims, de S. Loup Evêque de Troye, & de S. Anian Evêque d'Orleans, qu'il eſt certain avoir été en vie l'en CCCCL. Il eſt auſſi à remarquer, qu'Harigerus qui n'a reconnu qu'un Servatius, dont il a fait la vie, rapporte des vers qui diſent que Servatius & Loup Evêque de Troye ont ſauvé dans le même temps, l'un la Ville de Troye, & l'autre la Ville de Maſtrich, ou l'Evêché de Tongres fut transferé du temr d'Attila. De ſorte qu'Herigerus qui e donné naiſſance à l'erreur vulgaire d'un ſeul Servatius, l'e luy-même détruite, & Servatius ſecond eyant été fait Evêque l'an CCCXCVIII, comme dit Sigebert; voilà la Chronologie des Evêques de Tungres, de Maſtrich, ou de Liege rétablie dans ſon entier, comme on verre fort en long en ſon lieu.

La mort de Saint Benoît Fondateur d'un Ordre celebre qui e donné tant des grends hommes à l'Egliſe, appartient à l'an DXLIV, & au VII. des Calendes Avril, ou au XXVI. du moir de Mars qui tomboit la veille de Pâques, quoique ſa Fête ſe ſoit celebrée de tout tems le XXI. du même mois. L'Auteur Anonyme Benedictin, qui e compoſé le Chronique de ſaint Medard, & un autre Anonyme Auteur de le Chronique de Fecan, que je crois auſſi avoir été Benedictin, nous apprennent l'année de cette mort,, mais ils ne l'ont pas peu perſuader aux Sçavans, parce qu'ils croyoient que non ſeulement tous les Martyrologes, mair encore le vie de Saint Maur compoſée par Feuſtus, dont le temoignage ne peut pas être rejetté, étoient directement contreires à ces deux Chroniqueurs. Mais il feloit prendre gerde à deux choſes. La premiere que les Fêtes des Saintr ſont ſouvent celebrées en d'eutres jours qu'en celuy du leur mort, comme j'ay établi pour principe dans le premier Tome de ma Critique, & que je prouve par une infinité d'exempler dans les deux Tomes ſuivans. Et la ſeconde que les Interpolateurs tel qu'e été Odo qui nous e donnè le vie compoſée par Feuſtus, ejoûtoient ſouvent non ſeulement le jour de la mort, meis encore diverſes choſes incertaines & même fauſſes, qu'ils croyoient toutefois de bonne foy être indubitables, ce que je demontre auſſi par pluſieurs exemples. De ſorte qu'Odo liſant dans Fauſtur, que luy & ſes compagnons veillerent toute le nuit de la veille de Pâques, là où Fauſtus evoit dit, *noctem illam, quæ ſeptimo Kalendas Aprilis habebatur, & quæ ſacratiſſimum vigiliarum Paſchæ illuceſſebat Sabbatum*, e crû que le copiſte au lieu d'écrire *ſeptimo Kalendas Aprilis*, evoit mis *duodecimo Kalendas Apriles*, parce qu'il ſçavoit que la Fête de S. Benoiſt evoit toûjours été celebrée le XII. der Kalendes d'Avril. Voilà le ſolution d'une difficulté qui a exercé les eſprits pendant plus de ſix ſiecles. Toutes les autres interpolations, ou erreues des copiſtes qui ſont dens ladite Vie de S. Benoît, ne pourront plus à l'avenir faire aucune peine.

J'ay auſſi découvert que Saint Vvilfrid qui fût nommé à l'Evêché d'Vork l'an DCLXIV, ne fût neanmoins ſacré que l'ennée ſuivante, bien que Bede dans ſon Epitome en l'an DCLXIV diſe, *Ceadda & Vvilfrid ordinantur Epiſcopi*: parce que le mot *Ordinatio*, ou le verbe *Ordinarus* ne ſignifie ſouvent qu'election ou deſignation, comme on peut voir dans la Chronique de Marcellin en l'en DXI, & dens le Tome 4. des Concilies page 1303, où le Pape Hormiſdas écrit à Dioſcorus ſon Legat, qu'il a demandé à l'Empereur Juſtin, *ut te Alexandrinum Epiſcopum debeat ordinare*. D'ailleurs l'Autheur du Catalogue des Evêquer d'Vork rapporté par Labb. *Tom.* 1. *Biblioth.* dit que Vvilfrid fût chaſ-

ſé

ſé de ſon Evêché l'an DCLXXVII, *qui eſt annus Epiſcopatûs ſei mi*, ce qui ne pourroit pas être, ſi ſon ſacre avoit été fait l'an DCLXIV, & on s mal crû juſques icy que cet Autheur ſe trompe en ce qui eſt de l'année de l'exil de Saint Vvilfrid, puiſque Béde dans ſon Epitome le met en l'an DCLXXVII, & en l'année qu'un Comète parut au mois d'Aouſt. Apparition que je demontru n'être arrivée qu'en ladite année.

Saint Vvilfrid alla l'année ſuivante à Rome, & dans ſon voyage il paſſa l'hyver de l'an DCLXXVIII, dans la Friſe où il travailla à la converſion des Payens. Etant arrivé à Rome devant la mois d'Octobre, il aſſiſta à un Concile qui fu tint la même année, & non pas la ſuivante, comme il ſe lit dans toutes les Editions des Conciles, & dans tous les Auteurs qui en ont parlé. Saint Vvilfrid fût rétabli en ſon Evêché par ledit Concile; & retourna en Angleterre l'an DCLXXIX.

Je n'ay pas oublié de remarquer la faute qui ont fait tous les Auteurs que j'ay lûs, lorſq' ils parlent de l'année du la dépoſition de S. Vvilfrid qu'ils mettent en DCLXXVIII, particuliermeut ſur ce fondement qu'Eddius dans la Vie de ſaint Vvilfrid chap. 43. parlant d'Elfuin freru du Roy de Northumbrie qui avoit perſecuté ce Saint, & qui fut tué l'an DCLXXIX, dit, *Eo die anniverſario Elfuini Regis occiſi cadaver in Eboracum delatum eſt*. Malmesburienſis a colligé mal à propos de ces paroles que ſaint Vvilfrid fût exilé en l'an DCLXXVIII: car Eddius eût parlé de la même façon, quand même Elfuin n'eût été tué que l'an DCXC, puiſque le jour anniverſaire n'eſt pas ſeulement celuy de l'année qui ſuit immediatement une choſe, mais encore de toutes les autres ſuivantes. Ainſi parmi les ſermons de ſaint Leon le Grand il y en a quatre qu'il a prononcez, *in anniverſario die aſſumptionis ejus*, qu'on ne peut pas néanmoins dire avoir été prononcez dans une même année.

Saint Rupert premier Evêque de Saltzbourg n'eſt venu dans la Baviere appellé par Theodo, qui en étoit Prince, que la ſeconde année de Childebert Roy de France, & n'eſt mort qu'un peu aprés le commencement du huitiéme ſiecle, comme Dom Mabillon a deja dit dans les Actes des Saints de ſon Ordre; ce qui eſt d'autant plus veritable que je feray voir qu'Henry Valois dans ſon Hiſtoire de France a bien commencé les Ducs de cette Principauté par Garibaldus, qui vivoit ſur le milieu du ſixiéme ſiecle, & qu'il n'y a point eu de Duc en Baviere du nom du Theodo qu'environ un ſiecle aprés; en ſorte que Theodo converti par ſaint Rupert, ne peut être que le ſecond de ce nom.

Dom Mabillon à publié dans le quatriéme Tome de ſes Analectes les vers d'un Poëte incertain qui contienent un catalogue de tous les premiers Evêques ſuffragants du la Metropole de Saltzbourg, qui eſt admirable pour corriger une infinité des fautes commiſes par tous ceux qui ont fait juſques icy les catalogues de ces Evêques. Nous y liſons entre autes choſes que Vichterpus a été le premier Evêque de Ratisbone, ce qui avoit été juſques icy ignoré. Quelques Hiſtoriens recens avoient crû que ce Vichterpus avoit été Evêque du Monaſtere de S. Martin de Tours, ſur ce que dans les Annales de Metz qui ſe liſent dans le 2. Tome de la Bibliotheque de Labbe en l'an DCCLVI. il eſt dit: *Obiit Victerbus Epiſc. & Abba S. Martini. Fuit autem Bangoarius*. Mais ces dernieres paroles détruiſent cette opinion & font voir que ce Monaſtere de S. Martin étoit dans l'Allemagne, où Vichterpus a été Evêque. Aventin avoit veu la catalogue du ſuſdit Poëte, comme il conſte, parce qu'il dit au liv. 3. pag. 265. *Apparatus in Baremum*

où il parle d'un petit livre que Vvicterpus a voit écrit de ſa propre main dans ſon extrême vieillaſſe, & comme je n'ay veu aucun des Autheurs recens qui aye pris garde à la belle remarque que fait Aventin audit lieu, je ſuis bien aiſe d'en donner icy avis afin que le *Monaſticum Gallicanum*, auquel, j'apprend qu'on travaille, ſoit illuſtré de cette remarque qui donne jour à une choſe qui juſques icy avoit été dans des grandes obſcurités. J'oubliois de dire que j'ay decouvert l'année que la Tetrarchie de Baviere fût établie, qui éclaircit merveilleuſement l'Hiſtoire de ce Païs-là. Le premier qui l'a remarquée c'eſt Cirinus dans la Vie de S. Corbinien premier Evêque de Freſingen, où il dit que Theodo qui fût converti par S. Rupert diviſa ſa Principauté entre ſes trois fils, ce que je prouve être arrivé l'an DCCII, comme on trouvera en examinant cette nouvelle difficulté, parce que ſi je voulois raporter icy les preuves de mes opinions, il faudroit que je fiſſe un livre & non pas une lettre.

La plus part des Sçavans de ce ſiecle ont placé la mort de S. Boniface Apôtre de la Germanie en l'an DCCLIV. mais je feray voir qu'ils l'avancent d'une année, & raporteray icy ſeulement ce que dit S. Eigil Abbé de Fulde qui aſſiſta à la mort de S. Sturmio Abbé du même Monaſtere. Il dit que ce Saint Abbé quelques jours avant ſa mort transfera la corps de S. Boniface du ſepulchre, *in quo annos XXIV. poſitum fuerat*, &c. de ſorte que comme il eſt indubitable que S. Sturmio mourut l'an DCCLXXIX. il l'eſt auſſi que S. Boniface fût martyriſé l'an DCCLV.

S. Methodius Patriarche de C. P. étant mort le XIV. de Juin de l'an DCCCXLVI. quoy que juſques icy tous ayent été d'un contraire ſentiment, Saint Ignace fût ſacré Patriarche le IV. du mois de Juillet jour de Dimanche, par le conſeil de S. Joannicius, comme je collige de Nicetas dans la Vie de ce S. Patriarche. Il fût chaſſé de ſon ſiege, & l'Imperatrice Theodora de la Cour, l'an DCCCLVII, bien que tous les Autheurs ayent écrit que cela arriva une année plus tard, Car Nicetas aſſurant qu'elle a commandé avec ſon fils quinze ans & huit mois, ce que nous venons de dire ne peut être arrivé que l'an DCCCLVII. d'autant plus que l'Auteur du Libelle Synodique parlant du Synode du CP. que Photius tint contre ce Saint, dit qu'il a ſiegé onze ans, quatre mois, & vingt jours, ce qui fait voir que non ſeulement il fût ordonné le jour que deſſus, mais encore qu'il fût deposé le XXIII. du mois de Novembre, comme dit fort bien Nicetas, quoyque la verſion de Raderus ſoit corrompuë en cet endroit. Le texte de Nicetas eſt auſſi corrompu là où il dit qu'Ignace fût reſtabli aprés neuf ans d'exil, la Libraire ayant mis neuf à la place de onze, qu'il faut conter non complets de deux côtés.

Baſile ayant été fait Empereur rétablit S. Ignace l'an DCCCLXVII, un jour de Dimanche qui tomboit dans le XXIII. de Novembre, comme dit Nicetas, ſçavoir le même jour qu'il avoit été exilé, bien que non pas la même ferie, ce qui a trompé pluſieurs Ecrivains. Nicetas dit enſuite, qu'il governa l'Egliſe de CP. aprés ſon rétabliſſement pendant dix ans, d'où il s'enſuit neceſſairement qu'il mourût l'an DCCCLXXVII, le XXIII. d'Octobre jour marqué par le même Nicetas.

Je viens preſentement aux Pontifes Romains. Le Decret contre les livres apocryphes a donné la géne aux Ecrivains du nôtre ſiecle, mais j'ay trouvé que ſon Autheur eſt infailliblement le Pape Gelaſe, puiſque dans ce Decret les livres de Caſſian, & de Fauſtus y ſont mis parmi les apocryphes, & que dans le ſixiéme ſiecle les diſputes de la gra-

ce ayant eſté renouvellées, *Poſſeſſor* Evêque d' Afrique conſulta le Pape *Hormiſda*, touchant la doctrine de Fauſtus, lequel répondit que l' Egliſe ne la recevoit pas, c' eſt dans l' Epitre LXX. dudit Pape, où les Sçavans remarquent que ce Pape parle du Decret de Gelaſe. Mais il ne faut pas douter qu' Hormiſda n' envoya pour lors le Decret de Gelaſe en Afrique, & que de là ne ſoit venu l'erreur que ce Pape en eſt l' Autheur, parce que quelques copiſtes le lui attribuerent pour lors.

Le Pape Eugene II. fût le premier qui ordonna que les Pontifes Romains ſeroient ſacrés en preſence des Deputez de l'Empereur, ce qu'Otton premier de ce nom confirma l'an DCCCCLXII, & l'Empereur S. Henri l'an MXIV. comme il ſe voit dans Baronius aux mémes années. Le Pape Etiene VI. de ce nom avoit auparavant confirmé le decret d'Eugene, Gratian raporte la decret dudit Pape Etiene, ſans dire ſi c'eſt Etiene VI. ou un autre de ce nom; ce qui a fait que Baronius en l'an DCCCXVI. ayant attribué ce decret a Etiena IV. vulgairement appellé V, les Hiſtoriens tant Catholiques que Proteſtans, ont ſuivi juſques aujourd'huy cette opinion, qui a fait qu'una choſe tres-certaine eſt devenuë matiere da conteſtations qui n'ont fait qu'obſcurcir l'Hiſtoire & la verité, comme je feray voir.

La fable de la Papeſſe Jeanne a été controuvée entre l'an MCCLXXVIII. que Martin le Polonois mourût, & la commencement du quatorziéme ſiecle, que Ptolomée de Luques Religieux de l'Ordre de ſaint Dominique fleuriſſoit. Car celuy-cy dans le Livre 16, chap. 8. parlant de Leon IV, auquel les inventeurs de cette fable diſent que cette Papeſſe ſucceda, écrit: *Omnes quos legi, præter Martinum, tradunt poſt Leonem IV. fuiſſe Benedictum III. Martinus autem Polonus ponit Joannem Anglicum VIII.* D'où il s'enſuit que du tems de cet Hiſtorien cette fable étoit fort nouvelle, & qu'on l'attribuoit à Martin le Polonois, bien que mal à propos, comme je feray voir en ſon lieu.

Otton Evéque de Preiſingen, ayant écrit que Gregoire VI. avoit été élû canoniquement, il a entrainé generalement tous les Autheurs dans ce même ſentiment. Mais je feray voir par les Ecrivains contemporains, ſçavoir par le Pape Victor III. de ce nom, Bonizo Eveque de Sutrio & enſuite da Plaiſance, & par le Pape Clement II. qui a été témoin oculaire de ce qui ſe paſſa pour lors, que ſon élection fut ſimoniaque.

La charte de Leon IX, de la quelle Dom Mabillon au *liv. 2. de Re diplom. chap.* 25. dit avoir veû l'original, & de la quelle il colige que les Papes n'ont pas été conſtant dans la coûtume de conter les indictions au mois de Septembre, eſt ſuppoſée, comme ce ſçavant Autene reconnoîtra luy-même lorſqu'il l'examinera de plus prés.

Je retablis les Epoques de divers Conciles, & attribuë à chacun ce que j'ay peu decouvrir luy appartenir; mais les ſix qui ont été tenus ſous le Pape Symmaque m'ont plus donné de peine que tous les autres, parce que, comme Sirmond avoit déja pris garde, l'ordre des Conciles tenus ſous ca Pape eſt fort brouillé. Il n'a parlé que d'un ſeul, qu'il a tres-bien remarqué être le quatriéme en nombre, & celuy qu'on appelle ordinairement *Synodus palmaris*, mais il s'eſt trompé lorſqu'il a crû qu'il appartenoit à l'année DI. Car je prouveray par divers Mſſ. qu'il n'appartient qu'à l'an DIII. Il n'y a point de difficulté touchant les Epoques du premier & du dernier de ces Conciles, & par conſequent il m'a fallu prouver que le ſecond a été tenu l'an D, le troiſiéme l' an DII, le quatriéme l'an DIII, & le cinquiéme l'an DIV, Je me ſuis ſervi pour rétablir cet ordre étrangement perverti dans tous les livres imprimez, des Mſſ. qui ſe trouvent dans la Biblioteque de M. Colbert, dans celles de S. Victor, de Saint Germain des Pres & autres, & par leur moyen j'ay vaincu des difficultez qui paroiſſoient inſurmontables.

Comme les Conciles de Brâgue tenus ez années DLX, & DLXXII. ſont appellés *premier & ſecond* par les Anciens, qui en ont parlé, & que celuy qui a été mis dans la derniere Collection des Conciles eſt dit avoir été celebré au commencement du cinquiéme ſiecle; il y a d'autant plus da raiſon de douter qu'il ne ſoit ſuppoſé, qu'il continent des choſes qui ne ſont pas compatibles avec l'hiſtoire de ce tems-là.

Nul ne s'eſt encore pris garde que ſaint Boniface n'a preſidé qu'à cinq Conciles pendant ſa Legation, comme aſſûre Willibaldus dans ſa Vie, & je ne trouve pas qu'on aye fait mention du cinquiéme tenu l'an DCCXLVII, un peu auparavant que Carloman s'alla faire Moine, neanmoins il ne peut conſter que par ce dernier Concile, qu'on peut fixer le premier en l'an DCCXLII, & combattre ceux qui en ſuppoſent qui n'ont jamais été celebrés.

Le Concile de Forli n'a pas encore été bien placé, parce que quand il y eſt dit, qu'il a été aſſemblé l'an XXIII. & XV, les Ecrivains n'ont point tenu de conte de cette année XV, ou ont crû qu'il falloit effacer l'an XXIII, mais il falloit prendre garde que les Italiens ne conſoient pas les années de Charlemagne par ſon regne dans le Royaume de France, & que par ainſi ce Concile fut tenu l'an DCCXVI auquel Pepin Roy d' Italie acheva la quinziéme année de ſon regne, & Charlemagne commença la XXIII. ſelon ſa premiere Epoque qui commence un peu devant le quinze du mois d'Avril de l'an DCCLXXIV.

Le Concile de Lyon, que Louïs le Debonnaire convoqua, appartient à l'année DCCCXXXV, comme je colige de Theganus, des Annaliſtes de Fulde & de S. Bertin, & de trois lettres patentes données par ledit Empereur.

Le Concile de Paris, qu'on a mal à propos diviſé en deux, & qui fût tenu ſous Charles le Chauve, appartient à l'an DCCCXLVI, comme démontre évidemment la preface du Concile de Meaux aſſemblé la même année.

L'Epoque du Concile de Pavie ne tourmentera plus les eſprits, parce que j'ay enſeigné qu'il a été celebré l'an XXX de Lothaire & le premier de Louïs II. Empereurs, & que là où il y a: *Indictione XIV. & Lotharii atque Ludovici XXX. atque primo*, à la place de XIV, il faut lire XIII, & n'unir pas les deux ans des Empereurs, comme il eſt dit dans la Collection des Conciles, mais les diviſer da cette maniere, que le Concile fût tenu l'an XXX, de Lothaire, & l'an premier de Louïs II.

Le Concile d'Oviedo convoqué du tems du Pape Jean VIII. de ce nom, où cette Ville fût fait Metropole, fût tenu l'an DCCCLXXVI, comme Sandoval a fort bien remarqué. Mais comme Sampirus Hiſtorien d'Eſpagne a donné le torture aux Ecrivains qui ont voulu rechercher cette Epoque, je corrige les erreurs des copiſtes qu'il y a dans cét Hiſtorien par les Mſſ. & je donne un grand jour a cette Epoque ſi difficile.

Le Concile de Compoſtelle, qui eſt placé dans la derniere Edition des Conciles en l'an DCCCC, doit être fixé à l'an DCCCCLXXI, comme je crois d'avoir démontré, fondé ſur diverſes pieces que M. Baluze rapporte, & ſur d'autres titres qu'il a examinez devant moy, & je ne differe de ſon opinion que d'une ſeule année. Cette Epoque eſt une des plus difficiles des Conciles d'Eſpagne. Pour le ſecond Concile d'Oviedo, dont il eſt fait mention dans la Collection des Conciles de le Labbe, il eſt entierement ſup-

Digitized by Google

ſuppoſé, comme démontre ce qui eſt raporté dans le premier Concile tenu dans la même Ville.

Il n'eſt point parlé dans ladite collection du Concile d'Altheim tenu aux confins de la Rhetie & de la Baviere l'an DCCCCXVI, mais Aventin, qui en avoit vû les Actes, en a rapporté quelques decrets dans le quatrieme livre des Annales de Baviere, qui m'ont ſervi pour colliger la pluſpart des autres de la collection de Burchard, qui fait mention en divers endroits de la pluſpart de choſes qui y furent traitées; en ſorte que je donneray ce Concile preſque entier. J'ay auſſi recueilli du même Burchard ce qui regarde le ſecond Concile tenu à Altheim peu d'années aprés le premier, parce que Labbe n'en parle pas.

J'ay fait voir qu'il faut diſtinguer deux Conciles de Ravenne tenus ſous l'Empire d'Otton le Grand. Baronius & les Collecteurs des Conciles n'ont parlé que du premier, qui fût celebré l'an DCCCCLXVII. pour l'érection de Magdebourg en Metropole, mais je fais voir par un titre rapporté par Mesbomius dans ſes Notes ſur Witichindus, qu'il y en eût un autre l'année ſuivante. Labbe rapporte auſſi ce titre, mais d'un exemplaire interpolé qui empêche de découvrir la verité.

Dans la derniere Collection des Conciles, il y eſt dit qu'il y eût un Concile Romain celebré par Gregoire V. l'an DCCCCXCVIII, & un autre l'année ſuivante convoqué par Silveſtre II. ſon ſucceſſeur, mais je fais voir qu'il n'y eût pour lors qu'un ſeul Concile Romain tenu l'an DCCCCXCVIII. ſous Gregoire V.

Il y a fort peu de choſe du Concile de Dortmund, Ville de Veſtphalie, dans la Collection de Labbe, mais je l'ay trouvé preſque tout entier dans la Vie de Saint Adalberon Evêque de Mets, que le même Autheur avoit publiée auparavant dans ſa Bibliotheque. Ce Concile illuſtre merveilleuſement l'hiſtoire de ce tems-là.

Dans la même Collection deux Conciles Romains tenus ſous le Pape Nicolas II. ſont confondus en un, ſçavoir celuy qu'il aſſembla l'an MLIX, & un autre qui fût celebré l'an MLXI. J'ay tiré le ſecond d'Ailredus dans la Vie de Saint Edovard Roy d'Angleterre, où ſe trouva Aldredus Archevêque d'York, dont je dévelope fort clairement l'hiſtoire, quoique remplie des grandes tenebres.

J'ay trouvé le recit de ce qui fût fait au Concile de Melphi dans la Pouille au liv. 2. du Poëme de Guillaume de la Pouille Autheur contemporain, qui n'a été encore imprimé qu'une ſeule fois, & cela au ſiecle paſſé, ce qui fait qu'il eſt fort rare. Ce Poëte aſſûre qu'il fût tenu contre les Prêtres qui ſe marioient.

Le Concile de Mantoue tenu du tems du Pape Alexandre II, qu'on a uni dans toutes les Collections avec l'an MLXIV, apartient à l'année MLXVII, comme a fort bien veu Fiorentini dans la Vie de la Comteſſe Mathilde, l'opinion duquel je confirme par d'autres raiſons, parce que ce prochroniſme remplit l'Hiſtoire Eccleſiaſtique de tenebres pendant trois ou quatre ans.

Le Concile de Burgos, celebré du tems du Roy Alphonſe Roy de Leon & de Caſtille, ne peut en aucune maniere être tiré de l'an MLXXX, comme il ſe verra par l'Epoque de la ſeconde Legation du Cardinal Richard qui y preſida, & par les corrections que je apporteray du texte de Pelagius d'Oviedo, & de l'exemplaire dont Sandoval s'eſt ſervi.

Baronius & les Collecteurs des Conciles diviſent le Concile Romain qui fût tenu l'an MXCIX. en deux, mais je feray voir par les Actes même que le ſecond eſt entierement ſuppoſé.

Apparatus in Baronium

Quant à la chronologie des Roys de France, je crois d'avoir preſque achevé les decouvertes qui reſtoient à faire pour la mettre autant qu'il ſe peut à ſa perfection. Je montre que tous les anciens Annaliſtes rapportés par Ducheſne, commencent l'année par le jour de Noël, ce qui ſervira à corriger diverſes fautes qu'ont fait nos derniers Ecrivains. Theodebert Roy des François n'eſt pas mort l'an DXLVIII. comme ils ont crû, mais un an auparavant, comme avoit fort bien remarqué Gregoire de Tours, & Ducheſne a mis mal à propos à la marge de Gregoire qu'il mourût l'an XXXVIII. de ſon regne, au lieu que Gregoire & Fredegaire avoient fort bien XXXIX.

Je ne crois pas qu'on écrive plus que Ste. Theodechilde aye été fille de Clovis le Grand, ou qu'il y a eu deux Theodechildes, aprés les preuves que j'ay apporteés, qui font voir qu'il n'y en a eu qu'une, & qu'elle a été fille du Roy Thierry.

S. Sigibert Roy d'Auſtraſie eſt mort le premier de Fevrier de l'année DCLVI, comme avoit fort bien remarqué Sigebert dans ſa Chronique, & Clovis II. ſon frere eſt mort la même année, aprés la ſeconde ſemaine du mois de Novembre, mais je prouve que Clotaire III. aprés la mort de Clovis II. ſon pere n'a été Monarque que juſques en DCLX, & qu'aprés il regna encore dix ans, & mourût l'an DCLXX. Il eſt vray que Dom Mabillon *lib. 5. de Re Diplom. p. 579.* rapporte une charte de Clotaire écrite en caracteres Merovingiens, dans la quelle il dit, que l'an XVI, de Clotaire eſt marqué, mais il n'a pas pris garde que par la longueur du tems une partie de la derniere chiffre a été effacée, & luy même du depuis dans ſa Diſſertation de la mort de Dagobert & de Clovis ſon fils, a reconnû que Clotaire n'a pas regné ſeize ans, puiſqu'il a demontré que Clovis étoit mort l'an DCLVI.

Dom Mabillon & le Cointe ont fort bien remarqué que S. Didier Evêque de Cahors a été ſacré environ les Fêtes de Pâques de l'an DCXXIX. dans la huitiéme année de Dagobert, comme il conſte par la charte de Dagobert, par la quelle il commande qu'on ordonne S. Didier Evêque de Cahors. Mais ils ſe ſont trompés, en ce qu'ils ont crû, que la même année Dagobert premier donna l'Aquitaine à Charibert ſon frere, puiſque Fredegaire aſſeure que Charibert mourût la 3. année de ſon regne, & qu'il conſte que Charibert mourût l'an DCXXX. Et ne ſert de rien de dire, que ſi Charibert étoit Roy d'Aquitaine l'an DCXXVIII, Dagobert n'eût pas pû commander en DCXXIX. qu'on ſacra un Evêque de Cahors Ville d'Aquitaine, parce que, comme je feray voir, Charibert n'a jamais poſſedé la Ville de Cahors.

L'an de la mort de Dagobert II. Roy de France a été juſques aujourd'huy inconnû, mais je l'ay decouvert par le moyen de la clauſe d'un Mſ. publié par Dom Mabillon *Tom. IV. Analect. pag.* 233. où l'an III. de Thierry Roy d'Auſtraſie ſucceſſeur de Dagobert II. eſt deſigné par ces paroles; *à mundi initio anni ſunt V. milia DCCCLXXX, in anno tertio Teuderico Regis.* C'eſt l'ere des LXX. Interpretes, dont les années comencent à Paques. C'eſt pourquoy cet an du monde fût achevé l'an de Jeſus-Chriſt DCLXXX. devant le XXV. de Mars, autrement on n'eut pas pû conter l'an III. de ce Roy devant la Paques de l'année DCLXXX. Ce ſeroit en vain qu'on objecteroit ce que nous avons dit cy-deſſus parlant de Saint Vvilfrid, ſçavoir qu'il vint en Auſtraſie au printems de l'année DCLXXVIII. où il fût receu par le Roy Dagobert, qui par conſequent étoit encore vivant en ce temps là, Car les Hiſtoriens Anglois

Ll 2 com-

commençoient le printems le VII. jour de Févier, comme enſeigne Bede; & par ainſi il s'enſuit ſeulement que Dagobert fût tüé l'adite année aprés le VII. de Février, & devant le XXV. de Mars, comme je viens de faire voir.

Dom Mabillon raporte dans ſon Livre *de Re Diplom.* le teſtament d'Abbon fils de Felix & de Ruſtique, fait *ſub die III. Nonas Majas, anno XXI. gubernante illuſtriſſimo noſtro Carolo regna Francorum, indict. VII.* qui finis le dernier d'Aûſt de l'année DCCXXXIX. & croit que par le nom de Charles, il faut entendre Charlemagne, comme tous ceux qui l'ont devancé avoient crû. Mais il eſt certain qu'il le faut expliquer de Charles Martel, Charlemagne n'ayant jamais été appellé dans les inſtrumens publics du titre d'Illuſtre, comme l'a été Charles Martel dans ſes autres chartes. Ce teſtament eſt fort long, & il y eſt fait mention de divers Seigneurs & Evêques, que les nouveaux Ecrivains ont ſur ce fondement fait vivre du tems de Charlemagne, & renvoyé juſques audit temps la fondation du Monaſtere de la Novalaiſe qu'Abbo fonda par ſon teſtament, lequel étant maintenant mis en ſon tems ſert à corriger pluſieurs erreurs.

Non ſeulement les Allemands, mais encore pluſieurs François ont écrit de noſtre tems que Charlemagne étoit né dans la Germanie, mais je fais voir par l'autôrité des Anciens que ce grand Prince naquit pendant que Pepin ſon pere gouvernoit le Royaume de France, & Carloman la Germanie, ſçavoir l'an DCCXLII. ce que je confirme par les années qu'il a vécu, ſçavoir ſoixante onze, ou ſoixante douze qui finiſſent en l'an DCCCXIV. & commencent l'an DCCXLII. Les Annales de Macaï raportées par Labbe *Tom. II. Biblioth.* qui ſont fort exactes ont marqué en termes exprés l'année de la naiſſance de Charlemagne, & les Annales du Petau données au jour par le même Labbe, n'étant differentes de celles-là, que par les interpolations qui ne ſe trouvent pas dans les premieres; c'eſt en vain que quelques Ecrivains ont differé la naiſſance de ce Prince juſques en l'an DCCXLVII. marqué dans leſdites Annales interpolées. Je répons aux raiſons qu'on apporte contre l'opinion des Anciens, qui ont été pour la France.

On n'a pas pû découvrir juſques aujourd'huy l'erreur de Bede lorſqu'il parle de l'ordination de Saint Auguſtin Apôtre d'Angleterre, qu'il dit avoir été envoyé par Saint Gregoire le Grand à Ætherius Evêque d'Arles, afin qu'il le ſacra, comme il ſe voit liv. 1. chap. 24. Car comme Virgile étoit Evêque d'Arles lorſque ce ſacré fut fait, & Ætherius Evêque de Lyon, les uns ont crû que Bede a erré au nom de l'Evêque, & ainſi qu'il faut mettre Virgilius à la place d'Ætherius, & les autres qu'il a erré au nom du Siege Epiſcopal, & ainſi qu'il faut laiſſer Ætherius, & l'appeller Evêque de Lyon & non pas d'Arles. Mais il doit être à l'avenir inconteſtable que Bede a manqué au nom de l'Evêque, & non pas en celuy du Siege Epiſcopal. Car dans le Regitre de Saint Gregoire le Grand que Bede n'avoit pas vû au liv. 5. on lit l'Epître qu'il écrivit à Virgile Evêque d'Arles, qui eſt la LIII. par la quelle il luy ordonne de ſacrer S. Auguſtin, où au contraire l'Epitre que Bede raporte, & qu'il dit avoir été écrite à Ætherius Evêque d'Arlés, eſt adreſſée dans le même Regitre *Ætherio Copiſcopo*, ſans parler d'Arles ni de Lyon, & il n'y eſt point parlé du ſacré de Saint Auguſtin, & ne contient qu'une recommandation que ce Pape luy fait en faveur de ce Saint qui alloit prêcher la foy en Angleterre. Ces deux Epîtres furent écrites le même an & le même jour, comme il ſe voit dans ledit Regitre, & il ne faloit que les conferer entr'elles, pour connoiſtre l'erreur de Bede que j'explique fort au long, parce que les Autheurs Eccleſiaſtiques ont embroüillé cette matiere, pour n'avoir pas ſçû découvrir en quoy conſiſtoit l'erreur.

Quoy que dans l'Edition de l'Hiſtoire de Bede faite par Chifflet on liſe que le Roy S. Ethelbert, que S. Auguſtin convertit pendant ſa Miſſion, eſt mort l'an DCXVII, je montre neanmoins qu'il faut laiſſer l'an DCXVI. qu'on liſoit dans les Editions precedentes, & je le prouve par divers Miſſ. de Bede, répondant au fondement qu'a eu Chifflet.

Ce que dit Bede dans le quatriéme livre de ſon Hiſtoire de Sainte Hereſvide femme d'un Roy de l'Angleterre Orientale, & enſuite Religieuſe, & d'Hilde ſa ſœur Abbeſſe dans un celebre Monaſtere du même païs, eſt ſi embroüillé que je n'en fuſſe jamais venu à bout ſans l'aſſiſtance d'un homme ſçavant, qui m'a montré le chemin qu'il faloit tenir pour tirer la verité des tenebres. Je luy rendray dans ma Critique la juſtice que je luy dois, & j'avertiray ſeulement icy que je crois que l'Hiſtoire de Bede ne donnera plus de la peine ſur ce point.

La Vie de la Comteſſe Mathilde qui a tant fait du bien à l'Egliſe Romaine, a été écrite par le Prêtre Domnizo, mais avec tant d'obſcurité, que Baronius n'y a pas peu decouvrir le grand pere paternel de cette Princeſſe, ni Fiorentini qui en a examiné l'Hiſtoire ſelon les regles de la critique, y trouver ſa parenté avec l'Empereur Henry ſecond de ce nom, & avec l'Empereur Henry III. ſon fils. Il eſt pourtant certain que Mathilde a été petite fille de Federic II. Duc de Lorraine, & de Mathilde fille d'Herman Duc de Sueve, qui fut pere de deux filles, ſçavoir de Mathilde & de Giſele; la premiere fut mariée en premieres nôces à Conrad Duc de Carinthie, lequel étant mort l'an. MXII, elle ſe remaria à Federic II. Duc de Lorraine, duquel mariage ſortit Beatrix mere de la Comteſſe Mathilde. Pour Giſele elle eut pour mari l'Empereur Conrad le Salique, pere de l'Empereur Henry II, & ayeul de l'Empereur Henry III. J'en ay envoyé les preuves à M. Mario Fiorentini qui doit faire imprimer au plûtoſt les œuvres poſthumes de feu ſon pere, & enrichir le tout de diverſes remarques.

On a été juſques icy en peine de ſçavoir ſi l'Empereur Conrad le Salique, & le Pape Gregoire V. deſcendoient de Ludolfe fils du Grand Otton, ou de Luidgarde fille du même Empereur. On a ſuivi communement Guillelman, qui a fait un Traité de l'origine de l'Empereur Conrad, & on a crû que ledit Conrad & Gregoire V. deſcendoint de Ludolfe. Mais il eſt certain que ce ſçavant homme s'eſt trompé, & que Conrad, & Gregoire V. tiroient leur origine de Luidgarde, comme je prouve au long, répondant aux raiſons contraires. Je dirai ſeulement ici que Lambecius dans le ſecond Tome de la Biblioteque de Sa. Majeſté Imperiale pag. 393. raporte une petite Chronique d'un Auteur Anonyme qui vivoit du tems de l'Empereur Conrad le Salique, qui le dit en termes exprés, & decrit toute la genealogie dudit. Conrad.

J'ay detruit l'erreur vulgaire qui met la converſion des Bulgares en l'an DCCCXLV, ſur ce que les Ecrivains Byzantins diſent que cela arriva l'an IV. de l'Empereur Michel fils de Theodore. Car il faloit prendre garde que tous ces Autheurs ſe ſont manqués, ayant pris l'an IV. de cet Empereur regnant ſeul, qui tombe en l'an DCCCLXI, pour l'an IV. de ce Prince regnant avec ſa mere, qui appartient à l'an DCCCXLV.

Digitized by Google

DCCCXLV. Je me ſuis fondé ſur Nicetas en la Vie de S. Ignace E. de CP. qui inſinuë clairement que cela arriva pendant que Photius tenoit le ſiege de CP. & cependant c'étoit S. Methodius qui rempliſſoit ce ſiege l'an DCCCXLV. Cette correction eſt de grande importance.

Le tems de la converſion des Ruſſes a bien fait commettre des fautes. La Ruſſie contenoit un grand pais qui étoit gouverné par pluſieurs Roys. Il y en eut qui ſe convertirent l'an DCCCLXI, comme je tire de Porphyrogenneſe, & d'autres qui embraſſerent la Religion Chrétienne du tems de l'Empereur Baſile, comme il ſe voit dans le même Autheur, mais ni les uns, ni les autres ne perſevererent pas. Enfin les Ruſſes, que nous appellons aujourd'huy Moſcovites, ſe firent Chrétiens l'an DCCCCLXXXVIII, comme j'ai apris d'Elmacin Chrétien Schiſmatique de la ſecte des Jacobites au liv. 2. de l'Hiſtoire des Sarraſins chap. 16. Je n'ay trouvé aucun des Ecrivains recens qui aye pris garde à cette Epoque, & qui n'aye confondu les Ruſſes, avec ceux dont nous venons de parler.

Il eſt certain que les Polonois ſe convertirent devant les Moſcovites. Baronius & tous les Auteurs recents ſuivant ceux de Pologne fixent cette Epoque en l'an DCCCCLXV, & la fondent ſur une legation qu'ils diſent avoir été faite du tems du Pape Jean XIII, & que pour lors on erigea quelques Evéchez & deux Archevéchez, ſçavoir celuy de Gueſne, & celuy de Cracovie. Mais comme la Pologne n'a aucun ancien Hiſtorien, ni aucun titre d'où on puiſſe colliger cela, il n'y a point de fondement à faire ni ſur cette Epoque, ni ſur cette Legation; & d'ailleurs il eſt certain que Cracovie n'a jamais été Metropole, & que Gueſne ne le fût que l'an M. C'eſt ce que je feray voir dans le troiſiéme Tome de ma Critique, ne le pouvant expliquer icy en peu de paroles.

Je regle chronologiquement les Epitres de Theodoret par le moyen de celle qui eſt la LXV. en nombre, écrite l'an CCCCXLVII. *Zenoni Magiſtro militum*, ce qui eſt bien eloigné de l'ordre qu'on a donné juſques icy aux Epitres de Theodoret, mais que je crois d'avoir rendu inconteſtable.

Les deux Epitres du Pape Zacharie à S. Boniface Apôtre de la Germanie, qui dans l'Edition des Conciles ſont la IV. & la V. en ordre, ont été écrites aprés le mois d'Août de l'an DCCXLIII. aprés le Concile de Liptines celebré la même année, mais comme il y a erreur dans la date de la IV. où on lit: *Data X. Kal. Julii &c.* quelques Sçavans ont crû qu'elle avoit été écrite aprés le Concile de Soiſſons celebré l'an DCCXLIV. Je demontre qu'il faut lire, *data X. Kal. Octob. imperante Domino Artabaſdo anno III. P. C. anno III, ſed & Nicephoro anno I, indict. XII.* & par cette correction, qui eſt infaillible, je tire des tenebres les faits dont il y eſt parlé.

Comme le nom de Vvigbert a été donné en Angleterre à divers Moines ou Prelats, le Saint de ce nom, dont Loup Abbé de Ferreire a fait la Vie n'a pas peu donner de peine à ceux qui s'adonent à la critique. Je fais voir que S. Boniface n'etant pas encore Archevéque de Mayance, établit vers l'an DCCXXXII. Saint Vvigbert Abbé du Monaſtere de Fritislar dans l'Allemagne, & que Loup appellant Boniface Archevéque de Mayence, quand il fit ce choix, il ne luy donne le titre d'Archevéque que parce qu'il fût du depuis élevé à cette dignité, & qu'aprés ſa mort il n'a pas été appellé autrement, ce qui detruit l'erreur vulgaire qui ne veut pas que S. Vvigbert aye été Abbé devant que S. Boniface fuſſe nommé à l'Archevéché de Mayence, & ſert à corriger diverſes fautes.

Les Geographes & les Critiques n'ont peu juſques aujourd'huy decouvrir la ſituation des peuples appellés *Leutici*, les uns ayant dit qu'ils eſtoient les mêmes que ceux qui habitent la Luſace voiſine de la Sileſie, & les autres les plaçent ailleurs, mais la Vie de S. Othon E. de Bamberg & Apôtre de la Pomeranie les eut tous tiré de peine, puis qu'elle la decrit, & dit clairement que ces peuples habitoient le pais que nous appellons maintenant Merlebourg.

La victoire que les Chrétiens d'Eſpagne remporterent ſur les Sarrazins *ad Septimancas*, qui leur fût ſi glorieuſe & ſi utile, appartient à l'an DCCCCXXXIX. comme avoit fort bien marqué Calviſius, ce que je met hors de controverſe.

L'Epoque de l'arrivée des Normands en Italie où ils firent de ſi grandes choſes, doit étre reculée juſques en l'an MXVI, comme je prouve par Lupus Protoſpata, & par la correction que je fais des nombres marqués dans l'Hiſtoire de Leon d'Oſtie corrompus par les copiſtes.

Dom Mabillon a fort bien montré que Datius Eveque de Milan n'a point composé de Chronique, & je fais voir que Datius le jeune, à qui les Hiſtoriens modernes de Milan en attribuent une, eſt un nom ſuppoſé, & qu'il n'eſt pas l'Auteur de ce qu'on luy attribué.

Le Prêtre Eutropius Lombard ſur lequel Marca & pluſieurs autres ſe ſont fondés, lorſqu'ils ont parlé du pouvoir des Empereurs François dans Rome, eſt un conteur des fables, comme on trouvera ſi on l'examine comme j'ay fait.

Le même Marca a fait une diſſertation de la patrie de Vigilantius, & a fort bien montré qu'il étoit né dans les Gaules, mais il n'a ſçû où ſe tourner, lorſqu'il a été ſur le paſſage de ſaint Jerôme dans le livre qu'il a fait contre cet Hereſiarque. J'ay confirmé la lecture du lieu de Saint Jerôme par les Mſſ. & corrigé les exemplaires imprimez, en ôtant un point qu'on y avoit mis mal à-propos, ce qui avoit porté ce grand homme a tirer des conſequences qui embrouillent le paſſage qui n'étoit déja que trop obſcur. Il eſt couché dans les Mſſ. de cette ſorte: *Nimirum reſpondet generi ſuo, ut qui de latronum & Convenarum natus eſt ſemine (quos Cn. Pompeius, edomitâ Hiſpaniâ, & ad triumphum redire feſtinans, de Pyrenæi jugis depoſuit, & in unum oppidum congregavit; unde & Convenarum urbs nomen accepit) hoc uſque latrocinetur contra Eccleſiam dei, & de Vectonibus, Arebacis, Celtiberiſque deſcendens*, &c. Je crois neanmoins qu'Henry Valois dans ſa Notice des Gaules, a raiſon de dire que ce mot, *de Vectonibus*, eſt corrompu, mais ſa conjecture ne me paroit pas juſte, diſant qu'il faut lire *de Veronibus* car je crois que Saint Jerôme avoit écrit *de Vaſconibus*, comme j'expliqueray, & feray voir que ledit Valois n'a pas eu raiſon d'écrire que Saint Jerôme s'eſt trompé, & que même il s'eſt contredit.

J'ay fait une correction bien plus conſiderable que celle-cy, lorſque j'ay examiné le voyage de Melanie en Orient, pour bien fixer le commencement des troubles qui furent excités aprés ſon retour à l'occaſion d'Origene. C'eſt que dans la Chronique de Saint Jerome où on lit dans toutes les Editions: *Melania...... unico Pratore tunc Urbano filio derelicto, Hieroſolymam navigavit.* J'ay demontré qu'il faloit lire, *unico, Pratori tunc Urbano, filio derelicto*. Car, comme enſeigne Ulpian, le Preteur de Rome donnoit des Tuteurs à ceux qui n'en avoient point, & Melanie abandonnant ſon fils fort jeune, & toutes choſes pour ne penſer plus qu'à Dieu, ce fût au Preteur à le pourvoir d'un Tu-

Tuteur. Cette correction eſt tres-certaine, comme je prouve fort au long, & fais voir que Melanie & Rufin partirent pour l'Orient ſur la fin de l'an CCCLXXI, & allerent droit en Egypte, où Melanie demeura pendant ſix mois, devant que d'aller en Jeruſalem. Saint Jerôme en l'Epitre XXV. *ad Paulam*, dit qu'elle partit pour Jeruſalem *ingruente jam hyeme*, de ſorte que S. Paulin en l'Epitre XXIX. nous aſſeurant qu'elle retourna en Occident *poſt quinque luſtra*, les paroles de S. Jerôme ne ſe peuvent entendre que de la fin de l'an CCCLXXI. Melanie retourna donc à Rome au commencement de l'an CCCXCVII, accompagnée de Rufin, comme a fort bien écrit Baronius; d'où il s'enſuit que les Epitres de S. Paulin XXVIII. & XXIX, écrites à Severe, n'appartienent pas à l'an CCCXCVIII, comme a crû Chifflet. C'eſt néanmoins en ladite année que l'Hereſie d'Origene, qu'ils avoient enſeignée des lors arrivée à Rome, commença à faire du bruit, & que Rufin écrivit ſon livre appellé *Periarchon*. J'explique fort exactement ce qui ſe paſſa pour lors en cette affaire, particulierement par les Epitres de S. Paulin, que je crois d'avoir retablies en leur temps.

Je fais voir que S. Paulin a été fait Evêque de Nole l'année CCCCIII, ou la ſuivante, ce que je prouve par ſes Epitres & autres documents. Enfin je fais voir que l'Epitre XCIV. de Saint Paulin à Saint Auguſtin, & l'Epitre XCV. de S. Auguſtin à S. Paulin, ont été écrites aprés l'an CCCCXI., & répons aux raiſons contraires.

J'ay trouvé que la Notice des Provinces Eccleſiaſtiques que Sulita a adjoûté à l'Itineraire d'Antonin, & que depuis André Schottus a fait reimprimer, a été écrite fort tard par un Anonyme ignorant, qui n'entendoit rien à la Geographie Eccleſiaſtique & l'ayant conferée avec divers Mſſ. pour rejetter les interpolations, j'en ay decouvert les erreurs principales, afin qu'elle ne trompe plus les Sçavans, comme elle a fait juſques aujourd'huy.

Ce ne fût par le ſacre de Berenger Roy d'Italie qui fût declaré nul par le Concile tenu à Rome ſous le Pape Jean IX. mais celuy de l'Empereur Arnoux, fait par le Pape Formoſus; ce que l'Empereur Lambert obtint de Jean IX. C'eſt pourquoy le decret pour le couronnement de Lambert, rapporté par Baronius l'an DCCCCIV, & par Labbe *Tom. IX. Concil.* où il eſt dit: *Unctionem barbaricam Berengarij, qua per ſurreptionem extorta eſt, omnimodis abdicamus*, a été interpolé, & il en faut rejettee le mot de *Berengarii*. De plus il ne faut pas placer les Conciles de Rome & de Ravenne en l'an DCCCCIV. comme ont fait Baronius & Labbe, mais en l'an DCCCXCIII. C'eſt par le moyen de ces deux obſervations que j'ay diſſipé les tenebres de l'Hiſtoire des Papes, & des Empereurs de ce temps-là.

Voilà Monſieur, une partie, quoyque bien petite, des découvertes que je crois d'avoir faites, que je vous prie de communiquer à vos amis, comme je feray aux miens, & afin que la publication de cette Lettre ne puiſſe point porter de prejudice à mon Ouvrage, je la feray mettre à la tête du ſecond Tome de ma Critique, puiſque vous me le conſeillés ainſi; vous aſſûrant cependant, Monſieur, que je ſuis toujours tout à vous,

Fr. ANT. PAGI.

A Aix, ce 1. Octobre MDCXCV.

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE
PERIODO
GRÆCO-ROMANA.

I.
Uſus anni Juliani & Periodi Julianæ in Chronicis.

SCaliger ante centum & aliquot annos (Libros enim ſuos *de Emendatione Temporum*, anno Chriſti MDLXXXIII. Pariſiis primum in lucem emiſit) modum tradere volens, quo Chronicon abſolutiſſimum confici, Chronologiaque ad majorem perfectionem perduci poſſit, docuit, *anno Juliano* tanquam vero temporum elencho, ſtabilique fundamento opus ſuperſtruendum eſſe; quod contextus temporum ſine anno Juliano, ſit velut navis ſine velis, ramis & armamentis; ideoque eam anni formam adhibendam eſſe, non modo rebus explicandis illius inſtitutione poſterioribus; ſed prioribus etiam, & ab ipſo Orbis initio geſtis: quamvis aliam tum anni formam, immo quælibet fere natio propriam haberet. Ulteriuſque progrediens Chriſtianorum Orientalium imitatione *Periodum* artificialem compoſuit, quam *Julianam* vocavit, quæ omnes Eras complectitur, omniumque fere vicem gerit. Conſtat ea e tribus Cyclis, Solis, Lunæ & indictionum in ſe ductis, vel eſt Periodus Dionyſiana DXXXII. annorum per XV. ſeu per circulum Indictionis multiplicata. *Nam ſive XIX. annos per XXVIII. multiplices, ſive hos per illos, numerum eundem efficies* DXXXII, inquit Sanctus Maximus Martyr in Computo Eccleſiaſtico cap. 18.

II.
Quot annos Periodus Juliana contineat.

Periodi Julianæ ſumma eſt annorum 7980. eaque ejus conditio, uti duo quilibet Cycli in eundem annum concurrentes, alteri in tota Periodo convenire nequeant; ſicque anni omnes miro modo inter ſe diſtinguantur, notis ſcilicet illis & characteribus temporariis. Annus enim Julianus v. g. XLV., in quem Natale Chriſti Dionyſianum omnino conſerri debet, Cyclo Lunæ I. Solis IX. indictionis III. notatur; quos Cyclos annus Periodi Julianæ 4713. ſi per XIX. per XXVIII. & per XV. partiatur, offert; quoſve nullus alius ejuſdem Periodi annus exhibere poteſt.

III.
Periodus Juliana omne temporum ſpatium includit.

Ea itaque Periodus omnium temporum, ideoque & omnium Aonilium initia antecedit. Cum enim primus Eræ Chriſtianæ annus illigetur anno ejus 4714. (Latini quippe annum primum Chriſti, non a die XXV. Decembris Natali Chriſti ſacro, ſed a Kalendis Januariis inſequentibus auſpicantur) tempora quæ ab Orbe condito fluxere, præcedentibus Periodi Julianæ annis attribuenda; ſi quis tamen tantum annorum numerum Natale Chriſti anteceſſiſſe exiſtimaverit. Verumenimvero cum Chronologi, paucis exceptis qui ad LXX. Interpretum calculos adhærent ex Hebraicis & Latinis Bibliorum Codicibus intervalla ſubducant, nulluſque plures quam quatuor mille & aliquot centenos annos ante Natale Chriſti præteriiſſe arbitretur; hinc fit, ut *Periodus Juliana* ante omne temporum ſpatium *prolepſi* quadam Mathematica incipiat; ſicque in illa Chronologiæ omnes Scriptorum Latinorum includantur, & in eadem ſedem inveniant. Etenim Romana & Occidentalis Eccleſia fixam & immutabilem Chriſti annorum epocham retinet, de qua inter omnes convenit; cum nullus ſit qui hunc ipſum, in quo verſamur, annum non numeret MDCLXXXVIII. a qualicumque anno Juliano & initio Chriſti Natale deducat.

IV.
Natale Chriſti Dionyſianum cardo quidam eſt Chronologiæ.

Magna quidem de anno, quo Chriſtus natus, inter Chronologos, etiam eruditiſſimos, controverſia; omnes tamen annos Chriſti eodem modo computant; neque qui Chriſti Nativitatem anno v.g. Juliano XLI. affigendam cenſent, majorem annorum ſummam colligunt, quam qui vel ante illum annum Julianum, vel uno aut altero poſt eum Chriſtum in mundum veniſſe arbitrantur. Quare annus Periodi Julianæ 4713. in quem Natale Dionyſianum conjiciendum, cardo quidam eſt Chronologiæ, ideoque qui cum Uſſerio v. g. annos 4003. & aliquot menſes mundum Eræ Chriſtianæ principio anteriorem eſſe putant, ejus conditum cum anno Periodi Julianæ DCCX. conjungunt. Qui cum Petavio Natalem Chriſti vulgarem in finem anni ab Orbe condito 3983. cadere volunt, primum annum mundi cum anno Periodi Julianæ DCCXXXI. inchoant; & ſic de aliis Chronologorum ſententiis; cum, uti mox dixi, nullus ex iis, qui ſupputationem Hebraicam Bibliorum ſequuntur, plures annos quam 4713. immo nec tantam annorum ſummam ante Chriſtum fluxiſſe tradat. Ex quo quanta ſit hujus Periodi in rebus Chronologicis utilitas, quilibet facile intelligere poteſt.

V.
Omnium temporum menſura.

Primum ejus beneficio tam certorum quam incertorum ante Chriſtum temporum certam menſuram habemus. Cum enim qui annos ab Orbe condito numerant, in tanta opinionum varietate verſentur, ut vix alter cum altero conſentiat, ſi quæratur v. g. quo ante Chriſtum anno prima Olympias cœperit, invenies *Petavium* ejus initium cum anno mundi 3208. Uſſerium cum anno mundi 3228. alioſque Chronologos cum aliis mundi annis copulaſſe, neque magis certus eris, poſtquam varios hac de re Chronologos conſulueris, niſi prius diſcas quot a mundo condito ad primum Chriſti annum quilibet computet annos. Contra vero ſi Periodum Julianam Scriptor, quem ad hanc difficultatem ſolvendam leges, adhibeat, nullo ſtatim negotio agnoſces, quot annis initium primæ Olympiadis ab Era Chriſtiana diſtet; neque opus erit, ut ſcias quot ille annos ante Chriſtum mundo attribuat. Nam, cum annus primus Olympiadis minime controverſus ſit, omnes illum in annum Periodi Julianæ 3938. notatum Cyclo Lunæ V. Solis XVIII Indictionis VIII. niſi errare velint, conjicere debent. Eadem ratio eſt de aliquo tempore incerto, v. g. de anno mortis Homeri, Poetarum Græcorum prin-

principis; alter quippe eam uni anno mundi, alter alteri connectit; ſicque quot ante Chriſtum annis eam accidiſſe putent, ab iis diſcere non poſſumus, niſi nobis conſtet, quot annos mundi ante Chriſtum natum elapſos fuiſſe ſupponant. Quod incommodum Julianæ Periodi ope vitatur, non quod rei incerto tempore geſtæ certum annum repræſentet; ſed quod eam conjungat cum anno, quem ante Chriſtum eſſe milleſimum v. g. nullus negare poteſt.

VI. *Retrograda annorum numeratio erroris obnoxia.*

Falluntur autem qui credunt, *retrogradam annorum* Eram Chriſtianam antecedentium *numerationem* ad id ſufficere, ſi videlicet dicatur primam Olympiadem v. g. anno ante Chriſtum DCCLXXVI. celebratam, vel urbem Romam anno ante Chriſtum DCCLIII. conditam. Nam hic ſupputandi modus Cyclos cuilibet anno proprios repræſentare non poteſt; ex quibus tamen varia commoda ad rem Chronologicam redundant. Et deinde ea numeratio tum moleſta, tum errori etiam, niſi ſaltem major attentio adhibeatur admodum obnoxia. Quod etiam apparet in annis, qui poſt Chriſtum prætereere, cum iis qui præceſſere, componendis. Scire volo v. g. quot annis Julii Cæſaris nex ante Conſtantini Magni Imperium acciderit, ſeu quot anni a Julii morte ad Conſtantini initium effluxerint, ſi Periodo Juliana non utar, mihi ſuponendum, Julium occiſum anno XLIV. ante Chriſtum, dein ab anno Chriſti CCCVI. quo Conſtantinus regnare cœpit, ad primum Chriſti annum, ac denique ad annum XLIV. ante Chriſtum retrocedendum: ſicque colligo Julium interemtum quinquaginta ſupra trecentos annos ante Conſtantinianum Imperium. Verum intervallum illud Julianæ Periodi opera facilius certiuſque eruitur. Trucidatus enim Julius anno Periodi Julianæ 4670. & Conſtantinus anno ejuſdem Periodi 5019. Imperium ſuſcepit. Quare cum ab anno 4670. ad annum 5019. elapſi ſint anni CCCXLIX. certum inter Julii mortem & Conſtantini initium annorum ſpatium comperio eſſe annorum CCCXLIX. Cumque conſtet, Julium die XV. Martii peremptum, Conſtantinum autem die XXV. menſis Julii Auguſtum renunciatum, invenio mortem illam contigiſſe annis CCCXLIX. menſibus quatuor, ac diebus decem ante Imperium Conſtantinianum.

VII. *Neceſſitas Periodi artificialis.*

Poſſemus quidem hanc annorum interjectionem per epocham Urbis conditæ dimetiri, numerando ſcilicet ab anno Urbis DCCX. qua ea cædes patrata, ad annum Urbis 1059. quo Conſtantinus Imperator creatus. Sed præterquam quod annus Urbis a Kalendis Januariis inchoandus eſſet, uti de facto Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, cum tempora per Conſules digeſſere, auſpicatos eſſe exiſtimo; cum numerandi ſunt anni exempli cauſa, qui a Troja capta ad Conſtantini exordium intercurrerunt, ex menſura uſui eſſe non poteſt; quia Troja longe diu ante Romæ conditum expugnata. Quare ad epocham artificialem identidem neceſſario recurrendum.

VIII. *Periodus Juliana omnium Erarum fulcrum.*

Secunda Periodi Julianæ utilitas in eo ſita, quod ſit omnium Erarum, præſertimque earum quæ Eram Dionyſianam antecedunt; de quibus major difficultas, fulcrum & ſuſtentaculum; v. g. Olympiadum, annorum Urbis, Alexandreorum aliorumque; eoque magis quod varia ſint eorum annorum principia. Nam Græci ab æſtivo Solſtitio annos ſuos inchoabant; idque Olympiadum initium erat. Romani conditæ Urbis epocham a verno tempore auſpicabantur: Syro-Macedones ab autumno: aliique ab alio certo Exoquo primordio annos ſuos incipiebant. Quæ omnia non parvam hiſtoriæ Chronologiæque ſtudioſo moleſtiam, & plerumque non mediocris erroris occaſionem præbent, dum ſcilicet diverſiſſimos annos inter ſe componit. Ex quibus cum Juliana Periodus educit; cum a Kalendis Januariis exordiens, & quamlibet diſcrepantes epochas includens, eas ſuſtentet, earumque Cyclos offerat.

IX. *Memoriam juvat.*

Tertia denique Periodi Julianæ commoditas eſt, quod ad memoriam ſublevandam, ac præcipuos Hiſtoriæ cardines faciliter retinendos magnopere confert. Si enim pauciſſimarum epocharum annos in Periodo Juliana memoriæ commendaveris: ut puta annum primum Chriſti ſciveris eſſe ejuſdem Periodi 4714. Olympiadis vero 3938. & primum Urbis conditæ annum 3961. ex Varroniana putatione; reliquas Hiſtoriarum epochas, quarum ad aliquem ex illis cardinibus intervalla cognoſces, levis additionis vel ſubtractionis labore ſuis temporibus aſſignabis, in quacumque demum Chronologia. Exempli cauſa, Julii Cæſaris mors contigit anno Varroniano DCCX. Ad annos itaque 3960. adjice 710. fient anni Periodi Julianæ 4670. Eo anno Cæſar interfectus eſt. Volo ſcire quoto id anno contigerit ante Chriſtum; de 4713. tollo 4669. reſtant XLIV. igitur anno ante vulgarem Natalem, XLIV. Julius Cæſar occiſus. *Credi vix poteſt*, inquit Petavius lib. 7. de Doct. Temp. cap. 8. *quam expeditum ſit hoc negotium, quamque nihilominus accuratum; ut qui ſe in Periodi iſtius uſu gnaviter exercuerit Chronologiam ſecum ambulantem, non in chartis & libris deſidentem habeat*, Libro vero 9. cap. 6. ait: *Hoc adempto præſidio cæca & obſcura eſt Annalium ſeries; nec niſi per ambages, annorum ſitus explorari poteſt.* Verum quidem eſt, eam non ſolum ubi a Scaligero propoſita, ſed etiam poſtea per viginti & amplius annos tam ab imperitis quam a pleriſque Viris doctis vel contemtam, vel rejectam. Sed temporis progreſſu hoc inventum tantæ utilitatis judicatum, ut Chronica, quæ eo ſubſidio, vel ſaltem Cyclis deſtituta in lucem prodiere, non magnam opinionem Auctoribus exiſtimationemque pepererint, & Chronologiæ promovendæ parum inſervierint. Hoc hodie Doctorum omnium Chronologorum ſincerum ac verum de Periodo Juliana judicium.

X. *Methodus Periodica magis perfici poteſt.*

Sed cum quæ ab aliis inventa poſſint magis promoveri ac augeri, ut hanc methodum Periodicam faciliorem ac utiliorem redderem, in animum indui; quem finem ut aſſequerer, non parum temporis inſumſi: venit in mentem quod ſcribit Nicephorus Gregoras initio explicationis ſuæ in librum Syneſii de Inſomniis: *οὐδὲν καινὸν εἰ πολλὰ τῶν πάλαι κακῶς εὑρημένων, καινοτομοῖντο ἐπὶ τὸ βέλτιον, ὥσπερ ἐν Χρονικῷ περιόδῳ ἐπ᾽ ἄλλοις ἄλλαι μεγάλαι φύσεις βλαστάνουσαι, εἴτε τοῦ Χρόνου φιλεῖν ἔχοντος ἄλλα ἐπ᾽ ἄλλοις ἀεὶ ἐπιφέρειν καινότερα, εἴτε τῆς τῶν ἀνθρώπων φύσεως ἀμηχανούσης εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς ἐπὶ τὸ ἐντελὲς*, id eſt: *Nihil novum neque abſurdum eſt, ſi permulta quæ quondam ſumma cum difficultate adinventa fuerunt, in melius immutentur: quemadmodum e converſione & circuitu temporum ſuper aliis alia magna vehementeſque naturæ germinant & oriuntur, ſeu ipſo tempore ita comparato, ut ſemper alia ſuper aliis recentiora afferat, ſeu ipſa humana natura ſtatim a principio ad id quod in ſuo munere abſolutum eſt, pervenire nequeat.*

XI. *Robertus Lotharingus non eſt Auctor Periodi Julianæ.*

Scaliger Græcorum exemplo, Cyclorum, Solis, Lunæ & Indictionis circulos uſui Chronologiæ adaptavit, & methodum Periodicam ad univerſam Chronologiam dirigendam Latinos docuit. Ejus enim inventum Periodus Juliana, non vero *Roberti Lotharingi*, anno MLXXIX. Epiſcopi Herefordenſis in Anglia renunciati, ut ſuſpicatus eſt Uſſerius in Præfatione ad Annal. Veteris Teſtamenti; putavit enim eam ab illo primum notatam, & a Scaligero ad Chronologiam dirigendam accommodatam; qua vel in re ſola magnam gloriam Robertus adeptus eſſet, cum ingentia ex ea in Doctrinam Tem-

po-

parum redundent emolumenta. Verum ea Viri doctiſſimi conjectura ſubſiſtere non poteſt: cum tantum abeſt, ut *Robertus* Natali Chriſti Dionyſiano tanquam cuidam cardini adhærendum docuerit, ut illud in alium annum Julianum transferendum eſſe cum Mariano Scoto voluerit, ut diſerte ſcripſit Willelmus Malmesburienſis lib. 4. de Geſt. Pontif. pag. 286. Robertus *omnium liberalium artium peritiſſimus abacum præcipue, & Lunarem computum, & cœleſtium aſtrorum curſum rimatus. Erat tunc temporis Monachus Marianus apud Moguntiam inclusus, qui longo ſolitudinis otio Chronographos ſcrutatus diſſonantiam Cyclorum Dionyſii Exigui contra Evangelicam veritatem vel primus, vel ſolus animadvertit. Itaque ab initio ſæculi annos ſingulos recenſens, XXII. qui circulo deerant ſuperaddidit, magnam & diffuſiſſimam Chronicam facere adorſus. Eum librum miratus Robertus unice, æmulatus mirifice Angliæ invehendum curavit. Denique captus Mariani ingenio quidquid ille largius dixerat, in arctum contrahens deflora*vit; *adeo ſplendide, ut magis valere videatur defloratio, quam ingentis illius voluminis diffuſio*. Epitome illa Roberti Lotharingi periit, vel in tenebris latet, & Mariani Schoti Chronicon in omnium manibus verſatur; verum animadverſio ejus quam Robertus, Malmesburienſis & alii pauci mirati ſunt, a poſterioribus jure merito contemta, rejectaque; & eam vel ſola Periodus Juliana futilem eſſe evincit.

XII. *Quod Dionyſius Abbas cœpit, Auctus abſolvit.*

Cum tamen Periodus Juliana commodior univerſaliorque haberi poſſit, nullus, opinor negaverit quin in ejus locum ſubroganda ſit, & ambabus, ut ita dicam, manibus amplectenda. Dionyſius Exiguus, qui Juſtiniano Magno imperante floruit, duo ab Orientalibus ad Latinos tranſtulit, Eram ſc. Incarnationis ac Cyclos Solis & Lunæ Alexandrinos: Scaliger vero, perſuaſus Dionyſium parentem eſſe Eræ Incarnationis quam Eccleſia Latina adhibet, videnſque eam non ſufficere, ut anni mundani qui Chriſtum præceſſere ſine incommodo cum iis qui ſubſecuti ſunt connecti poſſint, in era Incarnationis nihil mutandum judicavit, ſed tantum Periodum aliquam conficiendam quæ apud Latinos efficeret quod Eræ mundanæ apud Græcos. Verum non tantum Era Dionyſiana, ſed etiam Periodus mundana cum qua ab Alexandrinis alligata fuerat, ſervandæ erant; cum Periodus Alexandrina integra & immutata ad univerſam Latinorum Chronologiam regendam accommodari poſſit, & majora ex ea in rem Chronologicam, quam ex Juliana emolumenta ſint redundatura. Hoc mihi in hac Diſſertatione propoſitum eſt quod ſonſecuturum Deo dante, ſpero, quo pacto Doctrina temporum non parum promoveri poterit.

XIII. *Ante Eram Incarnationis Chriſtiani Occidentales nullam propriam habuere.*

Sed antea de Era Incarnationis, de Cyclo DXXXII. annorum ac de tribus Eris mundanis Græcorum, aliqua præmittenda. Prioribus Eccleſiæ ſæculis Chriſtiani Occidentales non alia annorum numerandorum forma, quam Gentiles ac Romani utebantur. Tandem Dionyſius Cyclo XCV. annorum a Sancto Cyrillo Alexandrino Epiſcopo compoſito alium totidem annorum ſubſtituens, cum annis Diocletiani, quod a Cyrillo præſtitum fuerat, illigare noluit; ſed annis Incarnationis: eaque occaſione Era illa ad Latinos ab eo tranſlata. Hæc Dionyſii verba in prima ſua Epiſtola, data *Philoxeno ac Probo Coſſ.* anno nempe Chriſti DXXV. Poſtquam de Cyclo ſuo XCV. annorum locutus eſt: *Quia vero Sanctus Cyrillus primum Cyclum ab anno Diocletiani* CLIII. (qui anno Chriſti CDXXXVI. inchoatus eſt) *cœpit & ultimum in* CCXLVII. (qui anno Chriſti DXXX. exorditur) *terminavit: nos a* CCXLVIII. (anno Chriſti DXXXI. inchoato) *anno ejuſdem Ty-*

ranni potius quam Principis inchoantes, noluimus Circulis noſtris memoriam impii & perſecutoris innectere: ſed magis elegimus ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti annorum tempora prænotare; quatenus exordium ſpei noſtræ notius nobis exiſteret; & cauſa reparationis humanæ, id eſt, Paſſio Redemptoris noſtri evidentius eluceret. Duæ Incarnationis Eræ in Oriente inſtitutæ fuerant; quarum altera primum Incarnationis annum in annum Julianum XLIII. altera in annum Julianum XLV. confert. Priori uſus eſt Euſebius in Chronico; & poſterior Panodoro Monacho Ægyptio, qui Arcadii Imperatoris & Theophili Alexandrini Epiſcopi tempore vixit, a Georgio Syncello in ſua Chronographia attributa. Epiphanius hæreſi 66. paragrapho 20. ejus meminiſſe videtur, cum ait: *Ab Aſcenſione Chriſti ad Manem Hæreticum & Aurelianum ac Probum Imperatores* (alterum ſcilicet excedentem, alterum ineuntem) *annum ſubduci* CCXLVI. *aut ſecundum alios* (a Nativitatem Chriſti, non, ut ibidem habetur, ab Aſcenſione Chriſti) CCLXXVI. Plane juxta Eram Dionyſianam qua initium Probi Imp. in annum Chriſti CCLXXVI. incidit. Dionyſio poſterior hæc Incarnationis Era magis probata fuit, ideoque & eam Circulis ſuis innectere voluit.

XIV. *Era Incarnationis a Græcis ad Latinos translata.*

Carpit non ſemel Scaliger Dionyſium, quod Eram Incarnationis biennio breviorem, quam par fuiſſet, compoſuerit, *quod utinam numquam in mentem veniſſet, aut ille hoc imperandi, aut nobis parendi*, inquit in lib. 6. de Emendat. Temp. pag. 548. ubi pro certo ponit, Natale Chriſti contigiſſe anno Juliano XLIII. quo ideo Eram Chriſtianam inchoatam fuiſſe vellet. Idem eſt Calviſii, aliorumque Chronologorum de Eræ Dionyſianæ initio judicium. Verum nulla Incarnationis Era a Dionyſio inſtituta, ſed ea tantum, quam *Panadorus* Monachus aut ſecutus fuerat aut forſan concinnarat, ab eo ad Latinos tranſlata, ut certo diſcimus ex Chronographia Georgii Syncelli, quam Jacobus Goar clariſſimus Dominicanus poſt Scaligeri & Calviſii mortem publici juris fecit. Ex eo enim Opere ſub finem octavi Eccleſiæ ſeculi aut ſequentis initio promulgato, liquet, Panadorum annum Incarnationis illigaſſe cum anno mundano Antiocheno 5493. ideoque cum anno Juliano XLV. ut ejus exemplo poſtea a Dionyſio factum. Imo altero poſt Dionyſium ſeculo *Conſtantinopolitani* eandem Incarnationis Eram adoptarunt, neglecta ea quam Julius Africanus, Euſebius aliique amplexati fuerant. *Solent Græci ut plurimum*, inquit Allatius in Opuſculo de Hebdomadibus Græcorum, *imo fere ſemper, dum annos recenſent, non a Chriſto nato, ſed ab Orbe ipſo condito numerare*, &c. *Calculus modo Eccleſiæ Orientalis, qui ſeco apud omnes ſolemnis eſt, & quo omnes non tantum ad dirigenda tempora, & feſtorum indicandas ſolemnitates, ſed inter commercia & congreſſus familiares utuntur, is eſt ut ab Orbe condito ad Chriſtum natum annos 5508. numerant. Quare his tantum numerus ſubtrahendus: qui remanet, erit annus a Chriſto nato*. Unde Era Chriſtiana eadem hodie eſt apud Latinos & Conſtantinopolitanos; cum hoc tamen diſcrimine, quod hi eam ab Incarnatione, illi a Nativitate vocant, ac præterea quod Latini ea in omnibus ferme Actis publicis, Græci vero numquam fere utantur: quod & de Moſcovitis qui noſtro tantum ſeculo ſeſe a Patriarchæ Conſtantinopolitani juriſdictione ſubtraxere, dicendum. Commodius tamen eo annos 5509. ex Era Conſtantinopolitana ad annos Chriſti cum illa conjungendos detrahes, ut infra videbitur.

Hanc Incarnationis Eram eo lubentius Occidentales amplecti debuere, quo jam Imperium XV.

Incarnationis Era non ſtatim ab omnibus recepta.

Occidentale defecerat, & regiones quæ olim Imperatori Occidentali paruerant, variis Regibus tunc parebant. Præterea ſupputatio per Conſules, quæ etiam non multo poſt Dionyſii mortem uſurpari deſiit, non parum tunc incommoda erat, dum Conſul alter in Oriente, alter in Occidente renuntiaretur, & non raro contingeret, ut in Occidente ignoraretur, quis in Oriente Conſul deſignatus fuiſſet. Nihilo tamen minus Era Incarnationis non ſtatim ab omnibus recepta. Scribit Scaliger eam in Gallia non admiſſam niſi tempore Caroli Magni. Ejus tamen mentionem invenio in Diplomate a Carolomanno data, in quo memoratur Incarnationis annus DCCXLII. ut videre eſt in Capitularibus Regum Francorum ab eruditiſſimo Baluzio publicatis. Quare prima Francorum Regum ſtirpe deficiente, hæc Era paulatim in uſum vocata; & quidem in Gallia & Belgio annos incipiebat a Paſchate, in Anglia, uti etiam hodie a die XXV. Martii Annunciationis B. Virginis facere, & nonniſi anno MDLXIV. Caroli IX. edicto in Gallia annus a Kalend. Januarii inchoari cœptus. In Belgio vero anno MDLXXVII. a Kalend. Januariis annus inchoatus, teſte Auberto Myræo in Chronico. Denique nonniſi a paucis ſeculis Hiſpani & Luſitani *Eram Hiſpanicam* abrogarunt, & in ejus locum Dionyſianam ſubſtituerunt. Quoad *Eram Diocletianeam*, quam Dionyſius loco laudato Cyclis ſuis ſe illigare noluiſſe tradit, ea numquam ab Occidentalibus in Actis publicis uſurpata, imo neque ab Orientalibus, præterquam a Chriſtianis Ægyptiacis qui & etiamnum ea utuntur. Fatendum tamen hanc Eram omnium eſſe antiquiſſimam, quæ a Chriſtianis inſtituta fuerit. In reliquo enim Oriente, Chriſtiani, uti in Occidente, in Scriptis publicis ſignandis a Gentilibus non diſcrepabant. Quare in Syria *Eram Seleucidarum* ſeu annos Alexandreos, ut Gentiles ac Pagani, adhibebant, imo & ea etiamnum apud Chriſtianos Surianos in uſu eſt, ut patet ex illorum Computo Eccleſiaſtico a Scaligero in fine librorum de Emendat. Temp. publici juris facto.

XVI. *Cycli Alexandrini ad Occidentales a Dionyſio tranſlati.*

Non tantum Eram Incarnationis, ſed & *Cyclos Alexandrinos*, ut jam inſinuavimus, Dionyſius in Occidentem invexit. Quamvis enim, ut ſcribit Petavius lib. 6. de Doct. Temp. cap. 5. Paſchalis controverſia Nicæni Concilii auctoritate ſublata videri poſſet, atque proviſum in perpetuum fuiſſet, cum Epiſcopo Alexandrino mandatum eſt, ut quotannis celebritatis illius tempus indiceret: graves nihilominus ab eo tempore eadem de re turbæ & diſſenſiones extitere. Neque enim Alexandrinorum Græcorumque decreta totus Occidens initio amplexus eſt, ſed plerique peculiaribus ſeſe legibus ac regulis obſtrinxerunt. Nam aureos numeros in Kalendariis ſuis aliter inſtituerunt, & emboliſmæos annos non eoſdem obſervarunt: Paſchales quoque termini ſuo quodam, & Alexandrinis contrario more deſcripti. Hinc flagrantiſſimæ illæ Latinos inter & Græcos altercationes exortæ, quæ in aperta nonnunquam odia, Eccleſiarumque divortia proruperunt. Primus apud Occidentem Dionyſius, quo ſuos cum Alexandrinis in concordiam adduceret, damnata Latinorum methodo, aureos numeros totamque Paſchatis celebrandi rationem ex Alexandrinorum Faſtis in Romanum Kal. tranſtulit.

XVII. *Nonniſi temporis progreſſu ab omnibus recepti.*

Quæ res, ut ſubjungit Petavius, non omnibus Occidentis populis initio probata, paulatim apud illos obtinuit. Ita demum abrogatis extinctiſque Latinorum numeris, Alexandrini omnibus in Romanis urbis Kalendariis eorum loco ſubſtituti ad Gregorii XIII. Pontificis Romani tempora perſeverarunt. Sed cujuſmodi prima illa & nativa numerorum aureorum, ſeu Cyclorum Lunæ diſpoſitio a Dionyſio conſtituta fuerit, nequaquam inter Auctores convenit. Nam neque numerorum illorum ſitus in vulgatis Kalendariis unus idemque deprehenditur; & ſunt qui veterem ac Dionyſianum contextum a poſterioribus interpolatum fuiſſe cenſeant. Qua de re fuſe docteque diſſerit Petavius citatus, qui ideo conſulendus; in hoc enim Opuſculo nonniſi quæ certiora videntur, referenda.

XVIII. *Dionyſius Cyclos XCV. & DXXXII. annorum compoſuit.*

Licet autem inter eoſdem Auctores etiam non conveniat, an *Dionyſius* Cyclum tantum XCV. annorum, quem Cyrilliano totidem annorum ſuccedere voluit, an etiam Cyclum DXXXII. annorum, qui *magnus Cyclus Paſchalis* communiter appellatur; etiam compoſuerit, & Petavius qui Tom. I. de Doct. Temp. utrumque ei attribuit, in poſteriori eam opinionem retractarit, ac Dionyſium Cyclum tantum XCV. annorum deſcripſiſſe æſtumaverit; tamen Dionyſii verba in prima ſua Epiſtola laudata clariora ſunt, quam ut nos ea de re dubitare ſinant. *Hoc monemus*, inquit, *quod Cyclus iſte nonaginta quinque annorum, quem fecimus, non per omnia in ſe ipſum revertitur: & ideo poſt expeditionem nonaginta quinque annorum, non ad quintum Cyclum Sancti Cyrilli, qui incipit Cyclos ſuos ab anno centeſimo quinquageſimo tertio Diocletiani, quorum quintum Cyclum neceſſario nobis propoſuimus, ſed ad noſtrum PRIMUM CYCLUM, quem nos ab anno ducenteſimo quadrageſimo octavo ejuſdem Diocletiani incepimus, Lector occurrat.* Dionyſius itaque duos Cyclos condidit, alterum ut Cyclos a Cyrillo compoſitos continuaret, de quo ſolo Cyclo in duabus ſuis Epiſtolis loquitur; alterum, quem loco laudato vocat *primum*, DXXXII. annorum cum Era Incarnationis inchoandum. Cum enim Cyclus Cyrilli XCV. annorum ſubſtitutus in orbem non rediret, & eo deſinente novo XCV. annorum opus eſſet, Dionyſius, ut in plures annos Paſchatis dies haberi poſſet, compoſuit Cyclum magnum Paſchalem DXXXII. annorum, quo ſpatio exacto omnes neomeniæ & omnia feſta mobilia in eundem diem menſis, & in eaſdem ferias redeunt. Hinc ejus initium duxit, non a Cyclo Lunæ Soliſque primo, ſed a Cyclo Solis nono, Lunæ primo; cum tamen Periodi naturæ hoc poſtulare videatur, ut primus amborum Cyclorum annus ſimul incipiat. Verum, cum Dionyſius Cyclum DXXXII annorum ab Alexandrinis ad Latinos transferret, illum Cyclo Lunæ I. & Solis IX. exordiri debuit. Annus enim mundi Alexandrinus 5777. qui menſe Septembri CCLXXXIV. initium ſumit, & cum primo Diocletiani die XVII. Septembris ejuſdem anni Auguſti nuncupati, concurrit, diviſus per XIX. & XXVIII. Cyclum Lunæ I. & Solis IX. relinquit. Cyclos autem Græcorum a primo Diocletiani anno inceptos fuiſſe, extra controverſiam eſſe debet. Hincque ratio nobis innoteſcit, cur ab his Cyclis Solis & Lunæ Dionyſius Eram Incarnationis & Cyclum ſuum DXXXII. annorum inchoaverit: quæ hactenus omnes fugit.

XIX. *Victorius non fuit Auctor Periodi DXXXII. annorum.*

Tradunt paſſim Chronologi, *Dionyſium* Cyclum DXXXII. annorum a Victorio Aquitano confectum recoxiſſe, hunc que primum magni hujus Cycli Paſchalis inventorem extitiſſe. Verum *Victorius* primus quidem fuit apud Latinos, qui illum Cyclum adhibuit; ſed ejus inſtitutio Orientalibus debetur. Syncellus enim pag. 35. loquens de Aniano celebri Monacho Ægyptio, qui eodem quo *Panadorus* tempore claruit, ait: *Anianus Incarnationem anno 5500. completo, ac exeunte 5501. contigiſſe demonſtrat, ac Chriſtum reſurrexiſſe XXV. die Martii, quem & eundem Dominicum primo conditum in edita*

Paſcha-

Paſchatis tabula DXXXII. annorum, mundi anno 5534. finiſſe convincit. Panadorus in pleriſque eadem quæ Aniano dicta inculcans, licet ab arcana Nativitate ponenda anno 5500. ſeptem integris annis brevior definiat, ac ideo a Paſchali die aberret: hæc enim 5526. mundi anno eam accidiſſe Martii XX. tradit. Cyclus itaque Paſchalis DXXXII. annorum longe ante Victorium concinnatus. Sed ea Periodus Aniano antiquior. Photius enim in Bibliotheca ait, *Metrodorum* compoſuiſſe Periodum DXXXII. annorum, eamque a primo Diocletiani anno incepiſſe. Qui Metrodorus idem fuiſſe videtur cum illo quem Hieronymus in Chronica prodit vixiſſe Conſtantini Magni temporibus, & de quo ſcribit: *Metrodorus Philoſophus agnoſcitur.* Sed quidquid ſit de primo hujus Cycli inventore, certum eſt, eum non fuiſſe *Victorium*; valde veroſimile, Dionyſium aliam Periodum DXXXII. annorum quam Victorianam, quæ ab anno Paſſionis Chriſti docebat exordium, a primo Diocletiani anno ad primum Chriſti retraxiſſe.

Quia vero plurimum refert, ut quilibet proprio marte e Cyclis Dionyſianis Solis & Lunæ *diem Paſchatis*, a quo cætera feſta mobilia pendent, eruere & errores, ſi qui a Typographis commiſſi ſunt in noſtra Critica vel aliis libris emendare poſſit, Cyclum Solis cum ſuis litteris Dominicalibus cuilibet anno propriis, & Cyclum Lunæ cum terminis ſuis Paſchalibus heic exhibendos duxi, & poſtea ad propoſitum revertar. *XX. Cyclus Lunæ cum terminis ſuis Paſchalibus, & Solis cum litteris Dominicalibus exhibentur.*

LATERCULUM[a] *Terminorum Paſchalium in Cyclo Lunæ Dionyſiano.*

Linea annorum Cycli Lunaris Dionyſiani.	Termini Paſchales.
1	v. Aprilis.
2	xxv. Martii.
3	xxiii. Aprilis.
4	ii. Aprilis.
5	xxii. Martii.
6	x. Aprilis.
7	xxx. Martii.
8	xviii. Aprilis.
9	vii. Aprilis.
10	xxvii. Martii.
11	xv. Aprilis.
12	iiii. Aprilis.
13	xxiiii. Martii.
14	xii. Aprilis.
15	Kal. Aprilis.
16	xxi. Martii.
17	ix. Aprilis.
18	xxix. Martii.
19	xvii. Aprilis.

LATERCULUM Litterarum Dominicalium in Cyclo Solis Dionyſiano.

Anni.	Litteræ
1	G F.
2	E.
3	D.
4	C.
5	B A.
6	G.
7	F.
8	E.
9	D C.
10	B.
11	A.
12	G.
13	F E.
14	D.
15	C.
16	B.
17	A G.
18	F.
19	E.
20	D.
21	C B.
22	A.
23	G.
24	F.
25	E D.
26	C.
27	B
28	A.

XXI. *Methodus utrumque eruendi ex annis Dionyſianis.*

Cyclus Lunæ eſt reſolutio Periodica novemdecim annorum, quibus elapſis Novilunia & Plenilunia fere ad idem tempus redeunt. Dicitur alio nomine *cyclus Decemnovennalis*, item *Decaeteris* vel *numerus aureus*, propter inſignem ejus uſum in feſtis mobilibus totius anni deſignandis. Is Cyclus terminum Paſchalem ante reformationem Kalendarii Gregorianam oſtendit, cujus beneficio, quo menſis die Paſchata celebrata fuerunt, ſcire poſſumus. Cyclus vero Solis eſt revolutio viginti octo annorum ad reperiendam litteram Dominicalem cujuſcumque anni inſtitutus. Elapſis enim annis XXVIII. feriæ in orbem redeunt; quod tamen de ſtatis Feſtis, non autem de mobilibus, ut de Paſchate aliiſque intelligendum. Inveniri poteſt Cyclus Lunæ illius anni, cui a latere adſcriptus eſt terminus Paſchalis. Sic in iiſdem Chriſti annis invenietur Cyclus Solis, ſi illi de quo quæſtio eſt, *adiiciantur novem*, & tota ſumma dividatur per XXVIII. Qui enim reliquus erit numerus, Cyclum Solis illius anni offeret, cui a latere ſignata eſt littera Dominicalis. Dico, Cyclo *Lunæ unitatem*, Cyclo vero *Solis novem unitates* addendas, quas ſcilicet in utroque Cyclo ante primum Chriſti annum fluxiſſe ſupponimus.

XXII. *Methodus eruendi Paſcha e Cyclis Solis & Lunæ.*

Terminus Paſchalis non eſt per ſe dies Paſchatis, ſed tantum indicat, Paſcha celebrari Dominica proxima, quæ illum diem ſequitur. Quare Paſcha ex ſolo Lunæ Cyclo educi non poteſt; ſed præterea Cyclus Solis adhibendus, qui diem Dominicam proximam poſt terminum oſtendat. Cyclus itaque Lunæ inventus una cum Cyclo Solis tempus Paſchatis certiſſime definiet. Anno Chriſti v. g. CCCLXXX. Paſcha celebratum eſt die XXVIII. Martii, quia is annus notatur Cyclo Solis XXVI. Lunæ II. Cyclus autem Solis XXVI. habet litteram Dominicalem C. & *terminus Paſchalis* Cycli Lunæ II. dies eſt XXV. Martii, qui cum eo anno concurrerit cum die Jovis, Paſcha non potuit celebrari niſi die XXVIII. ejuſdem menſis, qui primus Dominicalis eſt poſt terminum Paſchalem, diem nempe præfatum XXV. Martii, & ſic de aliis quibuſcumque Chriſti annis. In annis ante Chriſtum Cycli Solis & Lunæ ut Characteres temporum, quibus ſinguli anni diſtinguuntur, tantum conſiderandi. Ut Lectorem cura inveſtigandorum Cyclorum & Paſchatum cujuſlibet poſt Chriſtum anni levarem, tam Cyclos quam Paſchata cuilibet anno in meo opere præfixi, quod & in quibuſcumque Annalibus fieri debet. Et hæc ſatis de Cyclis Dionyſianis Solis & Lunæ ab Alexandrinis mutuatis.

XXIII. *Periodi mundanæ Orientalium explicantur.*

Nunc, ut Dionyſii exigui conſilium ſuppleam Cyclos Solis & Lunæ Alexandrinos primævæ ſuæ Periodo reſtituam, eamque uſibus latinorum accommodem, tres Eræ ſeu Periodi mundanæ Chriſtianorum Orientalium accuratius, quam hactenus factum fuerit, exponendæ. Ex tribus itaque Periodis illis altera *Alexandrina* vocatur, uti a Theophane, quando de Anaſtaſio Imperatore loquitur: altera dicitur *Antiochena*, tertia denique *Conſtantinopolitana*, ſeu etiam *Romana* a Theophane loco laudato, eo quod Conſtantinopolis eſſet *nova Roma* appellata. In priori Incarnatio conſignatur anno mundi 5501. in ſecunda anno mundi 5493. in tertia vero anno mundi 5509. & hæc fere ſine controverſia, quæ tota in eo ſita, cum quo ſcilicet anno Juliano tres illi trium harum Epocharum mundanarum anni, quibus Divina Incarnatio affigitur, copulari debeant. Priorem enim annum, nempe mundi, ſecundum Alexandrinos 5501. Scaliger in libris de Emendat. Temp. cum anno Juliano XLV. Petavius vero in libris de Doct. Temp. & Auctario ad eoſdem libros cum anno Juliano LIV. Eræ vero Dionyſianæ IX. conjungendam contendit. In aliis duabus Eris mundanis Græci cum latinis conveniunt, & tam annum mundi 5493. quam 5509. in anno Juliano XLV. auſpicantur. Verum, annum mundi Alexandrinum 5501. inchoari in anno Juliano XLIII. vel die XXV. Martii, uti a Georgio Syncello, vel menſe Aprili, uti a paucis quibuſdam, vel communiter a Kalendis Septembris, ideoque Alexandrinos decem annos ante Antiochenos, & hos ſedecim ante Conſtantinopolitanos Mundi conditum incipere, certum eſſe debet. Quod ſi quis in præfatis annis cum Julianis, in quibus incipiunt, connectendis erraverit, in iiſdem cum annis Chriſti conjungendis non poterit non errare. Vides in hoc Laterculo quomodo trium harum Erarum anni tam inter ſe, quam cum annis Julianis ac cum annis Chriſti conveniant; & quomodo Conſtantinopolitani annis ſedecim prius quam Antiocheni, ſex vero ante Alexandrinos Mundum creatum ſupponant.

Digitized by Google

XXIV. *Connexio annorum Christianorum Orientalium cum annis Julianis.*

LATERCULUM ANNORUM TRIUM ERARUM MUNDANARUM
Christianorum Orientalium cum Julianis & Incarnationis connexorum.

Anni mundi Antiocheni a Septemb.	Incarnationis a Septemb.	Anni Mundi Alexandrini a Septemb.	Incarnationis a Septemb.	Anni mundi Cpolitani a Septemb.	Incarnationis a Septemb.	Anni Juliani a Kal. Januariis.	Anni Dionysiani a Kal. Jan.
		Initium Mundi.		1.			
				2.			
				3.			
				4.			
				5.			
		1.		6.			
		2.		7.			
		3.		8.			
Initium Mundi.		4.		9.			
		5.		10.			
1.		6.		11.			
		7.		12.			
2.		8.		13.			
		9.					
3.		10.		14.			
4.		11.		15.			
		12.		16.			
&c.		13.		17.			
5449.		14.		18.		1.	
		&c.					
5450.		5459.		19.		2.	
5491.		5460.	1.	20.		43.	
5492.		5501.	2.	&c.		44.	
5493.	1.	5502.	3.	5463.	1.	45.	
5494.	2.	5503.	4.	5466.	2.	46.	1.
5495.	3.	5504.	5.	5507.	3.	47.	2.
5496.	4.	5505.	6.	5508.	4.	48.	3.
5497.	5.	5506.	7.	5509.	5.	49.	4.
5408.	6.	5507.	8.	5510.	6.	50.	5.
5499.	7.	5508.	9.	5511.	7.	51.	6.
5500.	8.	5509.	10.	5512.	8.	52.	7.
5501.	9.	5510.	11.	5513.	9.	53.	8.
5502.	10.	5511.	12.	5514.	10.	54.	9.
5520.	28.	5512.	30.	5515. 5515.	28.	72.	27.
5521.	29.	5530.	31.	5517.	29.	73.	28.
5522.	30.	5531.	32.	5518. 5536.	30.	74.	29.
5523.	31.	5532.	33.	5537.	31.	75.	30.
5524.	32.	5533.	34.	5538. 5530.	32.	76.	31.
5525.	33.	5534.	35.	5540.	33.	77.	32.
5526.	34.	5535. 5536.	36.	5541. 5541.	34.	78.	33.
5527.	35.	5537.	37.	5542.	35.	79.	34.

In Era

XXV. *Explicatur Periodus Alexandrina Mundana.*

In Era mundana Alexandrina aliqui jungunt Incarnationem cum anno 5500. aliqui cum anno 5502. De more tamen cum anno Juliano XLIII. Imo Syncellus modo ſcribit, Chriſtum natum anno mundi 5500. modo anno 5502. Verum quando dicit, Chriſtum natum anno 5502. numerat annum illum inter annos Incarnationis. Contra vero quando dicit natum cum anno 5500. eum annum in ſummam non confert, ſed incipis poſtea numerare primum annum Chriſti anno 5501. qui ſemper eſt ei primus annus Chriſti. Scribit etiam, Chriſtum natum anno CLXXXI. undecimæ Periodi DXXXII. annorum, qui ut mox videbitur, concurrit cum anno 5501. qui ideo apud Græcos paſſim pari paſſu procedit in minori numero cum annis Divinæ Incarnationis. Præterea annus ille mundi ſecundum Alexandrinos per XXVIII, XIX. & XV. partitus reddit Cyclum Solis XIII, Lunæ X, Indictionis XI. Quare cum annus Julianus XLIII, cui ille mundi annus reſpondet, Indictione Romana proleptica I. notetur, ut videre eſt in noſtra Critica, Alexandrini decem ſemper Indictiones plus quam Latini numerant: ideoque ſi decem numeros ex illorum anno mundano rejicias, qui reſtabit, conveniet cum Indictione Romana; eaque methodo agnoſces quando annos illos mundi Alexandrinos recte cum annis Chriſti conjunxeris. Hæc tamen decem Indictionum abdicatio fieri tantum debet in annis mundanis qui ante primum Diocletiani Imperatoris fluxere. Nam ab eo tempore, poſt mutilatam nempe Eram Alexandrinam, qua de re mox, anni mundi Alexandrinorum eandem Indictionem reddunt ac anni Chriſti Dionyſiani: ſicque utrumque computatio minus errori obnoxia.

XXVI. *Era Alexandrina a S. Hippolyto Martyre uſurpata.*

Era hæc cæteris duabus longe antiquior. Ea enim uſus eſt *Julius Africanus*, qui anno Chriſti ducenteſimo viceſimo primo *Grati & Seleuci Conſulatu* notato Chronicon ſuum abſolvit, ut ipſemet teſtatur apud Photium. Uſurpata & ea a S. Hippolyto Julio Africano coævo, aliiſque Antiquis, ut diſcimus ex Vita Sancti Euthymii Magni Abbatis, ſcripta a Cyrillo Monacho & Græce Latineque recitata a Cotelerio tomo 2. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ, in qua cap. 109. dicitur: *Sabbata dormis in pace, & ad eam quæ illic eſt, tranſit beatitudinem: ſenex & plenus dierum viceſima die menſis Januarii, in anno quidem mundi creationis ſecundum tempora ſcripta ab Hippolyto illo antiquo ipſiſque familiari, & ab Epiphanio Cyprio, & ab Herone Philoſopho & Confeſſore, quinquies milleſimo nongenteſimo ſexageſimo quinto: a Domini autem noſtri Jeſu Chriſti in carne adventu quadringenteſimo & ſexageſimo quinto.* Eſt is annus Dionyſianus CDLXXIII. cujus menſe Januario Sanctus Euthymius obiit. Eundem Hippolytum ea Era mundana uſum, docet etiam Syncellus, qui ait, eum tradidiſſe Incarnationem factam fuiſſe anno mundi 5502. illum Chronicon ſcripſiſſe, & uſque ad primum Alexandri Imperatoris annum perduxiſſe, nos docet Euſebius lib. 6. cap. 22. ubi loquens de iis, qui eo imperante floruerunt, ait: *Eodem tempore & Hippolytus inter plurima alia ingenii ſui monumenta, librum de Paſcha compoſuit: in quo temporum ſeriem deſcribens, & canonem quemdam Paſchalem per ſexdecim annorum circuitum exhibens, anno primo Imperatoris Alexandri, computationem temporum circumſcribit.* Chronicon quidem illud periit: extat tamen Canon ille Paſchalis, qui, ut obſervat Valeſius in Notis, ad illum Euſebii locum, pars duntaxat eſt libri, quem *Hippolytus* conſcripſerat *de Paſcha*: quod Euſebius laudatus aperte ſignificat. Quod cum Scaliger non animadvertiſſet, immerito reprehendit Euſebium, quod dixerit, Hippolytum in eo libro ad primum uſque Alexandri Imp. annum ſeriem temporum determinaſſe. *Imo vero*, inquit Scaliger, Canon Hippolyti non in primum annum Imp. Alexandri deſinit, ſed ab eo incipit. Verum id quidem eſt: ſed Euſebius non de Canone loquitur, quem Hippolytus Operi ſuo de Paſcha adjunxerat; verum de Opere ipſo, in quo Hippolytus ordinem temporum dinumerans in primo Alexandri Imp. anno deſierat. Quam Valeſii interpretationem certam reddit locus ex Vita S. Euthymii mox citatus.

XXVII. *Uſurpata & a S. Epiphanio.*

Quo tempore *Heron* Philoſophus vixerit, non memini me legiſſe qui annotarit. Sed quoad Epiphanium Panodoro & Aniano æqualis fuit, quem Era mundana Alexandrina uſum fuiſſe, deprehendi ex loco ejuſdem Doctoris corrupto, qui hic reſtituendus. Epiphanius hæreſi 65. ait: ἡ δὲ τῦ Χριστῦ παρουσία ἐν τῷ πεντεκαιδεκάτῳ ἔτει Τιβερίου καίσαρος ἤρξατο τῦ κηρύγματος, μετὰ τριακοστὸν ἔτος τῆς αὐτῦ γεννήσεως, ὅπερ κατήντα εἰς πεντακισχιλιοστὸν πεντακοσιοστὸν ἔνατον ἔτος τῆς κοσμοποιΐας, καὶ τριακοστὸν τῆς αὐτῦ ἡλικίας, τριακοστὸν δὲ τρίτον ἕως τῦ σταυρῦ, id eſt: *At vero Chriſtus poſt ſuum in hunc mundum adventum anno decimo quinto Tiberii Cæſaris prædicationem exorſus eſt, poſt annum a Nativitate trigeſimum, qui in quinquies milleſimum ac quingenteſimum nonum annum conditi Orbis incurrit, eſtque trigeſimus, ut dixi ætatis illius annus, Nam trigeſimo tertio in crucem actus eſt.* Petavius in Notis Epiphanianis ex eo loco infert Chriſtum ex Epiphanii ſententia natum anno mundi 5480. Additque Græcos, varias ex LXX. Interpretum ratiocinis annorum ſummas ab Orbe condito collegiſſe. Quod quidem ultimum verum eſt: ſed primum ſuſtineri non poteſt; cum nullus ex Antiquis Chriſtum natum ſcripſerit eo mundi anno. Quare, cum juxta Epiphanium Chriſti Incarnatio cadat in annum Julianum XLIII. iſque Eram mundanam Alexandrinam, teſte Cyrillo Monacho laudato, ſecutus fuerit, liquet in numeros errorem irrepſiſſe, cum ex Epiphanii mente Chriſtus die Epiphaniæ anni ſcilicet Juliani XLIV. in lucem prodierit, & *Silvano Nervaque Coſſ.* anno nempe Dionyſiano XXVIII. menſe Novembri cum XXIX. annos & menſes X. impleſſet. baptizatus fuerit, currente ſcilicet anno XV. Imperii Tiberii Cæſaris. Quare erat is annus mundi quinquies milleſimus quingenteſimus triceſimus primus ab aliquot menſibus inchoatus, ideoque in Epiphanio, loco ἔνατον, id eſt *nonum*, legendum, τριακοστὸν ἓν, id eſt, *trigeſimum primum*, ut vel ipſa loci corruptio oſtendit: quod & ſuſpicatus fueram, antequam citatum Cyrilli Monachi locum vidiſſem.

XXVIII. *Vulgaris error eſt, eſſe vel fuiſſe in Oriente qui Era Dionyſiana octennio breviori utantur.*

Petavius in lib. 9. de Doct. Temp. & in Auctario ad eoſdem libros lib. 8. exiſtimat, tam Sanctum Maximum in Computo Eccleſiaſtico, quam Georgium Syncellum in ſua Chronographia, aliuſque Græcos qui ſcribunt Chriſtum incarnatum anno mundi 5502. Ejus Incarnationem anno Chriſti Dionyſiano nono, qui cum Juliano LIV. concurrit, affinxiſſe. Quæ & opinio fuit *Hervarti* in ſua Chronologia, *Bollandi* in explicatione Actorum S. Clementis Ancyræ in Galatia Epiſcopi paragrapho 1. num. 2. aliorumque paſſim, qui tanquam certum ponunt, vel eſſe, vel fuiſſe alias populos quoſdam in Oriente qui Chriſtianam epocham octo annis ſerius atque Latini ordiantur. Verum vulgatis error non propagandus erat, ſed evertendus. In eum alii ducti, quod Syncellus qui Incarnationem cum anno mundi 5502. illigat, ſubdat, eam contigiſſe Sulpicio Camerino & C. Poppæo Sabino Coſſ. quem Conſulatum in annum Eræ Dionyſianæ IX. convenire certum. Alii quoſdam populos ſerius Latinis Eram Incarnationis inchoaſſe ſibi in animum induxere, quod Era In-

cer.

carnationis Alexandrina octennio Era Dionyſiana brevior ſit, ita ut quem annum Incarnationis Alexandrini putant CCCXVI. Dionyſiani CCCXXIV. vocent. Alii denique in eam ſententiam abrepti, quod annus Julianus LIV. qui eſt Eræ Dionyſianæ IX, eadem littera Dominicali ac annus Julianus XLIII, littera nempe F. notetur. Priorum fundamentum ruinoſum. Syncellus enim qui Incarnationem Chriſti cum illo conjungit, dicit poſtea, Chriſtum paſſum *Nerone III. & Valerio Meſſala Coſſ.* qui Conſulatus in annum Chriſti LVIII. competit. Quare uterque Conſulatus vel in illud Chronicon infartus, vel Auctor priorem cum anno Juliano XLIII. poſteriorem cum anno Dionyſiano XXXI. quo Chriſtum paſſum exiſtimavit, per errorem connexuit. Sic Alcuinus lib. s. de Divinis Officiis cap. 6. dicit, *expletis quaſi triginta annorum curriculis*, anno *decimo quinto Tiberii Cæſaris ſub Valeriano & Aſiatico Coſſ.* baptizatum fuiſſe; cum tamen Conſulatus ille Valeriani & Aſiatici, vel fictitius ſit, vel pars tantum Conſulatus, quo annus Chriſti XLVI. notatur; eo enim anno Conſules fuerunt, *C. Valerius Aſiaticus II. & M. Junius Silanus*.

XXIX. *Primum hujus opinionis fundamentum ex littera Dominicali perperam deſumtum.*

Alios, uti Petavium, identitas litteræ Dominicalis in annis Julianis XLIII. & LIV. in errorem impulit. Ait enim Petavius cap. s. citati lib. 8. Maximus in prima parte Computi cap. 32. Evangeliſmum Beatæ Virginis ſive Incarnationem incidiſſe vult anno mundi 5501. Cyclo Solis XIII, Lunæ X. feria II. Natalem autem Chriſti eodem anno feria quarta. Quoniam igitur Evangeliſmus, quem *Annuntiationem* Latina vocat Eccleſia, tam a Græcis quam a noſtris, Martii XXV. ponitur, neceſſe eſt Dominicalem fuiſſe litteram F. Addit cap. 33. Indictionem fuiſſe tunc XII. Cap. porro 34. oraculum Zachariæ Septemb. XXVII. die contigiſſe narrat, feria V, Cyclo Solis XII, Lunæ IX. Proinde littera Dominicalis erat G. Item natum eſſe Joannem Junii XXIV, feria II. nempe littera Dominicali F. Ex tot annorum characteriſmis efficitur Zachariæ oraculum, & conceptum Joannis cadere in annum VIII. Eræ communis quo littera fuit G. poſt Martium: Incarnationem autem Natalemque Chriſti, & ante hunc Joannis, in annum Eræ Chriſtianæ nonum, qui litteram habuit F. Sic annis octo tardior eſt Natalis Dominicus in hac Era, quam in communi. Ita Petavius. Verum, ſi Vir doctiſſimus animadvertiſſet, annum Julianum XLII. littera Dominicali G. annum vero Juliaaum XLIII. littera Dominicali F. inſignitos eſſe, ita opinor, ratiocinatus non fuiſſet.

XXX. *Indictio qua dicitur ab Auguſto inſtituta fictitia eſt.*

Quoad Indictionem quæ Petavium irretitum tenuit, explicanda erat eo modo quo Maximus intellexit. *Orta eſt*, inquit, *ut Hiſtorici prodiderunt anno primo Auguſti Cæſaris, ejus Imperii ſecundo, qui fuit annus mundi 5460. Hi per XV. diviſi ultimum Indictionis annum, id eſt, annum quintum decimum exhibent: in quo hujus initium illi ſtatuens, ultimum eſſe primum voluit. Ita fit, ut uno anno præcurrat Indictio, quæ ab anno Auguſti ſecundo numeratur, eam quæ ab Orbis exordio ducitur, quando anni Adami per XV. dividuntur. Proinde fuit indictio XI. ſecundum Calculum iſtum, anno, quo ſecundum carnem Salvator eſt ortus. At ex illo calculo fuit XII. quoniam uno antevertit anno. Sic Sacratiſſimus Baptiſmus indictionem habet X. & XI. & Salutaris Paſſio XIV. & XV. Quippe anno Auguſti XLIII. noſtri inſtar, ut homo natus ille eſt, qui, ante ſecula tanquam Deus ex Patre natus fuerat. Proinde ſi XLII. per XV. dividis, annus prodibet Indictionis XII. quo, ut diximus, Chriſti Natalis incidit.* Maximus itaque duo genera Indictionum diſtinguit: alterum quod ab Orbis exordio ducitur; alterum, quod Auguſtus, ut ipſe & paſſim Græci ſomniant anno ſecundo Imperii ſui inſtituit, additque, annos mundi per XV. diviſos reddere Indictionem mundanam; annos vero Auguſti, ſi unitatem demas, reſpondentem ſcilicet primo Imperii ejus anno, offerre Indictionem Auguſteam, quæ mundanam unitate ſuperat. Quare Indictio XII, de qua ibi loquitur Maximus, non eſt Indictio mundana, de qua quæſtio eſt: annus enim mundi 5501. non niſi Indictionem XI. reddit, nec eſt etiam Indictio XII. Romana, qua annus Dionyſianus IX. afficitur, ut credidiſſe videtur Petavius, ſed eſt Indictio XII. Auguſtea, aut, ut verius loquar, fictitia & commentitia, quemadmodum fictitium eſt, quod Auguſtus Cæſar alicujus Indictionis auctor fuerit. Errat etiam Maximus, quando copulat ſecundum annum Imperii Auguſti cum anno mundi Alexandrino 5460. Annus enim ille cum anno Juliano ſecundo, quo Caius Julius Cæſar occiſus, concurrit, ideoque ſecundus Cæſaris Auguſti eſſe non potuit: cum non niſi poſt Julii Cæſaris avunculi necem Imperium ſuſceperit.

XXXI. *Error Syncelli & Maximi corrigitur.*

In eodem errore Syncellus verſatur: cum enim annum mundi 5460. vocat etiam Auguſti Cæſaris *ſecundum*. Quo ex errore in alium uterque prolapſus eſt. Autumarunt quippe, Chriſtum anno XLIII. Auguſti natum quaſi fieri poſſet, ut annus XLIII. Auguſti cum anno Juliano XLIII, quo annus mundi 5501. incipit, componi poſſit. Jacobus Goar in Notis ad Syncellum, ait, locum, ubi is ſcribit, Chriſtum incarnatum anno XLIII. Cæſaris Auguſti, corruptum eſſe, legendumque XLII. Sed præterquam quod Sanctus Maximus eundem numerum retinet, is in ipſo fine ſui Computi pag. 356. rurſus hæc habet: *Anno ſecundo Imperii Auguſti Cæſaris numerari cœperunt Indictiones, Romaniſque menſes tum primum ab illis excogitati, anno Adami 5460. Anno Auguſti XLIII. naſcitur Chriſtus, Anno Adami 5501. Anno XV. Tiberii in Jordane baptizatur, anno Adami 5530.* Quare error tam Maximi quam Syncelli Incarnationem anno XLIII. Auguſti illigantium, ex eo procedit, quod arbitrati fuerint, cum Julio Cæſari ſucceſſiſſe anno primo Juliano, annoque mundi ſecundum Alexandrinos 5459. quo pacto verum eſſet, annum mundi 5501. die XXV. Martii, quo Syncellus annos tam mundi quam Incarnationis inchoat, quadrageſimum tertium Auguſti fuiſſe. At Cæſarem Auguſtum anno Juliano ſecundo, mundique ſecundum Alexandrinos 5460. poſt Julii necem regnare cœpiſſe, & non antea, certum indubitatumque. Interim ex laudato Maximi loco, quo annum XV. Tiberii cum anno mundi 5530. conjungit, manifeſte apparet, opinionem, quam Petavius Sancto Maximo attribuit, quod nempe docuerit, Chriſtum incarnatum eſſe anno nono Eræ Dionyſianæ, a mente Sancti hujus Martyris valde alienam eſſe; cum ſi Chriſtus baptizatus ſit anno Tiberii XV. Dionyſiano ſcilicet XXIX. annoque mundi Alexandrino 5530. natus profecto erat longe ante annum Dionyſianum IX. alioquin anno ætatis viceſimo Chriſtum baptizatum Maximus credidiſſet. Quod eum exiſtimaſſe nullus ſibi perſuaſerit.

XXXII. *Secundum hujus opinionis fundamentum ex anno ſecundo Imperii Auguſti male deductum.*

„ Secundum Argumentum Petavii iſtud eſt:
„ Maximus Auguſti Imperii ſecundum annum
„ ait eſſe mundi 5460. quo fuit Indict. 1. in-
„ carnatum vero eſſe Chriſtum anno Auguſti
„ XLIII. Indictione XII. Ex quo conſequens
„ eſt, anno Juliano XII. Periodi Julianæ 4680.
„ Auguſti Imperium iniiſſe, & annum Julianum
„ XIII. Periodi Julianæ 4681. ſecundum eſſe
„ Monarchiæ: intellige labentem utrobique. Et-
„ enim Auguſti annos a Thoth incipit. Proin-
„ de primus Thoth revera incidit in annum Ju-
„ lianum III. Periodi Julianæ 4671. At ex Ma-
„ ximi calculo contigit anno Juliano XI. Periodi
Ju-

„ Julianæ 4679. Unde anno 4681. in curſu erat adhuc ſecundus Auguſti cum Indictione 1. Adde annos XLI. reliquos; incurret annus Auguſti XLIII, quo incarnatus eſt Chriſtus in annum Julianum LIV. Periodi Julianæ 4722. ita ut anno Juliano LIII. a Thoth inierit, & menſe Martio inſequentis anni tenuerit. Vides, ut annis octo tardiores ſint epochæ omnes in iſto computo. Nam Thoth Auguſtei Imperii eſt annus Julianus III, a Maximo vero fit XI. Hæc Petavius. Sed jam reſpondimus, Maximum & Syncellum hallucinatos, quando Julium Cæſarem anno mundi ſecundum Alexandrinos 5458. occiſum putarunt. Ea enim mors patrata anno ſecundo Juliano, qui cum anno mundi Alexandrino 5460. concurrit, quo ſecundum Alexandrinos currebat Indictio XV. proleptica, ſecundum Romanos Indictio V. proleptica: &, ut ſupponit Maximus, Auguſtus inſtituit Indictionem primam Auguſteam, quæ a mundana valde diverſa eſt, ut numero XXV. diximus. Secundus itaque annus Monarchiæ Auguſti in computo Maximi non poteſt alius eſſe quam mundanus 5461. ac Julianus III; nec Chriſtus in Sancti Maximi opinione XLIII. anno Auguſti naſci potuit, ſi primus annus Auguſti incidit in annum mundi ſecundum Alexandrinos 5460. quadrageſimus vero tertius in annum mundi ſecundum eoſdem 5503. quod in dubium revocari non poteſt. Nam tam Maximus quam Syncellus exerte docent, Chriſtum natum anno mundi 5501.

XXXIII. *Tertium fundamentum ex Chriſti Baptiſmo & Paſſione deſumtum evertitur.*

„ Tertium Petavii argumentum: Maximus cap. 39. ſui computi baptizatum a Joanne Chriſtum memorat anno 5530. feria III. Ergo littera Dominicalis D. adjectis XXIX. ad eum annum, quo incarnatus eſt. Unde eſt hic annus Periodi Julianæ 4752. quo ad vernum uſque menſem labebatur annus Maximi 5530. & 5531. inde ſucceſſit. Item Paſſionem Chriſti conjicit in annum 5554. ac diem Paraſceves quæ quidem Martii XXIII. contigit, ut Georgius docet. Erat littera Dominicalis G. Itaque annus fuit Periodi Julianæ 4755. Quæ Græcorum ſententia non magis reliquæ ab Hiſtoria, quam ab Evangelica narratione diſcrepat. Nam Tiberii fere XV. baptizatus eſt Chriſtus; & eodem imperante, tertio, quartove anno poſtea paſſus. At ex Maximi computo ſequitur, Cajo imperante, & ejus anno ſecundo, ad Baptiſmum Joannis acceſſiſſe Dominum; & paſſum eſſe Claudii ſecundo quæ ſunt abſurdiſſima, inquit Petavius. Sunt certe abſurdiſſima & Maximo, Syncello aliiſque Antiquis, qui eandem opinionem propugnarunt, indigna. Unde & intelligere poterat Vir Eruditiſſimus, eam explicationem in illorum mentem vix cadere potuiſſe. Baptizatus itaque Chriſtus anno Dionyſiano XXVIII. littera Dominicali D. inſignito, quo ideo dies Epiphaniæ, qui Januarii ſextus eſt, in feriam tertiam incidebat, quove die XXV. Martii aut alio die annus mundi 5531. inchoandus erat. Indeque liquet, ex Maximi ſententia annum mundi 5505. in anno Juliano XLIII. incipere; alioquin annis XXIX. aut XXX. natus ad Baptiſmum non acceſſiſſet; quod nullus ex antiquis Patribus in dubium revocavit. Paſſus vero Chriſtus juxta Sanctum Maximum & Georgium Syncellum, anno Dionyſiano XXXI. littera Dominicali G. inſignito, quo ideo dies XXIII. Martii cum feria ſexta concurrebat, anno nempe XIX. Tiberii, ut Maximus pag. 356. & Syncellus pag. 329. ſcribunt. Ubi annos Tiberii ab ejus Imperio Proconſulari, ut communiter Antiqui, quando de Baptiſmo aut morte Chriſti loquuntur, uterque deducit ab anno nempe Dionyſiano XIII; cum tamen anno XI. aut XII. Tiberii Imperii Collega factus fuerit. Verum hic error excuſatione dignus; cum prior epocha Tiberiani Imperii valde ſit obſcura; ſed uterque inexcuſabilis eſſet, ſi, ut vult Petavius, Baptiſmum Chriſti in annum Eræ Dionyſianæ XXXIX, ejus vero Paſſionem in annum ejuſdem Eræ XLII. contuliſſet; cum Tiberius jam ab anno XXXVII. fato functus eſſet.

XXXIV. *Maximus & Syncellus vulgari illi errori non ſuffragantur.*

Verum Georgium Syncellum, ideoque & Maximum, cujus ille ſententiæ adhæſit, annum primum Incarnationis, mundique 5505. cum anno Juliano XLIII. copulaſſe, ideoque & annum mundi 5534. cum anno Dionyſiano XXXI, ex Chronographia Georgii certe deducitur. Pag. 327. refutando Panodorum dicit, liquere ex ſacris Scripturis, Chriſtum circa Cæſaris Auguſti mortem annum circiter XV. jam attigiſſe, & circa annum Tiberii XV. trigeſimum ætatis numeraſſe. Quare ſecundum Syncellum Chriſtus incarnatus eſt anno Juliano XLIII, poſt quem Auguſtus adhuc annos circiter XV. regnavit. Ad hæc Syncellus paulo ante dixerat, Chriſtum conceptum eſſe anno centeſimo octogeſimo primo undecimæ Periodi DXXXII. annorum, paſſum vero anno ejuſdem Periodi CCXIII. Incipit Syncellus undecimam illam Periodum DXXXII. annorum anno mundi ſecundum ſcilicet Alexandrinos 5325. ut ipſemet aſſerit ab anno ſcilicet Periodi Julianæ 4531. Quare is annus CLXXXI. reſpondet anno mundi 5505. annoque Periodi Julianæ 4781. Notat etiam Syncellus, annum mundi 5325. Olympiadis CXLIX. anno quarto, qui eſt annus Olympiadicus DXCVI. Et ratio eſt, quia Syncellus incipit primam Olympiadem annis duobus ante communes Olympiades, anno nempe mundi ſecundum Alexandrinos 4726. cui ſi addas annos DXCVI. Olympiadicos, pervenies ad annum mundi 5325. Ex quibus certo infertur, Syncellum junxiſſe Incarnationem cum anno Juliano XLIII. Denique pag. 325. & ſeq. reprehendit Julium Africanum, quod in Paſſione Chriſti anno ætatis ejus XXXI. collocanda duobus annis a vero aberret. Ipſe enim tuetur tempus omne quod ab ejus conceptu annoque mundi 5505. & Martii XXV. ad ejus Reſurrectionem extenditur, *qua in eandem XXV. Martii diem incidit*, annorum fuiſſe XXXIII. & unius diei *qua annum 5534. incepit*; cum tamen Africanus Incarnationem in annum 5502. *conſentanee traditioni Apoſtolicæ*, inquit Syncellus, conjecerat, & Paſſionem ac Reſurrectionem male in annum mundi 5532. contuleſit, Africanus autem Chriſtum anno XV. Tiberii duorum Geminorum Conſulatu notato, annoque Dionyſiano XXIX. crucifixum fuiſſe autumavit; ideoque Syncellus Paſſionem Chriſti non cum anno Dionyſiano XLII, ut Petavius ſomniabat, ſed cum anno ejuſdem Eræ XXXI. illigavit; cum Africano errorem duorum annorum, non vero annorum tredecim attribuat.

XXXV. *Opinio Africani de anno Incarnationis & mortis Chriſti e tenebris eruta.*

Petavius in lib. 8. Auctarii cap. 2. fatetur quidem ad Græcanicas Eras intelligendas, opinionis Africani inquiſitionem plurimum utilitatis afferre, ſed quid hac in re Africanus ſenſerit, obſcurum eſſe: tandemque concludit: *Mea, ut in ancipiti ac perplexa quæſtione, conjectura eſt, Chriſtum ex Africani opinione, incarnatum eſſe anno Periodi Julianæ 4712. biennio ante communem Eram, mundi 5501. baptizatum porro duobus Geminis Coſſ. anno Tiberii XV, mundi 5530. exeunte, quam 5531. Aprili circiter excepit. paſſum denique anno mundi deſinente 5531. ſequente 5532. a Paſchate, vel Aprili anni Chriſti communis XXX, Tiberii XVI, & Olympiadis CCII. anno ſecundo nondum ab aſtris menſibus inchoato; ſed nard πρόλη↓ια Januario aut alio quopiam initio popularis anni, quo uſus eſt Africanus. Quocirca qui Africanum referunt, Paſſionem Domini anno Adami 5531. Incarnationis*

XXXI.

by Google

XXXI. attribuiſſe, de annis deſinentibus intelligere debuerunt. Nam Baptiſmum ab ea collocatum eſſe in Conſulatum Geminorum, veriſimile eſt: cum ex Luca conſtet anno XV. Tiberii iſtud eveniſſe, aut ſi, ut Epiphanius & alii quidam Novembri menſe, non ſexto Januarii, ad Baptiſmum veniſſe credidit, anno communis Eræ XXVIII. Certe hinc ad Paſſionem ſolidus annus interpoſitus eſt; cum annum ſaltem unum τῷ κηρύξει Africanus imputaverit. Atqui ſi Conſulibus ipſis Geminis, Martio menſe, paſſus foret, tres ab Januario vel a Novembri, quinque duntaxat menſes, Chriſti prædicatio teneret: quod Africanum ſenſiſſe non arbitror. At hæc quæſtio neque unceps, neque perplexa, & ſi in aliorum Græcorum ac in Africani ſenſum tam facile penetrare poſſemus, in iis legendis non ita ſæpe cæcutiremus. Duo itaque, quæ Petavium fugere, pro certis ponenda: primum, Africanum, uti & alios plerosque Antiquos, qui primis quatuor Eccleſiæ ſeculis floruere, decimum quintum Imperii Tiberii annum non a morte Auguſti Cæſaris, ſed ab Imperio Proconſulari Tiberio anno Eræ Dionyſianæ XI. aut XII. collato, deducere, quod in mea Critica demonſtravi. Alterum, Africanum *primam Olympiadem* cæteraſque deinceps, modo ſibi proprio computare, biennio ſcilicet ante communem opinionem; licet ad majorem expreſſionem communi ſoppatandi modo aliquando utatur; imo & aliquando in eadem re conſignanda utrumque adhibeat, ut infra videbimus. Quare Africanus annum mundi 5501. & Incarnationis I. anno Juliano XLIII. incepit; quod teſtatur Syncellus laudatus, quando ait, *conſentanee traditioni Apoſtolicæ* eum Incarnationem in annum mundi 5501. conjeciſſe, Si enim eum mundi annum cum anno Juliano XLIII. Africanus non connexuiſſet, a Syncello non laudaretur, ſed reprehenderetur. Baptizatus itaque Chriſtus in opinione Africani anno mundi 5529. Incarnationis XXIX. Eræ Dionyſianæ XXVI. quo annus decimus quintus Imperii Proconſularis Tiberii uſque ad XXVIII. menſis Septembris adhuc in curſo erat. Cumque Antiqui duo tantum Paſchata Chriſto attribuerint, Joannis miniſterium a Baptiſmo Chriſti uſque ad primum Paſcha a Chriſto anno Eræ Dionyſianæ XXVIII. celebrato, vel circiter duravit. Sicque ſecundum Africanum Chriſtus natus erat, quando Baptiſmum ſuſcepit paulo minus quam triginta annis, eo nempe in ſummam collato, quo in utero Beatiſſimæ Virginis fuit: qui modus numerandi annos Chriſti ab Antiquis paſſim uſurpatus. Paſſus autem Chriſtus ſecundum eundem, anno Eræ vulgaris XXIX. anno ſecundo Olympiadis CCII. exeunte, qui ſecundum communem Olympiadas numerandi rationem erat annus quartus finiens Olympiadis CCI, annoque Imperii Auguſtei Tiberii XV. ſecundum communem ſupputationem quorumdam Orientalium, qui annos Imperatorum cum anno populari incipiunt.

XXXVI. *Africani error magis explicatur.* Syncellus pag. 324. refert hæc verba ex Africani Chronico deſumta: *Anni ab Adam condita ad Chriſti adventum & ejus reſurrectionem 5531. colliguntur: a qua temporis Epocha ad Olympiadem CCL. anni CXII. intercurrunt.* Abſolvit Chronicon ſuum Africanus *Grato & Seleuco Coſſ.* ut ipſemet docet, anno nempe Eræ Dionyſianæ CCXXI. antequam Olympias CCL. qui eſt annus Olympiadicus DCCCCXCVII. celebraretur. Quare utitur hoc in loco Africanus communi ſupputatione Olympiadum, ſupponitque Chriſtum paſſum anno quarto Olympiadis CCI. qui erat annus Olympiadicus DCCCIV. finiens in anno Eræ vulgaris XXIX. a quo anno Olympiadico, ad finem anni Olympiadici DCCCCXCVI. & Conſulatum Grati & Seleuci, annumque Dionyſianum CCXXI. anni fluxerunt CXCII. Si enim non computes totam Olympiadem CCI. ſummam prædictam non reperies. Certum itaque Africanum conſignaſſe Paſſionem Chriſti anno Dionyſiano XXIX. mundi vero ſecundum Alexandrinos 5531. in finem tendente. Denique Africanus teſte Photio in Bibliotheca Codice 34. abſolvit Chronicon ſuum anno mundi 5723. Incarnationis CCXXIII. Grato & Seleuco Coſſ. ideoque anno Dionyſiano CCXXI. antequam menſe Martio vel Aprili annus mundi 5724. Incarnationis CCXXIV. inchoaretur. Ex quo conſequens eſt Africanum anno mundi 5501. & Incarnationis I. cum anno Juliano XLIII. connexuiſſe; quod Africani imitatione reliqui poſtea Orientales, qui ea Era mundana uſi ſunt, præſtitere. Neque alia inter eos erat differentia, niſi quod quidam ex illis Natale Chriſti in diem ſextum Januarii Epiphaniæ ficrum, quidam in diem XXV. Decembris conferebant, quamquam & fuerint aliqui qui aliis diebus Natale Chriſti figerent. Fatetur autem Petavius lib. 8. Auctarii cap. 4. Georgium cæteroſque, *qui Alexandrinam Eram tenuerant*, ſecutos eſſe ſanctum Maximum; quod quidem negari non poteſt: ſed inde vulgaris opinio quæ credit, utrumque annis octo veram Incarnationis Eram morari, plane falſa convincitur, cum Georgius primum Incarnationis annum cum anno Juliano XLIII. certo certius comparet. Hinc mortem Tiberii cum anno mundi 5537. Caii autem Caligulæ cum anno 5541. jungit; ubi licet in utroque minus dicat, oſtendit tamen ſe exiſtimare utrumque Imperatorem ante annum Eræ Dionyſianæ XL. fato functum eſſe: tantum abeſt, ut anno ejuſdem Eræ XLII. Tiberium adhuc in vivis fuiſſe, & eo anno, dum is imperaret Chriſtum crucifixum arbitratus fuerit.

Quartum Petavii fundamentum ex eo deſumitur, quod ſcriptores, qui Eram mundanam & Incarnationem ſecundum Alexandrinos amplexantur, in utraque annos octo minus quam par ſit colligant. *Sic Nicephorus in Chronico, cum anno Adami 5502. Imperii Auguſti XLII. ponat Incarnationem Domini; ab hoc autem annum Nicæna Synodi numerat ab Incarnatione CCCXVIII. & octo annis minus dicit. Hinc illud accidit, ut in Annalibus Georgii Syncelli, & qui ejus continuavit Opus, Theophanis, ac non hujus Interpretis Miſcella, anni Chriſti octo minus colligant, quam Era communis. Nec aliter Maximus inſtituit. Hic enim Heraclii annum XXXI. cum anno Chriſti DCXXXIII. comparat in anno communis Eræ DCXLI. Georgius & Theophanes annum primum Diocletiani mundi eſſe volunt 5777. Incarnationis CCLXXVII. atqui ex illorum mente is eſſe debet Eræ noſtræ CCLXXXV. Sic Theophanes Conſtantini obitum refert in annum mundi 5829. Incarnationis CCCXXIX. quem certum eſt Era communis anno CCCXXXVI. incidiſſe. Rurſus Valentiniani exordium confert in annum mundi 5857. exeuntem, ſequenta mox 5858. quoniam Februario creatus eſt Imperator: Chriſti autem computat CCCLVII. itidem exeuntem. Diſcrimen annorum VII. quemadmodum & in annis Concilii Chalcedonenſis, quod anno mundi 5944. Indict. V. celebratum dicit Chriſti CCCCXLIV: Atqui anno CCCCLI. Eræ noſtra eſt habitum. Sic uno interdum anno ab inſtituta Chronologia Theophanes aberrat: ac ſeptem annorum tantummodo diſcrimen facit; cum octo eſſe annorum oporteat ex illorum ratiociniis.* Hæc Petavius.

XXXVII. *Quartum vulgaris erroris fundamentum.*

XXXVIII. *Hujus fundamenti vanitas.* Ad hoc argumentum ut reſpondeam, ſuppono, (quod mox certis argumentis demonſtrabo) Alexandrinos ad annum primum Imperatoris Diocletiani tam Eram ſuam mundanam, quam Eram Incarnationis mutilaſſe, e priori de-

etm nameris, e poſteriori vero ſeptem ablaſis. Regnare cœpit Diocletianus die decima ſeptima menſis Septembris anni Dionyſiani CCLXXXIV. quo inchoari debebant annus mundi 5787. annuſqua Incarnationis CCLXXXVII. Nihilominus, ut annus mundanus Cyclum Lunæ I. reddere poſſet, & annus Incarnationis iiſdem numeris, ut antea deſineret numerarunt tantum annum mundi 5777. & Incarnationis CCLXXVII. Quo pacto annos duntaxat ſeptem Incarnationis abjecere. Si annos mundi tres ſolum reſecaſſent, poſt illam reformationem cum Latinis quoad Incarnationis annos conveniſſent, annuſque primus Diocletiani fuiſſet Alexandrinis mundi 5784. Incarnationis CCLXXXIV. Sed quia annos decem mundanos abdicarunt, nunos tantum ſeptem Incarnationis minus Latinis hodiernis computarunt; neque eos in Incarnationis annis triennio, ut antea, præceſſere: ſed contra annos ſeptem Incarnationis minur illis ſupputarunt, ut liquet in præfato exemplo; quem enim annum Latini vocant CCLXXXIV. Alexandrini CCLXXVII. appellarunt: adeo ut annis Incarnationis ſecundum Alexandrinos, ſemper addendi ſint ſeptem numeri, ut annum Eræ Dionyſianæ, in quo menſe Martio vel Septembri, ſecundum diverſas Auctorum ſententiar, inchoatur, aſſequamur, quod in exemplis ex Petavio numero præcedenti celatis luce meridiana clarius apparet. Dicit Petavius, *Nicephorum* in Chronico perperam numerare annum Nicænæ Synodi ab Incarnatione CCCXVIII. & octo annis minus dicere. Verum non annos octo, ſed ſeptem dumtaxat minus dixit, & quidem appoſite, poſtquam decennalia illa mutilatio peracta fuit. Si enim anno Incarnationis CCCXVIII. ſeptem numeros adjicias, pervenies ad annum Dionyſianum CCCXXV. quo revera Nicæna Synodus habita. Ex quo & liquet, Nicephorum annum illum Incarnationis ab autumno anni Dionyſiani CCCXXV. incipere; cum Concilium Nicænum menſe Junio coactum fuerit. Sic *Maximus* in prima ſui computi parte, cap. 21. ſcribit, Dominicam incidiſſe in diem quartam menſis Februarii, eo anno quo Opus ſuum exaravit; jamque cap. 27. dixerat, fuiſſe tunc in curſu Indictionem XIV. annum Heraclii Imperatoris XXXI. annum autem mundi 6133. Alium in eodem Opuſculo characterem addit Maximus, annum nempe Incarnationis DCXXXIII. Quare illis omnibus temporariis notis manifeſte deſignat annum Dionyſianum DCXLI. Indictione XIV. inſignitum, & in quo Dominica cum die quarta Februarii concurrit. Adda annis Incarnationis ſecundum Alexandrinos ſeptem, certoque tibi conſtabit annum Incarnationis DCXXXIII. initium ſumere anno Dionyſiano DCXL. & adhuc in curſu fuiſſe prioribus inſequentis anni Dionyſiani menſibus.

XXXIX. *Ea Petavii opinio magis refellitur,*

Sic recte Theophanes poſt eandem mutilationem refert Conſtantini magni obitum in annum mundi 5829. Incarnationis CCCXXIX. Si enim huic ultimo anno numeros ſeptem addas, habes annum Dionyſianum CCCXXXVI. cujus menſe Septembri annus ille Incarnationis ac mundi inchoatus eſt. Cum autem Conſtantinus die XXII. menſis Maii mortalitatem expleverit, oſtendit Theophanes, mortem eam contigiſſe anno Dionyſiano CCCXXXVII. in poſteriori nempe parte anni Incarnationis ſecundum Alexandrinos CCCXXIX. Uno tamen anno deficit Theophanes, quando in exemplo a Petavio allatam inaugurationem Valentiniani ſenioris confert in annum Incarnationis CCCLVII. mundi vero 5857. Si enim ſeptem addideris huic Incarnationis anno, numerabis CCCLXIV. in quo Dionyſiano anno uterque ille annus Alexandrinus Kalendis Septembris auſpicatur; cum tamen Valentinianus menſe Februario Imperium ſuſceperit, ideoque anno mundi 5856. Incarnationis CCCLVI. Denique Theophanes *Concilium Chalcedonenſe* anno Dionyſiano CCCCLI. menſe Octobri celebratum cum anno 5944. mundi, Indictione V. (a Septembri ſcilicet inchoata) annoque Incarnationis CCCCXLIV. accurate illigat ex præfata methodo. Verum autem non eſt quod ſupponit Petavius, inter annum Dionyſianum & annum Incarnationis Alexandrinum octo annorum diſcrimen eſſe debere; ut allata exempla milleque ſimilia extra omnem controverſiam ponunt; ideoque quando annus Incarnationis Alexandrinus annis octo a Dionyſiano differt, Theophanem, alioſque Scriptores Byzantinos anno uno a recta Chronologia aberraſſe certiſſimum.

XL. *Decennalis mutilatio Eræ mundanæ Alexandrinæ ex Cyclo DXXXII. annorum demonſtratur.*

Nunc hæc decennalis mutilatio Eræ mundanæ Alexandrinorum ad primum Diocletiani annum facta, evidentibus argumentis demonſtranda. Scribit *Syncellus*, ut numero XXXIV. diximus, Chriſtum incarnatum *anno centeſimo octogeſimo primo undecimæ Periodi DXXXII. annorum*, anno mundi 5501. eamque Periodum inchoatam fuiſſe anno mundi 5321. anno ſcilicet Periodi Julianæ 4531. quod præter annum Olympiadis, quem Syncellus adhibet, oſtendit methodus Cyclica. Nam cum annus 5505. qui reſpondet anno Juliano XLIII. notato Cyclo Solis VII. partitus per XXVIII. reddat Cyclum Solis XIII. manifeſtum eſt annum mundanum Alexandrinum convenire ſemper tam cum Periodo Juliana, quam cum anno Chriſti anniſque ante Chriſtum, ſi e Cyclo mundano Alexandrinorum ſex unitates abjiciantur. Quare cum annus Alexandrinus 5321. reddat Cyclum Solis I. annus vero Periodi Julianæ 4531. exhibeat Cyclum Solis XXIII. certum eſt utrumque inter ſe recte copulari; cum ſi Cyclum illum Solis I; & quinque alios ex præcedenti Circulo abdicet, utrimque Solis Cyclum XXIII. habiturus ſis. Quæ methodus tanquam certiſſima in Annis Alexandrinis cum annis Periodi Julianæ, & cum annis qui ante Chriſtum vel poſt Eram Chriſtianam fluxere, inter ſe comparandis, ſemper præ oculis habenda eſt. Ad hæc Theophanes, qui Syncelli Chronographiam continuavit, loquens de Conſtantii Auguſti morte, ait: *Ab Euzoio Ariano Baptiſmum accepit Antiochiæ, numerato tunc temporis univerſi Orbis anno 5852. duodecima poſt undecimam exactam annorum DXXXII. redeunte Periodo.* Incipit is annus mundi anno Dionyſiano CCCLIX. Kalendis Septembris: quo pacto Conſtantius, qui die tertia Novembris paulo poſtquam Baptiſmum accepiſſet, vita functus eſt, eo Chriſti anno ex prava Theophanis Chronologia vivere deſiit. Sed hoc nihil ad noſtrum propoſitum. Incipit is annus mundi ſecundum Alexandrinos anno Periodi Julianæ 5072. Verum ab anno mundi 5321. quo ea Periodus DXXXII. annorum exordium habuit, ad annum mundi 5852. ſunt quidem DXXXII. anni. Sed ab anno Periodi Jolianæ 4531. ad annum ejuſdem Periodi 5072. anni DXLII. non vero DXXXII. interjecti ſunt, quia ſcilicet inter illud temporis ſpatium Alexandrini annos decem e ſuo computo mundano reſcidere: ad quam mutilationem neque Syncellus, neque Theophanes, neque Sanctus Maximus, neque denique alii Scriptores Græci animum adverterunt.

XLI. *Eadem mutilatio ex S. Maximo demonſtrata.*

Neque dici poteſt, Theophanem citius vel tardius quam Syncellum, eam undecimam Periodum mundanam DXXXII. annorum exorſum eſſe. Sanctus enim Maximus, cujus Eram mundanam Syncellus ſecutus eſt, capite 18. poſtquam locutus eſt de anno XXXI. Imperii Heraclii, qui cœpit anno mundi 6133. Indictione IV. anno ſcilicet Dionyſiano DCXL. ait; *Si quis ſummam*

ſi-

illam annorum 6133. per DXXXII. dividat, habebit integras Periodos annorum DXXXII. & ex duodecima annos CCLXXXI. Quare duodecimam Periodum annorum DXXXII. ab anno mundi 5852. Eræque Dionyſianæ CCCLII. quemadmodum Theophanes, repetit. Ex quo non tantum liquet, Theophanem recte interpretatum eſſe Syncellum; ſed etiam eam decem annorum mutilationem Theodoſii Magni tempore non accidiſſe, ut perperam putavit Petavius in Auctario lib. 8. cap. 3. Poſt Diocletianum vero Alexandrinos Eram ſuam mundanam reformaſſe S. Maximus cap. 32. inſinuat. Poſtquam enim dixit, Chriſtum conceptum anno mundi 5501. baptizatum 5530. paſſumque anno 5534. ſubdit: *Colliguntur ab Incarnatione ipſius uſque ad præſentem Indictionem XIV.* (ſcilicet) *anni XXXI. Imperii Heraclii piiſſimi noſtri Imperatoris, anni DCXXXIII. A ſalutari vero Baptiſmo & Paſſione, quot anni lapſi ſint, ex iis manifeſtum eſt omnibus: nimirum ab illo annos fluxiſſe DCIV. ab hac DCI.* Annus ille Incarnationis DCXXXIII. cœpit anno Dionyſiano DCXL. ut inter omnes convenit. Chriſtus, in ſententia Maximi, triennio ante Eram Dionyſianam in mundum venit, baptizatus anno ejuſdem Eræ XXVII. mortuuſque menſe Martio anni ejuſdem Eræ XXXI. Quare ab Incarnatione Chriſti ſecundum Alexandrinos, ad annum XXX. Heraclii, Eræque Dionyſianæ DCXL. colliguntur anni, non DCXXXIII. ſed DCXLIII. a Baptiſmo ad eundem Heraclii annum, non DCIV. ſed DCXIV: a morte denique ad eundem terminum, non anni DCI. ſed anni DCXI. En hujus mutilationis Decennalis inſigne exemplum. Aliud ſuppeditat Nicephorus in Chronologia pag. 402. qui de Imperatore Juſtino Juſtiniani Magni ſucceſſore ait: *Ejus anno VII. una Sancti Paſchatis Periodus annorum DXXXII. ex quo Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſubiit crucem, anno a mundi condito 6065. Indictione ſexta evoluta eſt.* Eſt hic annus Dionyſianus DLXXII. Conſignat autem Chriſti Incarnationem Nicephorus anno Cæſaris Auguſti XLII. mundi 5500. in quo nonniſi verbis differt a Syncello, & Paſſionem ſicuti ille, anno Dionyſiano XXXI. illigat. Addit Nicephorus: *Conſtantini Imperii anno XX. prima ſancta Synodus ſanctorum CCCXVIII. Patrum Nicææ Bithyniæ habita eſt anno a Domini noſtri Jeſu Chriſti humanitate aſſumta CCCXVIII. poſt venerandam autem ejus Paſſionem & glorioſam Reſurrectionem anno CCLXXXV.* Hic annus CCCXVIII. Eræ Incarnationis Alexandrinæ inchoatur verno tempore anni Chriſti CCCXXV. quo Synodus Nicæna menſe Junio celebrata. Et tamen ab Era Incarnationis Alexandrinæ ad annum Eræ Dionyſianæ DLXXII. non anni DXXXII. ſed anni DXLII. evoluti ſunt. Præterea ab anno Dionyſiano XXXI. ad CCCXXV. Ejuſdem Eræ, non anni CCLXXXV. ſed anni CCXCV. fluxere, ut numeranti liquet. Ex quibus & mille aliis exemplis evidenter innoteſcit, Alexandrinos Eram ſuam mundanam decennio abbreviaſſe, quod & identidem eoſdem, dum temporum intervalla computant, in errorem impellit.

XLII. *Hæc mutilatio ad annum primum Diocletiani facta.*

Hæc autem reformatio non ante Diocletianeum Imperium facta, ut oſtendit Africanus loco ſupra recitato, ubi annum mundi 5723. & Incarnationis CCXXIII. cum Conſulatu Grati & Seleuci anno Dionyſiano CCXXI. geſto recte copulat. Ea itaque facta ad annum primum Diocletiani, quem tam Syncellus, quam ejus Continuator Theophanes in annum mundi 5777. Incarnationis CCLXXVII. referunt, cum tamen juxta Alexandrinorum ſupputationem numerandus fuiſſet annus mundi 5787. Incarnationis CCLXXXVII. In omnibus Hiſtoricis Byzantinis hujus mutilationis exemplum vetuſtius non apparet. Secundo Panadorus tam Eram mundanam, quam Eram Incarnationis Alexandrinorum reformare volens, hoc artificio uſus eſt. Conditum mundi decem annis tardius quam Alexandrini conſignavit, annumque mundi 5491. cum Juliano XLIII. annum mundi 5492. cum anno Juliano XLIV. annum mundi 5493. cum anno Juliano XLV. connexuit, eidemque anno primum Incarnationis illigavit; ſicque ingenioſe utramque Eram in integrum reſtituit. Nam eo modo annus 5491. & 5501. in quem Alexandrini primum Incarnationis annum conjecere, incipiunt in eodem anno Juliano XLIII. & ſic deinceps. Quare Panadorus, ea Era ſic interpolata, utrumque incommodum ſuſtulit, annoque mundi 5777. numeravit annum Incarnationis CCLXXXIV. quo juxta Eram Dionyſianam Diocletianus imperare cœpit, in quo mundi anno utraque Era mundana Alexandrinorum ſcilicet & Antiochenorum, ſeu Africani & Panadori in unam eandemque coaluit; cum hoc ſolo diſcrimine, quod Alexandrini annum Incarnationis CCLXXVII. Antiocheni vero annum Incarnationis CCLXXXV. cum eo mundi anno 5777. copulant, in anno mundi deinceps ſemper convenientes; ſed in anno Incarnationis ſemper diſſidentes. Malum itaque fuit, ubi remedium a Panadoro allatum in anno nempe mundano, ultra quem Panadorus progreſſus non eſt, quemque intactum reliquit.

XLIII. *Alexandrini cum Era mundi omnes alias mutilarunt.*

Tertio, Era Diocletianea a Chriſtianis inſtituta, ſola eſt, quam Alexandrini cum anno ſuo mundano non decurtarint. Quemadmodum enim Baronius circa primum Diocletiani annum duo Conſulum paria abdicare non potuit, quin totidem annos cæterarum Erarum iiſdem Conſulatibus reſpondentes reſecarit, ut in Critica noſtra monſtravimus; pari eademque ratione Alexandrini annos decem e ſua Era mundana expungere non potuere, quin totidem annis cæteras Eras abbreviarint, ut patet ex exemplis tribus præcedentibus numeris allatis, ſi nempe anni illi mundani, de quibus ibi actum, cum aliis annis quam Dionyſianis, aut annis Periodi Julianæ jungantur: illa enim decennalis decurtatio ex omnibus aliis Eris etiam apparebit. Quamobrem cum omnes Orientales anno Dionyſiano v. g., DCXL. qui eſt annus mundi Alexandrinus 6133. incipiant annum Diocletiani CCCLVII. (tot enim lapſi ſunt ab anno Dionyſiano CCLXXXIV, annoque mundi 5777. uſque ad annum Dionyſianum DCXL. mundique 6133.) manifeſtum eſt, eam utriuſque Eræ reformationem ab Alexandrinis poſt primum Diocletiani annum peractam non eſſe: alioquin Eram etiam Diocletianeam decennio breviorem feciſſent. Uno verbo Alexandrini Eram ſuam mutilantes, cæteras omnes quæ jam inſtitutæ erant, & illis reſpondebant, etiam mutilarunt, decem ſc. annis integris, ſed Eram Diocletianeam ne uno quidem anno breviorem fecerunt. Ea itaque cum ipſa mutilatione inſtituta, anno nempe Dionyſiano CCLXXXIV. quo & ideo illa reformatio accidit. Inde intelligimus, cur Baronius Eras omnes præter Chriſtianam circa initium Diocletiani biennio decurtarit; quia videlicet novam tunc quandam Eram Chriſtianam inſtituit, ſeu verius aſſumſit, qua antea uſus non fuerat, ideoque quam tunc incepit abbreviare non potuit.

XLIV. *Anatolius Eram mundanam Alexandrinam decurtavit.*

Quarto denique, ea mutilatio occaſione Cycli decemnovennalis inducta. Alexandrini enim Cyclos Paſchales ac magnum Cyclum DXXXII. annorum a primo Diocletiani anno repetere ſoliti, ut ſupra oſtendimus. Quare, ut annus mundanus per XIX. diviſus Cyclum primum Lunarem reddere poſſet, eum decennio decurtarunt, & cum annum mundi 5787. numerare de-

deberent, computarunt tantum annum 5777. qui per XIX. partitus reddit Cyclum Lunæ I, qui quærebatur. Auctorem iſtius mutilationis non eſt facile divinare. Sed cum *Anatolius* Alexandrinus, Laodiceæ Syriæ Epiſcopus eo tempore floruerit, primuſque Cyclum decennovalem propoſuerit, non dubito, quin quemadmodum *Hippolytus* ſexaginta fere ante eum annis Cyclum ſuum ſedecim annorum primo Alexandri Severi Imperatoris anno publicavit, ſic Anatolius decennovalem ſuum Cyclum primo Diocletiani Auguſti anno in lucem ediderit. Verum quidem eſt, Bucherium, qui in Opere de Doct. Temp. pag. 447. Cyclum illum Anatolianum repræſentat, exiſtimare primum annum Anatolium cum anno Chriſti CCLXXVI. & Georgium Hervartum in nova ſua Chronologia cum anno ſequenti primum illum annum copulaſſe. Sed uterque leviſſimis futilibuſque conjecturis ducitur. Melius Calviſius in tertia parte ſuæ Iſagoges cap. 16. judicavit, Anatolium elegantiſſimam hanc Lunarem enneadecaeterideo ab initio Diocletiani exorſum eſſe; a quo poſtea anno Eraque Diocletianea ceteri hujuſmodi Cyclorum Conditores eam etiam auſpicati ſunt. Cæterum *Anatolium* ad Cyclum primum Lunarem, quem annus mundanus 5777. reddit, reſpexiſſe, ex eo liquet, quod primus annus Diocletiani in Paſchate habet Cyclum primum; cum tamen nulla hujuſmodi cauſa ex motu Lunari ſumi poſſit; fuit enim novilunium die viceſimo tertio menſis Martii, ut notat Calviſius ibidem. In Cyclo autem, ut quivis facile intelligit, nullum plane initium naturale eſt, unde incipere poſſis; ſed ſi quod initium ſtatuitur, id fit θέσει, & ex ſuppoſitione quadam, ejuſque ratio aliunde deſumitur. Euſebius lib. 8. Hiſtoriæ ſuæ cap. 26. ideo Anatolii enneadecaeteridem, etſi confuſiſſimam, deprædicat, quod primus fuerit, qui eam apud Chriſtianos invexit. De Anatolio etiam Hieronymus lib. de Script. Eccleſiaſt. cap. 73. magna cum laude loquitur: *Anatolius Alexandrinus Laodiceæ Syriæ Epiſcopus, ſub Probo, & Caro Imperatoribus floruit. Miræ doctrinæ vir fuit, in Arithmetica, Geometria, Aſtronomia, Grammatica, Rhetorica, Dialectica. Cujus ingenii magnitudinem de volumine quod ſuper PASCHA compoſuit, & decem libris de Arithmetica inſtitutionibus intelligere poſſumus.* Denique per Diocletianei Imperii initia nullus in Oriente fuit, qui in iſtis diſciplinis cum Anatolio conferri potuerit; ideoque qui tanti momenti negotium aggredi auſus fuerit.

Nec eſt, quod quis arbitretur, Eram Diocletianeam poſt Concilii Niceni tempora a Chriſtianis conditam, eique Cyclos Paſchales aſſixos. Non enim poſtquam Chriſtianos perſecutus eſt, & ejus memoria in omnium odio verſata eſt, id fieri potuit: imo inde factum, ut hæc Era, quæ eo vivente ac regnare incipiente inſtituta fuerat, dicta ſit poſtea modo *Era Gratiæ*, modo *Era Martyrum*. Præterea non exiſtimandum, hanc mutilationem, poſtquam Indictionum uſus fervere cœpit, excogitatam; quod annos mundi 5777. per quindecim diviſus reddat Indictionem currentem (cui tamen Orientales unitatem adjiciunt, quia a Kalendis Septembribus anni initium collocant) Nam ſi poſt Indictionum inſtitutionem Alexandrini Eram ſuam imminutaſſent, aliquem annum mundanum elegiſſent, qui ſine ulla additione currentem Indictionem offerret. Itaque ille annus mundi 5777. caſu tantum Indictionem, quæ nondum nata erat, repræſentavit. Hæc pluribus exponenda neceſſario fuere, ut quartum Petavii fundamentum num. XXXVII. recitatum, præcipuumque vulgaris erroris, qui aliquos Orientales Eram Incarnationis nono anno Chriſti Dionyſiano inchoaſſe fert, penitus corrueret, conſtaretque eoſdem Incarnationis Eram Dionyſianis tardius non incepiſſe, ſed poſt Diocletianum eandem decurtaſſe; ſi enim nulla mutilatio interveniſſet, Eræ Alexandrinorum, ut cum noſtra conveniat, non anni ſeptem, ſed octo, quibus tardius illi Incarnationem ſuam inchoaſſent, adjiciendi forent. Quæ regula licet communiter recepta, omnino tamen a veritate aliena, ut me demonſtraſſe exiſtimo.

Fatetur quidem Petavius, mutilationem aliquam interveniſſe; ſed dum eam detegere conatur, non parvam caliginem rei ex ſe obſcuræ offundit. Quare quæ ipſe eam in rem lib. 8. Auctarii cap. 2. 2, & 3. affert, huc adducere, & paucis confutare viſum, ut veritas tandem e tenebris emergat.

XLV. *Era Diocletianea vivente Diocletiano inſtituta.*

XLVI. *Opinio Petavii de Eris mundanis Græcorum.*

VERBA PETAVII

Veteres in Græcia Chriſtiani in annis ab Adamo putandis ſola, quæ in ſacris libris extant, intervalla ſpectabant: nec Annales computus ſuos ulla Paſchalem ad methodum τέχνης, vel artificia implicatos habebant: ad quod deinceps conſequentium illos temporum ſormavit induſtria. (a) *Ut igitur quiſque pluribus aut paucioribus annis ſpatia illa terminabat; ita majores minoreſve ſummas adhibebat: qua de opinionum varietate dictum eſt in Nono de Doct. T. c. 2.*

Opinio Africani, origo Eræ mundanæ Alexandrinæ.

Inter has celebris illa fuit Africani, antiqui & eruditi Chronologi, qui Chriſtum anno mundi 5502. incarnatum eſſe; paſſum vero 5531. ætatis trigeſimo primo circiter aſſerit: & originem dedit Eræ illi, quam Alexandrinam appellare diximus. (b) *Quem illius computum multi. poſteri, Auctores ſuæ Chronologiam interpolarunt, ac fœdiſſime conturbarunt.* (c) *Nam decem circiter annos ab ejus epocha, a Dionyſiana autem octo, Chriſti Incarnationem abſtraxerunt.* Ita Petavius cap. 2. Tum cap. 3. ſequentia ſcribit.

Hactenus meras annorum ſummas ab Orbe condito ſine ulla Cyclorum, uti dictum eſt, methodo ſubducebant. Poſtea cum jam uſus artificii illius fervere in Eccleſia cœpiſſet; placuit annos mundi ſic ad eundem aptare, ut diviſa ſumma per Cyclorum Periodum proprius anni cujuſque Cyclus

IN EXAMEN VOCATA.

(a) Illud certiſſimum: neque enim ante *Anatolium* Cyclus decennovalis ad methodum Paſchalem adhibitus; ideoque ex eo tantum tempore ex annis mundanis erui cœptus; ſummaque annorum mundanorum, qui antea mere hiſtorica erat, facta eſt Periodica & artificialis, annis ſcilicet aliquibus ex illa detractis, vel illi additis, ut Cyclos tam Solis, quam Lunæ exhibere poſſet.

(b) Licet ante Eram Diocletianeam nullam propriam Chriſtiani haberent; & in Actis publicis Eris Gentilium & Paganorum uterentur: Scriptores tamen, uti Julius Africanus, Hippolytus Martyr, aliique, quorum Scripta periere, communi fere conſenſu ſupponebant, Chriſtum incarnatum eſſe anno mundi 5501. anno ſcilicet Juliano XLIII. Quamquam negandum non ſit, aliquos, uti Theophilum Antiochenum Epiſcopum lib. 3. ad Autolicum, peculiari annorum mundanorum numeratione uſum eſſe.

(c) Ad annum primum Diocletiani Alexandrini computum annalem Africani ad Cyclum Lunæ accommodarunt, decem ſcilicet annis mundanis, totidemque Incarnationis illis reſpondentibus reciſis. Cum vero poſtea Dionyſius Eram noſtram vulgarem inſtituit, primumque exi-

Digitized by Google

VERBA PETAVII

exiſteret. Quem in finem partim annorum aliquot detractione, vel additione priores computus immutarunt; partim iis retentis, Incarnationem ac Paſſionem Chriſti alios in annos, quam quibus adſcripti erant, miſſo, relegarunt. Hoc, ut paulatim evenisse conjectura noſtra fert, explicare deinceps aggrediar.

XLVII. *Prima Era mundana Græcorum ſecundum Petavium.* *Princeps, quantum ſuſpicari licet, in Ægypto Panadorus, (d) cum animadverteret, annos ab Adamo ex Africani ſententia collectos, ſi per XIX. devidcrentur, nequaquam labentem Lunæ Cyclum efficere, non dubitavit captanda opportunitatis illius gratia, paucos annos e ſumma decerpere. Jam enim Alexandrinorum Lunaris Cyclus percrebuerat, qui a Paſchali fere menſe ſumens initium, idem erat ac noſter; hoc eſt, primus unius, primus itidem erat alterius: quandoquidem Paſchalis omnis Romanorum methodus ab Alexandrinorum eſt fonte deducta. Theophilus Alexandrinus Epiſcopus Paſchalem Cyclum inſtituit annorum CCCCXXXVII. cujus centum priores annos deſcripſit, orſus a Conſulatu Gratiani V. & Theodoſii Impp. qui eſt annus Era Chriſtiana CCCLXXX. Cyclo Lunæ 2. (e) Hic annus ex Africani calculo putabatur ab Incarnatione CCCLXXXII. ab Adamo 5882. Diviſis 5882. per XIX. relinquuntur XI. atqui I. reſiduum eſſe methodi Paſchalis interrat. Panadorus ergo decem detracta, eundem illum annum numeravit ab Orbe condito 5872. quibus per XIX. partitis, Cyclus ille Lunæ primus, qui quærebatur, extitit. Præterea Incarnationem ac Natalem Chriſti biennio ſubduxit ab Africani epocha; & in annum redegit, qui trecenteſimus octogeſimus retro putabatur ab exordio Cycli Theophili. Si annus 5872. mundi trecenteſimus octogeſimus ſecundus haberetur ab incarnato Domino, caderet Incarnatio in annum ab Adamo 5492. Panadorus autem eum annum putavit 5493. Igitur primus annus Cycli Theophilo, Era Incarnationis ab illo numeratus eſt trecenteſimus octogeſimus. quæ eſt inſignis obſervatio vetuſtatis Era communis, quam Dionyſianam nominant: quanquam uno anno Incarnationem antevertimus; eo quod Era Chriſti non Incarnationem includit ipſam, ſed a Kalendis Januariis proximis ab Natali incidit, &c. Annus 5493. ſi per XIX. partiare, fit Lunæ Cyclus II. qui perinde anno primo Chriſti noſtrati congruit. (f) Ex hac Panadori conformatione accidit, ut computus iſte recens ab Orbe condito, octo annis minor eſſet priore illo, qui fuit Africani. Tametſi enim decem annos de eo Panadorus abſtulit; tamen communem terminum biennio ſummovit. Si Incarnationis priſtinum annum retinuiſſet ab Africano editum; qui eſt Periodo Julianæ 4712. biennio ante epocham noſtram; annus primus Cycli Theophili, Chriſti CCCLXXX. fuiſſet Era Incarnationis Panadori CCCLXXXII. mundi 5872. Ablatis annis CCCLXXXII. de 5872. reſidui ſunt 5490. Ergo annus 5491. eſſet Incarnationis annus. Idem primus Theophili annus ex Africani computo erat ab Adamo 5882. a Chriſti Incarnatione CCCLXXXII. Subductis CCCLXXXII. de 5882. reliqui ſunt anni 5500. Proinde anno 5501. incarnatus eſt Chriſtus ex Africani ratiocinio. Diſcrimen computi hujus & alterius anni X. Verum Panadorus biennio, ut dictum eſt, Incarnationem deſcendere juſſit ad annum 5493. Unde octo annorum duntaxat inter utrumque nata differentia eſt. Acceſſit ad eam Cycli Lunaris opportunitatem, & Indictionis uſus. Nam unitate addita, & ſumma per XV. partita, propria cujuſque anni habetur Indictio. Anni 5872. per XV. diſtributi relinquunt VII. Verum anno Chriſti CCCLXXX. Indictio fuit VIII. unitas ergo adjungi debet ad numerum. Quod ſi annum Africani 5882. per XV. divideres, Indi-*

IN EXAMEN VOCATA.

Chriſti annum triennio tardius quam Africanus conſignavit, Era Incarnationis Alexandrina poſt Diocletianum annis ſeptem, non vero octo, brevior fuit quam Dionyſiana.

(d) Communis opinio eſt, Chriſtianos Orientales tres Eras mundanas habere; Alexadrinam, Antiochenam, & Conſtantinopolitanam; priorem illigare primum annum Incarnationis anno mundi 5501. alteram anno mundi 5495. ultimam anno mundi 5509. Petavius tamen primam cum ſecunda confundit, & loco ſecundæ aliam comminiſcitur, quæ a nullo unquam populo aut Scriptore antiquo uſurpata fuit, ut mox videbitur. Prius itaque ſupponit, Chriſtum natum eſſe anno mundi 5501. anno Juliano XLIII. Hæc ad annum primum Diocletiani decem annis mutilata fuit, vel ab Anatolio, ut ego quidem exiſtimo, vel ab aliquo alio Scriptore nobis ignoto. Nam Panadorus hujus primæ reformationis auctor eſſe non potuit; cum, teſte Syncello, *Arcadii Imperatoris ac Theophili Alexandrini Archiepiſcopi tempore* floruerit, poſt annum nempe Chriſti CCCLXXXIII. quo Archadius a Theodoſio M. patre renunciatus eſt Auguſtus. Et tamen jam a Diocletiani tempore Era Alexandrina decennio brevior erat quam antea, ut jam demonſtravi, & manifeſte liquet ex Theophane in Chronico, ubi annos Diocletiani, Conſtantini M. ceterorumque deinceps Imperatorum cum Era mundana Alexandrina jam decennio mutilata connectit.

(e) Annus Dionyſianus CCCLXXX. nunquam potuit ex Africani calculo putari ab Incarnatione CCCLXXXII, ab Adamo 5882. cum jam a nonaginta annis calculus ille imminutus fuiſſet; & in tota antiquitate nullum exemplum reperiatur, quo conſtet, Eram illam mundanam ſine mutilatione poſt Diocletianum uſurpatam fuiſſe. Præterquam quod anno Dionyſiano CCCLXXX. inchoari debuiſſet annus mundi 5883. Incarnationis CCCLXXXIII. quia annus Incarnationis Alexandrinus triennio Eram noſtram Dionyſianam antecedit. Ceterum hæc Petavii verba, *Natalem Chriſti biennio ſubduxit ab Africani epocha*, valde obſcura. Panadorus itaque epocham Incarnationis ab epocha Incarnationis Alexandrinorum biennio ſummovit; ſed ſeptennio eam antevertit in Era mundana Africana.

(f) Era mundana, quam ex Panadoro Petavius exponit, non eſt Era Alexandrina, ut ipſe putat, ſed Antiochena, cujus auctor habetur Panadorus. Nam in prima Eræ mundanæ reformatione, decem tantum anni tam ex Era mundana, quam ex Era Incarnationis expuncti; a quo tempore Era Incarnationis Alexandrina ſeptem, non vero octo annis brevior fuit. Sed primus annus Incarnationis a loco ſuo minime ſummotus. Contra vero in Panadori conformatione ſeu Eræ mundanæ Antiochenæ inſtitutione alia mutilatio a memorata longe diverſa, facta. Panadorus enim decem annis tardius quam Alexandrini conditum mundi collocavit; ac præterea annum primum Incarnationis, non cum anno mundi 5501. annoque Juliano XLIII. ſed cum anno mundi 5505. Juliano XLV. illigavit. Quo pacto, Incarnationem biennio tardius, quam Africanus & Alexandrini, inchoavit. Quare, quæ Petavius dicit contigiſſe in prima reformatione Eræ mundanæ, contigere in ſecunda; ſi tamen excipias mutilationem illam decennalem tam Eræ mundi, quam Eræ Incarnationis, cujus Anatolium auctorem fuiſſe diximus.

(g) Incipit explicare Petavius ſecundam Eram mundanam Orientalium, ut ipſe exiſtimat,

ſtio

VERBA PETAVII | *IN EXAMEN VOCATA.*

ctio II præveniret: quæ longius abeſt ab ea quæ tum putabatur. Quamobrem non minus Indictionis, quam Cycli Lunaris commoditas Panadorum impulit, ut Africani computum interpolaret. Siquidem Indictionis uſus per illa tempora vehementius increbeſcere cæpit.

XLVIII. Secunda Era Græcorum ſecundum Petavium.

(g) Annum perſuaſum hoc pleriſque fuit, Chriſtum Dominum & Martii XXIII. & Luna XIV. vel XV. id eſt, Plenilunio eſſe paſſum, id eſt, in Paſchate Judaico, Martii vero XXV. reſurrexiſſe: quorum illud feria VI. hoc autem feria I. contigiſſe extra controverſiam eſt. Quod Martii XXIII. paſſum eſſe Chriſtum Græci Computiſtæ crediderint, argumento eſt, quod Maximus, Georgius, Chronicon Alexandrinum, Cedrenus, & alii complures ita ſentiant. Quia etiam Cæſarienſe Concilium, quod Victore Pontifice circa annum Chriſti CXCVII. celebratum eſt, hoc ipſum definiit. Quocirca tria hæc in eundem concurriſſe diem Martii XXIII. arbitrati ſunt, feriam VI. & Lunam XV. necnon legitimum ætatis modum, ut XXXIII. annos circiter ætatis haberet: quoniam triceſimo anno baptizatus eſt; ac tres deinde Paſchata peregit. Quibus omnibus commodior nullus annus inveniri potuit, quam qui Era communis eſt XLII. & in Panadori computo 5535. exiens, iniensque 5534. idemque ab Incarnatione, ſecundum Panadorum, XLII. Nam hoc anno Cyclus erat Solis Romanus XXIII. Littera G. proindeque Martii XXIII. feria VI. & Martii XXV. Dominica. Cyclus Lunæ Alexandrinus & Romanus fuit V. Neomenia Niſana Martii IX. & XXIII. Luna XV. Ergo non dubitarunt, illo anno Paſſionem accidiſſe. Ut igitur triceſimus bis & tertius, vel quartus ætatis eſſet annus patienti Chriſto, conſtituerunt anno computi Panadori 5502. incarnatum eſſe Chriſtum, Era vulgaris nono, Periodi Jul. 4722. Huic illorum caſtigationi ſuffragari præterea vetus illa opinio videbatur, anno mundi 5501. incarnatum eſſe Chriſtum, quam Africanus auctoritate ſua commendarat. Ita prorſus admirabiliter contigit, ut ad Eram priſtinam ſpretis Panadori calculis redirent: aut, ut priorem illum computum conſtantes Eccleſiæ aliquæ, civitateſque retinuerint; (h) deinceps nulla in eo mutatione facta, epochas Incarnationis ac Paſſionis Chriſti ſolummodo ſollicitarint. Verum, nec in annis mundi cum Africano, nec in annis Chriſti putandis, cum Panadoro conſentiebant. Etenim annus ille Era Chriſtiana nonus ab Africano numeratus, eſt mundi 5501. Chriſti undecimus; a Panadoro vero mundi 5502. Chriſti nonus. At illi mundi, ut Panadorus, 5502. Chriſti vero primum cenſebant, quod neuter illorum ſtatuit. (i) Hinc apparet, recte nos cap. 2. docuiſſe, computum hunc annalem & Alexandrinum nihil a Panadori calculo diſcrepare, ſi ad annos Adami vel mundi reſpicias. Tum id conſtat, multum hunc ab Era Africani eſſe diverſum. Quocirca quod in 9. de Doct. Temp. cap. 4. diximus, ex tribus vulgatis Græcorum computis, antiquitatis palmam ei deberi, qui ad Incarnationem Chriſti numerat abſolutos annos 5500. late id accipiendum eſt: & tradition ſi annorum tantummodo ſumma ſpectetur, cujuſmodi eam Africanus inſtituit. Sin eo modo conſideretur, quo ab computandi magiſtris accommodata poſten eſt, cum uſu methodi Paſchalis implemendo; eadem eſt tum illa Panadori: ſed ejus eſt tradatio, confirmatioque recentior.* Ita Petavius cap. 2.

& unde originem ceperit, oſtendere. Verum Era hæc mundana, in qua illigat annum mundi 5501. cum anno Juliano LIV., annoque Dionyſiano nono, ficitia, commentitiaque. Exemplum enim quod affert, ut probet, ejus auctores Paſſionem Chriſti conjeciſſe in annum Dionyſianum XLII., qui revera concurrebat cum anno 5533. Eræ Antiochenæ a *Panadoro* inſtitutæ, eſt de re geſta anno Dionyſiano XXXI., quo in curſu fuit littera Dominicalis G. proindeque Martii XXIII., feria ſexta, & Martii XXV. Dominica; Cycli Romani Solis XII., Lunæ XIII. Decepit Virum doctiſſimum annus mundi ſecundum Antiochenos 5501. cum quo *Panadorus* annum IX. Incarnationis, qui itidem eſt nonus Eræ vulgaris, & cum quo *Africanus* & Alexandrini conjunxere annum primum Incarnationis. Inde enim neceſſario ſequi putavit, Scriptores aut populos extitiſſe, qui Incarnationem inchoarint anno mundi 5501. annoque Juliano LIV. cum tamen quotieſcumque annus ille mundi 5501. concurrit cum anno Dionyſiano IX., & Juliano LIV., nunquam ſit caput Incarnationis, ſed ſupponat eam in eadem Era mundana anno 5493. incepiſſe. Annus itaque 5501. in Era Alexandrina, quam Petavius perperam Panadori Eram vocat, principium eſt annorum Incarnationis ſecundum Africanum ac Alexandrinos, annoque Juliano XLIII. inchoatur: in Era vero Antiochena reſpondet anno Juliano LIV., annoque nono tam Eræ Antiochenæ, quam Eræ Dionyſianæ; neque alter cum altero confundendus; cum ad diverſas Eras mundanas pertineant.

(h) Sicut in anno primo Incarnationis in Era Alexandrina nulla facta eſt immutatio, ſed tantum decem anni ad annum primum Diocletiani ex illa expuncti; ita verum non eſt, ad Eram priſtinam Incarnationis, a cujus primo anno numquam eos, nec ullos Orientis populos receſſiſſe diximus, Alexandrinos rediiſſe; & commentum eſt, eſſe aliquas Eccleſias civitateſque, quæ vel hodie, vel præteritis ſeculis, Incarnationis computum incipiant, vel inceperint ab anno mundi 5501. prout cum anno Juliano LIV, annoque Chriſti Dionyſiano nono concurrit. Verum quidem eſt, id a pluribus graviſſimiſque Auctoribus in literas mandatum fuiſſe, & errorem illum vulgarem omnium ferme animos occupare. Sed Scriptores illi minime antiqui, & in critica ac eruditione error communis legem facere non poteſt. Natus is error ex Era Incarnationis Alexandrinorum poſt Diocletianum Dionyſiana ſeptennio breviori: ſumta enim inde anſa exiſtimandi ſcribendique, eſſe vel fuiſſe populos, qui Eram Chriſti tardius quam Latini auſpicati fuerint; cum contra ex eo quod Era hæc ſeptem tantum annis, quam noſtra brevior eſt, inde colligere debuiſſent, eam non procedere ab anno mundi 5501. quatenus cum anno Juliano LIV. annoque Dionyſiano nono concurrit. Sed tantum abeſt, ut novi iſti Chronologi ita ratiocinati fuerint, ut in alium errorem inciderint, communique conſenſu tradiderint, Eram illam Incarnationis ſecundum Alexandrinos annis octo a Dionyſiana diſſidere.

a Petavius communi illo errore innixus credidit, falſam eſſe communem opinionem, quæ docet, Græcorum computos Eraſque præcipuas eſſe tres: quia, inquit, ex tribus duæ ſunt, quæ di-
„ verſis annis Incarnationem aſſignant: videlicet illa quæ annos 5493. & quæ 5501. colligit. Unius
„ ergo computi ſummæ iſtæ duæ ſunt: qui cum tertio annorum 5509. Natalem eundem Chriſti
„ reſpicit, & ab illo propterea jure diſtinguitur. Subdit trium Erarum duas Incarnationem aſſingere: ac prioris, quæ 5501. putat ultimum convenire Chriſti anno nono; alterius vero quæ 5493.
„ numerat, anno primo: adeoque non duos annales computos, ſed unum & eundem eſſe. Etenim
„ an-

Digitized by Google

,, annum Chriſtianæ vel Dionyſianæ Eræ primum uterque computus 5493. numerat: necnon annum
,, ejuſdem Eræ nonum uterque recenſet 5501. quippe de anno currente mundi ad Incarnationis annum aſ-
,, ſequendum priores, annos 5500. detrahunt; poſteriores, 5492. ex quo major hujus quam illius calcu-
,, lus efficitur. Annus, exempli cauſa, mundi apud Maximum 6133. detractis 5500. erit ab Incar-
,, natione DCXXXIII. deductis vero 5492. putabitur DCXLI, ad quem revera Maximus perpetuo
,, reſpectum habuit. Itaque in annis mundi conſentiunt ambo computi; in annis Incarnationis diſ-
,, ſentiunt. Non debent igitur mundi Eræ vel computi cenſeri duo, ſed unus duntaxat, cujus ad
,, diverſos annos Chriſti Incarnatio alligatur. Quare duæ tantum, quod dicebamus, præcipuæ ſunt
,, Eræ Græcorum; nempe una, cujus in annum 5495. primus annus Eræ Dionyſianæ vel commu-
,, nis concurrit: & altera, quæ eundem annum numerat ab Orbe condito 5509. Ita Petavius ci-
,, tatus cap. 1. Quod etiam jam tradiderat lib. 9. de Doct. Temp. cap. 3. ſed cum majori obſcu-
ritate, quæ inde provenit; quod ad ſententiam ſuam clare explicandam, computum illum mun-
danum ad menſuram aliquam nobis penitus notam, uti v. g. ad annum Julianum, non applicat.

XLIX. *Era prima & ſecunda Græcorum una & eadem ſecundum Petavium.*

Mens itaque ejus eſt, Eram mundanam Alexandrinam & Antiochenam unam eandem eſſe, & nonniſi verbis & conſignatione primi anni Incarnationis in ejuſdem computi annis differre. Nam Alexandrini, ut perſuaſum habet Vir doctiſſimus Incarnationem illigant cum anno mundi 5493. annoque Juliano XLV: Antiocheni vero cum anno ejuſdem computi mundani 5501. annoque Juliano LIV. qui eſt annus Eræ Dionyſianæ nonus, exiſtimantes, deceptos eſſe Alexandrinos; dum initium Incarnationis octo annis citius in eadem Era mundana collocarunt. Quæ ſi vera eſſent, non dubium, quin Era Alexandrina & Antiochena ante Diocletianum una & eadem eſſet, ut poſtea fuit, quemadmodum dici non poteſt, eos qui Martyrium S. Ignatii Antiocheni Epiſcopi cum anno Dionyſiano CVIII. jungunt, diverſa Era Chriſtiana, uti ab iis, qui illud in annum CXVII. conferunt. Era autem mundana Conſtantinopolitana, juxta Petavii ſenſum, ab Era mundana Alexandrinorum ſeu Antiochenorum prorſus diſcrepat; quia annum mundi 5495. cum anno Juliano XXIX. copulat, annum mundi 5501. cum anno Juliano XXXVII. annumque 5509. cum anno Juliano XLV: cum tamen annus mundi 5509. in Era Alexandrina ſeu Antiochena incipiat anno Juliano LXI. Ex quibus infert Petavius, duas tantum eſſe Eras mundanas Orientalium, & in prima annum Incarnationis diverſimode inchoari. Verum, cum jam demonſtravimus, nullum antiquum Scriptorem, niſi erraverit, nullumque unquam populum credidiſſe Chriſtum natum eſſe anno 5501. quatenus cum anno Dionyſiano XI. & Juliano LIV. concurrit, omnino diſtinguendæ duæ Eræ mundanæ, in quarum altera annus 5502. annuſque primus Incarnationis anno Juliano XLIII. exordiuntur: in altera vero, Antiochena ſcilicet, annus mundi 5501. annuſque Incarnationis XI. anno Juliano LI4. initium deſumunt.

L. *Petavius non intellexit mundum computandi a S. Maximo uſurpatum.*

Porro Petavius ſententiam Maximi explicans, non ſolum in exemplo laudato, ſed & in aliis, quæ paſſim ex eo affert, pugnantia dicit. Modo enim aſſerit, eum Incarnationem cum anno mundi 5501. annoque Dionyſiano IX. & Juliano LIV. conjunxiſſe; modo vero eandem ab anno mundi 5493. deduxiſſe; cum tamen hæc contraria ſint. Maximus itaque Incarnationis epocham anno mundi 5501. annoque Juliano XLIII. auſpicatur: ideoque anno Dionyſiano DCXLI. ineunte, quo computum ſuum Eccleſiaſticum ſcribebat, numerare debuiſſet annum mundi 6145. annumque Incarnationis DCXLIII. Sed quia jam a tribus & amplius ſeculis Era Alexandrina decennio mutilata fuerat, collegit tantum annum mundi 6133. Incarnationis DCXXXIII. eo nempe Incarnationis anno ab anno mundi 5505. repetito. Hanc mutilationem invicte oſtendit annus Julianus DCLXXXV. in quo tam ille mundi quam Incarnationis annus initium ſumit. Nam decem annis ex illo numero detractis, reſtat annus Julianus DCLXXV; ex quo ſi rurſus DCXXXIII. annos Incarnationis, quos Maximus fluxiſſe dicit, demas, reſiduus numerus eſt XLIII; ideoque annus ille Incarnationis DCXXXIII. originem ducit ab anno Juliano XLIII, annoque mundi 5501. quod Petavius negare non poteſt; cum ipſemet fateatur, Alexandrinos annos decem ex Era ſua decerpſiſſe; licet in eo erret, quod hanc immutationem anno Dionyſiano CCCLXXX. factam eſſe credat. Ex quo etiam exemplo manifeſtum fit, Alexandrinos, dum utramque Eram ſuam, mundi ſcilicet & incarnationis, truncarunt, initium Incarnationis ab anno mundi 5505. annoque Juliano XLIII. non removiſſe.

LI. *S. Maximus in primo Incarnationis anno conſignando ſibi non conſtat.*

Sed non tantum Petavius in Maximi opinione exponenda pugnantia dicit, ſed etiam ipſemet *Maximus* non ſibi conſtat. Cum enim is librum ſuum ſcripſerit, anno Chriſti DCXLI, quo currebat annus Incarnationis ſecundum Alexandrinos DCXXXIII; & decennalem illam tam Eræ mundanæ quam Incarnationis mutilationem non animadverterit, de utraque Era loquitur, ac ſi ſemper eodem, quo ſuo tempore, modo uſurpata fuiſſet; indeque annum illum Incarnationis ſecundum Alexandrinos DCXXXIII. deducit ab anno Dionyſiano IX. & Juliano LIV, quaſi eo anno Chriſtus incarnatus fuerit. Nam in parte ſecunda ſui Computi, cap. 1. ubi refutat *Undecuplatores*, qui Auctores extitere Eræ mundanæ Conſtantinopolitanæ, ut infra videbitur, exhibet *Rotam* artificioſam, in cujus primo circulo anni XXVIII. Solis (ſic Cyclos Solis nominat) deſcribuntur, ducto initio, non a primo, ſed a XIII, XIV. & ita deinceps. In tertio circulo Juliani quadriennii biſſextiles habentur, & in quarto iterum anni ſeu Cycli Solis XXVIII. repræſentantur, & quidem inchoati a primo Cyclo, *ut ſtudioſus Lector facilius intelligeret, quem illi* (nempe Undecuplatores) *computant primum Solis annum, apud nos eſſe XIII, & ſecundum, XIV. & ita porro eadem omnino ratione*, inquit Sanctus Maximus. Si itaque Cyclus Solis XIII. quem reddit annus mundi ſecundum Alexandrinos 5501. concurrit cum Cyclo Solis I. ſecundum Conſtantinopolitanos, ut in illa *Rota* videre eſt, Chriſti Incarnatio quam Maximus factam dicit anno mundi 5501. notato Cyclo Solis XIII, omnino competit in annum Dionyſianum IX, quo in curſu fuit annus Conſtantinopolitanus 5516. qui per XXVIII. diviſus reddit Cyclum Solis I. Præterea in eadem *Rota* Cyclus Solis XII. Alexandrinus reſpondet anno biſſextili, qualis fuit annus Dionyſianus VIII. Incarnationem itaque ex Maximi mente annus biſſextilis proxime anteceſſit, eaque facta, currente Cyclo Conſtantinopolitano primo, quæ duo non conveniunt anno Juliano XLIII, cum quo Alexandrini annum mundi 5501. communi conſenſu conjungunt. Denique cap. 17. primæ partis ait, Cyclum Solis XXVIII. per quatuor diviſum offerre annos biſſextiles; ita ut Cycli Solis IV, VIII. XII. & ſic deinceps cum annis biſſextilibus concurrant. Ex quo conſequens eſt, juxta Maximum, Chriſtum incarnatum non eſſe anno Juliano XLIII, quia annus Julianus XLII. biſſextilis non fuit. Ad hoc argumentum, omnium, quæ ex Maximo afferuntur, validiſſimum,

Digitized by Google

nium, Petavius animum non advertit. Verum vel Sanctus Maximus ſibimet manifeſte contradicit; cum ex iis quæ ex eodem ſupra in medium adduximus, conſtet, eum cupulaſſe primum Incarnationis annum cum anno Juliano XLIII, ſicuti & cæteros omnes Eræ mundanæ Alexandrinæ Sectatores; vel illius decennalis mutilationis ignoratione in errorem Maximus trahitur, dum ſcilicer annum mundanum Alexandrinum unum eundemque cum anno mundano Antiocheno ſemper fuiſſe putat, uti erat eo ſeculo, quo ipſemet ſtribebat, anno nempe Dionyſiano DCXLI. Eo itaque tempore Cyclus Solis, per quatuor diviſus tunc dabat annos biſextiles, & Cyclus Solis XIII. Alexandrinus concurrebat cum primo Cyclo Solis Conſtantinopolitano. Verum ante Imperium Diocletiani ac decennalem mutilationem, cujus ſæpius meminimus, annus mundanus Alexandrinus valde diſcrepabat ab anno mundano Antiocheno; ideoque diverſis Cyclis Solis hæ duæ Eræ mundanæ inſigniebantur, ut jam explicavimus. Nec ullo modo dubitari poteſt, quin Sanctus *Maximus* Eram Incarnationis Alexandrinam, non vero aliam ab ea diverſam, ut perperam autumavit Petavius, ſecutus fuerit; cum hæc Era deſinat iiſdem numeris ac mundana Alexandrina, & Maximus tradat, ultimum Heraclii Imp. annum fuiſſe annum mundi 6133. Incarnationis vero DCXXXIII, quas Eras duas Alexandrinas eſſe, ipſis etiam cæcis liquet.

LII. *Explicatur ſecunda Periodus Orientalium.*

Venio nunc ad Eram mundanam *Antiochenam*, ut communiter nuncupatur, quæ tamen melius *Græco-Alexandrina* vocaretur; cum poſt initium Imperii Diocletiani ab Alexandrina non differat. Panadorus Monachus Ægyptius, quo vetuſtior non invenitur, qui ejus meminerit, conjunxit annum primum Incarnationis cum anno mundi 5493. annoque Juliano XLV, ut variis exemplis ex Syncello deductis demonſtrat Petavius in Auctario lib. 8. cap. 2. Qua de re quia inter omnes convenit, actum non agam. Cum itaque Alexandrini annum mundi 5502. cum anno Juliano quadrageſimo tertio; Antiocheni vero annum mundi 5492. cum eodem anno Juliano XLIII. connectant: manifeſtum eſt, ex Era mundana Alexandrina Antiochenam formatam; & Panadorum, vel forſan alium eo antiquiorem, Incarnationem ex anno Juliano XLIII. ad XLV. retraxiſſe; conditumque mundi decennio tardius quam Africanum & Alexandrinos inchoaſſe; cum ad annum Julianum XLIII. Alexandrini ſupponant fluxiſſe tum annos mundanos 5502. Antiocheni vero nonniſi 5492. quæ immutatio in capite Incarnationis a Panadoro facta, ne decennalis illa mutilatio, quam *Anatolius* induxerat, Eram Alexandrinam impoſterum fœdaret. Nam ut recte Petavius lib. laudato cap. 4. ex veſtigiis Chronologiæ Panadori conjectura fieri poteſt, accuratum in rebus Mathematicis ac diligentem hominem fuiſſe; atque haud paulo indiligentiorem ejus reprehenſore Georgio, apud quem ea veſtigia extant, & cujus in hoc genere infinita peccata ſunt: ſed nullum majus, quam quod ea vellicare inſtituit, quæ neque capiebat ipſe, & ab ipſo Panadoro, quem accuſabat, fuerant ſcripta conſtanter. Totum itaque hujus ſecundæ reformationis artificium in eo ſitum, quod Panadorus creationem mundi decem annis, Incarnationem vero biennio tardius quam Alexandrini, poſuerit. Annus enim Antiochenus 5492. concurrit cum anno Alexandrino 5502. eoque anno Alexandrini Incarnationem exordiuntur: annus 5492. cum anno 5502. annus 5493. cum anno 5503. quo Alexandrini tertium Incarnationis; Antiocheni vero primum inchoant, & ſic deinceps, uſque ad annum primum Diocletiani Imp. ſeu annum mundi ſecundum Alexandrinos 5777. quia cum eo anno Alexandrini decennio tam Eram mundanam quam Incarnationis decurtarint, non amplius Antiochenus decennio in annis mundi antecedunt, nec triennio in annis Incarnationis; ſed unam eandemque Eram mundanam utrique habent, adeo ut eo mundi anno, quo Diocletianus menſe Septembri Imperium iniit, Antiocheni incipiant annum mundi 5777. Incarnationis CCLXXXV; Alexandrini autem annum mundi 5777. Incarnationis CCLXXVII: ideoque in hac ſecunda Era Antiochenos non amplius triennio præcedunt Alexandrini, ſed ſeptennio tardiores ſunt, ob decem ſcilicet annos Incarnationis abdicatos; quod etiam reſpectu Eræ Dionyſianæ dicendum, cum Latini & Antiocheni eadem Era Incarnationis utantur.

LIII. *Incertum an Epocha Incarnationis ſecundum Antiochenos vere Era fuerit, an tantum opinio.*

Fateor tamen, me in nullis Scriptoribus Græcis hujus Eræ Incarnationis ſecundum Antiochenos exemplum aliquod poſt Diocletianum inveniſſe. Quare valde ſuſpicor, ne Panadorus, vel aliquis alius Antiocheni computi artifex potius propriam opinionem propoſuerit quam Eram aliquam Incarnationis invexerit: præſertim, quia ipſemet apud Syncellum tradit, Concilium Nicænum celebratum eſſe anno Incarnationis CCCXVI. juxta computum nempe Alexandrinorum; cum tamen juxta proprium ſcribere debuiſſet, anno Incarnationis CCCXXIV, menſe Septembri inchoato, quia Concilium Nicænum celebratum eſt menſe Junio anni Dionyſiani CCCXXXV. quo adhuc in curſu erat annus Incarnationis CCCXXIV. ſecundum Antiochenos. Verum quidem eſt, Epiphanium num. XIII. laudatum ſcribere, *Manem* hæreticum apparuiſſe ſecundum aliquos *Anno Aſcenſionis* (ita perperam Incarnationem vocat) CCLXXVI. tempore Probi Imp. qui eo anno juxta Eram Dionyſianam imperare cœpit. Sed non inde ſequitur, Epiphanium alicui Eræ eum annum attribuiſſe; cum de privatorum quorumdam Scriptorum ſententia intelligi poſſit. Quod ſi hæc conjectura admittanda ſit, Dionyſius primus fuerit, qui Panadori opinionem ad Eræ gradum promoverit. Quod obiter dictum ſit. Porro Periodus mundana Alexandrinorum Antiochenam repræſentabit, ſi decennium ex ea abjicias: contra vero Periodus mundana Antiochenorum Alexandrinam, ſi decem unitates adjeceris.

LIV. *Explicatur tertia Era Orientalium Chriſtianorum.*

Poſt aliquot ſecula Periodus mundana Antiochenorum a *Conſtantinopolitanis* rurſus reformata; annuſque Incarnationis cum anno quidem Juliano XLV, uti Panadoro & poſt eum Dionyſio exiguo placuit, ſed cum anno mundano 5509. conjunctus. Is annus partitus per XV. reddit Indictionem quartam, qua ſecundum Orientales annus primus Incarnationis annuſque Julianus XLV. inſigniti ſunt a Septembri, a quo annum civilem exordiuntur. Fervebat tunc Indictionis uſus, quam ut annus mundanus per XV. diviſus exhibere poſſet, mundi creationem annos ſedecim ante Antiochenos auſpicati ſunt, adjecto ſcilicet integro Indictionis circulo, ac præterea unitate. Indeque fit, ut ſi ex Era mundana Conſtantinopolitanorum ſedecim annos abjicias, ad Antiochenam pervenias: & e contra ſi Antiochenæ annos ſedecim addas, Conſtantinopolitanam aſſequaris. Ejus inſtituendæ aliam etiam cauſam Petavius lib. 8. Auctarii cap. 3. affert, Cycli ſcilicet Judaici commoditatem, quem & Victorinus, ac Latini & Occidentales plerique ſecuti ſunt. Quamquam nihil præter Cyclorum vel aureorum numerorum ordinem expreſſiſſe Græcos exiſtimet; nec in celebrando Paſchate ad eos errores adhæſiſſe, quos in Victorini ac Latinorum ſectam præpoſtera Judæorum imitatio transfudit. Cyclus Judaicus ac Latinus ab Alexandrino & Romano, ternario diſcrepat: ut qui primus eſt Roma-

Digitized by Google

manorum, Latinorum ſit XVIIJ. qui illorum tertius horum ſit XIX, ut lib. 6. de doct. Temp. pluribus exponit; præſertim cap. 5. ubi numeris amborum aureis Kalendarii Romani dies utrimque ſtipavit. Ibi ad Kalendas Januarias Romanus numeros adſcriptus eſt IIJ, Latinorum XIX. Ejuſmodi Cyclorum ratio in poſtremo hoc computo locum habet. Nam diviſis 5509. per XIX, reſtant XVIIJ, qui Judaicus Cyclus & Latinus erat anno Incarnationis, ſive communis Eræ primo: ad quem tribus adjectis, efficitur aureus numerus Alexandrinorum IJ, qui eundem annum occupat. Sic anno Chriſti 1373. aureus numerus Alexandrinus erat VJ. Hunc annum Iſaacus Monachus numerat hujus Eræ 6881. quo numero per XIX. partito, ſuperſunt III. Proinde Judaicus iſte Cyclus fuit anni 1373.

LV. *Antiquitas Periodi Conſtantinopolitanæ.*

Scaliger lib. 3. Canonum Iſagogicorum pag. 180. ait, ſe inter Latinos qui ejus Eræ meminerit, vetuſtiorem inveniſſe neminem, quam Auctorem Opuſculi Bedæ perperam attributi, cui titulus, *Computi Ratio*. Is enim Scriptor dicit, *anno 6279. Chriſti vero DCCLXXI*, &c. Verum antiquius exemplum habemus in ſexta Synodo Generali anno Dionyſiano DCLXXX. habita, in qua hæc Era mundana uſurpata. Dicitur enim Concilium coactum anno mundi 6189. Petavius in Auctario lib. 8. cap. 14. & ſeq. Computum Eccleſiaſticum Sancti Maximi explicans, docte oſtendit, jam eo tempore, quo ille Computus elucubratus, anno nempe Chriſti Dionyſiano DCXLI, Eram mundanam Conſtantinopolitanam agnitam fuiſſe. Ibi enim Maximus contra certos Computi Paſchalis artifices diſputat, quos πεντακλάντας, & ἑξακλάντας, nominat, quoſque nos *Undecuplatores* appellaſe poſſumus, hoc eſt quinquies & ſexies annos Cycli Lunaris multiplicantes, vel, ut uno verbo id exprimatur, *undecies*. Fuerunt hi Auctores illius Computi, quem Conſtantinopolitanum nominamus, qui Eræ Chriſtianæ primum annum offert in eo, qui eſt ab Adamo 5509. quod partim ex Cyclis Solis & Lunæ, partim ex annorum numero Petavius colligit. Cyclus enim Lunaris *Undecuplantium* XJ, Antiochenis eſt XIV; illorum primus eſt, horum quartus; illorumque primus Solaris eſt Antiochenſibus quartus; ideo *Undecuplatores* alium annum mundanum non habebant, quam Cpolitanum hodiernum, ut patet ex Tabula Erarum Græcarum mox ſubjicienda. Præterea ait Maximus cap. 12. primæ partis ſui Computi, Undecuplatores ad Annos Adami addidiſſe ſedecim, quod Conſtantinopolitano Computo congruit. Siquidem annus primus Eræ Chriſtianæ in Antiocheno numeratur 5493. in Conſtantinopolitano 5509. Intervallum anni XVI. Plura hac de re Petavius citatus, ubi addit, Maximum ſic de Computatoribus hiſce, qui XVJ. ad Eram Adami adjecerunt, quaſi de recentioribus & æqualibus pene ſuis loqui. Quare Periodus ſeu Era mundana Conſtantinopolitanorum, qui his etiam noſtris temporibus in Patriarchatu Conſtantinopolitano, in Moſcovia aliiſque regionibus olim Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectis viget, Heraclio imperante, vel circiter inſtituta.

LVI. *Antiocheni Era mundana Panadori utebantur.*

Res adhuc clarior evadet, ſi primum annum Alexandreum alligemus cum anno Periodi Julianæ, quo is cœpit, anno nempe ejuſdem Periodi 4402. Nam annus ille 4402. per XIX. diviſus Cyclum Lunæ XIIJ, & per XXVIIJ. partitus Cyclum Solis VI. exhibet. Quamobrem primus annus Alexandreus Cyclo Solari Romano VJ, & Cyclo Lunari Romano XIIJ. inſignitur; cumque Antiocheni & Romani ſeu Dionyſiani in Cyclo Lunari conveniant, & in Solari Antiocheni ante Septembrem ſeu ante initium anni civilis, annos quinque minus quam Dionyſiani numerent, manifeſtiſſimum eſt Antiochenos Era mundana Panadori olim uſos eſſe; cum annus hujus Eræ 5182. quo anni Seleucidarum ſeu Alexandrei incipiunt, reddat Cyclum Solis IJ. & Lunæ XIV, Martio inſequenti incipiendos, ideoque menſe Martio præcedenti, cum adhuc in curſu eſſet annus Antiochenus 5181. cœpiſſe Cyclum Solis I. Lunæ XIII. Inde certa redditur conjectura quam num. XVIIJ. in medium adduxi, ideo ſcilicet Dionyſium notaſſe primum annum Magni Cycli DXXXII. annorum Cyclo Lunæ I. & Solis IX, quia annus mundanus nempe 5777. cui ab Alexandrinis aſſixus fuerat, per XIX. & XXVIII. diviſus offert Cyclum Solis IX. & Lunæ I.

LVII. *Antiocheni Eram Cpolitanam adoptarunt & quo tempore.*

Porro ante annum Chriſti 1443. Antiochenos Eram ſuam mundanam repudiaſſe & Conſtantinopolitanam adoptaſſe demonſtrat Epiſtola trium Patriarcharum Syriæ, qui licet Synodo Florentinæ per Legatos ſubſcripſiſſent, ita tamen perciti adverſus Metrophanem Patriarcham Cp. qui Schiſmaticos e ſuis ſedibus exturbantem, & in eorum locum Epiſcopos communionis Romanæ ſubrogantem, literas Synodales dedere, recitatas ab Allatio lib. 3. de Eccleſiæ Occident. & Orient. Conſenſ. cap. 4. num. 5. propriis eorum manibus ſubſcriptas, *menſe Aprili VI. MDCCCCLI. anni, nunc currentis Indictionis ſexta, & a Chriſto anno MCCCCXLIII.* Verba Græca hic non exſcribo, quia error in eorum numeros irrepſit. Datæ ex literæ a Philotheo Alexandrino, Dorotheo Antiocheno, & Joachimo Hieroſolymitano. Suriani hodierni annos mundi & Incarnationis ſecundum Cpolitanos a Kalendis Octob. exordiuntur, ut ex variis inde ſcriptis Epiſtolis, utraque illa Era notatis didici.

LVIII. *Variatio apud Orientales in Eris mundi & Incarnationis.*

Golius vir rerum Orientalium peritiſſimus in ſuo Lexico Arabico prodit in voce TAB aliam Eram non Julianam a Judæis Syriæ uſurpari, ſed Arabes Syriæ & Meſopotamiæ, cum annis Solaribus utuntur, eoſdem a Kalend. Octob. ſemper auſpicari. Quare in Eris mundanis & Eris Incarnationis apud Orientales variatum eſt.

LIX. *In qualibet Periodo Orientalium Chriſtianorum omnes contenta.*

Artificio trium iſtarum Periodorum mundanarum retecto, facile eſt eaſdem ad unicam reducere, & ubi unam tenueris, cæteras animo tuo repræſentare. Invenis v. g. in aliquo rerum Byzantinarum Hiſtorico, Conſtantinum Magnum Circulum Indictionis inſtituiſſe anno mundi Alexandrino ſeu Antiocheno, qui poſt Diocletianum unus & idem eſt 5805. anno nempe Dionyſiano CCCXIJ. quo Kalendis Septembris inchoatur. Si ſcire velis, quem tunc annum Conſtantinopolitani numerarent, adjice ſedecim: ſicque tibi non ſolum conſtabit, Indictiones anno mundi Conſtantinopolitano 5821. inſtitutas eſſe, ſed etiam quo anno id acciderit in qualibet Periodo mundana Orientalium. Quod ſi dubites an erraveris, annum illum Conſtantinopolitanum per XV. partire, invenieſque, illum indictionem I. relinquere: ideoque & eam utriuſque anni connexionem certam eſſe: cum Antiocheni & Alexandrini unitatem addere cogantur, ut in anno mundano currentem apud omnes Orientales Indictionem aſſequi poſſint. Annus autem mundi Alexandrinus 5805. Indictionem XV. reddit, quemadmodum & annus Dionyſianus CCCXIJ.

LX. *Periodi Chriſtianorum Orientalium hactenus obſcura.*

His ita conſtitutis, apparet, quantis hactenus tenebris Eræ mundanæ Græcorum circumfuſæ fuerint, tertia excepta, quæ, quod in multis libris legatur, & a variis populis etiamnum uſurpetur, omnibus nota. Scaliger, qui primus omnium eas in Opere de Emendat. Temp. examinavit, priorem vocavit *Orientalem*, annumque 5501. in annum Julianum XLV. incidere credidit; alteram *Lunarem* appellavit, & Incarnationem in annum mundi 5495. Julianum XLV. conjecit; tertiamque *Paſchalem* nuncupavit, in eaque Incarnationem cum anno 5509. Juliano

XLV. inchoavit. Hanc tamen cautionem addit, ut in computo Lunari duo perpetua methodo ſubtrahuntur. Cum vero lib. 8. pag. 689. Computum Æthiopicum exponit; addit: *A principio rerum ad Chriſtum putant* (nempe Æthiopes) *annos 5500. ſed Eccleſia Antiochena uno plus 5501. eamque Eram vocant, ἀπὸ πρώτου Ἀδὰμ, a caſu Adam. Mira autem hallucinatio inde rei incessit. Nam, cum Græcorum Computus Paſchalis ab initio rerum ad Chriſtum, putet annos 5508. iſti vero 5501. hinc factum, ut de ſumma annorum Chriſti Dionyſianorum detrahant annos VII. Hoc faciunt Æthiopes ipſi, & Goari quidam, Maximus Monachus, & Hiſtoria Conſtantinopolitana, ex qua libros ſuos conſarcinavit Landulfus Sagax. In annis enim Chriſti ſemper abſunt a Computo Dionyſiano annis VII. Itaque Æthiopes Ægyptienſes annum Chriſti* 1585. *putabant* 1577. *a die XXIV. menſis Auguſti anni* 1584. a quo die tam annum mundi quam annos Diocletiani incipiunt. Verum priorem Eram perperam *Orientalem* vocat, cum tam Georgius quam Theophanes eam nominent κατὰ Αἰγυπτίους, id eſt *Ægyptiacam*, ſive Ἀλεξανδρεῖς, id eſt *Alexandrinam*, & tertiam κατὰ Ῥωμαίους *Romanam*, quia Conſtantinopolis *nova Roma* fuit. Cur enim Eris a multis ſeculis inſtitutis propria nomina eripere, novaque imponere; quod ſolum licet cum de re conſtat, nomen vero ignoratur. Adhæc, cur initium Incarnationis in hac ſecunda Era ab anno mundi 5495. repetere, cum Panodorus, qui ejus inventor reputari poteſt, illud ab anno 5493. deſumſerit? Porro Petavius tam lib. 9. de Doct. Temp. cap. 5. quam in Auctario lib. 8. cap. 6. pluribus oſtendit, eas appellationes male illis Eris inditas, præſertim, cum tam Era Conſtantinopolitana, quam Antiochena ad Lunam directa & Lunaris fuerit; quatenus iis diebus uterque Cyclus adſcriptus ſit, in quos Nicæni Concilii tempore Novilunia competebant, ut Petavius docte oſtendit. Neque etiam verum eſt, in priori Era Incarnationem collocari anno Juliano XLV, neque qui Incarnationem ab anno 5500. auſpicantur, differre ab iis, qui ab anno 5501. incipiunt; nec etiam Æthiopes & Ægyptios, qui in hunc uſque diem Era Alexandrina utuntur, Eram Dionyſianam mutilaſſe; cum Era Incarnationis, quam adhibent, diverſa ſit a Dionyſiana, & longe antequam Dionyſius naſceretur, inſtituta.

LXI. *Periodum Alexandrinam & Antiochenam poſt Diocletianum unam & eandem eſſe Scaligerum fugit.* Denique *Scaliger* ad decennalem mutilationem Eræ Alexandrinæ animum non advertit; ideoque tres Eras illa mundanas etiamnum hodie in Oriente uſurpari credidit: Opus enim de Emendatione Temporum pag. 784. his aliiſque temporum Notis abſolvit: Exactum Opus Dei Opt. Maximi gratia, feria tertia.

ANNO

Cycli Solaris decimo.	IX. KAL. JUN. I.
Cycli Lunaris ſecundo.	
Periodi Julianæ 6310.	
Eræ Conſtantinopolitanæ Paſchalis 7105.	
Eræ Conſtantinopolitanæ Lunaris 7092.	
Eræ Orientalis 7098.	
Eræ Cæſaris Hiſpanicæ 1635.	

Eſt is annus Eræ Dionyſianæ 1597. ut tam feria III. quæ eo Chriſti anno in diem IX. Kalend. Junii, ſeu diem XXIV. menſis Maii incurrit, quam Cyclus X, Lunæ II. annus Periodi Julianæ 6310. annuſque 1635. Eræ Hiſpanicæ certo manifeſtant. Quamobrem erat is quidem annus Conſtantinopolitanus, quem perperam Scaliger vocat annum *Eræ Conſtantinopolitanæ Paſchalis*, 7105. a Septembri anni Chriſti antecedentis inchoatus; ſed non erat annus Antiochenus, quem ipſe *Conſtantinopolitanum Lunarem* appellat, 7091. ſed 7089. qui menſe Septembri anni Chriſti 1596. initium habuit; qui error profluxit ex eo quod Scaliger annum primum Eræ Dionyſianæ non ab anno mundi 5493. ut fieri debet, ſed ab anno mundi 5495. repetat. Præterea annus ille mundanus 7098. Eræ Orientalis ſeu Alexandrinæ plane fictitius eſt, & a nemine unquam uſurpatus; cum ad annum primum Diocletiani Alexandrini & Antiocheni eadem Era mundana utantur, poſt præfatam ſcilicet decem annorum mutilationem. Denique *Calviſius*, qui primus omnium Chronico certis temporum characteribus munito Orbem literarium beavit, Eræ Conſtantinopolitanæ, aliarumque præcipuarum tam Solarium quam Lunarium annos ſemper notat, Alexandrinæ vero & Antiochenæ nuſquam meminit; quia ſine dubio quomodo ex illis ambagibus ſeſe extricaret, non habebat.

LXII. *Cycli Solares & Lunares harum trium Erarum inter ſe comparati.* Scaliger lib. 7. de Emendat. Temp. pag. 747. exhibet Tabulam Cyclorum trium Erarum mundanarum Orientalium, ſed vitioſam, quod initium Incarnationis in Era Alexandrina eſſe ſuggeret. Hic ego aliam Cyclorum Solarium & Lunarium ac litterarum Dominicalium Romanarum ſubjicio, annis omnium Computorum, a Kalendis Januariis repetitis; quamvis civilis annus & Indictio ab antecedente Septembri incipiant. Romanus numerus Cyclos Solis, Arabicus Cyclos Lunæ repræſentat.

TABU.

TABULA CYCLORUM SOLARIUM ET LUNARIUM IN *Eris mundanis Græcorum*,

Linea utriuſque Cycli in Æra Dionyſ.	Linea utriuſque Cycli in Æra Alex.	Linea utriuſque Cycli in Æra Antioch.	Linea utriuſque Cycli in Æra CP.	Linea litteræ Dominicalis Romanæ.	Termini Paſchales.	Anni Juliani.
V. 16.	X. 7.	XXVIII. 16.	XVI. 13.	BA.		XLI.
VI. 17.	XI. 8.	I. 17.	XVII. 14.	G.		XLII.
VII. 18.	XII. 9.	II. 18.	XVIII. 15.	F.		XLIII.
VIII. 19.	XIII. 10.	III. 19.	XIX. 16.	E.		XLIV.
IX. 1.	XIV. 11.	IV. 1.	XX. 17.	DC.	V. April.	XLV.
X. 2.	XV. 12.	V. 2.	XXI. 18.	B.	XXV. Mart.	XLVI.
XI. 3.	XVI. 13.	VI. 3.	XXII. 19.	A.	XIII. April.	XLVII.
XII. 4.	XVII. 14.	VII. 4.	XXIII. 1.	G.	II. April.	XLVIII.
XIII. 5.	XVIII. 15.	VIII. 5.	XXIV. 2.	FE.	XXII. Mart.	XLIX.
XIV. 6.	XIX. 16.	IX. 6.	XXV. 3.	D.	X. April.	L.
XV. 7.	XX. 17.	X. 7.	XXVI. 4.	C.	XXX. Mart.	LI.
XVI. 8.	XXI. 18.	XI. 8.	XXVII. 5.	B.	XVIII. April.	LII.
XVII. 9.	XXII. 19.	XII. 9.	XXVIII. 6.	AG.	VII. April.	LIII.
XVIII. 10.	XXIII.	XIII. 10.	I. 7.	F.	XXVII. Mart.	LIV.
XIX. 11.	XXIV.	XIV. 11.	II. 8.	E.	XV. April.	LV.
XX. 12.	XXV.	XV. 12.	III. 9.	D.	IIII. April.	LVI.
XXI. 13.	XXVI.	XVI. 13.	IV. 10.	CB.	XXIV. Mart.	LVII.
XXII. 14.	XXVII.	XVII. 14.	V. 11.	A.	XII. April.	LVIII.
XXIII. 15.	XXVIII.	XVIII. 15.	VI. 12.	G.	I. April.	LIX.
XXIV.	I.	XIX.	VII.	F.	XXI. Mart.	LX.
XXV.	II.	XX.	VIII.	ED.	IX. April.	LXI.
XXVI.	III.	XXI.	IX.	C.	XXIX. Mart.	LXII.
XXVII.	IV.	XXII.	X.	B.	XXVII. April.	LXIII.

Linea utriuſque Cycli in Era Dionyſ.	Linea utriuſque Cycli in Era Alex.	Linea utriuſque Cycli in Era Antioc.	Linea utriuſque Cycli in Era CP.	Linea litteræ Dominicalis Romanæ.	Termini Paſchales.	Anni Juliani.
XXVIII.	V.	XXIII.	XI.	A.		LXIV.
I.	VI.	XXIV.	XII.	GF.		LXV.
II.	VII.	XXV.	XIII.	E.		LXVI.
III.	VIII.	XXVI.	XIV.	D.		LXVII.
IV.	IX.	XXVII.	XV.	C.		LXVIII.

LXIII. *Cycli Solis Era Alexandrina ejus mutilationem produnt.*

Vides in hac Tabula, Cyclum Solis tam in annis Antiochenis quam in Conſtantinopolitanis per quatuor diviſam, annum biſſextilem uſſerte, ideoque annos notatos Cyclo Solis IV. vel VIII. vel XII. & ſic deinceps, biſſextiles eſſe. Cyclus autem Solaris Eræ Alexandrinæ inſervire tantum poteſt uſque ad primam Diocletiani annum, qui mundi eſt ſecundam Alexandrinos 5777. ob illam ſcilicet mutilationem, quæ ideo inde evidentiſſime demonſtratur. Qui enim Cyclo illo Solari poſt Diocletianum uteretur, decem annis omnino aberraret. v. g. annus mundi 5944. qui Kalendis Septembris anni Dionyſiani CCCCLI. cœpit, præditus eſt Cyclo Solis VIII, littera Dominicali D. quæ ideo indicare debet litteram Dominicalem Romanam anni Chriſti CCCCLII. a cujus Kalendis Januariis Cyclos Græcos nos inchoare diximus; quod major pars anni civilis v. g. 5944. a Januario ad Septembrem fluat. Et tamen annus Dionyſianus CCCCLII. notatur duplici littera Dominicali FE. Littera itaque Dominicalis D. Cyclo Solis VIII. Alexandrino affixa duceret ad annum Dionyſianum CCCCXLII. littera Dominicali D. inſignitum, quia ſcilicet Alexandrini annis decem Eram ſuam decurtarunt. Si Cyclo Solis Alexandrino VIII. addas decem Cyclos, qui decem annis ab Alexandrinis prætermiſſis reſpondent, habebis litteram Dominicalem FE. Cyclo Solis XVIII. affixam, qua annus Dionyſianus CCCCLII, ut mox dixi notatur. Hujus Tabulæ opera cognoſces, an in conjungendis annis mundanis Græcorum cum annis Dionyſianis erraveris; anni enim illi mundani in majori ſui parte, a Kalendis ſcilicet Januariis uſque ad Kalendas Septembris, eadem littera Dominicali ac annus Dionyſianus, in quo deſinunt, præditi eſſe debent; quamquam facilior eſt methodus ex Indictione deſumta, quæ ideo præferenda.

LXIV. *Anni mundani Græcorum primi ſeculi Chriſtiani cum Dionyſianis illigati.*

Ut autem hæc annorum Græcorum cum Dionyſianis connexio manifeſtior fiat, & ne decennalis illa mutilatio in errorem impellat, habes hic Tabulam annos trecentos continentem, ad cujus regulam ceteri omnes dirigendi erunt.

Anni Dionyſiani a Kalend. Janu.	Anni mundi ſecun. Alex. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecun. Alex. a Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. Ant. Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Ant. Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. C P. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. C.P. a Kal. Sept.
Ante Chriſt. III.	5501.	1.	5491.	Ante Chriſt. 1.	5507.	Ante Chriſt. 2.
Ante Chriſt. II.	5502.	2.	5492.	Ante Chriſt. 1.	5508.	Ante Chriſt. 1.
Ante Chriſt. I.	5503.	3.	5493.	Chriſti 1.	5509.	Chriſti 1.
Chriſti I.	5504.	4.	5494.	2.	5510.	2.
II.	5505.	5.	5495.	3.	5511.	3.
III.	5506.	6.	5496.	4.	5512.	4.
IV.	5507.	7.	5497.	5.	5513.	5.
V.	5508.	8.	5498.	6.	5514.	6.
VI.	5509.	9.	5499.	7.	5515.	7.
VII.	5510.	10	5500.	8.	5516.	8.
VIII.	5511.	11.	5501.	9.	5517.	9.
IX.	5512.	12.	5502.	10.	5518.	10.

An-

Anni Dionyſiani à Kalend. Janu.	Anni mundi ſecun. Alex. à Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecun. Alex à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. Ant. à Kal. Sep.	Anni Incarn. ſecund Ant. à Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. C.P. à Kal. Sep.	Anni incarn. ſecund. C.P. à Kal. Sept.
X.	5513.	13.	5503.	11.	5519.	11.
XI.	5514.	14.	5504.	12.	5520.	12.
XII.	5515.	15.	5505.	13.	5521.	13.
XIII.	5516.	16.	5506.	14.	5522.	14.
XIV.	5517.	17.	5507.	15.	5523.	15.
XV.	5518.	18.	5508.	16.	5524.	16.
XVI.	5519.	19.	5509.	17.	5525.	17.
XVII.	5520.	20.	5510.	18.	5526.	18.
XVIII.	5521.	21.	5511.	19.	5527.	19.
XIX.	5522.	22.	5512.	10.	5528.	10.
XX.	5523.	23.	5513.	21.	5529.	11.
XXI.	5524.	24.	5514.	22.	5530.	12.
XXII.	5525.	25.	5515.	23.	5531.	13.
XXIII.	5526.	26.	5516.	24.	5532.	14.
XXIV.	5527.	27.	5517.	25.	5533.	15.
XXV.	5528.	28.	5518.	26.	5534.	26
XXVI.	5529.	29.	5519.	27.	5535.	27.
XXVII.	5530.	30.	5520.	28.	5536.	28.
XXVIII.	5531.	31.	5521.	29.	5537.	29.
XXIX.	5532.	32.	5522.	30.	5538.	30.
XXX.	5533.	33.	5523.	31.	5539.	31.
XXXI.	5534.	34.	5524	32.	5540.	32.
XXXII.	5535.	35.	5525.	33.	5541.	33.
XXXIII.	5536.	36.	5526.	34.	5542.	34.
XXXIV.	5537.	37.	5527.	35.	5543.	35.
XXXV.	5538.	38.	5528.	36.	5544.	36.
XXXVI.	5539.	39.	5529.	37.	5545.	37.
XXXVII.	5540.	40.	5530.	38.	5546.	38.
XXXVIII.	5541.	41.	5531.	39.	5547.	39.
XXXIX.	5542.	42.	5532.	40.	5548.	40.
XL.	5543.	43.	5533.	41.	5549.	41.
XLI.	5544.	44.	5534.	42.	5550.	42.
XLII.	5545.	45.	5535.	43.	5551.	43.
XLIII.	5546.	46.	5536.	44.	5552.	44.
XLIV.	5547.	47.	5537.	45.	5553.	45.
XLV.	5548.	48.	5538.	46.	5554.	46.
XLVI.	5549.	49.	5539.	47.	5555.	47.

Anni

Anni Dionyſiani a Kalend. Janu.	Anni mundi ſecund. Alex. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecun. Alex. a Kal. Sep.	Anni mundi ſecund. Ant. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Ant. a Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. CP. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. C.P. a Kal. Sep.
XLVII.	5550.	50.	5540.	48.	5556.	48.
XLVIII.	5551.	51.	5541.	40.	5557.	49.
XLIX.	5552.	52.	5542.	50.	5558.	50.
L.	5553.	53.	5543.	51.	5559.	51.
LI.	5554.	54.	5544.	52.	5560.	52.
LII.	5555.	55.	5545.	53.	5561.	53.
LIII.	5556.	56.	5546.	54.	5562.	54.
LIV.	5557.	57.	5547.	55.	5563.	55.
LV.	5558.	58.	5548.	56.	5564.	56.
LVI.	5559.	59.	5549.	57.	5565.	57.
LVII.	5560.	60.	5550.	58.	5566.	58.
LVIII.	5561.	61.	5551.	59.	5567.	59.
LIX.	5562.	62.	5552.	60.	5568.	60.
LX.	5563.	63.	5553.	61.	5569.	61.
LXI.	5564.	64.	5554.	62.	5570.	62.
LXII.	5565.	65.	5555.	63.	5571.	63.
LXIII.	5566.	66.	5556.	64.	5572.	64.
LXIV.	5567.	67.	5557.	65.	5573.	65.
LXV.	5568.	68.	5558.	66.	5574.	66.
LXVI.	5560.	60.	5559.	67.	5575.	67.
LXVII.	5570.	70.	5560.	68.	5576.	68.
LXVIII.	5571.	71.	5561.	60.	5577.	69.
LXIX.	5572.	72.	5562.	70.	5578.	70.
LXX.	5573.	73.	5563.	71.	5579.	71.
LXXI.	5574.	74.	5564.	72.	5580.	72.
LXXII.	5575.	75.	5565.	73.	5581.	73.
LXXIII.	5576.	76.	5566.	74.	5582.	74.
LXXIV.	5597.	77.	5567.	75.	5583.	75.
LXXV.	5578.	78.	5568.	76.	5584.	76.
LXXVI.	5579.	79.	5569.	77.	5585.	77.
LXXVII.	5580.	80.	5570.	78.	5586.	78.
LXXVIII.	5581.	81.	5571.	79.	5587.	79.
LXXIX.	5582.	82.	5572.	80.	5588.	80.
LXXX.	5583.	83.	5573.	81.	5589.	81.
LXXXI.	5584.	84.	5574.	82.	5590.	82.
LXXXII.	5585.	85.	5575.	83.	5591.	83.
LXXXIII.	5186.	86.	5576.	84.	5592.	84.

LXV. *Anni mundani Græcorum ac ſecundi ſeculi Chriſtiani cum Dionyſianis illigati.*

Anni Dionyſiani a Kalendis Januar.	Anni mundi ſecund. Alex. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Alex. a Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. Ant. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Ant. a Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. CP. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. CP. a Kal. Sept.
LXXXIV.	5587.	87.	5577.	85.	5593.	85.
LXXXV.	5588.	88.	5578.	86.	5594.	86.
LXXXVI.	5589.	89.	5579.	87.	5595.	87.
LXXXVII.	5590.	90.	5580.	88.	5596.	88.
LXXXVIII.	5591.	91.	5581.	89.	5597.	89.
LXXXIX.	5592.	92.	5582.	90.	5598.	90
LXXXX.	5593.	93.	5583.	91.	5599.	91.
LXXXXI.	5594.	54.	5584.	92.	5600.	92.
LXXXXII.	5595.	95.	5585.	93.	5601.	93.
LXXXXIII.	5596.	96.	5586.	94.	5602.	04.
LXXXXIV.	5597.	07.	5587.	05.	5603.	95.
LXXXXV.	5598.	98.	5588.	96.	5604.	96
LXXXXVI.	5599.	99.	5589.	97.	5605.	97.
LXXXXVII.	5600.	100.	5590.	08.	5606.	58.
LXXXXVIII.	5601.	101.	5591.	99.	5607.	99.
LXXXXIX.	5602.	102.	5592.	100.	5608.	100.
C.	5603.	103.	5593.	101.	5609.	101.
CI.	5604.	104.	5594.	102.	5610.	102.
CII.	5605.	105.	5595.	103.	5611.	103
CIII	5606.	106.	5595.	104.	5612.	104.
CIV.	5607.	107.	5597.	105.	5613.	105.
CV.	5608.	108.	5598.	106.	5614.	106.
CVI.	5609.	109.	5599.	107.	5615.	107.
CVII.	5610.	110.	5600.	108.	5616.	108.
CVIII.	5611.	111.	5601.	109.	5617.	109.
CIX.	5612.	112.	5602.	110.	5618.	110.
CX.	5613.	113.	5603.	111.	5619.	111.
CXI.	5614.	114.	5604.	112.	5620.	112.
CXII.	5615.	115.	5605.	813.	5621.	113.
CXIII.	5616.	116.	5606.	114.	5622.	114.
CXIV.	5617.	117.	5607.	115.	5623.	115.
CXV.	5618.	118.	5608.	116.	5624.	116.
CXVI.	5619.	119.	5609.	117.	5625.	117.
CXVII.	5620.	120.	5610.	118.	5626.	118.
CXVIII.	5621.	121.	5611.	119.	5627.	119.
CXIX.	5622.	122.	5612.	120.	5628.	120.
CXX.	5623.	123.	5613.	121.	5629.	121.

Anni

Anni Dionyſiani a Kalend. Janu.	Anni mundi ſecund. Alex. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecun. Alex. a Kal. Sep.	Anni mundi ſecund. Ant. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Ant. a 6 Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. CP. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. CP. a Kal. Sep.
CXXI.	5624.	124.	5614.	122.	5630.	122.
CXXII.	5625.	125.	5615.	123.	5631.	123.
CXXIII.	5626.	126.	5616.	124.	5632.	124.
CXXIV.	5627.	127.	5617.	125.	5633.	125.
CXXV.	5628.	128.	5618.	126.	5634.	126.
CXXVI.	5629.	129.	5619.	127.	5635.	127.
CXXVII.	5630.	130.	5620.	128.	5636.	128.
CXXVIII.	5631.	131.	5621.	129.	5637.	129.
CXXIX.	5632.	132.	5622.	130.	5638.	130.
CXXX.	5633.	133.	5623.	131.	5639.	131.
CXXXI.	5634.	134.	5624.	132.	5640.	132.
CXXXII.	5635.	135.	5625.	133.	5641.	133.
CXXXIII.	5636.	136.	5626.	134.	5642.	134.
CXXXIV.	5637.	137.	5627.	135.	5643.	135.
CXXXV.	5638.	138.	5628.	136.	5644.	136.
CXXXVI.	5639.	139.	5629.	137.	5645.	137.
CXXXVII.	5640.	140.	5630.	138.	5646.	138.
CXXXVIII.	5641.	141.	5631.	139.	5647.	139.
CXXXIX.	5642.	142.	5632.	140.	5648.	140.
CXL.	5643.	143.	5633.	141.	5649.	141.
CXLI.	5644.	144.	5634.	142.	5650.	142.
CXLII.	5645.	145.	5635.	143.	5651.	143.
CXLIII.	5646.	146.	5636.	144.	5652.	144.
CXLIV.	5647.	147.	5637.	145.	5653.	145.
CXLV.	5648.	148.	5638.	146.	5654.	146.
CXLVI.	5649.	149.	5639.	147.	5655.	147.
CXLVII.	5650.	150.	5640.	148.	5656.	148.
CXLVIII.	5651.	151.	5641.	149.	5657.	149.
CXLIX.	5652.	152.	5642.	150.	5658.	150.
CL.	5653.	153.	5643.	151.	5659.	151.
CLI.	5654.	154.	5644.	152.	5660.	152.
CLII.	5655.	155.	5645.	153.	5661.	153.
CLIII.	5656.	156.	5646.	154.	5662.	154.
CLIV.	5657.	157.	5647.	155.	5663.	155.
CLV.	5658.	158.	5648.	156.	5664.	156.
CLVI.	5659.	159.	5649.	157.	5665.	157.
CLVII.	5660.	160.	5650.	158.	5666.	158.

Anni Dionyſiani a Kalend. Janu.	Anni mundi ſecun. Alex. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecun. Alex. a Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. Ant. a Kal. Sep.	Anni Incarn. ſecund. Ant. a Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. C.P. a Kal. Sep.	Anni Incarn. ſecund. C.P. 1 Kal. Sep.
CLVIII.	5661.	161.	5651.	159.	5667.	159.
CLIX.	5662.	162.	5652.	160.	5668.	160.
CLX.	5663.	163.	5653.	161.	5669.	161.
CLXI.	5664.	164.	5654.	162.	5670.	162.
CLXII.	5665.	165.	5655.	163.	5671.	163.
CLXIII.	5666.	166.	5656.	164.	5672.	164.
CLXIV.	5667.	167.	5657.	165.	5673.	165.
CLXV.	5668.	168.	5658.	166.	5694.	166.
CLXVI.	5669.	169.	5659.	167.	5675.	167.
CLXVII.	5670.	170.	5660.	168.	5676.	168.
CLXVIII.	5671.	171.	5661.	169.	5677.	169.
CLXIX.	5672.	172.	5662.	170.	5678.	170.
CLXX.	5673.	173.	5663.	171.	5679.	171.
CLXXI.	5674.	174.	4664.	172.	5680.	172.
CLXXII.	5675.	175.	5665.	173.	5681.	173.
CLXXIII.	5676.	176.	5666.	174.	5681.	174.
CLXXIV.	5677.	177.	5667.	175.	5683.	175.
CLXXV.	5678.	178.	5668.	176.	5684.	176.
CLXXVI.	5679.	179.	5669.	177.	5685.	177.
CLXXVII.	5680.	180.	5670.	178.	5686.	178.
CLXXVIII.	5681.	181.	5671.	179.	[illegible]87.	179.
CLXXIX.	5682.	182.	5671.	180.	[illegible]88.	180.
CLXXX.	683.	183.	5673.	181.	[illegible]	181.
CLXXXI.	684.	184.	5674.	182.	5690.	182.
CLXXXII.	5685.	185.	5675.	183.	5691.	183.
CLXXXIII.	686.	186.	5676.	184.	5692.	184.
CLXXXIV.	5687.	187.	5677.	185.	5693.	185.
CLXXXV.	5688.	188.	5678.	186.	5694.	186.
CLXXXVI.	5689.	189.	5679.	187.	5695.	187.
CLXXXVII.	5690.	190.	5680.	188.	5696.	188.
CLXXXVIII.	5691.	191.	5681.	189.	5697.	180.
CLXXXIX.	5692.	191.	5682.	190.	5698.	190.
CLXXXX.	5693.	193.	5683.	191.	5699.	191.
CLXXXXI.	5694.	194.	5684.	192.	5700.	192.
CLXXXXII.	5695.	195.	5685.	193.	5701.	193.
CLXXXXIII.	5606.	196.	5686.	194.	5702.	194.
CLXXXXIV.	5607.	197.	5687.	195.	5703.	195.

Anni Dionyſiani a Kalendis Januar.	Anni mundi ſecund. Alex. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Alex. a Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. Ant. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Ant. a Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. CP. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. CP. a Kal. Sept.
CLXXXXV.	5698.	198.	5688.	196.	5704.	196.
CLXXXXVI.	5699.	199.	5689.	197.	5705.	197.
CLXXXXVII.	5700.	200.	5690.	198.	5706.	198.
CLXXXXVIII.	5702.	201.	5692.	199.	5707.	199.
CLXXXXIX.	5702.	202.	5692.	200.	5708.	200.
CC.	5703.	203.	5693.	201.	5709.	201.
CCI.	5704.	204.	5694.	202.	5710.	201.
CCII.	5705.	205.	5695.	203.	5711.	203.
CCIII.	5706.	206.	5696.	204.	5712.	204.
CCIV.	5707.	207.	5697.	205.	5713.	205.
CCV.	5708.	208.	5698.	206.	5714.	206.
CCVI.	5700.	209.	5699.	207.	5715.	207.
CCVII.	5710.	210.	5700.	208.	5716.	208.
CCVIII.	5711.	211.	5701.	209.	5717.	209.
CCIX.	5712.	212.	5702.	210.	5718.	210.
CCX.	5713.	213.	5703.	211.	5719.	211.
CCXI.	5714.	214.	5704.	212.	5720.	212.
CCXII.	5715.	215.	5705.	213.	5721.	213
CCXIII.	5716.	216.	5706.	214.	5722.	214.
CCXIV.	5717.	217.	5707.	215.	5723.	215.
CCXV.	5718.	218.	5708.	216.	5724.	216.
CCXVI.	5719.	219.	5709.	217.	5725.	217.
CCXVII.	5720.	220.	5710.	218.	5726.	218.
CCXVIII.	5721.	221.	5721.	219.	5727.	219.
CCXIX.	5722.	222.	5712.	220.	5728.	220.
CCXX.	5723.	223.	5713.	221.	5729.	221.
CCXXI.	5724.	224.	5724.	222.	5730.	222.
CCXXII.	5715.	225.	5715.	223.	5731.	223.
CCXXIII.	5726.	226.	5716.	224.	5732.	224.
CCXXIV.	5727.	227.	5717.	225.	5733.	225.
CCXXV.	5728.	228.	5718.	226.	5734.	226.
CCXXVI.	5729.	229.	5719.	227.	5735.	227.
CCXXVII.	5730.	230.	5720.	228.	5736.	228.
CCXXVIII.	5731.	231.	5721.	120.	5737.	229.
CCXXIX.	5732.	232.	5722.	230.	5738.	230.
CCXXX.	5733.	233.	5723.	231.	5739.	231.
CCXXXI.	5734.	234.	5724.	232.	5740.	232.

Anni

Anni Dionyſiani a Kalendis Janu.	Anni mundi ſecund. Alex. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecun. Alex. a Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. Ant. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Ant. a Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. CP. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. CP. a Kal. Sep.
CCXXXII.	5735.	235.	5725.	233.	5741.	233.
CCXXXIII.	5736.	236.	5726.	234.	5742.	234.
CCXXXIV.	5737.	237.	5727.	235.	5743.	235.
CCXXXV.	5738.	238.	5728.	236.	5744.	236.
CCXXXVI.	5739.	239.	5729.	237.	5745.	237.
CCXXXVII.	5740.	240.	5730.	238.	5746.	238.
CCXXXVIII.	5741.	241.	5731.	239.	5747.	239.
CCXXXIX.	5742.	242.	5732.	240.	5748.	240.
CCXL.	5743.	243.	5733.	241.	5749.	241.
CCXLI.	5744.	244.	5734.	242.	5750.	242.
CCXLII.	5745.	245.	5735.	243.	5751.	243.
CCXLIII.	5746.	246.	5736.	244.	5752.	244.
CCXLIV.	5747.	247.	5737.	245.	5753.	245.
CCXLV.	5748.	248.	5738.	246.	5754.	246.
CCXLVI.	5749.	249.	5739.	247.	5755.	247.
CCXLVII.	5750.	250.	5740.	248.	5756.	248.
CCXLVIII.	5751.	251.	5741.	249.	5757.	249.
CCXLIX.	5752.	252.	5742.	250.	5758.	250.
CCL.	5753.	253.	5743.	251.	5759.	251.
CCLI.	5754.	254.	5744.	252.	5760.	252.
CCLII.	5755.	255.	5745.	253.	5761.	253.
CCLIII.	5756.	256.	5746.	254.	5762.	254.
CCLIV.	5757.	257.	5747.	255.	5763.	255.
CCLV.	5758.	258.	5748.	256.	5764.	256.
CCLVI.	5759.	259.	5749.	257.	5765.	257.
CCLVII.	5760.	260.	5750.	258.	5766.	258.
CCLVIII.	5761.	261.	5751.	259.	5767.	259.
CCLIX.	5762.	262.	5752.	260.	5768.	260.
CCLX.	5763.	263.	5753.	261.	5769.	261.
CCLXI.	5764.	264.	5754.	262.	5770.	262.
CCLXII.	5765.	265.	5755.	263.	5771.	263.
CCLXIII.	5766.	266.	5756.	264.	5772.	264.
CCLXIV.	5767.	267.	5757.	265.	5773.	265.
CCLXV.	5768.	268.	5758.	266.	5774.	266.
CCLXVI.	5769.	269.	5759.	267.	5775.	267.
CCLXVII.	5770.	270.	5760.	268.	5776.	268.
CCLXVIII.	5771.	271.	5761.	269.	5777.	269.

Anni Dionyſiani a Kalend. Jan.	Anni mundi ſecund. Alex. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecun. Alex. a Kal. Sep.	Anni mundi ſecund. Ant. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. Ant. a Kal. Sept.	Anni mundi ſecund. CP. a Kal. Sept.	Anni Incarn. ſecund. CP. a Kal. Sep.
CCLXIX.	5772.	272.	5762.	270.	5778.	270.
CCLXX.	5773.	273.	5763.	271.	5779.	271.
CCLXXI.	5774.	274.	5764.	272.	5780.	272.
CCLXXII.	5775.	275.	5765.	273.	5781.	273.
CCLXXIII.	5776.	276.	5766.	274.	5782.	274.
CCLXXIV.	5777.	277.	5767.	275.	5783.	275.
CCLXXV.	Decennalis mutilatio Eræ mundanæ Alexandrinorum ad primum Diocletiani Imp. annum.	Decennalis mutilatio Eræ Incarnationis Alexandrinorum ad primum Diocletiani Imp. annum.	5768.	276.	5784.	276.
CCLXXVI.			5769.	277.	5785.	277.
CCLXXVII.			5770.	278.	5786.	278.
CCLXXVIII.			5771.	279.	5787.	279.
CCLXXIX.			5772.	280.	5788.	280.
CCLXXX.			5773.	281.	5789.	281.
CCLXXXI.			5774.	282.	5790.	282.
CCLXXXII.			5775.	283.	5791.	283.
CCLXXXIII.			5776.	284.	5792.	284.
CCLXXXIV.			5777.	285.	5793.	285.
CCLXXXV.	5778.	278.	5778.	286.	5794.	286.
CCLXXXVI.	5779.	279.	Vides Eras mundanas Alexandrinorum & Antiochenorum poſt illam mutilationem in unam eandemque coaleſcere.	287.	5795.	287.
CCLXXXVII.	5780.	280.		288.	5796.	288.
CCLXXXVIII.	5781.	281.		289.	5797.	289.
CCLXXXIX.	5782.	282.		290.	5798.	290.
CCLXXXX.	5783.	283.		291.	5799.	291.
CCLXXXXI.	5784.	284.		292.	5800.	292.
CCLXXXXII.	5785.	285.		293.	5801.	293.
CCLXXXXIII.	5786.	286.		294.	5802.	294.
CCLXXXXIV.	5787.	287.		295.	5803.	295.
CCLXXXXV.	5788.	288.		296.	5804.	296.
CCLXXXXVI.	5789.	289.		297.	5805.	297.
CCLXXXXVII.	5790.	290.		298.	5806.	298.
CCLXXXXVIII.	5791.	291.		299.	5807.	299.
CCLXXXXIX.	5792.	292.		300.	5808.	300.
CCC.	5793.	293.		301.	5809.	301.

Heic

Digitized by Google

LXVI. *De computo Paſchali Græcorum legendi Scaliger & Petavius,*

Heic non agam de computo Paſchali Græcorum, nec de methodo inveſtigandæ feriæ, nec denique de regularibus ac annorum epactis, quos *Concurrentes* Romani Computatores vocant: præterquam enim quod hæc ab Scaligero in fine lib. 7. de Emendat. Temp. & a Petavio in fine lib. 8. Auctarii, diligenter pertractata, tanta non ſunt, ut eorum notitia carere non poſſimus. Imo Scaliger pag. 778. dicit: *Nolo curare illos concurrentes, quorum ſcientiam reſervo, uſum reſpuo.*

LXVII. *Dionyſii veſtigia ſequi debebat Scaliger, non vero novam Periodum concinnare,*

Redeo nunc ad *Dionyſium*, ut quod ab ipſo duabus in rebus peractum, in tertia efficiam. Magna meherculè ejus in Occidentales merita, quod Cyclos Alexandrinos, Eramque Chriſtianam apud illos invexerit; ſed nullus inficias ibit, quin ſi quis ejus conſilium longius promovere, unamque ex Periodis mundanis Orientalium, quæ ſingulis annis, tam ante, quam poſt Natale Chriſti, Cyclos Romanos exhibeat, omniumque epocharum ſedes & fulcrum exiſtat, Latinorum uſibus accommodare poſſit, rem præſtiturus ſit haud leve momenti habituram. Quam enim eis neceſſaria aliqua hujuſmodi Periodus, ex iis quæ hujus Diſſertationis initio dixi, evidenter apparet. Scaliger, ante quem temporum diſciplinam nullus ad methodum redegerat, hunc Chronologiæ noſtræ defectum primus omnium vidit, eique Periodi Julianæ concinnatione remedium adhibere voluit. Verum, ſicut *Dionyſius* non novos Cyclos, nec novam Incarnationis epocham propoſuit; ſed utrumque ab Orientalibus recte conſtitutum ad Latinos tranſtulit: ita non nova Periodus componenda veniebat; ſed Dionyſii veſtigiis inſiſtendum erat, nec eo perfugio uti licebat, niſi nulla ex illis Periodis mundanis cum Cyclis Romanis, annoque Juliano congruere poſſet. Ad hæc, Periodorum multiplicatio memoriæ animoque onerosa; &, ut vulgo dicitur, fruſtra fit per plura quod poteſt fieri per pauciora; præſertim ſi cum majori commodo ac utilitate illud haberi poſſit. Quemadmodum itaque in *Diſſertatione Hypatica* ex Conſulatu Imperatorum initio Imperii geſto, quibus poſtea annis eundem magiſtratum de more rurſus inirent, detexi; ita ex iis quæ a Dionyſio laudabiliter acta, quid adhuc agendum reſtaret, clare intellexi: tandemque tribus Græcorum Periodis mundanis exacte accurateque diſcuſſis, quod animo intendebam, Deo votis meis obſecundante, perfeci, & Periodum Græco-Romanam efformavi.

LXVIII. *Inſtituitur Periodus Græco-Romana,*

Periodus enim Antiochena, quæ Incarnationem in annum Julianum XLV. cum quo Natale Dionyſianum illigatur, annumque mundi 5495. confert, ſi per XV. dividatur, reddit Indictionem Romanam, quæ in curſu eſt. Quare ſi Juliana ac Romana effici poſſit, alia non indigemus. Illam autem facile Romanam efficies, ſi annum non a Septembri, ut Orientales, ſed a Kalendis Januariis cum Latinis auſpiceris: ac præterea ſi a Cyclo Lunæ quem reddit, unitatem ſemper abjicias; Cyclo vero Solis ex perpetua regula quatuor unitates addas. Annus enim Julianus XLV. quo Eccleſia Romana Dionyſium ſecuta Chriſtum natum ſupponit, Cyclo Solis IX, Lunæ I, Indictione III. munitur. Annus mundi Antiochenus 5495. qui cum anno illo Juliano concurrit, cuique Antiocheni annum primum Incarnationis copulant, Indictionem quidem III. relinquit, ſi per quindecim partiatur; at ſi per XIX. dividatur, reddet Cyclum Lunæ II, & ſi per XXVIII, Cyclum Solis V. Quamobrem, ſi, ut mox dixi, e Cyclo Lunæ unitatem removeas, & Cyclo Solis quatuor unitates addas, annumque 5495. & quemcumque alium a Kalendis Januariis exordiaris, habebis *Periodum Græco-Romanam*, quæ munia illa omnia præſtabit, quæ de Periodo Juliana Scaligeri loquentes memoravimus, quæque Græca ſimul & Romana erit: Græca, quando anni initium a Kalendis Septembris repetes, & Cyclos, quos exhibet, uſurpabis: Romana vero ac Juliana, quotieſcumque annum a Januario auſpicaberis, ejuſque Cyclos ad Latinorum uſum accommodabis, retenta ſcilicet Indictione, quam reddit; ſed e Cyclo Lunæ unitate abdicata; Cyclo vero Solis IV. unitatibus adjectis. Quæ, cum diverſis temporibus fieri debeant, nihilque facilius ſit, quam unitatem rejicere, & aliquot numeros addere, ex hoc diverſo reſpectu, non ſolum nulla moleſtia naſcetur, nullaque temporis jactura interveniet; ſed etiam Chronologiæ incredibilis facilitas conciliabitur.

LXIX. *Periodus Græco-Romana omnes Eras mundanas Orientalium exhibet,*

Sicut itaque in Periodo Juliana Scaligeri anima ſemper a Kalendis Januariis initium ſumis, ſic & in Periodo Græco-Romana. Et ſicut in illa annus 4713. in quem Dionyſianum Chriſti Natale conjicitur; ſic & in iſta annus 5495. in quem idem Natale incidit, velut limes & cardo eſt univerſæ Chronologiæ: ideoque quemadmodum ex Periodo Juliana ſemper detrahendus numerus 4713. ad annum Chriſti Dionyſianum in illa reperiendum; ſic & ex Periodo Græco-Romana numerus 5493. ad eundem finem aſſequendum ſemper repudiandus. Vis ſcire v. g. cum quo Chriſti anno, ejuſdem Periodi annus 5830. quo Conſtantinus Magnus obiiſſe dicitur, concurrat; abjice 5493. & reliquus erit annus CCCXXXVII, quo ideo ea mors contigit. Et, quod in Periodo Juliana, quæ mere artificioſa, non accidit, ſtatim tibi magna lux orietur, eo nempe Chriſti anno Kalendis Septembribus inchoari annum Eræ mundanæ Alexandrinæ ac Antiochenæ, (quæ poſt Diocletianum una & eadem eſt) 5830. annumque mundi Conſtantinopolitanum 5846. additis nempe annis ſedecim ad illum annum 5830. Periodi Antiochenæ. Quod ſi jam ſcias, Conſtantinum menſe Maio e vivis exceſſiſſe, intelliges mortem ejus incidiſſe in annum Periodi Alexandrinæ 5829. Conſtantinopolitanæ vero 5845. utrumque ſcilicet in finem vergentem. Nunc exemplum affero rei ante Diocletiani initium geſtæ, quando ſcilicet Periodus Alexandrina & Periodus Antiochena inter ſe diſcrepabant. Tiberius Auguſtus anno Chriſti XXXVII. menſe Martio fato functus eſt; ideoque anno Periodi Græco-Romanæ 5530. Vis ſcire quo anno Periodi Antiochenæ mors illa acciderit, cum Antiocheni eum mundi annum 5530. a Septembri incipiant, & Tiberius mortuus fuerit menſe Martio; mortalitatem explevit Tiberius anno mundi Antiocheno 5529. anno vero mundi Alexandrino 5539. annoque Conſtantinopolitano 5545. Sic ſi ſcire velis quis annus mundanus Alexandrinus anno Periodi Græco-Romanæ 5530. inchoatus fuerit, adde decem, & habebis annum Alexandrinum 5540. Si Conſtantinopolitanum eodem anno Periodi Græco-Romanæ inchoatum quæras; adde ſedecim, & habebis annum, 5546. Quod ſi verearis; ne in illa annorum connexione erraveris, Indictio omnem tibi dubitationem eximet. Nam annus ille Periodi Græco-Romanæ 5530. reddit Indictionem decimam; annus vero Conſtantinopolitanus 5546. Indictionem undecimam: ideoque res tibi ex ſententia ſucceſſit, cum annus mundanus Eræ Conſtantinopolitanæ Indictionem apud Orientales currentem reddat, quam nec annus mundi Antiochenus, nec annus Periodi Græco-Romanæ exhibent, niſi unitatem adjicias. Denique annus mundi Alexandrinus 5540. offert Indictionem quintam. Quare, cum ex Era Alexandrina Indictiones decem abjiciendæ ſint, ut Romanam exhibere poſſit, annus ille Alexandrinus recte conjungitur cum anno Conſtantinopolitano 5546. Antiocheno 5530. annoque Periodi Græco-Romanæ 5530. cum ſi ex illo quin-

que

que illas Indictiones quas reddit, & quinque alias circuli præcedentis repudies, reſtet Indictio decima, quæ eo anno cum præfatis Eris mundanis & Periodo Græco-Romana congruit. Nihil certe hac methodo ex Indictione deducta certius expeditiuſque, tam ad Græcorum annos inter ſe & cum noſtris Dionyſianis conjungendos, quam ad certam illorum annorum ineundam rationem, & Auctorum Græcorum errores, in quos non raro labuntur agnoſcendos.

LXX. *Periodus Græco-Romana utilitate Juliana præſtat.* Ex his facile intelligere potes, quantum Periodus Græco-Romana Julianæ Scaligeri præſtet. Primo enim Scaliger lib. 5. de Emendat. Temp. pag. 360. de ſua Periodo loquens ait: *Inutilis erit hæc Periodus, & Græcis, qui initium anni a Kal. Septemb. & Antiochenis, qui a Kal. Octob. inſtituunt.* Utriſque certe inutilis non, propter anni initium; cum illud non obſtet, quin Era Diocletianea v. g. aliæque locum in Periodo Juliana inveniant; ſed quia nec annus 5309. nec annus 5493. ad annum Periodi Julianæ 4713. reduci poſſunt, cum continens majus eſſe debeat contento; nec additio vel detractio in numeris adeo diſſitis locum habere poſſit. Verum noſtra Periodus tres mundanas Orientalium non ſolum complectitur, ſed & extemplo exhibet; cum ipſamet nihil aliud ſit, quam Periodus Antiochena diverſo tantum reſpectu conſiderata, &, ſi decem unitates ante Diocletianum addas, fiat Alexandrina, poſt Diocletianum ab ea non differat, & denique Conſtantinopolitana reddatur, ſi annos ſedecim addas, ut evidentiſſime oſtendit Tabula annorum Græcorum inter ſe & cum Dionyſianis connexorum, quam mox in medium attuli. Sed non tantum Eras mundanas Orientalium Periodus noſtra repræſentat; verum etiam eorum Cyclos tam Solares quam Lunares, ſi tot Cyclos, quot annos adjicias. v. g. annus Periodi Græco-Romanæ 5493. ſi tanquam Antiochenus conſideretur, reddit Cyclum Lunæ II. Solis V. eique reſpondet annus Eræ Conſtantinopolitanæ 5309. uterque enim anno Juliano XLV. auſpicatur. Quare, ſi ſcire velis, quibus Cyclis annus ille Conſtantinopolitanus muniatur, tibi conſtabit eum præditum eſſe Cyclo Lunæ XVIII, Solis XXI, poſtquam ſcilicet annos ſedecim adjeceris. Sic eodem anno Juliano XLV. incipit annus Alexandrinus 5303. qui ideo reſpondet anno Antiocheno 5493. qui cum reddat Cyclum Lunæ II, Solis V. poſt decem annorum additionem, exploratum tibi erit, annum illum Alexandrinum reddere Cyclum Solis XV, Lunæ XII. Hic autem obiter notabis, vulgarem opinionem, quæ cum Scaligero docet, annum Antiochenum a Kalendis Octobris inchoari, veram non eſſe, ſed ejus initium fuiſſe Kalendas Septembris, ut mox demonſtrabo.

LXXI. *Periodus Græco-Romana omnes mundanas complectitur.* Secundo, Periodus Scaligero-Juliana Periodos magno cum Lectorum tædio, temporiſque jactura multiplicat; noſtra vero non ſolum imminuit, ſed etiam omnes ad unam reducit, ut jam dictum eſt de tribus mundanis Græcorum, & liquet de Periodo Juliana, quæ in Græco-Romana incipit anno DCCLXXXI. Et quod non parvi ducendum, Periodus Juliana ad hoc unum tantum impoſterum inſerviet, ut Auctores qui ea uſi ſunt, intelligamus; quod etiam ſine illius cognitione præſtari poterit, ſi annis Periodi Julianæ en perpetua methodo adjicias annos DCCLXXX, quibus Periodus Græco-Romana eandem ſuperat. v. g. lego in aliquo Chronologo Natale Dionyſianum incidere in annum Periodi Julianæ 4713. ſi addo annos DCCLXXX, habeo annum Periodi Græco-Romanæ, qui ei reſpondet, 5493. & ſic de cæteris omnibus. Proponit quidem Petavius lib. 7. de Doct. Temp. cap. 9. Tabulas duas, *primam* Cyclorum in Periodo Juliana, cujus ope Cycli tam Solis quam Lunæ cujuſcumque anni Periodi Julianæ detegi poſſunt; *alteramque* trium Cyclorum, Solis nempe, Lunæ, & Indictionis; cujus beneficio e datis Cyclis annus eruitur. Sed præterquam quod labor qui in hujuſmodi impenditur, caſſus & inanis, facile ſimiles Tabulæ confici poſſunt ex Periodo mundana Antiochena, cujus Cyclos Solis & Lunæ, ubi repereris, ſtatim ad Romanos revocare poteris. Poſita itaque hac noſtra methodo, vel ipſi tirones tres Periodos mundanas Græcorum, Doctis etiam hactenus adeo moleſtas, nullo negotio intelligere & memoriæ mandare valebunt; eo magis quo identidem in uſum vocandæ erunt.

LXXII. *Periodus Græco-Romana eſt hiſtorica, ideoque Juliana utilior.* Tertio, quilibet Periodi Julianæ annus reddit quidem Cyclos Solis, Lunæ, & Indictionis; ſed cum ea mere artificialis ſit, prorſuſque conficta, nihil ea nos edocet præter Cyclos illos; eſtque tantum ſedes ac fulcrum annorum & cæterarum Erarum. Sed Periodus Græco-Romana, cum aliud non ſit quam Era mundana Antiochenorum, non tantum eſt Periodus artificioſa & ad Cyclorum methodum inſtituta; ſed etiam Periodus hiſtorica; indeque fit, ut nunquam aliquid Periodo Græco-Romanæ conſignemus, quin annum aliquem mundanum Antiochenum in animum alte dimittamus, & quæ eo currente geſta, ſeſe eidem illico objiciant.

LXXIII. *Periodus Græco-Romana in minori numero Eram Chriſtianam exhibet.* Quarto quilibet Periodi Græco-Romanæ annus poſt Chriſtum natum, ſemper annum Eræ Dionyſianæ currentem in minori numero repræſentat, dummodo annos ſeptem adjicias. Legis v. g. Conſtantinum Magnum obiiſſe anno Periodi Græco-Romanæ 5830. dubitare non debes, quin annus Dionyſianus, quo mors illa contigiſſe dicitur, in minori numero XXXVII. habeat. Quare ſi jam ſcias, quo Chriſti ſeculo Conſtantinus vixerit, Periodus Græco-Romana in certam notitiam anni ejus emortualis te perducit. Quod commodum a Periodo Juliana minime expectandum; cum annus ejuſdem Periodi, quo ea mors collocatur, annus nempe 3050. in ultimis numeris ab anno Chriſti CCCXXXVII. nimis diſtet. Nullus, opinor, negaverit, quin plurimum interſit, ut difficultates chronologicæ, quantum fieri poteſt, molliantur.

LXXIV. *Methodus ad annos Chriſti ex annis mundanis Orientalium eruendos.* Hac methodus, ut id obiter notem, etiam adhibenda, dum Scriptores Byzantinos legis, qui Era mundana aut Alexandrina, aut Conſtantinopolitana utuntur. Eræ namque Alexandrinæ poſt Diocletianum ſeptem annos addendo, pervenis ad annum Dionyſianum, quo mundanus ille annus menſe Septembri inchoatur, v. g. aliquis Auctor, qui Eram Alexandrinam uſurpat, ſcribit, Conſtantinum anno mundi 5829. vita functum eſſe; adde ſeptem numeros, & habebis 5836. Quare annus ille mundanus 5829. inchoatur menſe Septembri anni alicujus Dionyſiani, qui terminatur per XXXVI. indeque, ſi ſcias, in quo Chriſti ſeculo verſeris, intelliges, Auctorem illum teſtari, Conſtantinum mortuum eſſe anno Chriſti CCCXXXVI. poſt Kalendas Septembris, aut anno CCCXXXVII. ante menſem Septembrem. Nam in omnibus annis, qui a Kalendis Januariis non exordiuntur, error unius anni committi poteſt, quando eum Dionyſianis conjunguntur, ſi dies aut menſis, quibus res contigerit, ignorantur. Neque ad eum errorem vitandum aliqua regula tradi poteſt. Verum, cum dies emortualis Conſtantini ab Antiquis notatus fuerit, nempe viceſimus ſecundus menſis Maii, diſces, eum non eo anno Chriſti mortuum, quo annus ille mundanus cœpit, ſed anno inſequenti, ſcilicet CCCXXXVII. Quod ſi Auctor, qui Era Conſtantinopolitana utitur, obitum Conſtantini collocet anno mundi 5845. detrahendi numeri ſedecim, ut invenias annum Periodi Græco-Romanæ, ſcilicet 5829. in quo is annus Conſtantinopolitanus inchoatur.

Et

Digitized by Google

Et ſi ex eo anno Conſtantinopolitano annos novem tollas, habebis in minori ejus numero minorem numerum anni Dionyſiani, in quo ille incipit, annum ſcilicet Chriſti CCCXXXVI. ideoque, ſi ſcias, quo Chriſti ſeculo Conſtantinus obierit, annus ille Conſtantinopolitanus annum Chriſti dabit, quo ea mors accidit, uti mox de anno mundano Alexandrino loquens explicavi. Eadem methodus adhibenda, ſi vis ſcire quibus numeris deſinat annus Conſtantinopolitanus, qui in eo Chriſti annus exorditur, anno Chriſti novem numeros adde, & illum aſſequeris, ut ex prædicto exemplo patet.

LXXV. *Detractio & additio Cyclorum minime incommoda.* Nec eſt quod quis dicat moleſtum videri in Periodo Græco-Romana, quod e Cyclis Lunæ unitas abjicienda, Cyclo vero Solis quatuor numeri addendi ſint. Nam nunquid in Cyclis Solis, Lunæ & Indictionis ex annis Chriſti eruendis addendi ſemper novem numeri Cyclo Solis, unus Cyclo Lunæ, & tres Indictioni? nunquid ex Era Hiſpanica demendi ſemper anni XXXVIII. ut annum Chriſti habere poſſis? Nunquid Alexandrini unitatem ſemper addunt Indictioni, ut eam quæ apud Orientales in curſu eſt, obtineant? Præterea Græci annum & Indictionem a Septembri incipiunt; ſed Cyclos Lunæ & Solis nonniſi a Martio ſequenti: quo fit ut per ſex priores menſes, a Septembri ſcilicet ad Martium, utrumque Cyclum Solis & Lunæ unitate mutilent. Annus Antiochenus v. g. 5493. qui reddit Indictionem III. Cyclum Solis V. Lunæ II. inchoatur quidem ab illis menſe Septembri anni Juliani XLV. ſicuti & Indictio, quam tamen, ut dixi, unitate augent; ſed Cycli Lunæ I. & Solis IV. qui jam a menſe Martio anni mundi præcedentis 5492. inchoati fuerant, continuantur uſque ad Martium ſequentem, quo incipiuntur Cycli Lunæ II. & Solis V. Si igitur Græcis grave non eſt, Cyclum unum a Cyclo Solis & Lunæ per menſes ſex abjicere, & Indictioni unitatem addere, quid mirum ſi in Periodo Græco-Romana idem factitandum ſit; cum methodum Cyclicam & Periodicam a Græcis didicerimus, præſertim cum ſimiles detractiones, ſimileſve additiones extemplo & ſine labore ullo fiant? Certe mihi quotidie mirabilior hæc Periodus videtur. Eſt enim Panhellica & Romana, nova & antiqua, una & multiplex, artificialis & hiſtorica; ſine cujus præſidio non ſolum difficiles, ſed & erroribus quandoque obnoxii tres Græcorum computi; contra vero ejus ope non ſolum tutiſſima ac facillima initur via, ſed etiam univerſæ temporum doctrinæ lumen & incrementum affertur.

LXXVI. *Manualis methodus ad Cyclos ex quibuſlibet Eris eruendos.* Quia vero in Eris mundanis Græcorum aliiſque, identidem Cycli Solis, Lunæ, & Indictionis conſulendi, offero heic methodum manualem, cujus opera ex illis quavis data occaſione erui poterunt. Cum ad inveniendam Indictionem abdicandi ſint Circuli omnes XV. annorum, obſervabis ex quolibet numero centenario nonniſi decem Indictiones reſiduas eſſe, ideoque & tandem ex quolibet millenario; ex Cyclis Lunæ in quolibet centenario reſtare tantum quinque, ideoque ex quolibet millenario tantum duodecim: & demum ex Cyclo Solis in quolibet centenario ſupereſſe XVI. & in quolibet millenario viginti. Quare ad tres illos Cyclos in omnibus Eris inveniendos Arithmetica opus non erit.

LXXVII. *Era LXX. Interpretum.* Nunc Eræ præcipuæ ad Periodum Græco-Romanam reducendæ, & ubi opus fuerit, magis explicandæ. Celebris eſt Era mundana *Septuaginta Interpretum*, ut vocant, quæ a tempore Divi Hieronymi in Occidente quandoque uſurpata fuit. Cum in ea Era mundana annus primus Chriſti inchoetur anno 5199. annoque Juliano XLIII. manifeſtum eſt, primum hujus Eræ annum anno Periodi Græco-Romanæ CCXCIII. collocandum eſſe; quod & Indictio oſtendit: cum enim annus LXX. Interpretum 5199. qui anno Periodi Græco-Romanæ 5491. inchoatur, reddat Indictionem IX, & annus 5491. Indictionem I. apparet, Indictioni anni LXX. Interpretum addendas eſſe ſeptem unitates, ut conveniat cum anno Periodi Græco-Romanæ, in quo exorditur; ideoque & Eram illam incipiendam anno ejuſdem Periodi CCXCIII. quæ exhibet Indictionem VIII, quando annus primus illius Eræ nonniſi Indictionem I. reddere poteſt, Incarnationem autem Chriſti concurrere cum anno Eræ LXX. Interpretum 5199. docet Martyrologium Romanum ad diem XXV. Decembris. Cum porro annus hic initium ſumat anno Periodi Græco-Romanæ 5491. annus 5200. cum anno 5492. annus 5201. cum anno 5493. annuſque 5202. cum anno 5494. quo Eram Chriſtianam auſpicamur, concurrat, liquet, ex annis Eræ LXX. Interpretum ſemper abjiciendam unitatem, ut ea in minori numero minorem anni Dionyſiani numerum repræſentare poſſit. Sic *Bucherius* Victorii Paſchalem Cyclum explicans annum mundi ſecundum LXX. Interpretes 5229. conjungit cum anno Dionyſiano XXVIII. annoque Chriſti CCCLXXXIX. cum anno mundi 5590. *Uſſerius* in Annalibus ſuis Hiberniæ pag. 970. quod in libris de mirabilibus Sacræ Scripturæ dicatur, *Manchanum* celebrem Abbatem anno mundi 5852. obdormiſſe in Domino, deducit, eam mortem contigiſſe anno Dionyſiano DCLII. & annum 5200. Septuaginta Interpretum concurrere cum Natali Dionyſiano: qua in re eum falli exiſtimo, niſi Latini qui ea Era mundana uſi ſunt, annum a Kalendis Septembribus inchoarint; quod hactenus detegere non potui. Si tamen in ea Era annus ab autumno inceperit, & *Manchanus* poſt Kalendas Septembris anni Chriſti DCLII. obierit, non penitus erravit Uſſerius. Nihilominus donec major lux affulgeat, Bucherium ſequi malo.

LXXVIII. *Epocha ab ortu Abrahæ.* Epocha *ab ortu Abrahæ*, quam Euſebius, Hieronymus, & Idacius in Chronicis adhibent, auſpicatur anno Periodi Græco-Romanæ 3477. Cyclo Solis IX. DC. Lunæ XVIII. Indictione XII. & quidem prima die Octobris. Euſebius enim ejus inventor Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopus erat, & Abrahamum eo Periodi noſtræ anno natum credidit. Is in ſuo Chronico de Chriſti Nativitate locuturus, ait: *Colliguntur omnes anni ab Abraham uſque ad Nativitatem Chriſti, anni* 2015. Si itaque annus hujus Eræ 2015. inchoatur anno Periodi Græco-Romanæ 5491. annoque Juliano XLIII. (quo certum eſt Euſebium primum Incarnationis annum incepiſſe) hujus Eræ Abrahamiticæ initium cum anno ejuſdem Periodi 3477. omnino conjungendum; cumque is annus Cyclo Lunæ XVIII. & primus annus Abrahamiticus Cyclo Lunæ I. notetur, ſi ex illo duos Lunæ Cyclos abjicias, habebis Cyclos Romanos annumque Periodi Græco-Romanæ, cum quo quilibet Eræ Abrahamiticæ annus copulari debet. Euſebium autem Incarnationis principium ab anno Juliano XLIII. repetere, liquet etiam ex ejus Hiſtoria lib. 7. cap. ult. ubi antequam de perſecutione Diocletianea menſe Martio anni Dionyſiani CCCIII. ex ejus ſententia cœpta, ſermonem habeat, hæc ſcribit: *Verum, Epiſcoporum ſucceſſionis Hiſtoriam, quæ a noſtri Servatoris ortu uſque ad Eccleſiarum ſubverſionem quinque ac trecentos annos complectitur, hic terminantes: deinceps quæ & quanta fuerint certamina eorum, qui ætate noſtra pro Religione fortiter depugnarunt, ad poſterorum memoriam literis mandare aggrediamur.* Quibus ex verbis conſtat, eum annos Incarnationis biennio ante Eram Dionyſianam inchoare: annum Incarnationis ſecundum Alexandri-

nos

Digitized by Google

nos CCCVI. incipiendum fuiſſe menſe Septembri ejuſdem anni Dionyſiani CCCIII: omnes Alexandrinos Era Incarnationis ad primum Diocletiani annum mutilata uſos non fuiſſe; alioquin Euſebius annos tantum Incarnationis CCXCV. numerare debuiſſet: ac denique accurate Pontacum in editione Chronici Euſebiani annum primum Incarnationis cum anno Abrahamitico 2015. connexiſſe; ideoque & Scaligerum in Ejuſdem Operis editione Incarnationis initium male inſequentem annum Abrahamiticum diſtuliſſe. Euſebius itaque, qui Auctor extitit Eræ mundanæ ſecundum LXX. Interpretes, antiquam Incarnationis Eram, a quibuſdam poſtea aliis Scriptoribus uſurpatam, retinuit.

LXXIX. *Methodus ad annos Abrahamiticos cum Dionyſianis copulandos.* Facillima methodo ad annos Eræ Chriſtianæ ex Eræ Abrahamiticæ annis eruendos utor, qua Lectorem non fraudabo. In Era Dionyſiana primus Chriſti annus inchoatur Kalendis Januariis anni Juliani XLVI. eodemque Chriſti anno menſe Octobri annus Abrahami 2018. Incarnationis vero ſecundum Alexandrinos annos quatuor initium ſumunt. Quare, ſi ex Era Abrahami tollas numeros millenarios, ac præterea numeros XVII. qui reliquus erit numerus exhibebit annum Eræ Dionyſianæ, quo annus Abrahami, de quo agitur, auſpicatur. Sic in Chronico Euſebii juxta editionem Pontacenam interitus Galli & Voluſiani Imperatorum refertur ad annum Abrahami 2270. Si tollas duo millenaria, ac præterea annos XVII. reſtabunt CCLIII. quo idem is annus Abrahamiticus 2270. menſe Octobri cœpit. Unde juxta Euſebium uterque Imperator anno Dionyſiano CCLIII. quem reſiduus ille numerus repræſentat, occiſus eſt; aut ſaltem inſequenti Chriſti anno CCLIV. quo adhuc annus ille Abrahamiticus uſque ad Kalendas Octobris in curſu erat. Qua quidem in re, uti alibi millies, Euſebius peccat; cum cædes illa aliquot menſibus ante Octobrem anni Dionyſiani CCLIII. perpetrata fuerit. Quia vero anni Abrahami duobus Cyclis Lunaribus Cyclos Dionyſianos ſuperant, ſi eoſdem ex illis Abrahami annis demas, te in ea connexione non erraſſe comperies. Annus enim Abrahami 2270. reddit Cyclum Lunæ IX. annuſque Dionyſianus CCLIII. Cyclum Lunæ VII. Hæc methodus certa & facilis ad Euſebianorum, Hieronymianorum, & Idacianorum annorum ineundam rationem, & non tantum ad agnoſcendos errores Euſebii, Hieronymi, & Idacii; ſed & eorum omnium, qui eoſdem perperam citant.

LXXX. *Epocha a Troja capta.* Epocha *a Troja capta*, quæ cardo eſt veteris Hiſtoriæ a Poetis præſertim decantatæ, diverſimode ab Auctoribus inchoatur. In Marmoribus Arundelianis Trojæ excidium eo anno collocatur, qui eſt Periodi Græco-Romanæ 4285. Ita ut a capta Troja ad primam Olympiadem, non anni CCCCVIII. ut Euſebius & Erathoſtenes numerarunt, ſed CCCCXXXIII. fluxerint. Quam opinionem ſe certis argumentis comprobaturum pollicetur Paulus *Pezron*, Vir in Chronologia exercitatiſſimus, cap. 9. Operis Gallici cui titulus, *Antiquitas temporum reſtituta & defenſa*. Communior tamen opinio, cui adhæreo, Trojæ expugnationem confert in eum annum, qui eſt Periodi Græco Romanæ 4310. Diodorus enim Siculus annum primum Olympiadis XCIV. putat ab excidio Trojæ ſeptingenteſimum octogeſimum. Primus Olympiadis illius annus convenit in annum Periodi Græco-Romanæ 5090. de quo deductis DCCLXXX. reliqui ſunt anni 4310. Ad hæc, Euſebius lib. 10. de Præparatione ait, Græcos a capta Troja ad primam Olympiadem numerare annos CCCCVIII. quot ab eodem anno Periodi Græco-Romanæ 4310. lapſi ſunt ad annum 4718. quo prima Olympias vulgaris celebrata eſt. Denique hanc ſententiam docuit Erathoſtenes in Commentario, quem *Canones* inſcripſit, eamque explicavit Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. 1. Orig. ut videre eſt apud Petavium in ſecunda parte Rationarii temporum lib. 2. cap. 10. ubi ex Dionyſio obſervat, cladem illam accidiſſe die XXIII. *Thargelionis*, (menſis Lunaris ab Atticis uſurpati) qui incidit in diem Junii noſtri duodecimum, feriamque quintam. Troja itaque expugnata anno 1184. ante Eram Chriſtianam.

Mentio eſt hujus epochæ apud Evagrium lib. 3. cap. 29. ubi ſermo de initio Imperii Anaſtaſii, qui die XI. menſis Aprilis anni Dionyſiani CCCCXCI. coronatus eſt. Locus ille egregius, licet in quibuſdam numeris depravatus. ἱστορεῖ δ' οὖν ὁ Εὐστάθιος, μετὰ τὴν ἀρχὴν τῆς Διοκλητιανοῦ βασιλείας ἐς τὴν Ζήνωνος τελευτὴν, καὶ τὴν ἀνάῤῥησιν Ἀναστασίου, ἔτη διεληλυθέναι ἑπτὰ, καὶ διακόσια· ἀπὸ δὲ τῆς Αὐγούστου μοναρχίας, ἔτη δύο καὶ λʹ. καὶ πεντακόσια πρὸς μησὶν ἑπτά. ἀπὸ δὲ τῆς Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ἀρχῆς, ἔτη δύο καὶ τριάκοντα καὶ ὀκτακόσια, ὁμοίως πρὸς μησὶν ἑπτά. ἐκ δὲ τῆς τῶν Ῥωμαίων, καὶ Ῥωμύλου βασιλείας, ἔτη δύο καὶ πεντήκοντα καὶ χίλια καὶ πρός γε μῆνας ἑπτά. ἀπὸ δὲ ἁλώσεως Τροίας, ἔτη ἓξ ὀγδοήκοντα, καὶ ἑξακόσια καὶ χίλια πρὸς μησὶν ἑπτά. Id eſt: *Porro Euſtathius ſcribit, ab exordio Imperii Diocletiani ad Zenonis obitum & nuncupationem Anaſtaſii, annos fluxiſſe ſeptem ſupra ducentos: a principatu autem Auguſti, annos quingentos triginta duos, ac præterea menſes ſeptem: ab Alexandri autem Macedonis regno octingentos & triginta duos ſimiliter cum menſibus ſeptem: a Romanorum & Romuli regno, mille & quinquaginta duos, ac præterea menſes ſeptem: a Troja denique expugnatione annos mille ſexcentos octoginta ſex cum menſibus ſeptem*. Evagrius lib. 5. cap. 24. dicit, Priſcum Rhetorem ſcripſiſſe geſta poſt Imperium Arcadii & Honorii; additque: *Quæ omnia Euſtathio Epiphanienſi ſcite admodum in compendium redacta ſunt in duobus voluminibus: quorum prius uſque ad expugnationem Ilii: alterum uſque ad annum duodecimum Imperii Anaſtaſii res geſtas complectitur*. Scribebat itaque is Auctor anno Chriſti DII. quem exiſtimandum de anno Trojæ captæ recte edoctum fuiſſe. Sed vereor ne numeri corrupti ſint, dum hujus excidii annos putat. Si tamen in eos error non irrepſit, clades Trojana contigit anno Periodi Græco-Rom. 4297. ex Euſtathii ſententia, annos ſc. tredecim ante communem opinionem. Valeſius in Notis ad Evagrium, hunc locum intactum relinquit, licet aliqua non vulgaria ex illo deduci poſſint. Liquet enim primo, Euſtathium omnes annos a menſe Septembri cum anno populari inchoaſſe: a Septembri enim anni Chriſti CCCCXC. ad XI. Aprilis anni Chriſti inſequentis, quo Anaſtaſius inauguratus eſt, menſes ſeptem numerantur, quos *quater* Euſtathius expreſſit. Liquet ſecundo, hallucinatum eſſe Scaligerum, quando arbitratus eſt, epocham Diocletianeam cœptam quidem anno Chriſti CCLXXXIV. die XXIX. menſis Auguſti, ſed Diocletianum anno tantum Chriſti CCLXXXVII. Regnum ſuſcepiſſe; cum in laudato loco Euſtathius hujus Imperatoris initium ab anno CCLXXXIV. repetat. Tertio, hunc Hiſtoricum, cujus Opus periit, exordiri regnum Auguſti ab anno tertio Juliano, qui eſt Periodi Græco-Romanæ 5451. ab ejus nempe Conſulatu ſuffecto Q. Pedio Collega geſto, dieque XIX. menſis Auguſti inito. Quarto numeros, quibus utitur in Macedonico Alexandri regno deſignando, corruptos eſſe, alioquin anno Periodi Græco-Romanæ 6150. Philippo patri ſucceſſiſſet; cum tamen is nonniſi anno ejuſdem Periodi 5258. obierit. Quinto annos Urbis conditæ etiam depravatus eſſe, legendumque, 1242. loco, 1052. ita ut locus ita ſit reſtituendus: ἔτη δύο καὶ τεσσαράκοντα καὶ διακόσια καὶ χίλια.

Cele-

Digitized by Google

LXXXII. *Olympias vulgaris.* Celebrior certiorque Era Olympiadum, de qua Syncellus pag. 296. ſuæ Chronographiæ: *Non omnium apud omnes Olympiadum eſſe rationem, nec Eccleſiaſticis Hiſtoricis concordem in iis ſententiam eſſe, eorum evolventibus Scripta haud difficulter conſtabit. Nobis vero illud ſolummodo conſilium fuit, ut Olympiadum inſerte brevem & dilucidam eorum proferremus expoſitionem; non quod Olympiadum ſermo a Scripturis divinis tractetur; ſed quod nonnulla ſit earum apud ſanctos Patres mentio, & a Macedonibus, Romanis, Perſis, Ægyptiis & ipſis quoque Judæis memorentur, e quorum grege Philo & Joſephus non obſcurum iiſdem teſtimonium ferunt.* Recte Syncellus ſcribit, non omnium apud omnes Olympiadum eſſe rationem. Nam tria earum initia obſervavi. Prima Olympias vulgaris, quæ *Iphitea* communiter dicitur, cœpit anno Periodi Græco-Romanæ 4718. Cyclo Solis XVIII. F. Lunæ V. Indict. VIII: qua de re cum inter omnes conveniat, hic fuſe agendum non videtur. Obſervandum tantum, legitimum tempus Ludorum Olympicorum fuiſſe æſtivum, ſub ipſum Solſtitium; quamvis aliquando, licet rarius, præter ordinem moremque celebrati fuerint: ac præterea in Olympiadibus temporis illud intervallum deſinere, quod a Varrone in libello Cenſorini de die Natali *Mythicum* appellatur, incipique quod dicitur *Hiſtoricum*, quia res in eo geſtæ veris Hiſtoriis continentur.

LXXXIII. *Olympias Euſebiana.* Olympias *Euſebiana*, qua ſcilicet non ſolum Euſebius in Chronico, ſed etiam Divus Hieronymus in ejus Continuatione utuntur, inchoatur anno Periodi Græco-Romanæ 4717. Cyclo Solis XVII. AG. Lunæ IV, Indict. VII. & quidem a Kalendis Octobris more Syrorum, cum quo annum Incarnationis aliarumque epocharum Euſebius auſpicatur. Petavius in ſecunda parte Rationarii Temporum lib. 2. cap. 10. oſtendit ex Chronico Euſebiano, ab autumno antecedente Olympiades vulgares Euſebium Olympiades exordiri; quod de Divo Hieronymo in fine ſui Chronici, quod perduxit uſque ad mortem Valentis Imp. ad annum ſcilicet Chriſti CCCLXXVIII, etiam dicendum. Scribit enim, uſque ad eum annum fluxiſſe annos Olympiadicos 1255. cum tamen ſint tantum Olympiadici communes 1254. a paucis menſibus inchoati, ut numeranti patebit. Quare non erat, cur Petavius ſuam de Olympiadibus Euſebianis ſententiam hæſitanter proponeret; cum ea certa & indubitata ſit.

LXXXIV. *Aliqui annos Olympiadicos cum anno populari inchoarunt.* Ad hoc Olympiadum genus revocandum videtur illud, quo utitur Socrates lib. 5. cap. 2. ubi annum Olympiadicum eodem quidem anno Juliano incipit, quo Olympiadum vulgarium ſectatores; ſed cum hoc tamen diſcrimine, quod hi a Solſtitio eas exordiuntur, Socrates vero & quidam Scriptores Orientales a Septembri vel Octobri cum anno civili & populari. Socrates loco citato de morte Conſtantii Chlori Conſtantini Magni patris ſcribit: *Primo ducenteſima ac ſeptuageſima prima Olympiadis anno ante diem octavum Kalend. Auguſti e vivis exceſſerat*, die ſcilicet XXV. menſis Julii anni Chriſti CCCVI; licet idem Socrates inſinuare videatur, eam mortem anno præcedenti, quo annus primus Olympiadis CCLXXI. menſe Julio cœptus, accidiſſe. Locus ille doctorum Virorum ingenia valde exercuit. Petavius lib. II. de Doct. Temp. cap. 35. anſam inde ſumſit ſuſpicandi, Conſtantium Chlorum anno Chriſti CCCV. mortuum eſſe; quod tamen affirmare prorſus, & adverſus communem Chronicorum omnium & Annalium fidem pugnare non audet. Scaliger lib. 5. de Emendat. Temp. pag. 469. loco illo innixus, luſtra neſcio quæ Julians commentus eſt, quorum in CCLXXI. obiiſſe dicit Conſtantium. Quæ luſtra commentitia eſſe Petavius demonſtravit. Alii credidere, errorem in numeros irrepſiſſe; quæ tamen conjectura vana; cum Socrates idem repetat in fine libri ſeptimi, ubi Hiſtoriam ſuam concludens, ait, eam ordiri ab anno primo Olympiadis CCLXXI, quo Conſtantinus Magnus Imperator renuntiatus eſt; & idem locus legatur tam in Nicephoro, quam in Hiſtoria Tripartita. Calviſius in Iſagoge parte 4. cap. 41. eundem examinavit, concluſitque, Socratem ſibi hac in re non conſtare. Facilis tamen ſolutio eſt. Socrates die XXV. Julii anni Chriſti CCCVI. Conſtantii Chlori emortualis nondum annum ſecundum Olympiadis CCLXXI. inchoarat, cum menſe Septembri eum anno civili auſpicaturus, cum quo aliarum Erarum annos Euſtathium exorſum eſſe num. LXXXI. obſervavimus.

LXXXV. *Olympiades in Socrate plerumque depravatæ.* Fatendum tamen, Librariorum errore Olympiades plerumque apud Socratem male deſcriptas eſſe. Imo in fine libri ſeptimi & ultimi ſui Operis hæc habet: *Continet ſeptimus hic Hiſtoriæ liber res geſtas ſpatio annorum duorum ac triginta. Tota vero Hiſtoria ſeptem libris comprehenſa continet ſpatium annorum centum & quadraginta. Exorſa quidem ab anno primo Olympiadis ducenteſima ſeptuageſima prima, qua Conſtantinus Imperator eſt renunciatus: deſinens autem anno ſecundo trecenteſima quinta Olympiadis, quo Imperator Theodoſius ſeptimum decimum Conſulatum dedit.* Ad quæ verba nihil Valeſius notavit. Et tamen numerus ille annorum centum & quadraginta corruptus; cum Socrates Hiſtoriam ſuam ordiatur anno Chriſti CCCVI, quo Conſtantius mortuus & Conſtantinus ejus filius Auguſtus appellatus, annoque Chriſti CCCCXXXIX. Conſulatu Theodoſii Junioris XVII. notato eandem abſolvat. Intervallum itaque eſt annorum CXXXIV. Præterea loco *trecenteſima quinta Olympiadis*, legendum, *trecenteſima quarta Olympiadis*, quæ anno Chriſti CDXXXVII. celebrata eſt.

LXXXVI. *Olympias Syncelliana.* Tertius Olympiadum numerandarum modus eſt ille, quem Julius Africanus, Georgius Syncellus aliique quidam Antiqui uſurpant. Aſſigunt hi primam Olympiadem anno Periodi Græco-Romanæ, 4716. Cyclo Solis XVI. E. Lunæ III, Indict. VI; ideoque biennio Olympiades vulgares anticipant. Julius Africanus in Fragmento apud Syncellum pag. 308. ait: *Poſt Alexandriam captam cœpit Olympias CLXXXVIII.* Capta Alexandria a Cæſare Auguſto anno Juliano XVI, qui eſt Periodi Græco-Romanæ 5464. Et tamen vulgaris Olympias CLXXXVIII. acta IV. menſis Auguſti anni Juliani XVIII. Præterea Africanus exiſtimans Chriſtum mortuum eſſe duobus Geminis Coſſ. anno nempe Eræ Chriſtianæ XXIX. tradit, Phlegontis eclipſim accidiſſe Olympiade CCII, anno II; cum tamen menſe Martio illius anni Dionyſiani curreret annus quartus Olympiadis vulgaris CCI. Neque ſibi contradicit Africanus, quando in alio Fragmento a Syncello pag. 323. recitato, modo dicit, eclipſim iſtam accidiſſe anno II. Olympiadis CCII. modo anno IV. Olympiadis CCI. Sed ad majorem explicationem utrumque computandi modum adhibet. Sicut nec ſibi ibidem contrarius eſt, quando addit, modo Chriſtum paſſum eſſe anno XV. Tiberii, modo anno XVI. ejuſdem Imperatoris; quod aliqui Orientales, ut diximus, omnes annos cum civili incipiant, ideoque & XVI. Tiberii vel autumno anni Chriſti XXVIII, vel verno tempore anni Chriſti inſequentis. Denique num. XXXVI. egregium Africani locum retulimus, in quo is in putandis annis Olympiadicis vulgares Olympiades adhibet.

LXXXVII. *Syncellus in Olympiadibus putandis ſemper ſibi conſtat.* Verum, Georgius Syncellus nunquam alia numerandi ratione quam iſta utitur; ideoque hæ Olympiades *Syncellianæ* appellandæ, ne cum aliis confundantur. Is primam Olympiadem collocat anno mundi ſecundum Alexandrinos 4726. ex quo decem numeris abjectis, pervenimus ad annum Antiochenum 4716. Non opus

aſſ id exemplis demonſtrare; cum, ut dixi, nunquam alio modo Olympiades Syncellus uſurpet. Scriptor anonymus, qui Chronicon edidit ab Orbe condito ad annum XIII. Alexandri Imperatoris, & extat tomo 2. Antiq. Lect. Caniſii, ſcribit anno XIII. Alexandri exactas eſſe Olympiadas CCLIII. id eſt, annos MXII. *Sunt*, inquit, *omnium Olympiades usque ad annum XIII. Alexandri Cæſaris Olympiades CCLIII. quæ ſunt anni mille duodecim*. M. Antonius Capellus pag. 549. ſui Opuſculi *de Paſſione Dominica*, hunc locum adhibet, ut oſtendat, annum primum Olympiadis CXCIV. conjungendum eſſe cum anno Juliano XL. non vero, ut vulgo fit, cum anno Juliano XLII. Nam occiſus eſt Alexander, *Severo & Quintiano Coſſ.* anno nempe Chriſti CCXXXV. anno Imperii XIII. abſoluto. Quare ſi annum primum Olympiadis CCLIV. ſtatuas in Conſulatu Severi & Quinctiani, primus annus Eræ vulgaris incurret in annum ſecundum Olympiadis CXCV. Hæc Capellus. Ad quam objectionem Petavius non habet quid reſpondeat. Verum, Olympias quidem vulgaris CCLIII. abſoluta eſt anno Chriſti CCXXXVII. & Olympias CCLIV. inchoata; ſed Anonymus iſte non alio modo Olympiades putat quam Africanus & Syncellus, ideoque Olympiadem CCLIII. abſolvit anno Chriſti CCXXXV; ſicque accurate ſcribit, anno XIII. Alexandri Imp. evolutas eſſe Olympiades CCLIII. annoſque Olympiadicos MXII. Hoc itaque Olympiadum genus a Chronologis prætermiſſum, diligenter impoſterum notandum.

LXXXVIII. *Epocha Varroniana Urbis conditæ.*

Epocha *a Roma condita* in tribus diverſis Periodi Græco-Romanæ annis pariter collocanda. Anni Varroniani, qui magis frequentes, & quibus Romani uſi ſunt in publicis monumentis, proficiſcuntur ab anno Periodi Græco-Romanæ 4741. Cyclo Solis XIII. F E. Lunæ IX. Indict. I. anno tertio Olympiadis ſextæ, eoque deſinente. Roma enim undecimo Kalendas Maii juxta communem opinionem condita. Petavius lib. 6. de Doct. Temp. cap. 50. de capite annorum ab U. C. locuturus ait: *Romæ conditum in Palilio conſerunt Scriptores, qui dies XI. Kal. Majas, id eſt, Aprilis XXI. in Juliano Kalendario conſtitutus eſt. Olim vero, & ſub ipſum Natalem Urbis, cui Juliano menſi ac diei competeret, inveſtigare difficile eſt. Verum, quemadmodum Julianæ formæ tanto poſt Urbem conditam intervallo uſurpari cœpta propter anni commoditatem προληπτικῶς ad anteriora tempora porrigitur, ita & Palilia, ſive Natalis Urbis, fictione quadam in Aprilis XXI. die retinetur. Quin etiam poſt eundem Julianum annum receptum, qui a Kalend. Januariis ordītur, annorum Urbis epocha ab iiſdem Kalendis fere procedit; etſi aliter Scriptores quoſdam intellexiſſe, certis ex conjecturis poſſit colligi. Ad hæc, varia annorum civilium initia conſideranda ſunt, ut in Olympiadico anno. Nam pleriqae, ut anni populares, ita & Romani, Urbiſque conditæ primordium ab autumno deducunt*. Quæ docte ab eo obſervata.

LXXXIX. *Anni Capitolini & Frontiniani.*

Anni *Capitolini*, ſic dicti quod Verrius Flaccus in Faſtis Capitolinis eos uſurpet, exordiuntur anno Periodi Græco-Romanæ 4742. Cyclo Solis XIV. D. Lunæ X. Indict. II. anno quarto Olympiadis ſextæ, eoque ſiniente. Tertia Urbis epocha incipit anno Periodi Græco-Romanæ 4743. Cyclo Solis XV. C. Lunæ XI. Indictione III. anno primo Olympiadis ſeptimæ, eoque deſinente. *Frontinianam* eam appello, quia ea utitur Frontinus, qui Imperatoris Nervæ tempore floruit, in egregio libello *de Aquæductibus urbis Romæ*. In Prolegomenis ad *Diſſertationem Hypaticam* num. XV. de hac Era locutus ſum, poſtquam in lucem emiſſam Card. Noriſius in *Epiſtola Conſulari* pag. 47. in dubium revocavit, an *Frontinus* diverſam a Varroniana epocham uſurparit; illud tamen extra controverſiam eſſe debet. Docet Frontinus lib. 1. Conſulatum Cæſaris Auguſti v. g. M. Lælio Volcatio Collega incidere in annum Urbis DCCXIX. qui tamen Conſulatus, ut recte vidit Onuphrius, concurrit cum anno urbis Varroniano DCCXXI. Inſuper Conſulatum M. Plautii Hypſæi & Fulvi Flacci Frontinus cum anno Urbis DCCXXVII. copulat, qui tamen pertinet ad annum urbis Varronianum DCCXXIX. ut legitur eo anno apud Onuphrium. Denique Frontinus annum Urbis DCVIII. cum Conſulatu Servii Sulpicii Galbæ & L. Aurelii Cottæ connectit; cum tamen anno Urbis Varroniano DCX. uterque Faſtis nomen dederit, ut eſt apud Onuphrium. Quando itaque Frontinus ait: *Cajus Cæſar altero Imperii ſui anno, M. Aquilio Juliano, P. Nonio Aſprenate Coſſ. anno Urbis conditæ DCCXC. duos ductus inchoavit*; apparet, errorem in numeros irrepſiſſe, legendumque, anno Urbis conditæ DCCIXC. Nam ſecundus Caii Caligulæ annus inchoatur die XVI. menſis Martii anni Chriſti triceſimi octavi, quo annus urbis Varronianus ſeptingenteſimus nonageſimus primus a Kalendis Januariis in curſu erat. Scriptores enim Hiſtoriæ Auguſtæ annum Urbis cum Conſulatu de more incipiunt, ut mox dixi. Quod non animadvertit Card. Noriſius, cum loco citato dicat, duos illos ductus inchoatos inter diem XVI. Martii & XXI. Aprilis, quo annum urbis Varronianum DCCXCI. cœptum fuiſſe exiſtimat. Nam præterquam quod Frontinus Era Varroniana nunquam utitur, anni Urbis de more cum Conſulibus inchoati, imo & a Scriptoribus Orientalibus ab autumno cum anno populari aliquando repetiti; ſaltem id de aliarum Erarum annis negari non poteſt. Hanc numerandi rationem a Frontino uſurpatam, qui eum Notis illuſtrarunt, cum non obſervaſſent, varios annos Urbis in nobili illo Opuſculo corruptos emendare non potuere. Onuphrius lib. 1. Faſtorum pag. 18. mentionem facit variorum Antiquorum, qui primo anno ſeptimæ Olympiadis deſinente Urbem fuiſſe conditam crediderе, nulla Frontini mentione facta; quem tamen hanc ſententiam tenuiſſe alibi ſupponit.

XC. *Anni Urbis ſecundum Fabium Pictorem.*

Onuphrius loco laudato dicit, Q. Fabium Pictorem in Annalibus recte ſcripſiſſe, Urbem conditam primo octavæ Olympiadis anno, inchoato anno Periodi Græco-Romanæ 4745. Quam opinionem Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. ad annum Periodi Julianæ 3966. amplectitur? atque cum eo Periodi Julianæ anno opinionem ſuam illigat, putat, ex Fabii Pictoris ſententia, ante initium Olympiadis VIII. in feſto Palilitio, XI. Kalend. Maii Urbem a Romulo condi cœptam eſſe. Verum Solinus cap. 1. eam opinionem referens, dicit tantum, Romam octava Olympiade conditam Pictori placuiſſe, nulla diei Urbis natalis mentione facta. Subjungit Onuphrius: *Annus aliquando fuit Pictoris annorum rationem in digerendis meis Faſtis ſequi, quam certe, niſi veram, cæteris tamen omnibus veriorem eſſe exiſtimo. Verum, cum viderem omnes quotquot extant Hiſtoriæ Romanæ Scriptores, vel Varronianam ſententiam ſequi, vel uno aut altero anno tantum ab ea recedere, id facere omiſi, ne dum hac ipſa annorum ſeriè eos illuſtrare nitor, ipſos potius confunderem propter vulgo receptam annorum Varronis rationem, quam omnes fere, præter admodum paucos, ſequi liquet*. At quemadmodum qui Eram Chriſtianam ab anno Juliano XL. vel inſequenti exordiretur, quod eam opinionem longe Dionyſiana probabiliorem arbitraretur, omnia ſuſdeque verteret: ſic Onuphrius, ſi conſilium illud executus fuiſſet, in magnam reprehenſionem incurriſſet. Poteſt igitur quilibet ſententias ſibi probabiliores viſas amplecti, non item ab Eris ſemel receptis recedere.

Epo-

XCI. *Anni Nabonaſſari.* Epocha *Nabonaſſari* apud Ptolemæum, alioſque Aſtronomos frequenter occurrit; apud Auctores Eccleſiaſticos nunquam. Quare licet ea celeberrima ſit, heic tamen breviter de illa agam. Fuit *Nabonaſſarus* Chaldæorum Rex, a cujus primordio Babylonii novam Eram inſtituerunt, & ab illis eam Ægyptii accepere. Ejus exordium eſt in Anno Periodi Græco-Romanæ 4747. Februarii die XXVI. feria IV. ante Chriſtum 747. Annorum Nabonaſſareorum ea conditio eſt, ut quarto quoque vertente, caput anni retro abeat, & unum anticipet diem. Exempli gratia: primus dies Thoth, qui ſemper primus eſt Ægyptiorum menſis, incipiat hoc anno Kalendis Januariis, poſt annos IV. incipiet Decembris XXXI. poſt VIII. Decembris XXX. & ita deinceps. Hinc annus iſte *Vagus* appellari conſuevit. De hac Ere videndus Petavius parte 2. Rationarii Temporum lib. 5. cap. 12. ubi fuſe eam explicat.

XCII. *Anni Philippi & morte Alexandri.* Proxima deinde epocha *a morte Alexandri* ducitur, quæ & titulo annorum Philippi memoratur, Georgius Syncellus reprehendens Panadorum, quod anno mundi 5493. Incarnationem illigarit, ait: *Cujus ille erroris occaſionem habuit, ex eo quod in anno primo Philippi Aridai, qui Alexandro Macedoni primus in regnum ſucceſſit; eodem videlicet, in quo & Claudius Ptolemaus expeditorum Canonum ratiocinia deſinit; initium ſtatuit Ægyptiaci anni, atque Graci, in prima die Thoth, primi Ægyptiorum menſis, Auguſti XXIX. quod ad eandem epocham revolvitur. Hoc vero tempus citra controverſiam anno mundi 5170. tribuitur.* Quæ accurate in multis a Panadoro ſcripta fuerant, ſed a Syncello non intellecta, ut mox videbimus. Cum itaque Periodus Græco-Romana aliud non ſit, quam Era mundana Panadori ad annum Julianum accommodata, liquet, epocham annorum Philippi & mortis Alexandri conſignari in Periodo Græco-Romana 5170. Cyclo Solis XXII. A. Lunæ I. Indict. X. licet Alexander Magnus menſe Maji anni inſequentis obierit, ut in *Apparatu* ad Criticam noſtram diximus. Liquet ſecundo, eam Eram *Philippi* appellatam, non a Philippo Alexandri M. patre, ut putabat Scaliger, ſed a *Philippo Aridao* Alexandri Magni ſucceſſore nomen illud ſortitam eſſe. Neomenia Thoth poſtea fixa fuit, & Ægyptiacus annus vagus, ac ſolutus, anni Juliani frænis cohibitus eſt, ut infra oſtendam. Annus a morte Alexandri Julianus a Kalendis Octobris, vagus vero a XII. Novembris, quando ſcilicet hic inchoatus eſt, initium ſumit. Cum porro Era Chriſtiana incipiat in anno ab obitu Alexandri CCCXXIV. ad eruendos annos Chriſti, ex hujuſmodi Era abjiciendi ſemper anni illi CCCXXIV. Denique notanda hallucinatio Georgii in verbis ejus citatis: qui cum ſequatur Eram mundanam Alexandrinam, ideoque annum primum Philippi & mortis Alexandri cum anno mundi 5180. jungere debuiſſet, laudat tamen Panadorum, in eo quod eum Philippi annum cum anno mundi 5170. copularit, non advertens, Panadorum Eræ mundanæ Antiochenæ ſectatorem juxta propriam ſententiam recte calculos poſuiſſe, ideoque fuiſſe tunc in curſu apud Alexandrinos annum mundi 5180. cui ſi adjicias annos Philippi & mortis Alexandri CCCXXII. qui fluxerunt ante Julianum XLIII. mundique 5505. quo Georgius Chriſtum incarnatum putavit, colliges annum mundi 5501. alioquin habebis tantum annum 5491. idque accurate ſecundum ſententiam Panadori, ſed male ſecundum ratiocinia Georgii. Is annus mundi 5170. Georgio probatus, fuit unum ex fundamentis, quibus Petavius in Auctario lib. 8. cap. 2. innixus ſcripſit, *Georgium*, S. Maximum, alioſque Incarnationem Chriſti cum anno Juliano LIV. annoque mundi 5501. conjunxiſſe, quis ſcilicet non obſervarat errorem Georgii, qui numerare debebat annum mundi 5180. uti dixi.

Apparatus in Baronium

XCIII. *Anni Seleucidarum.* Græci duodecim poſt Alexandri Magni obitum annis, adeoque ſub Seleucidarum Imperio, novam Eram inſtituerunt, ab eo tempore deductam, quo Seleucus in Aſia regnare cœpit. Eſt is annus Periodi Græco-Romanæ 5182. Cyclo Solis VI. G. Lunæ XIII. Indict. VII. Dicitur Alexandrea, quod ab Alexandri M. ſucceſſoribus inſtituta fuerit. Vocatur & ab Arabibus Era *Dhilkarnain*, ſeu *Tarich Dhil-karnain*, id eſt, *habentis duo cornua*. In Syrorum certe Nummis eſt effigies Regis imberbis, cornibus arietinis, & Orientales Reges in honorem Alexandri Alexandrum ipſum cornuta ſpecie Nummis ſuis imprimebant, quod Alexander ſe filium Ammonis ſive Jovis Cornigeri exiſtimari voluiſſet. Denique Judæi eam Eram *Contractuum* appellant; forte quod illam ad obſignandos contractus adhiberent. Duplex eſt autem horum annorum initium. Ab aliquibus enim a verno tempore & a Niſan Judaico; ab aliis vero ab autumno & Tiſri inchoantur. Præterea interdum Lunares anni; interdum Juliani uſurpantur & fixi. In Libro primo Machabæorum anni *Græcorum* a verno menſe: in poſteriore ab autumno ſequenti progrediuntur. Obſervat autem Vaillantius vir clariſſimus in *Hiſtoria Regum Seleucidarum*, Syriæ Reges ab Æquinoctio verno annum incepiſſe; quod inde colligit, quod Antiochenſes in averſa Numiſmatum ſuorum parte ſignum arietis cum Sole conjunctum exprimere ſoliti eſſent. *Antiochia* autem totius Syriæ Metropolis erat. In Hiſtoria Eccleſiaſtica aliquando hæc Era occurrit, eaque Chriſtiani Syri & Arabes etiamnum utuntur.

XCIV. *Aliquando a Kalend. Septemb. inchoatz.* Albategnius Aractenſis, celebris Mathematicus, Eram *Dilkarnain*, ſeu Seleucidarum, cum Syris ſuis ab initio menſis *Elul*, ſive Septembris inchoat; quod cum non animadvertiſſet Petavius lib. 10. cap. 15. putavit, Albategnium anno vago *Dilkarnain* uſum eſſe; licet conſtet, eum annos Julianos ac fixos uſurpaſſe. Ait enim Petavius: *Æquinoctium autumnale, quod anno Chriſti DCCCLXXXII. Albategnius obſervavit, Septembris die XIX. deprehenſum eſſe memorat anno Dilkarnain MCXCIV. poſt Alexandri mortem. MCCVI. Non poteſt annus Dilkarnain eſſe Julianus, quippe annus Chriſti DCCCLXXXII. eſt Periodi Juliana 5595. de quo detractis 4401. reliquunt 1194. ut ab Octobri anno 5595. inierit annus 1294. At qui currebat hic ipſe annus Auguſto menſe, qui Octobrem anteceſſit. Fuerit igitur annus Dilkarnain iſte vagus, & a Thoth Nabonaſſareo coeperit oportet, qui Januarii XV. anni Chriſti DCCCLXXXII. congruit.* Ita Petavius. Verum annus ille *Dilkarnain* MCXCIV. cœptus eſt anno Chriſti DCCCLXXXII. non a die XV. Januarii, ſed a Kalendis Septembribus ejuſdem Chriſti anni, ideoque die XIX. Septembris, in quem Albategnius illud Æquinoctium confert, jam in curſu erat; licet Auctores, qui hanc Eram in annis ſuis adhibent, communiter annum a menſe Octobri exordiantur.

XCV. *Anni Antiocheni.* *Era Antiochena*, cujus frequens apud Græcos Annalium Scriptores mentio, procedit ab anno Periodi Græco Romanæ 5445. Cyclo Solis XVII. AG. Lunæ X. Indict. XV. Ejus caput a Kalendis Octobris Scaliger, Calviſius, Petavius aliique paſſim repetunt. Sed, ut recte Uſſerius in Annal. vet. Teſt. annos Antiochenos incipere a Kalendis Septembris extra omnem poni debet controverſiam. Quod licet ipſe nullo argumento probet, heic tamen ex Evagrio oſtendam, & in ſecundo Tomo *Critica ad Annales Eccleſiaſticos* magis confirmabo, Evagrius lib. 2. cap. 12. loquens de terræ motu, quo Antiochia

concuſſa, ait: *Anno ſecundo Imperii Leonis, ingens terra motus ac ſucceſſio contigit Antiochiæ. Accidit autem ingens hæc calamitas anno quingenteſimo ſexto a condita Urbis Antiochia, circa horam noctis quartam, die quarto decimo menſis Gorpiæi, quem Romani Septembrem vocant; imminente die Dominico, Indictione undecima.* Baronius & Valeſius in Notis ad Evagrium hunc terræ motum ad annum Chriſti CDLVIII. referunt, exiſtimantes, annos Antiochenos ante Kalendas Octobris non incipere: neque advertentes, loco, *anno ſecundo Imperii Leonis*, legendum eſſe, *anno primo Imperii Leonis*. Evagrius itaque, cum terræ motum factum eſſe dicat *Indictione XI.* quæ Kalendis Septembris anni Chriſti CDLVII, inchoatur, manifeſte oſtendit, ſe annum a Kalendis Septembribus exordiri; ſi enim anno inſequenti CDLVIII. illum contigiſſe putaſſet, non Indictionem XI. ſed Indictionem XII. numeraſſet, ut manifeſtum eſt. Præterea dicit, illum accidiſſe *circa horam noctis quartam*, die XIV. Septembris, *imminente die Dominica*, die nempe Sabbati, quæ anno Chriſti CDLVII. cum die XIV. Septembris concurrit; erat enim littera Dominicalis F. Senſere difficultatem Scaliger, Calviſius & Petavius, quam ut ſuperarent, verba Græca Evagrii corruperunt, & hoc modo verterunt: *Illuceſcente die Dominico die XIV. Septemb.* quaſi terræ motus non die Sabbati exeunte, ſed die Dominico incipiente accidiſſet. Verum prava hæc verſio; cum Græcus Evagrii textus habeat, *ἐπικαταλαβέσης ἡμέρας*, id eſt, *imminente die Dominico*, ut recte vertit Valeſius, qui tamen difficultatem Chronologicam non ſolvit.

Loquitur itaque Evagrius non de die Dominico, ſed de eo qui illum antevertit. In annis Antiochenis, qui poſt Chriſtum natum fluxere, habetur Era Chriſtiana, poſt quam XLVIII, qui eam anteceſſere, abjeciſti.

XCVI. *Anni Auguſtorum Ægyptiaci.*

Anni *Actiaci*, ſive Auguſtorum, ut Cenſorinus lib. de die natali appellat, vel, ut Ptolemæus, *Imperii Auguſti*, non ab ipſo anno Actiacæ victoriæ, ſed a ſequenti inchoantur apud Ægyptios; & quidem a XXIX. menſis Auguſti anni Periodi Græco-Romanæ 5464. Cyclo Solis VIII. E. Lunæ X. Indict. IV. Erat quidem dies XXXI. Auguſti, ſed juxta vitioſam intercalandi rationem Romæ tunc uſurpatam Auguſti XXIX. dies dicebatur. Alii Epocham hanc applicant ad annum vagum Ægyptiorum, aliique ad annum fixum Alexandrinorum. Deſultorii itaque & retrogradientis anni forma, uſque ad cladem Antonii & Cleopatræ, Ægyptii uſi ſunt; & poſtea cum jugo Romano, modum pariter anni Romani, ſeu Juliani imitati ſunt; licet non defuerint Scriptores apud eos, qui antiquam anni formam retinuerint.

XCVII. *Anni Auguſtorum Romani*

Anni *Auguſtorum* Romani, quorum Cenſorinus meminit, teſtaturque eorum initium procedere ex Kalendis Januariis anni, quo Conſules fuerunt Auguſtus VII. & Agrippa III, proficiſcitur ab Anno Periodi Græco-Romanæ 5467. Cyclo Solis XI. A. Lunæ XIII. Indict. VII. Inſtituta ea Era, cum omne populi Senatuſque Imperium ad Auguſtum tranſlatum eſt. Mitto alias epochas, utpote minus uſitatas, & huic Diſſertationi finem impono.

F I N I S.

VETERUM

VETERUM
PONTIFICUM ROMANORUM
CATALOGI DECEM.

CUM Chronologia Pontificia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Pars ſit, adeo neceſſaria, mirum accidit, quod ante noſtra fere tempora, de ea in integrum reſtituenda tollendiſque, quæ in ea occurrunt difficultatibus, ſerio cogitatum non fuiſſe videatur. Quid enim certi eſſe poteſt, ubi incerta ſunt tempora, nec quot quiſque Pontifex Romanus annis, ac quando Pontificatum inierit, & Eccleſiam regendam ſucceſſori reliquerit, exploratum eſt? Ab hac cura ſuſcipienda viros eruditos plura ni fallor averſos reddidere, ſed præcipue omnes Anaſtaſii, ſeu libri Pontificalis editiones hactenus in lucem emiſſæ, quæ adeo ſunt imperfectæ, ut Fabrotus, qui ultimam adornavit cum pleriſque variis lectionibus, ex variis MSS. codicibus deſumtis, quas calci Operis adjecit, ibidem fateatur librum Pontificalem mendis ſcatere, ſeque eo fine lectiones illas adjeciſſe, ut earum ope aliqua alia editio caſtigatior curari poſſit. Holſtenio in mentem venerat provinciam illam ſuſcipere, jamque priorum Pontificum Vitas uſque ad Felicem IV, juxta quatuor aut quinque præſtantiſſima MSS. emendaverat, que nuper Scheleſtratius, in libro, cui titulum fecit, Antiquitas *Eccleſiæ*, publicavit. Verum liber Pontificalis adeo corruptus in numeris præſertim; ut non ſolum MSS. illa, cum varia alia ſuperſint, non ſufficiant, ſed etiam Catalogi veterum Pontificum, qui ex eodem variis temporibus excerpti fuere, omnino requirantur, ut quid libri illius Auctor, qui nonniſi ſeculo decimo quarto Anaſtaſio tribui, & ſub ejus nomine citari cœpit, vere ſcripſerit, liquido innoteſcere poſſit. Quare cum liber ille ex veterum Pontificum catalogis emaculari poſſit, decem hactenus ineditos ex Bibliothecis Regia, Colbertina, & Thuanea deſcriptos hic ſubjicere viſum eſt. Pontificibus qui in iis deſunt, & identidem annis Chriſti in margine additis.

Digitized by Google

CATALOGUS PRIMUS
EX MS. BIBLIOTHECÆ COLBERTINÆ
Num. 4305.

PEtrus ſedit annos XXV. menſem I. dies VIII.
Linus annos XV. m. III. dies XII.
Cletus annos XII. m. I. d. XI. ceſſavit Epiſcopatus dies XX.
Clemens annos IX. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. dies XXII.
Anacletus annos XII. m. X. d. VII. ceſſ. Epiſc. dies XIII.
Evariſtus annos XVII. m. VI. d. II. ceſſ. Epiſc. d. XIX.
Alexander an. X. m. VI. d. II. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.
Sixtus an. X. m. IV. d. XXI. ceſſ. Epiſc. m. II.
Teleſphorus an. XI. m. III. d. XXII. ceſſ. Epiſc. d. VII.
Hyginus an. IV. m. III. d. VIII. ceſſ. Epiſc. d. IV.
Anicetus an. XI. m. IV. d. III. ceſſ. Epiſc. d. XVII.
Pius an. XI. m. IV. d. XXI. ceſſ. Epiſc. d. XIV.
Soter an. IX. m. VI. d. XXI. ceſſ. Ep. d XXII.
Eleutherus an. XV. m. VI. d. V. ceſſ. Epiſc. d. XVI.
Victor an. X. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. d. XII.
Zephyrinus an. XVIII. m. VII. d. X. ceſſ. Epiſc. d VI. *Anno Ch. CXCVII.*
Caliſtus an. V. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. d. VI.
Urbanus an. IX. m. X. d. XII. ceſſ. Epiſc. d. XXX.
Anteros an. XII. m. I. d. XII. ceſſ. Epiſc. d. XIII.
Pontianus an. XIX. m. V. d. II. ceſſ. Epiſc. d. X.
Fabianus an. XIV. m. I. d. X. ceſſ. Epiſc. d. VII.
Cornelius an. II. m II. d. III. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.
Lucius an. III. m. III. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.
Stephanus an. VI. m. VI. d. II. ceſſ. Epiſc. d. XXII.
Sixtus an. II. m. X. d. XXIII. ceſſ. Epiſc. annos II.
Dionyſius an. II. m. III. d. VII. ceſſ. Epiſc. d. V.
Felix an. IV. m. III. d. XV. ceſſ. Epiſ. d. V.
Eutichianus an. VIII. m. X. d. III. ceſſ. Epiſc. d VIII.
Caius an. XI. M. IV. d. XII. ceſſ. Epiſc. d. XI.
Marcellinus an. VIII. m. II. d. XXV. ceſſ. Epiſc. an. V. m. VI. d. XXV. *Anno Ch. CCXCVI.*
Marcellus an. V. m. VI. d. XXI. ceſſ. Epiſc. d. XX.
Euſebius an. V. m. I. d. III. ceſſ. Epiſc. d. VII.
Melchiades an. IV. m. VII. d. VIII. ceſſ. Epiſc. d. XVII.
Silveſter an. XXIII. m. X. d. XIII. ceſſ. Epiſc. d. XV.
Marcus an. II. m. VIII. d. XX. ceſſ. Epiſc. d. XX.
Julius an. XV. m. II. d. VI. ceſſ. Epiſc. d. XXV.
Liberius an. XVI. m. VII. d. III. ceſſ. Epiſc. d VI.
Felix an. I. m. III. d. II. ceſſ. Epiſc. d. XXXVIII.
Damaſus an. XVIII. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. d. XXXI.
Siricius an. XV. m. XI. d. XXV. ceſſ. Epiſc. d. XX.
Anaſtaſius an. II. d. XXVII. ceſſ. Epiſc. d. XXI.
Innocentius an. XV. m. II. d. XX. ceſſ. Epiſc. d. XXII.
Zoſimus an. I. m. VIII. d. XXV. ceſſ. Epiſc. d. X.
Bonifacius an. III. m. VIII. d. XIII. ceſſ. Epiſc. d. VIII.
Celeſtinus an. VIII. m. I. d. IX. ceſſ. Epiſc d. XXI.
Sixtus an. VIII. d. XIX. ceſſ. Epiſc. d. XXII.
Leo an. XXI. m. I. d. XXVII. ceſſ. Epiſc. d. VII. *Anno Ch. CCCCXL.*
Hilarus an. VI. m. III. d. X. ceſſ. Epiſc. d. X.
Simplicius an. XV. d. VI. ceſſ. Epiſc. d. VI.
Felix an. VII. m. XI. d. XVIII. ceſſ. Epiſc. d. V.
Gelaſius an. IV. m. VIII. d. IX. ceſſ. Epiſc. d. VII.
Anaſtaſius an. I. m. XI. d. XXIV. ceſſ. Epiſc. d. VII.
Hormiſda an. X. m. IX. d. XVII. ceſſ. Epiſc. d VII.
Joannes ann. II. m. VIII. d. XVI. ceſſ. Epiſc. d. LVIII.
Felix an. IV. m. II. d. III. ceſſ. Epiſc. d. III.
Bonifacius an. II. d. XXVI. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XV.
Joannes an. II. m. IV. d. VI. ceſſ. Epiſc. d. XVI.
Agapetus m. XI. d. XIX. ceſſ. Epiſc. d. XLVII.
Silverius m. V. d. XI. ceſſ. Epiſc. d. I.
Vigilius an. XVI. m. VI. d. XXV. ceſſ. Epiſc. m. III. d. V.
Pelagius an. IV. m. X. d. XIX. ceſſ. Epiſc. m. III. d. XX.
Joannes an. XII. m. XI. d. XXVI. ceſſ. Epiſc. m. LII. d. X.
*
Pelagius an. X. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. m. VI. d. XXV. ** Benedictus I.*
Gregorius an. XIII. m. VI. d. X. ceſſ. Epiſc. m. VI. d. XVIII. *Anno Ch. DXC.*
Sabinianus an. I. m. V. d. VIII. ceſſ. Epiſc. m. XI. d. XXVI.
Bonifacius m. VIII. d. XXII. ceſſ. Epiſc. m. X. d. VI.
*
Deuſdedit an. III. d. XX. ** Bonifacius IV.*
Bonifacius an. V. m. X. ceſſ. Epiſc. d. XIII.
Honorius ann. XII. m. XI. d. XXVII. Epiſc. an. I.
Severinus an. II. d. IV. ceſſit Epiſc. m. III. d. XXIV.
Bonifacius an. V. m. VIII. d. XII. ceſſ. Epiſc. m. VI. d. VI.
Joannes an. I. m. VIII. d. XVIII. ceſſ Epiſc. m. I. d. XIV.
Theodorus an. VI. m. V. d. XIX. ceſſ. Epiſc. d. LII.
Martinus an. VI. m. I. d. XXVI.
Eugenius ann. III. m. IX. d. XXIV. ceſſ. Epiſc. m I. d. XXIX.
Vitalianus an. XIV. m. VII. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XIV.
Adeodatus ann. IV. m. II. d. V. ceſſ. Epiſc. m. IV. d. XV.

Do-

Donus an. I. m. V. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XV.
Agatho an. II. m. VI. d. IV. ceſſ. Epiſc. an. I. m. VI.
Leo m. X. d. XIX. ceſſ. Epiſc. m. X. d. XXI.
Benedictus m. X. d. XII. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XV.
Joannes an. I. d. IX. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XVIII.
Anno Ch. Conon m. XI. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XIV.
DCLXXXVII. Sergius an. XIII. m. VII. d. XXIV. ceſſ. Epiſc. d. L.
Joannes an. III. m. II. d. XII. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XVIII.
** Joannes VII.* *
Siſinnius d. XX. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XIX.
Conſtantinus an. VII. d. XV. ceſſ. Epiſc. d. XL.
Gregorius an. XV. m. VIII. d. XXIV. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.
Gregorius an. X. m. VIII. d. XXIV.
Zacharias an. X. m. IV. d. XIV.
Stephanus an. V. d. XXIII. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.
Paulus an. X. m. I. ceſſ. Epiſc. an. I. m. I.
Stephanus an. IV. m. V. d. XXVII. ceſſ. Epiſc. d. VIII.
Anno Ch. Hadrianus an. XXIII. m. X. d. XVII.
DCCLXXII Leo an. XX. m. V. d. XVII.
Stephanus an. VII.
Paſchalis an. VII. d. XVII.
Eugenius an. III. m. VIII. d. XXIII.
Valentinus d. XL.
Gregorius an. XVI.
Sergius an. III.
Leo an. VIII. m. III. d. V.
Benedictus an. II. m. VI. d. VI.

CATALOGUS SECUNDUS

* Ex MS. ejuſdem Bibliothecæ Num. 1463.

PEtrus an. XXV. m. II. d. III.
Linus an. XI. m. III. d. XI.
Cletus an. XII. m. I. d. XI.
Clemens an. IX. m. I. d. XI.
Anacletus an. XIII. m. X. d. VII.
Evariſtus an. IX. d. II.
Alexander an. X. m. VII. d. II.
Sixtus an. X. m. II. d. I.
Teleſphorus an. XXI. m. III.
Hyginus an. IV. m. III. d. IV.
Pius an. XIX. m. IV. d. III.
Anicetus an. XI. m. IV. d. III.
Soter an. IX. m. VI. d. XXI.
Eleutherius an. XV. m. III. d. II.
Victor an. X. m. II. d. X.
Zephyrinus an. IX. m. VII. d. X.
An. Ch. Caliſtus an. VI. m. II. d. X.
CXCVII. Urbanus an. IV. m. X. d. XI.
Pontianus an. VI. m. V. d. II.
Anterus m. I. d. XII.
Fabianus an. XIV. m. XI. d. XI.
Cornelius an. II. m. II. d. II.
Lucius an. III. m. III. d. III.
Stephanus an. VII. m. V. d. II.
Sixtus an. I. m. X. d. XXIII.
Dionyſius an. VII. m. II. d. IV.
Felix an. III. m. III. d. XXV.
Eutichianus an. I. m. I. d. I.
Cajus an. XI. m. IV. d. XII.
An. Ch. Marcellinus an. IX. m. IV. d. III.
CCXCVI. Marcellus an. V. m. IV. d. XII.
Euſebius an. VII. m. V. d. III.
Melchiades an. IV.
Silveſter an. XXIII. m. X. d. XI.
Marcus an. II. m. III. d. XI.
Julius an. XII. m. II. d. III.
Liberius an. VI. m. III. d. IV.
Felix an. I. m. III. d. II.
Damaſus an. XV. m. III. d. XI.
Siricius an. XV.
Anaſtaſius an. III. d. X.
Innocentius an. XII. m. II. d. XXI.
Zoſimus an. I. m. III. d. XI.
Bonifacius an. III. m. VIII. d. VII.
Celeſtinus an. IX. m. X. d. XVII.
Sixtus an. IX. d. XIX. *An. Ch. CCCCXL.*
Leo an. XXI. m. I. d. XIII.
Hilarus an. VI. m. III. d. X.
Simplicius an. XV. m. I. d. XVIII.
Felix an. VIII. m. XI. d. XVIII.
Gelaſius an. IV. m. VII. d. XIX.
Anaſtaſius an. I. m. XI. d. XXIV.
Symmachus an. XV. m. VII. d. XXVII.
Hormiſda an. IX. d. XIV.
Joannes an. II. m. IX. d. XIII.
Felix an. IV. m. XI. d. XIII.
Bonifacius an. II. d. XXVI.
Mercurius an. II. m. IV. d. VI.
Agapetus m. XI. d. XIX.
Silverius an. I. m. V. d. XI.
Vigilius an. XVII. m. VI. d. XXVI.
Pelagius an. XI. m. X. d. XIX.
Joannes an. XII. m. XI. d. XXVI.
Benedictus an. IV. m. I. d. XXXIX.
Pelagius an. X. m. II. d. X. *An. Ch. DXC.*
Gregorius an. XIII. m. VI. d. X.
Sabinianus an. I. m. V. d. VIII.
Bonifacius m. VIII.
Bonifacius an. VI. m. VIII. d. XIII.
Deuſdedit an. III. m. I. d. II.
Bonifacius an. V.
Honorius an. XII. m. XI. d. XVIII.
Severinus m. II. d. IV.
Joannes an. I. m. VIII. d. XVIII.
Theodorus an. VI. m. V. d. XVIII.
Martinus an. VI. m. I. d. XXVI.
Eugenius an. II. m. X. d. III.
Vitalianus an. XIV. m. III.
Adeodatus an. IV. m. II. d. V.
Donus an. I. m. V. d. X.
Agatho an. II. m. III. d. III.
Leo m. X. d. XVIII.
Benedictus m. X. d. XII.
Joannes an..... d. VIII.
Conon m. X.
Sergius an. XIII. m. VII. d. XXIII. *An. Ch.*
Joannes an. III. m. II. d. XII. *DCCLXXX*
Joannes an. II. m. VI. d. XVII. *VII.*
Siſinnius dies XXX.
Conſtantinus an. VII. d. XV.
Gregorius an. XVI. m. IX. d. XI.
Gregorius an. X. m. VIII. d. XXII.
Zacharias an. X. m. III. d. XIV.
Stephanus an. V. d. XXIX.
Paulus an. X. m. I.
* ** Stephanus III.*
Hadrianus an. XXIII. d. XIV. *Anno Ch.*
Leo an. XX. m. V. d. XVI. *DCCLXXII*
Stephanus m. VII.
Paſchalis m. VII. d. XVIII.
Eugenius an. III.
Valentinus d. XL.
Gregorius an. XVI.
Sergius an. III. d. IX.
Leo an. VIII. m. III. d. VI.
Benedictus an. II. m. VI.
Nicolaus an. IX. m. VII. d. XXIX.
Hadrianus an. IV. m. XI. d. XII.
Joannes an. X. *Anno Ch.*
Marinus an. I. m. III. *DCCC-*
Hadrianus an. I. m. III. *LXXXII.*
Stephanus an. VI. d. XIV.
Formoſus an. IV. m. VII. d. XVIII.
Bonifacius dies XV.
Stephanus an. I. m. I. d. XVIII.
Romanus m. IV. d. XXVII.
Theodorus dies XX.
Joannes an. II.

Be-

Benedictus an. IV. m. VI. d. XIV.
Leo m. I. d. XXVII.
Chriſtophorus m. VI.
Sergius an. VII. m. III. d. XXIII.
Anaſtaſius an. II. m. I. d. XXII.
Lando m. IV. d. XII.
Joannes an. XIV. m. II. d. VII.
Leo m. VI. d. XV.
Stephanus an. II. m. I. d. XV.
Joannes an. IV. m. X.
Leo an. III. m. VI.
Stephanus an. III. m. IV.
Marinus an. III. m. VI.
Agapitus an. IX. m. VII. d. XXVI.
Joannes an. VIII. m. III.
Leo an. I. m. III.
Benedictus m. II. d. V.
Joannes an. VI. m. XI. d. V.
Benedictus an. I. m. VI.
Domni Deſuri an. I. m. VI.
Bonifacius m. I. d. XII.
Benedictus an. IX.
Joannes m. VIII.
Joannes m. IV.
Anno Ch. Joannes an. X. m. VII. d. X.
DCCCC- Gregorius an. I. m. V.
XCIX. Joannes m. X. qui turpe finivit vitam ſuam.
Silveſter an. IV. m. I. d. IX.
Joannes, qui vocatur Fatto m. V. d. XXV.
Joannes, qui vocatur Faton an. I.
Sergius, qui vocatur os porci an. III.
Benedictus frater Alberici majoris an. XI. m. XI. d. XXI.
Joannes frater ejus an. IX. m. IX.
Benedictus, qui vocatur Theophylactus an. XIV.
Silveſter d. LVI.
Gregorius, qui vocatur Joannes Gratianus an. II. m. VI.
Clemens, qui vocatur Luigerus m. IX. d. VII.
Damaſus, qui vocatur Popo d. XXIII.
Leo ſanctiſſimus, qui vocatur Bruno, an. V. m. II. d. VII.
Victor, qui vocatur Gebeardus an. II. m. III. d. XIII.
Stephanus, qui vocatur Fredericus m. VII. d. XXIX.
Benedictus Bellennenſis Epiſcopus m. IX. d. XX.
Nicolaus, qui vocatur Girardus, an. II. m. V. d. XXIX.
Alexander, qui vocatur Anſelmus an. X.

CATALOGUS TERTIUS

Ex MS. ejuſdem Bibliothecæ Num. 3518.

Petrus an. XXV. m. II. d. VIII.
Linus an. XI. m. III. d. XI.
Cletus an. XII. m. I. d. XI. ceſſ. Epiſc. d. XX.
Clemens an. VII. m. I. d. XI. ceſſ. Epiſc. d. XXII.
Anacletus an. XIII. m. X. d. VII. ceſſ. Epiſc. d. XIII.
Evariſtus an. IX. m. VI. d. II. ceſſ. Epiſc. d. XIX.
Alexander an. X. m. VII. d. II. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.
Sixtus an. X. m. II. d. I. ceſſ. Epiſc. m. II.
Teleſphorus an. XI. m. III. d. XXII. ceſſ. Epiſc. d. IV.
Hyginus an. IV. m. III. d. XXI. ceſſ. Epiſc. d. XVII.
Pius an. XV. m. IV. d. XXI. ceſſ. Epiſc. d. XIV.
Anicetus an. XI. m. IV. d. III. ceſſ. Epiſc. d. XVII.
Soter an. XIX. m. V. d. XXI. ceſſ. Epiſc. d. XXII.
Eleutherius an. XV. m. III. d. V. ceſſ. Epiſc. d. XVI.
Victor an. X. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. d. XII.
Zephyrinus an. VIII. m. VIII. d. VII. ceſſ. Epiſc. d. VI. *Anno Ch.*
Calliſtus an. VI. m. VI. d. X. ceſſ. Epiſc. d. VI. CXCVII.
Urbanus an. IV. m. X. d. XII. ceſſ. Epiſc. d. XXX.
Pontianus an. VI. m. V. d. V. ceſſ. Epiſc. d. X.
Anterus an. XII. m. I. d. XII. ceſſ. Epiſc. d. XIII.
Fabianus an. XIV. m. I. d. X. ceſſ. Epiſc. d. VII.
Cornelius an. II. m. II. d. IV. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.
Lucius an. II. m. III. d. III. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.
Stephanus an. VII. m. V. d. III. ceſſ. Epiſc. d. XXII.
Sixtus an. II. m. X. d. XXIII. ceſſ. Epiſc. an. II.
Dionyſius an. VI. m. II. d. VI. ceſſ. Epiſc. d. V.
Felix an. III. m. III. d. XXV. ceſſ. Epiſc. d. V.
Eutychianus an. I. m. I. d. IV. ceſſ. Epiſc. d. VIII.
Cajus an. XI. m. IV. d. XII. ceſſ. Epiſc. d. XI.
Marcellinus an. IX. m. IV. d. XXV. ceſſ. Epiſc. an. VI. m. V. d. XXV. *Anno Ch.*
Marcellus an. V. m. IV. d. XXI. ceſſ. Epiſc. d. XX. CCXCVI.
Euſebius an. VII. m. I. d. III. ceſſ. Epiſc. d. XXVII.
Melchiades an. IV. m. VII. d. VII. ceſſ. Epiſc. d. XVIII.
Silveſter an. XXIII. m. X. d. XIII. ceſſ. Epiſc. d. XV.
Marcus an. II. m. VI. d. XX. ceſſ. Epiſc. d. XX.
Julius an. XV. m. II. d. VI. ceſſ. Epiſc. d. XXV.
Liberius an. VI. m. VI. d. III.
Felix an. I. m. III. d. II. ceſſ. Epiſc. d. XXXVII.
Damaſus an. XVIII. m. III. d. XI. ceſſ. Epiſc. d. XXXI.
Siricius an. XV. m. XII. d. XXV. ceſſ. Epiſc. d. XX.
Anaſtaſius an. III. d. X. ceſſ. Epiſc. d. XXI.
Innocentius an. XII. m. II. d. XX. ceſſ. Epiſc. d. XXII.
Zoſimus an. I. m. III. d. XXV. ceſſ. Epiſc. d. X.
Bonifacius an. III. m. VIII. d. VII. ceſſ. Epiſc. d. VIII.
Celeſtinus an. IX. m. X. d. IX. ceſſ. Epiſc. d. XXI.
Sixtus an. IX. d. XIX. ceſſ. Epiſc. d. XXII.
Leo an. XXI. m. I. d. XIII. ceſſ. Epiſc. d. VII.
Hilarus an. VI. m. III. d. X. ceſſ. Epiſc. d. VI. *Anno Ch.*
Simplicius an. XV. m. I. d. VI. ceſſ. Epiſc. d. VI. CCCCXL.
Felix an. VIII. m. XI. d. XVIII. ceſſ. Epiſc. d. V.
Gelaſius an. IV. m. VII. d. IX. ceſſ. Epiſc. d. VII.
Anaſtaſius an. I. m. XI. d. XXIII.
Symmachus an. XV. m. VII. d. XXVII.
Hormiſda an. XIX. d. XVII. ceſſ. Epiſc. d. VII.
Joannes an. II. m. VIII. d. XVI. ceſſ. Epiſc. d. LVIII.
Felix an. IV. m. II. d. XII. ceſſ. Epiſc. d. III.
Bonifacius an. II. d. XXVII. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XV.
Joannes an. II. m. IV. d. IV. ceſſ. Epiſc. d. VI.
Agapitus m. XI. d. XVIII. ceſſ. Epiſc. d. XLVII.
Silverius m. V. d. XI. ceſſ. Epiſc. d. I.
Vigilius an. VI. m. VI. d. XXV. ceſſ. Epiſc. an. III. d. V.
Pelagius an. IV. m. X. d. XVIII. ceſſ. Epiſc. m. III. d. XX.

Joan-

Digitized by Google

Joannes an. XII. m. XI. d. XVI. ceſſ. Epiſc. m. III. d. X.
Benedictus an. IV. m. I. d. XXVII.
Pelagius an. X. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. m. VI. d. XXV.
Anno Ch. DXC. Gregorius an. XIII. m. VI. d. X. ceſſ. Epiſc. m. VI. d. XVIII.
Sabinianus an. I. m. V. d. VIII. ceſſ. Epiſc. m. XI.
Bonifacius m. VIII. d. XXV. ceſſ. Epiſc. m. X. d. VI.
Bonifacius an. VI. m. VIII. d. XIII.
Deuſdedit an. III. d. XX.
Bonifacius an. VI. m. V. ceſſ. Epiſc. d. XIII.
Honorius an. XII. m. XI. d. XVII. ceſſ. Epiſc. an. I. m. VII. d. XVII.
Severinus an. II. d. IV. ceſſ. Epiſc. m. IV. d. XXIV.
Bonifacius an. V. m. VIII. d. VIII. ceſſ. Epiſc. m. VI. d. VI.
Joannes an. I. m. VIII. d. XVIII. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XIII.
Theodorus an. VI. m. V. d. XVIII. ceſſ. Epiſc. d. LII.
Martinus an. VI. m. I. d. XXVI.
Eugenius an. III. m. VIII. d. XXIV. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XXIV.
Vitalianus an. XII. m. VI. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XIV.
Adeodatus an. IV. m. II. d. V. ceſſ. epiſc. m. IV. d. XV.
Donus an. I. m. VI. d. X. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XV.
Agatho an. II. m. VII. d. XVII. ceſſ. Epiſc. an. I. m. VII. d. V.
Leo m. X. d. XVII. ceſſ. Epiſc. m. XI. d. XXI.
Benedictus m. X. d. XII. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XV.
Joannes an. I. d. IX. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XVIII.
Conon m. XI. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XXIV.
Anno Ch. DCLXXXVI. Sergius an. XIII. m. VII. d. XXIV. ceſſ. Epiſc. d. L.
Joannes an. III. m. II. d. XII. ceſſ. Epiſc. m. I.
Joannes an. II. m. VI. d. XXVII. ceſſ. Epiſc. m. IV. d. XVIII.
Siſinnius d. XXV. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XVIII.
Conſtantinus an. VII. d. XV. ceſſ. Epiſc. d. XL.
Gregorius an. XV. m. VIII. d. XXIV. ceſſ. epiſc. d. XXXV.
Gregorius an. X. m. VIII. d. XXIV.
Zacharias an. X. m. IV. d. XIV.
Stephanus an. V. d. XXIII. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.
Paulus an. X. m. I. ceſſ. Epiſc. an. I. m. I.
Stephanus an. IV. m. V. d. XXVII. ceſſ. Epiſc. d. VII.
Anno Ch. DCCLXXII. Hadrianus an. XXIV. m. X. d. XVII.
Leo an. XX. m. V. d. XVII.
Stephanus an. VI.
Paſchalis an. VII. d. XVII.
Eugenius an. III. m. VIII. d. XXIII.
Valentinus d. XL.
Gregorius an. XXVI.
Sergius an. III.
Leo an. VIII. m. III. d. V.
Benedictus an. II. m. VI. d. VI.
Nicolaus an. IX. m. VII. d. XXVIII.
Hadrianus an. IV. m. XI. d. XII.
Joannes an. X.
Marinus an. I. m. III.
Hadrianus an. I. m. III.
Stephanus an. VI. d. XVI.
Formoſus an. IV. m. VII. d. XVIII.
Bonifacius....
Stephanus an. I. m. I. d. XVIII.
Romanus m. IV. d. XXVI.
Theodorus d. XX.
Joannes an. II.

Benedictus an. IV. m. VI. d. XIII.
Leo m. I. d. XXVII.
Chriſtophorus m. VI.
Sergius an. VII. m. III. d. XXIII.
Anaſtaſius an. II. m. I. d. XXI.
Lando m. IV. d. XII.
Joannes an. XIV. m. II. d. VII.
Leo m. VI. d. XIII.
Stephanus an. II. m. I. d. XV.
Joannes an. IV. m. X.
Leo an. III. m. VI.
Stephanus an. III. m. IV.
Marinus an. III. m. VI.
Agapitus an. IX. m. VII. d. XXVI.
Joannes an. VIII. m. III.
Leo an. I. m. III.
Benedictus an. II. d. V.
Joannes an.... m. XI. d. V.
Benedictus an.... m. VI.
Domnio an. I. m. V.
Bonifacius an. I. d. XII.
Benedictus an. IX....
Joannes m. VIII....
Joannes m. IV.
Joannes an. X. m. VI. d. X.
Gregorius an. I. m. V.
Joannes m. X. qui turpe finivit vitam ſuam;
Silveſter an. IV. m. I. d. IX.
Joannes qui vocatur Faſo m. V. d. XX. *Anno Ch. DCCCCXCIX.*
Joannes qui vocatur Paio an. I.
Sergius qui vocatur os porci an. III.
Benedictus frater Alberici majoris an. XI. m. X. d. XXI.
Joannes frater ejus an. IX. m. IX.
Benedictus qui vocatur Theophylactus an. XIII.
Silveſter Sabinenſis Epiſcopus d. LV.
Gregorius qui vocatur Gratianus anno II. m. VI.
Clemens qui vocatur Suigerius m. IX. d. VII.
Damaſus qui vocatur Poppo d. XXIII.
Leo ſanctiſſimus, qui vocatur Bruno an. V. m. II. d. VII.
Victor qui vocatur Gebehardus an. II. m. III. d. XIII.
Stephanus, qui vocatur Fredericus m. VII. d. XXIX.
Benedictus Beletrenſis Epiſcopus m. IX. d. XX.
Nicolaus, qui vocatur Gerardus an. II. m. V. d. XXV.
Alexander, qui vocatur Anſelmus an. XI.
Gregorius qui & Hildebrandus an. XII. m. I. & ceſſ. Vienn.
Victor, qui & Deſiderius Caſinenſis Abbas m. IV. d. VII.
Urbanus II. an. XI.
Paſchalis III. ſedit, *ideoque Catalogus iſte exaratus circa annum MXCIX. quo Paſchalis ſedere cœpit; alioquin exſcriptor Sedes ejus durationem notaſſet.*

CATALOGUS QUARTUS.

Ex MS. ejuſdem Bibliothecæ Num. 4195.

Petrus an. XXV. m. I. d. VII.
Linus an. XV. m. III. d. XII.
Cletus an. VIII. m. II. d. X. Ceſſ. Epiſc. d. XXII. Hi duo fuerunt Coepiſcopi, unus ſc. poſt alium temporibus B. Petri.
Clemens an. IX. m. II. d. X. ceſſ. epiſc. d. XXII.
Anacletus an. XII. m. X. d. VII. ceſſ. Epiſc. d. XIII.
Evariſtus an. XIII. m. VII. d. II. ceſſ. Epiſc. d. XIX.
Alexander an. X. m. VII. d. II. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.

Sixtus an. V. m. III. d. XXI. ceſſ. Epiſc. d. II.

Teleſphorus an. XI. m. III. d. VIII. ceſſ. Epiſc. d. XXIII.

Hyginus ao. IV. m. III. d. VIII. ceſſ. Epiſc. d. XXIII.

Pius an. XI. m. III. d. XXI. ceſſ. Epiſc. d. XIV.

Anicetus an. XI. m. IV. d. XXI. ceſſ. Epiſc. d. XVII.

Soter an. IX. m. III. ceſſ. Epiſc. d. XXII.

Eleutherus an. XV. ceſſ. Epiſc. d. V.

Victor an. X. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. d. XII.

Anno Ch. CXCVII. Zephyrinus an. XIII. m. II. d. X. ceſſ. epiſs. d. VII.

Calliſtus an. V. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. d. VII.

Urbanus an. IX. m. XI. d. XII. ceſſ. Epiſs. d. XXX.

Pontianus an. V. m. II. ceſſ. Epiſc. d. X.

Anterus m. I. d. XV. ceſſ. Epiſc. d. XIII.

Fabianus an. XIII. m. I. d. X. ceſſ. Epiſc. d. VII.

Cornelius an. II. d. X. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.

Lucius An. III. m. III. d. III. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.

Stephanus an. IV. m. II. d. XV. ceſſ. Epiſc. d. XXV.

*

** Sixtus II.* Dionyſius an. II. m. III. d. XII. ceſſ. Epiſc. d. V.

Felix an. II. m. X. ceſſ. Epiſc. d. V.

Eutychianus an. VIII. m. X. d. XIII. ceſſ. Epiſc. d. VIII.

Caius an. XI. m. IV. d. VIII. ceſſ. Epiſc. d. XI.

Marcellinus an. VIII. m. II. d. XXV. ceſſ. Epiſc. an. VI. m. VI. d. XXV.

Anno Ch. CCXCVI. Marcellus an. V. m. VII. d. XII. ceſſ. Epiſc. d. XX.

Euſebius an. II. m. I. d. XXV. ceſſ. Epiſs. d. VII.

Melchiades an. III. m. VII. d. VIII. ceſſ. Epiſc. d. XVI.

Silveſter an. XXIII. ceſſ. Epiſc. d. XVI.

Marcus an. II. m. VIII. d. V. ceſſ. Epiſc. d. XX.

Julius an. XI. d. XI. ceſſ. Epiſc. d. XXV.

Liberius an. X. m. VII. d. III. ceſſ. Epiſc. d. VII.

Felix an. I. m. III. d. II. ceſſ. Epiſc. d. XXVIII.

Damaſus an. XVIII. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. d. XXI.

Siricius an. XV. m. XI. d. XXV. ceſſ. Epiſs. d. XX.

Anaſtaſius an. II. d. XXV. ceſſ. Epiſc. d. XXI.

Innocentius an. XV. m. II. ceſſ. Epiſc. d. XXII.

Zoſimus an. I. m. VIII. d. XXV. ceſſ. Epiſc. d. X.

Bonifacius ann. III. m. X. d. XIII. ceſſ. Epiſc. d. IX.

Celeſtinus an. VIII. m. I. d. VIII. ceſſ. Epiſc. d. XX.

Sixtus an. VIII. d. XIX. ceſſ. Epiſc. d. XXII.

Anno Ch. CCCCXL. Leo an. XXI. d. XXVIII. ceſſ. Epiſc. d. VII.

Hilarus an. VI. m. III. d. X. ceſſ. Epiſc. d. X.

Simplicius an. XV. d. VI. ceſſ. Epiſc. d. VI.

Felix an. VII. m. XI. d. XVIII. ceſſ. Epiſc. d. V.

Gelaſius an. IV. m. IX. d. IX. ceſſ. Epiſc. d. VII.

Anaſtaſius an. I. m. XI. d. XXIV. ceſſ. Epiſc. d. IV.

Symmachus an. XV. m. VII. d. XXVIII. ceſſ. Epiſc. d. VII.

Hormiſda an. IX. d. XVII. ceſſ. Epiſc. d. VII.

Joannes an. II. m. IX. d. XVI. ceſſ. Epiſc. d. LVIII.

Felix an. IV. m. II. d. XII. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XV.

Bonifacius an. II. d. XXVI. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XV.

Joannes, qui & Mercurius an. II. m. IV. d. VI. ceſſ. Ep. d. VI.

Agapitus m. XI. d. XIX. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XXV.

Silverius m. IX. d. XI.

Vigilius an. XVII. m. VI. d. XXV. ceſſ. Epiſc. m. III. d. V.

Pelagius an. IV. m. X. d. XVIII. ceſſ. Epiſc. m. III. d. XXI.

Joannes an. XII. m. XI. d. XXVI. ceſſ. Epiſc. m. X. d. III.

Benedictus an. IV. m. I. d. XXIV. ceſſ. Epiſc. m. III. d. X.

Pelagius an. X. m. II. d. X. ceſſ. Epiſs. m. VI. d. XXV.

Gregorius an. XIII. m. VI. d. X. ceſſ. Epiſc. m. V. d. XVIII. *Anno Ch. DXC.*

Sabinianus an. I. m. V. d. XVIII. ceſſ. Epiſc. m. XI. d. XXV.

Bonifacius m. IX. d. XXVIII. ceſſ. Epiſc. m. X. d. VI.

Bonifacius an. VI. m. VIII. d. XIII. ceſſ. Epiſc. m. VI. d. V.

Deuſdedit an. III. d. X. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XVI.

Bonifacius an. V. m. X. ceſſ. Epiſc. d. XIII.

Honorius an. XII. m. XI. d. XVII. ceſſ. Epiſc. an. I. m. VII. d. XVIII.

Severinus an. II. d. IV. ceſſ. Epiſc. m. IV. d. XXIV.

Joannes an. I. m. IX. d. XVIII. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XIV.

Theodorus an. VI. m. V. d. XVIII. ceſſ. Epiſc. d. LII.

Martinus an. VI. m. I. d. XXVI.

Eugenius an. II. m. X. d. XXIV. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XXVIII.

Vitalianus an. XIV. m. VI. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XIII.

Adeodatus an. IV. m. II. d. V. ceſſ. Epiſc. m. IV. d. XV.

Donus an. I. m. V. d. X. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XV.

Agatho an. II. m. VI. d. XIV. ceſſ. Epiſc. an. I. m. VII. d. V.

Leo Junior m. X. d. XVII. ceſſ. Epiſc. m. X. d. XXII.

Benedictus m. X. d. XII. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XV.

Joannes an. I. d. IX. ceſſ. Epiſc. m. X. d. XVIII.

Conon m. XI. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XXXIII.

Sergius an. XIII. m. VIII. d. XXIV. ceſſ. Epiſc. d. L. *Anno Ch. DCLXXXVII.*

Joannes an. III. m. II. d. XII. ceſſ. Epiſs. m. XI. d. XVIII.

Joannes an. II. m. VII. d. XXI. ceſſ. Epiſc. m. III.

Siſinnius d. XX. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XVIII.

Conſtantinus an. VII. d. XV. ceſſ. Epiſc. d. XL.

Gregorius an. XV. m. VIII. d. XXIV. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.

Gregorius an. X. m. X. d. XXIV.

Zacharias an. X. m. III. d. XIV.

Stephanus an. V. d. XXXIX. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.

Paulus an. X. m. I. ceſſ. Epiſc. an. I. m. I.

Stephanus an. III. m. V. d. XXVII. ceſſ. Epiſc. d. IX.

Hadrianus an. XXIII. m. X. d. XVII.

Leo an. XX. m. V. d. XX. ceſſ. Epiſc. d. X. *Anno Ch. DCCLXXII*

Stephanus d. VII. ceſſ. Epiſc. d. X.

Paſchalis I. an. VII. m. III. d. XVII. ceſſ. Epiſc. d. IV.

Eugenius annos IV.

Valentinus m. I. d. X.

Gregorius an. XVI. ceſſ. Epiſs. d. XV.

Sergius an. III. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XV.

Leo an. IX. m. III. d. VI. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XV.

Benedictus qui & Zenus, an. II. m. VI. d. IX. ceſſ. Epiſc. d. XV.

Pau-

Digitized by Google

Paulus an. X. m. I. ceſſ. Epiſc. an. I. m. I.
Stephanus an. IV. m. d. XXVII. ceſſ. Epiſc. d. VIII.
Nicolaus an. VII. m. IX. d. XIII. ceſſ. Epiſc. an. VIII. m. VII. d. XIX.
Hadrianus an. III. m. XI. d. X.
Joannes an. X. d. II.
Anno Ch. Marinus an. I. m. V.
DCCC. Hadrianus an. I. m. IV.
LXXII. Stephanus an. IV. m. VII. d. XIV.
Formoſus an. IV. m. VII. d. XIII.
Bonifacius d. XV.
Stephanus an. I. m. I. d. XVIII.
Romanus m. IV. d. XX.
Theodorus d. XXVI.
Joannes an. I.
Benedictus an. IV. m. VI. d. XIV.
Leo m. I. d. XXVI.
Chriſtophorus m. VI.
Sergius an. VII. m. III. d. XXIII.
Anaſtaſius an. II. m. I. d. XXII.
Lando m. IV. d. XXVI.
Joannes an. XIV. m. II. d. III.
Leo an. XIV. m. VII. d. XV.
Stephanus an. II. m. I. d. XII.
Joannes an. IV. m. X.
Leo an. III. m. VI. d. X.
Stephanus an. III. m. IX.
Marinus an. III. m. VI.
Agapitus an. IX. m. VII. d. XXVII.
Joannes an. VIII. m. IV.
Leo an I. m. III.
Benedictus m. II. d. V.
Joannes an. VI. m. XI. d. V.
Benedictus m. II. d. II.
Domus an. I m. VI.
Bonifacius m. I. d. XII.
Benedictus an. IX.
Joannes m. VIII.
Joannes m. IV.
Joannes an. X. m. VI. d. X.
Gregorius an. II. m. VII.
Joannes m. X.
Silveſter an. X. m. V. d. XII.
Anno Ch. Joannes, qui vocatur Sicco, m. VI.
DCCCC. Joannes, qui vocatur Fanalus, an. V.
XCIX. Sergius, qui vocatur os porci, an. II. m. IX. d. XII.
Benedictus frater Alberici maioris an. XI. m. XI. d. XXI. Anno Domini milleſimo III.
Joannes frater eius an. VII. m. VII.
Benedictus vel Zenus, qui vocatur Philateus an. XII. Anno MIIII. d. XX.
Silveſter Sabinenſis Epiſcopus d. LVI.
Gregorius, qui vocatur Joannes Gratianus an. II. m. V. Anno Domini MXLVI.
Clemens, qui vocatur Singerius m. IV. d. XVII.
Damaſus, qui vocatur Poppo, d. XXIII. ceſſ. Epiſc. m. VI.
Leo IX, qui vocatur Bruno, an. V. m. II. d. VI. Anno Domini Mil. L. anni I. indictione III.
Victor, qui vocatus Gebehardus an. II. m. III. d. XVII.
Stephanus, qui vocatur Fredericus, m. VII. d. XXIX.
Benedictus vel Zenus Belitnenſis Epiſc. m. IX. d. XXII.
Nicolaus, qui vocatur Gerardus an. II. m. VI. d. I. ceſſ. Epiſc. m. II. d. VIII.
Alexander, qui vocatur Anſelmus, an. XI. m. VI. d. XV.
Gregorius, qui vocatur Hildebrandus Monachus an. XII. m. I. d. XII. ceſſ. epiſc. an. II. Anno Domini MLXXIII. indict. XII.
Victor qui & Deſiderius cœnobii Caſinenſis Abbas m. IV. d. VII. ceſſ. Epiſc. m. V. d. XXV.
Urbanus an. XI. m. V. d. XVIII.
Paſchalis an. XVIII. m. V. d. VII. ceſſ. Epiſc. II. dies.

Apparatus in Baronium

Gelaſius II. natione Campanus an. I. d. V. ceſſ. epiſc d. IV.
Calliſtus II. natione Gallus an. V. m. X. d. XII. ceſſ. Epiſc. d. X.
Honorius II. *altera manu deſcriptus; & a linea,* anno Domini MCXXVI. *quo ideo tempore Catalogus iſte exaratus.*

CATALOGUS QUINTUS

Ex MS. ejuſdem Biblioth.

Num. 4048.

Petrus an. XXV. m. II. d. VIII.
Linus an. XV. m. III. d. XII.
Cletus an. IX. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. d. XXII.
Clemens an. IX. m. II. d. X. ceſſ. epiſc. d. XXI.
Anacletus an. XII. m. X. d. VII. ceſſ. Epiſc. d. XIII.
Evariſtus an. XIII. m. VI. d. II. ceſſ. Epiſc. d. XIX.
Alexander an. X. m. VI. d. II. ceſſ. Epiſc. d. XXXV.
Sixtus an. X. m. II. d. XXXI. ceſſ. Epiſc m. II.
Teleſphorus an. XI. m. II. d. XXII. ceſſ. Epiſc. d. VII.
Hyginus an. IV. m. II. d. VIII. ceſſ. Epiſc. d. IV.
Pius an. XI. m. IV. d. XXI. ceſſ. Epiſc. d. XIV.
Anicetus an. XI. m. IV. d. XXI. ceſſ. Epiſc. d. XVII.
Soter. an. IX. m. VI. d. XXI. ceſſ. Epiſc. d. XXII.
Eleutherus an. XV. m. VI. d. V. ceſſ. Epiſc. d. XVI.
Victor an. X. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. d. XII.
Zephyrinus an. XIX. m. VI. d. X. ceſſ. Epiſc. d. VI. *Anno Ch.*
Calliſtus an. V. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. d. VI. *CXCVII.*
Urbanus an. IX. m. X. d. XII. ceſſ. Epiſc. d. XX. Hic XV Kal. Junii ſub Alexandro Martyrio coronatus eſt.
Pontianus an. IX. m. V. d. II. ceſſ. Epiſc. d. X.
Anterus an. XII m. I. d. XII. ceſſ Epiſc. d. XIII.
Fabianus an. XIV. m. I. d. X. ceſſ. Epiſc d. VII.
Cornelius an. II m. II. d. III. ceſſ. Epiſc. d. LXVI. XVIII. Kal. Octob. Martyrio coronatus.
Lucius an. III. m. III. d. III. ceſſ Epiſc. d. XXV. Obiit II. Kal. Septemb. capite truncatus.
Stephanus an. VI. m. VI. d. II. ceſſ. Ep. d. XXII.
Sixtus an. II. m. X d. XXIII. ceſſ Epiſc. an. II.
Dionyſius an. II. m. III. d. VII ceſſ. Epiſc. d. V.
Felix an. IV. m. III. d. XXV. ceſſ. Epiſc. d. V.
Eutychianus an. VIII. m. X. d. IV. ceſſ. Epiſc. d. VIII.
Caius an. XI. m. IV. d. XXII. ceſſ. Epiſc. d. XI.
Marcellinus an. VIII. m. II. d. XXV. ceſſ. Epiſc. *Anno Ch.*
an. VI. m. VI. d. XXV. *CCXCVI.*
Marcellus an. V. m. VII. d. XXI. ceſſ. Epiſc. d. XX.
Euſebius an. V. m. I. d. III. ceſſ. Epiſc. d. VII.
Melchiades an. IV. m. VII. d. VIII. ceſſ. Epiſc. d. XVI.
Silveſter an. XXIII. m. X. d. XII. ceſſ. Epiſc. d. XV.
Marcus an. II. m. VIII. d. XX. ceſſ. Epiſc. d. XX.
Julius an. XV. m. II. d. VI. ceſſ. Epiſc. d. VI.
Liberius an. XVI. m. VII. d. III. ceſſ. Epiſ. d. VI.
Felix. an. I. m. III. d. XXXVI.
Damaſus an. XVIII. m. II. d. XI. ceſſ. Epiſc. d. XXI.
Siricius an. XV. m. XI. d. XXV. ceſſ. Epiſc. d. II.
Anaſtaſius an. II. d. XXVII. ceſſ. Epiſc d. XXI.
Innocentius an. XV. m. II. d. XX. ceſſ. Epiſ. d. XXII.
Zoſimus an. I. m. VIII. d. XXV. ceſſ. Epiſc. d. XI.
Bonifacius an. III. m. VIII. d. XXV. ceſſ. Epiſc. d. IX.

Celeſtinus an. VIII. m. I. d. IX. ceſſ. Epiſc. d. XXI.
Sixtus III. an. VIII. m. I. d. IX. ceſſ. Epiſ. d. XXII.
Anno Ch. CCCCXL. Leo an. XXI. m. I. d. XXVII. ceſſ. Epiſc. d. VI.
Hilarus an. VI. m. III. d. X. ceſſ. Epiſc. d. X.
Simplicius an. XV. d. VI. ceſſ. Epiſc. d. VII.
Felix an. VII. m. XI. d. XVIII. ceſſ. Epiſc. d. V.
Gelaſius an. IV. m. VIII. d. IX. ceſſ. Epiſc d. VII.
Anaſtaſius an. I. m. XI. d. XXIV. ceſſ. Epiſc. d. VII.
Symmachus an. XV. m. VII. d. XXVII. ceſſ. Epiſc. d. VI.
Hormiſda an. XIX. d. XVII. ceſſ. Epiſc. d. VI.
Joannes an. II. m. VIII. d. XVI. ceſſ. Epiſ. d. LVIII.
Felix IV. an. IV. m. III. d. XII. ceſſ. Epiſc. d. III.
Bonifacius II. an. II. d. XXVI. ceſſ. Epiſc. d. VI.
Joannes II. qui & Mercurius an. II. m. IV. d. VI. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XV.
Agapitus m. XI. d. XVIII. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XXVIII.
Silverius an. V. d. XI.
Vigilius an. XVII. m. VII. d. XXV. ceſſ. Ep. m. VI.
Pelagius an. XI. m. X. d. XIX. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XXV.
Joannes III. an. XII. m. II. d. XXVI. ceſſ. Epiſ. m. X. d. XIV.
Benedictus an. IV. m. I. d. XXV. ceſſ. Epiſc. m. III. d. X.
Pelagius an. X. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. m. III. d. XXV.
Anno Ch. DXC. Gregorius an. XIV. m. VI. d. X. ceſſ. Epiſc. m. V. d. XIX.
Sabinianus an. I. m. V. d. IX. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XXVI.
Bonifacius III. m. VIII. d. XXII. ceſſ. Epiſc. m. X.
Bonifacius IV. an. VI. m. VIII. d. XIII. ceſſ. Epiſc. m. VII. d. XXV.
Deuſdedit an. III d. XXIII. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XVI.
Bonifacius V. an. V. m. X. ceſſ. Epiſc. d. XIII
Honorius an. XII. m. XI. d. XVII. ceſſ. Epiſ. an. I. m. VII. d. XVIII.
Severinus m. II. d. IV. ceſſ. Epiſc. m. IV. d. XXIX.
Joannes IV. an. I. m. IX. ceſſ. Epiſc. m. I. d XIII.
Theodorus an. VI. m. V. d. XVIII. ceſſ. Epiſc. d. LII.
Martinus an. XVI. m. I. ceſſ. Epiſc. d. XXVI.
Eugenius an. II. m. IX. d. XXIV. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XXVIII.
Vitalianus an. XIV. m. VI. d. V. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XIII.
Adeodatus an. IV. m. II. d. V. ceſſ. Epiſc. m. IV. d. V.
Donus an. I. m. V. d. X. ceſſ. Epiſc. m. II. d. XV.
Agatho an. II. m. VI. d. IV. ceſſ. Epiſc. an. I. m. VII. d. V.
Leo II. m. X. d. XVII. ceſſ. Ep. m. XI. d. XII. Obiit V. Non. Jul.
Benedictus II. m. X. d. XII ceſſ. Ep. m. II. d. XV.
Joannes V. an. I. d. IX. ceſſ. Ep. m. II. d. XVIII.
Conon. m. XI. ceſſ. Ep. m. II. d. XXIV.
Anno Ch. DCLXXXVII. Sergius an. XIII. m. VIII. d. XXIII. ceſſ. Epiſc. d. L.
Joannes VI. an. III. m. II. d. XII. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XVIII.
Joannes VII. an. II. m. VII. d. XVII. ceſſ. Ep. m. III.
Siſinnius d. XX. ceſſ. Epiſc. m. I. d. XVIII.
Conſtantinus an. VII. d. XV. ceſſ. Epiſc. d. XL.
Gregorius II. an. XV. m. VIII. d. XXIV. ceſſ. Epiſc. d. XXII.
Gregorius III. an. X. m. VIII. d. XXIV.
Zacharias an. X. m. III. d. XV.
Stephanus an. V. d. XXIX. ceſſ. Ep. d. XXII.
Paulus an. X. m. I.
Stephanus III. an. III. m. V. d. XXVII. ceſſ. Epiſ. d. XXIX.
Hadrianus an. XXIII m. X. d. XVII. *An. Ch. DCCLXXII*
Leo III. an. XX. m. V. d. XVII.
Stephanus IV. an. VI.
Paſchalis an. V. d. XVII.
Eugenius II. an. III. m. VIII. d. XXVIII.
Valentinus d. XL.
Gregorius IV. an. XVI.
Sergius II. an. III.
Leo IV. an. VIII. m. III. d. V.
Benedictus III. qui & Zenus, an. II. m. VI. d. VI.
Paulus II. an. X. m. I. ceſſ. Epiſc. an. I. m. I.
Stephanus V. an. IV. m. V. d. XXVII. ceſſ. Ep. d. VIII.
Nicolaus an. XI. m. VI. d. XX.
Hadrianus an. V.
Joannes VIII. an. X. d. II.
Marinus an. I. m. V.
Hadrianus III. an. I. m. IV.
Stephanus VI. an. VI. d. IX. a morte S. Gregorii PP. uſque ad hunc ſunt anni LXIV. m. II.
Formoſus an. V. m. VI.
Bonifacius V. d. XIII.
Stephanus VII. an I. m. III.
Romanus m. III. d. XXIII.
Theodorus d. XX.
Joannes IX. an. II. d. XV.
Benedictus IV. an. III. m. VI. d. XV.
Leo V. d. XL.
Chriſtophorus m. VII.
Sergius III. an. VII. m. III. d. XVI.
Anaſtaſius III. an. II. m. II.
Lando m. VI. d XXVI.
Joannes X. an. XIV. m. X. d. III.
Leo VI. m. VII. d. XV.
Stephanus an. II. m. I. d. XII.
Joannes XI. an. IV. m. X.
Leo VII. an. III. m. VI. d. X.
Stephanus IX. an. III. m. IV. d. XV.
Martinus II. an. III. m. VI. d. XIII.
Agapitus II. an. X. m. VII. d. X.
Joannes XII. an. IX. m. IV.
Leo VIII. an I. m. III.
Benedictus V. m. II. d. V.
Joannes XIII. an. VI. m. XI. d. V.
Benedictus VI. an. I. m. VI.
Donus an. I. m. VI.
Bonifacius VI. m. I. d. XII.
Benedictus VII. an. VIII.
Joannes XIV. m. VIII.
Joannes XV. m. IV.
Joannes XVI. an. X. m. VI. d. X.
Gregorius V. an. I. m. V.
Joannes XVII. m. X. d. V. *Anno Ch. DCCCC. XCIX.*
Silveſter II. an. IV. m. I. d. IX.
Joannes XVIII. qui vocatur Secco, m. V. d. XXV.
Joannes XIX. qui vocatur Fanaſſus an. I.
Sergius IV. qui vocatur os porci, an. III.
Benedictus VIII. ſrater Alberici majoris an. XI. m. I. d. XXI. Anno Domini MIII.
Joannes XX. ſrater ejus an. IX. d. IX.
Benedictus IX. & Zenus, qui vocatur Theophylactus an. XIII.
Silveſter III. Sabinenſis Epiſcopus d. LVI.
Gregorius VI. qui vocatur Gratianus an. II. m. VI. Anno Domini MLI. indict. III.
* ** Clemens II. Damaſus II. Leo IX.*
Victor II. qui vocatur Gebehardus an. II. m. III. d. VIII.
Stephanus X. qui vocatur Ercdericus, m. VI. d. XXIX. *Anno Ch. MLXI.*
Alexander II. qui vocatur Anſelmus, an. II. m. VI. d. XXII.

Gre-

Digitized by Google

* Nicolaus II. *

Gregorius VII. qui vocatur Hildebrandus, an. XII. m. I. d. V. Anno Domini MLXXIII. indict. XII.
Victor III. qui & Deſiderius cœnobii Caſinenſis Abbas m. IV. d. VII.
Urbanus II. an. XII. obiit IV. Kal. Aug. a tempore Papæ Joannis XII. qui coronavit Othonem Imp. uſque ad hunc, ſunt anni CL. anno Domini MXCIX.
Pſchalis II. an. XIX. m. VI. d. XXII. ceſſ. Ep. d. III. Obiit II. Kal. Febr.
Gelaſius II. qui nobis Cancellarius an. I. d. IV. Obiit IV. Kal. Febr. anni Domini MCXIX.
Callixtus II. an. V. m. VI.
Honorius II. an. V.
Innocentius II. an. XIV.
MCXXX.
Quo ideo anno hic Catalogus ſcriptus.

CATALOGUS SEXTUS

Ex MS. ejuſdem Biblioth. Num. 4893.

Petrus an. XXV. m. I. d. VII.
Linus an. VII. m. III. d. XII.
Cletus conſedit an. XII. m. I. d. XI. ceſſ. Ep. d. XX.
Clemens an. IX. m. II. d. XI. ceſſ. Ep. d. XXII.
Anacletus an. XII. m. X. d. VII. ceſſ. Ep. d. XIV.

* Evariſtus. *

Alexander ann. X. m. VII. d. II. ceſſ. Ep. d. XXXV.
Sixtus an. IX. m. III. d. XXII.
Teleſphorus an. VI. m. III d. VIII. ceſſ. Ep. d. XXIII.
Hyginus an. IV. m. III. d. VIII. ceſſ. Ep. d. XXIII.
Anicetus an IX. m. III ceſſ. Ep. d XXIV.
Pius an. XI. m. III. ceſſ. Ep. d. XXIV.
Soter an. IX. m. III. ceſſ. Ep. d. V.

* Soter. *

Victor an. X. m. II. d. X. ceſſ. Ep. d. XII.
Zephyrinus an. XVIII. m. II. d. X. ceſſ. Ep. d. VII.
Callixtus an. V. m. II. d. X. ceſſ. Ep. VII.
Urbanus an. XI. m. XI. d. XII. ceſſ. Ep. d. XXX.
Pontianus an. V. m. V. ceſſ. Ep. d. X.
Anterus m. XV. ceſſ. Ep. d. VIII.
Fabianus an. XIV. m. I. d. X. ceſſ. Ep. d. VII.
Cornelius an. III. m. III. ceſſ. Ep. d. XXXV.
Lucius an. III. m. III. d. III. ceſſ. Ep. d. XXXV.
Stephanus an. IV. m. II. d. XV. ceſſ. Ep. d. XII.
Sixtus II. an. II. m. XI. d. XV. ceſſ. Ep. d. XXV.
Dionyſius an. II. m. III. d. XII ceſſ. Ep. d. V.
Felix an II. d. X. ceſſ. Ep. d. V.
Eutychianus an. VIII. m. X. d. XII. ceſſ. Ep. d. VIII.
Caius an. XI. m. IV. d. VIII. ceſſ. Ep. d. XI.
Marcellinus an. VIII. d. XXV. ceſſ. Ep. an. VII. m. VI. d. XXV.
Marcellus an. V. m. VII. d. XVI. ceſſ. Ep. d. XV.
Euſebius an. II. m. I. d. XXV. ceſſ. Ep. d. VII.
Melchiades an. III. m. VII. d. VIII. ceſſ. Ep. d. XVI.

* Silveſter. *

Marcus an. II. m. VIII. d. V. ceſſ. Epiſc. d. XXX.
Julius an. XI. d. XI. ceſſ. Epiſc. d. XXV.
Liberius an. X. m. VII. d. III. ceſſ. Ep. d. VII.
Felix II. an. I. m. III. d. II. ceſſ. Ep. d. XXXVIII.
Damaſus an. XVIII. m. II. d. X. ceſſ. Ep. d. XXXI.
Siricius an. XV. m. VI. d. XXV. ceſſ. Ep. d. XXI.
Anaſtaſius an. II. d. XXV. ceſſ. Ep. d. XXX.
Innocentius an. XII. m. II. ceſſ. Ep. d. X.
Zoſimus an. I. m. VIII. d. X. ceſſ. Ep. d. X.
Bonifacius an. III. m. VIII. d. XIII. ceſſ. Ep. d. XX.
Celeſtinus an. VIII. m. I. d. VIII. ceſſ. Ep. d. XX.
Sixtus III. an. VIII. d. XIX. ceſſ. Ep. d. XXII.
Leo an. XXI. d. XXVIII. ceſſ. Ep. d. VII.
Hilarus an. VI. m. III. d. X. ceſſ. Ep. d. VIII.
Simplicius an. XV. d. VI. ceſſ. Ep. d. VI.
Felix III. an. VII. m. XI. d. XVIII. ceſſ. Ep. d. V.
Gelaſius an. IV. m. VIII. d. IX. ceſſ. Ep. d. VII.
Anaſtaſius an. I. m. XI. d. XVIII. ceſſ. Ep. d. IV.
Symmachus an. XV. m. VIII. d. XXVIII. ceſſ. Ep. d. VII.

* Hormiſda. *

Joannes an. II. m. VIII. d XVI.
Felix IV. an. III. m. II. d. XIII. ceſſ. Ep. m II.
Bonifacius II. an. II. d. X. ceſſ. Ep. m. II. d. XV.
Joannes II. an. II. m. IV. d. VI. ceſſ. Ep. d. VI.
Agapitus m. X.
Silverius m. IX. ceſſ. Ep. d. XVIII.
Vigilius an. XVII. m. VI. d. XXV. ceſſ. Ep. m. III. d. V.
Pelagius an. IV. m. X. d. XVIII. ceſſ. Ep. m. III. d. XXI.
Joannes III. an. XII. m. XI. d. XXVI. ceſſ. Ep. m. X. d. III.
Benedictus an. IV. m. II. d. X. ceſſ. Ep. m. X. d. X.
Pelagius II. an. X. m. II. d. X. ceſſ. Ep. m. VI.
Gregorius an. XIII. m. VI. d. X. ceſſ. Ep. m. V. d. XIX.
Sabinianus an. I. m. V. d. XXX. ceſſ. Ep. m. XI. d. XXV.
Bonifacius III. an. VI. m. VIII. d. X. ceſſ. Ep. m. VIII. d. VI.
Bonifacius IV. an. VI. m. VIII. d. XIII. ceſſ. Ep. m. VI. d. V.
Deusdedit an. III. d. X. ceſſ. Ep. an. I. d. VI.
Bonifacius V. an. V. m. X. ceſſ. Ep. d. XIII.
Honorius an. XIII. m. XI. d. XVII. ceſſ. Ep. an. I. m. IX. d. VIII.
Severinus an. II. d. II. ceſſ Ep. m. IV. d. XXIV.
Joannes IV. an. . . . m. IX. d. XVIII. ceſſ. Ep. m. I. d XIV.
Theodorus an. VI. m. V. d. XXVI. ceſſ. Ep. d. LII.
Martinus an. VI. m. I. d. XXVI.
Eugenius an. II. m. IX. d. XXIV. ceſſ. Ep. m. I. d. XXVI.
Vitalianus an. XIV. m. VI. ceſſ. Ep. m. II. d. XIII.
Adeodatus an. IV. m. II. d. V. ceſſ. Ep. m. IV. d. XV.
Donus an. I. m. V. d. X. ceſſ. Ep. m. II.
Agatho an. II. m. VI. d. XIV. ceſſ. Ep. an. I. m. VII. d. V.
Leo II. m. X. d. XVII. ceſſ. Ep. m. X. d. XII.
Benedictus II. an. X. d. XII. ceſſ. Ep. m. II. d. XV.
Joannes V. an. I. d. VIII. ceſſ. Ep. m. II. XVIII.
Conon m. XI. ceſſ. Ep. m. II. d. XXIII.
Sergius an. XIII. m. VIII. d. XXIV. ceſſ. Ep. d. L.
Joannes VI. an. III. d. XXII. ceſſ. Ep. m. I. d. XVIII.
Joannes VII. an. II. m. VIII. d. XXII. ceſſ. Ep. m. III.
Siſinnius d. XX. ceſſ. Ep. m. I. d. XVIII.
Gregorius II. an. XV. m. VIII. ceſſ. Ep. d. XXIV.
Conſtantinus an. VII. d. XV.
Gregorius III. an. X. m. IX. d. XXIII.
Zacharias an. X.
Stephanus II. an. V. d. XXIX. ceſſ. Ep. d. XXXV.
Paulus an. X. m. I. ceſſ. Ep. an. I. m. I.
Stephanus III. an. III. m. V. d. XI. ceſſ. Ep. d. IX.

Ha-

Hadrianus an. XXIV. m. X. d. XVII.
Leo III. an. XX. m. V. d. XX. ceſſ. Ep. d. X.
Stephanus IV. m. VII. ceſſ. Ep. d. X.
* Paſchalis I.
*
Eugenius an. IV.
Valentinus d. XL.
Gregorius IV. an. XVI. ceſſ. Ep. d. XV.
Sergius II. an. III. ceſſ. Ep. m. II. d. XV.
Leo IV. an. IX. m. III. d. VI. ceſſ. Ep. m. II. d. XV.
Benedictus III. an. II. m. VI. d. IX. ceſſ. Ep. d. XV.
Nicolaus an. VII. m. IX. d. XIII. ceſſ. Ep. m. VII. d. XIX.
Hadrianus II. an. IV. m. II. d. XV.
Joannes VIII. an. X. d. II.
Marinus an. I. m. V.
Hadrianus III. an. I. m. IV.
Stephanus V. an. IV. m. VII. d. XIV.
Formoſus an. IV. m. VII. d. XIII.
Bonifacius VI. an. . . . d. XV.
Stephanus VI. an. I. m. I. d. XVIII.
Romanus an. IV. d. XIX.
Theodorus d. XXVI.
Joannes IX. an. I.
Benedictus IV. an. IV. m. VI. d. XIV.
Leo V. m. I. d. XXVI.
Chriſtophorus m. VII.
Sergius III. an. VII. m. III. d. XXIII.
Anaſtaſius III. . . . .
Lando m. IV. d. XXVI.
Joannes X. an. XIV. m. II. d. XIII.
Leo VI. an. VII. d. XV.
Stephanus VII. an. II. m. I. d. XV.
Joannes XI. an. IV. m. X.
Leo VII. an. III. m. VI.
Stephanus VIII. an. III. m. IV.
Martinus II. an. III. m. VI.
Agapitus II. an. IX. m. VII. d. XXVIII.
Joannes XII. an. VIII. m. IV.
Benedictus V. an. II. d. X.
Leo VIII. an. I. m. III.
Joannes XIII. an. VI. m. XI. d. V.
Benedictus VI. m. II. d. II.
Donus an. I. m. V.
Bonifacius VII. an. I. d. VII.
Benedictus VII. an. IX.
Joannes XIV. m. VIII.
Joannes XV. m. X.
Joannes XVI. an. X.
Gregorius V. an. II. m. VI.
Joannes XVII. m. X.
Silveſter II. an. IV. m. V. d. XII.
Anno Ch. DCCCC. XCIX. Joannes XVIII. m. V.
Joannes XIX. m. VI.
Sergius IV. an. II. m. IX. d. XII.
Benedictus VIII. an. XI. m. XI. d. XX.
Joannes XX. an. VII. m. VI.
Benedictus IX. an. XII. m. IV. d. XX.
Silveſter III. d. LVI.
Gregorius VI. an. II. m. VI.
Clemens II. m. IV. d. XVII.
Damaſus II. d. XXIV. ceſſ. Ep. m. VI.
Anno Ch. MXLIX. Leo IX. an. V. m. II. d. V.
Victor II. an. II. m. III. d. XXVI.
Stephanus IX. m. VII. d. XXIX.
Benedictus X. m. II. d. XXII.
Nicolaus II. an. II. m. VI. d. I. ceſſ. Ep. m. II. d. IX.
Alexander II. An. II. m. VI. d. XV.
Gregorius VII. an. XII. m. I. d. XII. ceſſ. Ep. m. II.
Victor III. m. IV. d. VII. ceſſ. Ep. m. V. d. XXV.
Urbanus II. an. XI. m. V. d. XVIII. ceſſ. Ep. d. XXV.
Paſchalis an. XVIII. m. V. d. IX.
Gelaſius II. an. I. d. V.
Callixtus II. an. V. m. X. d. XII.
Honorius II. an. VI.
Innocentius II. an. XII.
Celeſtinus II. m. V. Anno Ch. MCXLIII.
Lucius an. I.
Eugenius III. an. VIII.
Anaſtaſius IV. an. II.
Hadrianus III. an. V.
Alexander III. an. XXII.
Lucius III.
Urbanus III.
Gregorius VIII.
Clemens III.
Celeſtinus III.

Scriptus itaque Catalogus iſte anno circiter MCXCI. quo Celeſtinus ſedit.

CATALOGUS SEPTIMUS

Ex MS. ejuſdem Biblioth.

Num. 3000.

PEtrus Apoſtolus tenuit cathedram Sacerdotalem in Antiochia an. VII. demum venit Romam, ibique Papa fuit an. XXV. m. II. d. VII. Dominicæ Incarnat. an. XIVI.
Linus cœpit ſedere an. Dn. LXXI. Sed. an. XI. m. III. d. XIII.
Cletus an. XI. m. I. d. XI. ceſſ. Ep. d. XX.
Clemens an. IX. m. II. d. X. ceſſ. Epiſc. d. XIII.
Anacletus an. IX. m. II. d. X. ceſſ. Ep. d. XIII. cœpit an. Dn. C.
Evariſtus cœpit an. Dn. CXI. Sed. an. X. m. VII. ceſſ. Ep. d. IV.
Alexander cœpit an. Dn. CXXI. Sed. an. VIII. m. V. d. II. ceſſ. Ep. d. XXV.
Sixtus cœpit an. Dn. CXXIX. Sed. an. XI. m. IV. d. XXII. Ceſſ. Ep. d. IX.
* *Teleſphorus.
Hyginus cœpit an. Dn. CL. Sed. an. III. m. III. d. VIII. ceſſ. Ep. d. III.
Anicetus cœpit an. Dn. CLIII. Sed. an. IX. m. III. d. IV. ceſſ. Ep. d. XVIII.
Pius cœpit an. Dn. CLX. Sed. an XI. m. III. d. XXI. ceſſ. Ep. d. XI.
Soter cœpit an. Dn. CLXXV. Sed. an. IX. m. III. d. XI.
Eleutherus cœpit an. D. CLXXXIV. Sed. an. XV. m. VI. d. V. ceſſ. Ep. d. VI.
Victor cœpit an. Dn. CXCVIIII. Sed. an. X. m. II. ceſſ. Ep. d. XII.
Zephyrinus cœpit an. Dn. CCIX. Sed. an. IX. m. VI. d. X. ceſſ. Ep. d. VI.
Callixtus cœpit an. CCXVIII. Sed. an. X. m. II. d. II. ceſſ. Ep. d. VII.
Urbanus cœpit an. Dn. CCXXXIII. Sed. an. IX. m. XI. d. XII.
Pontianus cœpit an. Dn. CCXXXIII. Sed. an. V. m. II. d. II.
Anterus cœpit an. Dn. CCXXXVII. Sed. m. I. d. XV.
Fabianus cœpit an. Dn. CCXXXVIII. Sed. an. XIV. m. XI. d. XI. ceſſ. Ep. d. VII.
Cornelius cœpit an. D. CCLII. Sed. an. III. m. X. d. X.
Lucius cœpit an. Dn. CCLV. Sed. an. III. m. III. d. III. ceſſ. Ep. d. XXXII.
* * Stephanus I.
Sixtus cœpit an. Dn. CCLVII. Sed. an. II. m. XI. d. VIII.
* * Dionyſius.
Felix I. cœpit an. Dn. CCLXV. Sed. an. II. m. X. d. XXII.
Eutychianus cœpit an. Dn. CCLXVIII. Sed. an. IX. m. X. d. IV. ceſſ. Ep. d. VIII.
Cajus cœpit an. Dn. CCLXXVIII. Sed. an. XI. m. IV. d. VIII. ceſſ. Ep. d. XI.

Mar-

Digitized by Google

Marcellinus cœpit an. Dn. CCLXXXVIII. Sed. an. XVI. m. II. d. XXV. ceſſ. Ep. an. VI. m. I. d. XXV.

Marcellus cœpit an. Dn. CCCIV. Sed. an. VI. d. XXII. ceſſ. Ep. d. XXV.

Euſebius cœpit an Dn. CCCX. Sed. an. II. m. II. d. XXV. ceſſ. Ep. d. XVI.

Melchiades cœpit an. Dn. CCCXII. Sed. an. III. m. VIII. ceſſ. Ep. d. XXVI.

Silveſter cœpit an. Dn. CCCXVI. Sed. an. XXIV. m. X. d. XI. ceſſ. Ep. d. XVI.

Marcus cœpit an. Dn. CCCXL. Sed. an. II. m. VIII. d. XX.

Julius cœpit an. Dn. CCCXLIII. Sed. an. XI. m. II. d. VII.

Felix II. cœpit an. Dn. CCCLXIII. Sed. an. II.

Liberius cœpit an. Dn. CCCLXV. Sed. an. V.

Liberius cœpit an. Dn. CCCLIII. Sed. an. X. m. VII.

Damaſus cœpit an. Dn. CCCLXX. Sed. an. XVIII. m. II. d. X. ceſſ. Ep. d. XXXI.

Siricius cœpit an. Dn. CCCLXXXVIII. Sed. an. XV. m. IX. d. XXV. ceſſ. Ep. d. XX.

Anaſtaſius cœpit an. Dn. CDV. Sed. an. II. d. XXVI. ceſſ. Ep. d. XXI.

Innocentius cœpit an. Dn. CDXVI. Sed. an. XV. m. II. d. XX. ceſſ. Ep. d. XXII.

Zoſimus cœpit an. Dn. CDXXII. Sed. an. I. m. VIII. d. XXV. ceſſ. Ep. d. XX.

Bonifacius cœpit an. Dn. CDXXIII. Sed. an. III. m. VIII. d. XIII. ceſſ. Ep. d. X.

Cœleſtinus cœpit an. Dn. CDXXVI. Sed an. VII. m. I. d. IX.

** Sixtus III.*

*

Leo cœpit an. Dn. CDXLIV. Sed. ann. XXI. m. I. d. XXV. ceſſ Ep. d. VII.

Hilarus cœpit an. Dn. CDLXV. Sed. an. VI. m. IV d. X. ceſſ. Ep. d X.

Simplicius cœpit an. Dn. CDLXXI. Sed. an.... m. I. d. VI. ceſſ Ep. d. II.

Felix III. cœpit an. Dn. CCCCLXXXVI. Sed. an. VIII. m. XI. d. XVII. ceſſ. Ep. d. V.

Gelaſius cœpit an. Dn. CDXCIV. Sed. an. IV. m IX. d. XXVIII.

Anaſtaſius II. cœpit an. Dn. CDXCVIII. Sed. an. I. m. XI d. XXIV ceſſ. Ep. d. IV.

Symmachus cœpit an. Dn. D. Sed. an. XV. m. VII. d. XVI. ceſſ. Ep. d. VII.

Hormiſda cœpit an. Dn DXVI. Sed. an. IX. d. XVII. ceſſ. Ep. d. XVIII.

Felix IV. cœpit an. Dn. DXXVII Sed. an. IV. m. II. d. XIV. ceſſ Ep m. I. d. XV.

Joannes cœpit an. Dn. DXXV. Sed. an. II. m. IX. ceſſ Ep. d. XVII.

Bonifacius cœpit an. Dn. DXXXIII. Sed. an. II. ceſſ. Ep. d. VII.

Joannes II. cœpit an. Dn. DXXXVI. Sed. an. I. m. V. ceſſ. Ep. d. XVIII.

** Agapetus I.*

*

Silverius cœpit an. Dn. DXL. Sed. an. XVIII. m. VI.

Vigilius cœpit an. Dn. DXL. Sed. an. XVIII. m. VI. d. XXVI. ceſſ. Ep. an. m. IV. d. V.

Pelagius cœpit an. Dn. DLVIII. Sed. an. IV. m. XI. d. XIX. ceſſ. Ep. m. X. d. IV.

** Joannes III.*

*

Benedictus cœpit an. Dn. DLXXX. Sed an. XII. m. II. d. X. ceſſ. Ep. m. III. d. XXV.

** Pelagius II.*

*

Gregorius cœpit an. Dn. DXCII. Sed. an. XIV. m. VI. d. X. ceſſ. Ep. m. V. d. XVI.

Sabinianus cœpit an. Dn. DCV. Sed. an. III. m. V. d. IX.

Bonifacius III. cœpit an. Dn. DCVIII. Sed. an. VIII. m. II. d. XIX.

Bonifacius IV. cœpit an. Dn. DCXVI. Sed. an. VI. m. . . . . d. IV. ceſſ. Ep. m. VIII. d. XXV.

** Deuſdedit Bonifacius V.*

*

Honorius cœpit an. Dn. DCXXXI. Sed an. XI. m. XI. d XXVIII. ceſſ Ep. m. VII. d. XVIII.

Severinus cœpit an. Dn. DCXLIII. Sed. m. IV. d. XXVIII.

Joannes IV. cœpit an. Dn. DCXLV. Sed. an. I. m. VIII. d. XIX. ceſſ. Ep. m. I. d. XIV.

Theodorus cœpit an Dn. DCXLVI. Sed. an. VI. m. V. d. VIII. ceſſ. Ep. d. III.

Martinus cœpit an. Dn. DCLII. Sed. an. VI. m. I. d. XXVII. ceſſ. Ep. m. I. d. XXII.

** Eugenius*

*

Vitalianus cœpit an. Dn. DCLXXVI. Sed. an. XIV.

** Adeodatus.*

*

Donus cœpit an. Dn. DCLXXVIII. Sed. an. I. m. V. d. X. ceſſ. Ep. m. II. d. XV.

Agatho cœpit an. Dn. DCLXXIX. Sed. an. II. m. IV. d. III. ceſſ. Ep. an. I. m. VII. d. V.

Leo II. cœpit an. Dn. DCLXXXI. Sed. an. I. d XVII.

Benedictus II. cœpit an. Dn. DCLXXXII. Sed. an. II. m. XII. d. XII. ceſſ. Ep. m. II. d. XXII.

Joannes V. cœpit an. Dn. DCLXXXVII. Sed. an. I. d. IX.

Conon cœpit an. Dn. DCLXXXVII. Sed. an. I. m. XI.

Sergius cœpit an. Dn. DCLXXXVIII. Sed. an. XVI. m. VIII. d. XXIV. ceſſ. Ep. m. I. d. XX.

Joannes VI. cœpit an. Dn. DCCI. Sed. an. III. m. II. d. XIV. ceſſ. Ep. m. I. d. XVIII.

Joannes VII. cœpit an. Dn. DCCIV. Sed. an. II. m. VII. d. XVI. ceſſ. Ep. m. IV.

Siſinnius cœpit an. Dn. DCCVII. Sed. an. I. d. II.

Conſtantinus cœpit an. Dn. DCCVIII. Sedit an. V. d. XV. ceſſ. Ep. d. XI.

Gregorius II. cœpit an. Dn. DCCXV. Sed. an. XVI. m. VIII. d. XXII. ceſſ Ep. d. XXV.

Gregorius III. cœpit an. Dn. DCCXXXI. Sed. an. X. m. VIII. d. XXIV. ceſſ. Ep. d. XXV.

Zacharias cœpit an. Dn. DCCXLII. Sed an. X. m. III. d. XV. ceſſ. Ep. d. XIII.

Stephanus II. cœpit an. Dn. DCCLII. Sed. an. V. d. XXXVIII. ceſſ. Ep. m. I. d. V.

Paulus cœpit an. Dn. DCCLVII. Sed. an. X. m. I. ceſſ. Ep. an. I. m. I.

Conſtantinus II. cœpit an. Dn. DCCLXVIII. Sed. an I. m. I.

Stephanus III. cœpit an. Dn. DCCLXIX. Sed. an. III. m. V. d. XVIII. ceſſ. Ep. d. III.

Hadrianus cœpit an. Dn. DCCLXXII. Sed. an. XXIII. m. X. d. XVIII. ceſſ. Ep. d. III.

Leo III. cœpit an. Dn. DCCXCVI. Sed. an. XX. m. V. ceſſ. Ep. d. III.

Stephanus IV. cœpit an. Dn. DCCCXVI. Sed. an. I. m. VIII. ceſſ. Ep. d. III.

Paſchalis cœpit an. Dn. DCCCXVII. Sed. an. VII. d. XVII. ceſſ Ep. m. III.

Eugenius cœpit an. Dn. DCCCXXIV. Sed. an. IV. m. VII. d. XXVIII.

Valentinus cœpit an. Dn. DCCCXXVIII. Sed. an XVI. ceſſ. Ep. m. II d. XXVI.

Gregorius IV. cœpit an. Dn. DCCCXXIX. Sed. an. XVI. ceſſ Ep. m. I. d. XXV.

Sergius II. cœpit an. Dn. DCCCXLV. Sed. an. III. m. III. d. XV. ceſſ. Ep. m. II. d. XV.

** Leo IV.*

*

Benedictus III. cœpit an. Dn. DCCCLVI. Sed. an. II. m VII. d. X. ceſſ. Ep. d XV.

Paulus II. cœpit an. Dn. DCCCLVII. Sed. an. III. m III. ceſſ. Ep. an. I.

Stephanus V. cœpit an. Dn. DCCCLXI. Sed. an. III. m. V. d. XVII. ceſſ. Ep. d. VIII.

Nicolaus I. cœpit an. Dn. DCCCLXIV. Sed. an. IX. m. II. d. XX. ceſſ. Ep. d. VIII.

Hadrianus II. cœpit an. Dn. DCCCLXXIII. Sed. an. V.

Joannes VIII. cœpit an. Dn. DCCCLXXVIII. Sed. an. V. d. V.

Ma-

Marinus cœpit an. Dn. DCCCLXXXIII. Sed. an. I. m. V. d. . . . . .
Hadrianus III. cœpit an. Dn. DCCCLXXXIV. Sed. an. I. m. III.
Bonifacius V. cœpit an. Dn. DCCCLXXXVII. Sed. d. XV.
* *Formoſus*
Stephanus VII. cœpit an. Dn. DCCCXCVI. Sed. an. I. m. III.
Romanus cœpit an. Dn. DCCCXCVII. Sed. m. III. d. XXIII.
Theodorus II. cœpit an. Dn. DCCCXCVIII. Sed. d. XX.
Joannes IX. cœpit an. Dn. DCCCXCVIII. Sed. an. II. d. XXI.
Benedictus IV. cœpit an. Dn. DCCCC. Sed. an. III. m. II.
Leo V. cœpit an. Dn. DCCCCIII. Sed. m. VII. d. XL.
Chriſtophorus cœpit an. Dn. DCCCCIII. Sed. m. VII.
Sergius cœpit an. Dn. DCCCCIV. Sed. an. III. m. III. d. XVI.
Anaſtaſius III. cœpit an. Dn. DCCCCXII. Sed. an. III.
Lando cœpit an. Dn. DCCCCXIV. Sed an. VI. ceſſ. ep. d. XXV.
Joannes X. cœpit an Dn. DCCCCXX. Sed an. VIII. m. II.
Leo VI. cœpit an. Dn. DCCCCXXVIII. Sed. an. III. m. III. d. XII.
Stephanus VIII. cœpit an. Dn. DCCCCXXXVI. Sed. an. IV. m. II. d. XII.
Joannes XI. cœpit an. Dn. DCCCCXXXI. Sed. an. IV. m. X.
Leo VII. cœpit an. Dn. DCCCCXXXVI. Sed. an. III. m. IV. d. XII.
Stephanus IX. cœpit an. Dn. DCCCCXXXIX. Sed. an. III. m. III. d. XV.
Martinus II. cœpit an. Dn. DCCCCXLII. Sed. an. III. m. VIII. d. XIV.
Agapitus II. cœpit an. Dn. DCCCCXLVI. Sed. an. X. m. VI. d. XV.
Joannes XII. cœpit an. Dn. DCCCCLVI. Sed. an. VI.
Benedictus V. cœpit an. Dn. DCCCCXLIII. Sed. m. II. d. V.
Leo VIII. cœpit an. Dn. DCCCCLXIII. Sed an. I. m. I.
Joannes XIII. cœpit an. Dn DCCCCLXIV. Sed. an. VII. m. XI.
Benedictus VII. cœpit an. Dn. DCCCCLXVII. Sed. an. I. m. VI.
Donus II. cœpit an. Dn. DCCCCLXXIII. Sed. an. I. m. VI.
Bonifacius VI. cœpit an. Dn. DCCCCLXXVI. Sed. m. I.
Benedictus VII. cœpit an. Dn. DCCCCLXXV. Sed. an. IX. m. V.
Joannes XIV. cœpit an. Dn. DCCCCLXXXIII. Sed. m. IX.
Joannes XV. cœpit an. Dn. DCCCCLXXXV. Sed. m. IV.
Joannes XVI. cœpit an. Dn. DCCCCLXXXVI. Sed. an. X. m. VII. d. X.
Gregorius V. cœpit an. Dn. DCCCCXCVI. Sed. an. . . . .
Joannes XVII. cœpit an. Dn. DCCCCLXXXVIII. Sed. m. V.
Silveſter II. cœpit an. Dn. M. Sed. an. IV. m. I. d. III.
Joannes XVIII. cœpit an. Dn. MIIII. Sed. an. V. m. V. d. XXV.
Joannes XIX. cœpit an. Dn. MV. Sed. an. V.
Sergius IV. cœpit an. Dn. MV. Sed. an. V.
Benedictus IX. cœpit an. Dn. MXII. Sed. an. XII.
Joannes XX. cœpit ann. D. MXXIV. Sed. an. X. m. VIII.
Benedictus X. cœpit an. Dn. MXXXIII. Sed an. III.
Silveſter III. cœpit an. Dn. MXL. Sed. m. VIII.
Gregorius VI. cœpit an. Dn. MXLVII. Sed. an. II. m. VI.
Clemens II. cœpit an. Dn. MXLIX. Sed. m. IX. d. . . . .
Damaſus cœpit an. Dn. ML. Sed. d. XXVI.
Leo IX. cœpit an. Dn. ML. Sed. an. V. m. II. d. VI.
Victor II. cœpit an. Dn. MLV. Sed. an. II. m. II. d. XIII.
Stephanus X. cœpit an. Dn. MLVII. Sed. m. III. d. XIII.
Benedictus X. cœpit an. Dn. MLVIII. Sed. m. IX.
Nicolaus II. cœpit an. Dn. MLVIII. Sed. an. II. m. VI. d. XXIX.
Alexander II. cœpit an. Dn. MLXII.
Gregorius VII. cœpit an. Dn. MLXXIII. Sed. an. XI. m. I. d. III.
Victor III. cœpit an. Dn. MLXXXVI. Sed. an. III. m. IV. d. VI.
Urbanus II. cœpit an. Dn. MLXXXIX. Sed. an. XI. m. V. d. XXV.
Paſchalis II. cœpit an. Dn. MC. Sed. an. XVIII. m. V. d. VIII.
Gelaſius II. cœpit an. Dn. MCXIX. Sedit an. V. d. V.
Calliſtus II. cœpit an. Dn. MCXIX. Sed. an. V. m. III. d. XXVIII.
Honorius II. cœpit an. Dn. MCXXIII. Sed. an. V. m II. d. XXVIII.
Innocens II. cœpit an. Dn. MCXXX. Sed. an. XIII. m. VI. d. VIII.
Cæleſtinus II. cœpit an. Dn. MCXLIII. Sed. m. V. d. XIV.
Lucius II. cœpit an. Dn. MCXLIII. Sed. an. II. d. XII.
Eugenius III. cœpit an Dn. MCXLV. Sed. an. I. m. IV. d. XXIII.
* *Anaſtaſius II.*
Hadrianus IV. cœpit an. Dn. MCLIV. Sed. an. VI.
Alexander III. cœpit an. Dn. MCLX. Sed. an. XXIV.
Lucius III. cœpit an. Dn. MCLXXXIV. Sed an. III. m. . . . . . .
Urbanus III. cœpit an. Dn. MCLXXXVI. Sed. an. I. m. . . . d. . . .
Gregorius VIII. cœpit an. Dn. MCLXXXVI. Sed. m. VIII.
* *Clemens III.*
Cæleſtinus III. cœpit an. Dn. MCXC.
Innocentius III. cœpit an. Dn. MCXCVIII.
Honorius III. cœpit an. Dn. MCCXVI. Sed. an. X. m. VIII.
Gregorius IX. cœpit. an. Dn. MCCXXVI. Sed. an. XV.
Cæleſtinus IV. cœpit an. Dn. MCCXL. Sed. . . . XIII. d. . . . .
Innocentius IV. cœpit an. Dn. MCCXLIII. Hic depoſuit Fredericum apud Lugdunum Galliæ convocato ibi Concilio anno Domini MCCXLV.

CATALOGUS OCTAVUS.

Extat in Bibliotheca Regia codex MS. Anaſtaſii num. cum continuatione Pontificum Rom. uſque ad Martinum V. valde ſuccincta, ex qua durationem Sedis Pontificum, & interpontificia, quæ ibidem notantur, deſcribenda cenſui.

HAdrianus an. V. m. X. d. XII. *Anno Ch. DCCC. LXVII.*
Joannes an. X. d. II.
Martinus II. an. I. m. V. ceſſ. Ep. d. II.

Ha-

Digitized by Google

Hadrianus an. I. m. II.
Stephanus V. an. VI. d. IX. ceſſ. Ep. d. V.
Formoſus an. V. m. VI. ceſſ. Ep. d. II.
Bonifacius VI. d. XVI.
Stephanus VI. an. I. m. III.
Romanus m. III. d. XXII.
Theodorus II. d. XX.
Joannes IX. an. II. d. XV.
Benedictus IV. an. III. m. II. ceſſ. Ep. d. VI.
Leo V. d. XL.
Chriſtophorus m. VII.
Sergius III. an. VII. m. IV. d. XVI. ceſſ. Ep. d. IV.
Anaſtaſius III. an. II. ceſſ. Ep. d. II.
Lando m. VI. d. XXI.
Joannes X. an. XIII. m. II. d. III.
Leo VI. m. VII. d. XV. ceſſ. Ep. d. X.
Stephanus VII. an. II. m. I. d. XII. ceſſ. Ep. d. II.
Joannes XI. an. IV. m. X. d. XV. ceſſ. Ep. d. I.
Leo VII. cœpit anno Domini DCCCCXXXVI. ſed. an. III. m. IV. d. XII. ceſſ. Ep. m. I.
Stephanus VIII. an. III. m. IV. d. V. ceſſ. Ep. d. X.
Martinus III. an. III. m. VI. d. X. ceſſ. Ep. d. X.
Agapitus II. an. VIII. m. VII. d. X. ceſſ. Ep. d. XII.
Joannes XII. an. XI. m. III.
Benedictus V. an. I. m. VI. d. V. ceſſ. Ep. d. XX.
Leo VIII. an. I. m. IV. d. V.
Benedictus VI. an. I. m. VI. ceſſ. Ep. d. X.
Donus an. I. ceſſ. Ep. d. II.
Joannes XIII. an. VI. m. XI. d. V.
Bonifacius VII. m. V. d. XII. ceſſ. Ep. d. XX.
Benedictus VII. an. XII. m. VI. ceſſ. Ep. d. V.
Joannes XIV. m. VIII.
Joannes XV. an. X. m. VII.
Joannes XVI. an. X. m. IX. d. VII. ceſſ. Ep. d. VI.
Gregorius V. an. XII. m. VI. ceſſ. Ep. d. XV.
Joannes XVII. m. X. ceſſ. Ep. d. XX.
Silveſter II. an. IV. m. . . . . . d. VIII. ceſſ. Ep. d. XXXIII.
Joannes XVIII. m. V. d. XXV. ceſſ. Ep. d. XIX.
Joannes XIX. an. XV. ceſſ. Ep. d. XIX.
Benedictus VIII. an. XI. m. XI. d. XXI. ceſſ. Ep. ann. I.
Joannes XX. an. XI. ceſſ. Ep. d. II.
Benedictus IX. an. XIII.
Silveſter III. cœpit anno Domini MXLVI. ſed. d. LVI.
Sergius IV. an. XII. m. VII. ceſſ. Ep. d. VIII.
Gregorius VI. an. XII. m. VII.
Clemens II. m. IX. ceſſ. Ep. d. XX.
Damaſus II. d. XXIII. ceſſ. Ep. d. XI.
Leo IX. an. V. m. II. d. VI. ad Urbem rediens Chriſti confeſſor XIII. Kal. Martias migravit ad Chriſtum.
Victor II. an. II. m. III. ceſſ. Ep. d. III.
Stephanus m. VII. d. XXIX.
Benedictus X. m. IX. d. XX.
Nicolaus II. an. II. m. VI. d. XXV. ceſſ. Ep. d. XX.
Alexander, qui Anſelmus an. XI. m. VI. d. XXII. ceſſ. Ep. d. III.
Gregorius VII. an. XII. m. I. d. III.
Victor m. IV. d. VII.
Urbanus an. XII. m. IV. d. XIX. III. Kal. Auguſti animam Deo reddidit.
Paſchalis an. X. m. VI. d. VII. ceſſ. Ep. d. III.
Gelaſius an. I. d. V. ceſſ. Ep. d. XV.
Callixtus an. V.
Honorius an. V. m. II.
Innocentius II. an. XIV. m. VII. d. VIII. ceſſ. Ep. d. II.
Cœleſtinus II. m. V. d. XIII.
Lucius II. m. XI. d. IV.
Eugenius III. an. V. m. IV. d. XX. ceſſ. Ep. d. II.
Anaſtaſius IV. an. II. m. IV. d. XXIII. ceſſ. Ep. d. XX.
Hadrianus IV.
Alexander III. an. XXI. d. XIX.
Lucius III. an. IV. m. II. d. XVIII. ceſſ. Ep. d. XIII.
Urbanus III. an. I. m. X. d. XXV.
Gregorius VIII. m. I. d. XXVIII. ceſſ. Ep. d. XX.
Clemens III. an. III. d. V.
Cœleſtinus III. conſecratus die Reſurrectionis ſedit an. VI. m. XI. d. VII.
Innocentius III. conſecratus in feſto cathedræ Sancti Petri ſedit an. XVIII. m. VII. d. XVI.
Honorius III. an. X. m. VII. d. XIII.
Gregorius IX. electus die nona menſis Martii ſedit an. XIV. m. V.
Cœleſtinus IV. d. XVIII. ceſſ. Ep. m. XXIII. d. XIV.
Innocentius IV. an. XII. m. VI. d. XII.
Alexander IV. an. VII. ceſſ. Ep. m. III. d. IV.

CATALOGUS NONUS

In Bibliotheca Colbertina aſſervatur codex MS. Anaſtaſii num. 417. in cujus fronte habetur Catalogus Romanorum Pontificum a S. Petro ad Silveſtrum II. qui ſedere cœpit circa annum DCCCCXCIX. ex quo durationem Sedis ultimorum Pontificum, quia minus notam, ſolum deſcripſi.

Nicolaus an. IX. m. IX. d. XIII. *Anno Ch. DCCC. LVIII.*
Hadrianus an. IV. m. XI. d. X.
Joannes an. IX. d. II.
Marinus an. I. m. V.
Hadrianus an. I. m. IV.
Stephanus an. VI.
Formoſus an. V. m. VI.
Bonifacius d. XV.
Stephanus an. I. m. III.
Romanus m. IV.
Theodorus d. XX.
Joannes an. II.
Benedictus an. I. m. V.
Leo d. LXVII.
Chriſtophorus m. IV.
Sergius an. VII. m. III. d. VI.
Leo m. VIII.
Stephanus ann. II. m. I. d. XII.
Joannes an. IV.
Leo an. III. m. VI. d. X.
Stephanus an. IV. m. III. d. XV.
Marinus an. III. m. VI. d. XIII.
Agapitus an. X. m. VII. d. X.
Tum ad Pontificatum Zachariæ exſcriptor continuat illum Catalogum in margine Anaſtaſii.
Joannes filius Alberici an. IX. m. III.
Leo an. I.
Benedictus d. LX.
Joannes an. VI. m. X.
Benedictus an. I. m. VI.
Benedictus an. XX. m. VIII.
Joannes m. VI.
Bonifacius invaſor an. I.
Joannes civis Romanus an. I.
Gregorius an. III.
Silveſter, qui & Gerbertus vocabatur.

CATALOGUS DECIMUS

Ex codice Thuaneo, eoque antiquo

Num. 1655.

DAmaſus ſedit an. XIV. m. III. d. XI.
Siricius ann. XII.
Anaſtaſius ann. IV. d. XXIV.
Innocentius ann. XII. m. II. d. XXII.
Zoſimus ann. VII. m. IV. d. XXIV.
Bonifacius an. IV. d. VI.
Celeſtinus an. IX. m. X. d. XV.
Sixtus an. VIII. d. XIX.
Leo an. XXI. m. I. d. XIII.
Hilarus an. VI. m. III. d. X.
Simplicius ann. XV. m. I. d. IV.
Felix ann. IV. m. XI. d. XIV.
Gelaſius natione Afer ann. IV. m. VIII.
Anaſtaſius ann. I. m. XI. d. XIV. ceſſavit dies VI.
Symmachus an. XII. m. VI. d. XXIV. ceſſavit dies III.
Hormiſda an. IX. d. XVII. ceſſavit dies III.
Joannes an. II. m. VII. d. XII.
Felix ann. IV. m. II. d. XIII.
Bonifacius ann. II. d. XXVI. ceſſavit Epiſc. m. II. d. XII.
Joannes ann. II. m. VII. ceſſavit dies VI.
Agapitus ann. XI. d. XVIII. ceſſavit d. XXVIII.
Silverius ſedit an. I. m. II. d. XI.
Vigilius ſedit ann. XIV. m. VI. d. XXVI. ceſſavit m. III. d. V.
Pelagius ſedit ann. IV. m. X. d. XVIII. ceſſavit m. II. d. XXV.
Joannes ann. XII. m. II. d. XXVII. ceſſavit m. X. d. XIII.
Benedictus an. IV. m. I. d. XXVIII. ceſſavit m. III. d. X.
Pelagius ann. X. m. II. d. X. ceſſavit m. VI. d. XXV.
Gregorius an. XIII. m. V. d. X. ceſſavit m. V. d. XVIIII.
Sabinianus ſedit an. I. m. VI. d. XVIII. ceſſavit m. VI. d. XXV.
Bonifacius m. VIII. d. XXII. ceſſavit m. X. d. VI.
Bonifacius ann. VI. m. VIII. d. XIII. ceſſavit m. VI. d. XXII.
Deusdedit ann. III. d. XX. ceſſavit d. XIII.
Honorius ann. XII. m. II. d. XIV. ceſſavit m. VII. d. XVIII.
Severinus m. II. d. II. ceſſavit m. IV. d. XIX.
Joannes ſedit ann. I. m. IX. d. XIX. ceſſavit m. I. d. XIII.
Theodorus ann. VI. m. V. d. VIII. ceſſavit d. LII.
Martinus ann. VI. m. I. d. XXV.
Euſebius ann. II. m. IX. d. XXIV. ceſſavit m. I. d. XXVI.
Vitalianus ann. XIV. m. V. ceſſavit m. II. d. XIII.
Adeodatus ann. IV. m. II. d. II. ceſſavit m. IV. d. XII.
Donus ann. I. m. V. d. X. ceſſavit m. II. d. XI.
Agatho ann. II. m. III. d. XIV. ceſſavit an. I. m. VII. d. V.
Leo m. X. d. XIV. ceſſavit m. XI. d. XXII.
Benedictus m. X. d. XII. ceſſavit m. II. d. XII.
Joannes ann. I. d. IX. ceſſavit m. II. d. XVIII.
Conon . . . . . . ceſſavit Epiſc. m. II. d. XXII.
Sergius ann. XIII. m. IX. d. XXIII.
Joannes ann. III. m. II. d. XII. ceſſavit m. I. d. XVIII.
Joannes ann. II. m. VII. ceſſavit m. III.
Siſinnius ſedit d. XX. ceſſavit m. I. d. XXVIII.
Conſtantinus ann. VII. d. XII. ceſſavit d. XL.
Gregorius ſedit ann. XVI. m. VII. d. XXIV. ceſſavit dies XXXII. vel XXXV. *non potuit legi.*
Gregorius ann. X. m. X. d. VIII. ceſſavit d. XI.
Zacharias ann. X. m. III. d. XIV. ceſſavit d. XII.
Stephanus ann. II. m. I. d. XXII. ceſſavit d. L.
Paulus ann. XI. in anno XI. Pippino Rege indict. XIV.
Conſtantinus ſedit ann. I.
Stephanus ſedit ann. III. m. V. d. XXVII.
Adrianus ſedit ann. XXIV m. XI.

SERIES

SERIES VETERUM ROMANORUM PONTIFICUM

Per Honorium Auguſtodunenſem.

Quorum amplius XXX Priores Martyrio ſunt coronati.

PEtrus Galilæus, ſedit annis viginti quinque, menſes duos, dies tres. Cœpit Chriſti anno XLIV.

Linus Etruſcus, annis duodecim, menſes tres, dies duodecim.

Cletus, annis duodecim, menſem unum, dies undecim. Negant alii Papam fuiſſe.

Clemens Romanus, annis novem, menſes duos, dies decem. S. Petri fuit diſcipulus, Pauli auditor. Hinc Protonotarii cœperunt.

Anacletus Græcus Athenienſis, annis novem, menſes duos, dies decem.

Evariſtus Bethlemius, Syrus, annis novem, menſes decem, dies duos.

Alexander Romanus, annos XII. (aliis ſeptem) menſes ſeptem, dies duos.

Sixtus Romanus, annis decem, menſes duos, dies undecim.

Teleſphorus annis decem, menſes tres.

Hyginus Athenienſis annos quatuor, menſes quatuor, dies quatuor.

Pius annos novem decim, menſes ſex, dies viginti unum.

Anicetus Syrus, annos undecim, aliis novem, menſes quatuor, dies ſex.

Soter annos novem, menſes ſex, dies viginti unum.

Eleutherius annos quindecim, menſes tres, dies duos.

Victor annos undecim, menſes duos, dies duos.

Zepherinus Romanus annos novem, aliis XX. menſes ſex, dies decem.

Caliſtus annos ſex, menſes duos, dies decem.

Urbanus Romanus annos quatuor, menſes tres, dies duodecim.

Pontianus Romanus annos novem, menſes quinque, dies quinque.

Antheros Græcus annos undecim, menſem unum, dies duodecim.

Fabianus Romanus, annos tredecim, menſes undecim, dies undecim.

Cornelius Romanus annos duos, menſes duos, dies tres.

Lucius Romanus annos tres, menſes tres, dies tres.

Stephanus Romanus annos ſeptem, menſes ſex.

Sixtus II. Athenienſis annum unum, menſem unum, dies decem.

Dionyſius annos ſex; menſes duos, dies quatuor.

Felix Romanus annos quatuor, menſes quatuor, dies quindecim.

Eutychianus annum unum, menſem unum, diem unum.

Gajus Salonenſis annos undecim, menſes quatuor, dies duodecim.

Marcellinus Romanus annos quatuor, menſes quatuor, dies ſedecim.

Marcellus Romanus annos quinque, menſes ſeptem, dies viginti unum.

Euſebius Græcus annos ſex, menſem unum, dies tres.

Melchiades Afer annos quatuor.

Sylveſter Romanus annos viginti tres, menſes decem, dies decem.

Marcus Romanus annos duos, menſes octo, dies viginti.

Julius Roman. annos duodecim, menſes duos, dies ſeptem.

Liberius Rom. annos ſex, menſes tres, dies quatuor.

* Felix annum unum, menſes ſeptem, dies undecim.

Damaſus Hiſpanus annos octodecim, menſes ſex, dies decem.

Syricius Rom. annos quindecim.

Anaſtaſius Rom. annos quindecim.

Innocentius Albanus annos quindecim, menſes, undecim, dies viginti unum.

Sozimus Cappadox annos tres; menſes tres, dies undecim.

Bonifacius Rom. annos ſex, menſes octo, dies ſeptem.

Celeſtinus Rom. annos quatuor, menſes decem dies quatuordecim.

Sixtus III. Rom. annos ſeptem, dies octodecim.

Leo Magnus Rom. annos viginti unum, menſem unum, dies tredecim.

Hilarius Sardus annos ſex, menſes tres, dies decem.

Simplicius Tiburtinus annos quindecim, menſem unum, dies ſeptem.

Felix II. Rom. annos octo, menſes undecim, dies ſeptemdecim.

Gelaſius Afer annos quatuor, menſes octo, dies octodecim.

Anaſtaſius II. Rom. annum unum, menſes undecim, dies viginti duo.

Symmachus Sardus annos quindecim, menſes ſeptem, dies viginti ſex.

Hormiſda Campanus annos octo, dies octodeſim.

Joannes Etruſcus annos duos, menſes octo, dies quindecim.

Felix III. Beneventanus annos ſeptem, menſes quinque, dies quindecim.

Bonifacius II. Rom. annos duos, dies viginti ſex.

Joannes II. Rom. annos duos, dies quinque.

Agapitus menſes undecim, dies novemdecim.

Silverius Fruſinas annum unum, menſes quinque, dies undecim.

Vigilius Rom. annos ſeptem decim, menſes ſex.

Pelagius Rom. annos duodecim, menſes decem, dies viginti octo.

Joannes III. Rom. annos duodecim, menſes undecim, dies viginti ſex.

Benedictus Rom. annos quatuor, menſem unum, dies viginti octo.

Pelagius II. Rom. annos decem, menſes duos, dies decem.

S. Gregorius Magnus Rom. annos tredecim, menſes ſex, dies decem. Cœpit an. Chriſti DXC.

Sabinianus Tuſcus annum unum, menſes quinque, dies novem.

Bonifacius III. Rom. annos quinque, menſes decem.

Bonifacius IV. Marſus.

Deus-dedit Rom.

B^niſacius V. Neapolitanus.
Honorius Campanus annos duodecim, menſes decem, dies ſeptemdecim.
Severinus Rom. menſes duos, dies quatnor.
Joannes IV. Dalmata annum unum, menſes novem, dies novemdecim.
Theodorus Hieroſolymita annos ſex, menſes decem, dies oćtodecim.
S. Martinus Tudertinus, Etruſcus annos ſex, menſem unum, dies viginti ſex.
Vitalianus Signinus, Latinus, annos quatuordecim, menſes ſex.
Adeodatus Rom. annos quatuor, menſes quinque, dies quinque.
Domnus, aliss Domnio Rom. annum unum, menſes quinque, dies decem.
Agatho Siculus, Monachus, annos duos, menſes ſen, dies oćto.
S. Leo Junior ſeu ſecundus, Siculus, menſes decem, dies ſeptemdecim.
Benedićtus II. Rom. menſes decem, dies quindecim.
Joannes V. Antiochenus, Syrus, annum unum dies novem.
Conon Thrax menſes undecim.
Sergius Syrus Panormitanus, annos tredecim, menſes oćto, dies viginti quatuor.
Joannes VI. Græcus annos ſex, menſes quinque, dies Septemdecim.
Joannes VII. Græcus annos duos menſes ſex, dies quindecim.
Syſinius Syrus dies trigints.
Conſtantinus Syrus annos ſeptem, dies quindecim.
Gregorius II. Rom. annos ſedecim, menſes novem, dies undecim.
Gregorius III. Syrus annis decem, menſes oćto dies viginti quinque.
Zacharias Græcus Monachus annos decem, menſes quatuor, dies quatuordecim.
Stephanus II. Rom. & Stephanus III. annos quinque, dies viginti oćto.
Paulus Romanes, annum unom.
Stephanus Quartus Siculus Monachus, annos quatuor.
Adrianus Rom. annos viginti quinque, menſes decem, dies quatuordecim.
Leo III. Rom. annos viginti, menſes quinque, dies ſedecim.
Stephanus V. Rom. menſes ſeptem.
Paſchalis Rom. annos ſeptem, dies ſeptemdecim.
Eugenius II. ſeu junior, snnos quatuor, menſes ſeptem, dies viginti duos.
Valentinus Rom. dies quadraginta.
Gregorius Quartus Rom. ſeptemdecim annos.
Sergius junior Rom. tres annos.
Leo Quartus Rom. annos oćto, menſes tres, dies ſex.
Benedićtus III. Rom. annos duos, menſes ſex, dies ſex.
Nicolaus Rom. annos novem, menſes ſex, dies triginta.
Adrianus junior, ſeu ſecundus annos quinque.
Joannes VIII. annos decem, dies duos.
Martinus II. vel Marinus Phaliſcos, annum unum, menſes quinque.
Adrianos III. Rom. annum unum, menſes quatuor.
Stephanus VI. Rom. annos quinque.
Formoſus Portuenſis, annos quinque, menſes ſex.
Boniſacius VI. Rom. dies quindecim.
Stephanus VII. Rom. annis quinque, menſes tres.
Romanus Phaliſcus menſes quatuor.
Theodorus II. Rom. dies viginti.
Joannes IX. Tiburtinus Monachus annos duos
Benedićtus III. Rom. annum unum, menſes quinque.
Leo V. dies ſexagints ſeptem.
Chriſtophorus Rom. menſes quatuor.
Sergius III. annos ſeptem, menſes tres, dies ſedecim.
Anaſtaſios III. annos duos.
Lsndo Sabinus menſes ſex, dies trigints quinque.
Joannes X. Ravennas annos quatuordecim, menſes duos, dies tres.
Leo VI. menſes ſeptem.
Stephanus VIII. annos duos, menſem unum, dies duodecim.
Joannes XI. annos quatuor.
Leo VII. Rom. annos tres, menſes ſex, dies decem.
Stephanus IX. Rom. annos quatuor, menſes tres, dies quindecim.
Marinus junior, aliis III. Rom. annos tres, menſes ſex, dies duodecim.
Agapitus junior Rom. annos decem, menſes ſeptem, dies decem.
Joannes XII. annos novem, menſes tres.
Leo VIII. snnum unum.
Joannes XIII. annos ſex, menſes decem.
Benedićtus V. Rom. dies ſexaginta.
Boniſacius VII. Rom. snno uno.
Benedićtus VI. ex Comitibus Tuſculanis annos decem, menſes oćto, dies viginti novem.
Joannes XIV. Papienſis annum unum.
Petrus Joannes decimus quintus & decimus ſextus annum unum.
Gregorius Quintus Saxo, Germanus ſedit annos tres.
Silveſter II. qui & Gerbertus, Floriacenſis Monachus.
Joannes, Joannes, Sergius, Benedićtus, Joannes XVII. Nicolsus, Gregorius VI. Leo IX. Vićtor II. Stephanus X. Alexander II. Gregorius VII. Urbanus II. Paſchalis II. Gelaſius II. Calixtus II. Honorius II. Innocentius, II. qui fuit Pontifex ordine 165. Chriſti anno 1130.

F I N I S.

KALEN-

KALENDARIUM
ROMANUM

QUia in legendis Annalibus non raro Kalendarium conſulendum, ut ſcire poſſimus, quem in menſis diem, Feſtum aliquod, præſertim mobile, ut vocant, v. c. Aſcenſionis Chriſti inciderit, & cum qua feria dies, qua res aliqua narratur geſta, concurrerit, ad majorem Lectoris commoditatem viſum hic Kalendarium Romanum exhibere, ſacro-profanum a me concinnatum alias editurus.

JANUARIUS, Græcis AUDYNÆUS,

A	Kal.	1	Circumciſio Domini.
B	iv	2	Octava Sancti Stephani.
C	iij	3	Octava S. Joannis Apoſt.
D	Prid.	4	Octava SS. Innocentium.
E	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ cum Commem. S. Teleſphori Papæ & Martyris.
F	viij	6	Epiphania Domini.
G	vij	7	De Octava Epiphaniæ.
A	vj	8	De Octava.
B	v	9	De Octava.
C	iv	10	De Octava.
D	iij	11	De Octava, & Commem. Sancti Hygini Papæ & Martyris.
E	Prid.	12	De Octava.
F	Idib.	13	Octava Epiphaniæ.
G	xix	14	Hilarii Epiſcop. & Confeſſ. cum Commem. Sancti Felicis Presbyteri & Martyris.
A	xviij	15	Pauli primi Eremitæ, cum Commem. S. Mauri Abbatis.
B	xvij	16	Marcelli Papæ & Martyris.
C	xvj	17	Antonii Abbatis.
D	xv	18	Cathedra Sancti Petri Romæ, & Commemorat. Sanctæ Priſcæ Virginis & Martyris.
E	xiv	19	Marii Marthæ, Audifacis & Abachum.
F	xiij	20	Fabiani & Sebaſtiani Martyrum.
G	xij	21	Agnetis Virginis & Martyris.
A	xj	22	Vincentii & Anaſtaſii Mart.
B	x	23	Emerentianæ Virginis & Martyris. *Initium Peritii, quinti Syro-Macedonum; & Dyſtri, quinti Macedonum menſis.*
C	ix	24	Timothei Epiſcopi & Martyris.
D	viij	25	Converſio Sancti Pauli Apoſtoli.
E	vij	26	Polycarpi Epiſcopi & Martyris. *Initium ſexti menſe Ægyptiaci Mechir ſeu Amſchir.*
F	vj	27	Joannis Chryſoſtomi Epiſcopi & Confeſſ.
G	v	28	Agnetis ſecundæ.
A	iv	29	
B	iij	30	Martinæ Virginis & Mart.
C	Prid.	31	

FEBRUARIUS, Græcis PERITIUS.

D	Kal.	1	Ignatii Epiſcopi & Martyris.
E	iv	2	Purificatio B. Mariæ Virginis.
F	iii	3	Blaſii Epiſcopi & Martyris.
G	Prid.	4	
A	Non.	5	Agathæ Virginis & Martyris.
B	viij	6	Dorotheæ Virginis & Martyris.
C	vij	7	Romualdi Abbatis.
D	vj	8	
E	v	9	Apolloniæ Virginis & Martyris.
F	iv	10	
G	iij	11	
A	Prid.	12	
B	Idib.	13	
C	xvj	14	Valentini Presbyteri & Martyris.
D	xv	15	Fauſtini & Jovitæ Martyrum.
E	xiv	16	
F	xiij	17	
G	xi	18	Simeonis Epiſcopi & Martyris.
A	xij	19	
B	x	20	
C	ix	21	

Cathe-

D	viij	22	Cathedra S. Petri Antiochiæ. *Initium Dyſtri, ſexti Syro-Macedonum; & Xanthici, ſexti Macedonum menſis.*
E	vij	23	Vigilia.
F	vj	24	Matthiæ Apoſtoli.
G	v	25	*Initium ſeptimi menſis Ægyptiaci Phamenoth,* ſeu *Barmahat.*
A	iv	26	
B	iij	27	
C	Prid.	28	

In anno Biſſextili Februarius eſt dierum 29. & Feſtum S. Matthiæ celebratur 25. Februarii, & bis dicitur, *Sexto Kalendas*, id eſt, die 25. & die 24. & litera Dominicalis quæ aſſumta fuit in menſe Januario, mutatus in præcedentem: ut ſi in Januario litera Dominicalis fuit A, mutatur in præcedentem, quæ eſt G, & litera F bis ſervit.

MARTIUS, Græcis DYSTRUS.

D	Kal.	1	
E	vj	2	
F	v	3	
G	iv	4	Caſimiri Conſeſſ. & Commemorat. S. Lucii Papæ & Martyris.
A	iij	5	
B	Prid.	6	
C	Non.	7	Thomæ de Aquino Conſeſſ. & Doctor. & Commemorat. SS. Perpetuæ & Felicitatis Martyrum.
D	viij	8	
E	vij	9	Franciſcæ Viduæ.
F	vj	10	Quadraginta Martyrum.
G	v	11	
A	iv	12	Gregorii Papæ & Conſeſſ. & Eccleſiæ Doctoris.
B	iij	13	
C	Prid.	14	
D	Idib.	15	
E	xvij	16	
F	xvj	17	Patricii Epiſcopi & Conſeſſoris.
G	xv	18	
A	xiv	19	Joſeph Conſeſſoris.
B	xiij	20	Joachimi Conſeſſoris.
C	xij	21	Benedicti Abbatis.
D	xj	22	
E	x	23	
F	ix	24	
G	viij	25	Annuntiatio B. Mariæ Virginis. *Initium Xanthici, ſeptimi Syro-Macedonum; & Artemiſii, ſeptimi Macedonum menſis.*
A	vij	26	
B	vj	27	*Initium octavi menſis Ægyptiaci Pharmuti,* ſeu *Barmuda.*
C	v	28	
D	iv	29	
E	iij	30	
F	Prid.	31	

APRILIS, Græcis XANTHICUS.

G	Kal.	1	
A	iv	2	Franciſci de Paula Conſeſſoris.
B	iij	3	
C	Prid.	4	
D	Non.	5	
E	viij	6	
F	vij	7	
G	vj	8	
A	v	9	
B	iv	10	
C	iij	11	Leonis Papæ & Conſeſſoris.
D	Prid.	12	
E	Idib.	13	Hermenigildi Martyris.
F	xviij	14	Tiburtii, Valeriani & Maximi Martyrum.
G	xvij	15	
A	xvj	16	
B	xv	17	Aniceti Papæ & Martyris.
C	xiv	18	
D	xiij	19	
E	xij	20	
F	xj	21	
G	x	22	Soteris & Caii Pontificum & Martyrum.
A	ix	23	Georgii Martyris.
B	viij	24	Marci Evangeliſtæ.
C	vij	25	Cleti & Marcellini Pontificum & Mart. *Initium Artemiſii, octavi Syri-Macedonum; & Daſii, octavi Macedonum menſis.*
D	vj	26	*Initium noni menſis Ægyptiaci Pachon, ſeu Baſchnes.*
E	v	27	
F	iv	28	Vitalis Martyris.

Petri

G	iij	19	Petri Martyris.
A	Prid.	30	Catharinæ Senenſis Virginis.

MAIUS, Græcis ARTEMISIUS.

B	Kal.	1	Philippi & Jacobi Apoſtolorum.
C	vj	2	Athanaſii Epiſcopi & Confeſſoris.
D	v	3	Inventio Sanctæ Crucis, & Commemoratio SS. Alexandri, Eventii & Theoduli Martyrum, ac Juvenalis Epiſcopi & Confeſſoris.
E	iv	4	Monicæ Viduæ.
F	iij	5	
G	Prid.	6	Joannis ante Portam Latinam.
A	Non.	7	Stanislai Epiſcopi & Martyris.
B	viij	8	Apparitio S. Michaelis Archangeli.
C	vij	9	Gregorii Nazianzeni Epiſcopi & Confeſſoris.
D	vj	10	Gordiani & Epimachi Martyrum.
E	v	11	
F	iv	12	Nerei, Achillei & Domitillæ Virginis, atque Pancratii Martyrum.
G	iij	13	
A	Prid.	14	Bonifacii Martyris.
B	Idib.	15	
C	xvij	16	Ubaldi Epiſcopi & Confeſſoris.
D	xvj	17	
E	xv	18	
F	xiv	19	Pudentianæ Virginis.
G	xiij	20	Bernardini Confeſſoris.
A	xij	21	
B	xj	22	
C	x	23	
D	ix	24	
E	viij	25	Urbani Papæ & Martyris. *Initium Daſii, novi Syro-Macedonum; & Panemi, novi Macedonum menſis.*
F	vij	26	Philippi Nerii Confeſſoris, cum Commemoratione S. Eleutherii Papæ & Martyris. *Initium decimi menſis Ægyptiaci Payni ſeu Beuna.*
G	vj	27	Joannis Papæ & Martyris.
A	v	28	
B	iv	29	
C	iij	30	Felicis Papæ & Martyris.
D	Prid.	31	Petronillæ Virginis.

JUNIUS, Græcis DÆSIUS.

E	Kal.	1	
F	iv	2	Marcellini, Petri atque Eraſmi Martyrum.
G	iij	3	
A	Prid.	4	
B	Non.	5	
C	viij	6	Norberti Epiſcopi & Confeſſoris.
D	vij	7	
E	vj	8	
F	v	9	Primi & Feliciani Martyrum.
G	iv	10	
A	iij	11	Barnabæ Apoſtoli.
B	Prid.	12	Baſilidis, Cyrini, Naboris & Nazarii Martyrum.
C	Idib.	13	Antonii de Padua Confeſſoris.
D	xviij	14	Baſilii Magni Epiſcopi & Confeſſoris.
E	xvij	15	Viti, Modeſti atque Creſcentiæ Martyrum.
F	xvj	16	
G	xv	17	
A	xiv	18	Marci & Marcelliani Martyrum.
B	xiij	19	Gervaſii & Protaſii Martyrum.
C	xij	20	Silverii Papæ & Martyris.
D	xj	21	
E	x	22	Paulini Epiſcopi & Confeſſoris.
F	ix	23	Vigilia.
G	viij	24	Nativitas S. Joannis Baptiſtæ.
A	vij	25	De Octava Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ. *Initium undecimi menſis Ægyptiaci Epiphi, ſeu Abib. Initium Panemi, decimi Syro-macedonum; & Loi decimi Macedonum menſis.*
B	vj	26	Joannis & Pauli Martyrum.
C	v	27	De Octava.
D	iv	28	Leonis Papæ & Confeſſoris. Vigilia.
E	iij	29	Petri & Pauli Apoſtolorum.
F	Prid.	30	Commemoratio Sancti Pauli Apoſtoli.

JULIUS, Græcis PANEMUS.

G	Kal.	1	Octava S. Joannis Baptiſtæ.
A	vj	2	Viſitatio B. Mariæ Virginis.
B	v	3	De Octava Apoſtolorum.
C	iv	4	De Octava.
D	iij	5	De Octava.

Octa-

E	Prid.	6	Octava Apoſtolorum Petri & Pauli.
F	Non.	7	
G	viij	8	
A	vij	9	
B	vj	10	Septem Fratrum & SS. Rufinæ ac Secundæ Martyrum.
C	v	11	Pii Papæ & Martyris.
D	iv	12	Naboris & Felicis Martyrum.
E	iij	13	Anacleti Papæ & Martyris.
F	Prid.	14	Bonaventuræ Epiſcopi & Confeſſoris, & Doct.
G	Idib.	15	
A	xvij	16	
B	xvj	17	Alexii Confeſſoris.
C	xv	18	Symphoroſæ cum ſeptem filiis Martyribus.
D	xiv	19	
E	xiij	20	Margaritæ Virginis & Martyris.
F	xij	21	Praxedis Virginis.
G	xj	22	Mariæ Magdalenæ.
A	x	23	Apollinaris Epiſcopi & Martyris.
B	ix	24	Sanctæ Chriſtinæ Virginis & Martyris. Vigilia.
C	viij	25	Jacobi Apoſtoli. *Initium duodecimi menſis Ægyptiaci Meſori ſeu Muſre, Initium Loi, undecimi Syro-macedonum, & Gorpiæi, undecimi Macedonum menſis.*
D	vij	26	Annæ Matris B. Mariæ.
E	vj	27	Pantaleonis Martyris.
F	v	28	Nazarii, Celſi, & Victoris Papæ & Martyris, & Innocentii Papæ & Confeſſoris.
G	iv	29	Marthæ Virginis, & Commem. SS. Felicis Papæ, Simplicii, Fauſtini & Beatricis Mart.
A	iij	30	Abdon & Sennen Martyrum.
B	Prid.	31	Ignatii Confeſſoris.

AUGUSTUS, Græcis LOUS.

C	Kal.	1	Petri ad vincula.
D	iv	2	Stephani Papæ & Martyris.
E	iij	3	Inventio Sancti Stephani Protomartyris.
F	Prid.	4	Dominici Confeſſoris.
G	Non.	5	Dedicatio S. Mariæ ad Nives.
A	viij	6	Transfiguratio Domini.
B	vij	7	Donati Epiſcopi & Martyris.
C	vj	8	Cyriaci, Largi, & Smaragdi Martyrum.
D	v	9	R·mani Martyris. Vigilia.
E	iv	10	Laurentii Martyris.
F	iij	11	Tiburtii & Suſannæ Martyrum.
G	Prid.	12	Claræ Virginis.
A	Idib.	13	Hippolyti & Caſſiani Martyrum.
B	xix	14	Euſebii Confeſſoris. Vigilia.
C	xviij	15	Aſſumptio B. Mariæ Virginis.
D	xvij	16	Hyacinti Confeſſoris.
E	xvj	17	Octava S. Laurentii.
F	xv	18	Agapiti Martyris.
G	xiv	19	De Octava Aſſumptionis.
A	xiij	20	Bernardi Abbatis.
B	xij	21	De Octava aſſumptionis.
C	xj	22	Octava B. Mariæ Commem. SS. Timothei, Hippolyti & Symphoriani Mart.
D	x	23	Vigilia.
E	ix	24	Bartholomæi Apoſtoli.
F	viij	25	Ludovici B·gis Franciæ Confeſſoris. *Initium Gorpiæi, duodecimi Syro-Macedonum; & Hyperberetæi, duodecimi Macedonum menſis.*
G	vij	26	Zephirini Papæ & Martyris.
A	vj	27	
B	v	28	Auguſtini Epiſcopi, Confeſſoris & Eccleſiæ Doctoris.
C	iv	29	Decollatio S. Joannis Baptiſtæ. *Initium primi menſis Ægyptiaci Thot.*
D	iij	30	Felicis & Adaucti Martyrum.
E	Prid.	31	

SEPTEMBER, Græcis GORPIÆUS.

F	Kal.	1	Ægidii Abbatis.
G	iv	2	
A	iij	3	
B	Prid.	4	
C	Non.	5	
D	viij	6	
E	vij	7	
F	vj	8	Nativitas B. Mariæ Virginis.
G	v	9	Gorgonii Martyris.
A	iv	10	Nicolai de Tolentino Confeſſoris.
B	iij	11	Proti & Hyacinthi Martyrum.
C	Prid.	12	De Octava Nativitatis B. Mariæ.
D	Idib.	13	De Octava.
E	xviij	14	Exaltatio S. Crucis.

V'ico-

Digitized by Google

F	xvij	15	Nicomedis Martyris.
G	xvj	16	Cornelii & Cypriani Pontif. & Mart.
A	xv	17	Impreſſio Sacrorum Stigmatum in Corpore B. Franciſci.
B	xiv	18	Thomæ de Villanova Confeſſoris.
C	xiij	19	Januarii Epiſcopi & Sociorum Martyrum.
D	xij	20	Euſtachii & Sociorum Martyrum.
E	xj	21	Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ.
F	x	22	Mauritii & Sociorum Martyrum.
G	ix	23	Lini Papæ & Martyris.
A	viij	24	*Initium Hyperberetæi, primi Syro-Macedonum; & Dii primi Macedonum menſis.*
B	vij	25	
C	vj	26	Cypriani & Juſtinæ Martyrum.
D	v	27	Coſmæ & Damiani Martyrum.
E	iv	28	*Initium ſecundi menſis Ægyptiaci Paophi ſeu Baba.*
F	iij	29	Dedicatio S. Michaelis Archangeli.
G	Prid.	30	Hieronymi presbyteri, Confeſſoris & Eccleſiæ Doctoris.

OCTOBER, Græcis HYPERBERETÆUS.

A	Kal.	1	Remigii Epiſcopi & Confeſſoris.
B	vj	2	
C	v	3	
D	iv	4	Franciſci Confeſſoris.
E	iij	5	Placidi & Sociorum Martyrum.
F	Prid.	6	Brunonis Confeſſoris.
G	Non.	7	Marci Papæ & Confeſſoris.
A	viij	8	Birgittæ Viduæ.
B	vij	9	Dionyſii, Ruſtici & Eleutheri Martyrum.
C	vj	10	
D	v	11	
E	iv	12	
F	iij	13	
G	Prid.	14	Calliſti Papæ & Martyris.
A	Idib.	15	Tereſiæ Virginis.
B	xvij	16	
C	xvj	17	
D	xv	18	Lucæ Evangeliſtæ.
E	xiv	19	
F	xiij	20	
G	xij	21	Hilarionis Abbatis, & Commem. SS. Urſulæ & Sociarum Virginum & Mart.
A	xj	22	
B	x	23	
C	ix	24	*Initium Dii, ſecundi Syro-macedonum; & Appellæi, ſecundi Macedonum menſis.*
D	viij	25	Chryſanthi & Dariæ Martyrum.
E	vij	26	Evariſti Papæ & Martyris.
F	vj	27	Vigilia.
G	v	28	Simonis & Judæ Apoſtolorum. *Initium tertii menſis Ægyptiaci Athyr, ſeu Athur*
A	iv	29	
B	iij	30	
C	Prid.	31	Vigilia.

NOVEMBER, Græcis DIUS.

D	Kal.	1	Feſtum omnium Sanctorum.
E	iv	2	Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum.
F	iij	3	De Octava.
G	Prid.	4	Caroli Epiſc. & Confeſſ. & Commem. SS. Vitalis & Agricolæ Mart.
A	Non.	5	De Octava.
B	viij	6	De Octava.
C	vij	7	De Octava.
D	vj	8	Octava omnium SS. & Commem. SS. quatuor Coronatorum Martyrum.
E	v	9	Dedicatio Baſilicæ Salvatoris, & Commem. S. Theodori Martyris.
F	iv	10	Thriphonis, Reſpicii & Nymphæ Martyrum.
G	iij	11	Martini Epiſc. & Confeſſ. & Commem. S. Mennæ Martyris.
A	Prid.	12	Martini Papæ & Martyris.
B	Idib.	13	
C	xviij	14	
D	xvij	15	
E	xvj	16	
F	xv	17	Gregorii Thaumaturgi Epiſcopi & Confeſſoris.
G	xiv	18	Dedicatio Baſilicarum Petri & Pauli.
A	xiij	19	Pontiani Papæ & Martyris.
B	xij	20	
C	xj	21	Præſentatio B. Mariæ Virginis.
D	x	22	Cæciliæ Virginis & Martyris.
E	ix	23	Clementis Papæ & Martyris cum Commem. S. Felicitatis Martyris. *Initium Appellæi, tertii Syro-Macedonum; & Audinæi, tertii Macedonum menſis.*
F	viij	24	Chryſogoni Martyris.
G	vij	25	Catharinæ Virginis & Martyris.
A	vj	26	Petri Alexandrini Epiſcopi & Martyris.
B	v	27	*Initium quarti menſis Ægyptiaci Choæc, ſeu Chiac.*

C	iv	28	
D	iij	29	Vigilia, & Commem. S. Saturnini Martyris.
E	Prid.	30	Andreæ Apoſtoli.

DECEMBER, Græcis APPELLÆUS.

F	Kal.	1	
G	iv	2	Bibianæ Virginis & Martyris. Franciſci Xaverii Confeſſoris.
A	iij	3	
B	Prid.	4	Barbaræ Virginis & Martyris.
C	Non.	5	Sabbæ Abbatis.
D	viij	6	Nicolai Epiſcopi & Confeſſoris.
E	vij	7	Ambroſii Epiſcopi, Confeſſoris & Eccleſiæ Doctoris.
F	vj	8	Conceptio B. M. Virginis.
G	v	9	
A	iv	10	Melchiadis Papæ & Martyris.
B	iij	11	Damaſi Papæ & Confeſſoris.
C	Prid.	12	
D	Idib.	13	Luciæ Virginis & Martyris.
E	xix	14	
F	xviij	15	Euſebii Vercellenſis Epiſcopi & Mart.
G	xvij	16	
A	xvj	17	
B	xv	18	
C	xiv	19	
D	xiij	20	Vigilia
E	xij	21	Thomæ Apoſtoli.
F	xj	22	
G	x	23	
A	ix	24	Vigilia. *Initium Audynai, quarti Syro-Macedonum & Peritii quarti Macedonum menſis.*
B	viij	25	Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti.
C	vij	26	Stephani Protomartyris.
D	vj	27	Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ. *Initium quinti menſis Ægyptiaci Tybi ſeu Tuba.*
E	v	28	SS. Innocentium Martyrum.
F	iv	29	Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi & Martyris.
G	iij	30	
A	Prid.	31	Silveſtri Papæ & Confeſſoris.

F I N I S.

APPARA-

Digitized by Google

APPARATUS
CHRONOLOGICUS
AD
ANNALES ECCLESIASTICOS
BARONIANUM
ILLUSTRANS ET SUPPLENS:

I. *Hiſtoria Veteris Teſtamenti compendium neceſſarium.*

CUM una ſit ab initio mundi Chriſti Eccleſia, quæ cum mundo orta, floruit, apud homines juſtos, qui Legis naturæ ac Legis ſcriptæ tempore vixere; rerum ante Chriſtum natum geſtarum compendioſa narratio præmittenda, ut quæ poſtea contigere, melius intelligi poſſint. Hoc Euſebius, qui primus Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcripſit, nos docuit initio libri 1. ubi ipſum Jeſu Chriſtique nomen olim notum cultumque a Divinis Prophetis fuiſſe, per aliquot capita oſtendit; & poſtea quo Cæſaris Auguſti anno Chriſtus in mundum venit, explicat. Certe alicujus compendii Hiſtoriæ Veteris Teſtamenti defectu, prioris ſeculi Chriſtiani Hiſtoria non poteſt non eſſe obſcura; ideoque & in ipſo aditu Lectorem non repellere. Præterquam quod Periodus Græco-Romana, qua univerſa Chriſtiana Chronologia regitur, poſtulat, ut illa in aliquo brevi Chronico a mundi primordio deducto exhibeatur. Hoc pacto Apparatus Annalibus a Baronio præfixus majori claritate ſupplebitur & illuſtrabitur.

II. *Supputationem textus Hebraici Recentiores præferunt.*

Annorum ab Orbe condito ad Chriſtum natum, ſeu Eram Chriſtianam, numerus incertus: ideoque & variæ ea de re Chronologorum opiniones; præſertim cum numeri annorum vitæ Patriarcharum primæ & ſecundæ mundi ætatis aliter tradantur in LXX. Interpretum Codicibus, ac in Hebraicis & Latinis Vulgatæ Editionis, tantaque in ſummis annorum utriuſque textus ab initio mundi ad Abrahæ ortum exoriatur diverſitas; ut quæ ex textu LXX. Interpretum colligitur, eam, quæ ex Hebraico reſultat, mille quadringentis ſexaginta ſex annis ſuperet. *Cum ergo*, inquit Torniellus in Annalibus Sacris anno mundi 131. num. V. *diſcrepantia hæc tam grandis ſit, ut conciliari nullo modo poſſe videatur; reſtat neceſſario ſupponi debere, alterum ipſorum textuum eſſe mendoſum, & ratio dictat, non fortuito, ſed dedita opera fuiſſe corruptum.* Quomodo autem acciderit hæc corruptela, in quo textu, qua de cauſa, & quonam auctore, incertum eſt. Exiſtimat tamen ibidem Torniellus, Græcum textum LXX. Interpretum depravatum eſſe; quam opinionem recentiores Chronologi, qui poſt Scaligerum floruere, uno ferme conſenſu amplexi ſunt.

III. *Supputationem LXX. Interpretum Antiqui prætulere.*

Nuper tamen Vir clariſſimus *Yvo Paulus Pezron*, ex ſtrictiori Obſervantia Ordinis Ciſtercienſis, Doctor Pariſienſis in antiqua Hiſtoria tam ſacra quam profana apprime eruditus, librum lingua Gallica ſcriptum in lucem emiſit, cui titulus *Antiquitas temporum reſtituta*, in quo autumat, ad veram mundi durationem reperiendam, LXX. Interpretum Verſionem ſequendam, deſerendumque textum, Hebraicum, tanquam a Judæis, qui poſt expugnata Hieroſolyma vixere, corruptum. Nam qui eos præceſſerant, duo tanquam certa poſuerant: primum, Legem per duo annorum millia duraturam, ſecundum, Meſſiam in ſexto mundi millenario venturum. Cumque primi Chriſtiani Chriſtum circa ſexti millenarii finem apparuiſſe demonſtrarent, Judæoſque urgerent, ut eum tanquam verum Meſſiam agnoſcerent; hi ut illius argumenti vim eluderent, Scripturam Sacram corrupere, & e Patriarcharum vita mille & quingentos circiter annos reſecarunt; quod Julianus Archiepiſcopus Toletanus, Gregorius Abulpharagus & Georgius Syncellus eiſdem exprobrarunt. Addit Vir doctiſſimus, illam textus Hebraici corruptionem probari teſtimonio Hebræorum & Gentilium, qui ante cladem Hieroſolymitanam ſcripſere. Hi enim communi conſenſu ſex millia circiter annorum ante Meſſiæ adventum numerarunt. Hanc ſententiam Baronius tam in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem XXV. Decembris quam in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos, prætulit, quod ea inter antiquos Scriptores Chriſtianos communis alias fuerit.

Baron. in Apparatu n. cxix. & Spondan. ibidem n. xxxvi.

IV. *Tam qui textum Hebraicum, quam qui LXX. Interpretum ſequuntur, inter ſe diſcordes.*

Verum alterutri textui adhæreas, certum annorum mundi numerum ante Incarnationem numquam reperies. Nam Scaliger in Euſebianis Animadverſionibus a conditu rerum ad natalem Eræ communis, annos numerat 3949. eamque annorum deſcriptionem adeo certam firmamque autumat, ut cæterorum rationes futiles & inanes conjecturas eſſe affirmet. Petavius lib. 9. de Doct. Temp. cap. 6. annos ab Orbe condito ad Eram Dionyſianam fluxiſſe credit 3983. Uſſerius in Annalibus veteris Teſtamenti, ante Kalendas Januarias anni Juliani quadrageſimi ſexti, a quibus Eræ Chriſtianæ exordium dedu-

ci debet, annos 4003. menſes duos & dies aliquot decurriſſe arbitratus. Alii in alias ſententias abiere. Sed non magis convenit inter eos, qui in annorum mundi ſupputatione, Hebraicis fontibus poſthabitis, LXX. Interpretum numeros ſecuti ſunt, ut liquet ex variis Æris mundanis a Chriſtianis Orientalibus uſurpatis, de quibus in Diſſert. de Periodo Græco-Romana, a nobis actum.

V. *Sequitur Auctor textum Hebraicum.* In hac controverſia, ab ea opinione non diſcedam, quæ veram ætatis primorum Patriarcharum ſupputationem ex Hebraicis Codicibus petendam cenſet; præſertim cum Periodus Græco-Romana, cujus uſum in hoc Opere demonſtrandum ſuſcepi, eandem ſupponat. Et quia breviſſimam tantum antiquæ Hiſtoriæ ſynopſim traditurus ſum, ſequar opinionem Uſſerii, egregii noſtræ ætatis Chronographi; non ſolum quia Periodum Julianam, ad noſtram facile reducendam, adhibet; ſed etiam, quia ex ejus Annalibus Veteris Teſtamenti Lector mutuari poterit quæ hic deſiderantur.

VI. *Reſponſio ad Patres, qui LXX. Interpret. ſecuti ſunt.* Contexit quidem Baronius locis ſupra laudatis Catalogum antiquorum Patrum, qui ſecundum LXX. Interpretes annos ab origine mundi uſque ad ortum Chriſti numerare conſueverunt; additque, *profiteri & Romanam Eccleſiam in ſuo Martyrologio ſe annos ſupputare ſecundum eoſdem Interpretes*. Sed ad horum prius Pererii & Bonfrerii; ad poſterius Malvendæ & Joannis *Deſpieres* reſponſa opponit Uſſerius in priori parte Chronologiæ Sacræ cap. 2. *Non me fugit*, inquit Pererius in Geneſ. lib. 7. num. 210. *pleroſque Veterum tam Græcorum, quam Latinorum Chronologiam, quæ eſt in tranſlatione LXX. Interpretum, ſequi maluiſſe; quod eam tranſlationem illi cernerent multis ſeculis eſſe in Eccleſia Dei reverenter uſurpatam, religioſeque cultam: atque ob eam cauſam aliqua in parte eam mutare aut non ſequi, religioni haberent. Sed apud me (quantum ad Chronologiam, de qua nunc agitur) auctoritas Scripturæ Hebraicæ ac Latinæ verſionis Vulgatæ, necnon & duorum principum Eccleſiæ Doctorum, Hieronymi atque Auguſtini, judicium & ſententia præponderat.*

VII. *Reſponſio ad Martyrologium Romanum.* De Romano vero Martyrologio Malvenda de Antichriſto lib. I. cap. 26. reſpondet: *Quod Eccleſia Romana in publicis tabulis eam annorum rationem laudare videatur, quam LXX. dederunt, id quidem non facit, quod veram & incorruptam eandem exiſtimet; cum huic e diametro adverſantem, ut veram & genuinam, eam ſummam quæ in editione Vulgata eſt conſignata, omnibus veneradam proponat: ſed id tantum ſalubri temperamento cavet, ut vetus aliquod veneranda vetuſtatis monumentum, tametſi lacerum ac deforme, & pannis annisque obſitum exhiberet; omnibuſque palam faceret, quam rationem ſecuti fuerint antiqui Patres in enumerandis ex ſacra Scriptura annis, ab Orbe procreato ad Chriſtum naſcentem; cum ſoleant vetera Antiquitatis monumenta, quantumvis corroſa & attrita, gratum aſpectantibus intuitum præſtare. Quocirca nihil opus eſt nunc Eccleſiæ Græca vulgatam numerandi rationem commendare, aut Græcorum exemplarium patrocinium contra Hebraicam veritatem ſuſcipere.* Et *Deſpieres de verſione* LXX. Interpret. Diſput. 2. dub. 5. *Nec nos movere debet quod Eccleſia ſupputationem LXX. Interpretum ab omni tempore in communem uſum receperit. Neque enim eam inane fait Eccleſia, ut nemini liceret ab ea deflectere: ſed ſolum uſum probavit, non autem ſupputationis errores, quos tenuit, quando commodum fuerit. Et forte uſa eſt hac ſupputatione corrupta, ea quod religioni duceret Verſionem illam contemnere, cujus auctoritatem*, inquit Auguſtinus celebriorem ſuſcepit Eccleſia. *Et quam ut Divinam omnes venerati ſunt, vel forte quod meliora tunc non ſuppeterent. Sic Eccleſia & univerſus Orbis Chriſtianus utitur Æra vulgari & calculo Dionyſiano: cum tamen Chronologi non ignobiles doceant, eam non parum abludere a vero & germano calculo*. Ita *Deſpieres*; qui tamen in eo fallitur quod tradit, univerſum Orbem Chriſtianum calculo Dionyſiano uti; cum is in Patriarchatu Alexandrino nec hodie in uſu ſit, neque unquam fuerit, ut in Diſſert. de Periodo Græco-Romana oſtendi. His addo, in Martyrologio Romano legi, Chriſtum natum eſſe *anno a creatione mundi quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono: & ab urbe Roma condita anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo*: qui annus tam Urbis juxta ſupputationem Capitolinam, quam mundi, qui eſt ſecundum LXX. Interpretes concurrit cum anno Juliano XLIII; cum tamen Eccleſia Latina cum Dionyſio ſupponat Chriſtum natum eſſe anno Juliano XLV. Ex uſu itaque Eccleſiæ hæc difficultas dirimi non poteſt.

His ita poſitis, eum in opinione, quam ſequor, annus primus Æræ Chriſtianæ incipiat a Kalendis anni Periodi Græco-Romanæ 5404. ſequitur, conditum mundum fuiſſe anno ejuſdem Periodi 1400. Cyclo Solis 26. B. Lunæ 7. Indict. 5. Totum autem illud ſpatium, annorum nempe 4003. menſium duorum & dierum aliquot, quod ante Natale vulgare Chriſti fluxit, in SEX mundi ÆTATES, ut vocant, diſtinguitur. Prior cum ipſo mundo, autumnali tempore, ut puto, dieque viceſima tertia Octobris feria prima creari cœpto, exorditur, duratque uſque ad Diluvium per annos 1656. Quæ per tempora Adam, Seth, Enos, Cainam, Malaleel, Jared, Henoch, Mathuſala, Lamech & Noe geſta, ex octo prioribus capitibus libri Geneſeos diſcenda. VIII. *Prima mundi ætas.*

Secunda ætas inchoatur anno Periodi Græco-Romanæ 3146. Cyclo Solis 14. D. Lunæ 10. Indict. 11. & uſque ad initium peregrinationis Hebræorum poſt mortem *Thare* Abrahami patris inchoatæ extenditur, continetque annos 426. & deſinit anno mundi 2083. Vixerunt ea ætate Noe, Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Rheu, Sarug, Nachor & Thare Abrahami pater. De iis legendus liber Geneſeos. IX. *Secunda mundi ætas.*

Tertia mondi ætas initium ducit a peregrinatione Hebræorum, & ab anno Periodi Græco-Romanæ 3573. Cyclo Solis 25. CB. Lunæ 10. Indict. 9. ante Chriſtum 1921. Durat hæc ætas uſque ad Hebræorum exitum de Ægypto per annos 430. Eo annorum ſpatio continentur Abrahami & ejus poſterorum Iſaac, Jacob & Joſeph peregrinationes, reſque ab iis geſtæ, de quibus conſulendus liber Geneſeos, qui cum morte Joſephi deſinit, complectens geſta annorum 2369. X. *Tertia mundi ætas.*

Argivorum eo tempore Regnum in Peloponeſo cœptum eſt, annis mille & octoginta ante primam Olympiadem, ut in ſuo Chronico refert Euſebius. Primus apud eos regnavit *Inachus*. A. Gellius lib. 1. Noctium Atticarum cap. 16. & Macrobius lib. 1. Saturnal. referunt hæc verba ex Varrone in libro 27. Rerum Humanarum: *Ad Romuli initium plus mille & centum annorum eſt*; ab Inachi enim initio juxta Euſebii rationes hic conſtituto, uſque ad Palilia Varroniana anni 1102. numerantur. Ante Regnum illud Hiſtoria profana non aſſurgit. XI. *Regnum Argivorum.*

Quarta ætas ab exitu Hebræorum de Ægypto ad jacta Templi Salomonis fundamenta extenditur, complectiturque annos 479. Ejus principium repetendum ab anno Periodi Græco-Romanæ 4003. Cyclo Solis 3. B. Lunæ 12. Indict. 8. anno ſcilicet mundi 2514. ante Chriſtum 1491. Egreſſus eſt populus Dei de Ægypto, Duce *Moyſe*, cui ſuffectus eſt *Joſue*, qui populum ſiccato Jordanis alveo, in Chananæam traduxit, ut legitur Joſue cap. 4. v. 19. & uno & triginta debellatis Regibus, ut habetur Joſue 12. ac ſex totis annis majori ſubacta Palæſtinæ parte, eam in Tribus Hebræorum diviſit. Eo mortuo dedit eis Deus Judices, quorum hoc eſt laterculum. XII. *Quarta mundi ætas.*

OTHO-

ed by Google

		quorum res geſtæ deſcribuntur in libro Judicum cap.	Judicarunt Iſraelem annos.
I.	OTHONIEL,	III.	XL.
II.	Ahudam bidexter,	Eod.	LXXX.
III.	Samgar filius Anath,	Eod.	I.
IV.	Debora cum Barac, filio Abinoem.	IIII.	XL.
V.	Gedeon, qui & Jerobaal dictus eſt.	VI. VII. VIII.	XL.
VI.	Abimelech filius Gedeonis ex concubina.	IX.	III.
VII.	Thola filius Phua.	X.	XXIII.
VIII.	Jair Galaadites.	Eodem.	XXII.
IX.	Jephte Galaadites.	XI.	VI.
X.	Abeſan Bethleemita.	XII.	VII.
XI.	Ahialon Zabulonites.	Eodem.	X.
XII.	Abdom Pharatonites.	Eodem.	VIII.
XIII.	Samſon de ſtirpe Dan, uſque ad Eli Sacerdotem,	XIII. XIV. XV. & XVI.	XX.

qui populum judicare incœpit anno mundi 2848. & mortuus eſt anno mundi 2888. qui eſt Periodi Græco-Romanæ 4377.

Poſt *Eli* obitum, *Samuel* populi curam capeſſit; ſed is libertatis nimiæ pertæſus, ſub Rege deinceps eſſe voluit, & Deus illi *Saulem* dedit, qui dum divinis mandatis privatam libidinem præfert, a Deo rejectus eſt: eique ex Tribu Judæ ſucceſſit David Iſai filius anno Periodi Græco Romanæ 4439. mortuus anno ejuſdem Periodi 4470. *Salomone* filio Rege inſtituto.

XIII. *Imperium Aſſyriorum.* Durante hac quarta mundi ætate *Ninus* Beli filius *Aſſyriorum* fundavit Imperium, qui DXX. annis ſuperiorem Aſiam obtinuerunt, ut in lib. 1. cap. 15. Herodotus auctor eſt, quem & in Operis ſui initio Appianus Alexandrinus eſt ſecutus. Exiguam quandam Aſiæ partem ſub illorum ditione fuiſſe, in primo Romanorum Antiquit. libro confirmat Dionyſius Halicarnacenſis. Imperii Aſſyriorum finis pertinet ad annum Periodi Græco-Romanæ 4747. Plures enim ſucceſſores *Ninus* habuit.

Quinta mundi ætas a jactis Templi Salomonis fundamentis ad ejus Templi conflagrationem, per annos 424. ac menſes aliquot propagatur, inchoaturque anno Periodi Græco-Romanæ 4482. Cyclo Solis 6. G. Lunæ 16. Indict. 11. anno mundi 2993. ante Chriſtum 1012. XIV. *Quinta mundi ætas.* *Salomon* poſtquam relictis mundi vanitatibus ad ſaniorem mentem rediiſſet, obiit, cum annos quadraginta regnaſſet, ex lib. Reg. 3. cap. 11. anno Periodi Græco-Romanæ 4519. Salomoni ſucceſſit filius *Roboam*, qui cum decem Tribus a ſe alienaſſet, eæ *Jeroboam* Regem ſibi præfecere; eoque Duce, & a Domo Davidis & a vero Dei cultu pariter defecere, ex lib. 3. Reg. cap. 12.

TABULA REGNI JUDÆ ET ISRAELIS.

Chronologicos Annos utriuſque continens.

	Reges Judæ.	Anni Regni.	Anni Periodi Græco-Rom. quibus cœperunt.
		XL.	
I.	David,	XL.	4439.
II.	Salomon,	XVII.	4479.
III.	Roboam,	III.	4519.
IV.	Abiam,		4536.
V.	Aſa,	XLI.	4539.
VI.	Joſaphat,	XXV.	4580.
VII.	Joram,	IV.	4605.
VIII.	Ochozias,	I.	4609.
IX.	Athalia,	VI.	4610.
X.	Joas,	XL.	4616.
XI.	Amazias,	XXIX.	4656.
XII.	Azarias, qui & Ozias,	LII.	4684.
XIII.	Joathan,	XVI.	4736.
XIV.	Achas,	XIV.	4752.
XV.	Ezechias,	XXIX.	4767.
XVI.	Manaſſes,	LV.	4796.
XVII.	Amon,	III.	4812.
XVIII.	Joſias,	XXXI.	4855.
XIX.	Joachas,	M. III.	4884.
XX.	Joakim, qui & Eliakim,	XI.	4884.
XXI.	Joachin, qui & Jechonias,	M. III.	4895.
XXII.	Sedecias,	XI.	4895.

Colliguntur a Davide anni CCCCLXVII. a V. Salomonis anni CCCCXXIII.

	Reges Iſraelis.	Anni Regni.	Anni Periodi Græco-Rom. quibus inierunt.
I.	Jeroboam,	XXI.	4519.
II.	Nadab,	II.	4540.
III.	Baaſa,	XXIII.	4541.
IV.	Ela,	I.	4564.
V.	Zamri,	dies VII.	4565.
VI.	Amri,	XI.	4565.
VII.	Achab,	XXI.	4576.
VIII.	Ochozias,	I.	4597.
IX.	Joram,	XII.	4598.
X.	Jehu,	XXVIII.	4610.
XI.	Joachas,	XVI.	4638.
XII.	Joas,	XVI.	4654.
XIII.	Jeroboam,	XLI.	4670.
	Interregnum,	XI.	4711.
XIV.	Zacharias,	M. VI.	4712.
XV.	Sellum,	I.	4722.
XVI.	Manahem,	X.	4723.
XVII.	Phaceias,	II.	4733.
XVIII.	Phacee,	XX.	4735.
XIX.	Oſee,	XVIII.	4756.

Colliguntur Iſraelitici Regni anni CCLV. cum menſibus aliquot.

XV. *Templum Salomonis evertitur.* Anno *Sedeciæ* undecimo, ex Jeremia 1. v. 3. civitas Hieroſolymitana a Chaldæis, 2. Reg. 25. occupata eſt, & Sedecias ad Nebuchedneſarem deductus, in Babyloniam, ubi Nebuchedneſares regnabat, deportatus eſt, 2. Reg. cap. 25. v. 4. Deſtructum vero eſt *Templum* anno Nebuchedneſaris XIX. Jeremiæ cap. 52. v. 12. & 2. lib. Reg. cap. 25. v. 8. anno primo ineunte Olympiadis 48. poſtquam a Salomone conditum eſt annis CCCCXXIV. & aliquot menſibus, ab initio Regni Davidis anno CCCCLXVIII. ab Iſraelitici Regni excidio CXXXIV. Anno Periodi Græco-Romanæ 4906.

XVI. *Initium annorum captivitatis Judæorum.* Ab anno quarto *Joakimi*, qui primus fuit *Nebuchedneſaris* Babyloniæ Regis, annoque Periodi Græco-Romanæ 4888. incipiunt ſeptuaginta anni captivitatis Judæorum, quos Jeremias cap. 25. & 29. definit. Scio, non unam omnium hac de re ſententiam eſſe, ſed ſequor *Uſſerium* in Annal. Vet. Teſtamenti, *Petavium* lib. 12. de Doct. Temp. cap. 22. ubi hanc ſententiam egregie confirmat, contrariaſque refellit. Porro uterque initium Regum Juda & Regum Iſraelis ab eodem ante Chriſtum anno auſpicatur, ſeu ab eodem anno Periodi Julianæ.

XVII. *Florent Tyrii & Lacedæmonii.* Per illud tempus, quo ambobus Hebræorum regnis præfati Reges præerant, ac longo poſt utrumque extinctum ſpatio regnatum eſt apud *Tyrum* Sidoniorum coloniam, quam annis ducentis & quadraginta ante conditum a Salomone Templum fundatam fuiſſe, ex Tyriorum Annalibus Joſephus lib. 8. Antiquit. cap. 2. prodit. *Carthago* vero condita dicitur anno poſt Templum inchoatum 144. Eadem tempeſtate, qua in Africa novum a Tyriis poſitum, eſt oppidum *Lacedæmoniorum* in Græcia Rempublicam ſaluberrimis Legibus celebrem reddidit Lycurgus, de quo Plutarchus in ejus vita.

XVIII. *Aſſyriorum Imperium deſtructum.* *Sardanapalo* poſtremo Aſſyriorum Rege ob luxum & ſocordiam a Præfecto Medorum *Arbace* contemto, & poſt fuſum illius exercitum mori compulſo, Imperium *Aſſyriorum* deſtructum eſt, anno Periodi Græco Romanæ 4747. Diviſum poſtea Imperium: *Arbaces* enim Medos ſuos liberos declaravit, & *Beleſis* in Sacra Scriptura Eſai. 39. v. 1. & 2. Reg. cap. 20. v. 12. Hipparcho vero Ptolemæo & Cenſorino *Nabonaſſarus* dictus, Regnum Babyloniæ obtinuit, per annos 14. A meridie primi diei *Thot* menſis Ægyptiaci, die videlicet Februarii 26. feria quarta, labente ante Eram Chriſtianam anno 747. *Nabonaſſari Epocham* Aſtronomi incipiunt. *Nynus* junior Aſſyriorum Regnum ad proprios terminos reductum, Monarchia in Sardanapalo jam extincta, annis 19. rexit, ut in Græco ſuo Chronico refert Euſebius.

XIX. *Imperium Medorum & Perſarum.* Cum vero *Medi*, quibus autonomiam *Arbaces* reddiderat, anarchiæ incommoda ferre non poſſent, *Dejocis* Imperio ſe ſubjecerunt, annis ante *Cyri* initium 150. ut in lib. 1. auctor eſt Herodotus, quem, relicto Cteſia, ſecuti ſunt etiam Dionyſius Halicarnaceſis, & Appianus Alexandrinus in Romanarum ſuarum Hiſtoriarum exordio. Apud Diodorum Siculum in lib. 2. Biblioth. lapſum memoriæ vel Librarii, *Cyaxaris* pro *Dejocis* nomine poſito, a Medis electus Rex ille fuiſſe dicitur, *circa annum 2. Olymp. XVII.* juxta Herodotum. A Cyri nimirum exordio, quod ex illius ſententia in Olympiadis 55. initium, indeque in anni Periodi Græco-Romanæ 4934. medium incidit, ſubductis annis 150. primus primi *Medorum* Regis annus ab anno 3. Olymp. 17. initio, & anno Periodi Græco-Romanæ 4784. deducendus relinquitur. Quam Imperii Medorum Epocham recte conſtituit Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. ex ſingulorum Regum temporibus ab Herodoto aſſignatis; qui & obſervat, *Dejocem* anno 1. Olympiadis 18. *Ecbatana* condidiſſe, cujus ſtructura deſcribitur in cap. 1. lib. Judith, ubi ab *Arphaxado* Medorum Rege condita fuiſſe dicitur, ſicut & a *Dejoce* in Herodoto & Scriptoribus aliis, quod argumento eſt, utroque illo nomine unum & eumdem Regem deſignari. Porro deſiit *Medorum* Imperium in *Aſtiage* a Cyro devicto, anno Periodi Græco-Romanæ 4935. a quo *Perſici* Regni à Cyro initi Epocha deducitur, omnibus Antiquis tradentibus *Cyrum* Perſis imperare cœpiſſe Olympiade 55. ad finem tendente anno primo.

IMPERII PERSICI LATERCULUM.

	Reges.	Tempus Regni.	Initium in Periodo Græco-Romana.
I.	Cyrus,	XXX.	4935.
II.	Cambyſes,	VII. M.V.	4965.
III.	Smerdis Magus,	M. VII.	4972.
IV.	Darius Hyſtaſpis F.	XXXVI.	4973.
V.	Xerxes,	XX.	5009.
VI.	Artaxerxes Longim.	XL.	5029.
VII.	Xerxes II.	M. II.	5069.
VIII.	Sogdianus,	M. VII.	5069.
IX.	Darius Nothus,	XIX.	5070.
X.	Artaxerxes Mnemon,	XL.	5089.
XI.	Artaxerxes Ochus,	XXVI.	5128.
XII.	Arſes,	IV.	5154.
XIII.	Darius Arſami F.	VI.	5158.

Da-

Digitized by Google

XX. *Imperium Græcorum.* *Darius* ab Alexandro Magno victus, a *Beſſo* nefarie perimitur, dum Alexandrum perſequentem fugit, in ipſo tertii anni Olympiadis 112. initio, qui concurrit cum anno Periodi Græco-Romanæ 5164. a quo Olympiadis anno *Calippum* Cyzicenum Periodum ſuam annorum 76. deduxiſſe, ex Aſtronomicis obſervationibus liquet. Cumque Juſtinus in fine libri 10. tradat, Darium *a Cognatis occiſum vitam pariter cum Perſarum Regno finiviſſe*, manifeſtum eſt, in Monarchiæ Alexandri Aſiaticæ memoriam, *Calippum* hanc Periodi ſuæ Epocham inſtituiſſe.

XXI. *Inſtitutio Olympiadum.* Durante hac quinta mundi ætate cœpit celeberrimum in Græcia *certamen Olympicum*, auctore Iphito. Celebrata autem prima *Olympias* anno tertio & viceſimo ante Romam conditam, anno ſcilicet Periodi Græco-Romanæ 4718. ut in Differt. de eadem Periodo demonſtravi. In Olympiadibus temporis illud intervallum deſinit, quod a Varrone in libello Cenſorini de Die natali *Mythicum* appellatur, incipitque quod dicitur *Hiſtoricum*, quia res in eo geſtæ veris Hiſtoriis continentur.

Ea etiam mundi ætate *Roma*, anno tertio, eoque deſinente, Olympiadis ſextæ condita, anno ſc. Periodi Græco-Romanæ 4741. ut in Differt. de eadem Periodo oſtendi. XXII. *Roma conditur.*

LATERCULUM REGUM ROMANORUM.

	Reges.	Anni Regni.	Initium in anno Periodi Græco-Romanæ.
I.	Romulus,	XXXVIII.	4741.
6.	Interregnum,	I.	4779.
II.	Numa Pompilius.	XLIII.	4780.
III	Tullus Hoſtilius,	XXXII.	4813.
IV.	Ancus Martius,	XXIV.	4855.
V.	Tarquinius Priſcus.	XXXVIII.	4870.
VI.	Servius Tullius,	XLIV.	4917.
VII.	Tarquinius Superbus	XXIV.	4061.
	Regifugium.	I.	4085.

Regnatum itaque *Romæ* annis ſolidis 244. & poteſtas Regia extincta anno Periodi Græco-Romanæ 4085. quo *Tarquinius* ob ſtuprum a filio *Lucretiæ* oblatum Roma pulſus eſt. Conſules pro Regibus deinceps inſtituti, quorum primum par fuit *L. Junius Brutus* & *L. Tarquinius Collatinus*.

XXIII. *Sexta mundi ætas.* *Sexta* mundi *ætas* incipit a conflagratione Templi, quæ contigit anno Periodi Græco-Romanæ 4906. Cyclo Solis 10. B. Lunæ 3. Indict. 11. annoque mundi 3416. ante Chriſtum 588. duratque uſque ad Eram. Chriſtianam per annos 587.

XXIV. *Finis Annorum LXX. captivitatis Judæorum.* Anno Periodi Græco-Romanæ 4957. ante Chriſtum 537. ſub finem primi anni Imperii *Darii Medi* ab everſa Babylonica monarchia deducti, iniit annus ſeptuageſimus ſervitutis Babylonicæ ſub *Joakimo*, anno 1. Nebuchedneſaris ſeu Nabuchodonoſoris cœptæ. Tunc enim *Cyrus* Perſarum Rex Judæis reditum in patriam edicto conceſſit, & reduces *Templum* reædificare juſſit, ut legitur 2. Paralipom. cap. 36. v. 22. & Eſdræ 1. Tunc Judæi *Zorobabele* Duce, e Babylonia in Judæam regreſſi, ubi anno Periodi Græco-Romanæ 4050. anno ab adventu eorum ſecundo, Templi ſecundi fundamenta poſuere, ut legitur Eſdræ 4.

XXV. *Reges Macedoniæ poſt Alexandri M. mortem.* *Dario* ultimo Perſarum Rege demortuo, cœpit *Imperium Græcorum* ab Alexandro Magno inſtitutum, ut ſupra dixi. Mors autem *Alexandri* incidit in annum periodi Græco-Romanæ 5171. in annum ante Chriſtum 323. diemque viceſimum ſecundum menſis Maii, ut oſtendit Uſſerius in Annal. Vet. Teſtam. ex Plutarcho in Alexandro. Regnavit annos duodecim, ut in lib. 1. Machab. cap. 1. proditum eſt. Poſt ejus exceſſum ita res ex Ducum conſenſu conſtitutæ fuit. *Aridæo* Alexandri fratri, quem Philippus ex ſcorto ſuſceperat, ſumma vel potius umbra Imperii eſt commiſſa, Regque declarato *Philippi* nomen eſt impoſitum. Et quia mentis ſatis compos non erat, *Perdiccas Macedo*, cui Alexander moriens annulum tradiderat, Regni procurator, reipſa Rex eſt deſignatus. Hoc porro laterculum Regum Macedoniæ, qui poſt *Alexandrum Magnum* regnarunt.

Digitized by Google

LATERCULUM SUCCESSORUM ALEXANDRI MAGNI

In Regno Macedoniæ.

	Reges.	Anni Regni.	Initium in anno Periodi Græco-Romanæ.
I.	Aridæus,	VII.	5172.
II.	Caſſander,	XIX.	5177.
III.	Philippus Caſſandri F.	I.	5196.
IV.	Antipater & Alexander { Caſſandri filii	III.	5197.
V.	Demetrius Poliorcetes,	VI.	5220.
VI.	Pyrrhus,	M. VII.	5206.
VII.	Lyſimachus,	VI.	5206.
VIII.	Arſinoe Lyſimac. uxor,	M. VII.	5222.
IX.	Ptolemæus Lagi F.	II.	5213.
X.	Meleager,	M. II.	5214.
XI.	Antipater.	dies XLV.	5214.
XII.	Soſthenes,	II.	5224.
XIII.	Antigonus Gonatas,	XXXVI.	5216.
XIV.	Demetrius Antig. F.	X.	5252.
XV.	Antigonus,	XII.	5262.
XVI	Philippus Demetrii F.	XLII.	5274.
XVII.	Perſeus.	X.	5316.

Perſeo a Romanis victo, ut legitur 1. Machab. cap. 8. v. 5. finiit Regnum Macedonicum anno Periodi Græco-Romanæ 5316. annoque ante Chriſtum 168. Ejus Imperii reliquiæ, Romano jam ſurgente Imperio, in *Seleucidis* Syriæ & *Ptolemæis* Ægypti Regibus adhuc ſuperfuerunt.

XXVI. *Succeſſio Ptolemæorum Ægyptiorum Regum.*

Eodem mortis Alexandri Magni anno *Ægyptus* & quidquid Libyæ ac Cyrenaicæ Alexander obtinuerat, cum omni illa Arabiæ parte, quæ Ægypto adjacet, *Ptolemæo Lagi* filio obtigit, quem *Soteris* cognomentum a *Rhodiis* accepiſſe indicat in Atticis Pauſanias.

LATER.

LATERCULUM PTOLEMÆORUM ÆGYPTI REGUM.

	Reges.	Anni Regni.	Anni Periodi Græco-Rom. quibus inierunt.
I.	Ptolemæus Lagi F.	L.	5172.
II.	Ptolemæus Philadelphus,	XXXVIII	5220.
III.	Ptolemæus Evergetes I,	XXVI.	5258.
IV.	Ptolemæus Philopator,	XVII.	5285.
V.	Ptolemæus Epiphanes,	XXIV.	5300.
VI.	Ptolemæus Philometor,	XXXV.	5324.
VII.	Ptolemæus Evergetes II. Phyſcon, Philom. frater,	XXIX.	5358.
VIII.	Ptolemæus Lathurus Phyſconis F.	XVII.	5387.
IX.	Ptolemæus Alexander Lathuri frater.	X.	5404.
O.	Ptolemæus Lathurus ſecundo;	VIII.	5414.
X.	Ptolemæus Alexander II, Alexandri F.	Dies XIX.	5422.
XI.	Ptolemæus Alexander III, Alexandri primi F.	XVII.	5422.
XII.	Ptolemæus Auletes nothus,	XIII.	5439.
XIII.	Ptolemæus,	V.	5455.
XIV.	Cleopatra.	XVII.	5453.

XXVII. *Inſtituitur in Syria Regnum Seleucidarum.*

Seleucus *Nicanor* unus ex Alexandri Magni Ducibus, annis poſt ejus obitum duodecim elapſis, in Babylonia, Media, cæteriſque Orientis tractibus anno Periodi Græco-Romanæ 5182. ante Chriſtum 312. regnavit. Cum autem Machabæorum cum *Seleucidis* implicata narratio ſit, plurimum refert Regum Seleucidarum ordinem & ſucceſſionem exacte deſcribere. Duodecim priores hic propono, de eorum ſucceſſoribus poſtea locuturus.

	Reges.	Anni Regni.	Anni Periodi Græco-Rom. quibus inierunt.
I.	Seleucus Nicanor,	XXXII.	5182.
II.	Antiochus Soter ejus F.	XIX.	5214.
III.	Antiochus II, Soteris F. *Divus* dictus,	XV.	5233.
IV.	Seleucus II. Callinicus, *Divi* F.	XX.	5248.
V.	Seleucus III. Ceraunus, Callinici F.	III.	5268.
VI.	Antiochus III. M. Callinici F.	XXXVI.	5271.
VII.	Seleucus IV, Philopator Antioch. M. F.	XII.	5307.
VIII.	Antiochus V. Epiphanes Antioch. M. F.	XII.	5319.
IX.	Antiochus VI. Eupator.	II.	5330.
X.	Demetrius Soter, Seleuci Philop. F.	XII.	5332.
XI.	Alexander Bala inſitius,	V.	5344.
XII.	Demetrius II. Nicator Demetri Soteris F.		5349.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5351. Cyclo Solis 7. F. Lunæ 11. Indict. 11. Mundi 3862. Urbis conditæ 611. ante Christum 143.

XXVIII. *Judæis autonomia conceſſa.*

Fine Hiſtoriæ Veteris Teſtamenti & initio Eræ Chriſtianæ appropinquantibus, ut varii errores, qui tam paulo ante eam, quam poſt, committi ſolent, facilius vitentur, præcipuæ res apud Judæos & Romanos ac in Syria geſtæ, ordine temporum ſervato, breviter explicandæ ſunt. Sulpicius itaque Severus de libertate Judæis reddita loquens, ait: *Poſt Jonathan, ſumma rerum ad Simonem fratrem defertur. Tum Demetrius* (Nicator ſcilicet) *refecto cum Judæis fœdere, contemplatione cladis a Tryphone illatæ (nam poſt Jonathæ necem, urbes eorum atque agros bello vaſtaverat) annua ejus vectigalia in perpetuum remittit. Etenim uſque ad id tempus Regibus Syriæ, niſi cum armis reſiſterent, ſtipendium penſitaverant. Id geſtum Demetrii Regis anno ſecundo: quod ideo ſignavimus, quia uſque in hunc annum per tempora Aſſanodorum Regum cucurrimus, ut ratio temporum digeſta lucerer. Nunc autem per tempora eorum, qui Judæis vel Pontifices vel Reges fuerunt, uſque ad Chriſti nativitatem, rerum ordinem digeremus. Igitur poſt Jonathan Simon frater ejus, ut ſupra dictum eſt, Hebræis præfuit jure Pontificio; id enim ei tum a ſuis, tum a populo Romano honoris delatum.* Judæi enim poſt Babylonicam captivitatem ſolutam, ſemper aliquo modo ſubditi fuerant, primo *Perſarum*, mox etiam *Græcorum* Regibus. Verum Demetrius Nicator Syriæ Rex ad petitionem *Simonis* ſummi Judæorum Sacerdotis, abſolutam Judæis pacem, atque ab omnibus tributis immunitatem, & perpetuam inter ipſum Demetrium & gentem Judæorum ſocietatem conceſſit, ut liquet ex Demetrii diplomate relato lib. 1. Machab. cap. 13. ℣. 41. & 42. *Anno centeſimo ſeptuageſimo ablatum eſt jugum Gentium ab Iſrael. Et cœpit populus Iſrael ſcribere in tabulis & geſtis publicis. Anno primo ſub Simone ſummo Sacerdote, magno Duce & Principe Judæorum.* Annus ille Græcorum 170. ſeu Eræ Contractuum, & annorum Seleucidarum a verno menſe, ut cæteri in lib. 1. Machabæorum memorati, procedit; cum tamen anni Græcorum, quorum mentio in 2. lib. Machab. ab autumno proficiſcantur, & anni prioris libri ſex menſium intervallo poſterioris initium anteveniant. Porro facile Simon, quæ a Demetrio poſtulabat, obtinuit, quia paulo antea hic acceperat, necatum eſſe *Antiochum Theon* Alexandri Balæ filium a Tryphone tutore ſuo qui Syriam invaſerat, regnique diadema ſibi impoſuerat. Petavius in lib. de Doct. Temporum, & Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. libertatem Judæis anno tertio Demetrii conceſſam ſcribunt, ſed nullo teſte.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5352. Cyclo Solis 8. E. Lunæ 12. Indict. 12. Mundi 3863. Urbis conditæ 612. ante Christum 142.

XXIX. *Hieroſolyma a Judæis capta.*

Simon ſummus Judæorum Pontifex *Gazam* expugnat, & *Hieroſolymitanam arcem*, quam & munivit, & in ea habitavit. Lib. 1. Machab. cap. 13. *Et intraverunt in eam tertia & viceſima die ſecundi menſis, anno centeſimo ſeptuageſimo primo*, Græcorum nempe.

Anno periodi Græco-Romanæ 5353. Cyclo Solis 9. D C. Lunæ 13. Indict. 13. Mundi 3864. Urbis conditæ 613. ante Christum 141.

XXX. *Demetrius Syriæ Rex capitur.*

Anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo congregavit Rex Demetrius exercitum ſuum, & abiit in Mediam ad contrahenda ſibi auxilia, ut expugnaret Tryphonem, inquit Auctor lib. 1. Machab. cap. 14. ℣. 1. Putabat Demetrius Nicator Syriæ Rex, ſe facile Tryphonem e Regno Syriæ exturbaturum. Verum, amiſſo exercitu, vivus in poteſtatem hoſtis venit, & cuſtodiæ mancipatus eſt, ut ibidem Auctor Machabæorum & Joſephus lib. 13. cap. 9. in fine.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5354. Cyclo Solis 10. B. Lunæ 14. Indict. 14. Mundi 3865. Urbis conditæ 614. ante Christum 140.

XXXI. *Antiochus Soter vocatur in Syriam.*

Milites *Tryphonis* Syriæ invaſoris mores pertæſi, defecerunt ad *Cleopatram* Demetri Nicatoris captivi uxorem, quæ tum in Seleucia cum liberis ſeſe incluſerat; quæ ad Antiochum fratrem Demetrii mariti ſui miſit, conjugium ſuum & Regnum ei offerens. Antiochus hic Demetrii Soteris filius, apud Joſepum lib. 7. Antiquit. cap. 12. poſterum cognomentum *Soter* dicitur, a religione *Pius*. Joſephus lib. 13. cap. 12. & ab Euſebio in Chronico *Sidetes* vel *Sedetes*.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5355. Cyclo Solis 11. A. Lunæ 15. Indict. 15. Mundi 3866. Urbis conditæ 615. ante Christum 139.

XXXII. *Antiochus Soter fit Rex Syriæ.*

Anno centeſimo ſeptuageſimo quarto exiit Antiochus in terram patrum ſuorum, & convenerunt ad eum omnes exercitus, ita ut pauci relicti eſſent cum Tryphone lib. 1. Machab. cap. 15. ℣. 10. ubi ſermo eſt de Antiocho Sidete, hujus nominis VII; poſtquam ſcilicet in matrimonium Cleopatram fratris ſui Demetrii Nicatoris uxorem recepit, ex Juſtino lib. 36. cap. 1. Regnavit dehinc Antiochus annos novem ex Euſebio in Chronico, & Porphyrio in Græcis Euſebianis.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5356. Cyclo Solis 12. G. Lunæ 16. Indict. 1. Mundi 3867. Urbis conditæ 616. ante Christum 138.

XXXIII. *Interitus Tryphonis Syriæ Regis.*

Tryphon, qui in Syria regnabat, derelictus eſt ab omnibus fere copiis, quando Antiochus in Syriam venit. Quare *Doram* finitimam Phœniciæ urbem fuga ſe recepit ex lib. 1. Machab. cap. 15. ℣. 10. tandemque ad populares ſuos *Apameam*, ubi interfectus eſt ex Joſepho lib. 13. cap. 12. & Appiano in Syriacis pag. 132.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5350. Cyclo Solis 15. C. Lunæ 19. indict. 4. Mundi 3870. Urbis conditæ 619. ante Christum 135.

XXXIV. *Simonis Judæorum Pontif. cædes.*

Hoc anno exeunte, Græcorum 177. menſe undecimo, qui eſt Schebat, id eſt, circa noſtrum Februarium, occiſus eſt *Simon* Judæorum Pontifex a genero ſuo Ptolemæo ex lib. 1. Machabæorum cap. 16. ubi additur, filium ejus *Joannem*, (devictis Hyrcanis dictum *Hyrcanum*) qui evaſerat, Pontificatum hoc anno cepiſſe. *Simon* per annos VIII. & aliquot menſes ſummo Pontificatu functus eſt, ut colligitur ex Hiſtoria Machabæorum, cujus primus liber, qui quadraginta annorum Hiſtoriam continet, hoc anno abſolvitur.

XXXV. *Bellum inter Hyrcanum & Antiochum.*

Antiochus *Soter* Syriæ Rex, ut habet Joſephus lib. 13. Antiquit. cap. 16. *anno regni ſui quarto, & Hyrcani primo*, in Judæam duxit exercitum, & Hyrcanum in urbem Hieroſolymitanam compulit, eamque obſidione cinxit, ut Joſephus ibidem. Tandem pax certis conditionibus firmatur, ut Joſephus ibidem & Diodorus Siculus lib. 34. in Bibliotheca Photii cod. 244.

An-

Digitized by Google

Anno Periodi Græco-Romanæ 5364. Cyclo Solis 20. D. Lunæ 5. Indict. 9. Mundi 3875. Urbis conditæ 624. ante Chriſtum 130.

XXXVI *Demetrius in Regnum Syriæ reſtituitur.* Antiochus *Sidetes* Syriæ Rex contra *Phraatem* Parthorum Regem cum exercitu profectus eſt, fratrem ſuum Demetrium Nicatorem repetens, victorque tribus præliis Babyloniam occupavit. Tandem tamen a ſuis deſertus eſt, & in alio prælio a Parthis occiſus, ut teſtantur Julius Obſequens lib. de Prodigiis, Juſtinus lib. 38. cap. 10. & 39. cap. 1. Joſephus lib. 13. cap. 16. Euſebius in Chronico, & Oroſius lib. 5. cap. 10. Demetrius obſidione Parthorum liberatus, reſtitutus in Regnum eſt. Juſtinus lib. 39. cap. 1.

XXXVII. *Judæi nullum Regem agnoſcunt.* Poſt *Antiochum* Judæi nullum Macedonum Regem tulerunt, domeſticiſque Imperiis uſi Syriam magnis bellis infeſtarunt, ex Juſtino lib. 36. cap. 1. Syriæque & Phœniciæ non paucas urbes ſubegerunt, ex Strabone lib. 16. pag. 661. *Hyrcanus* enim poſt Antiochi cædem defecit a Macedonibus: jamque nec ut ſubditus, nec ut amicus opem ullam illis amplius ferebat. Quamprimum vero de morte Antiochi audivit, ad urbes Syriæ duxit exercitum; ratus, id quod erat, inventurum ſe eas vacuas propugnatoribus. *Medabam* igitur, de qua lib. 1. Machab. cap. 9. ℣. 36. non ſine labore, ſexto demum menſe vi cepit: deinde *Samegam* cum vicinis pagis, ex Joſepho lib. 13. cap. 17.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5367. Cyclo Solis 23. G. Lunæ 8. Indict. 12. Mundi 3878. Urbis conditæ 627. ante Chriſtum 127.

XXXVIII. *Alexander Zabinas regnat in Syria.* Cum Demetrius Nicator Syriæ Rex, tam Syris quam militibus propter mores improbos inviſus eſſet, ad Ptolemæum Phyſconem Ægypti Regem miſerunt, rogantes ut aliquem ex Seleuci genere eis daret, quem poſſent Regem ſibi conſtituere, ex Joſepho lib. 13. cap. 17. Ille juvenem quendam Ægyptium miſit, compoſita fabula; quaſi per adoptionem Antiochi Regis receptus in familiam regiam eſſet, ex Juſtino lib. 39. cap. 1. Refert autem Porphyrius in Græcis Euſebianis pag. 227. ut filium *Alexandri* (Balæ ſcilicet, qui Antiochi Epiphanis filius cenſebatur) miſſum fuiſſe, & ipſum *Alexandrum* dictum, atque a Syris *Zabinam* cognominatum.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5368. Cyclo Solis 24. F. Lunæ 9. Indict. 13. Mundi 3879. Urbis conditæ 628. ante Chriſtum 126.

XXXIX. *Epocha Tyriorum inſtituta.* Prælio circa Damaſcum commiſſo *Demetrius Nicator* vincitur: & ab uxore filiiſque deſertus, & cum paucis ſervulis relictus, *Tyrum* religione Templi ſe defenſurus petiit, ex Juſtino cum Joſepho & Porphyrio in locis ſupra citatis. Illuc ingredi prohibitum, cum navem ingrederetur, trucidatum fuiſſe, quatuor poſt reditum e Parthia annis Regni exactis, tradit Porphyrius: quamvis alii mortem ejus aliter referant. Livius lib. 60. & Appianus in Syriacis pag. 131. ab uxore Cleopatra eum interemtum narrant. Et ea certe conſcia, Tyri occiſum illum fuiſſe admodum ſit veroſimile: & vel ab ea, vel ab Alexandro Zabina Tyrios ob hoc factum libertatem & *αὐτονομίαν* obtinuiſſe. Ab hoc enim anno novam temporum ſuorum *Epocham* Tyrios deduxiſſe, liquet ex Euſebio in Chronico, ubi cum ſecundo anno Imperatoris Probi, qui cum anno Chriſti CCLXXVII. annoque Periodi Græco-Romanæ 5770. concurrit, annus 402. Tyriorum copulatur.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5370. Cyclo Solis 26. C. Lunæ 11. Indict. 15. Mundi 3881. Urbis conditæ 630. ante Chriſtum 124.

Seleucus Demetrii Nicatoris Syriæ Regis filius, injuſſu matris Cleopatræ ſumto diademate, regnavit in Syria anno 1. ex Livio lib. 60. & Porphyrio in Græcis Euſebianis pag. 227. XL. *Seleucus fit Rex Syriæ.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5371. Cyclo Solis 27. B. Lunæ 12. Indict. 1. Mundi 3882. Urbis conditæ 631. ante Chriſtum 123.

Cleopatra filium *Seleucum*, vel quod injuſſu ſuo diadema ſumſiſſet ſive metuens, ne ille patris Demetrii mortem ulciſceretur, ſive eodem furore gerens omnia, ſagitta tranſfixum interemit. Alterum deinde filium ex Demetrio ſuſceptum *Antiochum Grypum*, quem Athenas educandum miſerat, Regem conſtituit; ut Regis nomen penes filium, vis autem omnis Imperii penes matrem eſſet, ex Livio lib. 60. Juſtino lib. 39. cap. 1. & Appiano in Syriacis pag. 132. XLI. *Antiochus Grypus fit Rex Syriæ.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5372. Cyclo Solis 28. A. Lunæ 13. Indict. 2. Mundi 3883. Urbis conditæ 632. ante Chriſtum 122.

Alexander *Zabinas* Syriæ Rex rerum ſucceſſu tumens, ſpernere jam etiam Ptolemæum Phyſconem Ægyptiorum Regem, a quo ſubornatus fuerat in Regnum, ſuperba inſolentia cœpit. Itaque *Ptolemæus* reconciliata ſororis Cleopatræ gratia, deſtruere Alexandri Regnum, quod odio Demetrii Nicatoris viribus ſuis acquiſierat, ſummopere inſtituit. Miſit igitur ingentia *Grypo* auxilia, & filiam *Tryphænam* Grypo nupturam, ut populos in auxilium nepotis ſollicitaret. Nec res fruſtra fuit: nam cum omnes Gryphum Ægypti viribus inſtructum viderent, paulatim ab Alexandro deficere cœperunt, ex Juſtino lib. 39. cap. 2. Tandem prælio inter Antiochum Grypum & Alexandrum Zabinam commiſſo, victus Alexander Antiochiam profugit; & a latronibus captus, perductuſque ad Grypum, interficitur, ex Juſtino ibidem. In pugna cum Grypo cæſum eum occubuiſſe, tradit Joſephus lib. 13. c. 17. Cladem exercitus non ferentem, quarto anno Olympiadis 164. veneno ſeipſum ſuſtuliſſe, refert Porphyrius in Græcis Euſebianis Scaligeri pag. 227. Hoc autem anno quartus ille annus abſolvitur. XLII. *Alexandri Zabinæ Syriæ Regis interitus.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5380. Cyclo Solis 8. E. Lunæ 2. Indict. 10. Mundi 3891. Urbis conditæ 640. ante Chriſtum 114.

Cum octo jam annis ſolus & quietus Regnum Syriæ *Antiochus Grypus* obtinuiſſet, natus eſt illi æmulus regni *Antiochus Cyzicenus* frater. Grypus audito quod frater ipſius copias contra ſe apud *Cyzicum* colligeret, omiſſa expeditione quam in Judæos ſuſcipere inſtituerat, contra fratris adventum ſe paravit, ut ſcribit Joſephus lib. 13. cap. 27. XLIII. *Grypus & Cyzicenus inter ſe diſcordes.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5381. Cyclo Solis 10. D. Lunæ 4. Indict. 12. Mundi 3893. Urbis conditæ 641. ante Chriſtum 112.

In prælio inter Antiochos fratres, *Cyzicenum* ſcilicet & *Grypum* facto, victor Cyzicenus fratrem Regno expulit, Regnumque ſuſcepit anno primo Olympiadis 167. ex Porphyrio in Græcis Euſebianis pag. 227. qui addit, anno ſecundo ejuſdem Olympiadis Grypum *Aſpendo* redeuntem Syriam obtinuiſſe; Cyzicenum vero, diviſo Imperio, Cœleſyria potitum eſſe. XLIV. *Regnum Syriæ in duo diviſum.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5387. *Cyclo Solis* 15. *C. Luna* 9. *Indict.* 2. *Mundi* 3898. *Urbis conditæ* 647. *ante Chriſtum* 107.

XLV. *Ariſtobulus ſuccedit Hyrcano in ſummo Pontificatu.* *Joannes Hyrcanus*, cum per annos XXIX. ſummo Sacerdotio unctus fuiſſet, mortuus eſt, ut ex Juſepho refert Euſebius lib. 8. Demonſtrat. Evangelic. cap. 2. & illum Latine vertens in Commentariis ad 9. caput Danielis, repetit Hieronymus: licet in noſtris libris, & in antiqua quoque Rufini verſione, Joſephus illi nunc XXXIII. nunc XXXI. annos attribuat, ſed non ſine errore, ut recte Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. Poſt Hyrcanum filiorum natu maximus *Judas*, aliò nomine *Ariſtobulus* dictus, Principatum ſimul & Pontificatum per unum annum tantum obtinuit; primuſque omnium poſt reditum a captivitate Babylonica, diademate ſibi impoſito, Principatum in Regni formam tranſtulit, ex Juſepho lib. 1. Belli cap. 3. Antiquit. lib. 13. cap. 19. & lib. 20. cap. 8. *Ariſtobulus* fratrem ſuum ſecundum *Antigonum* in Regni ſocietatem aſſumſit: tres vero reliquos vinctos cuſtodiæ tradidit, matremque conjecit in carcerem Principatus æmulam; (nam illam Hyrcanus rerum dominam reliquerat) eoque crudelitatis proceſſit, ut fame necaret in vinculis. Joſepus ibidem.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5388. *Cyclo Solis* 16. *B. Luna* 20. *Indict.* 3. *Mundi* 3899. *Urbis conditæ* 648. *ante Chriſtum* 106.

XLVI. *Alexander Jannæus fit ſummus Pontifex Judæorum.* *Ariſtobulus* Antigonum fratrem Salomes uxoris fraude interficit, & non multo poſt vita excedit, ex Joſepho lib. 2. Belli cap. 3. & lib. 13. Antiquit. cap. 19. Poſt Ariſtobuli mortem *Salome* ejus uxor, quam Græci *Alexandram* nominant, ſolutis ejus fratribus, quos ille in vinculis habuerat *Alexandrum Jannæum*, ætate cæteros præcedentem atque modeſtia, Regem conſtituit. Ille vero Regno potitus alterſim fratrem ſibi inſidiantem peremit, alterum contentum privata & otioſa vita in honore habuit, ex Joſepho lib. 13. cap. 20.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5400. *Cyclo Solis* 28. *A. Luna* 3. *Indict.* 15. *Mundi* 3911. *Urbis conditæ* 660. *ante Chriſtum* 94.

XLVII. *Cyziceni Syriæ Regis interitus.* *Seleucus* Antiochi Grypi filius Antiocho Cyziceno patruo bellum intulit. Hic ab eo prælio victus ſe ipſum interemit, poſtquam XVIII. annos regnaſſet, ex Porphyrio in Græcis Euſebianis pag. 127. Cyzicenum in prælio a Seleuco captum, & neci traditum, Joſephus lib. 13. cap. 21. cum filiis Grypi bello congreſſum interiiſſe refert Trogus lib. 40. Prolog.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5401. *Cyclo Solis* 1. *G. Luna* 4. *Indict.* 1. *Mundi* 3912. *Urbis conditæ* 661. *ante Chriſtum* 93.

XLVIII. *Philippus & Antiochus Syriæ Reges.* *Antiochus Euſebes* Antiochi Cyziceni filius, cum Seleuci patruelis inſidias evaſiſſet, impoſito ſibi diademate eidem bellum intulit: quem uno prælio victum e tota Syria expulit, ut Joſephus lib. 13. cap. 21. & Appianus in Syriacis pag. 133. tradunt. *Seleucus* fuga in Ciliciam delatus, poſtquam a Mopſueſtanis receptus eſt, cum ſupra modum tyrannicus eſſet, ab eis una cum regia & amicis concrematus eſt, ex iiſdem Auctoribus ibidem. Gemelli fratres Seleuci *Antiochus & Philippus* adductis copiis Mopſueſtiam vi ceperunt, eamque diruerunt: ſuperveniens vero Cyziceni filius Antiochus Euſebes prælio eos ſuperavit. Et Antiochus quidem e pugna fugiens in Oronte flumine ſubmerſus eſt. Frater vero illius Philippus & Antiochus Euſebes ab anno quarto Olympiadis 172. qui anno Urbis 650. inchoatur, de univerſo Syriæ Regno obtinendo inter ſe decertarunt, ex Porphyrio loco ſupra laudato.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5402. *Cyclo Solis* 2. *F. Luna* 5. *Indict.* 2. *Mundi* 3913. *Urbis conditæ* 662. *ante Chriſtum* 92.

XLIX. *Demetrius Eucærus fit Rex Damaſci.* Ptolemæus Lathurus Ægypti Rex quartum Antiochi Grypi filium *Demetrium Eucærum* Regem Damaſci conſtituit: cui cum fratre Philippo copias conjungenti Antiochus Euſebes ſtrenue reſtitit, ex Joſepho lib. 13. cap. 21. Superatus Antiochus ad Parthos fugere coactus eſt, ex Porphyrio citato & Euſebio in Chronico.

L. *Varia bella inter Reges Seleucidas.* *Galadenorum* Regina cum Parthis bellum geſſit; in cujus auxilium vocatum Antiochum Pium, ſeu Euſebem, Cyziceni filium, fortiter in prælio dimicantem occubuiſſe, atque ita Syriæ Regnum penes duos fratres Grypi filios, Philippum atque Demetrium Eucærum remanſiſſe, ſcribit Joſephus loco citato. Poſtea variorum certaminum per octo ſequentes annos inter Syriæ Reges habitorum pertæſi Syri, relictis Seleucidis, *Tigranis* Armeniæ Regis imperio ſe ſubjecerunt, ut in libri 40. initio Juſtinus indicat. Ideoque hic cum Euſebio in Chronico finem Seleucidis Regibus imponemus.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5415. *Cyclo Solis* 15. *C. Luna* 18. *Indict.* 15. *Mundi* 3926. *Urbis conditæ* 675. *ante Chriſtum* 79.

LI. *Hyrcanus fit Pontifex Hebræorum.* *Alexander Jannæus*, poſt multa proſpere in bello geſta, cum viginti ſeptem annos regnaſſet, mortuus eſt. Cum vero moriens & Regni adminiſtrationem uxori Alexandræ teſtamento reliquiſſet, & deligendi Pontificis permiſiſſet arbitrium, majorem illa natu filium Hyrcanum Pontificem declaravit, & per novem annos Regnum adminiſtravit, toto eo tempore filio Hyrcano Pontificatum obtinente. Joſephus lib. 13. Antiquit. cap. 24. & lib. 16. cap. 8. & lib. 1. Belli cap. 4.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5427. *Cyclo Solis* 27. *B. Luna* 11. *Indict.* 12. *Mundi* 3938. *Urbis conditæ* 687. *ante Chriſtum* 67.

LII. *Ariſtobulus Rex & Pontifex Judæorum.* *Hyrcanum* poſt exceſſum Alexandræ matris, quæ ex Joſepho lib. 14. Antiquit. cap. 1. anno 3. Olympiadis 177. Coſſ. Hortenſio & Metello Cretico accidit, elapſis tribus menſibus ab Ariſtobulo juniore fratre pulſum fuiſſe Regno docet Joſephus lib. 11. cap. 9. Sed cum ab Hyrcano regnare incipiente, Hortenſio & Metello Cretico Coſſ. anno nempe Urbis conditæ 685. uſque ad Ariſtobulum regnare deſinentem captis a Pompejo Hieroſolymis C. Antonio & M. Tullio Cicerone Coſſ. ſex annos effluxiſſe conſtet, & ex eis non plures, quam tres annos, totidemque menſes Ariſtobulo Joſephus ipſe tribuat; Hyrcani Regno non menſes tres, ſed annos tres tribuendos, apparet. Ex quibus ad temporum exæquationem duo tantum menſes detrahendi. Hoc itaque tempore commiſſo inter Hyrcanum & Ariſtobulum fratres prælio, actum eſt de pacis conditionibus, in quibus obtinuit Ariſtobulus ut regnaret, qui etiam ſummum Sacerdotium annis tribus & menſibus totidem exercuit. Joſephus lib. 20. cap. 8.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5430. *Cyclo Solis* 2. *E. Luna* 14. *Indict.* 15. *Mundi* 3941. *Urbis conditæ* 690. *ante Chriſtum* 64.

LIII. *Syria a Romanis occupata.* *Pompeius* in Aſiam a populo Romano miſſus Syriæ recipiendæ cupiditate flagrabat. Syriam ita-

Google

itaque Cælen & Phœnicen bello aggreſſus, Ituræos primum Arabeſque perdomuit, ex Appiano pag. 244. Eutropio lib. 6. & Oroſio lib. 6. cap. 9. poſtea deſcendit in *Syriam*, quam, ut juſto rege vacantem, in formam Provinciæ redegit, poſſeſſionemque fecit populi Romani, ex Strabone lib. 16. pag. 733. Exiſtimat Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. eum Antiochiæ autonomiam eodem tempore conceſſiſſe.

Anno Periodi Græco-Romanæ 3431. Cyclo Solis 3. D. Luna 15. Indict. 1. Mundi 3942. Urbis condita 691. ante Christum 63.

LIV. *Hieroſolyma a Judæis capta.* Sulpicius Severus in lib. 2. Hiſt. poſtquam locutus eſt de Alexandræ morte, ait: *Poſt hujus obitum fœda inter fratres* (nempe Ariſtobulum & Hyrcanum ejus filios) *de Regno certamina orta. Ac primum Hyrcanus Imperium obtinebat: mox ab Ariſtobulo fratre pulſus, confugit ad Pompeium; qui tum Mithridatico bello confecto pacataque Armenia & Ponto, victor omnium gentium quæ aderat, ultrorſum pergere, & vicina quoque Romano Imperio adjungere cupiens, cauſas belli & materiam vincendi quærebat. Igitur Hyrcanum libens excepit, ductuque ejus Judæos aggreditur: urbe capta atque arce, Templo pepercit; Ariſtobulum vinctum Romam miſit, Hyrcano jus Pontificatus reſtituit, impoſitoque Judæis ſtipendio, Procuratorem eis Antipatrum quemdam Aſcalonitem præpoſuit.* Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 8. obſervat, captum Templum obſidionis *tertio demum menſe die jejunii, 179. Olympiade, C. Antonio & M. Tullio Cicerone Coſſ.* Euſebius in demonſtrat. Evangelic. lib. 8. cap. 2. dicit, id factum anno primo illius Olympiadis anno Urbis 690. cœptæ. Numeratus hic annus 79. ab anno Regni Græcorum 170. quo ab Iſraele jugum gentium ſublatum fuiſſe legitur in lib. Machab. cap. 13. v. 41. Unde quam brevi temporis ſpatio Judæi libertate ſua potiti fuerint, intelligitur. Ex hoc itaque tempora, quod veluti cardo quidam Judaicæ Hiſtoriæ extat, *Hieroſolyma* Romanis tributum pendere cœpit. Hyrcanus Regis quidem nomen licet ſine diademate, tum retinuit: ſed illius tanta erat ingenii imbecillitas, ut non vectigalia ſolum ordinandi, ſed alia quoque omnia pro libitu in Palæſtina diſponendi poteſtatem ſibi Syriæ Præſides aſſumerent.

Anno Periodi Græco-Romanæ 3432. Cyclo Solis 4. C. Luna 16. Indict. 2. Mundi 3943. Urbis condita 651. ante Christum 62.

LV. *Pompejus plurium Gentium victor.* *Pompeius*, poſtquam in Aſia multos Principes Regeſque partim debellaſſet, partim ſibi certis conditionibus adjunxiſſet, arces non minus mille, urbes non infra DCCCC. cœpiſſet, urbes XXXIX. vel collapſas, aut bello vaſtatas reſtituiſſet, octo urbes regioneſque colonis affixiſſet, majoremque earum nationum partem, quæ per continentem Aſiam Romanorum erant, ſuis ipſe Legibus inſtruxiſſet, eiſque Rempublicam ordinaviſſet; Epheſo demum ſolvens, per Inſulas & Græciam magna pompa iter in *Italiam* inſtituit, ut legitur apud Dionem lib. 37. Appianum pag. 251. & Plutarchum in Pompeio.

Anno Periodi Græco-Romanæ 3433. Cyclo Solis 5. BA. Luna 17. Indict. 3. Mundi 3944. Urbis condita 693. ante Christum 61.

LVI. *Gaza autonomia donata.* Triumphum ad Natalem ſuum *Pompeius* diſtulit ad *pridie* nempe *Kalendas* Octobris, M. Meſſala & M. Piſone Coſſ. ut ex ipſius Pompeii triumphorum Actis a Plinio lib. 7. cap. 26. & lib. 37. cap. 2. commemoratis intelligitur. Incurrebat autem hoc anno dies illa Pompeii natalis in menſem Junium, vel Julium Julianum, ut notat Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. qui & ait: *Gazenſes anno jam tertio a Judæorum poteſtate liberati, hinc tempora ſua dimenſi erant.* Faſti Siculi anno 4. Olymp. 179. *Circa Octobris vero Julinai diem 27. Gazenſes annum ſuum incœpiſſe, ex Marco Gazenſi Diacono in Vita Porphyrii Epiſcopi colligimus.* Quam Epocham ab hoc anno inchoandam multa Numiſmata, quæ in Cimelio Regio aſſervantur, demonſtrant. Ea Em. Card. Noriſius in egregio ſuo Opere de Epochis urbium Syriæ repræſentat.

Anno Periodi Græco-Romanæ 3441. Cyclo Solis 13. FE. Luna 6. Indict. 11. Mundi 3952. Urbis condita 702. ante Christum 33.

LVII. *Craſſus a Parthis occiſus.* Accidit hoc anno inſignis clades, qua *M. Craſſus* ſublatus, dum adverſus Parthos bellum gereret, quamque Dio lib. 40. enarrat. Undecim legiones pene cum ſuo capite amiſſas fuiſſe, ſcribit Jornandes lib. de Regnorum ſucceſſione. Summa omnium interfectorum viginti millia dicitur fuiſſe; eorum qui vivi in poteſtate hoſtium venerunt decem millia, ut apud Plutarchum in Vita Craſſi legitur. Ex centum vero millibus vix decem millia refugiſſe in Syriam, affirmat Appianus lib. 2. Bell civil. pag. 438. *Sexto* autem *Idus Junii* hæc geſta fuiſſe in libro ſexto Faſtorum Ovidius teſtatur. *μεσοῦντος τοῦ θέρους*, id eſt, *media æſtate*, in Hiſtoriarum ſuarum libro 40. Dio ſcribit. Ubi & adjicit, *Parthos*, hoc tempore omnem ditionem intra Euphratem recuperaſſe. Hinc belli civilis Pompeium inter & Cæſarem fundamenta jacta. Occiſo enim Craſſo, qui utrique imminebat, reliquum erat Cæſari, quo evaderet maximus, ut eum qui ſuperarat, profligaret. Legendus Plutarchus in Cæſare & in Pompeio.

Anno Periodi Græco-Romanæ 3445. Cyclo Solis 17. AG. Luna 10. Indict. 15. Mundi 3956. Urbis condita, 705. ante Christum 49.

LVIII. *Belli Civilis initium.* Bellum civile Cæſarem inter & Pompeium hoc anno cœptum. Cæſar Dictator creatus poſt dies undecim ſe ipſo & P. Servilio Iſaurico Coſſ. declaratis, dictaturæ ſe abdicavit, ut ipſemet refert initio libri 3. Comment. de Bello Civili. A prima hac Cæſaris Dictatura Syro-Macedones Eram ſuam Antiochenam inſtituiſſe, in Diſſert. de Periodo Græco-Romana oſtendi. Quæ Era Juliana appellanda, ut diſtinguatur ab altera Era Antiochena, de qua ſupra; quæ ad hujus diſcrimen Pompeiana nuncupanda.

Anno Periodi Græco-Romanæ, 3446. Cyclo Solis 18. F. Luna 11. Indict. 1. Mundi 3957. Urbis condita 706. ante Christum 48.

LIX. *Pompejus a Cæſare victus.* Hoc anno, quo C. *Julius Cæſar* P. Servilio Iſaurico Collega Conſulatum geſſit, *pugna Pharſalica* habita in qua, Cæſar Pompeium devicit. Locus prælii *Palæopharſalum* in Theſſalia ſitum. *Segetem prope jam maturam fuiſſe* ſcribit Cæſar lib. 3. de Bel. Civil. Appianus lib. 2. de Bello civili ait, Cæſarianos a Cæſare *frumentatum* miſſos. Lucanus lib. 7. *ad ſegetum raptas*. Eratque tum *adulta æſtas & æſtus plurimus*, inquit Plutarchus in Marco Bruto. [r] Quæ omnia ab Uſſerio in Annal. Vet. Teſt. hoc anno obſervata.

Quæ

NOTÆ [r] Diem *pugnæ Pharſalicæ*, qui hactenus incertus fuerat, nobis demonſtravit vetuſta marmorea Tabula, non multos ante annos inter veteris Agrii rudera reperta, ab Alexandro S. R. E. Diacono Cardinali Albano acquiſita, & in ſuum Muſeum illata, quam æri inciſam, primus A. D. 1723. vulgavit U. C. Franciſcus Blanchinus in Prolegomenis ad Anaſtaſii Bibliothecarii tomum ſe-

Quæ tamen difficultate non carent; cum Joſephus dicat, Julium imperaſſe *tribus annis cum dimidio*. Pompejus caſtris relictis in Ægyptum fugit, ibique Ptolemæi Regis juſſu trucidatur, ætatis anno duodeſexageſimo, *pridie Natalem ipſius*, inquit Velleius lib. 2. cap. 53. Dies autem ejus natalis incidebat in pridie Kalendas Octobris, teſte Plinio lib. 37. cap. 22. ideoque anni illi completi intelligendi.

LX. *Honores Cæſari poſt Pompeji necem decreti*, Pompeji mors *Romæ* credita non eſt, niſi poſt eo miſſum ipſius annulum. Tum vero Romani in Cæſarem honores certatim effuderunt: poteſtate ei data, ut de Pompejanis arbitratu ſuo ſtatueret: ut ei belli paciſque jus in omnes homines eſſet; etſi neque ad populum de iis retuliſſet; ut quinque continuis annis Conſulatum gereret; ut *Dictator* non ad ſemeſtre tantum ſpatium, ut olim, ſed in integrum annum diceretur: ut *Tribunitiam poteſtatem* per omnem vitam haberet, ipſis Tribunis aſſidendo, deque rebus agendis una cum ipſis ſtatuendo; quod nulli unquam conceſſum fuerat. *His ita decretis approbatiſque, Cæſar, quamvis extra Italiam erat, ſtatim Dictaturam accepit*, inquit Dio lib. 42. Porro in Syria, ut e prima Dictatura Antiocheni, ita a ſecunda hac Laodiceni tempora Cæſariana numeraſſe videntur. Eram enim Laodicenam unico tantum anno Antiochena poſteriorem fuiſſe, ad ſecundum Probi Imperatoris annum ex Euſebio in Chronico oſtendam.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5447. Cyclo Solis 19. E. Lunæ 12. Indict. 3. Mundi 3958. Urbis conditæ 707. ante Chriſtum 47.

Antigonus Ariſtobuli Judæorum Regis filius ad Cæſarem in Syria agentem venit, queſtuſque eſt de patris infortunio, quod propter ipſum veneno e Pompejanis extinctus eſſet, & frater ſuus Alexander a Scipione ſecuri percuſſus, anno ſcilicet Urbis 705. rogavitque ut ſui miſereretur, paterno Principatu ejecti. Præterea *Hircanum* accuſabat & *Antipatrum*, quod per vim Principatum gentis gererent, nec abſtinerent ab ipſius injuriis. Antipater vero cauſam ſuam egit, objecta crimina diluens: Antigonumque ſeditionis & novarum rerum ſtudioſum eſſe coarguit. Commemorabat enim quantum proximo bello laboraſſet pro Cæſare, & multitudinem vulnerum, quæ acceperat, oſtentabat. Tum Cæſar Antipatri oratione motus, Hircanum Pontificem declaravit: Antipatro vero Dynaſtiam, quamcumque ipſe optaret, obtulit, & Procuratorem Judææ conſtituit, ut prodit Joſephus lib. 1. Belli cap. 8. & lib. 14. Antiquit. cap. 15. Antipater *Phaſaelum* quidem e liberis ſuis natu maximum Hieroſolymis & circumjacenti regioni Ducem conſtituit: *Herodi* autem ſecundo admodum adoleſcenti, Galilæam curandam commiſit ex Joſepho lib. 1. Belli cap. 8. & lib. 14. Antiquit. cap. 16. & 17. LXI. *Hyrcanus Pontifex factus, Antipater Judææ Procurator*,

Hic

NOTÆ ſecundum poſt paginam CCXXII. Extat nunc in ædibus Capitolinis, in quas una cum aliis antiquitatis cimeliis, ab eodem Cardinali Albano comparatis, magnis ſumptibus Clemens XII. Pont. Max. A. D. 1734. ad bonarum artium præſidium & incrementum tranſtulit. Inſcriptiones veteres porro idem Cardinalis Albanus Pontifici Clementi dono dedit, in Capitolinis iiſdem ædibus, litterarum beneficio aſſervandas. Ea tabula recte e Blanchino *Kalendarium Antiatinum*, a loco, in quo eſt inventa, appellatur. Ibi ergo ad V. ID. AVG. legitur, DIVUS. IVL. PHARSAL. VICIT. Hinc lux iis, quæ ex Cæſare, Appiano, Plutarcho, Velleio & Plinio affert Pagius.

Viri eruditi varie de die & menſe pugnæ Pharſalicæ diſſeruere. Petavius lib. X. de Doctrine temporum cap. LXII. cenſuit, pugnatum fuiſſe apud Pharſalum *duodecimo circiter Maii die*, anni Juliani proleptici; at ejus opinionem rejicit magnus Henricus Cardinalis Noriſius in Epochis Syro-Maced. Diſſert. III. cap. V. Rem prope acu tetigit idem Noriſius, qui primum in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. II. cap. IV. pag. 115. editionis primæ animadvertit, *pugnam Pharſalicam* contigiſſe; ex Plutarcho in Bruto, *adulta æſtate*: ex Cæſaris vero libris de bello civili conſtare, *ſegetem prope maturam* fuiſſe, quando Cæſar in Theſſaliam cum exercitu venit. In Epochis vero Syro-Macedonum, Diſſert. III. cap. IV. pag. 140. Pompejum victum in Pharſalia, *labente æſtate* ſcripſit. Mox cap. V. pag. 163. 164. oſtendit, Cæſarem ſua caſtra caſtris Pompeji oppoſuiſſe ad Dyrrachium, quando jam *frumenta matureſcere incipiebant*: & menſe Majo deſinente apud Dyrrachium frumenta matureſcunt. Dyrrachii caſtra habuit Cæſar ad *initium Junii* anni Juliani proleptici, ubi quum frumenti inopia laboraret, caſtra movit, & in Theſſaliam contendit, & ſeptimo die poſt Pharſalum pervenit, ubi *ſegetem prope jam maturam* invenit; quod idem Cæſar teſtatur lib. III. de bell. Civil. cap. LXXII. Hæc magnus Noriſius contra Petavium, ut ejus opinionem de menſe, quo pugnatum eſt, everteret: & propemodum diem divinavit, qui fuit IX. *Junii*, anni Juliani proleptici; ita enim V. *Idus Auguſti* in Kalendario Antiatino adnotata, ante Julianam emendationem, retrahenda eſt ante anni Juliani emendationem. In eodem Kalendario Julii Cæſaris natalis dies adnotatur ad IIII. ID. JUL. his verbis: DIVI. JULI. NATALIS. C. *Julius Cæſar* natus dicitur Romæ, *C. Mario VI. & L. Valerio Flacco Coſſ.* A. U. 654. De die natali Julii Cæſaris Macrobius lib. I. cap. XII: *Sed poſtea in honorem Julii Cæſaris, legem ferente M. Antonio* (A. V. 710.) *conſule, Julius appellatus eſt: quod hoc menſe AD QUARTUM IDUS QUINTILII Julius procreatus ſit*. Eadem habent Appianus bell. civil. lib. II. pag. 494. Dio lib. XLIV. pag. 242. Cenſorinus de die natali cap. IX. Kalendarium Polemei Silvii, apud Bollandianos Socios ad Acta Sanctorum menſis Junii tom. VII. pag. 182. NATALIS JULII CÆSARIS, ad VIII. *Idus Julias* adſignat. Mendoſe hic VIII. pro IV. ſcribitur. Hoc anno die XIX. Octobris C. *Octavius* qui poſtea *Octavianus Auguſtus* dictus eſt, togam virilem ſumpſit. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. II. cap. IV. de hac die diſquirens, optime ſtatuit, *Auguſtum*, quum iniret ætatis annum XVI. virilem togam ſumpſiſſe, poſt pugnam Pharſalicam in qua occiſus fuerat *L. Domitius Pontifex*, in cujus locum *Octavius*, Pontifex factus eſt, atque adeo fidem ſtare Svetonio, qui ætatis anno XVI. ab Auguſto virilem togam ſumptam ait; non Nicolao Damaſceno, qui Auguſto annum decimum quartum agenti, virilem togam datam putat. Litem dirimit, ad diem quod attinet, Kalendarium Antiatinum mox laudatum, in quo ad XIV. Kal. Novemb. habetur: DIVUS AUGUSTUS. TOGAM VIRILEM SUMPSIT Auguſtus natus eſt IX. Kal. Octob. A. V. 691. ut ex lapidibus, & Svetonio oſtendit Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. II. pag. XIII. pag. 147. quamquam Gruterianum marmor CCXXVIII. 8. rurſus recuſum inter Inſcriptiones antiquas Etruriæ P. 1. pag. 326. mendoſe VIII. KAL. OCTOB. præferat, ut erudite ibidem Antonius Franciſcus Gorius animadvertit. Kalendarium Maffejorum apud Gruterum pag. CXXXIII. ad diem XXIV. Septembris H. D. id eſt *hac die* AUGUSTI NATALIS, LUDICIRC.

Digitized by Google

LXII. *Herodes hoc tempore natus annos XXV.* Hic autem Joſephi verba, quæ Viros doctos in errorem induxere, explicanda: *Cæterum, cum Hyrcanum ſtupidum ac ſegnem animadverteret*, (ſcilicet Antipater) *Phaſaelum e liberis ſuis natu maximum Hieroſolymis & circumvicinæ regioni Ducem conſtituit, Herodi ſecundo Galilæam curandam commiſit, etiam tum admodum adoleſcenti, nec excedenti annum quintum decimum*, inquit Joſephus, lib. 14. Antiquit. cap. 17. Baronius tanquam certum ponens, Herodem, qui naſcente Chriſto adhuc in vivis erat, ejuſque vitæ inſidiatus eſt, hoc tempore annos natum quindecim fuiſſe, in cæteris Herodis annis eum hallucinatum contendit. Quod ſi quis dicat, ut revera dicendum eſt, Librariorum errore locum corruptum eſſe, & notam *κε*, id eſt, 25. in *ιε*, id eſt, 15. tranſiiſſe, reſpondet, hanc emendationem non admittendam, cum natus annos viginti quinque adoleſcens dici non poſſe videatur. Verum, licet Rufinus in verſione Joſephi, Photius in Bibliotheca cod. 238. Pſeudogorionis Hebræus lib. 5. cap. 3. & Nicephorus Calliſti lib. 1. cap. 6. numerum XV. retineant, primi rerum Herodis Deſcriptores, Ptolemæus & Nicolaus Damaſcenus, ex quibus ſua Joſephus hauſit, non XV. ſed XXV. ſcripſiſſe videntur, ut ait Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. Imo nec ipſemet Joſephus quindecim ſcripſit, ſed XXV. ut oſtendit Card. Noriſius in Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis cap. 6. quod hac ratione oſtendit. Joſephus lib. 14. cap. 12. ſcribit, Antipatro quatuor filios fuiſſe: Phaſaelum, Herodem ſecundo genitum, ac Pheroram, filiam vero Salomen; ab illo maxime cultum Aretam Regem Arabum, *apud quem*, inquit, *& liberos depoſuit, dum bellum contra Ariſtobulum gereret*. Hoc bellum geſtum eſt anno Urbis 689. ante Epocham vulgarem Chriſti 65. ut erudite oſtendit Uſſerius in Annalibus, & quidem ineunte vere: nam inter ſolemnia Paſchalia Antigonus intra Hieroſolymam ab Areta & Antipatro obſidebatur, ex Joſepho lib. 14. cap. 3. At anno ſuperiori Antipater ad Aretam Arabum Regem confugiens, eundem ad bellum contra Antigonum ſuſcipiendum ſollicitavit, & ut fidem eidem faceret, filios apud illum depoſuit. Igitur anno Urbis 688. Herodes vivebat obſes Arabi datus. Cum major natu eſſet Pherora; (volo enim concedere Salomen nondum natam) anno ſuperiori 687. idem Herodes erat puer. Hinc ad annum Urbis 707. anni viginti numerantur vitæ Herodis; ac proinde error Codicis Joſephi ex eodem Auctore corrigendus venit. Ita Card. Noriſius.

Baron. in Apparatu n. CXIV.

LXIII. Neque etiam audiendi, qui *adoleſcentis* nomen hanc correctionem rejicere volunt. Nam præter a Caſaubono in Exercitationibus notata, Salluſtius in Catilinaria ſcribit, Q. Catulum Cæſari infeſtum fuiſſe, quod in petitione Pontificatus maximi *ab adoleſcentulo Cæſare victus diſceſſerat*. Cæſar Pontificatum maximum indeptus eſt anno Urbis 691. ex Dione lib. 37. annos natus 37. Eodem anno idem Cæſar fuit deſignatus Prætor. Cicero in Divinatione contra Verrem L. Metellum Prætorem Ciliciæ alloquens ait: *M. Cæcilium fratrem tuum lectiſſimum atque ornatiſſimum adoleſcentem*, qui tamen erat itidem Prætor deſignatus, ut ibidem Cicero teſtatur. Hæc & alia exempla ibidem Card. Noriſius. Sed non tantum hoc tempore, ſed etiam per quinque ſequentia ſecula vox *adoleſcentis* pro homine triginta & amplius annis nato uſurpata, ut identidem in hac Critica conſtabit. Sufficiat hic locus Lactantii lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 29. de Maximiani Herculii Conſtantini Magni ſoceri morte, quæ anno Chriſti trecenteſimo decimo contigit: *Credidit adoleſcens*, inquit Lactantius, *ut perita ac ſenex*, *paret ut ſocero*, &c. ubi Conſtantinus, qui tunc annum ætatis circiter quadrageſimum agebat dicitur *adoleſcens*. Cum itaque certum eſſe debeat, Herodem currenti Urbis anno 707. annos XXV. vel inchoaſſe, vel abſolviſſe, conſtetque ex Joſepho lib. 17. cap. 8. Herodem defunctum *circa annum ætatis ſeptuageſimum*, apparet Herodis mortem anno Urbis 750. contigiſſe. Hæc ad Natale Chriſti recte conſignandum neceſſario obſervanda.

Vox adoleſcens hominem XXV. ac plurium annorum ſæpe ſignificat.

LXIV. *Annus Confuſionis.* Ab hoc anno, circiter Kalendas Octobres, cœpit annus, qui vulgo *Confuſionis* dicitur, & 445. dies habuit, de quo videndus Petavius lib. 10. de Doct. Temp. cap. 59. Romani anni, cum ad hujus correctionem *Julius Cæſar* adjecit animum, eo jam labes progreſſionem fecerat, ut Januarius Octobris 13. aliquando etiam ante hoc tempus inciperet. Quare Cæſar adhibito Soſigene, aliiſque Mathematicarum artium conſultis, ad eam, qua Chriſtianus hodie Orbis utitur, formam redegit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5449. Cyclo Solis 21. CB. Lunæ 14. Indict. 4. Mundi 3960. Urbis conditæ 709. ante Chriſtum 45. Juliano 1.

LXV. *Primus annus Julianus.* Coſſ. C. *Julius Cæſar IV. & Magiſter equitum M. Lepidus*. [1] A Kalendis Januariis, quibus hunc quartum Conſulatum iniit, primus ordinationis Julianæ annus numeratus eſt. Inde enim anni a ſe conſtituti principium fecit, ut docet Cenſorinus de Die natali cap. 20. In poſterum Conſules & annum Julianum memorabimus, ut contextus temporum clarius procedat.

An-

NOTÆ [1] Coſſ. C. *Cæſar IV. Et Magiſter equitum M. Lepidus*. Faſti Capitolini apud Gruterum pag. CCXCV.

C. JULIUS. C. F. C. N.
CÆSAR III. M. A.
. . . .
C. JULIUS. C. F. C. N.
CÆSAR. III. D.
M. AIMILIUS. M.
F. Q. N. LEPIDUS
MA. . . . . . .
EODEM ANNO.
C. JULIUS. C. F. C. N.
CÆSAR. IIII. SINE.
. . . . . (ideſt *ſine collega*.

In tabula vero Colotiana apud eundem Gruterum pag. CCXCVIII. legitur

C. JULIUS. CÆSAR
IIII. SINE COLLEGA
SVF. Q. FAB. MAXIM.
C. TREBONIUS. C. F.
C. CANINIUS C. F.
C. JULIUS. CÆSAR.
DICT. IV.
M. ÆMILIUS M. EQ.

Ex

Olymp. 184.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5410. Cyclo Solis 22. A. Lunæ 15. Indict. 5. Mundi 3961. Urbis conditæ 710. ante Chriſtum 44. Juliano 2.

LXVI. *Julius Cæſar occiditur.*

Coſſ. C. Julius Cæſar V, & Magiſter equitum M. Antonius. [2] Cum Julius Cæſar in Curiam veniſſet, expeditionem Parthicam meditans, ibi in curuli ſedentem cum Senatus invaſit, tribuſque & viginti vulneribus occiſus eſt, ex Livio lib. 116. & Floro lib. 4. cap. 2. *Idibus Martiis*, ætatis anno 56. ex Suetonio in Julio Cæſare cap. 81. 88. & 89. Plutarcho in eodem, & Appiano lib. 2. Bel. civil. pag. 512. Qui Imperatores a Julio Cæſare auſpicantur, in ejus monarchiæ annis computandis inter ſe diſſident. Qui.

NOTÆ

Ex tabulis Capitolinis, inquit Stephanus Vinandus Pighius in Annalibus Romanorum ad hunc annum, apparet, Julium Cæſarem *poſt tertiam Dictaturam, eodem anno conſulatum quartum geſſiſſe ſine collega.* Dio in principio lib. XLIII. pag. 214. *Sequenti anno*, ait, *DICTATURAM* (Cæſar) *CONSULATUMQUE TERTIO, utrumque magiſtratum, COLLEGAQUE LEPIDO geſſit.* Suetonius in Julio cap. LXXVI. *TERTIUM ET QUARTUM CONSULATUM titulo tenus* (Cæſar) *geſſit, contentus Dictaturæ poteſtate decreta cum poteſtatibus ſimul, atque utroque anno binos conſules ſubſtituit ſibi internos noviſſimos menſes.* Onufrius Panvinius in Faſtis ad annum Urbis 708. arrauſe Dionem hac in re, & Suetonium ſcribit. Pighius item cenſet, male a Dione *tertiam* Cæſaris *Dictaturam* cum *tertio* ejus *Conſulatu* copulari. At nummi Julii Cæſaris in Familiis Romanis Jo: Vaillantii tom. I. pag. 508. præferunt COS. TER. DICT. ITER ubi vir doctus monet, hunc nummum, *tertium Cæſaris conſulatum* cum *ſecunda Dictatura* conjungere, & Dionem non arrace, ſed explicandum eſſe hoc pacto. Cæſar *Dictaturam ſecundam* inierat, quando *tertium conſulatum* initio anni ſuſcepit, & poſt aliquot menſes ejuſdem anni, devictis in Africa Pompejanis, Senatus, auctore eodem Dione, *Dictatorem* eum deinceps conſtituit, & *tertiam* tunc *Dictaturam* inchoavit, quam eodem anno una cum *Conſulatu tertio* ex Dionis Sententia geſſit. *Dictatura* non eodem die, quo conſulatus inibatur; prout autem Cæſar in Conſulatu Lepidum aſſumpſit, ſic etiam in Dictatura Magiſtrum equitum dixit. Præterea alius nummus ibidem apud Vaillantium pag. 512. cum Epigraphe CÆS. DIC. QUAR. COS. QUINT. litem omnem dirimit, dum *Dictaturam quartam* cum *Conſulatu quinto* conjungit; ex quo liquet, inquit Vaillantius, Dictaturam non eſſe ſuſceptam a Cæſare eo die, quo conſulatus; quare quum conſulatum *quintum* ſuſcepit, *annus* Dictaturæ quartæ *nondum* abſolutus erat; nam conſulatus ordinarius *Kal. Januariis* inibatur, Dictatura illo die inchoabat, quo quis Dictator creabatur.

Cæſar ſub finem anni Urbis 708. in Hiſpaniam transfretare coactus eſt, & a Lepido, Equitum Magiſtro, *conſul quartum* creatus eſt, quum nondum *Dictaturam tertiam* accepiſſet, quam receperit, Romæ redux poſt victoriam Africanam de Juba rege.

Quæ porro ad Hiſpanicam Cæſaris expeditionem pertinent, paullo curatius ſunt digerenda. Poſt actum hoc anno a Cæſare Romæ triumphum; ubi Pompeji vires in Hiſpania augeri ſenſit, *& ſuos ad Bellum ei faciendum non ſufficere animadvertit, ipſe Roma cuſtodia Lepido, ut quibuſdam* ... *nonnullis videtur, vel (quod magis creditum eſt) ſex Urbis præfectis conjuncte, in Hiſpaniam expeditionem ſuſcepit.* Ita Dio lib. XLIII pag. 227. 228. Id factum ſub hiemem hujus anni, quo jam *conſul quartum Cæſar* deſignatus erat. Plutarchus enim in ejus vita habet: *His ita peractis*; ſcilicet triumphis, & ludis, *QUARTO CONSUL deſignatus in Hiſpaniam contra Pompeji liberos expeditionem egit.* Mira quidem celeritate in Hiſpaniam transfretavit. Tanta enim inquit Dio lib. XLIII. pag. 200. *itineris uſus erat celeritate, ut antequam audiretur ipſum in Hiſpaniam advenisse, a ſuis, hoſtibuſque, ibi conſpiceretur.* Eadem de hujuſmodi celeritate ſcribit auctor hiſtoriæ de bello Hiſpanienſi. & Strabo lib. III. pag. 160. ait: *Hiſtorici perhibent, Cæſarem Roma Obulconem perveniſſe XXVII. dierum itinere, cum eſſet ad Mundam conſerturus prælium.* Itaque certum eſt, Cæſarem ſub hiemem A. V. 708. Roma in Hiſpaniam profectum. Prœlium & victoria ad Mundam fuit die XVI. Martii A. V. 709. Narrat ſiquidam Plutarchus in vita, victoriam accidiſſe, cum: *Victoria dies ſacer Bacchanalium ageretur, qua Pompejus magnus in prælium progreſſus traditur, quum jam quadriennii tempus intercessiſſet.* Die XII. Aprilis Cæſari Cn. Pompeji caput allatum eſt: *Quum Cæſar*, inquit auctor de bello Hiſpanienſi, cap. XXXIX. *gradiebatur Hiſpalim, pridie Idus Aprilis caput allatum* (Cn. Pompeji), *& populo datum eſt in conſpectum.* Nuncius victoriæ allatus eſt Romam die XX. Aprilis; quamobrem ſtatutum fuiſſe Dio tradit lib. XLIII. pag. 234. ut *Parilibus (quo feſto die equorum certamen celebrabatur). Diis immortalibus ſacra fierent. Non ob eam cauſam, quod is dies natalis Urbis erat, ſed quod nuncius de hac victoria Cæſaris pridie hujus diei ſub veſperam allatus fuerat.* Cæſar pridie Kal. Maji, Hiſpali conſolatoriam epiſtolam dedit ad Ciceronem de morte Tulliæ filiæ ſuæ. Cicero ad Atticum lib. XIII. Epiſt. XX. Die II. Auguſti Cæſar Hiſpaniam citeriorem vicit. Kalendarium marmoreum Maffæinum: *IV. Non. Auguſti. Hoc die Cæſar Hiſp. vicit.* Kalendarium Capranicenſe: *IV. Non. Aug. Feria quod hoc die Imp. Cæſar Hiſpaniam citeriorem vicit.* Denique Kalendarium Antiatinum: *IV. Non. Aug. Divus Julius Hiſp. Vicit.* Hiſpalim denique die IX. Auguſti Cæſar expugnavit, ut notat Kalendarium Maffæiorum: *Hoc die Cæſar Hiſpalim vicit.* Statim Cæſar in Italiam venit, nam *Idibus Septembris* teſtamentum in Lavicano ſuo fecit, Svetonius in vita cap. LXXXIII. Simulac in Urbem venit, conſulatu ſe abdicavit, conſuleſque fecit *Q. Fabium*, ac *C. Trebonium*. Dio lib. XLIII. pag. 236. Menſe Octobri triumphum de Hiſpania egit, ex fragmentis Faſtorum triumphalium, & Vellejus lib. II. cap. LVI. *Q. Fabio Maximo, pridie Kal. Jan.* extincto, ſuffectus eſt a Cæſare in paucas horas *C. Caninius*, de cujus breviſſimo conſulatu Svetonius in Julio cap. LXXVI. & in Claudio cap. XV. Cicero lib. VII. Famil. epiſt. XXX. Plinius lib. VII. cap. LIII. Macrobius lib. II. cap. II. & III. & lib. VII. cap. III. De *Q. Fabio Maximo, trimeſtri conſule* idem Svetonius in Julio cap. LXXX. Faſti Idatiani: *Cæſare IV. ſolo.* Vindebonenſes: *Cæſare IV. & ſolo.* Mendoſe librarii inſcitia.

[2] *COſſ. C. Julius Cæſar V. & Magiſter Equitum M. Antonius.* Faſti Capitolini: C. IULIUS C. F. C. N. CÆSAR. V. . . . . Tabula Colotiana: C. JULIUS. CÆSAR V. M. ANTONIUS. M. P. eraſis litteris *M. Antonius*: SUP. P. CORNELIUS P. P. Nummi Cæſaris apud Vaillantium in Familiis Romanis tom. I. pag. 512. 513. ubi COS. QUINT. in quorum altero IMP. VI. In Faſtis triumphalibus A. V. DCCX. more Varroniano ad VII. FEBR. ova-

tio

Digitized by Google

Quidam tres annos ei imputant, ut Auſonius; alii quatuor cum menſibus aliquot, ut Euſebius in Chronico; alii quinque. Omnium optime Joſephus, qui vel a Pompeji morte, vel a ſecunda Cæſaris Dictatura monarchiæ ejus primordia deſumit, quando ait, cum occiſum *exactis in Principatu ſuo tribus annis cum dimidio*. Feſtus tamen Rufus in Breviario, pluresque ex Antiquis Romanorum Imperatorum exordium ab Auguſto deducunt & quidem recte; Julio enim vivente quædam libertatis Reique publicæ ſpecies adhuc extitit.

LXVII. *Auguſtus Julio ſuccedit.* Cajus Octavius Julii Cæſaris ex ſorore nepos Cæſaris nomen aſſumſit, ſeſeque in Juliam gentem adſciſcens, pro Cajo Octavio ſe Cajum Cæſarem Octavianum deinceps appellavit, ut teſtatur Dio lib. 45. Ab hoc anno ac nece Julii initium Imperii ejuſdem Octaviani Scriptores communiter deducunt, uti Joſephus lib. 18. Antiquit. cap. 3. ubi ait: *Præfuit Reipublicæ annos quinquaginta ſeptem, ſex menſibus & diebus duobus amplius*. Deſunt tamen dies tres ac menſis integer; cum Auguſtus die decimo nono menſis Auguſti anni Chriſti 14. ſupremum diem obierit, Julius vero Cæſar die 15. Martii currentis anni. Joſephum ſequitur Euſebius in Hiſtoria lib. 1. cap. 9. ubi tradit, imperaſſe Auguſtum *ſeptem & quinquaginta annis*, ubi menſes & dies numerum illum excedentes negligit. Ex quo liquet, correxiſſe Euſebium in Hiſtoria quod in Chronico ſcripſerat, Auguſtum nempe imperaſſe annis quinquaginta ſex, menſibus ſex, niſi in Hiſtoria annos incompletos pro completis uſurparit; quod non exiſtimo. Nam in Chronico Auguſti mortem cum anno Eræ Dionyſianæ decimo tertio per errorem copulat, quem cum Petavius aliique Viri doctiſſimi non obſervarint, in Chronico Euſebii explicando non ſemel hallucinati ſunt. Quem errorem Euſebium in Hiſtoria correxiſſe, ibidque ſcripſiſſe, regnaſſe Auguſtum ſeptem & quinquaginta annis exiſtimo.

LXVIII. *Initium Auguſti ab Antiquis ab hoc anno communiter deſumtum.* Antiqui, qui ſcripſere, Chriſtum natum eſſe anno quadrageſimo primo, aut quadrageſimo ſecundo, aut quadrageſimo tertio Auguſti, a currenti anno hujus Imperatoris initium repetunt; quod miror a Viris eruditiſſimis in dubium revocatum; ideoque Imperium Auguſti in Chronicis & Annalibus ab hoc anno incipiendum, non vero a ſequenti, ut perperam Petavius lib. 13. de Doct. temp. aliique multi. Baronius recte ſcribit, qui natum dicere Chriſtum anno Auguſti XLII. eos incipere ejus Imperium a nece Julii Cæſaris. Sed male addit, qui numerent Auguſti tempus a Conſulatu Panſæ & Hirtii, ab anno nempe ſequenti, hos natum tradidiſſe Chriſtum anno XLI. ejuſdem Imperatoris, puta Irenæum, Tertullianum & Hieronymum, quos ipſe citat. Nam tam iſti, quam Epiphanius Auguſti principium a currenti anno auſpicantur, ut eorum loca examinanti patebit.

LXIX. *Quomodo S. Epiphanius Auguſti annos numerat.* Petavius in Animadverſionibus Epiphanianis pag. 130. autumat Epiphanium, Chriſtum anno Auguſti XLII. natum eſſe ſcribentem, hujus Imperatoris initium ſtatuere anno Juliano tertio, inſequenti nempe: quod probat ex partione temporis, quo Epiphanius hæreſi 51. Auguſtum imperaſſe tradit: *Siquidem Auguſtus XIII. annis imperavit, antequam Judæa penitus Romanis eſſet adjuncta*, inquit Epiphanius qui addit, *cum Judæa eſſet omnis occupata, ac jam XXIX. annis Romanis facta vectigalis*, Chriſtum natum eſſe anno XLII. Auguſti VIII. Idus Januarii. Nam, inquit Petavius, a Juliano tertio ad decimum quintum anni tredecim exiſtunt, quibus additi XXIX. ſummam XLII. conficiunt, quorum poſtremus XLIV. Juliano incipit, & quidem ex ante Kalend. Januar. Quam ob cauſam anno Auguſti XLI. potius quam XLII. Natalis Chriſti aſſignandus fuit, cum Irenæo, Tertulliano & aliis compluribus. Ita Petavius. Sed perperam: tredecim enim priores anni ab Epiphanio expreſſi anno Juliano 2. currenti nempe incipiunt, annoque Juliano decimo quinto, quo Antonius & Cleopatra debellati, abſolvuntur. Anni vero XXIX. ab Epiphanio memorati ab eodem anno Juliano decimo quinto exordiuntur, annoque Juliano quadrageſimo tertio, quo Auguſtus Imperii quadrageſimum ſecundum inchoavit, terminantur, Chriſtuſque ſecundum Epiphanium natus eſt die ſexta Januarii anni Juliani quadrageſimi quarti, quo menſe & anno quadrageſimus ſecundus Auguſti adhuc in curſu erat uſque ad Idus Martias, quo die Julius Cæſar occiſus, vel uſque ad Autumnum, vel uſque ad Septembrem, ſecundum diverſos modos annos Auguſti incipiendi ab Antiquis uſurpatos. Sed Petavius, qui annorum illorum tredecim ab anno Juliano tertio, ſequenti nempe, principium inchoavit, coactus eſt Epiphanium ad illorum ſententiam trahere, qui Chriſtum anno XLI. Auguſti natum ſcripſere.

LXX. A currenti pariter anno Juliano Euſebius in Chronico Auguſti annos deduxit, ut recte a

NOTÆ

tio Cæſaris ex monte Albano refertur, quam conjicit Vaillantius factam, ob concepta vota a Cæſare pro feriis Latinis, ad bellum in Parthos inferendum. Dio lib. XLIII. pag. 238. *Anno ſequenti Cæſar Dictator quintum fuit, collega aſſumpto M. Antonio.* Mox pag. 239. *Cæſar autem his duobus annis Dictator futurus, magiſtros equitum ſibi alios, atque horum alterum Octavium adoleſcentulum etiamnum delegit; ipſe Dolabellam pro ſe Conſulem eſſe juſſit. Antonio conſulatum &c.* Faſti Idatiani. *Cæſare V. & Antonio.* Faſti Anonymi Vindebonenſes: *Cæſare V. & Antonio.*

Poſt Cæſaris necem *M. Antonius* & *P. Cornelius Dolabella* conſulatum geſſere. Deinde menſe Auguſto *C. Octavius & Q. Pedius.* De conſulatu *M. Antonii* & *Dolabellæ*, Cicero paſſim in Philippicis, Svetonius in Julio cap. LXXXII. *Fuerat animus conjuratis, corpus occiſi (Julii) in Tiberim trahere: ſed metu M. Antonii conſulis & Magiſtri equitum Lepidi deſtiterunt.* Idem in Octavio cap. X. *ſed adverſante conatibus ſuis* (Octavii) *M. Antonio conſule, quem vel præcipuum adjutorem ſperaverat &c.* Plinius lib. II. cap. XXXI. Tres Soles viſos eſſe ait, *M. Antonio P. Dolabella Coſſ.* M. Antonius nolebat quidem *Dolabellam* ad conſulatum admittere, *tamen collegam ſibi eſſe, ne ſeditionem moveret, paſſus fuit*, inquit Dio lib. XLIV. pag. 268.

De *Q. Pedio conſule* Appianus item lib. IV. de bell. civilibus pag. 592. Conſtituto Triumviratu inter *Octavium Antonium & Lepidum* paullo antequam Triumviri Urbem ingrederentur, *Pedius*, morbo ex nimia defatigatione contracto, extinctus eſt. De *Q. Pedio*, nepote *Q. Pedii conſularis* triumphaliſque, a Cæſare Dictatore, coheredis Auguſto dati, Plinius lib. XXXV. cap. IV.

De *Decimo Bruto conſule* a Julio Cæſare *deſignato*, & A. V. 712. conſulatum inituro, Cicero Philippica III. V. VIII. & XI. Velleius lib. II. cap. LVIII. LX. LXIII. Dio lib. XCIII. pag. 247. *at D. quidem BRUTUS CONSUL etiam in ſecundum annum conſtitutus &c.* Et lib. XLVI. pag. 325. *Dum hæc aguntur, interim D. Brutus timens, ut bellum contra Antonium Lepidumque gereret, profectus, L. Plancum qui cum conſul ad ſequentem annum deſignatus fuerat, ſocium ſibi adſciverat.*

Initium Auguſti ſecundum Euſebium. Baronio obſervatum. Quare Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ad numerum 1988. & Petavius laudatus, ab anno Juliano tertio, ſequenti ſcilicet, Euſebium Auguſti initium poſuiſſe male autumarunt. Euſebius itaque primum Auguſti annum a menſe Octobri anni Juliani a. cum anno civili Syrorum & maxime Cæſarienſium auſpicatus eſt, etiam juxta editionem Chronici a Scaligero curatam, ab anno nempe Abrahami 1974. quemadmodum in Auguſti morte & alibi declarabo, ut vulgaris error tandem profligetur.

Signa & prodigia. Ad hunc annum pertinent ſigna, quæ Baronius de Chriſti adventu explicat in Apparatu num. XXVII.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5451. Cyclo Solis 23. G. Luna 16. Indict. 6. Mundi 3062. Urbis conditæ 725. ante Chriſtum 43. Juliano 3.

LXXI. *Primus Conſulatus Auguſti.* COSS. *C. Vibius Panſa*, & *A. Hirtius*, [1] qui Kalendis Januariis dignitatem illam iniere, poſtridieque C. Cæſari Octaviano *Imperium extraordinarium*, (ut in Philippica 11. Cicero appellat) a Senatu datum eſt, cum Conſularibus ornamentis, & lictoribus atque inſignibus Prætoriis; ut comparato a ſe exercitui pro Prætore præeſſet, aliaque in ejus gratiam decreta, ut videre eſt apud Ciceronem Philip. 5. & lib. ad Brutum epiſt. 15. Livium lib. 118. Velleium lib. 2. cap. 61. Suetonium in Octavio cap. 10. Plutarchum in Antonio, Appianum lib. 3. pag. 550. & 560. Dionem lib. 46. pag. 320. De hoc Imperio extraordinario hoc anno Octaviano dato loquitur Baronius in Apparatu num. CIV. Tum *die decima nona* menſis Auguſti primum Conſulatum Octavianus ſuſcepit, Collega Q. Pedio; quæ dies poſtea ejus emortualis fuit, ut notavit Dio lib. 56. Unde & curioſorum illa obſervatio apud Tacitum lib. 1. Annal. cap. 9. *quod idem dies accepti Imperii princeps & vitæ ſupremus fuerit*: Imperio non male a primo hoc Conſulatu deducto, ut notavit Baronius no. CV. Varia itaque Imperii Auguſti initia fuere, ſed a præcedenti anno cum antiquis Auctoribus Eccleſiaſticis initium Auguſti in Annalibus repetendum fuit. Porro Auguſti exemplo cæteri Imperatores initio Imperii Conſulatum de more cepere, quidam ſuffectum, ſed plerique ordinarium. Quo ex uſu primam Conſulatuum Cæſareorum regulam concinnavi. Poſt Auguſti mortem Conſulatuum regulæ a me ſtatutæ in uſum vocatæ.

Prodigia. Ad hunc annum referenda oſtenſa prodigia, quæ Baronius Chriſti adventum præceſſiſſe tradit in Apparatu num. XXVIII.

LXXII. A primo Auguſti Conſulatu, vel a Triumviratu, de quo mox, Auctor libri de Claris Oratoribus initium Auguſti deducit, ut ex ejus verbis liquet: *Nam, ut de Cicerone ipſo loquar, Hirtio nempe & Panſa Coſſ. ut Tyro libertus ejus ſcripſit VII. Idus Decemb. occiſus eſt, quo anno Divus Auguſtus in locum Panſæ & Hirtii ſe & Q. Pedium Coſſ. ſuffecit. Statue VI. & L. annos, quibus mox Divus Auguſtus Remp. rexit: adjice Tiberii tres & viginti, & prope quadriennium Caii, ac bis quaternos denos Claudii & Neronis annos, atque ipſum Galbæ & Othonis & Vitellii unum annum, ac ſextam jam felicis hujus Principatus ſtationem, qua Veſpaſianus Remp. fovet, C. & XX. anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis ætas.* Ubi ab eo fere tempore, quo Cicero mortuus eſt, ſummæ illius, quam ibidem colligit, caput inſtituit. Verum quidem eſt, ab anno Urbis 711. quo Cicero mortuus eſt, ad annum Urbis 828. quo Veſpaſianus ſextum Imperii annum abſolvit, annos tantum CXVIII. utrimque incompletos numerari. Sed Auctor ille, ut plerique Veterum, loquitur numero rotundo, & CXX. pro CXVIII. numerat. Eadem ratione, inquit Petavius lib. 10. de Doct. Temp. cap. 64. Tacitus lib. 1. Hiſt. prius ævum populi Romani ab Urbe condita ad Actiacum prælium, DCCXX. annorum facit cum revera ſint DCCXXII. completi. Qui numerandi modi ad varios nodos ſolvendos notandi. Baronius inter exempla, quæ refert eorum, qui a nece Cæſaris annos Auguſti numerarunt, ait: *Tacitus etiam, ſive alius Auctor Dialogi de Oratoribus, nonniſi a nece Cæſaris annumerat Auguſti annos, dum imperaſſe annos quinquaginta & octo teſtatur*. Verum auctor ille non LVIII. ſed LVI. habet, & manifeſte a Ciceronis morte Auguſti Imperium exorditur, ut legenti liquet. *Initium Auguſti diverſimode inchoatum.* Baron. in Apparatu n. CIV.

LXXIII. *Triumviratus conſtitutio.* Hoc anno Octavius, Antonius & Lepidus Imperium Romanum, quaſi hæreditatem quandam inter ſe diviſerunt, & conſtituerunt ut Triumviri eſſent Reipublicæ conſtituendæ in proximum quinquennium, ut teſtatur Dio lib. 46. Cœptus autem Triumviratus V. Kalend. Decemb. ut ex Inſcriptione Gruteriana pag. 298. apparet. Baron. n. CV. Hinc initium Principatus Cæſaris Octaviani Suetonius in Octaviano cap. 8. & Eutropius lib. 7. deducunt: annos fere XII. ad victoriam Actiacam, a qua monarchiam ejus auſpicantur, numerantes.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5452. Cyclo Solis 24. F. Luna 17. Indict. 7. Mundi 3063. Urbis conditæ 712. ante Chriſtum 42. Juliano 4. Auguſti 3.

LXXIV. Coſſ. *M. Æmilius Lepidus II. & L. Munatius Plancus.* [a] Anno Juliano quarto in Februario

NOTÆ [1] COſſ. *C. Vibius Panſa, & A. Hirtius.* Faſti Capitolini. C. VIBIUS C. F. *Panſa* IN MAGISTRATU *occiſus eſt. In ejus locum factus eſt* C. JULIUS. C. F. C. N. *Cæſar qui* POSTEA IMP. *Cæſar Auguſtus appellatus* EST.. ABD. IN. *ejus locum factus eſt* C. *Carrinas* C. F. Alter e Conſulibus. *A. Hirtius A. F. In magiſtratu occiſus eſt, in ejus locum factus eſt Q. Pedius* Q. F. In magiſtratu mortuus eſt, in ejus locum factus eſt P. Ventidius P. F. qui idem Prætor erat. Tabula Colotiana.

C. VIBIUS. C. F. PANSA	A. HIRTIUS. A. F.
SUF. C. JULIUS. CÆSAR	SUF. Q. LEPIDUS. Q. F.
C. CARRINAS. C. F.	P. VENTIDIUS. P. F.

Raphael Fabrettus Inſcript. antiquar. pag. 217. num. 565. NATUS. EST. A. HIRTIO... VIBIO. PANSA. COS. Dio lib. XLV. pag. 278. A. Hirtio, C. *Panſa (nam is quoque tum erat conſul creatus, quanquam pater ipſius in tabula proſcriptionis Syllana ſignatus fuerat, Kalendis Januarii Senatus eſt convocatus. Suetonius in Octavio cap. X. juſſuſque (* Octavius *) comparato exercitui, Pro prætore præeſſe, & cum Hirtio ac Panſa, qui conſulatum acceperant &c.* Faſti Idatiani, & Vindobonenſes: *Panſa, & Hirtio.*

[a] COſſ. *M. Æmilius Lepidus II. & L. Munatius Plancus.* Tabula Colotiana.... EMILIUS; M. ANTONIUS. IMP. CÆSAR. III. VIR. R. P. C.

EX

Digitized by Google

Annus Julianus pravâ intercalatione turbatur.

ario dies vitioſe intercalatus eſt: cum a Februario anni primi Juliani eo uſque triennii ſolum ſpatium interceſſiſſet. Qui error uſque ad annum Julianum 37. deinceps eſt continuatus. Nam, cum oporteret diem, qui ex quadrantibus conſit, quarto quoque anno confecto, antequam quintus inciperet, intercalare: Sacerdotes quarto non peracto, ſed incipiente, intercalabant. Atque ita annus a Julio Cæſare recte ordinatus, horum negligentia conturbatus atque confuſus eſt; qua de re legendus Suetonius in Octaviano cap. 31. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 14. in fine. Baronius quidem anno Juliano tertio, quo Coſſ. fuerunt Hirtius & Panſa, primum biſextilem annum a Julio Cæſare conſtitutum dicit. Sed ea opinio ſolide a Petavio confutata lib. 4. de Doct. Temp. cap. 2. & 3. Quare vide quæ ibidem hanc in rem affeſuntur.

Baron. in Apparat. n. CXXVIII.

Tres Soles viſi.

Tres Soles, qui ſecundum Baronium num. XXVIII. adventum Chriſti præmuntiabant, hoc anno viſi.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5453. Cyclo Solis 25. ED. Lunæ 18. Indict. 8. Mundi 3964. Urbis conditæ 713. ante Chriſtum 41. Juliano 5. Augusti 4.

LXXV. *Herodes Antonium ſibi conciliavit.*

Coſſ. *L. Antonius, & P. Servilius Iſauricus II.* [1] Scribit Joſephus lib. 4. Antiquit. cap. 22. Antonium Antonii Conſulis fratrem in Bithyniam primum advectum, ubi aderant Hebræorum Legati, Herodem accuſaturi; quod Regiam poteſtatem invaſiſſet, Hyrcano penes titulum tantum regnante; Herodem vero ab Antonio primum in colloquium admiſſum, adeo ſibi Antonium conciliaſſe, ut accuſatores nequidem auditi, re infecta, diceſſerint.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5454. Cyclo Solis 26. C. Lunæ 10. Indict. 9. Mundi 3965. Urbis conditæ 714. ante Chriſtum 40. Juliano 6. Augusti 5. Herodis 1. Olymp. 185.

LXXVI. Coſſ. *Cn. Domitius Calvinus II. & C. Aſinius Pollio* [2] Parthi, appetente vere in Syriam cum ingenti exercitu irrupere; quam *Pacoro* Regis filio & *Labieno*, qui ex clade Philippenſi ad eos fugerat, Ducibus, univerſam nullo negotio, excepta Tyro, ſubegerunt. Tum diviſis copiis, Labieno cum parte exercitus in Aſiam miſſo, Pacorus in Palæſtinam movit, ex Dione lib. 48. Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 25. ſcribit, hanc Parthorum in Syriam irruptionem contigiſſe *altero anno* ab Antonii in Aſiam adventu. Recte quidem, inquit Card. Noriſius in Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis cap. 6. nam anno Urbis 713. Antonius in Aſiam e Græcia tranſmiſerat, ac anno colligendis tributis conſumto, Alexandriam hieme inſtante, perrexerat; Parthi vero altero anno Urbis 714. Syriam invaſerunt.

LXXVII. *Antigonus Hyrcano ejecto, Judaicæ Rex impoſitus.*

Palæſtinæ id temporis *Hyrcanus* imperabat; omnia tamen unius Herodis ejuſdem generis arbitrio gerebantur; quod ægre ferens *Antigonus*, cujus pater Ariſtobolus Judææ Regno quondam a Pompejo privatus fuerat, Parthos tota Syria victores, ingentium præmiorum promiſſis allectos, in Palæſtinam accivit, ut eorumdem opera

Apparatus in Baronium Xx 2

NOTÆ

EX. A. D. V. K. DEC. AD
PR. K. JAN. SEXT
MUNATIUS L. F. M. ÆMILIUS M. F.

Nummus in Familiis Romanis apud Jo. Vaillantium in gente Æmilia num. XXXI. M. LEPIDUS. PONT. MAX. III. VIR. R. P. C. COS. ITER. Inſcriptio *Planci* ſepulcralis. Caietæ, ex Grutero pag. CCCCXXXIX. 8. L. MUNATIUS. L. F. L. N. L. PRON. PLANCUS. COS. &c. Vide de *Planco* Jo. Vallantium Familiarum Romanarum tom. II. pag. 154. Suetonius in Tiberio cap. V. *Natus eſt* (Tiberius) *Romæ in Palatio XVI. Kal. Decemb. M. ÆMILIO LEPIDO ITERUM, L. MUNATIO PLANCO COSS. poſt bellum Philippenſe*, Plinius lib. II. cap XXXI. De tribus ſolibus in cœlo viſis, *M. Lepido, L. Planco coſſ.* Plancus jam *conſul deſignatus* fuerat, Cic. Philippica XIII. num. 16. Dio lib. XLVI. pag. 326. ubi de pactionibus Triumviratus: *Præterea compoſitum inter ipſos eſt ut inimicos ſuos* cæderent, utque *LEPIDUS in locum D. BRUTI CONSUL fieret*. Idem Dio lib. XLVII. pag. 336. *M. LEPIDO* (iterum) *L. PLANCO COSS.* Faſti Idatiani, & Vindebonenſes: *Lepido, & Planco*.

[1] *Coſſ. L. Antonius, & P. Servilius Iſauricus.* Tabula Colotiana: .... ANTONIUS. P. SERVILIUS. P. F. Faſti triumphales Capitolini. L. ANTONIUS. M. F. M. N. COS. EX. ALPIBUS. Nummi apud Jo. Vaillantium in Familiis Romanis tom. I. pag. 93. 94. ubi L. ANTONIUS. COS. De *L. Antonio conſule*, Appian. de bell. civilib. lib. V. pag. 679. Suetonius in Octavio cap. XIV. Dio lib. XLVIII. pag. 358. *Anno ſequenti P. SERVILIUS & L. ANTONIUS nomen conſulum conſulatum autem hic & Fulvia geſſerunt.* Ibidem ait, *L. Antonium* de Inalpinis quibuſdam triumphaſſe *Kalendis Januariis*, ac ſe Mario parem in eo jactaſſe, qui qua die magiſtratum initurus eſſet, triumphaſſet. Faſti Idatiani: *Antonio pietate, & Iſaurico.* Faſti Vindebonenſes: *Pietate & Iſaurico. Cognomen Pietatis ſumpſit*, inquit Dio lib. XLVIII. pag. 360. *propter ſuam in fratrem* (M. Antonium) *pietatem. Ideo conſul factus, fratris imaginem, & in averſa parte, PIETATIS SIGNUM, cognomini ſuo alludens, in denario expreſſit. Acerra in manu Pietatis &c.*

[2] *Coſſ. Cn. Domitius Calvinus II. & C. Aſinius Pollio.* Tabula Colotiana: CN. DOMITIUS. M. F. C. ASINIUS. CN. F. SUF. L. CORNELIUS. L. F. nempe *Cn. Domitio & C. Aſinio*. SUF. P. CANIDIUS. P. F. Gruterus pag. C. 8. AD. III. EID. OCT. CN. DOMIT. C. ASINIO. COS. Vide Noriſium in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. II. cap. VI. pag. 139. De hoc ipſo *Pollione* Virgilius Ecloga IV. cecinit.

Teque adeo decus hoc ævi te CONSULE, *inibit.*
POLLIO, *& incipiant magni procedere menſes.*

Dio lib. XLVIII. pag. 365. *Peruſia capta* (*quod fuit Cn.* DOMITIO CALVINO ITERUM, *ASINIO* POLLIONE coſſ. & pag. 376. *Interea temporis etſi jam in exitu erat annus, abrogato prætoribus & conſulibus magiſtratu, alios iis ſufficerunt; nihil curantes, quod ii paucos dies eſſent cum ea dignitate futuri. Fuit inter eos qui tum conſules facti ſunt L. Cornelius Balbus Gadibus natus &c.* Mox de *Salvideni* nece agit qui conſul deſignatus fuerat. De *Salvidieno Rufo* ab Auguſto ad conſulatum uſque provecto, Suetonius in vita cap. LXVI. Nummi Auguſti apud Occonem cum Epigraphe C. CÆSAR III. VIR. R. P. C. in averſa. Q. SALVIUS. IMP. COS. DESIG. Faſti Idatiani: *Calvino II.* (*pro Calvino*) & *Pollione*. Faſti Vindebonenſes *Calvino & Pollione*.

ra paternum Regnum recuperaret. Pacorus, cum ſciret, Hyrcanum Romanorum partibus ſtudere, cum duplici exercitu in Judæam ſtatim venit, ut dejecto Hyrcano, Antigonum Regno præficeret. Antigonus cum copiis, quas privata pecunia collegerat, Hieroſolymam movit, atque a civibus Herodi regimen peroſis intra urbem admiſſus eſt; regiam tamen non occupavit, quod & ſitu muniti, & valido milite inſtructa, ab Herode tenebatur. Pacorus exercitum procul ab urbe caſtra metari juſſit, expectans *convenuturas a tota regione turbas ad Pentecoſten, quam vocant, ſolemnitatem*, ex Joſepho lib. 14. cap. 24. Ubi feſti dies advenit, ac in urbe paſſim cædes fierent, aliis Antigoni, aliis Herodis partes foventibus, Pacorus ſeditionis componendæ prætextu, partem exercitus ſibi admovit, ac Hyrcanum in colloquium amice venientem, ac nullos dolos veritum, ſpecie legationis ad Barzapharnen ducit, qui cum altero exercitu longius Hieroſolyma ſubſtiterat. Hyrcanus, ubi in caſtra venit, in vincula conjicitur, ac *Antigonus* Judæis Rex ſtatim imponitur. Herodes qui in regia remanſerat, Hyrcani captivitate intellecta, Hieroſolymis relictis, ſuos ſecum milites cum familia ducens, *Maſadam* munitiſſimum oppidum ſe recepit; eodem vero valido præſidio ac copioſo commeatu inſtructo, quo obſidium diutius protraherent, ſi eo Antigonus cum exercitu veniſſet, magnis itineribus in Arabiam ad Malchum Regem Nabatæorum pluribus ſibi beneficiis obſtrictum, perrexit. Verum a Malcho juſſus Regni finibus excedere, in Ægyptum iter intendens venit Peluſium; ubi a nautis Alexandriam navigaturis excluſus, a Magiſtrato ejus urbis ſummo cum honore in Ægypti regiam deductus fuit. Cleopatra Herodis vicem miſerata, eum Alexandriæ detinere conata eſt; *haud tamen efficere potuit ne Romam properaret, procelloſo licet tempore, & parum tranquillis, ut nuntiabatur, rebus Italiæ*, inquit Joſephus lib. 14. cap. 25. Itaque Herodes anno Urbis 714. poſt Pentecoſten, menſe circiter Junio, Alexandriam venit, indeque Romam, *procelloſo licet tempore*, non vero *hiberno licet tempore*, ut perperam Ruſinus ac Gelenius hæc Joſephi verba, χειμῶνος τε ὄντος, verterunt. Nam, ut Viris doctis obſervatum, vox χειμὼν, qua utitur Joſephus, tum *hiemem*, tum *maris procellam* promiſcue ſignificat, eoque in loco *hiemem* nullo pacto deſignare poteſt. Solvens igitur inde verſus Pamphyliam, & cum gravi tempeſtate conflictatus, ægre in Rhodum evaſit, jactura etiam ſarcinarum facta, ſubdit Joſephus ibidem.

LXXVIII. *Bellum in Italia inter Cæſarianos & Antonianos.*

Cæſar Octavianus, cum accepiſſet, Antonium ex Aſia in Græciam veniſſe, veritus ne idem inito cum Sexto Pompejo fœdere, bellum ſibi denuntiaret, animum induxit Fuſii Caleni, qui Antonii nomine Galliam ac Hiſpaniam tenebat, legiones ſuas in partes trahere. Dum cunctatur, honeſtam occaſionem perficiendi conſilii expectans, Calenus Legatus morbo abſumitur, ac Cæſar propere in Galliam profectus, Antonianas legiones ſibi adjunxit, ſimulque Galliam ac Hiſpaniam, quæ huc uſque Antonii Legato paruerant, occupavit. Antonius hiſce intellectis, cum Sexto Pompejo contra Cæſarem conſpirans, cum claſſe in Italiam venit, ac Sipuntum cepit; inde Brundiſium copias admovit, & cum oppidani in urbem illum admittere recuſaſſent, obſidium terra marique inchoavit. Ita Dio lib. 48. & Appianus lib. 5. pag. 704. Cæſar Sexti Pompeii amicitiam quæſiverat, ne cum duobus hoſtibus una ſimul bellum gerere cogeretur; at cum Pompejus nullas pacis conditiones admitteret, inquit Dio lib. 48. ad annum Urbis 714. *M. Vipſanio Agrippa bellum contra eum gerendum injunxit, ipſe vero in Galliam profectus eſt. Qua re cognita, Pompejus, obſervato eo tempore, quo Apollinaribus ludis exhibendis, occupatus erat Agrippa (Præturam enim tum gerens, ac præcipuus amicus Cæſaris ſplendide omnia agebat, ludoſque inter cætera equeſtres biduo præbebat, &c.) in Italiam tranſmiſit, ac tamdiu in ea prædas agendo commoratus eſt, donec Agrippa adveniret.* Etenim Antonius contracta cum Sexto Pompejo ſocietate, auctor eidem fuerat, ut claſſe educta, Italiæ maritima infeſtaret, dum interim ipſe in altera Provinciæ parte Brundiſium obſidio premebat.

Is Dionis locus, quo Dio hujus belli civilis tempus deſignavit, inſignem characterem nobis ſuppeditat a Card. Noriſio loco citato, ad Herodiani Regni initium recte conſignandum, primum obſervatum. Nam Card. doctiſſimus ex collatis teſtimoniis Macrobii, Dionis ac Tullii demonſtrat, *Ludos Apollinares*, factos fuiſſe *IV. Idus Julias*, ac poſtea decretum, ut Natalitia Cæſaris eo die celebrarentur. Livius lib. 37. ad annum Urbis 564. ait: *Ludis Apollinaribus ante V. Idus Quintiles, cælo ſereno, interdiu obſcurata lux eſt, cum Luna ſub orbem Solis ſubiſſet*: In veteri Kalendario a Lambecio publicato, *III. Non. Julii* ſignantur Ludi Apollinares; dein *IV. Idus Julii Cæſaris Natalis*; & ſtatim, *III. Id. Ludi Apollinares*. Habemus itaque ex Dione, Agrippam Prætorem anno Urbis 714. menſe Julio, dimidia fere ſui parte exacto, *circa Ludos Apollinares occupatum*, quo tempore Sex. Pompejus *Thurios* ac *Coſentiam* obſedit; Antonius vero *Brundiſium* militari corona vallatum premebat, Cæſar novis Legatis Galliæ ac Hiſpaniæ impoſitis, in Italiam venit, ſtatimque juſſit Agrippæ, ut contra Pompejum copias duceret, ipſe vero contra Antonium movit, ac prope ejuſdem vallum caſtra metatus eſt. Agrippa *Sipuntum* levi negotio recepit; Pompejus vero a *Thuriis* repulſus, *Coſentiæ* obſidium continuabat. Antonius diuturnioris obſidionis impatiens, machinas dejiciendis mœnibus parabat, nec Cæſari ulla ſpes erat munitiones Antonii ſuperandi. Hæc menſe Septembri contigiſſe nullus inficias ibit. Nam, ut ſubjungit ibidem Card. Noriſius, Cæſar antequam Brundiſinum in agrum veniret, *Canuſii per aliquot dies corpore languens* decubuerat, ex Appiano lib. 5. pag. 704. Interea utriuſque partis milites moleſte ferre, Ducum ambitione mutuiſque diſſenſionibus Italiam civilibus armis devaſtari, colloquia de componendis mutuo fœdere Imperatoribus miſcere; pacem publice loqui, ſuam in bello operam negare. Tum L. Cocceius Cæſari ac Antonio ex æquo pergratus, ultro citroque ad eoſdem commeans, pacem tandem inter utrumque certis quibuſdam conditionibus conciliavit. Antonius Ventidio in Aſiam adverſus Parthos ire juſſo, una cum Cæſare in Urbem profectus eſt. Senatus autem decreverat ob initam concordiam, ut ambo ovantes Romam ingrederentur. In Faſtis enim Capitolinis legitur:

LXXIX. *Pax Cæſarem inter & Antonium ſancita.*

M. ANTONIUS. M. F. M. N. III. VIR.
R. P. C. OVA....
QUOD. PACEM. CUM. IMP. CÆSARE.
FECIT.

Annum ac diem temporis injuria abraſit; annum tamen Urbis 714. colligit Card. Noriſius loco laudato ex triumpho L. Cenſorini, qui in iiſdem Tabulis poſtea recitatur.

Cæſar & Antonius ovantes Romam intrant.

L. MARCIUS. L. F. C. N. CENSORINUS.
COS. A....
EX. MACEDONIA. K. JAN.

Ineunte anno Urbis 715. *Marcius Cenſorinus* eadem die Kal. Januarii, qua Conſulatum capeſſivit, triumphum egit. Igitur Oratio Antonii

nii anno ſuperiori, currenti nempe, contigerat. Rurſus circa finem Septembris utrumque Imperatorem Romam ovantem intraſſe, non obſcure demonſtrant res de breviſſimo illo bello a Romanis Scriptoribus narratæ. Bellum enim eruperat circa dimidium Julii, Agrippa *Ludis Apollinaribus* occupato, ac Cæſare Galliæ ac Hiſpaniæ ſtatum Roma procul diſponente, qui cum ex Gallia reverti ſſet, ac contra Antonium Legiones duceret, iiſdem, quod contra ſuum dudum Imperatorem pugnare recuſarent, caſtra deſerentibus, aliom exercitum accire coactus fuit; dein per aliquot dies ægrotavit, antequam prope Antonium caſtra metaretur. Ad hæc, apud *Brunduſium* geſta vix bimeſtri ſpatio una cum ſuperioribus contingere potuerunt; unde vel exeunte Septembri, vel ineunte Octobri uterque Imperator ac Triumvir Romam ovantes rediere, ac non modo Urbem, verum etiam Italiam univerſam ingenti lætitia affecerant; cum civili bello in ipſa Italia ſæviente, agrorum vaſtationem, urbium direptiones, cæteraque incommoda ſibi coloniæ ac municipia timerent; quam tamen ſollicitudinem pax improviſa ſuſtulerat.

LXXX. *Epocha prior Regni Herodiani.* *Parum tranquillis rebus Italiæ*, ut inquit Joſephus lib. 14. cap. 15. id eſt, dum hæc in Italia geruntur. Herodes inſtructa apud Rhodum trireme in Italiam *Brunduſium appulit. Inde Romam profectus, ante omnes Antonio denarravit ea, quæ ſibi in Judæa contigerant*, inquit Joſephus ibidem, occupatam videlicet Parthorum auxiliis ab Antigono Palæſtinam, dejectum Regno Hyrcanum, ac turpiter inter vinc la mutilatum, ſe tamen *per procellas* (ut recte hæc verba διὰ χειμῶνος, vertit Interpres) ad ipſum navigaſſe, a quo afflictæ, atque tum ab hoſte obſeſſæ familiæ meliora fata ſperaret. Antonius amici vicem dolens, ſimulque indignatus, Antigonum Parthorum copiis inſtructum Judæam invaſiſſe, re cum Collega Triumviro communicata, communi conſilio decreverunt, Herodem Judæorum *Regem* per Senatum deſignare. Itaque convocatis Patribus, Regnum Palæſtinæ Herodi S.C. delatum eſt: *atque hoc pacto*, inquit ibidem Joſephus cap. 26. *ille regnum faſtigium adeptus eſt 184. Olympiade, C. Domitio Calvino iterum, C. Aſinio Pollione Coſſ.* Ex quibus a Card. Noriſio docte obſervatis colligitur, Herodem labente Octobri currentis anni, vel potius exeunte Septembri Regnum Judææ a Romanis accepiſſe. Hinc deducta prima Herodiani Regni epocha, ſecundum quam dicitur a Joſepho lib. 1. de Bello cap. ult. regnaſſe annos *triginta & ſeptem, poſtquam Rex a Romanis deſignatus eſt*. De altera ejuſdem Regni epocha, ſecundum quam dicitur a Joſepho ibid. annos *quatuor ac triginta ab interfecto Antigono, Regno potitum*, longe major difficultas eſt, a quo ſcilicet Urbis conditæ anno repetenda ſit. Dio enim lib. 49. Hieroſolymam ab Herode anno Urbis 716. captam ſcribit: Joſephus vero lib. 14. Antiquit. cap. ult. uno anno tardius rem geſtam narrat. Indeque ex Chronologis alii Dionem, ut Uſſerius in Annalibus Vet. Teſt. & Card. Noriſius loco laudato, alii Joſephum, initium ſecundi Regni Herodiani cum anno Urbis 717. copulantem, ſequuntur. Tonnardus V. C. mihique amiciſſimus, dum Pariſiis eſſem, dixit mihi ſe non dubitare, quin Dio hallucinatus fuerit, & quin ideo anno Urbis 716. ſcripſerit: *Anno inſequenti nihil memoratu dignum a Romanis in Syria actum eſt*, quia ſcilicet eo anno, quæ 717. inſequenti facta, ipſe narravit. Quam opinionem cum in examen adduxiſſem, indubitatam eſſe comperi. Porro Baronii hac de re ſententiam anno Urb. 734. commodius conſutabo. Baron. n. CXVI.

Ab hoc tempore Sceptrum regium atque Ducatus defecit de Tribu Juda & domo David, ut explicat Baronius num. III. & ſeqq. Eodem circiter tempore legitima ſummi Sacerdotii inſtitutio apud Judæos declinavit. Baronius num. VII. *Regnum Judæorum in Herode defecit.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5455. Cyclo Solis 27. R. Lunæ 1. Indict. 10. Mundi 3966. Urbis conditæ 715. ante Chriſtum 39. Juliano 7. Auguſti 6. Herodis 2.

Coſſ. *L. Martius Cenſorinus*, & *C. Calviſius Sabinus* [1] Cæſar & Antonius Triumviri, qui poſt pacem anno ſuperiore inter ſe ſancitam, Romanum Imperium denuo partiti fuerant, bellum hoc anno contra hoſtes geſſere: *Bellum contra Pompeium Cæſari obvenit, ne quid aliud interveniret: Parthicum vero Antonio ad ulciſcendam illatam Craſſi injuriam*, inquit Appianus lib. 5. de Bel. civil. Antonius anno elapſo exeunte Herodem Regem *intra ſeptem dies inſperata felicitate ornatum dimiſit ex Italia*, ait Joſephus lib. 14. Antiquit cap. 26. Toto autem ejus abſentiæ tempore Antigonus familiam ejus oppugnabat in *Maſſada*. Verum, Herodes ex Italia reverſus *Ptolemaidem*, collectis non mediocribus copiis, properavit per Galilæam contra Antigonum, adjutus a Silone ac Ventidio, ad quos Dellios (ſic legendum in Joſepho citato cap. 27. non *Gellius*) ab Antonio miſſus fuerat cum mandatis, ut Herodem in ſuum Regnum deducerent. Herodis ulterius procedentis copiæ augebantur in dies, & tota Galilæa, paucis exceptis, ſtabat ab ejus partibus. Capta *Joppe* properavit *Maſſadam* ad liberandos obſidione domeſticos, eaque & *Reſſa* caſtello captis, petebat Hieroſolymam. Tum *Hierichuntem* ſe contulit, offendenſque urbem relictam ab habitatoribus, quos capere potuit, diripuit. Romani vero invadentes urbem diripuerunt: *Rex igitur, relicto in ea præſidio, reverſus eſt, & Romanum exercitum hibernatum in recens deditas regiones dimiſit, Idumæam, Galilæam & Samariam*, inquit Joſephus libro citato, qui paulo poſt ſubdit: *Eodem tempore Antonius morabatur Athenis*. Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. anno ante Chriſtum 40. & Card. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. cap. 6. hæc anno præcedenti facta ſcribunt, hancque hiemem primam Noriſius putat, poſtquam Herodes a Romanis Regnum obtinuit. Qui error inde eis natus, quod *Pacorum* Regis Parthorum filium hoc anno occiſum velint; indeque quæ anno ſequenti in Judæa acta, hoc anno narrant. Verum Pacori necem anno tantum ſequenti contigiſſe infra demonſtrabimus. Utrumque etiam decepit Antonii commoratio in urbe Athenienſi. Arbitrati enim ſunt, *Antonium* ſub exitum præcedentis anni *Athenas* veniſſe, & poſtquam ibi hibernaſſet, inde hoc anno ad bellum profectum fuiſſe, quod Appianus lib. 5. de Bel. civil. pag. 716. poſtquam locutus eſt de pace a Cæſare & Antonio cum Sex. Pompeio facta, de qua mox, de Antonio LXXXI. *Geſta ab Herode in Palæſtina, Antonio Athenis morante.*

NOTÆ [1] COſſ. *L. Martius Cenſorinus & C. Calviſius Sabinus*, Faſti Triumphales Capitolini. L. MARCIUS. L. F. C. N. CENSORINUS. COS..... EX. MACEDONIA. K. JAN. Dio lib. XLVIII. pag. 377. *Qui proximus fuit poſt id annus, L. MARCIO, C. SABINO Coſſ.* Mox pag. 378. *Conſules autem electi ſunt, non ut moris erat duo, qui annuum eum magiſtratum gererent: ſed ipſis comitiis tum primum plures deſignati ſimul ſunt*. Faſti Idatiani: *Cenſorino & Sabino*. Ita Vindebonenſes habent.

tonio dicat: *Hibernavit Athenis cum Octavia, ſicut ante* (anno ſuperiori) *Alexandria cum Cleopatra*. At verum quidem eſt, Antonium poſt pacem illam compoſitam, non præcedentis anni ſine, ut mox videbitur, ſed currentis initio, relicta Italia Athenas veniſſe, ibique hibernaſſe. Sed ea in urbe non ſolum toto hoc anno, ſed etiam magna parte inſequentis verſatus eſt, ut ex dicendis liquebit, & Dio lib. 48. de rebus ſub hujus anni Conſulibus peractis loquens, his verbis indicat: *Bellum vero Labieni ac Parthorum hoc modo confectum. Antonius in Græciam ex Italia reverſus* (ipſo hujus anni exordio) *multum ibi temporis exegit, ſimul ut ſuæ cupiditati ſatisfaceret, ſimul ut quam maxime debiles Provinciæ Pompejo traderentur, urbes affligens. Ibi inter alia, quæ contra patrium morem agebat, Bacchum ſe alterum nominavit*, &c. *His rebus ipſe occupatus P. Ventidium in Aſiam præmiſit*. Appianus quidem lib. 5. de Bel. civil. dicit, Ventidium in Aſiam, ut repremeret Parthos, Labienumque anno elapſo, poſt pacem Cæſarem inter & Antonium pactam, miſſum fuiſſe; ſed jam in libro de bellis Parthicis *rurſum* hoc anno adverſus Parthos miſſum, ut mox dicetur, aſſeruerat. Diu itaque Antonius Athenis manſit, ibique dum ageret, quæ mox a Joſepho narrata, contigere. Neque hoc anno in Parthos ipſe movit, ſed tantum in eos Ventidium præmiſit; nec etiam ante annum ſequentem in Aſiam profectus eſt.

LXXXII. *Pax inter Pompejum & Triumviros ſancita.* Parte altera Antonius ac Cæſar poſtquam anno ſuperiori circa menſem Octobrem inter ſeſe reconciliati fuiſſent, cum Urbs fame premeretur, Sex. Pompejo Magni Pompeji filio numeroſa claſſe impediente, ne commeatus Romam advehereutur, Populi Romani conviciis coacti, pacem cum eodem Pompejo fecerunt, qui in colloquium cum Triumviris venerat. Conditiones recitant Dio lib. 48. ſub hujus anni Conſulibus & Appianus lib. 5. de Bel. civil. pag. 713. Habitum illud colloquium apud *Miſenum* Campaniæ oppidum, ut ibid. Dio. Dein Sextus in Siciliam navibus reverſus eſt, Cæſar & Antonius ad Urbem terreſtri itinere, inquit Appianus citatus. Porro de pace in exitu anni præcedentis actum, ut prodit ibidem Dio ſub præcedentis anni Conſulibus, & hujus initio quod tunc per ſocios actum fuerat, in præfato colloquio confirmatum, & pacis conditiones ſcriptæ.

LXXXIII. *Parthi a Ventidio victi.* Antonius in Italia *junctus amicitia Cæſari & Pompejo tenente Siciliam, præmiſit rurſum in Aſiam Ventidium, ut Parthos non ſineret ulterius procedere*, inquit Appianus lib. De Bellis Parthicis, qui paulo poſt ſubdit: *Quo tempore Athenis hibernanti primi ſucceſſus Ventidii nuntiati ſunt, victos eſſe Parthos prælio, cæſum Labienum, & Phraatem præſtantiſſimum e Regiis* (Parthorum) *Ducibus. Quamobrem epulum Græcis præbuit, & ſuſcepit Præfecturam Athenienſis gymnaſii*. De eadem victoria hæc Plutarchus in Antonio habet: *Ibi cum Athenis hiemaret, afferuntur lætiſſimi nuntii, Ventidium profligatis Parthorum copiis, Labienum & Pharnapatem bellicoſiſſimum Orodis Regis Ducem occidiſſe*. Rem geſtam fuſe narrat Dio laudatus, qui quidem annum, ſed tempeſtatem non deſignat. Cum tamen tam Plutarchus, quam Appianus citati aſſerant, Antonium nuncium de victis Parthis accepiſſe, dum Athenis hibernaret, manifeſtum eſt, victoriam illam vel exeunte autumno, vel ineunte hieme currentis anni reportatam, & circa hiemis initium ejus nuntium ad Antonium Athenis hibernantem perlatum. Plutarchi enim & Appiani verba de fine hiemis præſentis anni loqui non videntur; cum hujus anni initio Ventidius in Aſiam miſſus fuerit, neque fieri potuerit, ut ea hieme & Parthos vinceret, & victoriæ nuntius ad Antonium perferretur. Tam Uſſerius, quam Noriſius locis citatis hanc cladem anno præcedenti illigant. Fundatur Noriſius in Diſſert. 2. cap. 16. pag. 183. in his quæ Livius lib. 127. refert: *Pace facta cum Cæſare* (circa Octobrem ſcilicet anni urbis 714.) *ſororem ejus Octaviam in matrimonium duxit. Q. Salvidienum conſilia nefaria contra Cæſarem molitum, indicio ſuo detexit: iſque damnatus, mortem ſibi conſcivit* (anno etiam Urbis 714. ex Dione lib. 48.) *P. Ventidius Antonii Legatus, Parthos prælio victos Syria expulit, Labieno eorum Duce occiſo. Cum vicinus Italiæ hoſtis Sex. Pompejus Siciliam teneret, & annonæ commeatum impediret: cum eo poſtulatam pacem Cæſar & Antonius quidem fecerunt, ita ut Siciliam Provinciam haberet. Præterea motus Africæ & bella geſta continet*; quæ bella anno Urbis 716. ex Dione geſta. Verum, cum Dio victoriam illam Parthicam cum anno Urbis 715. diſerte conjungat, & Appianus laudatus affirmet, eam relatam a Ventidio, poſtquam in Aſiam *rurſum* præmiſſus eſt, quod factum, uti diximus, hujus anni initio, quæ obſcura in Livii narratione videntur, ex clariſſimis Dionis & Appiani verbis explicanda.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5436. Cyclo Solis, 28. A. Lunæ 2. Indict. 11. Mundi 5067. Urbis conditæ 716. ante Chriſtum 38. Juliano 8. Auguſti 7. Herodis 3.

LXXXIV. *Era Hiſpanica.* Coſſ. *Ap. Claudius Pulcher, & C. Norbanus Flaccus* (1) Hiſpania in Cæſaris Octaviani poteſtatem per Domitium Calvinum Proconſulem anno ſuperiori, teſte Dione lib. 48. redacta, a Kalendis Januariis hujus anni Hiſpani *Eram ſuam* deduxere, triginta nempe octo ſolidis annis ante Eram Chriſtianam. Itaque annis Chriſti Dionyſianis ſemper adde XXXVIII. ut habeas Eram Hiſpanicam, aut ex Era Hiſpanica detrahe, ut annum Chriſti invenias. Baronius Baron. n. a præcedentis anni Conſulibus Eram Hiſpanicam XCIV. deducendam putat, quia ſcilicet Eram Chriſtianam

NOTÆ

[1] Coſſ. *Ap. Claudius Pulcher, & Cn. Norbanus Flaccus*. Dio lib. XLVIII. pag. 383. *APPIO CLAUDIO C. NORBANO conſulibus*, lib. XLIX. pag. 405. *Id factum CLAUDIO, & NORBANO coſſ.* Faſti Idatiani, & Vindebonenſes: *Pulchro, & Flacco*.

Hoc anno conſul deſignatus eſt *M. Agrippa* e gente *Vipſania* plebeia, non e *Vipſtania*, ortum trahens, nullis majorum imaginibus clarus, qua de re pluribus Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. II. cap. I. *Vipſanis* nomen, *quaſi argumentum paternæ humilitatis*, M. Agrippa, ut ait Seneca lib. II. Controverſ. XII. ſuſtulit. Fulvius Urſinus tamen putat, *M. Agrippam* familia equeſtri ortum, ut indicat Cornelius Nepos in Vita Attici. Antiqui fere omnes novitatem generis objiciunt, ut Vellejus lib. II. cap. XCVI. Tacitus Annal. lib. I. cap. III. Seneca allato loco, & Suetonius in vita Octavii cap. XXIII. Quare Urſini conjectura ex verbis Cornelii Nepotis ſuffulta corruit; ſordido tamen aut vili plane loco *M. Agrippa* natus non eſt, quod intima ejus familiaritas cum Octavio Cæſare a teneris annis indicat. Inſuper *Vipſania* gentis nomen ab ejus filia *Vipſania* uſurpavit, ex Tacit. Annal. lib. 2. cap. XII. & lib. III. cap. XIX, & a Martiale lib. I. epigram. CIX. *Vipſana laurus* memorantur, nempe porticus *Vipſanii Agrippæ* lauro ornata. Cæterum *M. Agrippa* familiæ ſuæ extollendæ gratia nummum cudendum curavit, ubi caput Auguſti viſitur, & ex

Digitized by Google

num cum anno Juliano XLIV. auſpicatur. Sed præterquam quod Æra Chriſtiana ab anno Juliano XLVI. exorditur, a Conſulatu Sabini ad annum Julianum XLIV. anni tantum XXXVII. colliguntur. Cum itaque certiſſimis demonſtrationibus conſtet Æram Chriſtianam a Kalendis Januariis anni Juliani XLVI. repetendam, Æram Hiſpanicam ab hoc anno proficiſci, in dubium revocari non poteſt.

LXXXV. *Pacorus Parthorum Regis filius a Ventidio occiſus.* *Pacorus* Orodis Parthorum Regis filius, ut acceptam anno ſuperiori a Romanis cladem ulciſceretur, copiis ex hibernis eductis, contra *Ventidium* iter intenderat. Is ubi hæc accepit non levi metu perculſus eſt, cum nec urbes eſſent adhuc in Romanorum amicitia confirmatæ, *& exercitus in hibernis etiamnum diſperſi*, ut ſcribit Dio lib. 49. Quare ut properanti Pacoro moram iniiceret, ac tempus colligendis copiis nanciſceretur, fraude, a Dione laudato ac Frontino lib. 1. de Stratag. cap. 1. narrata, uſus eſt, & parte exercitus, qui in *Cappadocia* ultra *Taurum* hiemaverat, cæteris copiis adjuncta, motiſque caſtris in Cyrrheſticam Syriæ regionem perrexit, ac Parthos fluvium tranſire paſſus eſt, quo timoris opinionem illis iniiceret. Signis poſtea collatis, iteratoque metu ſimulato, juſſit legionarios quaſi hoſtilium ſagittarum nimbis confixos procumbere, ac in hoſtem victoriæ opinione ſecurum, ac ſpe prædæ laxatis ordinibus irruentem inſurgere. Ita victi fugatique Parthi, toto inter Orontem atque Euphratem ſpatio lata ſtrage ceciderunt, viginti millibus una cum Pacoro in acie deſideratis. Dies rei geſtæ ex his Dionis lib. 49. verbis elicitur: *Videbatur Craſſi calamitatem Pacorus abunde compenſaſſe, præſertim cum eadem anni die utraque res evenisset*; quod etiam eodem die accidiſſe teſtantur Rufus in Breviario, & Eutropius lib. 7. Craſſum autem octavo menſis Junii die periiſſe ad annum Urbis 701. oſtendi. Quoad victoriæ reportatæ annum, ſine quo ſecunda Regni Herodiani Epocha certo detegi non poteſt, Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. & Card. Noriſius in Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis pag. 142. exiſtimant, illud prælium ipſius Dionis teſtimonio in annum præcedentem incidiſſe. „ Nam, ait „ Card. Noriſius, ſcribit Dio ſtatim ab Antonio Ventidium Præfectura privatum, neque „ tunc, neque deinde poſt illum ulla in re ejuſdem „ opera uſum fuiſſe. *Cujus autem loco*, inquit „ Dio, *Syriæ & Ciliciæ ab Antonio præpoſitus*, „ Aradios expugnavit, ac Hieroſolymam una „ cum Antigono Rege cepit; tempus vero „ deſignans, ait: *Id factum* [illegible] *Claudio & Norbano* „ *Coſſ.* Quare, cum hi Magiſtratum geſſerint „ anno Urbis 716. eo anno *Soſius* erat Legatus „ Antonii in Syria, anno vero ſuperiori 715. „ *Ventidius* eandem Syriam adminiſtrabat, quo „ etiam anno Parthos inſigni clade profligavit. Ita Card. Noriſius. At illud argumentum rem minime evincit. Nam verum quidem eſt, poſt hoc prælium Ventidium ab Antonio Præfectura privatum, Soſiumque Syriæ ac Ciliciæ ab eo præpoſitum, idque currenti anno. Sed hoc non impedit, quin *Ventidius*, qui anno elapſo Syriam regebat, & egregiam victoriam de Parthis retulit, eandem Provinciam majori hujus anni parte gubernarit, & poſtea ei *Soſius* ſubrogatus fuerit. Neque Dio exiſtimare potuit, victoriam Parthicam, in qua *Pacorus* occiſus, anno præcedenti relatam fuiſſe, cum alteram victoriam in qua Labienus & Pharnapates interfecti, ſub præcedentis anni Conſulibus, annoque Urbis 715. conſignet; & aliunde certum ſit, adverſariis etiam fatentibus, eas victorias ad duos diverſos annos pertinere. Dio itaque lib. 48. ſub Conſulatu *Martii & Sabini* anno præcedenti geſta, priorem victoriam recitat, ſed poſtea libro ſequenti, cum recitaſſet necem *Sexti Pompeji*, quæ contigit anno Urbis 719. ineunte, orditur bellum a Ventidio contra Parthos geſtum hoc anno, occaſione fugæ quam Pompejus ad Parthos meditabatur, & in qua deprehenſus trucidatus eſt. Quamobrem quod ibidem narrat Dio, currentis anni ſupplementum quoddam eſt, non vero præcedentis, ſeu Urbis 715. cum victoriam eo anno de Parthis relatam ſuſe recitarit. In eo autem peccat Dio, quod ſub præſentis anni Conſulibus Hieroſolyma rapta aſſerit. Quod forſan ab eo factum, ut uno tenore Antigoni Regis caſum narraret.

LXXXVI. *Ventidius in Antigonum Judæorum Regem movet.* Antonius itaque hoc tantum anno ad bellum Parthicum profectus eſt, de qua profectione intelligenda verba Plutarchi in Antonio, ubi, cum narravit quæ Antonius Athenis egit ait: *Inde ad bellum proficiſcens ſertam excerpſit e ſacra olea & ex clepſydra vas aqua plenum ſecundum quoddam oraculum ſecum tulit. Interea Pacorum Regis filium una cum magnis Parthorum copiis in Syriam irrumpentem, Ventidius in Cyrrheſtica delevit.* Quod & Appianus libro de bellis Parthicis habet. Uſſerius & Card. Noriſius laudati, qui hanc profectionem a Plutarcho memoratam cum anno præcedenti conjungunt, non animadverterunt quid eo anno Dio lib. 48. prodit, Antonium nempe, qui initio antecedentis anni Athenas venit, *per multum ibi temporis* exegiſſe, eo anno Ventidium in Aſiam præmiſiſſe, & poſtea, præſenti nempe anno, illuc ipſum profectum eſſe. *Ventidius* cum Syriam pacaſſet, contra *Antiochum* duxit, eo obtentu, quod is ei ſervos non dedidiſſet; re autem vera pecuniæ ſpe potiundæ. Hoc agenti Antonius ſubito ſupervenit, & cum invideret etiam ob rem proprio ductu præclare geſtam, *tamen officio ſuo eum detruſit, & neque tum, neque deinceps ulla in re opera ejus uſus eſt*, inquit Dio lib. 49.

LXXXVII. *Geſta in Syria.* In Palæſtina, teſte Joſepho lib. 14. Antiq. cap. 27. hæc geſta. In Syria *Ventidius Silonem* acceſſens contra Parthos, juſſit primum Herodi navare operam, deinde ad proprium bellum exire Provinciales auxiliarios. At Herodes, Silone ad eum miſſo; exercitum contra latrones in ſpeluncis degentes duxit, & ſpeluncas omnes in præruptis montibus ſitas expugnavit. Tum in Samariam profectus eſt, ut armis cum *Antigono* rem decerneret. *Interea*, inquit Joſephus, *caſo in pugna Pacoro & Parthis profligatis*, (die nempe octava menſis Junii, ut mox oſtendi) *Ventidius Herodi in auxilium mittit Macheram cum duabus legionibus & mille equitibus, jubente hoc Antonio.* Herodes vero properavit ad Antonium *oppugnantem Samoſatam ſitum ad Euphratem fluvium*. Poſtquam autem pervenit Antiochiam, ducem ſe præbuit iis, qui adire Antonium cupiebant. Ubi prope Samoſatam ventum eſt, exercitum ei honoris cauſa miſit Antonius: *Antiocho autem paulo poſt id caſtrum dedente, & hoc pacto finito bello, Soſio Provinciam Antonius cum exercitu tradidit: commendatoque Herodis rego-*

NOTÆ ex altera parte M. AGRIPPA. COS. DESIG. Nam ob res proſpere adverſus Gallos geſtas, A. V. 716. eum ad triumphum revocavit, & conſulem deſignavit in annum inſequentem 717.

Sub finem anni Æræ Chriſtianæ 1714. inter Mutinam, & Brixillum aratro detectus fuit theſaurus ingens aureorum numiſmatum, qui putatur fuiſſe area militaris exercitus Antoniani contra Auguſtum; inter ea numiſmata extabat *Octavii* effigies cum elogio. *Triumviratus* & M. AGRIPPA. COS. DESIG. Vide de hujus theſauri inventione Bernardum Monteſfauconium in ſupplem. antiq. expl. tom. III. cap. VI. pag. 137.

Digitized by Google

negotio in Ægyptum ipſe profectus eſt, inquit Joſephus. Obſidionem Samoſatenſem multum temporis duraſſe indicat Plutarchus, quando de Samoſatenis ſcribit: *Ob deſperationem in audaciam verſi, diu Antonium oppugnationi intentum tenuere.*

LXXXVIII. *Geſta in Palæſtina.*

Expugnatis Samoſatis, *Soſius*, cui, ut dixi, Antonius Syriæ Provinciam tradiderat, duas legiones in Judæam cum Herode præmiſit. *Ipſe cum reliquo exercitu ſequebatur*, inquit Joſephus. Poſtquam ad Libanum montem pervenit, Ptolemaidem petiit, & qui caſtellum tenebant, illud deſeruerunt. Dein cum Pappo Antigoni Duce ſigna contulit, atque hoſtes ad internecionem cecidit. Videre erat, inquit Joſephus, hoſtes agminatim diffugere, *& niſi repente valida tempeſtas interveniſſet, Regii victores petiiſſent confeſtim Hieroſolymam, & bello finem impoſuiſſent.* In Græco legitur: καὶ εἰ μὴ χειμὼν ἐπέσχε, βαδίσας ἂν καὶ ἐπὶ Ἱεροσόλυμα ὁ βασιλέως στρατὸς, ἀφίκετο τὸν πόλεμον, τὸ πᾶν ἂν εἰργασμένον: quæ verba ſic verti debent: *Et niſi regios victores hiemis aſperitas prohibuiſſet, ſtatim Hieroſolymam petiiſſent, & finem bello impoſuiſſent*, ut recte Interpres lib. 1. de Bello cap. 13. ubi eandem hiſtoriam Joſephus repetit, ſimilia verba interpretatur hoc modo: *Niſi vehementi hieme prohibitus fuiſſet*. Herodes ſcilicet. Vocem enim χειμῶνα in utroque loco *hiemem* ſignificare, eamque jam inſtaſſe, rerum a Joſepho narratarum ſeries evidenter demonſtrat. Neque de hoc dubium eſſe poteſt. Tota difficultas eſt, an Joſephus loquatur de hieme anni Urbis 716. currenti ſcilicet, an vero de hieme anni antecedentis. Ea enim hieme exacta, Hieroſolyma obſeſſa, & in Herodis poteſtatem redacta. Card. Noriſius citatus aliique plures, qui majorem fidem Dioni cladem Hieroſolymitanam hujus anni Conſulibus alliganti, quam Joſepho eandem cum ſequentis anni Conſulibus conjungenti, adhibendam arbitrantur, contendit, poſt Herodem Romæ Regem renuntiatum duas tantum hiemes effluxiſſe; priorem, de qua cum Joſepho lib. 14. Antiquit. cap. 27. locuti ſumus, & poſteriorem de qua mox cum eodem Joſepho: ita ut laudata mox verba de præcedentis anni hieme intelligenda ſint, & currenti anno ubi hiems remiſit, urbs expugnata ſit. Verum in Rebus Syriacis ſicut Joſephus magis dignus cui credatur, quam Tacitus, ut anno Chriſti XLII. num. VIII. vidimus, ita & in iiſdem Dioni præferri debet. Joſephus enim Herodis Vitam ex voluminibus *Nicolai Damaſceni*, qui eam exararat, exſcripſit. Nicolaus vero amicorum fidiſſimus Herodi habebatur, ac in rebus graviſſimis nomine Herodis apud Auguſtum Legatione perfunctus eſt; cui etiam Regi Hiſtorias ſciendi cupido, ſupra centum ac viginti quinque volumina rerum in Orbe geſtarum ex antiquis quibuſque Scriptoribus compilata, nuncupavit; cujus ſane prægrandis Operis excerpta quædam Valeſius publicavit. Hinc Orationes ejuſdem Nicolai libris Joſephi inſertæ leguntur, ut eadem Hiſtoria ejuſdem manu majori ex parte ſcripta videatur. *Ptolemæi* quoque de Vita Herodis Codices ad manum eidem Joſepho fuere. Quæ Torniello in Annal. Sacris, & ipſimet etiam Noriſio obſervata. Joſephus autem ideo tantum duas hiemes illas memoravit, quia bellum nonniſi poſt priorem quam ſilet, inchoavit. Denique, cum prima de Parthis victoria in annum Urbis 715. altera vero in qua Pacorus occiſus, in præſentem inciderit, urbis Hieroſolymitanæ occupatio nonniſi ſequenti anno, ut recte Joſephus, contingere potuit.

LXXXIX.

Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 26. dicit Senatum Romanum *Herodem* Judææ Regem declaraſſe, quod Antonius retuliſſet, ad *Parthicum bellum plurimum conducere, ut regnaret Herodes*; additque Antigonum hoſtem judicatum, *quod contumelia Romanis, a Parthis accepiſſet Imperium* Judæorum nempe. Quare ſi quæ Romanos inter & Parthos geſta annis ſuis certo aſſignentur, quibus annis *Herodes* primum Rex Judææ renunciatus fuerit, & poſtmodum, *Antigono* devicto, Hieroſolymis regnare cœperit, indubitato etiam conſtabit. Poſt pugnam itaque ad *Philippos* Macedoniæ civitatem, anno Urbis DCCXII. omnium conſenſu habitam, in qua Brutus, & Caſſius Julii Cæſaris interfectores, victi profligatique, Imperium Cæſar, Antoniuſque inter ſe partiti ſunt, & *Antonius in Aſiam, Cæſar in Italiam curſum convertit*; idque anno Urbis DCCXIII. ut aſſerit Dio lib. 48. ipſo ejus initio. Tum Antonius exactis tota Aſia, ac Syria graviſſimis tributis, quæ multis motibus occaſionem præbuere, relicto in Aſia L. Munatio Planco, in Syria vero L. Decidio Saxa, *militibus per hiberna diſtributis, in Ægyptum poſt Cleopatram profectus eſt*, inquit Appianus lib. 5. de Bellis Civil. pag. 677.

Utraque regni Herodiani epocha ex bello Parthico innoteſcit.

XC. *Herodes Rex Judææ dictus anno quo Parthi Syriam occuparunt.*

Anno Urbis DCCXIV. Italia bello civili inter Cæſarem ac L. Antonium Conſulem flagrante, Antonioque Ægypti in hibernis voluptatibus indulgente, Parthi Pacoro Regis Parthorum filio, ac Labieno Ducibus, Syriam aggreſſi, ſubegere univerſam, *Tyro excepta: quam Urbem Romani reliqui, ac qui cum his ſentiebant Syri, ante ceperant, ac neque ſuaſionibus, neque vi (nam claſſem Parthi nullam ſecum habebant) in poteſtatem ejus redigi potuerunt*, inquit Dio lib. 48. pag. 372. Tunc contigit quod refert Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 24. *Antigonus*, inquit, *mille talenta & quingentas mulieres daturum ſe Parthis eſt pollicitus, ſi ab Hyrcano in illum regnum transferrent, & Herodem una cum ſuis interficerent: quæ tamen non dedit; ſed Parthi nihilominus aſſerturi regnum Antigono, duxerunt verſus Judæam exercitum, Pacorus per maritima, Satrapa per mediterranea. Pacorum excluſerunt Tyrii, ſed Sidonii ac Ptolemaidenſes intromiſerunt.* Hæc Ptolemaidenſium deditio ad Parthos hoc anno facta diligenter notanda; ex ea enim validum argumentum infra deducemus, ad priorem pugnam Parthos inter & Romanos habitam, in qua Labienus occiſus, ſuo anno reddendam. Porro Syriam anno Urbis DCCXIV. a Parthis occupatam, teſtatur non ſolum Dio citatus, ſed etiam Joſephus lib. 14. Antiquit. cap 23. qui ait, id factum *altero anno* ab adventu Antonii in Aſiam, quo cum anno Urbis DCCXIII. ſe ſe contuliſſe ſupra diximus. Illius invaſionis occaſione *Herodes* Rex Judææ a Senatu Romano declaratus, idque eo anno Urbis DCCXIV. exeunte, ut jam demonſtratum eſt. Annos autem Urbis cum Hiſtoricis Romanis a Kalendis Januariis hic auſpicor. De priori hac Regni Herodiani epocha nulla difficultas ſupereſſe videtur.

XCI. *Prior Ventidii de Parthis victoria anno Urbis DCCXV. relata.*

Verum ſecunda hactenus in obſcuro fuit, aliis cum Dione eam ad annum Urbis DCCXVI. aliis ad annum Urbis DCCXVII. referentibus. Sed Hieroſolymam anno tantum Urbis DCCXVII. eoque in finem vergente, expugnatam eſſe, ideoque & ab eo anno ſecundam Regni Herodis epocham deducendam, utraque Ventidii Romani Ducis victoria Parthica certos nos edocet. Hiſtorici Romani, qui de priori, in qua *Labienus* cecidit, locuti ſunt, teſtantur eam a Ventidio reportatam poſt reconciliationem Cæſaris & Antonii cum Sexto Pompeio, qui Siciliam tenens, Italiam vaſtabat, navibuſque prædatoriis infeſtum mare faciebat. Plutarchus in Marco Antonio pag. 930. ait, *pace compoſita* Antonium præmiſiſſe in Aſiam Ventidium, ut *progreſſum Parthorum ſuſtineret*, Antoniumque Italia exceſſiſſe, & in Græciam veniſſe. Tum ſubdit: *Hibernanti Athenis prima Ventidii res proſpere geſta nuntiantur, Parthis fuſis, Labienum & ſummum Ordinis Regis, Ducem Pharnapatem ab eo interfectos.* Ad-

hæc Vellejus lib. 2. cap. 77. ubi de ea pace *circa Miſenum* inita locutus eſt, capite ſequenti de victoriis a Ventidio de Parthia relatis verba facit. Quare cum ex Dione lib. 48. pagg. 376. & 377. liqueat, eam pacis tractationem cœptam cum *jam in exitu* eſſet *annus*, Urbis ſc. DCCXIV. & inſequentis anni initio, Urbis nempe DCCXV. pacis conditiones conſcriptas, manifeſtum eſt Labienum e Parthorum Ducibus unum, anno tantum Urbis DCCXV. a Ventidio devictum; quod cum Dio etiam diſerte teſtetur ibidem pag. 380. mirum eſt Em. Card. Noriſium, & Uſſerium, qui ſe hac in re Dionem ſequi profitentur, pugnam illam cum anno Urbis DCCXIV. illigaſſe.

XCII. *Annus ejuſdem victoriæ ex Conſulum deſignatione demonſtratur.* Plutarcho, Velleio & Dioni ſuffragatur Appianus lib. 5. de Bellis Civilibus pag. 709. ait enim poſt ultimum fœdus inter Cæſarem & Antonium initum, Antonium dimiſiſſe Ventidium in Aſiam, *ut reprimeret Parthos Labienumque juniorem auxilio Parthorum per occaſionem civilis motus infeſtantem Syriam uſque Ioniam.* Tum pag. 713. & ſeqq. de pace inter Cæſarem, Antonium, & Sextum Pompejum ſancita ſermonem inſtituit, & inter ea quæ tunc geſta afferit, Conſulum deſignationem memorat: *ſequenti die*, inquit *Conſules deſignati ſunt in quadriennium; ante omnes Antonius & Libo, ut tamen Antonio liceret alium pro ſe ſubſtituere. Poſt illos Cæſar & Pompejus, tum Ænobarbus & Soſius; deinde rurſum Cæſar & Antonius, tertium tunc futuri Conſules, & ut ſperabatur, populo reddituri adminiſtrationem Reipublicæ.* Conſules illi deſignati in annos Urbis DCCXX, DCCXXI, DCCXXII. & DCCXXIII. ut videre eſt apud Onuphrium lib. 2. Faſtorum. Quare tam pax illa cum Sexto Pompejo facta quam præfata Conſulum deſignatio pertinent ad initium anni DCCXV, Nam ſi anno præcedenti ea deſignatio facta eſſet non in quadriennium, ſed in quinquennium Conſules illi nominati eſſent. Eo Urbis anno Conſules illos deſignatos inſinuat Dio lib. 48. pag. 377. cum de rebus anno Urbis DCCXV. geſtis verba habet. *Anſam*, inquit, *multitudini eorum, qui in Senatum allegerentur, expeditio Antonii, quam in Parthos parabat, præbuit: unde & Magiſtratus alii in aliquot annos, & Conſules in octo totos annos tum ordinaverunt*, in annos nempe Urbis DCCXVI, DCCXVII. DCCXVIII. DCCXIX. & quatuor ſequentes, de quibus ultimis tantum Appianus mentionem facit: ſummum enim Urbis DCCXXIII. ultimum fuiſſe ex illis octo, in quos præfati Conſules ordinati fuerant ipſemet Dio lib. 50. pag. 424. diſertis verbis docet. Hujus deſignationis teſtes certiſſimi Marci Antonii Nummi apud Mediobarbum pag. 26. in quorum antica legitur, M. ANTONIUS IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. in poſtica: III. VIR. R. P. C. idest, *Triumvir Reipublicæ conſtituendæ*. Conſulatum geſſerat Antonius anno Urbis DCCX, iterumque Conſul fuit anno Urbis DCCXX, tertium Conſulatum ſuſcepturus anno DCCXXIII. niſi antea hoſtis a populo judicatus fuiſſet, illique is magiſtratus abrogatus. Cum itaque Appianus lib. de Bellis Parthicis pag. 156. affirmet Ventidium Parthos viciſſe, Labienumque occidiſſe, poſtquam Cæſar & Antonius cum Sexto Pompeio pacem pepigere, Conſuleſque in plures annos deſignavere, illa Ventidii de Labieno victoria anno Urbis DCCXV. certiſſime reportata.

XCIII. *Livius pacem cum Sex. Pompejo factam præpoſtero narravit.* Et tamen tam Cardinalis Noriſius, quam Uſſerius Labienum a Ventidio anno Urbis DCCXIV. ſuperatum fuiſſe volunt; eodemque anno Antonium ac Cæſarem cum Pompejo pacem feciſſe Card. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis pag. 141. contendit: nam Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. de ea pace non loquitur: cum tamen ex ea annus prioris victoriæ de Parthis a Ventidio relatæ pendeat. Verum quidem eſt in Epitome libri 127. Titi Livii hæc verba legi: *P. Ventidius Antonii Legatus Parthos prœlio victos Syria expulit, Labieno eorum Duce occiſo. Cum vicinus Italiæ hoſtis Sex. Pompejus Siciliam teneret, & annonæ commeatum impediret, cum eo poſtulatum pacem Cæſar & Antonius quidem fecerunt, ita ut provinciam Siciliam haberet.* Ex quo ſequi videtur, exiſtimaſſe Livium, Ventidium ante pacem Cæſaris & Antonii cum Sex. Pompejo initam, Labienum debellaſſe, ideoque & anno Urbis DCCXIV. quo exeunte de ea pace agi cœptum. Verum in illo argumento libri 127. ordinem temporis in omnibus Livius non ſervavit, quemadmodum nec Vellejus laudatus, qui poſtquam de illa pace mentionem fecit, variaque alia narravit, inquit: *Hoc tractu temporum Octaviam ſororem Cæſaris Marcus Antonius duxit uxorem*, & tamen, ipſo etiam Livio ibidem teſte, Antonius, pace facta cum Cæſare, Octaviam ſibi matrimonio copulavit, antequam ſcilicet pacem cum Sex. Pompejo contraheret.

Adventus Herodis *Ptolemaidem* poſtquam a Senatu Romano Rex Judæorum declaratus eſt, Card. Noriſio, Uſſerioque errandi cauſa fuere, ut eruditiſſimus Toinardus in literis ad me datis obſervavit. Joſephus enim lib. 14. Antiquit. cap. 27. poſtquam ſuperiori de illo Senatuſconſulto locutus fuiſſet, ait: *Interim Herodes ex Italia reverſus Ptolemaidem, collectis non mediocribus copiis, tum ex conductitio, tum ex ſuæ gentis milite, properabat per Galilæam contra Antigonum, adjutus a Silone ac Ventidio, ad quos Dellius ab Antonio miſſus fuerat cum mandatis, ut Herodem in ſuum regnum deducerent: quamvis Ventidius tum forte diſtinebatur componendis civitatum tumultibus, quos irruptio Parthorum excitaverat; Silo vero in Judæa erat, ſed pecunia corruptus ab Antigono.* Exiſtimarunt enim Herodem ſub finem anni Urbis DCCXIV. Ptolemaidem veniſſe, & in Judæa hiemem tranſegiſſe; cum tamen ea hieme tam Ptolemais, quam aliæ Syriæ Urbes a Parthis occuparentur, nec eas receperit Ventidius, niſi poſtquam Labienum vicit, *Arado* tantum excepta, quæ vix tandem poſtea ab aliis expugnata eſt, ut prodit Dio lib. 48. pag. 382. Quare Herodes *Ptolemaidem*, quæ anno Urbis DCCXIV. Parthos intromiſerat, ut ſupra diximus ex Joſepho, eodem Urbis anno nullo modo venire potuit; neque ad eam accedere, niſi poſtquam, excepta Arado, Ventidius, fuſo Labieno Phœniciam & Syriam ſibi ſubjecit. *Herodes*, itaque poſtquam Rex declaratus eſt, hiemem tranſegit, vel Athenis apud Antonium, vel Rhodi, vel in aliqua alia civitate, quod in Phœniciam & Judæam, a Parthis & Antigono occupatam appellere non poſſet. Tranſacta vero illa hieme, ubi accepit, Labienum Parthorum Ducem a Ventidio ſuperatum, Ptolemaidem venit, ideoque anno Urbis DCCXV, eoque tempore, quo *Ventidius diſtinebatur componendis civitatum tumultibus, quos irruptio Parthorum excitaverat;* ut diſerte Joſephus citatus ſcribit.

XCIV. *Annus quo Herodes Ptolemaidem adventavit.*

Annus quo Pacorus occiſus. Priori victoria Parthica ſuo anno aſſignata, liquet ſecundam, in qua *Pacorus* Parthorum Regis filius interfectus, pertinere ad annum Urbis DCCXVI, quo & eam Dio lib. 49. pag. 403. recitavit. Hæc enim Dionis verba: *Poſt ro Antonii & Barbarorum res* &c. uſque ad iſta, *anno inſequenti* &c. ea continent quæ Dio anno Urbis DCCVI. geſta eſſe putavit. Cum itaque tam Card. Noriſius, quam Uſſerius fateantur, duas illas Ventidii victorias, de Labieno nempe & de Pacoro, ad diverſos annos pertinere, nullum dubium eſſe poteſt, quin poſterior ad præſentem annum ſpectet, ideoque quin Hieroſolyma anno tantum Urbis DCCXVII. capta fuerit, & ab ea expugnatione, annoque

Urbis, ſecunda Regni Herodiani epocha deſumenda ſit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5457. Cyclo Solis 1. G F. Lunæ 3. Indict. 11. Mundi 3968. Urbis conditæ 717. ante Christum 37. Juliano 9. Auguſti 8. Herodis 4. & 5.

XCVI. *Hieroſolyma expugnatur.* * Coſſ. *M. Vipſanius Agrippa*, & *L. Caninius Gallus* (r) Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 27. poſtquam quæ ſuperiori anno retulimus, recitavit, ait: *Poſt hæc ubi tempeſtas deſævit, moto inde exercitu venit Hieroſolyma, & caſtra prope urbem metatus eſt, anno tertio poſtquam Romæ declaratus Rex fuerat.* Ubi vox χειμών, quæ Brumam vel *procellam* ſignificat, Geleſium Joſephi Interpretem in errorem induxit, ut inter Doctos convenit; vertendum enim: *Ubi hiems remiſit*, vel *deſiit*, ut in lib. 1. Belli cap. 13. recte ſimilia verba verterat: *Ubi autem vigor hiemis ceſſit.* Interim dum aggeres ac turres extruuntur, Herodes in Samariam divertit, ducturus in uxorem *Mariamnem* Ariſtobuli Regis neptem, celebratiſque nuptiis, in caſtra reverſus eſt. Operarum frequentia facile abſoluti ſunt aggeres. *Æſtas enim erat, & opus fervebat, nullo interturbatum aëris intemperie.* Obſeſſi intrepide repugnabant, & conferentes pugnam cum Romanis nihilo erant inferiores audacia, peritia, tantum rei militaris cedebant; utenteſque deſperatione pro fortitudine ad extremum perdurabant, idque obſeſſi a tam numeroſo exercitu, ipſi fame ſimul laborantes & inopia. *Nam in Sabbaticum annum inciderat oppugnatio*, inquit Joſephus. Annus Sabbaticus cœpit die ſeptima Thiſri, quæ Septembris parti reſpondet, feria quinta anni Juliani antecedentis, ut in dubium revocari non poteſt. Quare annus ille Sabbaticus in exitum vergebat. Tandem Herode Soſſioque fortiter obſidionem urgentibus, urbs capta fuit: *Ea clades Hieroſolymorum*, inquit Joſephus, *incidit in Conſulatum M. Agrippæ & Canidii Galli, 185. Olympiade, menſe tertio, feriis quibus ſolenne fit jejunium, tanquam recurrente eo idem temporis momentum illata Judæis a Pompejo calamitate. Nam & ab illa eadem die urbs capta fuerat ante annos viginti ſeptem.* Olympias 185. anno Juliano ſexto inchoata: quare quartus illius annus currenti cœptus. Capta fuerat Hieroſolyma a Pompejo anno Periodi Græco-Romanæ 5430. ideoque illi viginti ſeptem anni incompleti intelligendi. Qua anni forma uſus Joſepus, & quæ fuerint ſolennes illæ jejuniorum feriæ, non ſatis compertum. Duravit per quinque menſes obſidio, teſte Joſepho lib. de Bello cap. 13. Ab hoc itaque anno deſumenda ſecunda Regni Herodiani Epocha, ſecundum quam dicitur a Joſepho annos XXXIV. regnaſſe.

XCVII. Card. Noriſius anno ſuperiori laudatus, qui cum Dione urbis expugnationem in annum præcedentem conjicit, ut fidem Joſephi elevet, varios errores in ejus narratione oſtendere conatur. Nam ſcribit Joſephus, inquit Card. Noriſius, urbem expugnatam in Conſulatu M. Agrippæ & Canidii Galli; Canidia autem gens Romæ a Caninia erat diverſa. Verum is ſimileſve errores potius Librariis quam Auctoribus attribuendi. Præterea exiſtimat, peccare Joſephum in ſupputandis annis a captis Hieroſolymis a Pompejo, uſque ad eandem urbem iterum a Soſio expugnatam; cum etiamſi dicatur eadem rurſus capta ſub hujus anni Conſulibus, anni tantum ſex ſupra viginti inter utramque expugnationem numerentur. At Joſephus, ut ſæpe alii Hiſtorici, annos utrimque incompletos in ſummam confert. Tertio, ait Card. Noriſius, ex Joſephi Scriptis colligi, poſt collatum Herodi a Romanis Regnum ad captam Hieroſolymam, duas tantum hiemes effluxiſſe. Sed jam oſtendi, Joſephum prioris non meminiſſe; quod mirum videri non debet, cum etiam aliquot Syriæ Præſides prætermittat. Quarto, putat Card. Noriſius, Herodem anno Urbis 715. Samoſatis in Palæſtina reverſum eſſe, ideoque, ſi anno 716. Hieroſolymam non expugnaſſet, poſitis armis anſatus domi ſediſſet, ac Soſius cum XI. legionibus otioſus in Syria fuiſſet. Quæ ex dictis duobus ſuperioribus annis evaneſcunt. Denique dixit Noriſius, perperam Joſephum ſcripſiſſe, Herodem *anno tertio poſtquam Romæ declaratus fuerat Rex*, caſtra prope Hieroſolymam metatum, & *altero anno* ſcribere debuiſſe. At jam tertium Herodis annum in finem vergiſſe ex dictis intelligitur, conſtatque, Joſephum de Chronologia Herodiana optime edoctum fuiſſe.

XCVIII. *Antigoni interitus.* Antonius, accepto *Antigono*, volebat eum vinctum ſervare ad triumphum. Sed, cum timeret *Herodes*, ne Antigonus Romam perductus ab Antonio, apud Senatum jure ſecum de Regno contenderet; audiretque *Antonius* gentem ad res novas ſpectare, & odio Herodis favere Antigono, multis ab Herode acceptis pecuniis, Antigonum apud Antiochiam ſecuri percuſſit. Quo facto, tum demum *Herodes* metu liberatus eſt; *Haſmonæorum* Principatu jam ſublato, Joſephus lib. 14. cap. ult. & lib. 20. cap. 8. ubi tres annos & tres menſes Antigonum regnaſſe ſcribit, & quidem accurate. *Antigonus* enim Judæis Rex impoſitus fuerat a Pacoro Parthorum Regis filio, anno Urbis 714. poſt feſtum Pentecoſtes, ut eo anno oſtendi. Quare qui urbem anno præcedenti captam contendunt, alterum hic Joſepho errorem impingere, & Antigonum tertium Regni annum non abſolviſſe ſcribere coguntur.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5458. Cyclo Solis 2. E. Lunæ 4. Indict. 13. Mundi 3969. Urbis conditæ 718. ante Christum 36. Juliano 10. Auguſti 9. Herodis 5. & 6. *Olymp. 186.*

XCIX. Coſſ. *L. Gellius Poplicola*, & *M. Cocceius Nerva.* (s) Phraates Parthorum Rex Hyrcanum Pontificem captivum propter claritatem nominis

NOTÆ [r] C*Oſſ. M. Vipſanius Agrippa, & L. Caninius Gallus.* Dio lib. XLVIII. pag. 389. *Nam in Gallia quoque rebellio facta erat, & AGRIPPAM (CONSUL is tum erat cum L. Gallo) contra eos, qui defecerant bellum gerentem &c.* idem pag. 390. *Præterea vero ſex. Pompejo conſulatum, & Sacerdotium, quæ ei deſtinata fuerant ademerunt.* Appianus lib. V. de bellis civilib. pag. 714 de conſulibus hoc anno in quadriennium inter *Cæſarem, Octavianum, Antonium*, & *Pompejum*: *Sequenti die conſules deſignati ſunt in quadriennium, ante omnes ANTONIUS, & LIBO, ut tamen Antonio liceret alium pro ſe ſubſtituere: poſt illos Cæſar. & POMPEJUS, tum ÆNOBARBUS & SOSIUS, deinde rurſus CÆSAR & ANTONIUS TERTIUM tunc futuri conſules, & ut ſperabatur, populo redituri adminiſtrationem Reip.* Hinc Antonii denarii plures cum Epigraphe COS. DES. ITER. ET. TER. Faſti Idatiani, & Vindebonenſes: *Agrippa*, & *Gallo*.

[s] C*Oſſ. L. Gellius Publicola & M. Cocceius Nerva.* Dio lib. XLIX. pag. 406. *Evenit hoc, AGRIPPA, & GALLO Coſſ. Reliqua hiemis parte GELLIO, & NERVA Coſſ.* Faſti Idatiani: *Publicola, & Nerva Cocceio.* Vindebonenſes: *Publicola, & Nerva.* Gellius abdicaſſe dicitur, & in ejus locum ſuffectus, *L. Plancus*, qui conſul fuerat A. V. 710. Hinc Plinius lib. XIII. cap. III. *L. Plotium, L. Planci BIS CONSULIS Cenſoriſque fratrem, proſcriptum a Triumviris, in Salernitana latebra, unguenti odore proditum conſtat.*

Ananelus fit Pontifex Judæorum.

nia comiter habuit. Sed poſtquam *Hyrcanus* receſſivit, Herodem ad Regiam dignitatem evectum, gratiam ab eo expectavit, quod aliquando du capite periclitantem ſervaſſet in judicio. *Herodes*, qui miſerum ſenem in poteſtatem ſuam redigere ſatagebat, obtinuit a Partho ut dimitteretur, primumque ei in Conventibus locum, poſtquam in Judæa foit, tribuendo, lactabat hominem quominus ſuſpicaretur inſidias, ex Joſephi lib.15. cap. 2. Cavens vero ne quis illuſtrium crearetur Pontifex, *Ananelo* obſcuri generis Sacerdoti ſummum Pontificatum donavit. Joſephus ibidem.

C. *Succeſſio Præſidum Syriæ.*

Cum Præſidum Syriæ ſucceſſio non parum conferat ad detegendum tempus, quo Chriſtus natus eſt, Baronius Catalogum Præſidum qui Syriæ præfuerunt, concinnavit: quod cum illi parum feliciter ſucceſſiſſet, Caſaubonus Exercit. 2. ad Apparat. Baronii alium contexuit, aliumque poſtea Montacutius in Apparatu IV. ad Origenes Eccleſiaſticas. At cum uterque plerumque procul exorbitaverit, Card. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. cap. 16. Præſides Syriæ recenſuit; non ſolum ut demonſtraret, Cajum Cæſarem perperam inter eoſdem recitari; verum etiam, ut adminiſtrationis Syriacæ *Quirinii* tempus intelligatur, ac cenſores Baronii talionem ferrent. Quare, cum Baronius a Soſio Catalogum ſuum exordiatur, ab eo etiam illum inchoabimus. *Soſio*, cujus initium in annum Urbis DCCXVI. recte conjicit Baronius, ſubrogatus eſt non *Q. Didius*, ut ipſe exiſtimavit, ſed *L. Munacius Plancus*, ut notat Noriſius laudatus. Appianus in fine lib. 5. Belli civil. pag. 753. cum dixiſſet, Sex. Pompejum Magni filium a M. Titio juſſu Antonii interfectum, anno nempe ſequenti, ſubdit: *Sunt qui dicant, Plancum non Antonium id mandaſſe, qui ἄρχοντα ἐυρίας Præſes ſeu Rector Syriæ ſolitus fuerit in majoris mo-* *menti literis nomen adſcribere Antonii, & uti annulo ipſius ſignatorio.* Alterum Syriæ Præſidem a Baronio omiſſum exhibet Card. Noriſius ibidem, ſcilicet *L. Calpurnium Bibulum*, de quo Appianus lib. 4. de Bel. civil. pag. 611. ſcribit: *Ab Antonio Syriæ Præſes deſignatur, eandem Provinciam adminiſtrans, mortuus eſt*, anno ſcilicet Urbis 723. Hunc excepit Q. Didius.

Apparatus in Baronium

Anno Periodi Græco-Romanæ 3459. Cyclo Solis 3. D. Lunæ 5. Indict. 14. Mundi 3970. Urbis conditæ 719. ante Chriſtum 35. Juliano 11. Auguſti 10. Herodis 6. & 3.

Coſſ. *L. Cornificius, & Sex Pompejus* [1] Herodes, uxore ejus Mariamne aſſiduis precibus eum obtundente, ut fratri ſuo Ariſtobulo debitum Pontificatum redderet, eundem Ariſtobulum adoleſcentem 17. annorum, vivo adhuc *Ananelo* ſucceſſorem in Pontificatu dedit. Joſephus ibidem. Sed, quod ille populo gratus eſſet, juſſu ejus ſuffocatur. Joſephus eodem loco. CI. *Ariſtobulus juſſu Herodis ſuffocatur.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 3460. Cyclo Solis 4. C. Lunæ 6. Indict. 15. Mundi 3971. Urbis conditæ 720. ante Chriſtum 34. Juliano 12. Auguſti 11. Herodis 7. & 4.

Coſſ. *M. Antonius II. & L. Scribonius Libo.* [2]

Anno Periodi Græco-Romanæ 3461. Cyclo Solis 5. B A. Lunæ 7. Indict. 1. Mundi 3972. Urbis conditæ 721. ante Chriſtum 33. Juliano 13. Auguſti 12. Herodis 8. & 5.

Coſſ. *Auguſtus Cæſar II. & L. Volcatius Tullus.* [3]

NOTÆ [1] COſſ. *L. Cornificius, & Sex. Pompejus.* Dio lib. XLIX. pag. 403. *Ita Sex. Pompejus mortuus eſt, L. CORNIFICIO, & SEX. alio quodam POMPEIO, Coſſ.* Faſti Idatiani: *Cornificio & Pompejo Magno.* Vindebonenſes: *Cornificio, & Pompejo.*

[2] COſſ. *M. Antonius II. & L. Scribonius Libo:* Tabula Capuana apud Gruterum pag. CCIC.

L. SEMPRONIUS
L. SCRIBONIUS. K. JUL.
PAULUS. ÆMILIUS
C. MEMMIUS
K. NOVEM. M. HERENNIUS.

Quæ poſt conſules nomina ſequuntur, ut plurimum nomina Magiſtratuum Capuanæ Coloniæ ſunt, ut docuit Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. I. cap. III. pag. 34. quod hic monitum volumus etiam de annis inſequentibus. Dio lib. XLIX. pag. 414. *Hoc tempore ANTONIUS eadem die, & iniit conſulatum, & depoſuit ſubſtituto in locum ſuum, L. SEMPRONIO ATRATINO: itaque bene nonnulli, non Antonium in enumeratione conſulum recenſent.* Et pag. 416. *Porticum, quæ Pauli dicitur, Æmilius Lepidus Paulus propriis impenſis perfecit, & in conſulatu ſuo (gerebat enim tunc in parte iſtius anni) dedicavit.* Faſti Idatiani: *Antonio II. & Libone.* Vindebonenſes: *Libone & Atratino.*

[3] COſſ. *Auguſtus Cæſar II. & L. Volcatius.* Tabula Capuana:

IMP. CÆSAR. II. L. VOLCATIUS.
K. JANUAR. P. AUTRONIUS
K. MAI. L. FLAVIUS
K. JUL. C. FONTENIUS
M. ACILIUS
K. SEPTEMB. L. VINUCIUS
K. OCT. L. LARONIUS

Nummi apud Occonem.

IMP. CÆSAR. DIVI. F. III. VIR.
ITER. R. P. C.
COS. ITER. ET. TER. DES.

Suetonius in C. Octavio cap. XXVI. *Secundum vero (conſulatum, Auguſtus) pauciſſimis horis:* Dio lib. XLIX. pag. 417. *Cæſar conſulatum, quem ſecundum collega L. Tullo gerebat, ſtatim prima die, exemplum Antonii ſecutus, depoſuit.* Mox pag. 418. *Secundum hæc Polemonem Antonius Armenia, conſulatumque ſimul, & dedit L. Clavio, quem ſecum habebat, & ademit.* Faſti Idatii: *Octaviano Auguſto II. & Paulo (pro) Tullo.* Vindebonenſes: *Auguſto II. & Tullo.*

Olymp. 187.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5462. *Cyclo Solis* 6. *G. Lunæ* 8. *Indict.* 2. *Mundi* 3073. *Urbis conditæ* 722. *ante Chriſtum* 32. *Julianæ* 14. *Auguſti* 13. *Herodis* 9. *&* 6.

CII. *Phariſæi in duas partes diviſi.*

Baron. in Apparatu nu. VIII. & Spondan. n. VI.

Coſſ. *Cn. Domitius Ahenobardus, & C. Soſius.* Hillel. [1] Babylonius ex ſtirpe Davidica, Hieroſolymis floruit annis centum ante Eram excidii Templi Judaici, ut ex Gemara Babylonica colligit Uſſerius in Annal. vet. Teſt. qui addit, ex ejus numeroſo diſcipulorum cœtu, Jonathan Uzzielis filium, Chaldaicæ Prophetarum paraphraſeos Auctorem clariſſimum extitiſſe. Inter *Hillelem* hunc & *Summaium* ſive Samæam, cujus meminit Juſephus, orto diſſidio, Phariſæi in duas partes diſceſſere, de quibus Hieronymus lib. 3. Comment. in Eſai. cap. 8. v. 24. *Duas domus Nazaræi* (*qui ita Chriſtum recipiunt, ut obſervationis Legis veteris non amittant*) *duas familias interpretantur Sammai & Hillel: ex quibus orti ſunt Scribæ & Phariſæi*, additque; *Sammai & Hillel* (ſive duas eorum domus, quarum toties in Talmude fit mentio) *non multo prius quam Dominus naſceretur, ortos eſſe in Judæa*.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5463. *Cyclo Solis* 7. *F. Lunæ* 9. *Indict.* 3. *Mundi* 2074. *Urbis conditæ* 723. *ante Chriſtum* 32. *Juliano* 13. *Auguſti* 14. *Herodis* 10. *&* 7.

CIII. *Pugna Actiaca & Era inde deducta.*

Coſſ. *Auguſtus Cæſar III. & M. Valerius Meſſala.* [2] Habita hoc anno *pugna Actiaca* Auguſtum inter & Antonium, qui jam diu inter ſeſe diſſidebant, idque *Septembris die ſecundo*, a quo annorum Monarchiæ Auguſti numeratio eſt inſtituta, ut in lib. 51. notavit Dio: quos quadraginta quatuor fuiſſe idem lib. 56. refert. Quomodo accipiendi ſunt Suetonius in Octavio cap. 8. Victor in Epitome, & Eutropius, cum Rempublicam per quadraginta quatuor annos Auguſtum obtinuiſſe narrant. Victi Antonius & Cleopatra ab Auguſto, in Ægyptum fugere. Anni Actiaci a quibuſdam Veteribus hinc deducti, ut initio Imperii Hadriani oſtendam. Clemens Alexandrinus & Euſebius citati a Baronio, quando ſcribunt, Chriſtum natum anno viceſimo octavo Auguſti, hos annos non a pugna Actiaca, ut Baronius perperam interpretatur; ſed a capta Alexandria & a morte Antonii, ſeu ab anno ſequenti deſumunt: alioquin Natale Chriſti ſub Conſulatu Auguſti XIII. & M. Plautii Silvani non conſignaſſent. Uterque enim Chriſtum die ſexta Januarii, Epiphaniæ ſacra, natum exiſtimavit. Quod ſi Clemens & Euſebius viceſimum illum octavum Auguſti annum a pugna Actiaca deducerent, cum is annus XXVIII. die viceſima octava Auguſti anni Juliani XLIII. abſolvatur, ſequeretur, eos exiſtimaſſe, Chriſtum Lentulo & Meſſalino Coſſ. in lucem prodiiſſe; cum tamen certum ſit, Euſebium in Chronico Natale Chriſti illigare anno Abrahami 2015. qui Kalendis Octobris anni Juliani XLIII. inchoatur.

Baron. in Apparatu n. CV. & Spondan. ibidem n. XXXIII.

CIV. *Era Antiochena Auguſtana.*

Proficiſcitur & a pugna Actiaca *Era Antiochena*, quæ in variis Numiſmatis Præſidum Syriæ legitur, ut anno Chriſti XIV. num. IV. demonſtravi. Jam enim hoc anno *Antiochia* Auguſti partes amplexa fuerat, ut liquet ex Dione, lib. 51. pag. 447. Cum populi & Reguli omnes Antonio & Cleopatræ ſuppetias denegarent, licet eorum complures multa ab eis accepiſſent beneficia, abjectiſſimæ conditionis Gladiatores, qui Cyzici ab Antonio ad Ludos triumphales, *quos devicto Cæſare ſe facturum ſperabat*, alebantur, quorum meminit Appianus, pro eis fortiſſime certaverunt. Ubi enim primum quæ acta eſſent, cognovere, in Ægyptum ad ferendum

cis

NOTÆ [1] Coſſ. *Cn. Domitius Ænobarbus & C. Soſius.* Tabula Capuana.

C N. D O M I T I U S. C. S O
S I U S. K. J U L. L. C O R N E L I U S
K. N O V. M. V A L E R I U S

Cornelius Nepos in vita Pomponii Attici; *Pridie Kalendas Apriles* inquit, Cn. Domitio C. Soſio Coſſ. (Pomponius) deceſſit. Suetonius in Octavio cap. XVII. *atque inter alios C. Soſium, & T. Domitium, tunc adhuc Coſſ.* &c. Corruptum eſt a Librariis *Domitii* prænomen. Dio lib. L. pag. 419. *Donec* CN. DOMITIUS, *&* C. SOSIUS, *Antonianarum uterque partium conſulatum occeperant: tum enim palam ad bellum civile deſcenderunt. Ea res ita acta eſt. Domitio, quia multas ante calamitates expertus eſſet nihil palam novi agitante, Soſius homo adverſa fortuna rudis, ipſis Calendis Januariis multa verba in Antonii laudem, & vituperationem Cæſaris fecit.* Mox habet. Conſules ad Antonium ſe contuliſſe. Et pag. 421. *Itaque unanimi conſenſu Antonio conſulatus* (*erat enim conſul jam deſignatus*) *ademptus ac reliqua etiam poteſtas omnis abrogata eſt.* Faſti Idatii, *Ahenobarbus, & Soſius*. Vindebonenſes; *Henobarbo & Soſio*.

[2] Coſſ. *Auguſtus Cæſar III. & M. Valerius Meſſala*, Tabula Capuana;

I M P. C Æ S A R. I I I. M. V A L E R I U S
M E S S A L A
K. M A I. M. T I T I U S
K. O C T. C N. P O M P E J U S

In Donianis inſcriptionibus pag. 159. ex apographo Fratris Joannis Jucundi Veronenſis hæc abſunt, ut & apud Apianum. Nummi apud Occonem:

C Æ S A R. D I V I. F. A U G U R.
P O N T. I M P. Q U A R T. C O S. T E R T.

Dio Lib. L. pag. 424. *Anno ſequenti, quum eſſent Conſules ad eum deſignati Cæſar & Antonius, idque jam olim, quum in octo continuos* (*ex quibus hic alterius erat*) *annos magiſtratus ordinaſſent: Antonio depoſito, ſicuti a me demonſtratum eſt Valerius Meſſala, quondam ab his conſcriptus cum Cæſar Conſul fuit.* In nummis tamen Antonii tertius ejus conſulatus his verbis adnotatur: M. ANTO. COS. III. IMP. IV. Faſti Idatii *Octaviano Auguſto III. & Corbileo* (*pro Corvino*) Vindebonenſes; *Auguſto III. & Meſſala*.

Digitized by Google

eis auxilium iter inſtituerunt. Cumque circumventi in Ægyptum evadere non poſſent; nec ſiquidem ullo modo quantumvis multa *Q. Didio Syriæ Præfecto*, qui tranſitum ipſis prohibebat, pollicente, ad defectionem perduci ſe paſſi ſunt: ſed Antonium ad ſe acceſſierunt, faciliùs ſe putantes cum eo conjunctus in Syriâ bellum poſſe gerere. Tandem, cum neque veniret Antonius, neque nuntium mitteret, periiſſe eum rati, inviti ſe Didio dediderunt; *ea conditione ne Gladiatores poſthac eſſent: iiſque Daphnen, Antiochiæ ſuburbium eis habitandum conceſſit, donec Cæſari res ea ſignificaretur*. Ex qua Dionis narratione manifeſtum fit, Syriam cujus caput Antiochia, ab Auguſti partibus ſtetiſſe. Ad Gladiatores hoſce coercendos, auxilia ſibi ab Herode ſubmiſſa fuiſſe, ſcripſit ad Cæſarem *Didius*; de quo Cæſar in ſermone cum Herode habito apud Joſephum lib. 5. Belli cap. 15. Ibi tamen perperam loco *Didii* legitur *Ventidius*, quod in Antiquitatum lib. 15. cap. 10. etiam memoratur; ſed non etiam ſine errore, loco enim *Didii* legitur ibidem *Capidii* nomen, & loco μονομάχυς id eſt, *Gladiatores*, habetur μονάρχας id eſt, *Monarchas*. Quæ emendatio debetur Caſaubono. Card. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. cap. 26. paragrapho 53. hanc tertiam Eram Antiochenam *Auguſtanam* appellandam, in annum ſequentem diſtulit, quod tunc exiſtimaret, ante eum annum Antiochenos Auguſti Imperio ſeſe non ſubmiſiſſe. De quo errore eum ad eum ſcripſiſſem, reſpondit, ſe eum correxiſſe, ac fateri Eram illam a currenti anno deſumendam.

CV. *Series Præſidum Syriæ.* Baronius in Indice Præſidum Syriæ ait: *Soſſa eſt ſubrogatus Q. Didius, quem, auctore Dione lib. 51. conſtat præfuiſſe Syriæ ſaltem uſque ad tempus Actiacæ pugnæ, quæ facta eſt anno ab Urbe condita 724. Huic eſt ſuffectus Meſſalla*, inquit, Baronius, *cujus & Dio lib. 51. meminit. Hic præfuiſſe videtur uſque ad annum ab Urbe condita 731. quando M. Agrippa tam Syriæ, quam toti Orienti præficitur*. Verum, ut notat Card. Noriſius laudatus pag. 288. ex Dionis verbis apparet quidem, Valerium Meſſallam in Syria cum Imperio fuiſſe, ſed cum Imperio extraordinario in Syriam anno ſequenti miſſus videtur, ut Gladiatores ex ſuburbio Antiocheno expelleret.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5464. Cyclo Solis 8. & Lunæ 18. Indict. 4. Mundi 3975. Urbis condita 724. ante Christum 30. Julianæ 26. Auguſti 55. Herodis 11. & 8.

CVI. Coſſ. *Auguſtus Cæſar IV. & M. Licinius Craſſus* [s] Herodes poſtquam hoc anno *Hyrcanum* occidi imperaſſet ex Joſepho lib. 15. cap. 9. ad Cæſarem properavit, nihil boni de ſe ſperans. *Rhodum* autem venit, ut illic Cæſari occurreret. Quo poſtquam appulit, poſito tantum diademate; de cætero paratu regio nihil mutavit; admiſſuſque ad colloquium dixit, pari ſe jam fide amicitiam Cæſaris colere paratum eſſe. Quod ut deinceps faceret hortatus Cæſar diademate reſtituto in ſummo honore illum habuit. Atque ita præter ſpem Herodes denuo in Regno confirmatus eſt, & dono Cæſaris & Senatuſconſulto per illum impetrato, ex Joſepho. ibid. cap. 10. & lib. 5. Belli cap. 15. *Herodes ab Auguſto in Regno confirmatur.*

CVII. *A confirmatione Herodis in regno ejus anni non deſumendi.* Baronius admittens Regni Herodis annos XXXVII. a Joſepho numeratos contendit, eoſdem inchoandos a ſuperiori anno, quo Auguſtus navali bello Antonium & Cleopatram debellavit, quove tertium Conſulatum Meſſalla Collega geſſit. Ait enim, ſi verum eſſet Herodem annis triginta quatuor a captis Hieroſolymis regnaſſe, ſequeretur, eum vita functum ante Chriſti nativitatem. Deinde addit, Joſephum in his, quæ ſunt temporis, ſæpe hallucinari, & præſertim in annis Regni Herodis dimetiendis. Et præterea ſubjungit, occaſionem Joſepho errandi hanc extitiſſe, quod cum ipſius temporibus in confeſſo eſſet apud omnes, *Herodem regnaſſe* annis tantum *ſeptem & triginta*; ruſumque certum eſſet, eundem ſub Conſulatu Calvini & Pollionis primum Regis titulum obtinuiſſe; exiſtimavit, inde fore dinumerandos, non advertens, eoſdem putari debere ab Actiaca pugna, quando ſcilicet idem Herodes Regnum rurſus ab Auguſto impetravit, eodem Auguſto III. & Meſſalla Coſſ. Quod aſſertum talibus Baronius nititur comprobare rationibus. Nam Herodes, inquit, Regnum quod ab Antonio acceperat, ejuſdem Antonii partes contra Auguſtum fovendo, jam demeruerat. Et quia Auguſtus ex SC. acta Antonii tanquam perduellis irrita eſſe cenſuerat; non licuit amplius Herodi annos Regni ſui, ab eo anno putare, quo illud ab Antonio habuerat; ſed ab illo, quo illud ei ab Auguſto reſtitutum, ſeu denuo collatum fuerat. Ex quibus Baronius deducit, negari non poſſe quin Herodes ad octavum Chriſti annum pervenerit. Baron. in Apparatu. nu. cxvi. Spondan. ibidem n. xxx.

CVIII. *Rejicitur prima ea ſententia.* Verum hæc ſententia ſuſtineri non poteſt, & merito ab omnibus rejicitur. Ut enim animadvertit Card. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 6. pag. 158. Baronius nec initium, nec exitum Regni Herodis recte aſſignavit: non quidem initium; ſiquidem cum Auguſtus anno tantum altero ab Actiaca victoria, currenti nempe, bellum contra Antonium profligaturus, in Aſiam tranſmiſiſſet, Herodes eum apud Rhodum convenit, ut mox diximus. Dio enim lib. 51. de Auguſto ſcribit: *In Italiam properavit, media hieme, ſe quartum, M. Craſſo Coſſ.* hoc ſcilicet anno. Subdit: *In Græciam advectus eſt* tri-

NOTÆ [s] C*oſſ. Auguſtus Cæſar IV. & M. Licinus Craſſus*. Tabula Capuana.

IMP. CÆSAR. IIII. M. LICINIUS
K. JUL. C. ANTISTIUS
BELLUM ALEXANDRINUM.
EID. SEPT. M. TULLIUS.
K. NOV. L. SÆNIUS

Tabula Ancyrana Auguſti geſta continens, apud Gruterum pag. CCXXXI. AGRIS QUOS. IN. CONSULATU MEO QUARTO &c. Lapis Gruterianus pag. LVIII. 1. cum TRIB. POT. VII. COSS. IIII. Nummi apud Occonem CÆSAR DIVI. F. IMP. V. COS. IV. Dio lib. LI. pag. 445. *Aliis ad inveſtigandum Antonium conſtitutis, in Italiam* (Auguſtus) *properavit media hieme, SE QUARTUM, & M. CRASSO* (*hunc enim collegam habebat, quanquam & Pompejanas, & Antonianas prius partes ſecutum*) *conſulibus*. Faſti Idatii: *Octaviano IV. & Craſſo*. Vindebonenſes. *Auguſto IIII. & Craſſo*. Alexandria capta eſt *die prima menſis Sextilis*, ſeu *Auguſti*. De die certos nos fecit Kalendarium Antiatinum, in quo KAL. *Aug.* habetur. AUG. ALEXAND. RECEPIT. Hinc Dio lib. 51. pag. 457. *Diem quo capta fuit Alexandria, feſtum eſſe cenſuerunt ab eoque reliquis annis numerandis initium ſumendum.*

Digitized by Google

triceſimo quam in Italiam venerat die, ac propter hiemem navibus per Iſthmum Peloponneſiacum, tranſlatis, tanta celeritate in Aſiam advenit, ut de ejus diſceſſu ſimul reditu que Antonius ac Cleopatra cognoverint. Quare ut minimum exeunte Februario currentis anni Auguſtus iterum in Aſiam venit. Nec enim dici poteſt, Herodem adiiſſe Cæſarem, cum anno præcedenti *ab Actio Samum inſulam in hiberna ſe recepiſſet*, ex Suetonio in Auguſto cap. 17. Nam Herodes apud Rhodum Cæſarem convenit, ut mox ex Joſepho dixi. Cum vero Auguſtus Rhodo diſcederet, Herodes *deduxit eum in Ægyptum*, ex Joſepho citato. Herodes itaque haud ſtatim poſt cladem Actiacam Antonium deſeruit, ſed altero poſt anno, re ejuſdem penitus deſperata. Sed nec finem Herodis Baronius aſſecutus eſt. Victoria Actiaca contigit die ſecunda Septembris anni elapſi. Cum vero Herodes circa Paſcha, labente anno 37. ab Actiaca victoria, Baronio mortuus credatur, deceſſit anno Urbis 760. Cæcilio Metello Cretico & Licinio Nerva Silano Coſſ. At obitus Herodis a Baronio in Annalibus ſtatuitus anno Chriſti juxta ipſum VIII. Æmilio Lepido & L. Aruntio Coſſ. anno Urbis 750. quo tamen anno circa Paſcha Herodes ab Actiaca victoria egiſſet annum Regni XXXV. ac menſem ſextum. Ita annos triginta ſeptem, quos fatetur Herodem vixiſſe, recte ſubduxit. Si itaque XXXVII. anni Regni Herodis inchoentur *ab eo tempore, quo ab Auguſto illi redditum fuit, & ex SC. confirmatum*, quod apud Rhodum contigit, obitus Herodis alligandus eſt anno Urbis 760. non vero 759. uti Cardinalis eruditiſſimus opinatur.

CIX. *Rejicitur ſecundo.* Eandem opinionem luculento exemplo Card. Norſius rejicit. *Archelaus* ab Antonio Cappadociæ Regnum acceperat anno Urbis 718. ex Dione lib. 49. opera Glaphyræ matris, cujus amore Antonius exarſerat. Extatque ea de re impudicum ipſius Auguſti hexaſticon apud Martialem lib. 11. Epig. 21. Archelaus in Antonii caſtris cum regiis copiis contra Cæſarem ſtetit, ex Plutarcho in Antonio. Huic tamen Cæſar poſt victoriam veniam dedit, eique regiam dignitatem reliquit. Tiberius, demortuo Auguſto, eundem Romam evocavit, ex Tacito lib. 2. Annal. *Rex Archelaus quinquageſimum annum Cappadocia potiebatur, invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluiſſet*. Porro Romam accitus fuit ex eodem ac Dione lib. 57. Cæcilio Rufo ac Pomponio Flacco Coſſ. anno Urbis 770. Ita anni Regni Archelai neutiquam numerati ſunt ab eo tempore, quo in Regno confirmatus eſt ab Auguſto poſt victoriam Actiacam: nam ſeptem ſupra quadraginta tantum interceſſere ad eum uſque annum, quo Romam venire juſſus fuit. Regnavit quidem Archelaus ex Dione annos 52. Verum, Tacitus, ut non raro alibi, numero rotundo loquitur.

CX. *Rejicitur tertio.* Sed quis melius ſcire potuit quam Joſephus, an anni Regni Herodis XXXVII. a Conſulatu Calvini & Pollionis deducti fuerint? Erat enim natione Judæus, Hiſtoriæ Judaicæ peritiſſimus, & ipſius Herodis tempori valde proximus; atque in geſtis ejus ſtudioſius perquirendis ac deſcribendis omnium diligentiſſimus, ut anno Urbis 717. num. LXXXVIII. diximus. Et quidem ſi ab Actiaca pugna primus annus Regni Herodis, & reliqui deinceps ſigillatim in publicis monumentis, ut affirmat Baronius, annotari cœpiſſent; mirum valde eſſet, inquit Torniellus in Annalibus ſacris ad annum mundi 4051. quod rem tam novam, & tunc temporis adeo pervulgatam ignorare potuiſſent tres rerum Judaicarum peritiſſimi, nimirum *Joſephus*, & ante ipſum *Philo*, qui fuit Herodis temporibus proximior & ante Philonem *Nicolaus Damaſcenus* Scriptor egregius, ſæpius a Joſepho citatus, qui fuit Herodis contemporaneus & familiariſſimus, eidemque ſuperſtes, quique non minus Judæorum quam Romanorum res callebat. Vel ſi cur id non ſtatuit; qui fieri poteſt, ut rem adeo notabilem omnino prætericrint? Nec uſpiam quis eorum Herodis Regni annos ab Actiaca pugna putaverit? Aut quod nullus alius ex antiquis Scriptoribus, imo neque ex recentioribus, præter unum Baronium, hac de re quicquam meminerit? Sed eſto, occulta quadam de cauſa id evenerit: ſaltem non omnino oppoſitum ſcripſiſſet, replicaſſetque Joſephus, qui duo tantum initia Regni Herodis memorat; alterum, ab adepto Regni titulo; alterum, a conſecuta Regni poſſeſſione: ſingulaque propriis Conſulum, Olympiadumque notis ſignat: atque a primo ad obitum Regis numerat annos triginta ſeptem; ab altero autem triginta quatuor.

CXI. *Rejicitur quarto.* Addit Torniellus, Joſephum lib. 18. Antiquit. cap. 5. adhuc manifeſtius indicare, triginta ſeptem Regni Herodis annos non eſſe a pugna Actiaca dinumerandos. Ibi enim ait, *cenſum a Quirino*, poſt confiſcatas Archelai Herodis filii facultates, incidiſſe in annum ab Actiaca pugna triceſimum primum, cui ſubſcribit Dio lib. 55. dicens, *Herodem Palaſtinum* (qui etiam nomine Archelaus vocabatur) Æmilio Lepido & L. Aruntio Coſſ. anno nempe Urbis 759. fuiſſe trans Alpes relegatum. Quod ſi verum eſt, Herodis anni ab Actiaca pugna nunquam putati fuere. Alioquin ſequeretur, non ſolum contra Joſephi, ſed communiorem quoque aliorum ſententiam, Herodem Magnum non XXXVII. ſed XXVII. aut ad ſummum XXVIII. duntaxat annos regnaſſe. Nam quando memorata bonorum *Archelai* confiſcatio facta jam Herodes ejus pater novennio vel decennio prius obierat. Huc accedit, quod Herodes ſub Conſulatu Calvini & Pollionis, non ab Antonio, ſed ab ipſo Senatu Romano Rex creatus fuerat; neque Antonii duntaxat ope, ſed ipſius quoque Auguſti favore, ut tradit Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 26. Quare nihil obſtare poſſe videbatur reſciſſio Actorum Antonii, quominus poſſet Herodes Regni ſui annos a prædicto Conſulatu deſumere, etiam poſt devictum ab Auguſto Antonium. Unde non debet pro certo affirmari, in re præſertim adeo antiqua & obſcura, quod a nemine prius proditum invenitur, imo quod omnibus pene Scriptoribus adverſatur.

Neque illud admittendum, quod ſubdit Baronius, videlicet *Joſephum* in his, quæ ſunt temporis, ſæpius hallucinari, eſſeque valde levem atque inconſtantem, & aſſeclas ſuos in inextricabiles inducere labyrinthos. Nam non mirum quod in hoc Auctore, quod in multis quoque aliis graviſſimis Scriptoribus, interdum contingat. Enimvero temporum ratio res adeo lubrica, ut fere nemo ſit, qui non aliquando, vel oblivione, vel inadvertentia aliqua non labatur. Potuit Librariorum errore aut incuria aliquod vitium in Joſephi Codices, præſertim vero in annorum numeros irrepere: poteſt ipſe multoties ab erroribus ſibi impoſitis defendi: poſſuntque plura ejus loca, quæ inter ſe pugnare videntur, conciliari. Verum hac de re plura Torniellus laudatus: piget enim in his amplius immorari. CXII. *Rejicitur quinto.*

CXIII. *Antonius & Cleopatra ſibi mortem inferunt.* Auguſtus per Syriam ex Dione lib. 51. in Ægyptum veniens, *Peluſium* proditione Cleopatræ cepit; *Antonius* vero Alexandriam tendens, equitatu Auguſtum prope Alexandriam vincit, ſed peditibus vincitur. Inde *Kalendis Sextilibus* Auguſtus viciſſim equitatu vincit. Eodem die, cum claſſis contra Auguſtum inſtrueretur, hæc tota ad Auguſtum tranſiit. Cum nihil procederet, in Hiſpaniam tranſire parat: ſed cum & hoc fruſtra eſſet, *Cleopatra* primum, quaſi

mor-

mortis conſciſcendæ cauſa in monumentum inſilit, quod verum putans Antonius, ſibi ipſi vim infert, & in ſinu Cleopatræ moritur. Quod Cleopatra ad Auguſtum nuntiavit, Regnumque dedidit; cumque metueret, ne in triumpho duceretur, aſpidis morſu periit. Dio lib. 51. A morte Alexandri Magni, qui Imperium Macedonicum condidit, uſque ad Antonii & Cleopatræ mortem, cum quibus illud deſiit, & apud Ptolemæum tum in Regum Canone, tum in Operis magni libro tertio, & apud Clementem Alexandrinum in lib. 1. Stromatum, anni numerantur CCXCIV.

CXIV. *Poſt annos XV. ab Alexandria capta Rhæti victi.* Cæſar primo aditu Alexandria, urbe longe omnium opulentiſſima & maxima, victor potitus eſt, ex Livio lib. 133. Strabone lib. 17. pag. 795. & Suetonio in Auguſto cap. 17. Baronius, ut oſtendat, Antiquos Auguſti annos a C. Julii Cæſaris nece numerare ſolitos, adducit hos Horatii verſus lib. 4. Ode 14.

Baron. in Apparatu n. CXII.

— Nam tibi quo die
Portus Alexandrea ſupplex
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna luſtro proſpera tertio
Belli ſecundos reddidit exitus,
Laudemque & optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.

Addit Baronius, Alexandriam *ſexto Kal. Aprilis* eſſe debellatam. Verum Auguſtus Alexandriam victor intravit *menſe Sextili*, ex Oroſio lib. 6. cap. 19. & Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 12. ex S. C. quod ibi recitat. Deinde tria illa luſtra ab occupata Alexandria referuntur ad inſignem victoriam Neronum virtute partam poſt tertium luſtrum ab ingreſſu in urbem Alexandrinam. Victoriam enim de Rhætis Vindelicis obtinuit poſt tria illa luſtra, de qua meminere Euſebius in Chronico, & Dio lib. 54. ſub anno Urbis 739. qui tamen de die nullam mentionem faciunt; ſed Porphyrius, antiquus Horatii Interpres, dicit id eodem die contigiſſe.

A capta Alexandria Ægyptii annos ſuos dinumerarunt. Ab hac inſigni victoria ultimam a Cæſare armis civilibus impoſitam manum fuiſſe, tradit Florus lib. 4. cap. 12 & Vellejus lib. 2. cap. 87. & confirmat Dionyſius Alicarnaſſenſis in Romanarum ſuarum Antiquitatum Procemiis ſcribens, veniſſe ſe in Italiam ſimul ac Cæſar Auguſtus finem bellis civilibus impoſuiſſet, *media Olympiade* 187. anno illius tertio, ineunte ſcilicet, ex mox dictis. Ægyptios vero ab eo tempore annos Auguſtorum qui in ipſos Imperium obtinuerunt, dinumeraſſe, docet Cenſorinus cap. 21. de Die natali. Cumque per annos XLIII. Ægyptum Auguſtus tenuerit, ut in libro de Legatione ad Cajum oſtendit Philo, totidem etiam Imperii ſive Monarchiæ illius anni tribuuntur in Ptolemæi Regum Canone, & Clementis Alexandrini lib. 1. Stromatûm.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5465. Cyclo Solis 9. DC. Lunæ 21. Indict. 5. Mundi 3076. Urbis conditæ 725. ante Chriſtum 29. Julianæ 17. Auguſti 16. Herodis 12. & 5.

CXV. *Ara Victoriæ dedicata.* Coſſ. *Auguſtus Cæſar V. & Sex Apulejus.* [a] V. Kalend. Septemb. *ara Victoria in Curia dedicata eſt*, ut in antiquo Kalendario notatur, qua in Curia Julia poſita & ſpoliis Ægyptiis decorata, oſtendebat Cæſar; Imperium ſe ex Victoria adeptum, inquit Dio lib 51. pag. 459. De hac *Victoria* ara magna diſſidia Chriſtianos inter & Paganos poſt pacem a Conſtantino Magno Eccleſiæ redditam, fuere, ut videre eſt in Annalibus. Baronius de Simulacro *Victoriæ* Baron. anno 356. num. CXV. Spondan. ibid. quem ait, in veſtibulo Capitolii collocatum fuiſſe. Verum, Victoriam aramque fuiſſe in Curia, docent non tantum Dio citatus, ſed etiam Suetonius in Auguſto cap. 100. Capitolinus quidem, ubi Herodianus lib. 7. cap. 10. loquens de Maximo & Balbino Impp. dicit, duos Prætorios *Curiam* ingreſſos, *ſicut ultra aram quoque Victoriæ penetrarent*, βουλευτήριον qua voce utitur Herodianus, non *Curiam*, ſed Capitolium vertit: verum magno errore. Ab hoc tempore *dies quintus Kalendas* cujuſcunque menſis apud Romanos in veneratione fuit, qui jam celebris erat, quod eo die Triumviratus inſtitutus fuiſſet. Hujus rei infra varia exempla afferemus.

Olymp. 188. *Anno Periodi Græco-Romanæ 5466. Cyclo Solis 20. B. Lunæ 12. Indict. 6. Mundi 3077. Urbis conditæ 726. ante Chriſtum 28. Julianæ 28. Auguſti 17. Herodis 13. & 10.*

Coſſ.

NOTÆ [a] *Coſſ. Auguſtus Cæſar V. & Sex. Apulejus.* Tabula Cupraria IMP. CÆSAR. V. SEX. APPULEIUS. Tabula Ancyrana. PATRICIORUM NUMERUM AUXI. CONSUL. QUINTUM. JUSSU. POPULI..ET. SENATUS. SENATUM. TER. LEGI. Item EX. BELLORUM. MANUBIIS COS. V. DEDI. Item. AC. TRIUMPHOS. MEOS. QUINTUM. CONSUL REMISI. Vetus lapis apud Gruterum pag. CCXXVI. 5.

SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS
IMP. CÆSARI. DIVI. JULI. F. COS. QUINCT.
COS. DESIGN. SEX. IMP. SEPT.
REPUBLICA. CONSERVATA.

Lapis Ligorianus in Latio Veteri tom. III. pag. 162.

DD. KAL. SEPTEMB. IMP. CÆS.
AUGUSTO. ET. SEX. APPULLEIO. COS.

Nummi apud Occonem.

IMP. CÆSAR. DIVI. F. COS. V.
IMP. VI. & COS. V. IMP. VII.

Dio lib. LI. pag. 457. *Cæſare V. Sex Apulejo coſſ. juramento omnia ejus acta confirmata ſunt Kalendis Januariis.* Mox pag. 458. *Æſtate in Græciam, atque hinc in Italiam Cæſar tranſmiſit, eoque Urbem intrante, tum Sacram & alii fecerunt (quod decretum fuiſſe ſupra demonſtratum eſt) & conſul VALERIUS POTITUS, qui Apulejo ſucceſſerat: Cæſare toto hoc anno, ſicut & priori biennio, conſulatum obtinente.* Faſti Idatii: *Octaviano V. & Pulchro* (pro Apuleio) Vindebonenſes: *Auguſto V. & Apulejo* Dio lib. LI. pag. 459. Poſtquam de triumphis Auguſti egit, hæc narrat: *Deinde Minervæ templum, & quod Chalcidicum vocatur, tum Curiam Juliam, in honorem patris ſui factam, dedicavit*

Coſſ. *Auguſtus Cæſar VI. & M. Vipſanius Agrippa II.* [1]

Anno Periodi Græco-Romanæ 5467. *Cyclo Solis* 21. *A Lunæ* 13. *Indict.* 7. *Mundi* 3978. *Urbis conditæ* 717. *ante Chriſtum* 27. *Juliano* 19. *Auguſti* 18. *Herodis* 14. & 21.

CXVI. *Conſulatus continuentes ſolis Imperatoribus ac Cæſaribus attributi.*

Coſſ. *Auguſtus Cæſar VII. & M. Vipſanius Agrippa III.* [2] Tacitus lib. 1. Annal. cap. 2. de Auguſto loquens ait: *M. Agrippam geminatis Conſulatibus extulit.* Ad quæ verba Lipſius in Notis ait: *Quod Tacitus dixit, quia poſtremi duo Conſulatus Agrippa continuati continenteſque. Qui ſane honor erat; & raro cuiquam ea ætate tributus, præter Principes vel aut deſtinatione.* Melius ſcripſiſſet Lipſius *nunquam*, quam *raro*: cum poſthac geminatus continenſque Conſulatus nemini præterquam Imperatoribus ac Cæſaribus conceſſus reperiatur, ut Faſtos noſtros percurrenti liquebit. Hinc notam numeralem in Conſulatibus exprimendis, ubi ea mihi innotuit, ſemper adjeci; & ubi perperam addita fuerat, repudiavi; quod geminati Conſulatus, etiam non continentes, celebrioribus annis, aut in conſortio Imperatorum de more gererentur.

CXVII. *Ex ſententia Munatii Planci Octavianus Cæſar a Senatu cæteriſque civibus ante diem XVI. Kalend. Februar. nomen Auguſti accepit*, inquit, Cenſorinus lib. de Die natali cap. 22. *ſe VII. & M. Vipſanio Agrippa III. Coſſ.* Jam ſe ipſum Imperio abdicare velle ſignificaverat; ſed eum omnes compulere, ut Imperium ſolus obtineret, ex Dione lib. 53. pag. 407. & 503. quod *VII. Idus Januar.* ab eo ſuſceptum eſſe, oſtendit Inſcriptio apud Gruterum pag. 229. Tum *Idibus Januariis* Provinciarum diſtributionem, de qua Dio eodem libro pag. 503 504. & 505. factam fuiſſe innuit Ovidius 1. Faſtorum, ubi tamen perperam eodem die Cæſari Octaviano *Auguſti* cognomentum datum fuiſſe ſcribit. *Auguſti* nomine accepto, omne populi Senatuſque Imperium ad eum tranſlatum, ex Dione ibid. pag. 507. atque ex eo tempore ſumma rerum & poteſtatum penes unum cœpit eſſe & manſit, quod Græci *Monarchiam* vocant, ex Oroſio lib. 6. cap. 20. Romanos vero Auguſtorum ſuorum epocham a Kalendis Januariis hujus anni deduxiſſe, colligitur ex Cenſorino loco laudato. Auguſtus, ut omnem de ſe Monarchiæ ſuſpicionem eximeret, poteſtatem Reipublicæ conſtituendæ in decennium tantum aſſumſit, ex Dione ibidem. *Cæſar Imperium totius Orbis accipit.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5468. *Cyclo Solis* 22. *G. Lunæ* 14. *Indict.* 8. *Mundi* 3979. *Urbis conditæ* 718. *ante Chriſtum* 26. *Juliano* 20. *Auguſt.* 19. *Herodis* 15. & 22.

Coſſ.

NOTÆ *cavit, in eaque imaginem Victoriæ poſuit, quæ hodie quoque extat.* In Kalendario Antiatino ad *XV. Kal. Septemb.* legitur: ÆDIS. DIVI. JUL. DEO. In tabulis Ancyranis apud Gruterum pag. CCXXXVI. *Curiam, & continens, & Calcbidicum templumque Apollinis in Palatio cum Porticibus ædem Divi Julii &c. feci.* Apollinis templum dedicatum eſt VII. *Idus Octobris*: ad quam diem Kalendarium Antiatinum: AUG. (ſcilicet *Auguſtus*) ÆDEM. APOLLIN. DEDICAVIT.

In Fragmentis Faſtorum Capitolinis a Stephano Vinando Pighio ſuppletis ad A. V. 724. tres Auguſti triumphi ſtatuuntur, nempe *de Pannoniis Delmatis Japidibus*, & *Gallis*; de quibus triumphaſſe ſcribit. *VIII. Idus Sextil. Ex Macedonia, vero VII. Id. Sextil. Et deinde ex Ægypto VI. Id. Sextil.* De die, & menſe nihil Dio lib. LI. pag. 459. qui tradit A. V. 725. *Cæſarem prima die triumphum egiſſe de Pannoniis Dalmatis &c. Secunda die de Actiaca navale pugna. Tertia die de Subacta Ægypto.* In Kalendario Antiatino, Cæſaris triumphus præfigitur *ad* XIX. KAL. *Septemb.* AUGUST. TRIUMP. Ergo dies triumphi Auguſti incipiunt a *die* XIV. *Auguſti*, non a die *ſexta*.

[1] **C***oſſ. Auguſtus Cæſar VIII. & M. Vipſanius Agrippa II.* Tabula Capuana:

IMP. CÆSAR. VI.
M. AGRIPPA. II.
EX. K. JAN. AD. K. JUL.
L. GENIUS. C. GEMINIUS
Q. CETRONIUS. C. CLODIUS. ÆD.

In Donianis Inſcriptionibus pag. 259. legitur ita ex MS. Fratris Jucundi.

EX K. JAN.	AD. K. JUL.
L. GAVIUS	C. GEMINIUS. NIG. II. VIR
Q. CENTRONIUS	C. CLODIUS ÆD.

Tabula Ancyrana. ET. IN. CONSULATU. MEO. SEXTO. CENSUM. POPULI. COLLEGA. M. AGRIPPA EGI.

Nummi apud Occonem. CÆSAR. DIVI. F. COS. VI. Nummi Agrippæ. M. AGRIPPA L. F. COS. ITER. DES. TER. Tacitus Annal. lib. III. cap. XXVIII. *Sexto demum conſulatu Cæſar Auguſtus, potentiæ ſecurus.* Dio lib. LIII. in princip. pag. 496. *Anno inſequenti CÆSAR CONSUL. VI. cum alia omnia ſecundum inſtituta majorum egit, tum FASCES cum AGRIPPA COLLEGA SUO partitus eſt ita ut dimidia ipſe parte uteretur; ac perfunctus magiſtratu, juramentum patrio more præſtitit, quo poſtmodo etiam an fecerit, incertus ſum.* Deinde pag. 407. *unico edicto*, Auguſtus, *ea omnia antiquavit, ſine lis, quæ abrogaret, SEXTO SUO CONSULATU poſito.* Faſti Idatii: *Octaviano VI. & Agrippa.* Vindebonenſes. *Auguſto VI. & Agrippa II.*

[2] **C***oſſ. Auguſtus Cæſar VII. & M. Vipſanius Agrippa III.* Fragmentum apud Gruterum pag. CCXXXIV. 2. & apud Pighium in Annalibus Romanorum ad A. V. 726. quod quidem fragmentum effoſſum fuiſſe teſtatur A. D. 1570. in cacumine montis Albani, deſcriptumque a Nicolao Florentio Batavo, & nuper editum inter Donianas Inſcriptiones pag. 157. ex autographa ſcheda Petri Victorii.

M. AGRIP.

Digitized by Google

Coſſ. *Auguſtus Cæſar VIII. & T. Statilius Taurus II.* [1]
Anno Periodi Græco-Romanæ 5469. *Cyclo Solis* 13. *F E. Luna* 15. *Indict.* 9. *Mundi* 3980. *Urbis conditæ* 729. *ante Chriſtum* 25. *Juliano* 21. *Auguſti* 20. *Herodis* 16. & 13.

Coſſ. *Auguſtus Cæſar IX. & M. Junius Silanus* [2].

Anno Periodi Græco-Romanæ 5470. *Cyclo Solis* 14. *D. Luna* 16. *Indict.* 10. *Mundi* 3981. *Urbis conditæ* 730. *ante Chriſtum* 24. *Juliano* 22. *Auguſti* 21. *Herodis* 17. & 14. Olymp. 289.

Coſſ. *Auguſtus Cæſar X. & C. Norbanus Flaccus* [3].

NOTÆ

.... M. AGRIPPA III. COS.
NON. MAI
Auguſtus ValeTUDIN. IMPEDITUS. FUIT

Lapis in fronte Pantheon Romæ apud Gruterum pag. I. 1. litteris cubitalibus.

M. AGRIPPA. L. F. COS.
TERTUM FECIT

Nummi *Agrippæ*. M. AGRIPPA. COS. TER. COSSUS. LENTULUS. Cenſorinus de die Natali cap. XXI. *Perinde ex Kal. Jan. quamvis ex ante diem decimum ſextum Kal. Februarii Imperator Cæſar Divi F. ex ſententia L. Munacii Planci a Senatu cæteriſque civibus Auguſtus appellatus eſt ſe VII. & M. VIPSANIO AGRIPPA III. Coſſ.* Dio. lib. LIII. pag. 497. *Itaque SEPTIMUM CONSULATUM gerens, quum ad id optiſſimum quemque ſibi Senatorem comparuſſet in Senatum venit, atque hanc deſcripto orationem recitavit.* Faſti Idatii: *Octaviano VII. & Agrippa II.* (pro III.) Faſti Vindebonenſes. *Auguſto VII. & Agrippa III.*

[1] Coſſ. *Auguſtus Cæſar. VIII. & T. Statilius Taurus II.* Fragmentum, de quo anno ſuperiore.

T. STATILIO. TAURO. II. COS.
K. MAI.
...... HISPANIA FUIT

Fragmenta Faſtorum Capitolina apud Gruterum pag. CCXCV. CÆSAR *Divi Juli filius* AUGUSTUS VIII.
T. STATILIUS T. F. *Taurus* II. Dio. lib. LIII. pag. 512. *Anno ſequenti, AUGUSTO VIII. STATILIO TAURO COSS. Agrippa, quia nullam viam ſternendam ſuſceperat ſepta dedicavit.* Faſti Idatii Octaviano VIII. & Tauro II. Faſti Vindebonenſes: *Auguſto* VIII. & *Tauro*.

[2] Coſſ. *Auguſtus Cæſar. IX. & M. Junius Silanus.* Fragmentum, ubi ſupra.

M. JUNIO. SILAN. COS.
NON. JUN.
CæſAR. IN. HISPAN. FUIT.

Fragmentum Faſtorum Capitolinorum.
CÆSAR. DIVI F. C. N. AUGUSTUS VIIII. M. JUNIUS Silanus Suetonius *in Octavio* Cap. XXVI. Dio. lib. LIII. pag. 513. *Igitur Auguſtus, qui tum NONUM CONSULATUM M. SILANO COLLEGA gerebat, adverſum Salaſſos Terentium Varronem miſit.* Faſti Idatii: *Octaviano IX. & Silano.* Vindebonenſes: *Auguſto IX. & Silano.*

[3] Coſſ. *Auguſtus Cæſar X. & C. Norbanus Flaccus.* Fragmentum de quo ſupra ad A. V. 727.

C. NorBANO. FLAC. COS
EID. JUN
CÆSAR. VALETUD........

Fragmenta Capitolina.....

CÆSAR. DIVI. F. C. N. AUGUSTUS. X. C. *Norbanus Flaccus.* Tabula Ancyrana: ITERUM AUTEM. IN CONSULATU DECIMO. EX. PATRIMONIO. MEO &c. Cippus milliarius apud Sponium pag. 166. n. 3. ex Schedis Peireski.

PATER PATRIÆ
IMP. CÆSAR. DIVI. F.
AUGUSTUS. PONT.
MAXIMUS COS.
DESIGNATUS XI
TRIBUNIC. POTEST.

Mendoſe exſcriptus eſt; Nam Auguſtus quum eſſet conſul XI. tribuniciam poteſtatem accepit die XXVII. Junii A.U. 731. Dio lib. LIII. pag. 515. *AUGUSTO X. C. NORBANO COSS. Kalendis Januariis Senatus juramento confirmavit, ſe ejus acta approbare.* Faſti Idatii: *Octaviano X. & Flacco* Vindebonenſes: *Auguſto X. & Flacco.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5491. Cyclo Solis 15. C. Lunæ 17. Indict. 11. Mundi 3982. Urbis conditæ 731. ante Chriſtum 23. Juliano 23. Auguſti 22. Herodis 28. & 15.

CXVIII. *Tribunitia Poteſtas in Auguſtum collata.*

Coſſ. *Auguſtus Cæſar. XI. & Cn. Calpurnius Piſo* [1] Senatus *Auguſto hos honores decrevit, ut Tribunus Plebis perpetuus eſſet: ut quoties Senatus haberetur, etiamſi Conſulatum non gereret, de quibuſcumque rebus referre poſſet: ut Proconſulare Imperium ſemper haberet, neque id in Urbem intrans deponeret, aut renovando opus ei eſſet, ut major ipſi in Provinciis, quam Præfectis earum, ſemper eſſet poteſtas. Inde exortum eſt, ut Auguſtus, quique eum ſecuti ſunt Imperatores, Lege quadam reliquis hiſce & Tribunitia Poteſtate uterentur,* inquit Dio lib. 53. Factum id, *V. Kalend. Julias* Menſem Card. Noriſius in Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis pag. 263. ex fragmento veteris Inſcriptionis Grutesianæ docte deducit, ut ibidem videre eſt. Diem Onuphrius in Faſtis nos edocet; cum enim apud Velleium lib. 2. legiſſet, Auguſtum *V. Kalend.* Julii anni Urbis 757. adoptato a ſe Tiberio contuliſſe una ſimul Poteſtatem Tribunitiam, intulit, eadem etiam die *V. Kal. Julias*. Auguſtum multiplicaſſe Tribunitiam Poteſtatem. Nam fas eſt credere, Auguſtum ſolenni ſibi die tantam dignitatem Tiberio contuliſſe; is enim Velleio dicitur *Tribunitiæ Poteſtatis conſortione æquatus Auguſto;* nulla autem alia apparet cauſa ſolennitatis ejus diei, niſi quod ea ipſa die Auguſtus Tribunitiam Poteſtatem hoc anno primum accepiſſet. Indeque ulterius deducit Onuphrius, Imperatores eadem die ac menſe quibus Tribunitiam Poteſtatem ſumſiſſent, iiſdem etiam Cæſaribus tradere ſolitos. At licet verum ſit, Auguſtum eodem die ac menſe, *V.* nempe *Kal. Julias*, quibus Tribunitiam Poteſtatem accepit, in Tiberium poſtea contuliſſe; falſum tamen, ſequentes Imperatores eo die ac menſe, quibus ipſimet Tribunitia Poteſtate exornati fuiſſent, aliis eandem tribuiſſe. Fiebat id de more *V. Kalendas* alicujus menſis indiſcriminatim, quod eo die ara Victoriæ dedicata fuiſſet, & Auguſtus Tribunitiam Poteſtatem primum ſuſcepiſſet. Hujus rei exempla infra occurrent.

Anno Periodi Græco Romanæ 5492. Cyclo Solis 16. B. Lunæ 18. Indict. 12. Mundi 3983. Urbis conditæ 732. ante Chriſtum 22. Juliano 24. Auguſti 23. Herodis 29. & 16.

Coſſ. *M. Claudius Marcellus Æſerninus*, & *L. Arruntius* [2]

Anno Periodi Græco Romanæ 5493. Cyclo Solis 17. A G. Lunæ 19. Indict. 13. Mundi 3984. Urbis conditæ 733. ante Chriſtum 21. Juliano 25. Auguſti 24. Herodis 30. & 17.

Coſſ.

NOTÆ [1] Coſ. *Auguſtus Cæſar XI. & Cn. Calpurnius Piſo*. Fragmentum de quo ſupra ad A.V. 727.

Cn. CalpurN. PISONE. COS.
.... EID. JUL.
CÆSAR. IN. MONTE. FUIT
CÆSAR. COS. ABDICAVIT
K. NOV.

Cn. CalpurN. PISONE. COLLEGA. COS. Fragmenta Capitolina... CÆSAR. DIVI. F. C. N. AGUSTUS. XI. Tabula Ancyrana. ET. CONSUL. UNDECIMUM. DUODECIM. FRUMENTATIONES &c. Nummi apud Occonem; AUGUSTUS. COS. XI. TRIB. POT. Dio lib. LIII. pag. 517. *AUGUSTUS XI. CONSUL CUM CALPURNIO PISONE, adeo gravi morbo decubuit, ut nulla ſpes ſalutis adeſſet*. Pag. 518. *His ſingulis ordinatis, in Albanum exiit, ac Conſulatu ſe abdicavit. Quoniam enim ipſe jam inde a compoſitione reip. ac nonnulli alii toto anno conſulatum geſſerant: inhibere eum morem cupiens, ut ad plures conſulatus perveniret, extra Urbem magiſtratu abiit, ne impediretur. Laudatum eſt hoc ejus factum, idque etiam, quod in ſuum locum ſubrogavit L. Sextium, qui vir ſemper Bruti rebus faverat &c.* Plinius lib. XIX. cap. 1. *Deinde & ſine ludis MARCELLUS Octaviæ ſorore Auguſti genitus, in Ædilitate ſua, AVUNCULO XI. CONSULE ad Calendas Auguſti, velis forum inumbravit*. Faſti Idatii: *Octaviano XI. & Piſone*. Vindebonenſes: *Auguſto XI. & Piſone*.

Suetonius in Octavio cap. XXVII. meminit *Tedii Afri CONSULIS DESIGNATI, quem Auguſtus quia factum quoddam ſuum maligno ſermone carpſiſſet, tantis perterruit minis, ut is ſe præcipitaverit*.

[2] Coſſ. *M. Claudius Marcellus Æſerninus, & L. Arruntius*. Tabula Colotiana apud Gruterum pag. CCXCVIII. 1. & inter Donianas Inſcriptiones pag. 157.

M. CLAUDIUS. M. F. L. Æ...
L. MUNATIUS. PAUL. ÆMILIUS.....
Item pag. X. 2. DEDICATUM
L. ARRUNTIO. ET. C. CLAUD.
MARCELLO. COS.

Prænomen *Marci* Marcello in vulgatis Faſtis inditum perperam, ex hac Gruteriana Inſcriptione monet Jo: Vignolius in Inſcriptionibus ſelectis pag. 191. quare Marcelli prænomen, *Caius*. Dio lib. LIV. in princ. pag. 522. *Annus inſequens M. Marcellum, L. Arruntium conſules habuit*, Faſti Idatii: *Æſernino, & Arruntio*. Vindebonenſes: *Marcello & Arruntio*.

Digitized by Google

Coſſ, Q. Æmilius Lepidus, & M. Lollius. [1].

Olymp. 190. *Anno Periodi Græco-Romanæ* 5474. *Cyclo Solis* 18. *F. Lunæ* 1, *Indict.* 14. *Mundi* 3985. *Urbe condita* 734. *ante Christum* 20. *Juliano* 26. *Augusti* 25. *Herodis* 21. & 18.

CXIX. *Geſta in Syria.* Coſſ. *M. Appuleius, & P. Silius Nerva*, [2] Joſephus lib. 15. Antiquit. cap. 13. narrat, *Zenodorum* quendam conduxiſſe ditionem Lyzaniæ, & non ſolum prædas noſſ vetaſſe; ſed etiam earum participem fuiſſe. Hinc propinquorum agrorum coloni *Varronem* Provinciæ Præſidem rogarunt, ut *Zenodori* injurias ſignificaret Cæſari. Reſcripſit hic, expugnanda eſſe latronum receptacula, & ditionem eam ditioni Herodis contribuendam. Eam regionem poſtquam Herodes accepit a Cæſare, Zenodorus Romam ad accuſandum Herodem profectus eſt; nihil tamen efficere potuit. Interea in Aſiam *Agrippa* mittitur, adminiſtraturus tranſmarinas Provincias pro Cæſare. *Decimo ſeptimo* demum *Herodis regni anno* Cæſar venit in Syriam, & Zenodorus apud Antiochiam Syriæ periit. Cæſar vero hujus portionem non contemnendam donavit Herodi: quæ ſita eſt Galilæam inter & Trachonem. Quæ omnia ex Joſepho deſcripta, qui lib. 2. de Bello cap. 15. eadem de re loquens, *ait: Et decimo anno reverſus* (Auguſtus ſcilicet) *iterum in Provinciam, Zenodoro mortuo, terram omnem, quæ inter Trachonem & Galilæam erat, eidem attribuit*. Porro Auguſtum anno Urbis 724. in Syriam profectum eſſe, docet Dio lib. 51. currentique anno in eandem Provinciam rurſus adveniſſe, narrat Dio lib. 54. ſub hujus anni Conſulibus, ubi & ait, eum Herodi *Zenodori cujuſdam Tetrarchiam* attribuiſſe.

CXX. *Meſſalla Varro ſucceſſit in Præfectura Syriæ.* Ex his ſeries Præſidum Syriæ a Baronio confecta, corrigenda. Baronius poſtquam locutus eſt de Meſſalla, ait, *Hic præfuiſſe videtur uſque ad annum ab Urbe condita DCCXXXI, quando M. Agrippa tam Syriæ, quam toti Orienti præficitur, qui, ut teſtatur Dio lib. 53. eſt revocatus anno ab Urbe condita DCCXXXIII. quo ipſe Auguſtus in Syriam profectus reperitur.* (ex Dione lib. 54. *ubi manſit ſaltem triennii temporis ſpatio: nam ſub Conſulatu Sentii Saturnini adhuc agebat in Oriente*. Paulo antea inconſtantiæ Joſephum arguerat, qui Varum Syriæ Præſidem dixerit anno Regni Herodis XVI. & dein ſcripſerit, anno poſtea viceſimo paulo ante obitum Herodis Varum ſucceſſiſſe Sentio Saturnino.

Baron. in Apparatu n. LXXXV. Baron. n. LXXXIV.

Apparatus in Baronium

Nec eſt, inquit Baronius, *quod poſſit dici, eundem Varum iterum eo miſſum, cum nec ipſe Joſephus, nec alii id teſtantur*. Sed, ut jam Viri docti obſervarunt, prava Geleni interpretatio Baronium decepit. Nam ubi Joſephus lib. 1. Belli cap. 15. ſcribit, κὐάρου τὸ τηνικαῦτα τῆς Συρίας legit *Varum Præſidem Syriæ*, cum vertendum fuerit, *Varronem Præſidem Syriæ*. Ita lib. 15. Antiquit. cap. 13. idem Joſepho dicitur Οὐάρρων, recteque Rufinus Latine vertit, *Varro*. Sed qui ſucceſſit *Sentio Saturnino*, vocatur a Joſepho lib. 17. Antiquit. cap 7. Οὔαρος Κυντίλιος id eſt. *Varus Quintilius*. Præterea non anno præcedenti, ſed currenti in Syriam *Auguſtus* venit, quo poſt annum Urbis 724. non venerat. Dio lib. 54. agens de rebus Marcello & Aruntio Coſſ. geſtis, anno ſcilicet Urbis 731. ait: *In Siciliam profectus eſt, ut eam ac omnes alias ad Syriam uſque Provincias conſtitueret* Auguſtus. Tum addit: *Auguſtus, rebus in Sicilia ordinatis, Syracuſiſque & aliis quibuſdam urbibus colonia Romanorum ut eſſent, deſtinatis, in Græciam tranſmiſit*. Et paulo poſt: *Rebus in Græcia confectis, Auguſtus in Samum navigavit, ibique hiemavit. Vere in Aſiam pervexit M. Appuleio, Publio Silio Coſſ.* Auguſtus, Aſia Proconſulari Provincia ordinata, *ibi & in Bithynia omnia conſtituit*, inquit Dio, qui ſubdit, *idemque in Syriam cum adveniſſet*, Tyros ac Sidonios propter ſactiones punivit. Ex quibus, ut advertit Card. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. pag. 291. & ſeqq. patet, Auguſtum circa æſtatem hoc anno in Syriam veniſſe; cum verno tempore Aſiam ac Bithyniam perluſtraſſet. Joſephus laudatus dicit, fuiſſe annum XVII. Regni Herodis, ac decimum annum poſt præcedentem ejus in Syriam profectionem, ſicque in tempore ei cum Dione optime convenit.

Inſuper conſtat ex Dione, quem Baronius unum ſuæ ſententiæ auctorem laudat, Auguſtum qui hac æſtate in Syriam profectus eſt, poſtea apud Samum hibernaſſe, ut vix quinque in Syria menſes moratus fuerit, non vero per triennium, ut vult Baronius. Sed nec illud admittendum, Auguſto in Orientis partibus degente, nullos ejuſdem Legatos, nec a populo ſuas in Provincias miſſos Proconſules extitiſſe. Quis enim, Auguſto apud Samum hiemante, in Syria, quis in Cyrene, quis in Bithynia jus dixiſſet? Quis ab anno Urbis 733. ad 737. quo rurſus Agrippa rediit in Orientem, Syriæ res adminiſtravit? Inquit Card. Noriſius laudatus, qui & ex Appiano lib. 4. Bel. civil. pag. 619. CXXI. *Auguſtus vix quinque menſes in Syria manſit.*

NOTÆ [1] C*oſſ. Q. Æmilius Lepidus, & M. Lollius*. Tabula Colotiana.

Q. ÆMILIUS. LEPID. M. LO...,

Gruterianus Lapis pag. CLX. 6. Q. LEPIDUS. M. F. M. LOLLIUS M. F. COS. EX. S.C. PROBAVERUNT. De his Coſſ. Horatius in fine lib. 1. epiſtolarum.

Forte meum ſi quis te percunctabitur ævum
Me quater undenos ſciat impleviſſe Decembres
Collegam LEPIDUM, quo duxit LOLLIUS ævo.

Dio lib. LIV. pag. 524. *Conſulatus locus alter Auguſto ſervabatur, ideoque anni initio M. Lollius ſolus conſulatum geſſit. Cæſare autem conſulatum non accipiente, Q. Lepidus, & L. Silanus cum ambirent: itaque factiones, vexatione omnia conturbarunt, ut cordati viri Auguſtum Romam revocarent &c. Nihilo inde Sedatius res acta eſt, ut vix tandem Lepidus conſul creatus fuerit*. Faſti Idatii: *Lollio, & Lepido*. Ita & Vindebonenſes.

[2] C*oſſ. M. Appuleius & P. Silius Nerva*. Tabula Colotiana.

M. APPULEIUS. SEX. F. P. SL...

Dio lib. LIV. pag. 525. *Vere* (Auguſtus) *in Aſiam pervexerit, M. Apuleio, P. Silio conſulibus*. Faſti Idatii: *Apuleio, & Nerva*.

de M. Tullio Cicerone Oratoris filio, qui victo Bruto ad Sex. Pompejum in Ciliciam ſe receperat, loquente, ait: *Poſt hæc Cæſar, quo averteret a ſe Ciceronis proditi dedecus, Augurem eum fecit, & paulo poſt Conſulem, poſtremo Syriæ Præſidem*. Hanc Ciceronis adminiſtrationem Syriacam ab anno Urbis 733. ad 737. contigiſſe putat Card. Noriſius; cum ante illos annos alii Proprætores eam Provinciam adminiſtraverint.

CXXII. *Agrippa Syriæ Præſes.* Quoad Præfecturam Syriacam *Varronis*, is eam obtinebat anno Urbis 732. quo Herodes Cæſaream condidit, ut deducitur ex Joſepho lib. 1. Belli cap. 16. & lib. 15. Antiquit. cap. 13. qui addit *Herodem* filios ſuos Alexandrum & Ariſtobulum Romam ad Cæſarem educandos miſiſſe, & Herodem accepiſſe a Cæſare *Trachonem*, qua Zenodorum privaverat, quo tempore Varro Provinciæ Syriæ præerat. Anno tamen præcedenti, Urbis ſcilicet 731. M. Vipſanius Agrippa, teſte Dione lib. 54. Syriæ Præfecturam ab Auguſto acceperat, de qua loquitur etiam Joſephus lib. 15. cap. 13. Quare apparet, totius Orientis Provincias Agrippæ demandatas fuiſſe; cum alii Proconſules eodem tempore in Provinciis Aſiaticis fuerint; quod de *Varrone* negari non poteſt, ut ex dictis liquet. Tacitus lib. 2. Annal. loquens de Germanico, cui poſtea Orientem Tiberius permiſit, ait: *Tunc decreto Patrum permiſſæ Germanico Provinciæ quæ mari dividuntur, majuſque Imperium quoquo adiſſet, quam his qui ſorte aut miſſu Principis obtinerent*. Si hoc amplo Imperio Proconſulari, loquit Card. Noriſius loco laudato, Agrippa ornatus dicatur, cum in Orientem miſſus fuit, una cum eodem fuere in Aſiaticis Provinciis populi ordinarii Proconſules, in quorum tamen Diœceſes majus Imperium Agrippa obtinebat. De ejus in Aſiam adventu ſermo redibit. Hæc Card. Noriſius. Varro itaque Syriæ præfuit eo etiam tempore, quo Agrippa Orientem gubernabat. De Agrippæ Præfectura rurſus infra.

CXXIII. *Annus capta Hieroſolyma ex anno VIII. Herodis probatus.* Denique notandus annus decimus ſeptimus Herodis a morte Antigoni defunctus, ex quo manifeſtum fit, Joſephum expugnationem urbis Hieroſolymitanæ cum anno Urbis 717. copulaſſe. Hæc Joſephi verba; ἤδη δ' αὐτῷ τ βασιλείας ιζ' παρεληλυθότος ἔτους Καῖσαρ εἰς Συρίαν ἀφίκετο. quæ verba ſic Gelenius vertit: *Decimo ſeptimo demum ejus regni anno Cæſar venit in Syriam*. Sed perperam: ea enim ſic cum Petavio lib. 11. de Doct. Temp. cap. 1. Latine reddenda; *Cum jam regni XVII. annus Herodis præteriiſſet*, Cæſar in Syriam venit. Joſephus enim annum Herodis XVII. παρεληλυθότα vocat, id eſt, *præteritum*. Ex quo liquet primum, Joſephum cladem urbis Hieroſolymitanæ anno Urbis 717. recte collocaſſe, ſibique conſtare. Cum e contra in opinione Dionis annus XVII. Herodis anno præcedenti terminari debeat, quo tamen quæ ipſemet Dio narrat, hoc anno contigere, ipſo etiam Joſepho teſte, qui res Romanas optime callebat. Liquet ſecundo, urbem expugnatam fuiſſe ante autumnum, ut ſuo loco diximus, cum Herodes jam annum decimum octavum inchoaſſet, quando Auguſtus hac æſtate in Syria fuit.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5475. Cyclo Solis 19. E. Lunæ 2. Indict. 15. Mundi 3986. Urbis conditæ 735. ante Chriſtum 19. Juliano 27. Auguſti 26. Herodis 22. & 19.

Coſſ. Q. *Lucretius Viſpillo*, & C. *Sentius Saturninus*. (1)

Anno Periodi Græco-Romanæ 5476. Cyclo Solis 20. D. Lunæ 3. Indict. 1. Mundi 3987. Urbis conditæ 736. ante Chriſtum 18. Juliano 28. Auguſti 27. Herodis 23. & 20.

Coſſ. P. *Cor. Lentulus Marcellinus*, & Cn. *Cornelius Lentulus*. (2) Cum primum Imperii decennium ad exitum jam tenderet, Auguſtus in aliud quinquennium, ſuum ſibi prorogavit Principatum, ut teſtatur Dio lib. 54. ubi id ſub hujus anni Conſulibus factum aſſerit. *Agrippæ cum alia fere eadem quæ ſibi, tum Tribunitiam Poteſtatem itidem ad Quinquennium dedit*, inquit Dio eodem loco. Auguſtum imitati ejus ſucceſſores annis quibus Quinquennalia & id genus feſta edidere, Cæſares creare, aut iis Tribunitiam Poteſtatem impertiri ſoliti ſunt. Hoc & ſequenti anno Auguſtus Romæ ſubſtitit, annoque ſequenti ibidem Cajum, & Lucium Agrippæ filios ex Julia Auguſti nata adoptavit. *Principatus Auguſti prorogatus.*

Anno Periodi Græco-Romanæ 5477. Cyclo Solis 21. CB. Lunæ 4. Indict. 2. Mundi 3988. Urbis conditæ 737. ante Chriſtum 17. Juliano 29. Auguſti 28. Herodis 24. & 21.

Coſſ. C. *Furnius*, & C. *Junius Silanus*. (3) Hoc anno Beatiſſimam Virginem Salvatoris noſtri CXXIV. *B. Virginis Nativitas.*

NOTÆ (1) Coſſ. Q. *Lucretius Viſpillo*, & C. *Sentius Saturninus*. Tabula Colotiana.

C. SENTIUS.
SATURN. Q. LY....
SUF. M. VINUCIUS. P. F.

Dio lib. LIV. pag. 527. *Eo anno conſul fuit C. Sentius, cui quum collega eſſet dandus (namque quoque reſervatum ſibi conſulatum Auguſtus non accepit) iterum ſeditiones ac cædes Romæ evenerunt... Auguſtus re cognita, quum videret nullum mali finem fore, ſi eandem, quam prius rationem iniret; unum ex legatis*, Q. *Lucretium nomine, qui unus ex proſcriptis fuerat, conſulem deſignavit, ac ipſe Romam contendit*. Faſti Idatii: *Saturnino, & Lucretio*. Ita & Vindebonenſes.

(2) Coſſ. P. *Cornelius Lentulus Marcellinus*, & Cn. *Cornelius Lentulus*. Tabula Colotiana. P. CORNELIUS. P. F. CN. C.. Tabula Ancyrana. CN. P. LENTULO.... Dio lib. LIV. pag. 526. *Id enim agebat P. jam & Cn. Lentulis conſulibus*. Faſti Idatii: *Duobus Lentulis*, Vindebonenſes: *Lentulo, & Lentulo*.

(3) Coſſ. C. *Furnius*, & C. *Junius Silanus*. Tabula Colotiana C. FURNIUS. C. F. C. IV.... Dio lib. LIV. pag. 533. C. *Furnio C. Silano COSS. iterum natus eſt Agrippæ filius, cui Lucio nomen factum*. Quo die ortus ſit *Lucius* hactenus ignorabatur. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Differt. II. Cap. I. Jo: Baptiſtam Ricciolum improbat, qui *III. Kal. Maij*, natum *Lucium* cenſet; Noriſius enim diem potius adoptionis fuiſſe, diem vero natalem ſub initium hujus anni. At dies natalis *Lucii*, in Kalendario Antiatino conſignatur ad XVI. *Kal. Decemb.* his verbis: XVI. (Kal. Decemb.) INCIRC. L. AUG. NATAL. Cenſorinus de die natali cap. XVII. *Quintos ludos*, C. *Furnio, C. Junio Silano coſſ. ann. DCCXXX. VII. Cæſar Auguſtus, & Agrippa fecerunt*. Faſti Idatii: *Fornicio (pro Furnio) & Silano*. Vindebonenſes: *Furnio, & Silano*.

Digitized by Google

Baron. in Apparatu n. XLVIII. & Spondan. num. XXI. -ſtri matrem natam exiſtimat Baronius. Auctor vero Chronici Alexandrini ſub anni ſequentis Conſulibus ejus nativitatem conſignat. Quæ ibidem Baronius de Chriſti Genealogia habet, lucem accipere poſſunt ex Diſſert. Petri de Marca *de Stemmate Chriſti*, quæ prima eſt inter ejus Opera poſthuma; neque enim mens eſt in ea ſimilibusve operam ponere; cum meliora, quam Baronius, afferre non poſſimus.

Ludi Sæculares celebrati. Auguſtus ſub hujus anni Conſulibus *Ludos Sæculares Quintos* celebravit, ut non tantum ex Cenſorino lib. de Die natali, ſed etiam ex Nummis apud Mediobarbum pag. 36. liquet. Quater poſtea a ſubſequentibus Imperatoribus exhibiti, tandemque neglecti, & a Chriſtianis Imperatoribus abrogati.

Olymp. 191. *Anno Periodi Græco-Romanæ* 3478. *Cyclo Solis* 22. *A. Lunæ* 3. *Indict.* 3. *Mundi* 3989. *Urbis conditæ* 738. *ante Chriſtum* 16. *Juliano* 30. *Auguſti* 29. *Herodis* 25. & 22.

Agrippa iterum Syriæ Præfect. Coſſ. *L. Domitius Ahenobardus*, & *P. Cornelius Scipio*. (1) Teſtatur Dio lib. 54. *Agrippam* exhibitis hoc anno Ludis Actiacis, (qui menſe Septembri, quo ineunte Auguſtus victor navali pugna apud Actium extiterat, edi ſoliti erant) in Aſiam tranſmiſiſſe, ideoque circa autumnum. Hæc altera Agrippæ in Aſiam profectio, quam Baronius recte hoc anno conſignavit; qui tamen in eo peccavit, quod Auguſtum inter Præſides Syriæ connumerarit, ab anno Urbis 734. quo ia ex Syria diſceſſit hiberna apud Samum habiturus, uſque ad præſentem annum quo Agrippa in Orientem iterum miſſus eſt. Nam, ut obſervat Card. Noriſius Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis pag. 297. potuit Agrippa abſens per Legatus Syriam regere; quod eo magis dicendum, quod Joſephus lib. 16. de Antiquit. cap. 6. tradat, *Agrippam in Italiam reverſum, poſtquam annos decem Diverſim Aſiæ adminiſtraſſet*, ab anno nempe Urbis 731. uſque ad annum Urbis 741. quo Agrippa ex Syria Romam reverſus eſt, ut loco citato docet Dio. Poſt Agrippam, *Titium* Præſidem Syriæ exhibet Joſephus lib. 16. Antiq. cap. 12. quem Baronius omiſit, & de quo plura Card. Noriſius loco citato.

Anno Periodi Græco-Romanæ 3479. *Cyclo Solis* 23. *G. Lunæ* 6. *Indict.* 4. *Mundi* 3990. *Urbis conditæ* 739. *ante Chriſtum* 15. *Juliano* 31. *Auguſti* 30. *Herodis* 26. & 23.

Coſſ. *M. Livius Druſus Libo*, & *L. Calpurnius Piſo*. (2)

Anno Periodi Græco-Romanæ 3480. *Cyclo Solis* 24. *F. Lunæ* 7. *Indict.* 3. *Mundi* 3991. *Urbis conditæ* 740. *ante Chriſtum* 14. *Juliano* 32. *Auguſti* 31. *Herodis* 27. & 24.

Coſſ. *M. Licinius Craſſus*, & *Cn. Cornelius Lentulus* (3).

Anno Periodi Græco-Romanæ 3481. *Cyclo Solis* 25. *E D. Lunæ* 8. *Indict.* 6. *Mundi* 3992. *Urbis conditæ* 741. *ante Chriſtum* 13. *Juliano* 33. *Auguſti* 32. *Herodis* 28. & 25.

Coſſ. *Tiberius Claudius Nero*, & *P. Quinctilius Varus* (4) *Poſt Agrippam ex Syria reverſum Tribunitia Poteſtate in aliud quinquennium prorogata cohoneſtavit*, inquit Dio lib. 54. Auguſtus ſcilicet. *Agrippa Tribunitia Poteſtate donatur.*

Anno

NOTÆ (1) Coſſ. *L. Domitius Ænobarbus*, & *P. Cornelius Scipio*. Tabula Colotiana.

C L. L. D O M I T I V S. C N. F. P.
C O . . .
S V F. L. T A . . .

Dio lib. LIV. pag. 533. *His conſtitutis, L. Domitio, & P. Scipione coſſ. in Galliam profectus eſt* (Auguſtus). Faſti Idatii: *Scipione*, & *Domitio Ahenobarbo*. Vindebonenſes: *Ænobarbo*, & *Scipione*.

(2) Coſſ. *M. Livius Druſus Libo*, & *L. Calpurnius Piſo*. Tabula Colotiana. M. DRVSVS. L. P. . . . . Dio lib. LIV. pag. 333. *Itaque Auguſtus, etſi nihil armis ad id bellum fuit opus, tamen reliquis rebus conſtituendis, hunc & poſteriorem præterea annum, quo conſulatum geſſerunt M. DRUSUS LIBO, & L. CALPURNIUS Piſo, abſumpſit*. Faſti Idatii: *Libone*, & *Piſone*. Ita & Vindebonenſes.

(3) Coſſ. *M. Licinius Craſſus & Cn. Cornelius Lentulus*. Tabula Colotiana. M. LICINIUS. M. F. . . . .
Inſcriptiones ſelectæ Jo. Vignolii pag. 331. VIII. KAL. JULII. GN. LENTULO. M. CRAS. COS. Dio lib. LIV. pag. 337. *Anno ſequenti M. CRASSUS, & CN. CORNELIUS conſulatum geſſerunt*. Faſti Idatii: *Craſſo & Lentulo*. Vindebonenſes: *Graſſo & Augure*.

(4) Coſſ. *Tiberius Claudius Nero*, & *P. Quinctilius Varus*. Tabula Colotiana. TI. CLAUDIUS. TI. F. . . . . . Fragmentum de ludis votivis ob reditum Auguſti apud Gruterum pag. XL. 1.

P. Quinctilius S E X. F. V A R U S
Pontifex C O S
Ludos votivos prO R E D I T U
Imp. Cæſaris Diu I. F. A U G U S T I
Jovi Optimo. m A X I M O. F E C I T
Ti. Claudio Ti. f. NerO N E. C O N L E G A.

Antiquæ Inſcriptiones Etruriæ, illuſtratæ ab Antonio Franciſco Gorio P. I. pag. 408. n. 219.

T I. C L A U D I O. N E R O N E
P. Q U I N T I L I O. V A R O. C O S.

Edita hæc fuerat a Jacobo Sponio in Miſcell. pag. 277. ſed COS. omiſerat Fabrettus pag. 101. & in

Olymp. 191.

Anno Periodi Græco-Romanæ 1482. Cyclo Solis 26. C. Lunæ 9. Indict. 7. Mundi 3993. Urbis conditæ 742. ante Chriſtum 12. Juliano 34. Auguſti 33. Herodis 29. & 26.

CXXV. *Tiberio Tribunitia Poteſtas confertur.*

Coſſ. *M. Valerius Meſſalla Barbatus, & P. Sulpicius Quirinus* [1] Agrippa in Campania mortuus eſt ex Livio lib. 136. & Dione lib. 54. Auguſtus in ejus locum ad rerum ſummam ſecum adminiſtrandam Tiberium privignum ſuum invitus aſſumſit, eique filiam ſuam Juliam Agrippæ viduam deſpondit, coacto uxorem ſuam Agrippinam relinquere, ex Dione ibidem.

Anno Periodi Græco-Romanæ 1483. Cyclo Solis 27. B. Lunæ 10. Indict. 8. Mundi 3994. Urbis conditæ 743. ante Chriſtum 11. Juliano 35. Auguſti 34. Herodis 30. & 27.

Coſſ. *Paulus Fabius Maximus, & Q. Ælius Tubero* [2].

Anno Periodi Græco-Romanæ 1484. Cyclo Solis 28. A. Lunæ 11. Indict. 9. Mundi 3995. Urbis conditæ 744. ante Chriſtum 10. Juliano 36. Auguſti 35. Herodis 31. & 28.

Coſſ.

NOTÆ & in iiſdem Inſcriptionibus Ætruriæ, pag. 420. Lapis ſepulcralis. SEPVLTA EST. A. D. VI. K. APRILES. TI. CLAUDIO. NER. P. QVINCTIL. VAR. COS. Dio lib. LIV. pag. 538. *Druſo in Germania relicto Romam* (Auguſtus) *reverſus eſt, TIBERIO, ET QUINTILIO VARO COSS.* Faſti Idatii: *Nerone & Varo*. Vindebonenſes ita:

Auguſtus hoc anno *Pontifex Maximus* creatus eſt; vetus Kalendarium Farneſianum apud Gruterum pag. CXXXIII. ad diem V. *Martii* habet. HOC DIE CAESAR. PONTIF. MAXIM. FACTVS EST. Eam Auguſtus dignitatem ſuſcepit, mortuo *Lepido Pontifice Maximo*, & a Sacerdotum collegio creatus eſt, non a Senatu. Dio lib. LIV. pag. 540. *Cum Lepido mortuo, Auguſtus, SUMMUS PONTIFEX eſſet creatus, ut propterea decernere ipſi quædam Senatus vellet, profeſſus nihil ſe admiſſurum, cum nihilominus inſtarent, ſurgens e Senatu abiit*. De Pontificatu Maximo Auguſti extat Antiochenſium nummus, de quo Noriſius de Epochis Syro-Maced. Diſſert. III. Cap. VII. pag. 211.

[1] COſſ. *M. Valerius Meſſala Barbatus, & P. Sulpicius Quirinus*. Onuphrius Fragmenta Capitolina ita ſupplevit, & conſules hujus anni ita diſpoſuit, nempe ut eſſent: *M. Valerius Meſſala Barbatus in magiſtratu mortuus. P. Sulpicius Quirinus Æmilianus*, quo in magiſtratu mortuo, *in ejus locum factus eſt C. Valgius Rufus, qui abdicavit, & in ejus locum factus eſt C. Caninius Rebilus*. Tabula Colotiana apud Gruterum pag. CCXCVIII. 2. ſic habet.

M. VALERIUS. M. F.......
SVF. C. VALGIUS. C. F......
C. CANIDIUS.......

Eadem emendatior in Donianis Inſcriptionibus Claſ. V. pag. 256.

M. VALERIVS. M. F......
SVF. C. VALGIVS. C. F..........
C. CANINIVS.......

Ex his fragmentis nomina Conſulum eruta ab Onuphrio, & ſuppleta cenſet Pighius; nam in his nomina *C. Valgii, & C. Caninii* leguntur, quanquam non liqueret, inquit Pighius, quo loco in tabulis reponerentur. At hanc hæſitationem, & Onuphrii erratum partim ſubſtulit vetus lapis non ita dudum vulgatus inter Inſcriptiones antiquas Etruriæ P. 1. pag. 419. num. 2. & inter Gudianas pag. CCCLVIII. 7. Eſt autem.

V. TI. LATINIVS. TI. L. DORI
Θ. AGRARIA. TI. L. RVFA
HOC MANSUM VENI. IIII. KA. SEPT
P. SULPICIO. C. VALGIO. RUFO
CONSULIBUS

Itaque *C. Valgius Rufus* non eſt factus conſul in demortui *P. Sulpicii Quirini* locum, quum in hocce lapide, *Quirini* ipſius collega ad diem IV. *Kal. Septembres*, nempe die XXIX. *Auguſti* ſtatuatur. Pighius etiam, *Valgii* cognomen forſan duplex fuiſſe exiſtimat, ſcilicet *Rufi & Saturnini*; quibus conjecturis, non prodit. *Rufi* quidem cognomen prodit allatus lapis. Dio lib. LIV. pag. 541. *Agrippa eam expeditionem* (in Pannoniam) *jam hieme inſtante, qua M. Valerius Meſſala Barbatus, & P. Sulpicius Quirinus conſules fuere, fecit*. Faſti Idati: *Meſſala & Quirino*; ita & Vindobonenſes. *De Meſſala Barbato, Meſſalinæ* Auguſtæ patre, Suetonius in Claudio cap. XXVI. De *P. Sulpicio Quirino*, nimirum de ejus obitu, Patria, genere, & honoribus, Tacitus Annal. lib. III. cap. XLVIII. De eo item Joſephus Antiquitatum lib. XVII. cap. XII. in fine, & lib. XVIII. cap. 1. a quo modo *Quirinus* modo *Quirinius* appellatur. Apud Tacitum *Quirinius* legitur. *Cyrinus* etiam dictus eſt. Plura de eo habebis ex Pagio infra n. CXXIX. CXLII. & ſequentibus. De *C. Valgio*, genere, & eruditione ſpectato, Plinius lib. XXV. cap. II. De *Rebilo* conſulari, qui & *C. Caninius*, Seneca De Beneficiis lib. II. cap. XXI.

[2] COſſ. *Paulus Fabius Maximus & Q. Ælius Tubero*. Dio lib. LIV. pag. 544. *Q. Ælio Tuberone Paulo Fabio Maximo Coſſ.* Frontinus de aquæductibus non ſemel; *Q. Ælius Tubero, Paullus Fabius Maximus*. COSS. Plinius lib. VIII. cap. XVIII. *Idem* (Auguſtus) *Q. Tuberone Fabio Max. COSS. IV. Nonas Majas, Theatri Marcelli dedicatione tigrin primus omnium Romæ oſtendit in cavea manſuefactum*. Faſti Idatii: *Maximo & Tuberone*: Vindebonenſes: *Tuberone & Maximo*. Denarius argenteus apud Vaillantium in Familiis Romanis tom. I. pag. 426. ubi: PAULLUS. FABI. MAXIM; qui a Goltzio huic *Fabio* conſuli adſcribitur, adtribuendus eſt, eodem Vaillantio ita judicante, *Paullo Maximo* hujus conſulis patre.

Digitized by Google

Coſſ. *Julius Antonius, & Q. Fabius Max. Africanus* (1)

Anno Periodi Græco-Romanæ 1485. *Cyclo Solis* 2. G F. *Lunæ* 12. *Indict.* 10. *Mundi* 3996. *Urbis conditæ* 745. *ante Chriſtum* 9. *Juliano* 37. *Auguſti* 36. *Herodis* 32. & 29.

Coſſ. *Nero Claudius Druſus Germanicus, & T. Quinctius Criſpinus* (2).

Anno Periodi Græco-Romanæ 1486. *Cyclo Solis* 3. E. *Lunæ* 13. *Indict.* 11. *Mundi* 3997. *Urbis conditæ* 746. *ante Chriſtum* 8. *Juliano* 38. *Auguſti* 37. *Herodis* 33. & 30. Olymp. 193.

Coſſ. C. *Martius Cenſorinus, & C. Aſinius Gallus.* (3) *Auguſtus cum Principatum depoſuiſſet (hoc enim præ ſe ferebat) exacto decennio altero, invitus iterum ſuſcepit*, inquit Dio lib. 53. Principatus Auguſto prorogatur.

* Idem

NOTÆ (1) Coſſ. *Julius Antonius, & Q. Fabius Maximus Africanus*. Dio lib. LIV. in fine pag. 546. *Hac aſta Julio, ac Fabio Maximo conſulibus*. Suetonius in Claudio cap. II. *Claudius natus eſt, JULIO ANTONIO, FABIO AFRICANO COSS. Kalendis Auguſtis Lugduni, eo ipſo die quo primum ara ibi Auguſto dedicata eſt.* Dies quo natus eſt Claudius adnotatur KAL. AUG. in Kalendario Antiatino, ubi ea die adnotatur TI. CLAUD. At apertius in Kalendario marmoreo Capranicenſium apud Gruterum pag. CXXXIV. NATAL. TI. CLAUDII. GERMANICI.

(2) Coſſ. *Nero Claudius Druſus, Germanicus, & T. Quinctius Criſpinus.* Lapis Gruterianus pag. LXI. 1.

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUGUSTUS
PONTIFEX. MAXIMUS
IMP. XIIII. COS. XI. TRIB.
POTEST. XV.
EX. STIPE. QUAM. POPULUS. ROMANUS
ANNO. NOVO. APSENTI. CONTULIT.
NERONE. CLAUDIO. DURSO
COS.
T. QUINCTIO CRISPINO

Dio lib. LV. in princ. pag. 548. *Anno inſequenti Druſo, & T. Quintio Criſpino Conſulibus, ſigna Druſo haud læta acciderunt.* Vocatus eſt olim *Decimus*, mox *Nero* prænomine, inquit Suetonius in Claudio cap. I. *ac poſt præturam, confeſtim inito* CONSULATU, *atque expeditione repetita, ſupremum diem morbo obiit.* Poſt Præturam Conſul deſignatus eſt. Hinc nummi. NERONI. CLAUDIO. DRUSO. GERMANICO. COS. DES. In conſulatu obiiſſe tradere videtur Dio. Germanici nomen, quod veluti familiæ proprium hic ponitur a Pagio, abrogandum eſt; nam ab expeditione in Germaniam, Germanicus, Druſus eſt appellatus.

(3) Coſſ. *C. Martius Cenſorinus, & C. Aſinius Gallus*. Lapis apud Gruterum pag. CXCVI. 1.

C. MARCIVS L. F. L. N.
CENSORINVS. ET. C. ASI
NIVS. C. F. GALLVS. COS.
EX. S. C.
PIN. POMER. TERMIN

Vetus lapis ex ſchedis Barberinis, editus a Federico Ubaldino in vita Angeli Colotii pag. 99. & apud Sponium in Miſcell. pag. 263.

APOLLINI
IMP. CAES. DIVI. F. AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS
IMP. XIIII. COS. XI. TR. POT. XVI
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. ROMANVS
KALENDIS. IANVARIIS....
C. MARCIO. CENSORINO. C. ASINIO GALLO COS.

Mutila extat apud Gruterum pag. LXI. 2. Vide alias horum conſulum Inſcriptiones apud eundem Gruterum pag. CXCVI. 2. & pag. CXLVII. 2. In lapide apud Jacobum Sponium in Hiſtoria Genevenſi, tom. II. pag. 372. C. MARCIO. CENSORINO COS. Alius item lapis apud Fabrettum Inſcript. antiqu. Cap. IX. pag. 656. num. 488.

C. ASINIO. GALLO. C.
MARCIO. CENSOR. COS

Inſcriptiones ſelectæ Jo. Vignolii pag. 313.

C. MARCIVS. L. F. L. N
CENSORINVS
C. ASINIVS. C. F. GALLVS. COS.

Dio lib. LV. pag. 552. *Sed anno proximo, C. Aſinio Gallo, & C. Marcio Cenſorino coſſ. Romam iniit* Plinius lib. XXXIII. Cap. X. *C. Aſinio Gallo, C. Marcio Cenſorino Coſſ. ad diem VI. Cal. Febr.* Cenſorinus de die natali Cap. XXII. *Qui autem Sextilis fuerat, ex S. C. MARCIO CENSORINO, C. ASINIO GALLO COSS. in Auguſti honorem, dictus eſt Auguſtus, anno Auguſtano XX.* Vide Dionem lib. LV. pag. 552. Macrob. Saturnal. lib. 1. Cap. XII. Plutarchum in Numa, Suetonium in Auguſto cap. XXXI. Faſti Idatii: *Cenſorino, & Gallo* Vindebonenſes ita.

Digitized by Google

Auguſtus annum Julianum in integrum reſtituit.

Baron. in Apparat. n. cxxv.111.

Idem Auguſtus Pontifex Maximus annum a Julio Cæſare ordinatum, ſed poſtea negligentia conturbatum atque confuſum, rurſus ad priſtinam rationem redegit, ex Suetonio in Octavio cap. 3. In annis enim 36. intercalati fuerant dies 12. cum deberent intercalari 9. Auguſtus igitur annos 12. ſine intercalari die tranſigi juſſit; ut illi tres dies, qui per annos 36. vitio Sacerdotalis feſtinationis excreverant, ſequentibus annis 12. nullo die intercalato devorarentur, ex Plinio lib. 18. cap. 25. Solino cap. 3. & Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 14.

CXXVI. *Saturninus Syriæ Præſes.*

Baron. in Apparatu n. LXXXVIII.

Poſt Titium C. *Sentius Saturninus* hoc anno Legatus in Syriam miſſus. Ejus Joſephus in lib. 16. Antiquit. ſæpe meminit, uti & initio lib. 17. cap. 5. & cap. 5. Pleraque, quæ de hoc Saturnino Baronius ſcribit, Card. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. pag. 305. & ſeqq. in examen fuſe vocat, ex quo hæc exſcripſimus. Baronius ait, Saturninum, Pedanium, ac Volumnium una ſimul Syriam adminiſtraſſe; a Joſepho vero Saturninum ac Pedanium *Præſides Syriæ appellatos*. Ex quibuſdam Joſephi dictis Viri docti in eam opinionem deſcenderunt, ut Saturnino Syriæ Præſidi alterum Collegam ea in Præfectura aſſignarent. Nam lib. 16. cap. 13. Saturninum ac Volumnium vocat τῆς Συρίας ἐπιστατοῦντας, & cap. 16. τῆς Συρίας ἡγεμόνας. *Syriæ Præſides* utrobique male vertit Interpres; cum plane abſurdum ſit, Volumnium Præſidem æquata poteſtate ac Imperio Syriam rexiſſe, cum eandem Sentius Saturninus adminiſtraret. Provinciis enim pacatis, uti erat hoc tempore Syria, nuſquam Duumviri æquato Imperio una ſimul impoſiti fuere. Itaque unus Saturninus id temporis erat Legatus Proprætor Syriæ, Volumnius vero erat tantum Procurator ejuſdem Provinciæ; ac diſerte ab eodem Joſepho lib. 1. Belli cap. 17. dicitur, ἐπίτροπος id eſt, *Procurator*, quo nomine numquam Præſides deſignavit. Baronius Volumnium *Procuratorem* Syriæ ex Joſepho optime vocavit.

CXXVII. *An Saturninus cenſum egerit in Judæa.*

Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 19. probans adverſus Hæreticum, Chriſtum hominem natum in carne mortali, ait; *Sed & cenſus conſtat actos ſub Auguſto tunc in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus inquirere potuiſſent*. Quo Tertulliani teſtimonio confirmatur ſententia de Natali Chriſti anno Urbis 748. nam eo anno Saturninus Syriam reliquit. At hic videtur obſtare S. Lucas cap. 2. ubi ait: *Exiit edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſide Syriæ Cyrino, & ibant omnes, ut profiterentur ſinguli in ſuam civitatem*. Addit Lucas, Chriſtum natum, dum Beata Virgo ac Joſeph in Judæam pergebant, ut profiterentur. Ex quibus infertur, naſcente Chriſto, non Saturninum, ſed P. Sulpicium Quirinum Præſidem Syriæ fuiſſe. Baronius, ut allati ex Tertulliano teſtimonii vim declinaret, plura excogitavit. Exiſtimavit, *Sentium Saturninum* a Tertulliano nominatum, non fuiſſe hunc Præſidem Syriæ, ſed alium, qui anno Urbis 757. cum Ælio Cato Conſulatum geſſit, quo Conſule poſt luſtrum a nato Chriſto *more Romano cenſus agebatur*. „ Etenim, „ inquit Baronius, cum Tertullianus non ſatis ex„ploratum haberet, an Chriſtus natus fuerit „ abſoluta deſcriptione alterius luſtri proxime „ elapſi, an vero cum eadem adhuc peragere„tur, recurrit ad ſubſequens luſtrum, in quo „ illi conſtabat, tum Chriſtum, tum ejuſdem pa„rentes deſcriptos fuiſſe. Hæc ille. „ Verum hæc reſponſio ea falſa opinione procedit, in qua erat Baronius, ſingulis nempe luſtris in Judæa cenſum peractum. Nam Judæa erat ſub dominio Herodis Regis, ac nondum in formam Romanæ Provinciæ redacta; cenſus autem in ſolis Romanis Provinciis peragebatur, non autem in Regnis amicis ac ſociis Populi Romani. Tacitus lib. 6. Annal. ad annum Urbis 789. ait: *Per idem tempus Clitarum natio Cappadoci, Archelao ſubjecta, quia noſtrum in modum deferre cenſus, pati tributa adigebatur, in juga Tauri montis abſceſſit*. Clitæ, extincto Romæ Archelao anno Urbis 770. ac Cappadocia in Provinciæ formam redacta, cenſum deferre juſſi, rebellarant. Hinc patet, ſub Archelao, quem Antonius, ac poſtea Auguſtus Cappadociæ Regem impoſuere, eam gentem cenſus non detuliſſe. At idem Antonius ex SC. Herodem Judææ Regem elegerat, quem uti & Archelaum Cappadocem Auguſtus Regnum habere permiſit. Recte Tacitus dixit, *noſtrum in modum deferre cenſus*, quod nempe Romani Imperii, non autem Regnorum ea eſſet conſuetudo.

Baronius in Apparatu n. LXXXIX & Spondan. num. XXVIII. & ſeqq.

CXXVIII. *Cenſus non fiebat ſingulis luſtris in Regnis, quorum Principes amici erant Populi Romani.*

Baronius duo hæc, quæ diverſa ſunt, *deferre cenſum*, ac *tributum ſolvere*, pro eodem minus recte accepit. Poſtquam Julius Cæſar Gallias ſubegit, inquit Dio lib. 54. *ſingulis menſibus tributum erat Gallis pendendum*; & cenſum diu poſtea deferre coacti ſunt ab Auguſto. Extat hac de re inſigne teſtimonium Claudii Imperatoris in Oratione de civitate Romana Gallis danda, cujus ære quondam inciſæ extat fragmentum apud Gruterum pag. 502. Hæc ibi Imperator de Gallis ait: *Illi Patri meo Druſo Germaniam ſubigenti, tutam quiete ſua, ſecuramque a tergo pacem præſtiterunt; & quidem cum ad cenſus* NOVO TUM OPERE ET INADSUETO GALLIS, *ad bellum avocatus eſſet, quod opus quam arduum ſit nobis nunc cum maxime, quamvis nihil ultra, quam ut publice nota ſint facultates noſtræ, exquiratur, nimis magno experimento cognoſcimus*. Druſus anno Urbis 742. in Germanos primum movit, qui Romanorum fines irruperant, *quia videbant Gallos jugum ſervitutis gravatim ferre* ex Dione lib. 54. Tunc enim primum Galli *novo tum opere & inadſueto* cenſum profiteri ab Auguſto juſſi fuerant, quamvis ſupra annum quadrageſimum in Provinciæ formam redacti fuiſſent. Tantum abeſt, ut Regna ſuis quæque Regibus ſubjecta, ſociis licet & amicis Populi Romani, cenſum per ſingula luſtra deferre cogerentur.

Judæa regnante Herode tributum Romanis non pendebat.

Sed neque illud verum eſt, quod ſcribit Baronius de cenſu per Syriam ſingulis quinquenniis acto: nam Auguſtus tribus ac quadraginta annis, quibus poſt mortem Antonii unus rei Romanæ arbitrium habuit, *cenſum populi ter egit*, ex Suetonio cap. 27. ac ſemel tantum in Italia anno Urbis 757. cenſum habuiſſe dicitur a Dione lib. 55. *Pauperioribus, ac iis qui extra Italiam viverent, omiſſis, ne quid turbarum darent*. At Baronius extra Italiam ſingulis quibuſve luſtris cenſum actum opinatur, haud veritus, *ne quid turbarum darent*. Ex verbis citatis Claudii Imperatoris palam fit, raro per Provincias cenſus habitos, quod *opus arduum nimis magno experimento* cognoſceretur. Via enim ſine periculoſis tumultibus in Romanis Provinciis, vel ſemel factum conſtabat. Hinc, cum Judæa anno Urbis 759. deportato in exilium Archelao, Romanis Provinciis addita fuiſſet, ac *Quirinius* Syriæ Præſes cenſum in eadem peragereṭ, *Judas Gaulanites*, teſte Joſepho lib. 18. cap. 1. ad defectionem populos ſollicitabat, cenſum nihil aliud quam manifeſtam ſervitutis profeſſionem dictitans. Igitur erat *novum tum opus & inadſuetum* Judæis, neque unquam ea in gente factitatum. Baronius ait: *Nec, licet ea Provincia a Romanis Herodi ac cæteris Principibus conceſſa eſſet, deſiit tamen aliquando tributum ſolvere: nam ex Evangelio*, inquit, *compertum eſt eoſdem Judæos tempore Herodis Regis Romano Imperatori cenſum perſolviſſe*. Matt. 22. Judæi Chriſtum interrogant: *Quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an non?* Et Lucæ 20. *Licet nobis tributum dare Cæſari, an non?* Verum hallucinatur Cardinalis doctiſſimus; nam

Baron. in Apparatu n. LXXXVII.

id

id temporis Judæa non erat Regnum, ſed Romana Provincia per Magiſtratus Romanos adminiſtrata, ac eandem tunc Pontius Pilatus procurabat. Herodes vero Antipa non erat Rex Judæorum, ſed tantum Tetrarcha Galilææ, Lucæ 3. & 51. Itaque Judæa erat Provincia tributaria, ac Syriæ dodum addita. At cum Judæa Herodem Regem habebat, ejuſque poſtea filium Archelaum Ethnarcham, nunquam cenſum apud Romanos Magiſtratus per ſingula quinquennia detulit, imo nec tributum ullum perſolvit; quamvis Appianus in Præfatione; ſolos Reges majoris Armeniæ immunes fuiſſe ſcribat. Verum ſub Auguſto nuſquam hujuſce tributi, quod Regna ſocia & amica populi Romani ſolverent, mentio in Antiquorum monumentis occurrit. Quæ omnia Card. Noriſio obſervata, ex eoque excerpta. Quo anno Quinctilius Varus Sentio Saturnino ſucceſſerit, infra inveſtigabimus.

CXXIX. *Cenſus in Judæa & a Quirinio & a Saturnino actus.* Interim Card. Noriſius laudatus pag. 320. ut oſtendat, *Tertullianum* citatum contrarium non eſſe Sancto Lucæ cap. 2. ubi ait, Chriſtum natum, cum Auguſti juſſu univerſus Orbis deſcriberetur: *Hæc deſcriptio*, inquit Evangeliſta, *prima facta eſt a Præſide Syriæ Cyrino*, ſcribit, probabilem eſſe doctorum Virorum ſententiam; qui dicunt, *Quirinium* cum imperio extraordinario ad cenſum peragendum in Syriam miſſum. Nam, cum eo anno pax toto Romano Imperio floreret, Auguſtus decrevit univerſorum, qui vel ſubditi, vel ſocii eſſent populi Romani, numerum ac facultates noſcere. Hinc Lucas eodem capite dicit: *Exiit edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis.* Cum vero Quirinius Vir Conſularis id temporis in Oriente degeret, ac bellum contra *Homonadenſes* feliciter confeciſſet, eundem in Syriam cum extraordinario imperio miſit, ut tum ibidem, tum in Judæa, quæ gens erat ſocia & amica populi Romani, cenſum perageret. Quamvis vero eo anno *Sentius Saturninus* Syriam adminiſtraret, Quirinius ob recentem victoriam tota Aſia celebratus, deſcriptioni faciendæ præpoſitus fuit. Tacitus lib. 1. Annal. anno Urbis 767. *Regimen*, inquit, *ſumma rei penes Germanicum, agendo Galliarum cenſui tum intentum.* Et poſtea ad annum Urbis 769. ſub initium libri 2. de eodem Germanico prodit: *Igitur hunc intendit miſſis ad cenſum Galliarum P. Vitellio & Cantio.* At Germanicus id temporis non erat Legatus ordinarius Galliæ, ſed ſummo cum imperio ad cenſus in Gallia accipiendos ab Auguſto deſtinatus. Ita etiam Romæ cenſus non a Conſulibus, neque Prætoribus, qui erant ordinarii Magiſtratus, ſed a duobus Conſularibus uni eidemque tantum muneri deſtinatis agebatur. Quod vero *Sentius Saturninus* tunc Syriam obtinebat, Tertullianus ordinarium Magiſtratum nominavit, qui tamen ea in re exequenda Quirinio erat ſubordinatus. Apud Evangeliſtam vox ἡγεμονεύοντος non accipitur pro Legato Proprætore Syriæ, ſed pro quocumque poteſtatem atque imperium in Syria obtinente. Ita *Felix* ab eodem Luca in Actis Apoſt. cap. 24. ἡγεμὼν nuncupatur, qui tamen erat Procurator. Hæc deſcriptio vocatur a Luca, ἀπογραφὴ πρώτη, id eſt, *deſcriptio prima*, quod idem poſtea Quirinius anno Chriſti VI. aut VII. Præſes ordinarius in Syriam veniens, cenſum iterum in Judæa egit, eadem tum primum in Provinciæ formam redacta. Illa fuit, teſte Evangeliſta, totius Orbis deſcriptio, hanc per Syriam tantum ac Judæam peractam ſcribit Joſephus lib. 18. Antiquit. cap. 3. Nec Judæi quoad primam repugnarunt, quod ſciebant nihil ex cenſu ſe Cæſari daturos, cum pura puta eſſet hominum ac rerum poſſeſſarum deſcriptio, volente Auguſto totius Romani Orbis habitatorum numerum, eorumque facultates notas habere, quod unum per cenſum exquirebatur, ex Claudii Imperatoris Oratione ſupra laudata.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5487. Cyclo Solis 3. D. Lunæ 54. Indict. 15. Mundi 3998. Urbis conditæ 747. ante Chriſtum 7. Juliano 15. Auguſti 38. Herodis 34. & 12.

Coſſ. *Tiberius Claudius Nero II, & Cn. Calpurnius Piſo.* [1]

Anno Periodi Græco-Romanæ 5488. Cyclo Solis 4. C. Lunæ 15. Indict. 13. Mundi 3999. Urbis conditæ 748. ante Chriſtum 6. Juliano 40. Auguſti 39. Herodis 35. & 32. Mundi ſecundum Alexandrinos 5498. ſecundum Conſtantinopolitanos 5504.

Coſſ. *D. Lælius Balbus, & C. Antiſtius Vetus.* [2] Cum jam pervenerimus ad annum, CXXX.

quo

NOTÆ [1] Coſſ. *Tiberius Claudius Nero II. Cn. Calpurnius Piſo.* Lapis apud Gruterum pag.

TI. CLAVDIVS. TI. F. NERO
PONTIFEX. COS. ITERVM
LVDOS VOTIVOS. PRO. REDITV
IMP. CAESARIS. DIVI. F. AVGVSTI
PONTIFICIS. MAXIMI
IOVI. OPTIMO. MAXIMO. FECIT

Tabula Ancyrana. POSTEA. NERONE. ET. CN. PISONE CONSVLIBVS.
Nummi Auguſti apud Occonem TI. CLAVD. T. F. NERO. COS. ITER. IMP. ITER.
Dio lib. LV. pag. 553. *Tiberius Kalendis Januarii, quibus conſulatum iniit cum Cn. Piſone &c. Paulo poſt Tiberius, ortis in Germania motibus, ad bellum profectus eſt, ac pro eo ludos VOTOS pro auguſti reditu Caius ac Piſo fecerunt.* Faſti Idatii; *Nerone II. & Piſone.* Ita & Vindebonenſes.

[2] Coſſ. *Lælius Balbus, & C. Antiſtius Vetus.* Balbi nomina apud Gruterum pag. CCXCV. D. LÆLIO. D. F. D. N. BALBO. Tabula Ancyrana. C. ANTISTIO. ET. D. LELIO CONSULIBUS.
Item pag. CXCII, 9.

D. LÆLIO. BALBO
C. ANTISTIO. VETERE. COS

Fabrettus pag. 698. n. 105.

C. ANTESTIO. VETE
D. LÆLIO BALBO. COS

An-

Digitized by Google

Cajo Cæſari Conſulatus poſt annos quinque deſtinatus. quo Chriſtum natum eſſe probabilius exiſtimamus cum Marco Antonio Capello, Keplero, & Henſchenio; non ſolum Eræ Chriſtianorum Orientalium memorandæ, ſed plura ex Hiſtoria profana deſcribenda, ut ſententiæ, quæ noſtræ opponuntur, certius confutari poſſint. *Cajus* itaque & *Lucius* Auguſti ex adoptione filii, in Principatu educati, ex molliore vita etiam audaciores ſiebant. Lucius minor natu, qui in lucem prodierat anno Urbis 737. ex Dione lib. 54. nondum hoc anno duodecim, inſcio Auguſto, *theatrum ingreſſus cum omnium plauſu, partim ex animo, partim ab adulatione profecto, exciperetur, aucta petulantia, juſſus eſt petere, ut Cajo fratri nondum ex ephebis egreſſo, Conſulatus daretur*, inquit Dio lib. 55. qui lib. 54. jam ſcripſerat, natum *Cajum* anno Urbis 734. Cum autem Senatus ac Populus palam Cajo etiam Conſulatum peterent, nec Auguſtus ſui ſeculi judicaret Conſulatum puero adhuc prætextato concedi, decrevit, ut poſt quinquennium a depoſita puerili prætexta Cajus Cæſar Conſulatum iniret, atque iterum Conſul deſignatus appellaretur, ut liquet ex Inſcriptione Gruteriana pag. 231. Ut tamen aliqua ratione tam Lucium quam Cajum modeſtiores, tanquam privatos efficeret, Tiberio Tribunitiam Poteſtatem in quinquennium conceſſit, & Armeniam attribuit. Quod fruſtra ab Auguſto factum hos & Tiberium offendit: hos, quod ſe ſpretos judicabant; Tiberium, quod iram eorum veritus in Armeniam non abiit, ſed *Rhodum* ſe contulit, ut habent Xiphilinus & Zonaras ex Dione. Quem Tiberii ſeceſſum hoc anno contigiſſe, demonſtrat Card. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. cap. 3.

CXXXI. *Cajus Cæſar inter Syriæ Præſides male numeratus.* Baronius ſcribit: *A. V. 748. præficitur Syriæ totique Orienti C. Cæſar Auguſti filius adoptivus: quo defuncto, nullus alius ſubrogatus reperitur, niſi qui ab Evangeliſta recenſetur, idem qui ſupra Quirinus, idemque dictus Cyrinus.* Et poſt ſex verſus de Quirinio ait: *Hic autem habuit ſucceſſorem Quinctilium Varum, quem eodem Auctore* (in margine Dio citatur lib. 56.) *conſtat manſiſſe in eo Magiſtratu uſque ad Conſulatum Sulpicii Camerini & Poppæi Sabini.* (Chriſti ſcilicet XI.) *Cui non Quirinus, ut Joſephus habet, ſed M. Ambivius eſt ſubrogatus.* Ita Baronius Cajum Cæſarem inter Præſides Syriæ numerat, cui in Provincia defuncto ſucceſſerit P. Quirinius. Verum Cajus non uni Syriæ præpoſitus fuit, ſed toti Orienti cum Imperio Proconſulari extraordinario; cum tamen id temporis Syria ac reliquæ Provinciæ a ſuis Præſidibus ordinariis regerentur, ut anno Urbis 753 quo id factum, & Cajus Cæſar in Aſiam tranſmiſit, oſtendam. Nemo, inquit Card. Noriſius citatus cap. 16. recte Cæſarem *Germanicum* inter ordinarios Syriæ Præſides numeraret, quod jus ac imperium in Syria habuit; nam Cn. *Piſo* id temporis Syriam obtinebat, cujus cum Germanico diſſenſiones Tacitus lib. 2. Annal. deſcribit. Præterea ex Joſepho lib. 17. Antiquit. cap. 7. conſtat, *Sentio Saturnino* ſucceſſiſſe P. *Quinctilium Varum*. Ad hæc, Cajus anno Urbis 749. Romæ ab Auguſto Conſule XII. virilem togam accepit, teſte Suetonio cap. 26. in Auguſto. Idem cum Herodes obiit, nondum Roma diſceſſerat, ubi etiam degebat anno Urbis 752. ut infra videbimus. Denique *Quinctilius Varus* longe ante obitum *Herodis* Syriam Provinciam acceperat, ut mox demonſtrabo.

Baron in Apparatu num. LXXXVI.

Card. Noriſius laudatus pag. 351. oſtendit, Baronium, Joſephum ducem negligentem, in varios anachroniſmos incidiſſe, quos hic ex eo aſſeram, ut Annales magis corrigantur. Scribit Baronius, natum Chriſtum Cornelio Lentulo & Valerio Meſſalino Coſſ. anno Urbis 751. quo tempore *Quirinius* Syriæ Præſes cenſum in Judæa agebat. Quod vero Divus Lucas cap. 2. ſcribit: *Hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſide Cyrino*; ita vocem illam *prima* exponit; *Non ſic eſt accipiendum, ut tunc primum Judæi fuerint deſcripti atque cenſi: ſed primam dixerit reſpectu ſecundæ ſub eodem Præſide factæ, more Romano, quolibet luſtro cenſendo populum. Nec quis ſubinde exiſtimet impoſſibile, ut tam diuturno tempore Quirinius fuerit in Provincia. Nam & Quinctilium Varum longe majori annorum numero eandem adminiſtraſſe Joſephus teſtatur.* Itaque Quirinius cenſum prima deſcriptione agebat A. U. 751. & initio etiam ſequenti 752. Altera deſcriptio poſt luſtrum ab eodem peracta eſt anno Urbis 757. Ælio Cato ac Sentio Saturnino Coſſ. ut fuſius tradit idem Baronius num. XCI. Concedamus ultro hoc ipſo anno Urbis 757. P. Quinctilium Varum Quirini ſucceſſorem in Syriam veniſſe. At num. LXXXVI. uti jam obſervatum, dixerat Baronius: *Quinctilium Varum eodem Auctore conſtat manſiſſe in eo Magiſtratu uſque ad Conſulatum Sulpicii Camerini & Poppæi Sabini*, id eſt, uſque ad annum Urbis 762. ac Chriſti XI. Verum hoc Dio non adſtruit, ſed ſcribit, iiſdem Coſſ. Quinctilium Varum legatum Proprætorem Germaniæ cum tribus legionibus ab Arminio cæſum. Admittamus

CXXXII. *Quirinius quo tempore Syriæ Præſes.*

Baron. ibid. n. LXXXVIII.

NOTÆ Antiquæ Inſcriptiones Ætruriæ P. I. pag. 440. n. 61.

D. LÆLIO. BALBO
C. ANTISTIO. VET. COS.

Dio lib. LV. pag. 554. *Annus deinde proximus C. Antiſtium veterem, D. Lælium (Balbum) Conſules habuit.* Faſti Idatii: *Balbo & Vetere.* Ita & Vindebonenſes. Hoc anno per aliquot menſes Conſul ſuffectus fuit *L. Manlius Torquatus*, quod cernitur ex lapide apud Gruterum pag. CLXXXVII. 10.

L. MANLIO. Q. F. TORQUATO
COS
IMP. CÆS. DIVI. F.
AUGUSTUS
PONT. MAX. TRIB. POT. XVII.
IMP. XIIII.

Et alius apud Panvinium

KAL. SEXTIL. L. MANILIO
Q. TORQUATO. COS.

Perperam hic Panvinius ex uno conſule, duos facit, *nempe L. Manlium, non Manilium, & Q. Nonium Aſprenatem Torquatum*, de quo Tranquillus in Auguſto cap. XLIII. Nam in lapide legendum eſt. L. MANLIO. Q. F. TORQUATO; quod ex alio lapide ab eodem Panvinio allato, manifeſte liquet.

Digitized by Google

mus, eo ipſo anno ex Syria in Germaniam ab Auguſto miſſum: vix per quinquennium *Varus* ab A. U. 757. ad annum Urbis 762. quo in Germania periit, Syriam adminiſtravit. Igitur qui fieri poteſt, ut Varus *longe majori annorum numero Syriam* texerit quam Quirinius, qui bia luſtralem, ut ille ait, cenſum in Syria egit: Baronius num. LXXXVIII. appellat Joſephum ſcribentem, Varum Syriæ Præſidem *uſque ad finem Archelai in eo munere perdurasse*. At nuſquam hoc Joſephus dixit; imo lib. 17. cap. 15. novennium Regni Archelai paucis verſibus abſolvit, nec ulla ibidem Vari mentio fit. Corrigendus & metachroniſmus Baronii, qui eum Varum e Syria evocatum ſcribat A. U. 765. Sulpicio Camerino & Poppæo Sabino Coſſ. quod repetit etiam in Annal. ad annum Chriſti XI. ejuſdem interitum protrahit in Conſulatum Cornelii Dolabellæ ac Junii Silani, ſeu ad A. U. 763. ſcribens ad calcem ejus anni: *Iiſdem Coſſ. contigit memorabilis illa Varianæ clades in Germania*, &c. cum tamen ea pertineat ad annum Chriſti X. ut infra ſuo loco oſtendo.

CXXXIII. *Statuitur primus annus Syriacæ Præfecturæ Quirinii.* Joſephus rerum Judaicarum teſtis omnium optimus, quando Quirinius in Syriam miſſus fuerit, nos edocet. Is in fine lib. 17. ſcribit, Archelao filio Herodis Romæ damnato, atque Viennam Galliæ urbem in exilium deportato: *Mittitur a Cæſare Quirinius vir Conſularis, qui cenſum agat in Syria*. Ubi in Syriam advenit, in Judæam decreto Cæſaris Auguſti Syriæ additam, ſtatim ſe contulit, Archelai Ethnarchæ facultates in publicum Fiſcum relaturus, ſimulque in Judæa cenſum acturus. Idem Hiſtoricus annum cenſus primitus peracti lib. 18. cap. 3. ita deſignat: *Triceſimo ac ſeptimo anno poſt cladem Antonio apud Actium a Cæſare illatam*. Antonius victus fuit apud Actium die 2. Septembris anni Urbis 723. Hinc annus Actiacus 37. deſinit die 2. Septemb. A. U. 760. qui concurrit cum anno Chriſti VII. Dio etiam lib. 55. ſub Conſulatu Æmilii Lepidi & Arruntii anno Chriſti VI. geſto, ait: *Herodes Palæſtinus* (Archelaus ſcilicet, qui & Herodes vocabatur) *a fratribus accuſatus, trans Alpes eſt relegatus, ac pars ejus ditionis in publicum redacta*. Incertum tamen, an ſicut Dio eladem Hieroſolymitanam uno anno citius conſignavit, ita & in errore perſtans, anno etiam uno Archelai relegationem anticipaverit. Quamquam longe veroſimilius ſit, inter Dionem & Joſephum convenire, illumque loco laudato uno anno unoque tenore recitare, quæ duobus contigere; ita ut Archelaus anno Chriſti VI. accuſatus fuerit & relegatus, annoque inſequenti pars ejus ditionis in publicum redacta. Primus itaque annus Syriacæ Præfecturæ Quirinii fuit ſextus aut ſeptimus Eræ Dionyſianæ. Indeque recte ſcripſit Card. Noriſius laudatus: *Unus ſaltem medius inter utrumque* (ſcilicet Quinctilium Varum & Quirinium) *ignotus adhuc nobis Præſes Syriam tenuit; neque enim plena decennio ſub Auguſto Præſides in nobiliſſima Provincia cum Imperio detinebantur juxta illud eidem a Mæcenate ſuggeſtum apud Dionem lib. 52.* Neque minus triennio in Provinciis, neque plus quinquennio magiſtratum obirent.

CXXXIV. *Ciliciæ Præſidibus Syriæ non parebat.* Card. Noriſius ibidem pag. 329. Quirinii in Syria Præfecturam, quam Baronius ſeptemdecim annorum ſpatio priorem facit, quam a Joſepho ponatur, in examen vocat, & plura habet, quæ, cum Annalibus corrigendis inſerviant, hic deſcribam. Baronius ſcribit, Quirinum lib. 3. Annal. Taciti, *poſt Conſulatum, quem geſſit anno Urbis 742. Collega M. Valerio Meſſalla, mox debellaſſe per Ciliciam caſtella Homonadenſium, ac ſic inſignia meruiſſe triumphi*. Paulo poſt ita ratiocinatur: *At dubium non eſt, illos conſueviſſe in Provinciis bella gerere, qui illis præeſſent Proconſules, ſive Præſides: nec ulla dubitatio eſt, ſub Provincia Syria Ciliciam eſſe redactam, quibus rationibus fateri opus eſt, Quirinium in Syriam Præſidem miſſum poſt ſuum Conſulatum anno ab Urbe condita 743.* (Baron. in Apparatu n. LXXXV. & ſeqq.) At falſum eſt, ſub Cæſaribus illos ſemper in Provinciis bella geſſiſſe, qui iiſdem præeſſent. Nam, cum P. Licinius Mucianus Præſes Syriam cum quatuor legionibus obtineret, bello contra Judæos gerendo præfectus fuit Veſpaſianus; quamvis Judæa una eſſet ex Provinciis Syriæ, ejuſque Præſidi ſubjecta. Mitto alia exempla. Secundo falſum eſt, *Ciliciam* ſub Provincia Syriæ redactam fuiſſe. Strabo enim, qui ſub Auguſto ac Tiberio vixit, oſtendit, etiam imperante Auguſto, Ciliciam diverſum a Syriæ Legato Rectorem habuiſſe. Is enim aſſignans cauſam, cur Auguſtus aſperam Ciliciam a Juriſdictione Romanorum Magiſtratuum abſtractam, Archelao Regi Cappadociæ ſubdiderit, ait: *Viſum eſt præſtare, ut ſub Rege eſſent, quam ſub Romanorum Præfectis, qui ad Juriſdictionem mittebantur, neque ſemper adfuturi, neque cum armis*. Ita legitur lib. 14. cap. 461. Si *Ciliciæ campeſtris*, imperante Auguſto, fuiſſet ſub Præſide Syriæ, adfuiſſet Præfectus cum armis: nam Legato Proprætori Syriæ parebant, Tiberio imperante, quatuor legiones, Tacito teſte lib. 4. Annal. quamvis ſub Auguſto tres tantum in Syria legiones fuerint, ex Joſepho lib. 17. cap. 12. Itaque ibidem deſignantur Gubernatores, qui in Ciliciam Juris dicendi tantum cauſa mittebantur, ſine ullo imperio militari. Et hi quidem Auguſto rerum potiente, non dicebantur Proconſules poſt factam Provinciarum diviſionem, ſed Proprætores; Cilicia enim erat inter Provincias, quas ſibi adminiſtrandas Auguſtus reſervaverat: neque ea ſub Auguſto a Rectore alterius Provinciæ adminiſtrata legitur. Imo ipſe Baronius ad annum Chriſti XLVI. Claudii Imperatoris quartum, ſcribit; in Actis Apoſtolicis *Sergium Paulum* Cypri Rectorem appellari Proconſulem, *quod Ciliciam Provinciam Proconſularem adminiſtrabat*, Cyprus enim *ſæpe honoris cauſa data eſt adminiſtranda Ciliciæ Proconſuli*, inquit Baronius. Baron. anno 46. n. 1X.

CXXXV. *Expeditio contra Homonadenſes a Quirinio facta.* Tertio, falſo aſſeritur, Quirinium, poſt geſtum in Urbe Conſulatum, ſtatim Syriam cum legionibus obtinuiſſe; nam Mæcenas inter cætera politica documenta hoc Auguſto inſinuaſſe dicitur a Dione lib. 52. *Neque magiſtratus tempore, nec ſtatim ab eo, ſed interpoſito, quantum ſingulis ſatis videbitur, tempore, arma eis committes; nam, meliores eo efficientur, ſi aliquandiu privatum poſt geſtum magiſtratum vixerint*. Hoc vero Auguſtum revera executum teſtatur Suetonius cap. 36. ſcribens, auctorem illum fuiſſe, *ne Magiſtratus, depoſito honore, ſtatim in Provincias mitterentur*. Hinc Titium, Saturninum, Varum, poſt plures annos a geſto Conſulatu, in Syriam miſſos vidimus. Denique nec expeditio Quirinii contra Homonadenſes eundem id temporis Syriæ Præſidem deſignat. Nam Homonadenſes non modo longius a Syriæ confiniis aberant: verum etiam ultra ipſam erant Ciliciam, quæ Romanis parebat. Strabo lib. 12. pag. 392. cum Piſidiam deſcripſiſſet, ait: *Supra hos omnia jam montana Catennenſes, finitimi Selgenſibus, & Homonadenſibus*. Quibus ex verbis aliiſque paulo infra a Strabone recitatis ſitus Homonadenſium intelligitur: erant enim intra Tauri juga, in confiniis aſperæ Ciliciæ mediterraneæ, qua Piſidiæ ac Lycaoniæ conjungitur. *Homonadenſes* itaque, imperante Auguſto, non fuere finitimi Cilicibus, qui a peculiari Proprætore regebantur; ſed inter utroſque ad meridiem jacebat ditio, quam a Cilicia avulſam, Auguſtus Archelai Cappadociæ Regno adjecerat. Cum vero Homonadenſes Piſidiam ac Lycaoniam, ac ditionem Archelai populabundis agminibus frequenter infeſtarent, Auguſtus ad eoſdem debellandos, Quirinium cum

exercitu miſit, cui & auxiliares copias Archelaus addidit. Qua de re plura Card. Noriſius loco laudato. Et hæc ſatis de Quirinio, cujus Præfecturæ tempus parum a Baronio cognitum.

CXXXVI. *Quinctilius Varus Syriæ Præſes poſt Sentium Saturninum.* Sentium itaque Saturninum non *Quirinius*, ſed *Quinctilius Varus* excepit, & quidem currenti anno, quod hactenus ignoratum fuerat, ſed quod nunc certo innoteſcit, beneficio duorum Vari Numiſmatum a doctiſſimo Card. Noriſio & Viro clariſſimo Nicolao Toinardo bono Reipublicæ literariæ natis, mecum communicatorum. Scripſit ad me Card. Noriſius, extare in Scrinio Illuſtriſſimi Marchionis Riccardi Nummum minimæ magnitudinis caput Jovis in antica repræſentantem, in cujus poſtica habetur, ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Mulier ſedens pede ſuper figuram Orontis fluminis, tenens dextra palmam; & in medio ΕΚ. id eſt, *anno XXV.* In Nummo a Toinardo viſo & in Cimelio Regio aſſervato, cernitur eadem antica ſine ulla inſcriptione, & in averſa parte urbs Antiochenſis turrita ac ſedens, ad cujus pedes fluvius, Orons ſcilicet, cum iiſdem verbis, quæ in laudato Riccardi Nummo leguntur. Monet Vir doctiſſimus, extare ibidem alios Nummos cum iiſdem antica ac poſtica, annis XXVI. & XXVII. ſignatos; Noriſius vero Card. vidiſſe ſe in Gaza Medicea Nummum ſimilem Riccardi Nummo, ſed cum anno ΖΚ. id eſt, XXVII. ac Joannem Vaillantium V. C. alium Nummum *Vari* habere cum iiſdem figuris, notatum anno XXVI. In omnibus illis Nummis inſcribi annos Imperii Auguſti in Syria poſt debellatum Antonium, annos nempe Antiochenos ab autumno Anni Urbis 723. deductos, certum fit ex iis, quæ ſupra num. CIV. dixi, & ex aliis Præſidum Syriæ Nummis eadem Era Antiochena Auguſtana inſignitis. Quare, ſecus ac hactenus creditum, *Quinctilius Varus* currenti anno, quo Antiochenus XXV. adhuc in curſu erat, in Syriam *Sentio Saturnino* ſucceſſurus miſſus eſt. Ratio autem cur anno præterito, quo annus ille XXV. Antiochenus cœpit, miſſus non videatur, deſumitur ex Tertulliano nuper laudato, qui tradit, naſcente Chriſto cenſum a Saturnino in Judæa factum fuiſſe, ſcilicet cum Quirinio a Sancto Luca memorato, ut num. CXX. explicavi. Si enim verum eſt quod Tertullianus ſcribit, Saturninum ſcilicet, cenſum in Judæa egiſſe, Quinctilii Vari ejus ſucceſſoris initium ab hoc anno removeri non poteſt, nec Chriſti Salvatoris noſtri nativitas ulterius differri. Quamobrem quod ſupra de cenſu in Judæa acto diximus, huc retrahendum.

CXXXVII. *Antipater Romam proficiſcitur.* Ex initio Præfecturæ Syriacæ *Quinctilii Vari* ſuo anno reddito, liquet, *Antipatrum* Herodis filium hoc anno a patre *Romam* miſſum cum pretioſiſſimis muneribus & teſtamento; in quo ipſum Antipatrum Regem declarabat, aut ſi ille prior vita decederet, *Herodem* natum ſibi ex Mariamne Simonis Pontificis filia; qua de re Joſephus lib. 17. cap. 4. Qui cum teſtetur, Saturnino Syriam regente, Antipatrum profectionem illam inſtituiſſe, ea tardius differri non poteſt. *Antipater* Alexandro & Ariſtobulo fratribus ſublatis, patrem quoque de medio tollere ſtatuit, ut pluribus Joſephus libro laudato cap. 2. & ſequentibus, narrat. Antipater ad avertendam patris de ſe ſuſpicionem, per amicos Romæ degentes, curavit, ut ad Auguſtum a patre quamprimum mitteretur, quod & obtinuit. Sed. cum Joſephus ſcribat, *Herodem* quinta die poſtquam filium Antipatrum occidit, vita functum eſſe, ut videre eſt lib. 17. Antiquit. cap. 10. *Antipater* non aliquot menſes duntaxat Romæ commoratus eſt, ut huc uſque omnibus perſuaſum, ſed biennio aut triennio; cum anno, quo Roma in Judæam rediit, tam ipſe, quam Herodes pater perierint.

CXXXVIII. *Janus ter ab Auguſto clauſus.* Cum Chriſtum hoc anno natum autumemus, incumbit nobis oſtendere, pacem jam per totum Orbem viguiſſe; nam in Martyrologio Romano die XXV. Decembris Natali Chriſti ſacra, dicitur, Chriſtum in lucem prodiiſſe, *toto Orbe in pace compoſito*; & Lucas Evangeliſta cap. 2. ſatis id indicat, quando inquit, exiiſſe edictum a Cæſare Auguſto, *ut deſcriberetur univerſus Orbis*; quod nonniſi bellis ſedatis fieri potuit. Ex qua poſtea deſcriptione Auguſtus Breviarium confeciſſe creditur, in quo, ut ait Tacitus lib. 1. Annal. *opes publicæ continebantur, quantum civium, ſociorumque in armis: quot claſſes, regna, Provinciæ, tributa, aut vectigalia, & neceſſitates, ac largitiones; quæ cuncta ſua manu perſcripſerat Auguſtus*. Card. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. cap. 10. hoc caput melius quam quiſquis alius diſcuſſit, ex quo ſequentia mutuanda duximus. Suetonius in Auguſto cap. 22. ait: *Janum Quirinum ſemel atque iterum a condita Urbe memoriam ante ſuam clauſum, in multo breviore temporis ſpatio, terra marique pace parta, ter clauſit*. Aliqui in Suetonio non *ter*, ſed *tertio clauſit*, legendum volunt, quod Livius lib. 1. de Jano ſcribat: *Bis deinde poſt Numæ Regnum clauſus fuit; ſemel T. Manlio Conſule poſt Punicum primum confectum bellum: iterum (quod noſtræ ætati Dii dederunt ut videremus) poſt Actiacum bellum ab Imperatore Cæſare Auguſto, pace terra marique parta*. Verum Baronius, Caſaubonus, Lipſius, aliique ex Dione vulgarem Suetonii lectionem confirmant. Nam Dio lib. 51. ad annum Urbis 725. ſcribit inter cætera a Senatu decreta ob victoriam Actiacam, maximæ voluptati Auguſto fuiſſe, *quod portæ Jani ab ipſis clauſæ ſunt*. Eodem anno iiſdemque Conſulibus Janum clauſum Oroſius ſcribit lib. 6. cap. 20. Idem Dio lib. 53. ait, *Auguſtum* anno Urbis 729. *belli Cantabrici* curis ac difficultatibus vexatum, in morbum decidiſſe, cum gereret Conſulatum IX. Collega M. Junio Silvano, ac C. Antiſtii Legati opera Barbaros devicisse. Tum Auguſtus ſanitati reſtitutus, ac bellis ubique feliciter confectis, *Jani Templum, quod propter hæc bella fuerat reſeratum, clauſit*. Oroſius recte ſcribit lib. 6. cap. 21. id datum honori Cantabricæ victoriæ.

CXXXIX. *Hoc tempore Jani fores tertio ab Auguſto clauſæ.* Cæterum, quo anno Auguſtus Jani fores tertio clauſerit, inter Scriptores non convenit. Cum tamen anno Urbis 729. eas iterum clauſerit, tertio poſt illum annum recluſas fuiſſe bella ſubſecuta produnt; quæ uſque ad præſentem annum Urbis 748. duraſſe, ex Dione intelligitur, qui anno præcedenti lib. 55. loquens de triumpho Tiberii de Germanis ait: *Ac paulo poſt exortis in Germania motibus, ad bellum profectus eſt*, additque Dio: *Eo anno in Germania nihil memorabile actum*. Sed currenti Urbis anno nuſquam bella a Romanis geſta memorantur. Dio tantum apud Zonaram hoc anno Armeniæ tumultus recitat, quos tamen Auguſtus, Artavaſde Rege Armenis impoſito, ſedavit. At ex Hiſtoria rerum Caii Cæſaris conſtat, anno Urbis 752. bellum erupiſſe, & ex Dione in Excerptis Valeſianis pag. 664. alibi ſub idem tempus a Romanis belligeratum. *Cajus Cæſar*, inquit. Dio, *legiones, quæ ad Iſtrum caſtra habebant, pacis more otiens ſpectavit: bellum enim nullum ab eo geſtum, non quod bellum nullum ingrueret, ſed quia ipſe in ſumma pace ac ſecuritate Principatus artes diſcebat, belli autem diſcrimina aliis mandabantur*. Hæc ſcribit Dio, recitatis ante Juliæ adulteriis ad Auguſtum delatis; quod anno Urbis 752. contigit. Quare, cum a currenti Urbis anno ad annum 752. nulla a quoquam Scriptore Romanorum bella prodantur, veroſimile eſt, eo triennio Jani fores tertio ab Auguſto clauſas fuiſſe: cum enim Dio annos aſſignet a

qui-

Digitized by Google

quibus ſemel & iterum idem Imperator Janum clauſit; ejuſque Hiſtoria poſt annum Urbis 748. decem annorum geſtis interciſis, mutila ſit; inferre licet, Janum clauſum quoplam illorum annorum, quorum memoria in Dionis libris nulla eſt. Ita Noriſius Card. citatus.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5489. Cyclo Solis 5. B A. Lunæ 16. Indict. 14. Mundi 4000. Urbis conditæ 749. ante Chriſtum 5. Juliano 41. Auguſti 40. Herodis 36. & 33. Mundi ſecundum Alexandrinos 5499. ſecundum Conſtantinopolitanos 5505.

CXL. Natale Chriſti ſecundum aliquos. Coſſ. *Auguſtus Cæſar XII*, & *L. Cornelius Sulla*. [1] Hoc anno Chriſtum natum eſſe ſumarunt Joannes Dekerius, Petavius in lib. de Doct. Temp. aliique Viri doctiſſimi. Quæ ſententia & nobis probabilior cæteris exiſtimatur, antequam duo Quinctilii Vari Numiſmata viderimus, de quibus anno ſuperiori. Si enim Sentius Saturninus cenſum in Judæa egit, ut tradit Tertullianus, & Saturnino anno præcedenti Varus ſucceſſit, Chriſti Nativitas in hunc annum non videtur differenda. Dekerii opinio, ubi in medium producta, plurimos invenit adverſarios, ipſumque etiam Baronium, qui pluribus in eam invehitur. Indeque factum, ut Dekerii liber, in quo hanc opinionem propugnabat, numquam lucem viderit. Baron in Apparatu nu.cxxix.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5470. Cyclo Solis 6. G. Lunæ 17. Indict. 15. Mundi 4001. Urbis conditæ 750. ante Chriſtum 4. Juliano 42. Auguſti 41. Herodis 37. & 34. Mundi ſecundum Alexandrinos 5500. ſecundum Conſtantinopolitanos 5506. Olymp. 194.

Coſſ. C. *Calviſius Sabinus*, & *Rufus*, [2] ſeu ut habet Severus Sulpicius, *Rufinus*. Acceptis Ro- CXLI.

NOTÆ [1] Coſſ. *Auguſtus Cæſar XII.* & *L. Cornelius Sulla*. Lapis apud Panvinium in Faſtis

IMP. CÆSAR. DIVI JULI. F.
AUGUSTUS
PONTIFEX. MAXIMUS. COS. XII.
TRIBUNIC. POTEST. XIX. IMP. XIIII.

Tabula Ancyrana DUODECIMUM. CONSUL. TRECENTIS &c. Lapis Gruterianus, pag. CXLIX. 4. IMP. CÆS. DIVI. F. AUG. PON. MAX. COS. XII. TRIBUNIC. POT. X. IMP. VIII. Erratum ab exſcriptore in Tribunicæ poteſtatis & Imperatoris annis. Noriſius in Cenotaph is Piſanis Differt. II. Cap. IX. legendum eſſe docet COS. XI. Exarata eſt autem hæc Inſcriptio A. V. 740. Lapis item apud Gruterum pag. CLXX. VII. 5. ubi Auguſtus COS. XII. TR. POT. XIX. IMP. XIIII. Reineſius pag. 249.

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUG.
PONT. MAX. COS. XII. DESIG.
XIII. IMP. XIIII. TRIBUNIC.
POTEST. XX.

Cippus ſeu columna milliaria apud Sponium in Miſcellan. pag. 167. n. 5. ubi.

PATER PATRIÆ IMP. CÆSAR.
DIVI. F. AUGUSTUS PONTIFEX. MA
XIMUS. COS. XII.
DESIGNATUS XIII.
TRIBUN. POT. XXIII.

Tribunicia poteſtas male exſcripta eſt; nam Auguſtus XXIII. tribuniciam poteſtatem iniit. A. V. 753. poſtquam geſſerat XIII. conſulatum. Lapis alius apud eundem Sponium in Miſcellan. pag. 35. ubi *Auguſtus* dicitur.

PONT. MAX. COS.
XII. TRIB. POT. XIX. IMP. XIII. CU
RANTE M. VIPSAN. AGRIPPA
ÆDIL. CURUL.

Faſti Idatii *Octaviano XII.* & *Sylla*. Vindebonenſes *Auguſto XII.* & *Sulla*. De L. Cornelio Sulla consule vetus epigramma apud Panvinium ad hunc annum.

L. CORNELIO. P. F.
SULLÆ. COS. PR
VII. VIRO. EPULON
CLIENTES.

Nummi apud Occonem. IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUGUSTUS. PONT. MAX. TRI POT. XIX. IMP. XIIII. COS. XII. Plinius lib. VII. cap. XIII. *In actis temporum Divi Auguſti invenitur, XII. LUCIOQUE SYLLA COLLEGA, ad III. Idus Aprilis, C. Criſpinum &c.*

[2] Coſſ. *C. Calviſius Sabinus*, & *Rufus*. Lapis Gruterianus pag. CXVI. 4.

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUGUSTUS
PONTIFEX. MAXIMUS.
TRIBUNIC. POTESTAT. XVIIII.
EX. STIPE. QUAM. POPULUS. EI
CONTULIT. K. JANUAR. APSENTI
C. CALVISIO. SABINO
L. PASSIENO. RUFO. COS.

Faſti

Profectio Romana Antipatri ſuo anno reddita. Roma ab Antipatro literis, quibus ſignificabat, rebus ex ſententia peractis brevi ſe in patriam rediturum, Herodes diſſimulata ire inſidioſe reſcripſit, ut properaret, ne quid ſibi per ejus abſentiam, quod nollet, accideret, ex Joſepho lib. 17. cap. 7. qui ſub finem capitis præcedentis ſcripſerat: *Mirum autem eſt, quod cum per ſeptem menſes ante ejus reditum tam multa contra eum in Judæa mota ſint, nihil eorum ad ejus notitiam perlatum ſit. In cauſa erat partim diligens itinerum obſervatio, & viarum cuſtodia: partim populare hominum in Antipatrum odium.* Quibus ex verbis Viri doctiſſimi deduxere, *Antipatrum* menſes ſeptem vel circiter Romæ commoratum eſſe. Verum, cum nunc ex Numiſmatis Vari, qui nondum Syriam regebat, quando *Antipater* Romam profectus eſt, conſtet, eum anno Urbis 748. jam Syriam adminiſtraſſe, apparet, Joſephum aliud non deſignare, quam ſpatium quod interceſſit inter ſcelus Antipatri probatum & ipſius reditum, cumque ab anno Urbis 748. quo Sentius Saturninus per aliquot menſes adhuc Præfectus Syriæ fuit, Romam ſe contuliſſe, ibidemque manſiſſe uſque ad annum, quo Herodes pater deceſſit: *Forte per idem tempus Hieroſolymis erat Quintilius Varus ſucceſſor Saturnino miſſus in Syriam, tunc vero ab Herode in conſilium de rebus agendis adhibitus. Quibus una ſedentibus ſupervenit Antipater omnium inſcius, & ita ut erat purpuratus, in Regiam ingreſſus eſt*, inquit ibidem Joſephus cap. 7. quando loquitur de adventu Antipatri in Judæam poſt ſuam profectionem Romanam. Quare, cum in Saturnino Præſide Romam petierit, tardius illuc ſe conferre non potuit, nec citius ex ea urbe in Judæam redire, quam anno Urbis 750. cum paulo ante Herodis mortem, in Judæa perierit.

CXLII. *Herodis interitus.* Interim *Herodes* morbo correptus eſt, eoque graviſſimo, de quo Joſephus ibidem cap. 8. ait: Cum rumor increbreſceret, morbum Herodis eſſe lethalem, binos Profeſſores hortatos eſſe ſuos diſcipulos, ne finerent Templum profanari imaginibus, quas porticibus affixerat Herodes, aut ut aquilam auream illam dejicerent. Sed in ipſo facto deprehenſi, una cum præceptoribus ſuis Hierichuntem adducuntur, & vivi cremantur: *Cæterum Herodes poſt mulctatum Matthiam Sacerdotio, alterum Matthiam ſeditionis auctorem ejuſque ſocios vivos exuſſit: in quam noctem etiam defectus Lunæ incidit*, inquit ibidem Joſephus. Contigit *eclipſis* anno Juliano 42. circa Paſcha, Martii 13. tribus circiter horis ante ortum Solis, ut ex Tabulis Aſtronomicis liquet. Quam eclipſim multi eam eſſe volunt, de qua loquitur Joſephus. Sed certum eſt, Hiſtoricos ſæpe Solis pallorem inſolitum cum vero Solis deliquio confundere. Sic Joſephus ipſe lib. 14. de Antiquit. cap. 12. de Bruti Caſſiique cæde, ac de conjuratorum ſcelere loquens, ait: *Propter quæ Solem etiam averſum fuiſſe credimus: qui & ipſe patratum in Cæſarem facinus invitus aſpexit.* Et tamen Petavius lib. 10. de Doct. Tem. cap. 66. demonſtrat, anno ſecundo Juliano, quo Cæſar interfectus eſt, nullam eclipſim Solarem contigiſſe, & Solis pallorem, qui tunc accidit, citra eclipſim fuiſſe. Sic eclipſim Lunæ a Joſepho memoratam eclipſim veram fuiſſe non conſtat; ideoque & ex illa annus mortis Herodis certo detegi non poteſt. Quidquid hac de re ſit, Joſephus cap. 10. poſtquam locutus eſt de Herodis teſtamento ait: *His ita ordinatis, quinto die poſtquam filium Antipatrum occidit, vita defunctus eſt poſt detruſum Regno Antigonum anno trigeſimo quarto, eo quo autem a Romanis Rex declaratus eſt anno XXXVII.* Eam mortem circa Novembris noſtri diem XXV, ſeptimo ſcilicet *Ciſlevi* menſis, (qui idcirco a Judæis, ut dies lætus & feſtivus celebratur, quod in eo *Herodes, qui ſapientes odio proſecutus eſt, mortem obierit,*) ex volumine *Jejunii* contigiſſe obſervat Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. Illi itaque anni XXXVII. & XXXIV. ſolum inchoati fuere, ut ex dictis liquet. Quod ſi Herodes anno ſequenti mortuus fuerit, tunc ab obitu Antigoni annos XXXIV. integros, ab anno vero, quo a Romanis Rex renuntiatus, triginta ſeptem pariter completos, regnavit. Sed eo caſu dicendum, *Archelaum* ejus filium anno Urbis 760. Viennam relegatum eſſe, decimo ſcilicet Regni anno inchoato, uti ſupra expoſui.

Baronius, qui annos Herodis ab anno Urbis 724. deducendos putavit, mortem ejus uſque ad annum Chriſti octavum, & relegationem Archelai uſque ad ultimum Auguſti annum differt, pluribuſque in Joſephum invehitur, præſertim ubi de Archelai exilio agit: *Porro*, inquit, *quod ſpectat ad tempus damnationis Archelai, Dio Joſephum ſecutus (cum enim poſt multos annos, nempe Severi Imperatoris temporibus ſcripſerit, ex Judæorum a Judæ Hiſtorica mutuatus creditur) damnatum dicit Herodem Palæſtinum, (ſic enim Archelaum nominum) & trans Alpes relegatum, ac partem ejus ditionis in publicum eſſe redactam ſub Conſulatu M. Æmilii Lepidi & L. Arruntii, anno ab Urbe condita 759. quo ipſo anno a Joſepho exactus ponitur, prout ex numero annorum Regni Herodis patris ejus ab eodem Auctore deſcripto perfacile quis intelliget. Sed quam manifeſto erret, ſatis ſuperius demonſtravimus, cum de tempore nati Chriſti egimus. Aſſentitur & noſtra huic Chronologia Euſebius, dum anno Auguſti Imp. ultimo contigiſſe ait exilium Archelai in Gallia. Adverſus autem iſta hæc nobis objectio facta eſt ex Joſepho Judæo: Si poſt tot Chriſti annos vixiſſe ponatur Herodes, non potuit, ut a Joſepho aſſeritur, ejici ab Auguſto in exilium Archelaus. Cui primo reſponderim, ſi Joſephum quis ſibi ſequendum proponat, deſerat neceſſe eſt Evangelicam veritatem, utpote qui Judæus Auctor (ut oſtendimus) ante Chriſtum natum ponat Herodis ſemoribus obitum. Sed redarguimus ejuſdem Auctoris levitatem & inconſtantiam ex ipſiuſmet Scriptis ſuperius recitatis. Porro, ſi quis eundem ita ſecum pugnantis, & Evangelicæ veritati penitus repugnante fidem adhibendam putaverit*

CXLIII. *Joſephus ſeverius a Baronio exceptus.*

Baron. anno 16. n. 2.

NOTÆ Faſti Idatii: *Sabino & Rufino.* Vindebonenſes: *Sabino & Ruſo.* Joſephus Caſtalio Decade VI. Obſervationum in Criticos cap. I. pag. 212. Carolum Sigonium, & Onufrium emendat, qui *Tribuniciam poteſtatem Auguſti XIX.* male collocant, quum ſtatuenda ſit hoc anno, ex eo lapide, quem dedimus quemque explicat; ſed & anno ſuperiori, nempe Urbis 749. Tribuniciam poteſtatem XIX. iniiſſe certum eſt; quæ decurrebat etiam in parte anni 750.

vit hac ex parte Celſum, Porphyrium & Julianum ſe ſuperare cognoſcat; cum iidem licet Chriſtianæ Religionis hoſtes infenſiſſimi, & contradictores acerbiſſimi; nunquam tamen auſi reperiantur præponere Joſephum Evangeliſtis. At cum non ſolum (quod ſatis erat) Evangelica veritate redarguerimus Judæum Hiſtoricum, ſed ex ſuis ipſius Scriptis ſæpenumero aperta luce eum mendaciſſimum oſtenderimus, & in hoc ipſo de annis Herodis adeo diverſa & plane contraria locutum viderimus: quomodo non magis ſequendus nobis ſuit Euſebius, quem ſcimus, ea qua hujus ſunt temporis, eſſe mutuatum a Phlegonte Chronographo omnium antiquiſſimo ac famoſiſſimo? Qui quidem Euſebius ponit ultimo Auguſti anno exilium Archelai, ubi novem regnaſſet annos, ultimo autem tantummodo inchoato. Euſebium ſecutus eſt Beda de ſex Ætatibus, & alii nobiliores Chronographi.

CXLIV. *Joſephus Hiſtoricus ſide digniſſimus.*

Verum, ut jam Viris doctiſſimis obſervatum, immerito *Joſephus* vapulat tanquam imperitus temporum; cum *Euſebius* potius ex Joſepho caſtigandus fuiſſet, & vix fieri potuerit, ut Scriptor, cujus diligentia & fides in notatione temporum ſpectatiſſima, in iis peccaverit, quæ ſine illo Euſebius & alii ignoraſſent. Deinde quomodo *Dio* res Judæorum a Joſepho mutuari potuit; cum, quem Joſephus *Archelaum* Dio *Herodem* nominet; quem Dio a fratribus accuſatum, Joſephus tam a Primatibus Judæorum, quam Samaritarum delatum apud Cæſarem dicat; Dio partem ditionis ejuſdem in publicum redactam, Joſephus vero univerſam ejus ditionem Syriæ contributam afferat; & denique urbem Hieroſolymam anno Urbis 716. ab Herode captam, Antigonumque occiſum Dio velit, Joſephus vero eam cladem in annum Urbis 717. conferat, *Euſebius*, quæ de Herode ſcripſit, a *Phlegonte* accipere non potuit; cum is de rebus Judaicis nihil literis mandaverit, & Euſebius in rebus Herodianis anilibus hallucinationibus ſcateat. Fatendum quidem, *Bedam* cæteroſque Antiquos omnes nimiam fidem in his Euſebio adhibuiſſe, ac Joſepho neque lecto, neque examinato, quæ de Herode ſcripſere, ex illo mutuatos eſſe. Sed nunc inter Eruditos fere convenit, *Joſephum* fuiſſe Hiſtoricum diligentiſſimum, magnamque fidem & eruditionem in iis quæ narrat, elucere. Baronium a Joſepho averſum reddidit opinio, qua imbuebatur, illum ſcilicet ea in literis miſiſſe, ex quibus neceſſario ſequatur, Chriſtum natum poſt Herodis obitum. Verum, cum nunc conſtet quæ a Joſepho de Herode ſcripta, Evangelicæ veritati minime repugnare, ex iiſque nullo modo ſequi, Herodis mortem Chriſti nativitatem anteceſſiſſe, Joſephus in rebus Judaicis ſequendus.

CXLV. *Varus Præfecturam Syriæ nondum abſolvit.*

Mortis Herodis tempore *Quinctilium Varum* Syriam adminiſtraſſe, & in eadem Provincia initio Regni Archelai adhuc fuiſſe, patet ex Joſepho lib. 17. cap. 11. & 12. Neque dubitari poteſt, quin currenti anno *Varus* Præſes Syriæ fuerit, cum num. CXXXVI. duo ejus Numiſmata produxerimus, in quibus annus viceſimus ſeptimus Antiochenus memoratur, qui uſque ad autumnum præſentis Urbis anni in curſu fuit. Præterea nuper ad me ſcripſit Toinardus Vir eruditiſſimus, duo alia eodem anno Antiocheno XXVII. notata Pariſiis extare, alterum penes Joannem Vaillantium V. C. alterum penes Patres Societatis Jeſu in Cimelio Collegii Ludovici Magni, ab Harduino Viro doctiſſimo, in Nummis Urbium & populorum pag. 51. ſed non ſine errore, deſcriptum. In eo legitur, ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ Addit Harduinus, in eodem præterea haberi ΣΚ id eſt, ut ipſe explicat, S. C. ſeu *Senatuſconſulto*. Verum Toinardus monet, ſe eum Nummum vidiſſe, & in eo invenisse ΖΚ id eſt, XXVII. Laudata vero verba Græca ipſe ſic interpretatur: *Collegium Pontificum Antiochenſes*, quod idem eſt, ac ſi in eo haberetur, *Antiochenſe*, vel *Antiochenſium*, iiſque verbis ſignificari ait, Collegium Pontificum Antiochiæ Auguſtum tanquam ſuum ſuperiorem eo in munere agnoſcere. Porro nullum adhuc Quinctilii Vari Numiſma viſum, in quo legatur annus Antiochenus ΗΚ. id eſt, XXVIII: imo ſuperſunt Numiſmata Antiochena notata annis ΖΚ. ΗΚ. & ΘΚ. id eſt, XXVII. XXVIII. & XXIX. in quorum antica parte cernitur caput Auguſti, cum his verbis in duobus prioribus ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, id eſt, *Cæſar Auguſtus*, & cum iſtis in ultimo, ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ id eſt, *Cæſaris Auguſti*. Ex quibus tamen male quis inferret, inquit Toinardus, anno Antiocheno XXVII, qui hoc anno Urbis deſinit, *Varum* e Syria diſceſſiſſe; præſertim quod inveniantur anno XXVII. Antiocheno ſignata, in quibus Vari nomen amplius non memoratur. Nam Numiſmata anno Antiocheno XXVII. & XXVIII. ſine *Vari* nomine notata, in honorem *Auguſti*, cujus capite inſigniuntur, & in quorum poſtica legitur, ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. percuſſa ſunt eodemque tempore alia in honorem *Vari* cuſa cum capite Jovis ſine inſcriptione, & in poſtica cum urbe Antiochena, ut colligit Toinardus ex Nummis *Vari* annis Antiochenis XXV. XXVI. & XXVII. cum nomine Vari cuſis. Verum eſt, ut mox dixi, nullum Vari Nummum huc uſque e ruderibus erutum, in quo legatur, ΗΚ. id eſt, XXVIII. ſed argumentum a negatione deductum, præſertim in Numiſmatographia, parum curandum. Hos porro Auguſti Nummos non obſtare, quia alii in Vari honorem in Syria percuſſi fuerint, demonſtrat Nummus Seleucenſium Antiochenſibus vicinorum, qui habetur in Cimelio Illuſtriſſimi Domini Theodorici *Bignon*, Regi ab omnibus Conſiliis, Libellorum Supplicum Magiſtri, & in Supremo Conſiſtorio Præſidis, cujus ſumma eruditio non minori humanitate conditur. Viſitur in antica Tiberii caput nudum cum hac Epigraphe, ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡ, id eſt, *Auguſtus Auguſti filius Cæſar*. Hæc ejus poſtica:

Γ
ΕΠΙ ΣΙ
ΛΑΝΟΥ
ΣΕΛΕΥ
ΚΕΩΝ
ΖΜ

Ubi in laurea annus III. Tiberii Γ concurrens cum ΖΜ. ſeu XLVII. Seleucenſium, nomenque *Silani* tunc Syriæ Præſidis exprimuntur. Similem *Silani* Nummum anno Chriſti XIV. exhibebimus. Ex quibus tandem omnibus colligo, tria Numiſmatum genera in Syria cudi ſolita: in quibuſdam nomen Præfecti annuſque Præfecturæ legebatur: in aliis nomen duntaxat Auguſti, annique ejus Imperii ab anno Urbis 723. deſumti, abſque ulla Præfecti Syriæ mentione: denique in quibuſdam & nomen Præfecti, & nomen Imperatoris cum anno Imperii & Præfecturæ exprimebatur; cum hoc diſcrimine, quod in Nummo Imperatoris annus initi Imperii, in Nummo vero Præfecti annus adminiſtrationis Syriacæ memorabatur. Quod magis ex dicendis anno Chriſti XIV. num. IV. manifeſtum fiet. Cæterum quo anno *Varus* Syriam reliquerit, & quem ſucceſſorem nactus fuerit, non liquet.

An-

Anno Periodi Græco-Romanæ 5491. Cyclo Solis 7. Lunæ 18. Indict. 1. Mundi 4002. Urbis conditæ 751. ante Chriſtum 3. Juliano 43. Auguſti 42. Mundi ſecundum Alexandrinos 5501. Incarnationis ſecundum Alexandrinos 1. ſecundum Conſtantinopolitanos 5507.

CXLVI. *Natale Chriſti ſecundum Baronium.* Coſſ. *Cn. Cornelius Lentulus, & M. Valerius Meſſallinus.* [1] Baronius, Scaliger, Calviſius, aliique multi recentiores Natale Chriſti cum hoc anno copulant, eaque ſententia in Patriarchatu Alexandrino primis Eccleſiæ ſæculis uſurpata, ut liquet ex Julio Africano qui ea utitur, adhuc ibidem viget. Eam adhibet Euſebius, ut colligitur ex fine libri ſeptimi, ubi ait, Hiſtoriam Eccleſiaſticæ ſucceſſionis a ſe conſcriptam, *a Servatoris ortu uſque ad Eccleſiarum everſionem, quinque ac trecentos annos* complecti, ultimo ſcilicet termino incluſo. Nam Euſebius annos Incarnationis, ſicuti & annos Abrahæ ac Olympiades incipit a menſe Octobri cum anno civili: a quo menſe annoque Periodi Græco-Romanæ 5491. ad annum ejuſdem Periodi 5796. quo annus Eræ Chriſtianæ 303. perſecutionis Diocletianeæ primus, inchoatur, menſemque Octobrem, anni trecenti & quinque completi numerantur. Quare fallitur Valeſius in Notis ad lib. 1. Euſebii cap. 5. ubi aſſerit, *Euſebium* eos annos quinque ac trecentos dinumerare a Conſulatu XIII. Auguſti ſeu ab anno ſequenti. Licet enim Euſebius exiſtimaverit, Chriſtum natum die ſexta Januarii anni ſequentis, ut communis ſuo tempore opinio in Ægypto ferebat, in Hiſtoria tamen, ſicuti & in Chronico, primum Chriſti annum ab Octobri antecedente cum anno populari Syrorum auſpicatus eſt. *Georgius Syncellus*, qui eadem Incarnationis Era utitur, annos incipit a menſe Martio, Theophanes & alii communiter a menſe Septembri. Eandem Eram uſurpat Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. ubi ait: *Sunt qui curioſius Natali Domini non ſolum annum, ſed etiam diem addunt: quem quidam dicunt vigeſimo octavo anno Auguſti vigeſima quinta menſis Pachon eſſe natum:* (ea eſt apud Latinos vigeſima menſis Maii, non decimaquinta ut perperam Baronius) *Rurſus etiam quidam tradunt, eum natum eſſe vigeſima quarta vel vigeſima quinta menſis Pharmuti*, hoc eſt, decima nona vel vigeſima menſis Aprilis non vero vigeſima vel vigeſima prima Aprilis, ut etiam perperam Baronius interpretatur. Qua de re conſulendum Kalendarium Sacro-Profanum. Denique hæc etiam Era fuit omnium Antiquorum, qui Chriſtum anno quadrageſimo ſecundo Octaviani Auguſti natum dixere, ac etiam Septuaginta Interpretum, ſecundum quos Chriſtus natus creditur anno mundi quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono. Is enim annus mundi anno Juliano 45. præſenti videlicet, auſpicatur. Hæc itaque opinio graviſſimos ſectatores habuit. Et qui volunt eam tueri Herodis mortem ad ſequentem annum differre debent; quod, cum Joſepho Scriptori rerum Judaicarum peritiſſimo & Dioni adverſetur, nullus mihi facile perſuaſeris.

Baronius in Apparatu n. CXX.

CXLVII. *Natale Chriſti proprium, a Natali Chriſti Dionyſiano diſtinguendum.* Sed quidquid ſit de vero Chriſti anno Natali, qui nobis incompertus, ſedulo, obſervandum, diſtinguendum eſſe *duplex Natale* Chriſti, proprium ſc. & Natale Chriſti Dionyſianum, ſeu commune, ac vulgare. Primum eſt illud, quod quilibet probabilius putat: ſecundum vero illud quod *Dionyſius Exiguus* ſecutus eſt, & poſt eum univerſa Eccleſia Latina, ejus initio paululum immutato; hocque Natale cum anno Juliano XLV. neceſſario conjungendum, cum a Kalendis Januariis anni Juliani XLVI. ad annum, in quo verſamur *, numerentur anni 1688. Natale vero proprium nullam Eram conſtituere poteſt: alioquin tot eſſent Eræ Chriſtianæ, quot ſunt diverſæ Doctorum ſententiæ de anno Natali Chriſti. Quoad annum quo contigit Natale Chriſti proprium, alius eligit annum Julianum XL. alius annum Julianum XLI. alius alium, intra tamen annum Julianum XL. & XLVI. incluſive. Nam aliquo eorum annorum Chriſtum in mundum veniſſe extra dubium eſſe debet. At quoad Natale Chriſti Dionyſianum, commune ſeu vulgare, illud a Doctorum opinionibus minime pendet, ſed omnino collocandum cum anno Juliano XLV. Conſulatuque Cornelii Lentuli & L. Calpurnii Piſonis; cum Era Chriſtiana ſeu Dionyſiana incipiat a Kalendis Januariis anni Juliani XLVI. Chriſtumque die XXV. Decembris anni antecedentis natum ſupponat. Liberum itaque Baronio fuit Natale Chriſti proprium præſenti anno conſignare; cum hæc illi opinio omnium probabiliſſima videretur, eamque plures graviſſimi Auctores, tam antiqui, quam recentes, amplexi ſint. Verum, cum Eram Dionyſianam ſequi vellet, & revera ſequatur poſt annum Chriſti CCLXXX. non potuit eandem a Kalendis Januariis anni ſequentis exordiri; cum eo pacto eandem biennio anticiparet, ſicque annis duobus, & aliquando etiam tribus, ab Era Dionyſiana uſque ad prædictum Chriſti annum CCLXXX. diſtet. Cujus Annalium Eccleſiaſticorum vitii corrigendi cauſa, hic labor a nobis præſertim ſuſceptus, ut ſicut iidem veram rerum geſtarum narrationem, & ſic & verum earumdem ordinem, ac veram Chronologiam exhibeant.

* Sc. ann. quo Auctor hæc ſcribebat.

Obſervandum pariter, duas tantum & non plures Incarnationis Eras ab Antiquis uſurpatas fuiſſe, *Alexandrinam* nempe & *Dionyſianam*. Prior Chriſtum anno Juliano XLIII. currenti nempe, conceptum ſupponit, incipitque communiter, vel a menſe Septembri cum anno populari, vel a die XXV. Decembris, vel a menſe Martio anni inſequentis. Dies enim, quo Chriſtus natus, varie ab Antiquis conſignatus, ac præterea annus ab eodem principio non repetitus. Hæc Era in Patriarchatu Alexandrino a prioribus Eccleſiæ ſæculis uſurpata, ut ſupra dixi. *Era Dionyſiana*, quæ jam a pluribus ſæculis apud Latinos in uſu eſt, quam ipſe ab Antiochenis accepit, quamque poſtea Conſtantinopolitani adoptarunt, varia etiam ſortitur initia. Antiocheni & Conſtantinopolitani eam auſpicantur a menſe Septembri anni Juliani quadrageſimi quinti, Dionyſiani vero, ſeu Latini a Kalendis Januariis anni Juliani quadrageſimi ſexti; & utrique annos Incarnationis cum annis a Nativitate ſæpius confundunt. Aliqui autem Scriptores Eram Incarnationis Dionyſianam a die vigeſimaquinta menſis Martii anni Juliani XLVI, alii a Paſchate ejuſdem anni Juliani incipiunt: alii vero Eram Chriſtianam a Die Natali Chriſti ſeu XXV. menſis Decembris deducunt. Sed in Anna-

CXLVIII *Duæ Eræ Incarnationis diſtinguendæ.*

NOTÆ [1] COſſ. *Cn. Cornelius Lentulus & M. Valerius Meſſallinus.* Vetus inſcriptio effoſſa ad portam Capenam C. A. D. 1720. & edita a V. C. Franciſco Blanchino in notis ad tom. II. Anaſtaſii Bibliothecarii pag. 122. LENTULO. ET. CORVINO. MESSALA. COS. Teſſera eburnea apud Fabrettum pag. 38. & apud Reineſium pag. 374. ac inter Donianas Inſcriptiones pag 152. num. 65. KAL. JUN. L. LEN. M. MES. COS. Suetonius in Galba cap. IV. *Natus eſt Galba. M. Valerio Meſſalla, Cn. Lentulo Coſſ.* Faſti Idatii: *Lentulo & Meſſallino.* Vindebonenſes ita.

Annalibus Eccleſiaſticis Era Incarnationis a Kalendis Januariis anni Juliani XLVI. omnino inchoanda. Baronius Eram Alexandrinam & Dionyſianam non diſtinxit, ideoque hanc ab anni ſequentis Conſulibus inchoavit, quod cum Alexandrinis Chriſtum hoc anno natum aſſeruiſſet; adeo ut per tria fere priora Eccleſiæ ſæcula Eram Alexandrinam ſequatur; cum hoc diſcrimine, quod illi eandem præſenti anno cum menſe Septembri auſpicantur, ipſe vero ejus initium a kalendis Januariis anni Juliani XLIV. deſumſerit, Verum Eccleſia Occidentalis non Eram Alexandrinam, ſed Dionyſianam ſequitur.

Natale Chriſti Dionyſianum in annum biſſextilem incidit. Baron. in Apparatu n.CXXIII. & ſeqq.

Baronius hanc objectionem contra ſe factam ſcribit: *Si ſub Lentulo & Meſſalino Coſſ. natus eſt Chriſtus, ergo annus Julianus millesimus & ſexcenteſimus non erit biſſextilis.* Ad quod argumentum reſpondet, tantum abeſſe, ut in annum iſtum *biſſextilis* dies non incidat, ut in alium nullum, niſi ab eodem quartum ſive ante, ſive poſt ipſum, convenire poſſit. Etenim pro confeſſo, minimeque dubio id in hac tota diſputatione ſumit: annum illum, quo natus eſt Chriſtus, *biſſextilem* fuiſſe: propterea quod qui deinceps ab eo propagati ſunt, per quaternos diviſi, biſſextiles occurrunt. Jam vero annus a nato Domino CCCLXIV. quo Valentinianus Imperium adeptus eſt, biſſextilem habuit diem, quemadmodum ſcribit Ammianus lib. 26. Quare XLV. ante illum peræque biſſextilis eſt. Atque ille eſt ipſe, qui Lentulum & Meſſalinum Conſules præfert, quibus Decembri menſe natus eſt Chriſtus. Recto igitur hic in Annalibus conſtitutus videtur. Hæc ſumma ratiocinii Baronii. Verumenimvero valde decipitur Cardinalis doctiſſimus, Natale Chriſti proprium a Natali Chriſti Dionyſiano non diſtinguens. Natale quidem Dionyſianum incidit in annum biſſextilem, Julianum nempe XLV. ut ſequentium annorum biſſextilium ſeries demonſtrat: ſed cum ignoremus, quo anno Chriſtus vere natus ſit, aſſerere non poſſumus an annus ille biſſextilis vel non biſſextilis fuerit. Imo licet Chriſtus præſenti anno natus eſſet, ejus tamen nativitas in annum. biſſextilem non incidiſſet. Currentem enim annum biſſextilem non fuiſſe, fuſe oſtendit Petavius in Animadverſionibus Epiphanianis, ad hæreſim 51. cum in conſtituendis biſſextilibus non ordinationis Julianæ, ſed Auguſtanæ, noſtræque ratio habenda ſit; quod Baronio impoſuiſſe videtur. Fuerit itaque hic annus ex Julii Cæſaris ordinatione biſſextilis, ut contendit Baronius; quod tamen valde incertum eſſe demonſtrat Petavius: tamen poſtquam ab Auguſto correctus eſt annus, ſi ab eorum aliquo, quos biſſextiles tam ipſe, quam poſteritas omnis habuit, retro numeres, biſſextilis annus præſens non eſt, quo Chriſtum in lucem editum Baronius autumavit. Deinde illud non minus falſum, annum Eræ Chriſtianæ CCCLXIV. eſſe trecenteſimum ſexageſimum quartum poſt Conſulatum Lentuli & Meſſalini hoc anno geſtum; cum vere ſit ab illo CCCLXVI. Baronius enim intra illud temporis ſpatium duo paria Conſulum abdicavit, ut cum vulgari Era ſeu Dionyſiana, quam biennio anticipaverat, in concordiam redire poſſet. Verum hac de re legendus Petavius laudatus, ubi ad ea, quæ Baronius de annis biſſextilibus habet, docte reſpondet.

CXLIX. *Baronius a Beda & Antiquis Computiſtis in errorem inductus.*

Baronius ait, Chriſtum anno ætatis XXXIV. crucifixum, teſtari Bedam, Fidem eſſe Eccleſiæ Catholicæ. Hæc Bedæ lib. de Temp. ratione cap. 40. verba: *Habet enim, niſi fallor, Eccleſiæ Fides, Dominum in carne paulo plus quam XXXIII. annos uſque ad ſua tempora Paſſionis vixiſſe, quia ſcribens XXX. annorum fuerit baptizatus, ſicut Evangeliſta Lucas teſtatur, & tres ſemiannos poſt Baptiſma prædicaverit,* &c. Quocirca poſteriores Bedæ Chronologi illud dogma tanquam certiſſimum & indubitatum poſuere, cui parem atque Evangeliis ipſis, aut Conciliorum decretis auctoritatem tribuerunt, ut ex Mariano Scoto, Sigeberto aliiſque Antiquis liquet. Verum, ut animadvertit Petavius lib. 2. de Doct. Temp. cap. 50. ea Bedæ ac deinceps reliquorum opinio atque ratio ſemetipſa redarguit. Nam quod ex Eccleſiæ Fide Beda pronuntiat, Chriſtum paulo plus quam XXXIII. annis in carne vixiſſe, id eſt, tribus inſuper menſibus, huic ille contradicit, dum qui primus eſt annorum iſtorum, in eo incarnatum affirmat eſſe Chriſtum: a quo, ſi ad Paſſionem; id eſt, XXV. Martii, quo Chriſtum paſſum credidit, annos XXXIV. numeres, haud plus annis XXXIII. intereſt. Falſum eſt igitur, tribus præterea menſibus in carne vixiſſe Chriſtum; vehementerque illi errant, qui annum primum Eræ communis a Kalendis Januariis proxime poſt Natale Chriſti a Beda & Computiſtis paulo vetuſtioribus inſtitutum auſpicari putant: vel, quod idem eſt, natum ex illorum opinione Chriſtum arbitrantur Cyclo Lunæ 1. Indict. III, a Januario, vel IV. a Septembri. Chriſtum enim incarnatum atque in lucem editum eſſe putarunt anno Juliano XLVI, annoque primo Eræ Chriſtianæ, Cyclo Lunæ 2. & nihilominus, cum de ætate Chriſti ac de Paſſione loquuntur, indicant anno illo, qui Eram Chriſtianam antecedit, natum ſecundem arbitrari. Aſſerunt enim, uti jam dixi, Chriſtum quando paſſus eſt, Eræ Dionyſianæ anno triceſimo quarto, triginta tres annos ſolidos cum menſibus tribus explevisse; quos annos XXXIV. non a Conſulatu Lentuli & Meſſalini, ut putavit Baronius, Beda aliique Veteres inchoarunt, ſed a Conſulatu C. Cæſaris & Æmilii Pauli, annoque Juliano XLVI. Decretum itaque, quod pro Eccleſiaſtico Beda venditavit, quodque firmiſſimum Chronologiæ ſuæ munimentum Annalium Scriptores appellant, tanquam commentum rejiciendum.

CL. *Ex Baptiſmo Chriſti, natalis ejus annus deduci non poteſt.* Baron. in Apparatu n.CVIII.

Fundatur etiam Baronius in loco Sancti Ignatii in Epiſtola ad Trallianos, ubi de Chriſto legitur: *Expletiſque tribus annorum decadibus, vere baptizatus eſt a Joanne,* &c. *Et poſtquam per triennium prædicaſſet Evangelium,* &c. *condemnatus eſt.* Verum locus ille legitur quidem in ea epiſtola interpolata; ſed in veris hujus Sancti Epiſtolis non habetur, ut videre eſt in accuratis Operum Sancti Ignatii editionibus, quæ poſt Baronii mortem prodiere. Denique in eo Baronius, quemadmodum Scaliger, aliique multi, peccat, quod ex Baptiſmo Chriſti, quo Chriſtus anno natus fuerit, demonſtrari poſſe exiſtimat. Nam duplex Tiberii epocha, altera ab ejus Imperio Proconſulari, annoque Chriſti XI; altera ab anno Chriſti XIV, quo Auguſto demortuo ſucceſſit, hoc probationis genus vanum & inefficax oſtendit; cum non conſtet, an Divus Lucas, cum de anno Baptiſmi Chriſti loquitur, de *anno decimo quinto Imperii Proconſularis*, an vero de *anno decimo quinto Imperii Auguſtei* intelligendus ſit; præterquamquod, cum dicat, Chriſtum fuiſſe tunc annorum *circiter triginta*, nihilque certo quoad tempus definiat, ad alia argumenta recurrendum. Quoad itaque Natale Chriſti proprium, poteſt quilibet, quæ magis placuerit, probabiliorque viſa fuerit, ſententiam ſequi. Quo fundamento Chriſtum anno Urbis 748. natum, anno Eræ Chriſtianæ XXVI. baptizatum, annoque ejuſdem Eræ XXIX. crucifixum ſuſtineri poſſe dixi. Quod ſi quis contendat, Tabulis Aſtronomicis repugnare, ut Chriſtus die XXV. Martii anni Dionyſiani XXIX. paſſus dicatur, in eam facile ſententiam concedam, quæ docet, Chriſtum anno Eræ vulgaris XXVI. qui adhuc annus decimus quintus Imperii Proconſularis Tiberii in curſu erat, baptizatum fuiſſe; Joannem Baptiſtam per annos

Digitized by Google

quatuor miniſterium ſuum exercaiſſe, Chriſtum quatuor Paſchata poſt illud Joannis miniſterium peregiſſe, dieque *tertia menſis Aprilis* anni Eræ Chriſtianæ XXXIII. mortem pro nobis pertuliſſe. Nam Lucam intelligendum de *anno decimo quinto Imperii Proconſularis Tiberii*, mihi valde perſuaſum. Quoad tamen annum Paſſionis Chriſti, nihil determino, ſed tantum communem inter Veteres opinionem explicabo.

CLI. *Ex Judicio poſt Herodis mortem habito ſententia Baronii infirmatur.* Cæterum, Baronii de Natali Chriſti ſententiam valde infirmat quod ſcribit Joſephus lib. 2. de Bello cap. 20. ubi tradit, Herodem, cum de poſtremo ſato urgeretur, teſtamentum condidiſſe, ac Regni ſucceſſore Archelao filio nominato, ingentem vim pecuniæ legaſſe; Auguſto quidem *mille talenta*, & *uxori & filiis ipſius adoleſcentulis, necnon amicis, & libertis circiter quingenta*, non vero *quinquaginta*, ut Typographi errore in Joſepho habetur. Addit is, Herodem paulo poſt ſupremum diem obiiſſe. At cum in prioribus tabulis Regni hæredem conſtituiſſet *Herodem Antipam*, quem ex alia uxore (novem enim duxit) ſuſceperat, ſtatim ab obitu Regis contentionem de ſucceſſione Regni inter fratres erupiſſe, qui paulo poſt Romam tranſmiſere, apud Auguſtum de paterna hæreditate diſceptaturi. Rem fuſius narrat Joſephus lib. 17. Antiquit. cap. 11. ſcribens, *Auguſtum* Judices cognoſcendæ cauſæ deſtinaſſe, qui eorum ipſo ſententiam ferrent: *Et in his Cajum filium Agrippæ & Juliæ ipſius filiæ, a ſe autem adoptatum, primo ſupra cæteros loco ſedentem*. Hoc Judicium habitum eſt currenti anno Urbis 751. ita ut nec in annum ſuperiorem, nec in quempiam proxime inſequentium protrahi poſſit. Nam ſi Herodes anno præcedenti circiter XXV. menſis Novembris, inito Regni anno triceſimo ſeptimo, mortuus eſt, cauſa ſucceſſionis Regni hoc anno agitata eſt. Archelaus quippe celebrato apud Hieroſolymam *Paſchato*, Romam navigavit ad Auguſtum, ut teſtatur Joſephus ibid. Quare ſi Herodes eo die mortuus eſt, non dubium, quin Joſephus de Paſchata hujus anni loquatur.

CLII. *Eadem ſententia ex eo Judicio aliter infirmatur.* Verum, ſi Herodes ante Paſcha hujus anni Urbis 715. ut exiſtimat Card. Noriſius, interiit, memoratum Judicium protrahi non poſſe, eo maniſeſte oſtenditur, inquit idem Card. Noriſius in Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis cap. 6. quod unus Cajus Cæſar ab Auguſto inter Judices ſedere juſſus eſt. Anno Urbis proximo 752. *Lucius* Cæſar virilem togam induit, ac omnibus honoribus exornatus eſt, quos die ſui tirocinii *Cajus* ejuſdem frater ante triennium tulerat. Et ſane eidem permiſſum fuerat, *ut in Senatum iret*, ex Dione lib. 55. & ex Zonara in Excerptis. Quare ſi Judicium illud habitum fuiſſet anno Urbis 752. aut quopiam inſequentium, Auguſtus Lucium quoque Cæſarem ad idem Judicium acceſſiviſſet; quod præſertim Lucius erat eo anno Conſul deſignatus; Conſules vero deſignati ut plurimum ſententiam ante alios rogarentur. Hinc de Tiberio ſcribit Tacitus lib. 3. Annal. in cauſa Æmiliæ Lepidæ feminæ nobiliſſimæ, quæ a marito accuſabatur: *Exemit Druſum Conſulem deſignatum dicendo primo loco ſententia*. Nec fingi poteſt, ut Noriſius ſubjungit, *Lucius* ab eo Judicio ab Auguſto, quod eſſet junior, excluſus fuiſſet. Nam anno ſequenti erat Princeps Juventutis, Conſul deſignatus, in Augurum item Collegium cooptatus, omnibus denique honorum titulis *Cajo* majori nato fratri æquatus. Quas quidem tum ſacras, tum profanas dignitates eidem Auguſtus contulerat, ne qua inter filios invidia erumperet, cui ſane aditum Princeps aperuiſſet, ſi admiſſo Cajo, Lucium pari cum illo dignitate præditum, a memorato Conſilio excluſiſſet. Nullus dubito, quin *Nicolai Damaſceni* manu totius iſtius cauſæ ſeries deſcripta fuerit, quo loco etiam vehemens æque ac elegans ejuſdem Oratio pro Archelao recitatur. Profecto omnes circumſtantiæ adeo exacte recenſentur, ut niſi eidem Judicio præſens, illas in literas mittere potuerit. Ita Card. Noriſius. Quæ ratio non tantum eorum opinionem evertit, qui Chriſtum hoc anno natum ſcripſere, ſed & illorum, qui Chriſti Nativitatem in ſequentes annos contulere.

Anno Periodi Græco-Romanæ 5402. Cyclo Solis 8. E. Lunæ 19. Indict. 2. Mundi 4003. Urbis conditæ 752. ante Chriſtum 2. Juliano 44. Auguſti 43. Mundi ſecundum Alexandrinos 5502. Incarnationis ſecundum Alexandrinos 2. ſecundum Conſtantinopolitanos 5508.

Coſſ. *Auguſtus Cæſar XIII.* & *M. Plautius Silvanus*. [1] Auguſtus, ut eadem pompa, qua Caium Lucii fratrem ante triennium in forum deduxerat, *Lucio* quoque anno Urbis 737. ex Dione nato CLIII. *Virilis toga Lucio Cæſari donata.*

NOTÆ [1] COſſ. *Auguſtus Cæſar. XIII.* & *M. Plautius Silvanus*. Tabula Auſgnina apud Pighium ad A. V. 750. IMP. CAESARE. XIII. M. . . . . . Tabula Ancirana, CONSUL. TERTIUM. DECIMUM SEXAGENOS. &c. Lapis apud Gruterum pag. CLIII. 1.

IMP. CÆS. DIVI. F.
AUG. COS. XIII. TRIB. POT. XXI.

Et pag. CLXXXVII. 12. cum TR. POT. XXX. COS. XIII. & quod incidit in A. D. 7. Item pag. CLX. 2. IMP. CÆS. DIVI. F. AUG. PONT. MAX. COS. XIIII. pro XIII. IMP. XX. TRIB. POTEST. XXXVIII. Emendatur Gruteri error a Noriſio in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. II. Cap. XV. pag. 261. primæ editionis, legendumque eſt Coſ. XIII. TRIB. POT. XXXVII. Vide Gruterianas Inſcriptiones pag. CXCIX. ubi *Auguſtus* COS. XIII. Nummi apud Occonem. AUGUSTUS. PONT. MAX. TR. P. XXII. COS. XIII. IMP. XIV. Lapis apud Gruterum pag. CVI. 7. IMP. CAES. AUGUSTO. XIII. M. PLAUTIO SILVAN. COS. In mole ſepulchrali *Plautii Silvani*, via Tiburtina ad Pontem Lucanum apud Gruterum pag. CCCCLII. 6. M. PLAUTIUS. M. F. A. N. SILVANUS COS. VII. VIR. EPULON. *De A. Cæcina & Silvano Plautio Conſularibus*, Vellejus lib. II. Cap. CXII.

Suffecti *L. Caninius* & *Q. Fabricius*. In Tabulis Ancyranis L. CANINIO. ET Q. FABRICIO CONSULIBUS. Nempe ut interpretatur Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. II. cap. VIII. pag. 283. *L. Caninius Gallus*, *Kal. Juliis* magiſtratum iniit collega Auguſto Coſſ. XIII. in cujus locum *Kal. Octobris Q. Fabricius* ſuffectus fuit. Vellejus lib. II. Cap. C. *At in Urbe eo ipſo anno, quo magnificentiſſimis gladiatorii muneris naumachiæque ſpectaculis, D. Auguſtus, ab hinc annos XXX. SE ET GALLO CANINIO COS. dedicato Martis templo &c.* Faſti Idatii: *Octaviano XIII. & Silano*. Vindebonenſes: *Auguſto XIII. & Silvano*.

Auguſtum *tredecies* tantum *conſulatus* geſſiſſe, veteres nummi, lapides, & ſcriptores confirmant. Nummos, & lapides protulimus. E ſcriptoribus Suetonium afferamus, qui in vita cap. XXVI.

nato virilem togam daret, Conſulatum decimum tertium accepit, Auctor eſt Suetonius cap. 26. Auguſtum plures ſibi delatos Conſulatus recuſaſſe. *Duodecimum*, inquit, *magno*, id eſt, *ſeptemdecim annorum intervallo, & rurſus tertium decimum biennio poſt ultro petiit, ut Cajum & Lucium filios ampliſſimo praditus magiſtratu, ſuo quemque tirocinio deduceret in forum.* Auguſtus Lucium die virilis togæ Principem Juventutis ac Præfectum Tribus declarandum curavit, Conſulem etiam eundem ea qua Cajum Lege deſignavit, ut poſt quinquennium ex eo die, quo in forum ductus fuerat, magiſtratum iniret. Card. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2. pag. 219. Nummum Auguſti exhibet, in cujus poſtica legitur: C. L. CAESARES AUGUSTI F. COS. DESIG. PRINC. JUVENT. Cum itaque Lucius Cæſar ante Conſulatum XIII. Auguſti hoc anno geſtum Conſul deſignatus non fuerit, adeſſe non potuit Judicio poſt Herodis mortem habito, de quo anno elapſo loquuti ſumus: ideoque Herodes ante præſentem annum demortuus, ut ibidem dictum.

CLIV. *Opinio Onuphrii de Natali Christi.* Et tamen *Onuphrius Panvinius* doctiſſimus Faſtorum Conditor, Natale Chriſti ſub hujus anni Conſulibus conſignat, & a Kalendis Januariis anni ſequentis Eram Chriſtianam auſpicatur; quaſi unicuique liceret propriam Eram Chriſtianam condere, & Natale Chriſti proprium a Natali ejus communi, vulgari, ac Dionyſiano non diſtingueretur. Quare, ſicut Baronius biennio, ita ille anno uno veram Eram Chriſtianam anteverrit, nec in viam redit, niſi poſt inchoatum Probi Imperium, hujus Imperatoris, Paulino Collega, Conſulatu e Faſtis expuncto. Hinc Dionyſius Gothofredus qui Leges Codicis Juſtinianei anno Chriſti Onuphriano notavit, annum unum plus æquo uſque ad Imperium Probi numeravit: qui error ab iis cavendus, qui Codicem ab eo illuſtratum legunt.

CLV. *Cajus Cæſar ad bellum Parthicum deſtinatus.* Inter cætera, quæ huic Onuphrii ſententiæ officiunt, numerandum *bellum Parthicum* hoc anno decretum, forſanque inchoatum, Mediobarbus enim in Numiſmatis Imperatorum Romanorum pag. 39. Nummum Auguſti producit hac epigraphe inſignitum: AUGUSTUS PONT. MAX. TR. P. XXII. COS. XIII. IMP. XIIII. in poſtica: DE PARTHEIS. Repræſentatur thiara Parthica cum arcu & ſagittis, quæ ſunt Parthica inſignia & arma, ut inquit Mediobarbus. Auguſtus Tribunitiam Poteſtatem XXII. V. Kalendas Julias currentis anni ſuſcepit, ideoque & Cajum Cæſarem ad bellum Parthicum deſtinavit, iſque vel ſub hujus anni finem, vel inſequentis initio in Aſiam tranſmiſit. Neque enim ſerius Roma diſceſſit. Inſuper Velleius lib. 2. cap. 100. poſtquam de Naumachia ab Auguſto exhibita & de dedicatione Templi Martis locutus eſt, ait, tum detectam Juliæ Auguſti filiæ libidinem, poſt quæ *Cajus Cæſar* in Orientem miſſus eſt. Fuit is annus, ut ipſe Velleius exerte notat, ante Viniciii Conſulatum anno Juliano ſeptuageſimo quinto geſtum, triceſimus. Quare relegatio *Juliæ* præſenti anno ſcilicet Juliano XLIV. contigit. Ad hæc Macrobius Saturnal. lib. 2. cap. 5. inquit, Juliam, antequam patris gratiam perderet, annum ætatis XXXVIII. attigiſſe. Quamobrem, cum Dio lib. 48. teſtetur, eam in lucem editam *Coſſ. L. Martio & C. Sabino*, anno nempe Urbis 715. ſequitur, Juliam anno Urbis 752. qui cum anno Juliano XLIV. concurrit, ream peractam, & inter Macrobium ac Velleium hac in re egregie convenire, ut notat Card. Noriſius in Diſſert. 2. de Cenotaphiis Piſanis cap. 8. ubi de Juliæ exilio ſermonem habet. Denique Zonaras ex Dione cum narraſſet, togam virilem Lucio Cæſari ab Auguſto datam, quod hoc uno contigiſſe certum, addit: *Cum Armenii defeciſſent, & a Parthis juvarentur, ne te dolens, quid ageret, ambigebat, nam neque propter ſenectutem bellum gerere poterat, & Tiberius, ut dictum eſt, jam ſeceſſerat, &c.* Itaque Cajus poſt dejectum ſolio Artavaſdem, & virilem togam Lucio datam, ad bellum Armeniacum miſſus eſt.

CLVI. *Cujo Cæſari datur Imperium Proconſulare, & moderator juventu.* Addit Zonaras, *Cajum delegit, poteſtate Proconſulari, & uxore data.* Noriſius citatus pag. 289. obſervat ex Tacito lib. 4. Annal. uxorem Caji Cæſaris fuiſſe *Liviam* Druſi filiam, eandemque Liviæ Auguſtæ neptem, & Imperium Proconſulare Cajo traditum, quo eidem faciendi ea, quæ Conſules ac Prætores olim ad bellum gerendum profecti, agere poterant, videlicet milites ſcribere, pecunias exigere, ac ſumma cum poteſtate in Provinciis ſibi decretis verſari. Baronius Cajum Cæſarem inter Syriæ Proconſules numerat. Verum Cajo delatum fuit Imperium Proconſulare extraordinarium non in unam ſolam Syriæ Provinciam, ſed in univerſas regiones Orientis, quæ Romano Imperio parebant. Et ne Cajus tanto ſibi imperio delato impotenter uteretur, *M. Lollium* Virum Conſularem ac Orientis Provinciis notiſſimum, ejuſdem juventæ Rectorem impoſuit. (Baron. in Apparatu n. LXXXVI) Baronius ſcribit, Cajo Cæſari adhuc adoleſcentulo ad bellum Armenicum proficiſcenti *datum Rectorem P. Sulpicium Quirinum*. (Baron. ibid.) Cujus rei Tacitum auctorem laudat. Sed, ut animadvertit Card. Noriſius ibidem, nuſquam hæc Tacitus ſcripſit. Hæc lib. 3. Annal. ait de Sulpicio Quirino: *Datuſque Rector Cajo Cæſari Armeniam obtinenti:* nempe poſt exactum fere triennium, cum jam Cajus Arabia luſtrata, ac bello Parthico pace compoſito, Armeniam ad obſequium reduxiſſet. Velleius, qui in exercitu Caji Cæſaris milita-

NOTÆ XXVI. habet: *& rurſus tertium decimum* (conſulatum) *biennio poſt ultro petiit, ut Cajum, & Lucium filios ampliſſimo praditus magiſtratu ſuo quemque tirocinio deduceret in forum* Tacitus Annal. lib. I. cap. III. *NUMERUS etiam CONSULATUUM AUGUSTI celebrabatur, quo VALERIUM CORVINUM, & C. MARIUM SIMUL ÆQUAVERAT. Marii* conſulatus *ſeptem* fuere, Valerii *Corvini ſex*. De *Corvini* conſulatibus Plinius lib. VII. cap. XLVIII. *M. Valerius Corvinus*, inquit, *centum annos implevit, cujus inter primum, & ſextum conſulatum XLVI. anni fuere.* Papinius Statius quoque *tredecim* tantum *Auguſti conſulatus* enumerat: Sic enim Silvan. lib. IV. 1. cecinit

TER Latio *DECIESQUE tulit, labentibus annis*
AUGUSTUS FASCES, ſed cœpit ſero mereri.

Auſonius denique in ſua gratiarum actione pro conſulatu: *Te videre ſæpius in hoc magiſtratu, Gratiane, deſidero, ut & SEX. Valerii Corvini, & SEPTEM C. Marii, & cognominis tui Auguſti TREDECIM CONSULATUS, unus æquiparet.*

Auguſtus hoc anno Nonis Februarii *Pater Patriæ*, quum ageret Trib. Pot. XXI. a Senatu populoque Romano appellatus eſt. Vide ea de re Noriſium in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. II. cap. VIII. pag. 176. 177. quamquam fatetur pag. 179. annum Decreti Auguſto titulo *Patris Patriæ*, ex Prænestina Inſcriptione apud Gruterum pag. CXXXVI. 2. non adeo certo deduci poſſe.

bat, unios Lollii meminit, ſicuti & Suetonius in Tiberio cap.12. De hac Caji Cæſaris expeditione plura anno ſequenti. Cum itaque Chriſtus toto Orbe in pace compoſito natus fuerit, veroſimile non eſt, Natale ejus in hunc annum incidiſſe,

Anno Periodi Græco-Romanæ 5493. Cyclo Solis 9. DC. Lunæ 2. Indict. 3. Mundi 4004. Urbis conditæ 753. Ante Chriſtum 2. Juliano 45. Auguſti 44. Mundi ſecundum Alexandrinos 5503. Incarnationis ſecundum Alexandrinos 3. ſecundum Conſtantinopolitanos 5509. Incarnationis ſecundum eoſdem 3.

CLVII. *Natale Dionyſianum.*

Coſſ. *Cornelius Lentulus*, & *L. Calpurnius Piſo*. [1] Eccleſia Occidentalis, quæ primum Chriſti annum a Conſulatu Caji Cæſaris & M. Æmilii Pauli, annoque Juliano XLVI. exorditur, Chriſtum hoc anno natum ſupponit, minime curans quot ante Chriſtum annis reipſa ſit Mundus a Deo conditus, neque judicium ſuum ad eas tricas & minutias diſceptandas interponens; hoc annorum computo, qui vulgo receptus eſt, contenta, ut inquit Petavius lib.12. de Doct. Temp. cap.4. Verum quidem eſt, Dionyſium, Bedam, & Computiſtas vetuſtiores anno uno Natale Chriſti tardius poſuiſſe, & computum noſtrum illorum computum uno anno præcedere, ac quem nos a Nativitate numeramus annum, hunc illos ab Incarnatione putaſſe. Sed a pluribus ſæculis annus primus Chriſti a Natali ejus, ſeu *VIII. Kalend. Januarii*, non vero, ut antea, a verno tempore, quo Chriſtus incarnatus eſt, deductus fuit. Ad quod initium aſſequendum, cum menſes IX. eximendi forent de epocha priſtina Incarnationis Dominicæ, ternis potius menſibus anticipata fuit. Itaque dies ille XXV. Decembris anni Juliani XLV. qui Incarnationis annum primum, atque ideo primum Chriſti annum antecedit, Natali Chriſti præſtitutus eſt, ut deinceps natus diceretur anno illo deſinente, qui Chriſtianam Eram proxime præcedit, Cyclo Lunæ I. quod Notariorum errori Paulus Foroſempronienſis adſcribit, parte 2. lib. 4. Prior illa *Incarnationis* Era, poſterior *Nativitatis* appellatur, ut obſervat ibidem Petavius cap. 1. Quando itaque dicimus, hunc annum in quo verſamus, eſſe annum Chriſti 1688. ſupponimus, eum præſenti anno in lucem prodiiſſe; ideoque tam Annales Eccleſiaſtici, quam quicumque alii, in quibus Era Chriſtiana uſurpatur, primum Chriſti annum ab anno Juliano XLVI. auſpicari debent, ab eo ſcilicet qui ſequitur Natale Chriſti Dionyſianum, vulgare, ſeu commune.

Natale Chriſti proprium male ab hoc anno deſumtum,

Philippus Labbeus, Jacobus Grandamicus, aliique quidam Natale Chriſti in hunc annum conferunt, quod Eccleſia eundem elegerit, Summique Pontifices in Bullis ac Reſcriptis hac dinumeratione utantur. Verum recens hæc Pontificum conſuetudo, & ante paucos annos, auctore Blondo Forolivienſi, qui Pontificii Collegii a ſecretis Notarius erat, admiſſa, Eugenio IV. Pontifice. Antea enim ſoli Pontificum anni in literis adſcribebantur. Præterea Era Incarnationis ſecundum Alexandrinos ab Eccleſia Alexandrina adhibita, longe antea quam Dionyſiana inſtituta.

CLVIII. Illam opinionem, inter alia multa, convellit expeditio *Caji Cæſaris* in Orientem, quæ vel ſub præcedentis anni fine, vel hujus initio ſuſcepta; ideoque & *Jani fores recluſæ*. Cajus per Græciam in Aſiam tranſmiſit; cumque *Samum* trajeciſſet, ac claſſem adornaret, fœderatorum Regum Legationes excepit, qui copias & commeatus eidem pollicebantur. Suetonius cap.12. ſcribit, *Tiberium* Caji Cæſaris privigni ſui ſalutandi gratia, Rhodo Samum navigaſſe. Dio vero in Fragmentis lib.55. ait: *Caja autem ad bellum Armeniacum miſſo, Tiberius in Chium profectus, ei ſe ſubmiſit*. Hic Caji Cæſaris cum Tiberio congreſſus, ſive apud *Samum*, ſive apud *Chium* contigit, inquit Card. Noriſius Diſſert. 4. de Cenotaphiis Piſanis cap.10. anno Juliano XLV. præſenti ſcilicet, Suetonius enim cap.11. narrata relegatione Juliæ, quam anno præcedenti conſignavimus, ſcribit: *Tranſacto autem Tribunitiæ Poteſtatis tempore, confeſſus tandem nihil aliud ſeceſſu devitaſſe ſe, quam æmulationis cum Cajo Lucioque ſuſpicionem, petiit ut ſibi ſecuro ab hac parte, corroboratis his, & ſecundum locum facile tuentibus, permitteretur reviſere neceſſitudines, quarum deſiderio teneretur. Sed neque impetravit*. Tiberius anno Urbis 748. Tribunitiam Poteſtatem in quinquennium ab Auguſto accepit, ut dixi. Quare Tribunitiæ Poteſtatis quinquennio hoc anno tranſacto, Romam redeundi facultatem ab Auguſto per literas petiit, nec impetravit. Tum Suetonius ab his caput inſequens 10. exorditur: *Remanſit erga Rhodi contra voluntatem: vix per matrem conſecutus, ut ad velandam ignominiam, quaſi Legatus ab Auguſto abeſſet. Enimvero tunc non privatum modo, ſed etiam obnoxium & trepidum egit, mediterraneis agris abditus, vitanſque prænavigantium officia, quibus frequentabatur aſſidue*. Et poſtea: *Et acceſſerunt majoris ſollicitudinis cauſa, videlicet cum Samum ad Cajum privignum tranſmittens, illum alieniorem ſibi ſenſit ex criminationibus M. Lollii Comitis & Rectoris ejus*. Ac denique cap.13. *Et armorum ſolitas exercitationes omiſit; redegitque ſe, depoſito patrio habitu, ad pallium & crepidas, atque in tali ſtatu* BIENNIO *fere permanſit, contemtior in dies & inviſior*. At ex Vellejo conſtat, *Tiberium* Romam reverſum anno Urbis 755. adhuc Lucio Cæſare ſuperſtite, qui ex Inſcriptione Piſana obiit circa menſem Auguſti ejuſdem anni. Ex quibus infert Card. Noriſius, Tiberium circa æſtatem hujus anni depoſita toga, ad pallium ac crepidas ſe redegiſſe, ut BIENNIO FERE in tali ſtatu permanſiſſe dici poſſit, antequam Romam reverteretur: & præterea perperam Baronium ſcripſiſſe, Cajum Cæſarem anno Urbis 748. præfectum fuiſſe Syriæ totique Orienti, eique datum Rectorem P. Sulpicium Quirinium.

Expeditio Caji Cæſaris in Orientem.

Baron. in Apparatu n.LXXXIV

CLIX. *Quo anno pax cum Parthis ſancita,*

Euſebius in Chronico ſecundum editionem Pontaci, anno Abrahami bis milleſimo decimo quarto, qui Kalendis Octobris anni Juliani quadrageſimi ſecundi initium ſumit, ait, *Cæſar amicitiam cum Parthis facit*, quod in editione Scaligeriana conſignatur anno Abrahami 2016. Verum pax ea anno tantum Urbis 755. ſancita, ut Card. Noriſius citatus pag.155. docte demonſtrat. Nam tamquam certum ſtatuendum, eo Urbis anno Tiberium circa menſem Julium Romam adveniſſe; cum ex Vellejo Romam reverſus ſit ante obitum *Lucii Cæſaris*, qui acerbo fato ſublatus eſt menſe Auguſto ejuſdem anni, uti ex Piſano Cenotaphio colligitur. Præterea Dio ſcribit, *Tiberium Rhodum* receſſiſſe anno Urbis 748. cui ſuffragatur Suetonius in Tiberio cap.

NOTÆ [1] Coſſ. *Cornelius Lentulus*, & *L. Calpurnius Piſo*. Tabula Ananina. COSSO. CORNELIO. L. PISONE. C.... Gruterus pag. CVII. 1. 2. & CLXVI. 3. COSSO. CORNELIO. LENTULO. L. PISONE. AUGURE. COS. Faſti Idatii: *Lentulo*, & *Piſone*. Ita & Vindebonenſes,

cap. 14. ubi ait: *Rediit octavo poſt ſeceſſum anno*; Vellejus vero lib. 2. qui Tiberii ſeceſſum anno uno tardius quam Dio collocat, (ut probat Noriſius citatus pag. 510.) inquit: *Septem annos Rhodi moratus*, additque, rediiſſe, *P. Vinitio Conſule*. Quare conſtat, Tiberium Romam reverſum anno Urbis 755. quo Vinitius Conſul fuit. Auguſtus priuſquam illum revocaret, ea de re Caji placitum per literas quæſivit. quas Cajus tum accepit, cum *Lollio offenſior* eſſet, & quidem adhuc ſuperſtiti, ex Suetonio in Tiberio cap. 13. nempe eo tempore, quo colloquio cum Phraate Parthorum Rege obſignandæ pacis gratia habito, Lollii toto Oriente actas rapinas intellexit. Vellejus enim de ea pace loquens inquit: *Prior Parthus apud Cajum in noſtra ripa, poſterior hic apud Regem in hoſtili epulatus eſt. Quo tempore Marci Lollii, quem veluti Moderatorem juventæ filii ſui Auguſtus eſſe voluerat, perfida & plena ſubdoli ac verſuti animi conſilia per Parthum indicata, Cæſaris ora evulgavit*. Itaque menſe Maio pax cum Parthis redintegrata eſt, ac Cajus ſub idem tempus Auguſto reſcripſit, placere ſibi, ut Tiberius Romam rediret. *Deſtinatum* enim Auguſto *erat*, ait Suetonius cap. 13. in Tiberio, *nihil ſuper ea re, niſi ex voluntate majoris filii ſtatuere. Is forte* TUNC *M. Lollio offenſior, facilis exorabiliſque in vitricum fuit. Permittente ergo Cajo, revocatus eſt: verum ſub conditione, ne quam partem, curamve Reipublicæ attingeret*. Teſtatur etiam Vellejus, Lollium *intra paucos dies* poſt colloquium Caji Cæſaris & Phraatis Parthorum Regis extinctum; & antequam Caji litteræ Romam ad Auguſtum ex Syria deferrentur, & Tiberius Romam perveniret, aliquot tantum menſium ſpatium tranſactum eſt, ut animadvertit Card. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Caji & Lucii Cæſarum, ubi ejuſdem Caji Hiſtoriam, quæ ad Annales Eccleſiaſticos per ea tempora, quibus Chriſtus natus, illuſtrandos corrigendoſque plurimum confert, egregie explicavit. Scaliger quidem in Animadverſionibus Euſebianis ad num. 2016. exiſtimabat, Inſcriptionem Piſanam Caji commentum eſſe, & qui eam excogitarint, nequidem *veriſimiliter* mentitos eſſe; ſed ſi doctiſſimas in utramque Inſcriptionem Noriſii Diſſertationes vidiſſet, ſententiam illam ſine dubio damnaſſet. Ex his liquet, Chriſti Nativitatem, quæ pacis univerſalis tempore contigit, in hunc annum non contigiſſe.

Spondanus in fine Apparatus dicit, petiiſſe ab ſe aliquos, ut Annales in epitomen redigens, eoſdem etiam emendaret, & a vera *Era Dionyſiana*, non vero ab anno Urbis ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo cum Baronio, inchoaret; ſed non placuiſſe ſibi conſilium illud, quod ſint, quibus ea etiam *Baronii computandi ratio* probetur, & nihil in temporum Hiſtoria uſquequaque certum ſit. Verumenimvero quibus initium Eræ Dionyſianæ ab anno præcedenti, anno nempe Urbis 752. deſumtum probatur, parum certe illi in Chronologia fundati, & in doctrina Cyclorum Solis, Lunæ & Indictionis, qui fallere non poſſunt, peregrini; neque dubito, quin ſi Baronius ea quæ poſt mortem ejus ſcripta, vidiſſet, uti erat veritatis amantiſſimus, Annales Eccleſiaſticos ab anno Urbis 754. exorſus fuiſſet, & Chronologiam ſuam ipſemet in multis reformaſſet. Quod ſubjungit Spondanus, Chronologos in multis inter ſe non conſentire, neminem movere debet: nam in Chronologia, quemadmodum & in aliis quibuſcumque ſcientiis ac facultatibus, quædam certa, quædam tantum probabilia, quædam prorſus obſcura, incertaque. Eram Chriſtianam, ſeu communem & Dionyſianam, quam Baronius ſe ſequi profitetur, initium ſumere a Conſulatu Caji Cæſaris & L. Æmilii Pauli, annoque Urbis 754. certiſſimis demonſtrationibus conſtat; ideoque in controverſiam a nemine revocari poteſt. Natale vero Chriſti eo quo Baronius conſignavit anno, vel citius aut tardius contigiſſe, hoc merito in dubium vocatur. Quare Era Dionyſiana, cujus principium certiſſimum, tenenda, id eſt, anno, quo reapſe illam Eccleſia Latina auſpicatur, incipienda; Natalis vero Chriſti annus, qui incertus, (cum tot ſint diverſæ de eo ſententiæ) quique ab ejuſdem Eræ Dionyſianæ exordio minime pendet, ſecundum probabiliorem opinionem explicandus; duplexque Chriſti Natale, proprium ſcilicet, & vulgare ac Dionyſianum, ſemper præ oculis habendum. Quare optandum fuiſſet, ut doctiſſimus Præſul, cui tantum Eccleſia debet, Annales a Conſulatu Caji Cæſaris & L. Æmilii Pauli inchoaſſet, præcipuoſque errores Chronologicos non abbreviaſſet, ſed ſuſtuliſſet; cum, ut vulgo dicitur, miſerum ſit veſci glande, inventis frugibus; & aliunde incertorum temporum ignoratione ſatis plerumque implicata ſit Hiſtoria.

CLX. *Annales a vera Era Dionyſiana neceſſario inchoandi*.

Spondan. in Apparatu n. XXXVIII.

APPEN.

Digitized by Google

APPENDIX

ad Notas ſæculi IV. continens anecdota quædam monumenta ad illuſtrandam ſæculi IV. Hiſtoriam eccleſiaſticam aptiſſima.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Admonitio prævia.

CUM ſerius ultra quam fieri potuit ad me pervenerit tomus tertius Operis, quod Veronæ non ante multos annos excudi cœptum, per idonea temporum intervalla novo ſemper volumine augetur; cum, inquam Operis illius volumen tertium inſcriptum Oſſervazioni letterarie tomo III, Verona MDCCXXXVIII. tandem legendum ſuſcepiſſem; ecce nihil ejuſmodi ſperanti, occurrerunt pretioſa nonnulla antiquitatis monumenta anecdota, quibus ſæculi quarti hiſtoria eccleſiaſtica emendanda, augenda, illuſtranda ſuppetebat. Sed illud accedebat incommodi, noſtram hanc Annalium editionem ultra ſæculum illud jam proceſſiſſe; paſſimque inter doctos emptores diſſipatis voluminibus, nullam ſuccurrere rationem, qua hiſtoria illa refingi ac reformari potuiſſet. In ea rerum anguſtia conſilium aſſumpſi, quod optimum reputaveram, nimirum ut vetuſta hæc documenta integra darem in hoc volumine, quod licet cætera præcedit ordine; nonniſi tamen provecto jam opere excudi cœptum fuit, id exigente monumentorum, quæ hic exhibenda erant, parandorum difficultate.

Igitur munus iſtud, quod antiquitatis eccleſiaſticæ ſtudioſis pergratum fore confido, eruditioni ac diligentiæ Cl. Scipionis Maffei acceptum referendum eſſe omnes norunt, quos non latet Veronenſia illa volumina eodem Viro doctiſſimo authore in lucem proferri. Ex præmiſſa vero monumentis hiſce præfatione diſcimus, excerpta hæc in unum Codicem retuliſſe Theodoſium quemdam Diaconum, qui nomen ſuum poſtremæ pagellæ ſubjecit. Primum autem quod legendum in eo Codice afferebatur, fragmentum erat hiſtoriæ ſchiſmatis Meletiani, in qua, more Veterum, epiſtolæ & id generis authentica documenta intertexta ſunt. Perſimilem de re Arriana hiſtoriam ſcripſit pariter S. Hilarius Pictavienſis; ut ex eo, quod adhuc ſupereſt, fragmento intelligimus. An vero hoc quod ex Veronenſi codice vulgatur fragmentum ejuſdem Operis Hilariani portio ſit, in quam ſententiam Maffejus inclinat, Lectorum judicia permitto. Illud conſtat; veterem eſſe ex Græco tranſlationem; cujus cum appareant indicia non in epiſtolis tantummodo, quæ ex alieno recitantur, ſed in iis etiam, quæ Hiſtoricus de ſuo adjecit; hac non inani conjectura deduceremus, authori longe diverſo a S. Hilario latino ſcriptore deberi. Sed hæc alii. Porro ex hoc veteri documento erroris arguitur Baſnagius Annalium Eccleſiaſticorum ſcriptor, qui Ægyptios illos epiſcopos Heſychium, Pachomium, Theodorum & Phileam, quorum pariter meminit Euſebius Hiſtoriæ Eccleſ. lib. 8, cap. 13, nonniſi poſt Petrum Alexandrinum martyrium ſubiiſſe contendit. Epiſtolam, quæ in hoc fragmento recitatur, datam fuiſſe a viris illis Sanctiſſimis in ipſo cœpti ſchiſmatis exordio Maffejus aptime animadvertit. Sed quis annus exorientis ſchiſmatis definiendus eſt? Pagius annum 300. vel 301. aſſignat; Baronius annum 306. circiter malait. Sed Baronii ſententia valido hoc argumento fulcitur: S. Athanaſius Orationem ſuam priorem dediſſe ſe in ea ſignificat anno 36, ex quo Arriani judicio œcumenicæ Synodi damnati & ab Eccleſia ſegregati fuerant. Quæ verba de Nicæna Synodo anno 325. celebrata accipienda eſſe, vix dubito. Hinc ſcriptæ orationis annus 361. reſultat. Sed in ea pariter Oratione Meletianos ante annos 55. cœpiſſe notat; ex quo illud conſequitur, Meletianorum exordium cum anno 306, quæ Baronii eſt ſententia, illigandum eſſe. Noſtra pariter epiſtola Baronio nonnihil ſuffragatur; cum indicet Meletium in aliena diœceſi Presbyteros ordinantem, audaciam hanc ſuam ſeu ſchiſma (hoc enim ſchiſmatis exordium fecit) cauſatione hac excuſaſſe, quod nimirum furente perſecutione Diocletiani laborantibus populis miniſtri providendi eſſent. Cœpit igitur Meletii ſchiſma quo tempore Diocletiani perſecutio jam furebat. Diocletianus in Chriſtianos ſævire anno 303. exorſus fuit. In altera vero, quam hoc idem fragmentum ſuppeditat, epiſtola a S. Petro Alexandrino data, legimus virum illum ſanctum interdixiſſe Alexandrinis eam Meletii communionem; interim vero occurſurum ſe illi ſcribit cum ſapientibus viris, & viſurum quæ ſunt, quæ cogitavit. Quæ verba non obſcure deſignant Syno-

dum

dum Alexandrinam, quam Petrus in Meletium cogere ſtatuerat; quam re ipſa demum habuit teſte S. Epiphanio, & cum Patribus in ea coactis Meletium damnavit. Hinc diſcas Alexandrinam Synodum non niſi poſt annum 306. coiviſſe.

Meletiano fragmento ſubjungitur epiſtola Concilii Sardicenſis ad Mareoticae Eccleſias, quam Patres Concilii ſubſcriptione ſua communiunt. Præcedit cæteris Oſius, utpote legatione Romani Pontificis cæteris omnibus, vel ipſi quidem Athanaſio Alexandrino præſtantior. Huic epiſtolæ adnectitur altera S. Athanaſii ad ſubjectam ſibi ut Patriarchæ & ut Epiſcopo Mareoticam Eccleſiam, cui pariter Sardicenſes Epiſcopi nomina ſua adjungunt. Deſinunt ſubſcriptiones iſtæ Epiſcoporum in Maximo; nam quæ dein leguntur verba: Per Epiſtulas de Gallis, mihi quidem perſuaſum eſt deſignare literas alias a Collectore hic prætermiſſas ad Gallicanas forte Eccleſiae directas, quas adiectis nominibus ſuis Sardicenſes Patres firmarint. Subſcriptiones Patrum non vero Epiſtola hic ſervatur. Neque enim admittendam cenſeo conjecturam Maffej, qui hos pariter Epiſcopos ad ſuperiorem S. Athanaſii Epiſtolam pertinere ſuſpicatus fuit. In ſecunda enim hac ſerie plura recurrunt Epiſcoporum nomina, quæ cum in priori pariter legantur, eoſdem Epiſcopos indicare videntur. Cum vero omnia hæc Epiſcoporum nomina in actis vulgatis Concilii Sardicenſis ſeſe offerant; hinc facta alterius cum altero monumento collatione, menda, quæ utrimque irrepſerunt, emendantur. E. g. Florentius, qui in noſtro monumento Meriæ Panhoniæ Epiſcopus eſt, Emeritæ Hiſpaniæ, ut ex actis Sardicenſibus conſtat, Præſulem agebat. Deceperunt forte imperitum Collectorem M. S. Codicis male picti characteres, qui Meriæ pro Emeritæ vel forte Emeriæ, & Pan pro Span, ut ſcribendi rudis illius ætatis ratio ferebat, lectionem ſuppeditarunt. Epiſcoporum quorumdam diœceſes alias ignotæ, hinc tandem diſcuntur; Hipeſius de Hypatia Theſſalonicæ, Amatius Viminlaci &c. Perſimilem aliam epiſtolam, hic pariter legendam dedit S. Athanaſius ad Eccleſiam per Alexandriam & Parembolam, quo poſtremo nomine hic deſignari non quidem Sicnæ proximum tractum ab Alexandria plus nimio remotum, ſed urbem ultra Mareotidem, in Ammonitica ſitam, a Ptolemæo Ἀλεξάνδρου Παρεμβολή appellatam, Maffejus arbitratur.

Anecdotis hiſce finem & coronam imponit Chronicon quoddam acephalum, Authoris quantum conjectura aſſequi licet, æqualis, res Athanaſianas & Alexandrinas per annos fere ſingulos perſequens. Multa ex eo commoda ad terminandas acerrimas Eruditorum lites referuntur; ſed & majora referri potuiſſent, ſi Theodoro Diacono horum monumentorum collectori & puriores codices ſuppetiiſſent, qua de re in adnotatione quam codici ſuo ſubjecit, conqueritur; & ipſe vitium quod aliis exprobrat, diligentius evitaſſet. Si tamen menda in numerales notas excipias; quæ in re malum eſſe inſanabile fateor; cætera facile corriguntur; quin & ſæpe accidit, ut aberrans annorum numerus ex adjectis Conſulibus in viam reducatur. His ergo neglectis, in quibus mendoſus eſt Codex, multa ſunt, quibus chronologia Athanaſiana in nonnullis deformata refingitur, illuſtratur, dirigitur. Epocham Epiſcopatus Athanaſiani Pagius ab anno 326. repetit; ſed biennio aberrare virum doctum promovendamque ad annum 328. ex eo conſtat, quod ex fide noſtri Chronici anno 368; Valentiniano II, & Valente Coſſ. annum ab initio Epiſcopatu 40. Athanaſius abſolvit; vitamque inde prorogavit ad annum uſque 373. diem III. Maij, quem annum emortualem Pagius feliciter aſſequutus fuit. Incerta pariter hucuſque vagabatur dies, qua Athanaſius Epiſcopalem ordinationem accepit; illam vero Codex noſter determinat, indicans die XIV. Payni, nempe die VIII. Junii anni 368. periodum annorum quadraginta compleri; ex quo conficitur Athanaſium epiſcopali cathedræ admotum fuiſſe anni 328. die IX. Junii, quæ cum anno illo in Dominicam caderet epiſcopali ordinationi conferendæ auſpicatiſſima habebatur. Hinc colliges ab obitu Alexandri ad Athanaſii inſtitutionem biennium integrum effluxiſſe; neque enim Alexandri obitus ab Aprili menſe anni 326. retrahi poteſt. Id ſi admiſerimus, locus ſupereſt ut Alexandrum inter & Athanaſium Theonæ, & Achillæ Epiſcopatum conſtituamus, quod cum præſtiterit S. Epiphanius, ægre hucuſque ab eruditis admiſſum fuit. Veteres illos, qui apud Pagium Athanaſiano Epiſcopatui annos ſex ſupra quadraginta aſſignant, incompletos utriuſque annos pro more veterum Chronologorum ſupputaſſe oportet. Gregorius Alexandrinæ cathedræ invaſor neci traditus fuit die XXIV. Decembris anni 361; & ſequentis anni 362. die XXI. Februarii Athanaſius rediit Alexandriam, quamquam utrumque eodem anno accidiſſe Pagius ſcribit. Valentiniani in Epiſcopos ſub Juliano reſtitutos edictum latum fuit non quidem anno 367, ut male Pagius ad annum 370. 3. cenſuit; ſed anno potius 365. Dies ordinationis Petri in Epiſcopum Athanaſii ſucceſſorem, quam nemo veterum prodidit, conſtituit Author noſter, illigatque diei XXVIII. Aprilis; nempe V. ante Athanaſii obitum, quæ ſane Dominica erat, & epiſcopali ordinationi pro veteri Eccleſiæ diſciplina congruens. Multa ſunt ejuſmodi, quæ noſtri Chronici ope corrigi poſſent; ſed cum facile id per ſe lector quiſque eruditus præſtet; ideo manum e tabula libenter retraho.

HISTO-

HISTORIÆ

FRAGMENTUM DE SCHISMATE MELETIANO.

Initium Epiſtulæ Epiſcoporum. Heſichius, Pachomius, Theodorus, Phileas, Meletio dilecto, & comminiſtro in Domino ſalutem.

SImplici ratione incerta verba æſtimantes, quæ de te audiebantur, quibuſdam id nos pervenientibus nuntiatur aliena a more divino, & regula eccleſiaſtica, quæ a te conantur, immo magis fiunt, quæ nec auribus ſuſcipere vellemus, conſiderantes in magnitudine audaciam, & conatus incertos. Sed quoniam in præſentia advenientes multi his fidem impoſuerunt, & conteſtati facta non dubitabant, omnis admirantes compulſi ſumus has litteras conſicere ad te: qualem etiam commotionem, & triſtitiam communiter omnibus, & ſingillatim unicuique, præbuit a te facta ordinatio in parœciis ad te minime pertinentibus, nec dicere etiam prævalemus. Pauca tamen te arguentes non ceſſavimus. Lex eſt patrum, & propatrum, quam nec ipſe ignoras; conſtituta ſecundum divinum & eccleſiaſticum ordinem: nam cuncta pro Dei placito, & zelo meliorum. Ab ipſis eſt conſtitutum, & fixum, in alienis parœciis non licere ulicui Epiſcoporum ordinationes celebrare; quæ lex bene nimis magna eſt, & cum ſapientia adinventa. Quoniam primum oportet converſationem, & vitam eorum qui ordinantur, cum magna ſcrupuloſitate ſcrutari: deinde, ut omnis confuſio & turbolentia auferatur, vix enim unuſquiſque parœciam regere poterit ſuam, & magna ſollicitudine, multiſque cogitationibus miniſtros reperire, cum quibus omne tempus vitæ tranſegit, & in manibus ejus ſunt educati. Tu autem nihil horum conſiderans, nec futura contemplans, nec beatorum patrum noſtrorum, & Chriſto ſuſceptorum per ſucceſſiones legem; neque magni Epiſcopi, ac patris noſtri Petri honorem, ex quo cuncti per ſpem, quam habemus in Domino Jeſu Chriſto, pendemus; nec noſtris incarcerationibus, & temptationibus, & condianis ac multiplicatis opprobriis, neo oppreſſionibus, & anguſtia apud omnes placatus, omnia pariter evertere auſus es. Pro quibus quæ tibi excuſationis occaſio relinquetur? Sed forſitan dices: egentibus gregibus, ac deſolatis, paſtore non ſubſiſtente, ne multorum incredulitate multi ſubtrahantur, ad hoc perveni. Sed certiſſimum eſt, illos non egere: primum quia multi ſunt circumeuntes, & potentes viſitare: deinde etſi quid ab ipſis negligentius agebatur, oportuerat ex populo properare, ac nos exigere merito. Sed ſciebant ſe miniſtrorum non eſſe egenos: & ideo ad hos petendos non pervenerant. Sciebant, quod monentes eos ab hac inquiſitione aut dimittebamus, aut cum omni ſcrupuloſitate fiebat quod utile videbatur; fiebat enim ſub arguente, & in manibus probitate conſtituta cogitabatur. Tu autem tam viliter quorumdam conſiderans deceptiones, & inania verba, ſubreptus ad ordinationes proſiluiſti. Si enim adſtringebant circumſtantes te, & compellebant ignorantes ordinem Eccleſiaſticum, oportuerat te ſequentem regulam literis nos edocere, & ita quod expedire videbatur, fiebat. Si forte perſuadebant tibi quidam dicentes, de nobis finem eſſe factum (quod nec tibi ipſi erat ignotum, quod eſſent multi euntes, & redeuntes ad nos, qui poterant viſitare) etſi hoc fuiſſet, oportebat te majoris Patris exſpectare judicium, & hujus rei permiſſionem. Sed horum nihil cogitans, & aliud ſperans, immo magis noſtri curam non gerens, Præpoſitos quoſdam populo providiſti: nam jam cognovimus, & ſchiſmata fuiſſe, quod multis tua diſplicuit irrationabilis ordinatio. Ad hæc nec beatiſſimi proviſoris, & induti Chriſtum omnium noſtrum Apoſtoli Pauli verbum ſuſtit morari, & propoſitum facile contemnere; qui ſcribens acceptiſſimo filio Timotheo, dicit: *manus nemini cito impoſueris, nec communicaveris peccatis alienis:* pariter ſuam erga illum demonſtrans providentiam, & exemplum, ac legem quæ cum omni ſcrupuloſitate & cautela eligantur ordinandi. Adnuntiamus impoſterum tibi, ut regulæ tutum & ſalubrem terminum confirmare ſtudeas.

In mſ. communionem. — *In mſ. chriſmata.* — *1. Tim. V. 22.* — *In mſ. ordinando adnuntiat,* — *in mſ. ſtudetur.*

Finis Epiſtulæ Epiſcoporum.

HAnc Epiſtolam poſtquam ſuſcepit, & legit, nec reſcripſit, nec ad eos perexit ad carcerem, nec ad beatum Petrum iit: omnibus autem his Epiſcopis, Presbyteris, ac Diaconibus Alexandriæ apud carcerem martyrium paſſis, ingreſſus eſt ſtatim Alexandriam. Erat autem in Civitate quidam Iſidorus nomine, moribus turbulentus, Doctoris habens deſiderium; & Arius quidam habitum portans pietatis, & ipſe Doctoris deſiderium habens. Hi poſtquam cognoverunt cupiditatem Meletii, & quid eſſet quod requireret, ſuccurrentes ei, invidentes ſcilicet Pontificatum B. Petri, ut cognoſcatur concupiſcentia Meletii, Presbyteros, quibus dederat poteſtatem B. Petrus de parœcia viſitare Alexandriam, latentes Meletio demonſtraverunt. Commendans eis occaſionem Meletius, ſeparavit eos, & ordinavit ipſe duos, unum in carcere, & alium in Metallo. His agnitis, B. Petrus cum multa patientia populo ſcripſit Alexandrinis Epiſtulam hoc modo.

f. & cognoſcentes concupiſcentiam.

Initium Epiſtulæ Domini Petri Epiſcopi Alexandriæ.

PEtrus in fide Dei ſtabilitis dilectis fratribus in Domino ſalutem. Quoniam cognovi Meletium nihil per utilitatem (cui nec beatiſſimorum Epiſcoporum ac Martyrum Epiſtola placuit) ſed inſuper ingreſſum noſtram parœciam tantum ſibi adſumpſiſſe, ut etiam ex mea auctoritate Presbyteros, & quibus permiſſum erat egentes viſitare, conaretur ſeparare, & indicium ſuæ cupi-

ſuppl. agere.

cupiditatis in Principatu, quoſdam ſibi ordinaſſe in carcere; modo illud obſervate, ne ei communicetis, donec occurram illi cum ſapientibus viris, & videam quæ ſunt quæ cogitavit. Valete.

Concilii Sardicenſis ad Mareoticas Eccleſias Epiſtola.

SAncta Synodus ſecundum Dei gratiam collecta Sardicæ, Eccleſiis Dei apud Mareotam cum Presbyteris, & Diaconibus in Domino ſalutem.

Etiam ex his, Fratres dilectiſſimi, quæ ad Alexandriam per fratres directa ſunt, ſcire poteſtis quæ apud ſanctam & magnam Synodum ſecundum Dei gratiam Sardicæ collectam, ſunt actitata; ſed quia & vos ſcripſiſtis, intolerabilia ſuſtinuiſſe ab impiiſſimis hæreticis, quorum eſt princeps peſſimus Gregorius, hanc ob cauſam ſcribere, & ad veſtram reverentiam neceſſarium ſancta Synodus æſtimavit; ut iis conſolati, magis ac magis habentes in Deo ſpem, futuram promiſſionem repoſitam diligentibus Chriſtum conſequamini. Si igitur paſſi eſtis mala, nolite contriſtari, ſed magis gaudete, quoniam & vos meruiſtis pro nomine Domini injurias tolerare. Si vero carceres, & vincula, & factiones tolerastis, hæc vos non contriſtabunt: hæc enim & ante vos Patres ſuſtinuerunt, quorum unus eſt beatus Paulus, propter quod & *vinctus* vocatus. Audivimus quanta & Ingenius Presbyter paſſus eſt, & doluimus quidem propter injurias; libenter autem accepimus ſacram ejus voluntatem, quoniam propter Chriſtum cuncta ſuſtinuit. Si igitur adhuc vos premunt, quæ putatur triſtitia eſſe, in gaudium convertatur. Scripſimus enim piiſſimis Imperatoribus, ut ne de cætero talia committantur adverſum Eccleſias; & credimus, quod Dominus faciet per religionem humaniſſimorum Imperatorum, ut & nos cum ſolatio, & libertate Deo gratias agentes, & placentes inveniamur in die judicii. Quæ autem ſunt actitata, ſicut prædiximus, cognoſcetis ex dilectiſſimis fratribus noſtris, qui veſtras literas portaverunt, hoc eſt Presbyteris, & Diaconibus Alexandrinis: Epiſcopum enim veſtrum dilectiſſimum fratrem noſtrum, & comminiſtrum Athanaſium innocentem, & ſincerum ab omni calumnia pronunciavit ſancta & magna Synodus: Theodorum vero, Narciſſum, Stephanum, Acacium, Georgium, Urſacium, Valentem, & Menophantum, epiſcopatu depoſuit ob ea, quæ deliquerunt, & ob impiiſſimam hæreſim cujus ſocii, & patroni videntur. De Gregorio autem nec tantum credimus neceſſarium eſſe ſcribere; olim enim depoſitus eſt, imo magis Epiſcopus penitus non eſt æſtimatus: ejus enim opus ſimile eſt ejus ordinationi. Si quis igitur ab eo deceptus eſt, erudiatur, & veritatem cognoſcat; ſi vero reſiſtit ejus impietati, gaudeat, quod & ipſe adverſatus eſt hunc, quem ſancta Synodus nec Epiſcopum æſtimavit. Nec enim nos latuit, quid adverſus vos commiſerit, & quantum vos preſſerit. Sed gaudete, quoniam pro Chriſto patimini ab his, qui Chriſtum blaſphemant: æſtimamus autem, quod jam omnis inſolentia ceſſabit, increpatis, ac depoſitis noxiis, qui hæreſim non nominandam defendebant. Incolumes vos eſſe in Domino opto.

v. Athan. Apol. n. 30.

Ego Oſias Epiſcopus incolumes vos in Domino opto, dilectiſſimi fratres.

Athanaſius Epiſcopus veſter incolumes vos in Domino opto, dilectiſſimi fratres.

Heliodorus	ſimiliter.
Joannes	ſim.
Jonas	ſim.
Dionyſius	ſim.
Paregorius	ſim.
Ætius	ſim.
Valens	ſim.
Arias	ſim.
Porphyrius	ſim.
Athenodorus	ſim.
Alyſius	ſim.
Gerontius	ſim.
Lucius	ſim.
Aſterius	ſim.
Baſſus	ſim.
Dioſcorus	ſim.
Domitianus	ſim.
Calepodius	ſim.
Alexander	ſim.
Plutarchus	ſim.
Vincentius	ſim.
Vitalis	ſim.
Severus	ſim.
Reſtitutus	ſim.

Vincentius Epiſcopus incolumes vos in Domino opto, dilectiſſimi fratres: juſſus a fratribus meis, & Coepiſcopis ſcripſi, & ſubſcripſi pro cæteris.

S. Athanaſii ad eaſdem Eccleſias Epiſtola.

ATHanaſius Presbyteris, & Diaconibus, & populo catholicæ Eccleſiæ apud Mareotam, dilectiſſimis, ac deſiderabilibus fratribus in Domino ſalutem.

Sancta Synodus laudavit in Chriſto veſtram religionem. Omnes acceptos tulerunt in omnibus animum & fortitudinem, quoniam minas non timuiſtis, quod tolerantes injurias & perſecutiones adverſum pietatem, prævaluiſtis. Literæ itaque veſtræ, dum legerentur omnibus lacrymas commoverunt, & omnes ad veſtrum pertraxerunt affectum: dilexerunt vos & abſentes, ac veſtras perſecutiones ſuas æſtimaverunt: indicium namque charitatis eorum ſunt literæ ad vos datæ: & licet ſufficeret vos connumerare ſanctæ per Alexandriam Eccleſiæ: tamen ſeparatim vobis ſcripſit ſancta Synodus, ut adhortati non deficiatis ob hæc, quæ patimini, ſed gratias agatis Domino, quod veſtra patientia bonum fructum habebit. Olim itaque latebant hæreticorum mores; nunc tamen omnibus expanſi ſunt, & patefacti: nam ſancta Synodus advertit ab his conciona-

tas

tas adverſus vos calumnias, & eos habuit odio, atque omnium conſenſu depoſuit Theodorum, Valentem, Urſacium in Alexandria, & Marenta. Eadem etiam per alias Eccleſias facta ſunt. Et quoniam intolerabilis eſt jam crudelitas eorum, & tyrannia adverſus Eccleſias celebrata, ideo Epiſcopatu dejecti ſunt, omnique communione alienati. Cæterum de Gregorio nec mentionem facere voluerunt; qui enim penitus Epiſcopi nomen nec habuit, hunc nominare ſuperfluum æſtimaverunt; ſed propter deceptos ab eo, nominis ejus mentionem fecerunt; non quia dignus memoria videbatur, ſed ut ex hoc qui ab illo decepti ſunt, ejus cognoſcant infamiam, & erubeſcant cujuſmodi ſactis homini communicaverunt.

Cognoſcetis vero ſuper eos ſcripta ex ſuperadnexis: & licet non omnes ſcribere Epiſcopi occurrerunt, attamen ab omnibus ſcripta ſunt, & pro omnibus ſcripſerunt. Invicem ſalutate in oſculo ſancto. Salutant vos omnes Fratres.

Protogenes Epiſcopus, incolumes vos in Domino opto, dilectiſſimi, & deſiderabiles.

Athenodorus Epiſcopus incolumes vos in Domino opto, fratres dilectiſſimi.

Julianus Epiſcopus ſimiliter.
Ammonius ſim.
Aprianus ſim.
Marcellus ſim.
Gerontius ſim.
Porphyrius ſim.
Zoſimus ſim.
Aſclepius ſim.
Appianus ſim.
Eulogius ſim.
Eugenius ſim.
Liodorus ſim.
Martyrius ſim.
Eucarpus ſim.
Lucius ſim.
Caloea ſim.
Maximus ſim.

Per epiſtulas de Galliis incolumes vos in Domino opto, dilectiſſimi.

Arcidamus, & Philoxenus Presbb. & Leo Diaconus de Roma incolumes vos optamus.

Gaudentius Naiſſitanus Epiſcopus incolumes vos in Domino opto.

Florentius Merie Pannoniæ ſimiliter.
Ammianus de Caſtello Pannoniæ ſim.
Jannarius de Benevento ſim.
Prætextatus de Narcidono Pann. ſim.
Hypeneris de Hypam Theſſaliæ ſim.
Caſtus de Auguſta Cæſareæ ſim.
Severus de Calciſo Theſſaliæ ſim.
Julianus de Theriſeptapoli ſim.
Lucius de Verona ſim.
Eugenius de Hecleal Cychinis ſim.
Zoſimus Lychnis Sunoſio Apuliæ ſim.
Hermogenes de Syceono ſim.
Thrypho de Magara ſim.
Paregorius Caſpinus ſim.
Caloea Caſtromartis ſim.
Ireneus Syconeus ſim.
Macedonius Lypianenſis ſim.
Martyrius Naupactis ſim.
Palladius de Diu ſim.
Broſeus Ludonenſis Galliæ ſim.
Urſacius Briaienſis ſim.
Amanſius Viminceiſus, per Presbyt. Maximum ſim.
Alexander Gyparenſis Achajæ ſim.
Eutychius de Mothona ſim.
Aprianus de Petabione Pannoniæ ſim.
Antigonus Pallenenſis Macedoniæ ſim.
Dometius de Acaria Conſtantias ſim.
Olympius de Enorodope ſim.
Zoſimus Oreomargenſis ſim.
Protaſius Medinlan. ſim.
Marcus Siſcenſis Saviæ ſim.
Eucarpus Opooſius Achajæ ſim.
Vitalis Vastarenſis Africæ ſim.
Helianus de Tyrtania ſim.
Synphorus de Herapythis Cretæ ſim.
Moſinius Heracleæ ſim.
Euciſſus Chiſamenſus ſim.
Cydonius Cydonenſis.

Item S. Athanaſii.

Athanaſius Presbyteris, & Diaconibus omnibus Eccleſiæ ſanctæ apud Alexandriam; & Parembolam catholice dilectiſſimis Fratribus ſalutem.

Hæc ſcribentes oportet Epiſtolæ principium gratiarum Chriſti actionibus facere, fratres dilectiſſimi, nunc autem maxime docet hoc fieri, quoniam & facta multa apud Dominum, & ma-

Digitized by Google

gua habent gratiam, & oportet credentes in eum non eſſe ingratos tot ejus beneficiis. Gratias igitur agimus Domino, qui nos ſemper omnibus palam ſecit in fide, qui & jam in præſenti magna & mirabilia fecit Eccleſiæ: quæ enim rurſum affirmaverunt divulgantes hæretici Euſebiani, & Arii hæredes, hæc omnes qui convenerunt, Epiſcopi, pronunciaverunt falſa ea eſſe, & ficta: Et ii ipſi qui apud multos putantur eſſe terribiles, tamquam gigantes nominati, pro nihilo habiti ſunt: & merito; quemadmodum enim adveniente luce tenebræ arguuntur, ſic per adventum juſtorum iniquitas revelatur; & præſentibus egregiis debiles convincuntur. Quæ enim fecerunt maledicæ hæreſis Euſebii ſucceſſores, Theodorus, Narciſſus, Valens, Urſacius, & in omnibus peſſimus Georgius, Stephanus, Acacius, Minophantus, & eorum collegæ, nec vos ignoratis, dilecti; nam eorum dementia omnibus patefacta eſt: quæ vero contra Eccleſias commiſerant, veſtram nec hoc latuit ſolertiam. Primum enim vobis nocuerunt; primum veſtram Eccleſiam corrumpere tentaverunt: ſed ii qui tot ne tanta fecerunt, & apud omnes terribiles æſtimati ſunt, ſicut prædixi, tantum timuerunt, ut omnem exſuperent cogitationem. Neque enim ſolum Romanam Synodum timuerunt, nec ſolum ſe vocati excuſaverunt, ſed & nunc cum Sardicam advenissent, ſic infirmati ſunt conſcientia, ut cum vidiſſent Judices, mirarentur; ſic mente

I. Cor. XV. 55. conciderunt. Vere quis poſſet adverſum eos dicere, *ubi eſt ſtimulus tuus, mors? ubi eſt victoria tua mors?* Nec enim illis proficiebat, ut vellent judicare: jam non poterant circumvenire quos volebant; ſed videbant viros fideles curantes juſtitiam, imo magis ipſum Dominum noſtrum videbant in eis; quemadmodum tunc Dæmones de ſepulcris; filii enim cum eſſent mendacii, non ferebant veritatem videre. Sic Theodorus, Narciſſus & Urſacius cum ſuis verba dicebant: *Omitte; quid nobis & vobis hominibus Chriſti? novimus quod veri eſtis, & timemus convinci; veremur in perſonam recognoſcere calumnias. Nihil eſt nobis & vobis; Chriſtiani enim vos eſtis, nos vero Chriſto repugnantes, & apud vos quidem veritas pollet, nos vero circumvenire didicimus. Putavimus abſcondi noſtra; non jam credebamus in judicium venire: quid ante tempus noſtra convincitis, & ante diem nos convincentes vexatis?* Et licet ſint moribus peſſimi, & in tenebris ambulent, tamen cognoverunt vix tandem, quoniam nulla eſt communio lucis & tenebrarum, nec eſt aliqua conſenſio Chriſto cum Belial. Unde, fratres dilectiſſimi, cum ſcirent quæ fecerint, quæcumque miſerrimos

ſ. eorumque acervimos. videntes accuſatores, teſtes præ oculis habentes, imitati ſunt Cain, & illius more fugerunt: quoniam granditer erraverunt, etenim ejus fugam ſunt imitati, & condemnationem habuerunt. Cognovit enim opera eorum ſancta Synodus; audivit noſtrum ſanguinem proclamantem, audivit voces

ſ. etiam læſorum ab ipſis. Cognoverunt omnes Epiſcopi quæ peccaverunt, & quanta adverſus Eccleſias noſtras & alias operati ſunt; & ideo hos quemadmodum Cain Eccleſiis ejecerunt. Quis enim non lacrimatus eſt, dum veſtræ literæ legerentur? quis non ingemuit, aſpiciens quos exiliaverunt iſti? quis non exiſtimavit veſtras ſuas eſſe tribolationes? Fratres dilectiſſimi quondam vos patiebamini, cum ii delinquerent adverſum vos, & forte jam tempore multo bellum non quievit. Nunc vero Epiſcopi convenientes omnes, & audientes quæ paſſi eſtis, ſic dolebant, ſic gemebant, quemadmodum tolerantes injuriam tunc dolebatis, & illis ...... erat dolor communis illo tempore, quo proceſſiſtis. Ob hæc igitur, & alia omnia, quæ contra Eccleſias commiſerunt, cunctos Univerſa Synodus ſancta depoſuit, & non ſolum eos alienos judicavit ab Eccleſia, ſed nec dignos vocari Chriſtianos æſtimavit: qui enim abnegantes Chriſtum, quemadmodum Chriſtiani vocentur? & qui contra Eccleſias delinquunt, ii quemadmodum poterunt adeſſe Eccleſiæ? Unde mandavit ſancta Synodus ubique Eccleſiis, ut apud omnes notentur; ut ii qui ab ipſis decepti ſunt, jam ad plenitudinem, & veritatem revocentur. Nolite igitur deficere, Fratres dilectiſſimi; tamquam Dei ſervi, & fidem Chriſti confitentes probemini in Domino, & non dejiciat vos tribulatio, neque ab hæreticis, adverſum vos qui exercentur, dolores contriſtent. Habetis enim mundum univerſum condolentem vobis; & quod majus eſt, habentem omnes vos in mentem. Puto autem jam deceptos ab illis, videntes correptionem factam a Synodo, ab illis averti, & ex ore ipſorum impietatem. Si

ſ. exhererere. vero poſt hæc adhuc manus eſt eorum excelſa, ne ſtupeatis vos, neque formidetis, ſi illi ſæviunt; ſed orate, & manus ad Deum levate, & confidite, quoniam non tardabit Dominus, ſed omnia vobis faciet pro veſtra voluntate. Vellem quidem adhuc pluribus epiſtolam vobis ſcribere, & ut ſingula facta ſunt ſignificare; ſed quoniam Presbyteri, & diacones idonei ſunt nunciare vobis præſentes de omnibus, quæ viderunt, multa quidem ſcribere ceſſavi. Illud tantum ſignifico, neceſſarium putans, ut præ oculis habentes timorem Domini, eum præponatis, & omnia cum veſtra concordia celebretis intelligentes, & ſapientes. Orate pro nobis, habentes in mente viduarum neceſſitates, maxime quoniam ad eas pertinentia inimici veritatis abſtulerunt; ſed dilectio veſtra vincat hæreticorum malitiam: credimus enim, quod ſecundum orationes veſtras Dominus annuens dabit mihi velocius vos videre. Interim tamen apud Synodum actitata cognoſcetis ex ſcriptis ad vos ab omnibus Epiſcopis, & de ſubjectis litteris depoſitionem Theodori, Narciſſi, Stephani, Acacii, Georgii, Minophanti, Urſacii & Valentis; nam Gregorii mentionem facere noluerunt, qui enim penitus Epiſcopi nomen non habuit, hunc nominare ſuperfluum putaverunt. Sed tamen propter deceptos ab eo ejus nominis mentionem fecerunt, non quia dignum erat ejus nomen memorare, ſed ut ab eo decepti cognoſcant ejus infamiam, & erubeſcant, quod tali communicaverunt ...... tamen & hoc cum illis. Incolumes vos in Domino oro, dilectiſſimi & deſiderabiles Fratres.

Hiſtoria acephala ad Athanaſium potiſſimum, ac res Alexandrinas pertinens.

1 SCripſit autem & Imperator Conſtantius de reditu Athanaſii, & inter Imperatoris epiſtolas hæc quoque habetur.

Et factum eſt poſt Gregorii mortem Athanaſius reverſus eſt ex Urbe Roma, & partibus Italiæ,

an. 346. Octobr. 21. & ingreſſus eſt Alexandriam Phaophi XXIV. Conſulibus Conſtantio IV. & Conſtante III. hoc eſt poſt annos VI. & remanſit quietus apud Alexandriam annis XVI. & menſ. VI.

2. Secundam autem reverſionis ejus, Coſs. Hypatio, & Catulino, Theodorus, Narciſſus, Georgius cum cæteris venerant Conſtantinopolim, volentes ſuadere Paulo communicare ſibi: qui nec verbo eos ſuſcepit, etiam eorum ſalutationem anathematizavit. Aſſumentes itaque ſecum Euſebium Nicomedienſem, inſidiati ſunt beatiſſimo Paulo: & interponentes calumniam illi de Conſtante, & Magnentio, expulerunt Conſtantinopoli, quo poſſent locum habere, & Arianam hæ-

Digitized by Google

hæreſim ſeminare, Populus autem Conſtantinopolitanus, deſiderans beatiſſimum Paulum, perſeveravit ſeditionibus, ut duceretur ex Urbe, amantes ſanam doctrinam ejus. Imperator ſane iſtius Comitem Hermogenem tranſmiſit, ut eum ejiciat: quo audito populus per mediam Civitatem extraxit Hermogenem: ex qua re occaſione nacta adverſum Epiſcopum, exiliaverunt eum in Armenia.

Volens Eudoxium hæreſeos Arianæ ſocium, & participem Theodorus cum cæteris throno Civitatis imponere, ordinatum Germaniciæ; populo vero moto ad ſeditionem, & non permittente quemquam ſedere in throno beati Pauli; adſumentes Macedonium, Pauli preſbyterum, ordinaverunt Epiſcopum Conſtantinopolitanæ Civitatis: quem omnis Epiſcoporum conventus damnavit, quoniam adverſus ſuum Patrem impoſitionem manus hæreticorum impie ſuſcepit.

Macedonius tamen poſtquam communicavit illis, & ſubſcripſit, occaſiones ingeſſerunt nullius momenti; & amoventes de Eccleſis conſtituunt Eudoxium ſupradictum Antiochenſem. Unde in hac ſeceſſione Macedoniani appellantur, circa Spiritum Sanctum naufragantes.

3. Poſt hoc tempus Athanaſius audiens adverſum ſe turbam futuram, Imperatore Conſtante
in Mediolano conſtituto, direxit ad Comitatum navigium cum Epiſcopis V. Serapionem Thmuitanum, Triadelphum Niciotanum, Apollinem Cynopolitanum ſuperioris, Ammonium Pachemmonenſem; & preſbyteros Alexandriæ III. Petrum Medicum, Aſtericum, & Phileam. Poſt quorum *an. 353.*
navigationem de Alexandria, Conſul. Conſtantio VI. Aug. & Conſtante Cæſare II. Pachon XXIV. *Maii 19.*
die: mox poſt IV. dies Montanus Palatinus ingreſſus Alexandriam Pachon XXVIII. ejuſdem Auguſti litteras Conſtantis dedit Epiſcopo Athanaſio, per quas vetabat eos occurrere ad Comitatum; ex qua re nimis vaſtatus eſt Epiſcopus, & omnis populus fatigatus eſt valde: ita Montanus nihil agens profectus eſt, relinquens Epiſcopum Alexandriæ.

Poſtmodum autem Diogenes, Imperialis Notarius, venit Alexandriam menſe Manſore, Conſu- *an. 355.*
latu Arbitionis, & Loliani; hoc eſt poſt annos II. & menſes V. ex profectione Montani de Ale- *l. Meſori.*
xandria, & incubuit omnibus Diogenes, expellens agradi Epiſcopum Civitate, & omnes ſatis *l. compel-*
adflixit. VI. autem die Toth menſis acriter incumbens expugnabat Eccleſiam; & fecit inſiſtens *lens.*
menſes IV. hoc eſt ex menſe Menſore, ſive ex die intercalariorum, uſque Cyac XXVI. diem. *3. Sept.*
Populo vero reſiſtante Diogeni vehementer, & judicibus, reverſus eſt Diogenes ſine effectu prædicti menſis Cyac die XXVI. Conſulatu Arbitionis & Loliani poſt menſes IV. ſicut dictum eſt. *Choyach.*

4. Itaque Dux Syrianus, & Notarius Hilarius de Ægypto Alexandriam venerunt, Tybi deci- *Dec. 22.*
mo die, poſt Conſulatum Arbitionis & Loliani, ac præmittentes omnes per Ægyptum, ac Lybiam militum legiones, ingreſſi ſunt Dux, & Notarius per noctem cum omni manu militari Ec- *an. 356.*
cleſiam Theonæ, Methyr XIII. die per noctem ſupervenientem XIV. & frangentes oſtia Eccle- *Jan. 5.*
ſiæ Theonæ, ingreſſi ſunt cum infinita manu militari. Epiſcopus autem Athanaſius effugit manus *Febr. 8.*
eorum, & ſalvatus eſt die prædicto Methyr XIV. Hoc tamen factum eſt poſt annos IX. & Menſes III. ac dies XIX. quam Italia reverſus eſt Epiſcopus. Liberato autem Epiſcopo preſbyteri ipſius, & populus remanſerunt obtinentes Eccleſias, & colligentes menſibus IV. donec ingrederetur
Alexandriam Cataphronius Præfectus, & Heraclius Comes menſe Pahyni, XVI. die, Conſulatu *Payni.*
Conſtantis VIII. & Juliani Cæſaris primo. *an.356.*

5. Et poſt dies IV. quam ſunt ingreſſi, Athanaſiani ejecti ſunt Eccleſiis, & traditæ ſunt ad Gre- *Jun. 10.*
gorium pertinentibus, & Epiſcopum exſpectantibus: ſuſceperunt autem ii Eccleſias die XXI. menſe Pahyni. Advenit etiam Gregorius Alexandriæ Conſ. Conſtantis IX. & Juliani Cæſaris, II. Methys, XXX. die, hoc eſt poſt menſes octo, & dies XI. quando ſuſceperunt Eccleſias ad eum *an. 357.*
pertinentes. Ingreſſus itaque Gregorius Alexandriam, tenuit Eccleſias menſibus XVIII. integris; & *Febr. 24.*
tunc plebs adgreſſa eſt illum in Dominico Dionyſii, & vix cum periculo, & magno certamine
liberatus eſt, die primo menſis Thot, Conſ. Tatiani, & Cerealis. Ejectus eſt autem Gregorius *an. 358.*
de Alexandria die X. factæ ſeditionis, hoc eſt Phaoph die V. ad Athanaſium vero Epiſcopum *Aug. 29.*
pertinentes poſt dies IX. profectionis Georgii, hoc eſt XIV. die menſis Phac, ejicientes Grego- *Oct. 2.*
rii homines, tenuerunt Eccleſias menſibus duobus, & diebus XIV. donec advenit dux Sebaſtianus de Ægypto, & ejecit eos, & iterum ad Georgium pertinentibus Eccleſias conſignavit menſe Cyac die XXVIII.

Poſt menſes autem IX. integros profectionis Georgii de Alexandria, Paulus Notarius advenit *an. 359.*
Pahyni XXIX. Conſulante Euſebio, & Hypathio, & propoſuit Imperiale Præceptum pro Georgio, *Jun. 23.*
& domuit multos ob ejus vindictam. Et poſt menſes V. Georgius venit Alexandriam, Athyr XXX. *an. 361.*
die, Conſ. Tauri, & Florenti, de Comitatu; hoc eſt poſt annos III. & menſes duos quam fuge- *Nov. 26.*
rat. Et apud Antiochiam Arianæ hæreſeos ejicientes Paulinos de Eccleſia, Meletium conſtituerunt,
quo nolente eorum malæ menti conſentire, Euzojum Preſbyterum Georgii Alexandrini ejus loco *in inſ.*
ordinaverunt. *ſo.*

6. Ingreſſus autem, ſicut prædictum eſt, Georgius Alexandriam, Athyr die XXX. degit in Civitate ſecurus die III. hoc eſt die III. Cyac, nam IV. die menſis ejuſdem Præfectus Gerontius nuntiavit mortem Conſtantii Imp. & quod ſolus Julianus tenuit univerſum Imperium. Quo audito cives Alexandrini; & omnes contra Georgium clamaverunt; eodemque momento ſub cuſtodia illum conſtituerunt; & fuit in carcere ferro vinctus ex prædicto die Cyac IV. uſque ad XXVII. ejuſdem menſis diebus XXIV. Nam XXVIII. die ejuſdem menſis mane petens omnis populus illius Civitatis perduxit de carcere Georgium, nec non etiam Comitem, qui cum ipſo erat, inſiſtentem fabricæ Dominicæ, quæ dicitur *Cæſarum*, & occiderunt ambos, & eorum corpora circumduxerunt per mediam Civitatem, Georgii quidem ſuper camelum, Dracontii vero homines funibus trahentes; & ſic injuriis adfectos circa horam VII. diei utriuſque corpora combuſſerunt.

7. Proximo autem die Mathyr, X. die menſis, poſt Conſulatum Tauri, & Florentii, Juliani Imp. *an. 362.*
præceptum propoſitum eſt, quo jubebatur reddi Idolis, & Neochoris, & publicæ rationi, quæ præ- *Febr. 4.*
teritis temporibus illis ſublata ſunt.

Poſt dies autem III. Methyr XIV. datum eſt præceptum Gerontio Præfecto ejuſdem Juliani Imp. nec non etiam Vicarii Modeſti, præcipiens Epiſcopos omnes factionibus antehac circumventos, & exiliatos reverti ad ſuas Civitates, & Provincias. Hæ autem literæ ſequenti die Methyr XV. propoſitæ ſunt; poſtmodum autem & Præfecti Gerontii Edictum propoſitum eſt, per quod vocabatur Epiſcopus Athanaſius ad ſuam reverti Eccleſiam. Et poſt dies XII. hujus edicti propoſitionis Athanaſius viſus eſt apud Alexandriam, ingreſſuſque eſt Eccleſiam eodem menſe Methyr die XXVII. ut
fit ex ejus fuga Syriani, & Hilarii temporibus facta, uſque ad reditum ejus Juliano . . . . . Me- *Oct. 23.*
thyr XXVII. Remanſit in Eccleſia uſque Phaophi XXVI. Conſulatu Mamertini, & Nevittæ menſi- *an. 362.*
bus VIII. integris.

Præ-

Prædicto autem die Phaoph XXVII. propoſuit Juliani Imp. edictum, ut Athanaſius Epiſcopus recederet da Alexandria, & eodem momento quo propoſitum eſt edictum, Epiſcopus egreſſus eſt Civitatem, & commoratus eſt circa Thereu. Quo mox egreſſo, Olympus Præfectus obtemperans eidem Pythiodoru, & hit qui cum ipſo erant, hominibus difficillimis, miſit ad exilium Paulum, & Aſtericium Presbyteros Alexandriæ, & direxit eos habitare Andropolitanam Civitatem.

8. Olympus autem, idem Præfectus, menſe Menſore, XXVI. die, Conſulibus Juliano Aug. IV.
[an. 363. Aug. 30.] & Salluſtio, nunciavit Julianum Imp. eſſe mortuum, & Jovianum Chriſtianum imperare; & ſequente Menſe Toth XVIII. Imperatoris Joviani litteræ advenerunt ad Olympum Præfectum, ut tantum Deus excelſus aolatur & Chriſtus, & ut in Eccleſiis colligentes ſe populi celebrent religionem, Paulus vero, & Aſtericius, prædicti Presbyteri, reverſi ſunt de exilio Andropolitanæ Civitatis, & ingreſſi ſunt Aleuandriam Toth X. die, poſt menſes X.

Epiſcopus autem Athanaſius moratus, ſicut prædictum eſt; apud Thereon, aſcendit ad ſuperiores partes Ægypti, uſque ad Hermopolim ſuperiorem Thebaidus, & uſque Antinoum: quo in hit locis degente cognitum eſt, Julianum Imperatorem mortuum, & Jovianum Chriſtianum Imperatorem. Ingreſſus igitur Alexandriam latenter Epiſcopus adventu ejus non pluribus cognito, occurrit navigio ad Imp. Jovianum, & poſt, Eccleſiaſticis rebus compoſitia, accipiens litteras venit A-
[an. 364. Nov. 16.] lexandriam, & intravit in Eccleſiam, Athir XIX. die, Conſ. Joviani & Varroniani: ex quo exiit Alexandria ſecundum præceptum Juliani, uſque dum advenit prædicto die Athir XIX. poſt annum unum & menſes III. & dies XXII.

9. Apud Conſtantinopolim autem Eudoxius Germanicia tenebat Eccleſiam; & erat inter eum, & Macedonium hæreſis. Per Eudoxium autem exiit alia pejor hæreſis ab adulterina Arianorum Aetii, & Patricii Nicæni communicantium Eunomio, Heliodoro, & Stephano. Et hoc accipiens Eudoxius, cum Euzojo Arianæ hæreſeos Epiſcopo Antiocheno communicavit, & depoſuerunt per occaſionem Seleucium, & Macedonium, & Hypatianum, & alios XV. ad ſe pertinentes Epiſcopos, quoniam non ſuſcipiebant..., *non ſimilem, neque facturam non facti* transferentes: quorum expoſitio hæc eſt.

Expoſitio Patricii, & Aetii, qui Eunomio communicaverunt, Heliodoro, & Stephano.

Hæc ſunt apud Deum: non natum, ſine principio, ſempiternum, ut non imperetur, immutabilem, omnia videntem, infinitum, incomparabilem, omnipotentem, ſine prævoſione futura ſcientem, ſine dominio, Hæc non ſunt Filii; imperatur enim, ſub imperio eſt, ex nihilo eſt, finem habet, non comparatur, tranſit eum Pater...... Chriſti reperitur; quantum pertinet ad Patrem, futurum ignorat. Non erat Deus, ſed Dei Filius; Deus eorum, qui poſt eum ſunt: & in hoc poſſidet invariabilem apud Patrem ſimilitudinem, quod omnia videt, quod omnia... quod non mutatur bonitate; non ſimilem dealitate nec natura. Si autem dixerimus, quod ex dealitate natus eſt, tamquam ſerpentinam germinationem eum dicimus, & eſt dictum impium, & quemadmodum ſtatua æruginem ex ſe facit, & ex ipſa ærugine conſumetur; ſic & Filius, ex natura Patris ſi factus eſt, conſumet Patrem. Sed ex opere, & noviate operis Filius naturaliter Deus, & non ex natura, ſed ex alia natura ſimiliter, ut Pater, nec ex ipſo, imago enim Dei factus eſt, & nos ex Deo, & a Deo, Si omnia a Deo, & Filius tamquam ex aliquo negotio, quemadmodum ferrum ferruginem habens minuetur, quemadmodum corpus vermes faciens comeditur, quemadmodum vulnus ex ſe mittens conſumetur ex ipſis; ſic qui dicit Filium ex Patris natura. Similem autem Filium Patri qui non dicit, extra Eccleſiam fiat, & ſit anathema. Si dixerimus Deum Dei Filium, duos ſine initio inducimus: imaginem dicimus Dei; qui dicit ex Deo, ſabellizat. Et qui dicit ſe ignorare Dei nativitatem, manichizat; & ſi quis dixerit ſubſtantiam Filii ſimilem ſubſtantiæ Patris non nati, blaſphemat. Sicut enim nix, & ſimithium quantum ad albedinem ſimiles, ad ſpeciem autem non ſimiles: ſic & Filii ſubſtantia alia eſt præter Patris ſubſtantiam. Nix autem aliam habet albedinem; externo autem conniventes oculos egreſſi.... Vultis audire Filium Patri ſimilem in operationibus, ſicut Angeli Archangelorum naturam non poſſunt comprehendere, velint eligere, nec Archangeli naturam Cherubini, nec Cherubini naturam Spiritus Sancti, nec Spiritus Sanctus naturam Unici, nec Unicus naturam nonnati Dei.

Cum autem Epiſcopus Athanaſius veniret de Antiochia Alexandriam, Conſilium fecerunt Ariani Eudoxius, Theodorus, Sophronius Euzojus, & Hilarius, & conſtituerunt Lucium Presbyterum Georgii, interpellare Imperatorem Jovianum in Palatio, & dicere quæ in exemplarib. habentur,

Hæc autem minus neceſſaria intermiſimus.

[an. 365. Mai. 5.] 10. Poſt Jovianum autem citius ad Imperium vocatis, Valentiniano, & Valente, ipſorum præceptum ubique manavit, quod etiam redditum eſt Alexandriæ Pachom die X. Conſ. Valentiniani, & Valentis, continens, ut Epiſcopi ſub Conſtantio depoſiti & ejecti ab Eccleſiis; Juliani autem Imperii tempore ſibi vindicaverant, & receperant Epiſcopatum, nunc denuo ejiciantur Eccle-
[f. eliminaverint,] ſiis, intermiuatione poſita Curiis mulctæ auri librarom CCC. niſi ſcilicet Eccleſiis, & Civitatibus Epiſcopos minaverint. Ex qua re apud Alexandriam magna eſt confuſio, & turba exorta, ut Eccleſia univerſa fatigaretur, eum etiam Principales eſſent numero exigui, eum Præfecto Flaviano,
[f. interminabant,] & ejus officio; & ob Imperiale præceptum, & auri mulctam imminebant egredi Epiſcopos Civitate, multitudine Chriſtiana reſiſtente, & contradicente principalibus, & judici; & affirmante Epiſcopum Athanſium non eſſe ſubjectum huic definitioni, & præceptu Imperiali quod nec Conſtantius eum perſecutus eſt, ſed & reſtituit. Similiter & Julianus perſecutus eſt; univerſos revocavit & cum propter idolatriam denuo ejecit; at Jovianus reduxit. Remanſit hæc contradictio, & turba uſque ad ſequentem menſem Payni die XIV. hoc enim die Præfectus Flavianus relatione facta declaravit conſuluiſſe Principes de hoc ipſo, quod apud Alexandriam motum eſt. Et ita omnes exiguo tempore quieverunt.

11. Poſt menſes IV, & dies XXIV, hoc eſt Phaophi VIII, Epiſcopus Athanaſius noctu latenter egreſſus Eccleſia, receſſit in Villam juxta Fluvium novum. Præfectus autem Flavianus, & Dux Victorinus, ignari receſſiſſe eum, eadem nocte ad Eccleſiam pervenerunt Dionyſii cum manu militari, ac fractis poſterulis ingreſſi atrium, & partes ſuperiores domus, hoſpitium Epi-
[a. 5. Oct. ad 31. Jan.] ſcopi quærentes, non invenerunt eum. Nam paulo ante receſſerat, & remanſit degens in prædicta poſſeſſione a memorato die Phaoph VIII, uſque Mechir VI, hoc eſt menſibus IV integris. Poſt hæc Notarius Imperialis Breſida, eodem Mechir menſe, venit Alexandriam cum literis Imperialibus, jubentibus eundem Epiſcopum Athanaſium reverti ad Civitatem, & conſuete tenere Eccle-

Digitized by Google

Eccleſias; & VII. die Mechir menſis, poſt Conſ. Valentiniani, & Valentis, hoc eſt in Conſulatu Gratiani, & Degalaifi, idem Notarius Breſidas cum duce Victorino, & Præfecto Fluviano convenientes in palatio nuntiaverunt præſentibus Curialibus, & populo, quod præceperant Imperatores, Epiſcopum reverti ad Civitatem. Et eodem momento idem Breſida Notarius egreſſus cum Curialibus, & multitudine ex populo Chriſtianorum ad prædictam Villam, & adſumens Epiſcopum Athanaſium cum Præcepto Imperiali induxit in Eccleſiam, quæ dicitur Dionyſii, menſis Mechir die VII. Febr. 1.

22. Conſulatu Gratiani, & Dagalaiſi, uſque ad ſequentem Lupicini, & Jovini Conſulatum, & Valentis ſecundi Payni XIV. in Conſulatu finiuntur Athanaſiani XL. Ex quibus manſit Treberis Gallias menſes XC, & dies III, apud Alexandriam in incertis locis latens, quando ab Hilario Notario & Duce fatigabatur, menſes LXXII, & dies XIV. apud Ægyptum, & Antiochiam in itineribus menſibus XV, & diebus XXII, in poſſeſſione juxta Novum fluvium menſes IV: fient pariter menſes VI, & anni XVII, & dies XX. Remanſit autem quietus apud Alexandriam annos XXII, & menſ. V, dies X. Sed & bis ceſſavit modicum tempus extra Alexandriam in noviſſima profectione, & Tyro, & Conſtantinopoli. Fiunt ergo Epiſcopatus Athanaſii, ut prædixi, uſque ad Conſulatum Valentiniani, & Valentis, Payni IV, anni XL. Et ſequenti Conſulatu Valentiniani, & Victoris Payni XIV, ann. I, & ſequenti Conſulatu Valentiniani, & Valentis III. Payni XIV. Et ſequenti Conſulatu Gratiani, & Probi, & alio Conſulatu Valentiniani, & Valentis IV, Pachom VIII dormiit. an. 366. Maii 3.

23. Prædicto autem Conſulatu Lupicini, & Jovini, Lucius Arianorum ſpecialiter ſibi volens vindicare Epiſcopatum, poſt profectionem de Alexandria multo tempore advenit Conſulato prædicto, & ingreſſus eſt Civitatem latenter per noctem XXVI. diei Toth menſis; & ſicut dictum eſt, manſit in quadam domuncula, latens diem illum. Poſtero autem die intravit domum, ubi mater ejus commanebat; cognitoque ſtatim ejus adventu per Civitatem, univerſus populus collectus incuſabant ejus ingreſſum. Et Trajanus Dux, & Præfectus nimis moleſte tulerunt irrationabilem ejus, & audacem adventum, & miſerunt Principales, ut eum ejicerent de Civitate. Advenientes itaque Principales ad Lucium, & conſiderantes omnem populum iratum, & valde tumentem adverſus illum, timuerunt eum per ſe producere de domo, ne a multitudine occideretur: & hoc ipſum nunciaverunt Judicibus, & paulo poſt ipſi Judices, Dux Trajanus, & Præfectus Tatianus ad locum cum multis militibus ingreſſi domum, produxerunt per ſemetipſos Lucium, hora diei VII. Toth, die XXVII. Lucius autem cum ſequeretur Judices, & omnis populus Civitatis poſt eum Chriſtianorum, ac Paganorum, ac diverſarum religionum, cuncti pariter uno ſpiritu, & ex una ſententia, & eodem decreto non ceſſaverunt ex domo qua ductus eſt, per mediam Civitatem, uſque ad domum Ducis vociferantes, ac turpia, & ſcelerata eidem ingerentes, & clamantes: *extra civitatem ducatur*. Tamen Dux introduxit eum in domum ſuam, & apud eum manſit, & cuſtodiebatur reliquis horis diei, ac tota nocte, & ſequenti die XXVIII. menſis prædicti, Dux manicans, & habens eum uſque Nicopolim, tradidit Militibus Ægypto deducendum. an. 373. an. 367. ſic.

Defuncto autem Athanaſio VIII. Pachom menſis, ante diem V. dormitionis ſuæ ordinavit Petrum Epiſcopum de antiquis Presbyteris, qui in omnibus eum ſecutus geſſit Epiſcopatum. Poſt quem Timotheus F. ſuus ſuſcepit Epiſcopatum annis IV. poſt hunc Theophilus ex Diacono eſt Epiſcopus ordinatus.

Explicit.

APPA-

APPARATUS

IN ANNALES ECCLESIASTICOS

CÆSARIS BARONII

SORANI

EX CONGREGATIONE ORATORII

S. R. E. PRESBYTERI CARD.

TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI, ET S. A. BIBLIOTHECARII.

Digitized by Google

PRÆFATIO BARONII
IN ANNALES
ECCLESIASTICOS
AD LECTOREM.

OStium (*a*) *nobis apertum eſt magnum & evidens, ſed adverſarii multi*. Scripturi Annales Eccleſiaſticos, iis potiſſimum verbis Apoſtoli exordimur. Sicut enim, ſive dignitatem ſpectemus argumenti, nihil hac tractatione excellentius; ſive utilitatem, nihil quod majora præſtare emolumenta, vel ad res dijudicandas, vel ad gerendas, poſſit: ſive jucunditatem quæramus animi noſtri, nihil ſuavius accidere valeat, quam Chriſtianæ Eccleſiæ per tot annorum ſpatia ab ipſius incunabulis mirabilia ac prorſus divina geſta & eventa dignoſcere & contemplari: ut merito magnum oſtium ad latum pateat campum, per quem exultans decurrat oratio: Ita multa ſunt, quæ ex adverſo oppoſita ejus alacritatis impetum retineant; ut non tam cito ſint ad curſum laxandæ habenæ, ſed mature admodum, opuſque ſit Hieremiæ auſcultare dicenti (*b*) *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea*: Fuere namque e recentioribus nonnulli ab Eccleſia Catholica extorres, qui antiquorum res geſtas ſe collecturos profeſſi, nihil aliud conati ſunt, niſi ut mendacia coacervantes, aditum hunc nobis apertum obſtruerent, & patentem viam regiam impedirent; & perinde ac ſi adverſus veritatem junctis armis bellum juraſſent, falſiſſima quæque cumularunt, omniaque immutarunt, ac prorſus inverterunt, nihil aliud molientes, quam novam turrim confuſionis ad cœlum, ſi fieri poſſet, pertingentem, qua adverſus Deum & ſanctos ejus dimicarent, cæco perciti furore, conſtruere. (*c*) Et ſicut olim Palæſtini (*d*) puteos illos, quos Abrahæ ſervi fideles effoderant, bitumine obſtruere contenderunt: ita iſti veritatis fontem mendaciorum aggeribus obruere tentarunt. Ac denique, non ſecus ac ſi quis imaginem Regis (*e*) alicujus e gemmis admirabili pulcbritudine contextam reſcindat, iiſdemque gemmis monſtri alicujus aſpectum deformiſſimum figere conatus fuerit, & adhuc impudenter affirmare præſumpſerit, hanc ipſam quod ea iiſdem gemmis ſit opus compoſitum, eſſe priſtinam illam nobiliſſimam Regis imaginem: eodem ſane modo iidem pulcherrimam Eccleſiæ faciem, non babentem maculam neque rugam, labefactantes, ac penitus deſtruentes, ex iiſdem ſcriptis, quibus ſpecioſiſſima redditur, ſynagogam Satanæ ex Eccleſia, ea Hieroſolymis Babylonem, ac denique (quod horrendum eſt dicere) ex Chriſto reddiderint Antichriſtum.

Sed ad horum conatus infringendos, commenta detegenda, ac impoſturas repellendas, non multa opus eſt conſultatione, vel facto. Satis ſuperque puto, ſi germana illa ac ſincera Eccleſiæ vultus imago ex antiquo prototypo demonſtretur; cujus tantum inſpectione, nullo negotio fiet, ut portenti turpiſſimi ſimulacrum, cujuſnam imaginem referat, cognoſcatur. In hoc igitur nobis omni diligentia incumbendum, ut in primum illud exemplar ſemper mentis oculos intendentes, Eccleſiæ effigies illa priſtina priſtino decori formæque reddatur, quæ ſuo ſplendore ſic tenebras disjiciat, caliginemque diſpellat, ut oculi intuentium maxima cum jucunditate clariſſimo veritatis aſpectu perfruantur. Et ſicut magno miraculo olim ab Aaronis (*f*) virga divinitus conceſſa, Ægyptiorum magorum virgæ præſtigiis involutæ, & in dracones fallaciter converſæ, devoratæ ſunt; ita pariter veritate ſemel in medium poſita, ipſorum omnium impoſturæ continuo evaneſcant.

At major ea aliis, atque ex noſtris ipſis, qui in eo ſcribendi genere verſati ſunt quam ea hæreticis, noſtra quidem ſententia, ſupereſt labor: cum liceat ingenue fateri nulla res in Eccleſia ita hactenus negligi viſa ſit, ac rerum Eccleſiaſticarum ge-

(a) *1.Cor. 16.*
(b) *Hier. 6.*
(c) *Gen. 11.*
(d) *Gen. 26.*
(e) *Iren. lib.1. c.1.*
(f) *Exod.7.*

ſtatum vera, certa, atque exacta diligentia perquiſita narratio. Et ut de antiquioribus loquar, qui ejuſdem argumenti commentarios ediderunt; inveniri difficile eſt, qui veritatem in omnibus fuerit aſſecutus. Ecce enim Euſebius, qui primas tenere videtur, Arianiſmo ſemel male imbutus, tametſi fidelis in cæteris habeatur, cum in his quæ ſpectant ad dogmata Arianorum, tum etiam in rebus geſtis Conſtantini Auguſti, cujus Vitam in gratiam Conſtantii Auguſti, Arianorum patroni, conſcripſit, multa mentitus eſt, ut ſuo loco, Deo dante, opportunius oſtendemus. Claudicat æque veritas in Socrate ſectæ Novatianorum addicto, & Sozomeno eadem tincto fuligine. Coarctatur eadem atque obſcuratur interdum nimia Oroſii atque Severi brevitate. Sed non eſt propoſitum modo de ſingulis dicere. Quod ſi poſteriores rerum Eccleſiaſticarum hiſtoricos conſulas, magnam profecto eorum eſſe claſſem intelliges, qui abſque delectu quæcumque vel ab aliis ſcripta ad manus eorum venerint, vel levi auditu perceperint, conſcripſerunt, & abſque aliqua altiori veritatis indagine, ſæpe aniles fabulas, ſenum deliramenta, vulgi rumores non ſine magno cæterarum rerum ſolida firmitate ſubſiſtentium præjudicio, intexuerunt. Omittimus de Ethnicis dicere, qui ſi quando res noſtras vel leviter attigerunt, eaſdem inſenſiſſimo animo canino dente dilacerarunt, & enervarunt potius, quam enarrarunt. Sed quid de temporibus illis dicendum, quæ ſcriptorum inopia, & nimia paucitate remanſerunt prorſus obſcura; ut opus ſit ex abditis penetralibus ac latebris magno labore res geſtas depromere, & quod dicitur (a) de Sapientia, veritatem ab occultis trahere, eamdemque in lucem producere? At vero tot tantaque nemo feliciter poterit ſuperare etiam ſi magnos ſumat animos, omneſque nervos intendat; niſi ad hæc inveſtiganda ac dignoſcenda divino quodam numine adjutus fuerit: Qui enim ſeparat (b) precioſum a vili, quaſi os Domini prædicatur.

(a) Job. 28.
(b) Jer. 15.

Sed ut inſtituti noſtri tandem rationem aliquam afferamus, nos certe olim, velut exili cymba prope littus maris hujus adnavigantes, pene inſcii, recurrentibus interdum fluctibus, ſic ſumus paulatim e terra ſubducti, ut proſperis afflantibus ventis, quod antea horruiſſemus, ſenſim vaſta maria cœperimus penetrare, non tamen ſine illius imperio, qui Petro Apoſtolo dixit (c): *Duc in altum*. Siquidem cum ætate florente hujuſcemodi ſtudiis oblectaremur: qui Chriſti loco præpoſitus tunc nobis Pater erat, ad hæc impulit, invitos licet, cum plus oneris certe, quam noſtræ imbecillæ vires ferre poſſent, imponeret; ſicque triginta circiter annos in his pro viribus, Dei gratia favente, inſudavimus: pene enim imberbes eramus, cum hæc exordiremur, nunc undique canis aſperſi hæc ſcribimus; ſemperque in Urbe verſati diverſas, quæ in ea ſunt, bibliothecas nobiles, Vaticanam præcipue, quam ditiſſimum rerum antiquarum penu, promptuariumque dicere conſuevimus, perlaſtravimus; ac cum eruditis viris, quorum magna copia hic eſſe ſolet, omnia contulimus, modo conſulentes, modo differentes; unde magna facta eſt rebus noſtris acceſſio. Hæc autem de nobis ipſis, licet inviti, præfati ſumus more majorum: nobiliſſimi enim Græcorum ſcriptores, qui res Romanorum hiſtoriæ mandarunt, idem efficere conſueverunt. E quibus omnibus hoc unum exemplum, ut reliqua taceam, Dionyſii Halicarnaſſei, quem honoris cauſa nomino, ſatis ſit in medium protuliſſe; qui nullo validiori argumento lectoris fidem ſibi conciliaſſe viſus eſt, quam aſſerens complures ſe annos Romæ verſatum, ejuſdemque Urbis vetera monumenta & abdita quæque ſedulo perſcrutatum fuiſſe. Sed miſſis his, jam tempus eſt ut rerum omnium, quarum inſtituenda nobis narratio erit, argumentum proponentes, de ordine etiam quo ſunt omnia diſponenda breviter diſſeramus.

(c) Luc. 5.

In primis igitur, quod ad titulum ſpectat: Cur potius Annales Eccleſiaſticos, quam Hiſtoriam, hujuſcemodi lucubrationes noſtras maluerimus nuncupare, hanc afferimus rationem: eo nempe diſcrimine veteres ab Hiſtoria Annales diſtinxerunt, quod illa (d) proprie res ſuorum temporum geſtas, quas auctor vel vidit, vel potuit videre, pertractet, neque tantum quid geſtum ſit, ſed & qua ratione, quove conſilio, indicet: Annalium contra ſcriptor res antiquas, ut plurimum quas ſua non novit ætas, eaſdemque per annos ſingulos monumentis commendet. Nos autem, quoniam non tantum res antiquas, ſed Eccleſiaſticas potiſſimum pertractamus, in quibus non ſolum, ut in cæteris hiſtoriis, ipſa veritas primum ſibi vendicare locum debet, ſed vel latum unguem ab ea receſſiſſe, religio eſt: hanc ob cauſam, ne proditæ veritatis vel levi ſaltem ſuſpicione pulſemur, Chriſtianis legibus obſequentes præcipientibus (e) *Sit ſermo veſter: eſt eſt, non non, quod autem his abundantius eſt, a malo eſt:* reliquemus hiſtoricis Ethnicis locutiones illas per longiorem ambitum periphraſtice circumductas, orationeſque ſumma arte concinnatas, fictas, ex ſententia cujuſque compoſitas, ad libitumque diſpoſitas; & Annales potius, quam Hiſtoriam ſcribemus. Et quod Eccleſiaſticam majeſtatem ac gravitatem maxime decet dicendi genus ſectantes; quæ dicenda ſunt, ſancte, pure, ſincereque abſque ullo prorſus fuco, vel figmento, prout geſta ſunt, per annos ſingulos digeſta narrabimus. Numquam enim (inquit Arnobius (f) rerum noſtrarum graviſſimus aſſertor) *veritas ſectata eſt fucum; neque, quod exploratum eſt ac certum, circumduci ſe patitur orationis per ambitum longiorem collectiones, enthymemata, definitiones, omniaque illa*

(d) Gell. lib. 5. c. 18. Iſid. Orig. li. 1 in fin.
(e) Matt. 5.
(f) Arnob. adverſ. Gent. li. 1.

illa ornamenta, quibus fides quæritur aſſertioni, ſuſpicantes adjuvant, non veritatis lineamenta demonſtrant. Fuit quoddam tempus (ait Gregorius Nazianzenus) (*a*) *cum res noſtræ florerent, & præclare ſe haberent, cum nimium ſuperflua hæc, & verborum lepore arte fucata dicendi ratio ad divinas caulas nec aditum quidem habebat.* Huc denique accedit in Annalibus conſcribendis minus adhiberi ſolitus ſententiarum & verborum ornatus: id quidem auctor dialogi de Oratoribus, ſive is Tacitus (*b*) fuerit, ſive alius, teſtatur atque demonſtrat. Quamobrem res ipſas Eccleſiaſticas ad ſuum principium reducentes, ſic res geſtas recenſebimus, ut Eccleſiaſtica Eccleſiaſtice pertractemus. Cumque in omnibus teſtimonio nitamur antiquorum, veritatique conſultum velimus; illorum potius verba ſingula ut plurimum reddere, quamvis horridula & incompoſita aliquando videri poſſint, quam noſtra apponere, ac deſcribere, a nobis eſt conſtitutum. Atque ut magis magiſque eadem veritas eluceſcat, indiſcuſſum nihil quod ambiguum, vel veritati contrarium eſſe ſenſerimus, uſpiam relinquemus.

(a) *Gregor. Naz. orat. in laud. Athanaſii.*

(b) *Apud Tacit. de Orator. dialog.*

Ab ipſo igitur Chriſti Redemptoris noſtri adventu ſumpto narrationis exordio, res geſtas cujuſque anni exacta in omnibus habita (quoad ejus fieri poterit) temporis ratione referre conabimur. Sic enim clariſſimi tam Latinorum quam Græcorum hiſtorici, Polybius, Dionyſius, Livius, Tacitus, Dio, & cæteri, quæ ab aliis falſo ac peperam dicta ſunt, ſupputatione temporum facillime confutarunt: Contra vero in innumeros impegiſſe errores eos cognovimus, qui in conſcribendis hiſtoriis, vel nullam, vel certe modicam habuarunt temporum rationem. Unde quod ad res noſtras pertinet apposite admodum Auguſtinus (*c*) *Per Olympiadas*, inquit *& Conſulum nomina. multa ſæpe quæruntur a nobis; & ignorantia Conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coegit errare.* Nos itaque majores imitando, qui annos ſingulos per Coſſ. numerarunt & diſtinxerunt, Annales noſtros per uniuſcujuſque anni Conſulatus ſic diligenter perduximus, ut eiſdem Romanorum Pontificum & Imperatorum jungamus annos. Hanc eſſe regiam viam, per cujuſque anni Coſſ. tempora conſignare, Patres docuerunt, cum ipſa publica Eccleſiaſtica geſta eodem temporum ordine adnotarunt.

(c) *Aug. de doctrina Chriſt. lib. 2. c. 28.*

Nec vero hic quiſpiam de ſuffectis vel allectis Coſſ. ad tempora confundenda imperite nimis ac ſuperſtitioſe ſcrupulum ingerat: quandoquidem in Conſularibus Faſtis, ex quibus anni ſinguli dinumerari conſueverunt, nonniſi ordinarii Coſſ. etiam ſi poſt modicum temporis ſpatium eſſe deſiiſſent (ut auctor eſt Dio) (*d*) conſcribebantur: certum de reliquis cum Auſonio Gallo (*e*) hoc dixerimus, ſub quibus Coſſ. hi Conſulatum geſſiſſent, oportuiſſe quæri. Conabimur, & in eo Thucydidem imitari, ut non tantum quid quolibet anno ſit factum, ſed & quid hieme, quid æſtate ac quid denique quibuſque menſibus, cum licuerit, enarremus. Rem ſane arduam & perdifficilem, ac nondum alicujus prævii ductoris calcatam veſtigiis inimus viam. Nam etſi complures hiſtoricorum res Eccleſiaſticas perpetuæ memoriæ commendarint; nullum tamen ad hanc ætatem extitiſſe ſcimus, niſi forte qui ſuorum tantummodo temporum res geſtas ſunt proſecuti, qui ſe his tam arctis neceſſitatis vinculis adſtrinxerint, ut res geſta ſingulas ſingulis annis adſcribere ſit conatus.

(d) *Dio hiſt. Rom. li. 43.*

(e) *Auſ. Gall. in grat. act. pro ſuo Conſulatu.*

Quæ vero Annalibus contineantur, jam ſummatim perſtringamus. Laudatos novimus hiſtoricos illos, qui una cum rebus geſtis, populi illius cujus ſcripſerunt hiſtorias originem retulerunt, mores, leges, magiſtratus, ac cætera quæ ad ejus ſtatum noverint pertinere, explicarunt: quo ſane exemplo adducti, nos operæ pretium facturos exiſtimamus, ſi una cum naſcentis Eccleſiæ primordiis, ipſa Chriſtianæ Religionis fundamenta primitus jacta, divinas leges, pias functiones, ſacra Concilia, editos canones (ut inſtituti ratio poſtulabit) ſigillatim recenſuerimus.

Ad hæc Catholicæ Eccleſiæ viſibilem monarchiam a Chriſto Domino inſtitutam, ſuper Petrum fundatam, ac per ejus legitimos veroſque ſucceſſores, Romanos nimirum Pontifices, inviolate conſervatam, religioſe cuſtoditam, neque umquam interruptam, vel intermiſſam, ſed perpetuo continuatam, ſemperque hujus myſtici corporis Chriſti (*f*) quod eſt Eccleſia, unum caput viſibile, cui pareant membra cætera, eſſe cognitum & obſervatum, per ſingula tempora demonſtrabimus.

(f) *Coloſſ. 1.*

Quibus porro incrementis Chriſtiana Religio per totum ſe orbem terrarum diffuderit, ac ſucceſſione temporum longe lateque in unius viſibilis capitis conjunctione coagmentata, atque in uno Spiritu fuerit propagata, aperiemus. Bella inſuper ſive externa, ſive civilia, quæ a tyrannis, aliiſque hoſtibus, quæve ab hæreticis, vel ſchiſmaticis adverſus Catholicam Eccleſiam ſunt conflata, eademque Chriſti veritate quomodo profligata atque extincta fuerint, adjiciemus.

Res geſtas Imperatorum, ac cæterorum Principum, quæ tamen ad Eccleſiæ ſtatum ſpectare videbuntur, una cum cæteris rebus Eccleſiaſticis, annis ſingulis intexemus.

Clades etiam divinitus immiſſas ad eos puniendos, qui contra Dei Eccleſiam ſuperbire, & in ea quid temere moliri auſi ſunt, quibus divinum quoddam conſilium ac providentia in Eccleſia gubernanda ac protegenda admirabili quodam modo declaratur, ſuo quoque ordine referemus.

Qui

Qui item cunctis ſæculis viri ſanctitate conſpicui atque eruditione ſublimes claruerint, quandove ex hac vita deceſſerint (quod & ab antiquis hiſtoricis & Annalium ſcriptoribus pervigili ſtudio curatum eſſe liqaido conſtat) ſubinde adnotavimus.

In his omnibus percenſendis, nec ab inſtituto alienam; nec ingratum nos facturos putamus, ſi obſcuras Eccleſiaſticas voces; & gloſſemata, quæ inter legendum occurrunt, loca inſuper perplexa & obſcura, quæ in antiquorum auctorum ſcriptis interdum reperiuntur, pro viribus elucidare conabimur.

Hæc itaque omnia, & alia complura, quæ brevi ſumma perſtringi vix poſſunt ſic pertractabimus, ut nihil dicamus leviter aut inconſiderate, nihil inaniter, nihil quod non probatiſſimis teſtibus fulciatur, ratione demonſtretur, probetur conjecturis, ac denique, quantum licet perſpicua ſolidaque veritate firmetur. Non enim doctas fabulas ſecuti ſumus hæc ſcribentes (dicimus confidenter) ſed graviſſimis uſi teſtibus, quos ipſa chartarum margo, ne ſingulorum auctorum moleſtum præ nimia longitudine texamus catalogum, facile demonſtrabit. In quibus perveſtigandis ſic comparati ſumus, ut quantumvis graves, quantumvis eruditos, in omnibus ſequi, quaſi errare non potuerint, plus nomini quam veritati tribuentes, nequaquam obſtinata quadam mente ſtatuerimas: nec contra quempiam, tametſi infimæ claſſis auctorem, omnino
(a) *Plin. ad Marc.* contempſerimus: memores Plinianæ (*a*) ſententiæ quam ſæpenumero veram experti ſumus: *Non eſſe librum tam malum, quin aliqua ex parte proſit.* Atque ita legimus omnia, ut ne ab improbatis quidem (ſuperiorum tamen permiſſu) & apocryphis
(b) *1. Theſſ. 5.* abſtinuerimus; ac prout monet Apoſtolas (*b*) *Omnia probate, quod bonum eſt tenete:* quæ vero certaque apud quemlibet invenerimas, eadem ſic vindicaverimus,
(c) *Gelaſ. de Anathem.* ut de tenebris eruerimus in lucem. Extat enim de his Gelaſii (*c*) Romani Pontificis digna tanto Patre ſententia, in hæc verba: *Numquid in ipſorum hæreticorum libris non multa quæ ad veritatem pertinent, poſita releguntur? Numquid ideo veritas refutanda eſt, quia illorum libri, ubi pravitas ineſt, refutantur.*

Verum, ut præfationi tandem finem faciamus, non excidit memoria, quod ad
(d) *Aug. epiſt. 131. ad Memor.* Memorium S. Auguſtinus (*d*) ſcribens admonuit, fieri non poſſe, ut hiſtoriarum ſcriptores, abſque divina ope Spiritus ſancti, in omnibus veritatem, quam profitentur agnoſcant, atque conſcribant; dum ait: *Hiſtoria ſane cujus ſcriptores fidem ſe perſpicue narrationibus ſuis habere profitentur, fortaſſis habeat aliquid cognitione dignum liberis, cum ſive bona, ſive mala hominum, tamen vera narrantur. Quamvis in eis cognoſcendis, qui ſpiritu ſancto non adjuti ſunt, rumoreſque colligere humanæ conditionis infirmitate compulſi ſunt, quemadmodum non fallerentur in plurimis, omnino non video. Eſt tamen eis aliqua propinquitas libertatis, ſi voluntatem mentiendi non habent, nec homines fallunt, niſi cum ab hominibus humana infirmitate falluntur.* Hæc cum dicat ille, longiſſime a veritatis ſcopo illos aberrare neceſſe eſt, qui ab Eccleſia Dei, ubi ſolum Spiritus ſanctus inhabitat, ſeſe hæretica pravitate diviſerint: quique pravis moribus inquinati, ſcientia tantum inflati longe
(e) *Sap. 1.* abſunt ut tantam gratiam valeant promereri, dicente divina Scriptura: (*e*) *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & aufert ſe a cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur a ſupervenente iniquitate.* His igitur admoniti, ipſum Spiritum
(f) *Joan. 14.* ſanctum, Spiritum veritatis, (*f*) cujus eſt munus, ut doceat nos omnia, & ſuggerat nobis omnia, quanta maxima poſſumus animi demiſſione & reverentia, aſſiduitate, & ſedulitate, ac ſtudio invocamus: ut nobis iſtæc conantibus adeſſe dignetur, & gratiam, quam aliis ſæpe impartiri liberaliter conſuevit, nobis itidem quamlibet indignis, non deneget. At quo magis hæc immerentes poſtulamus, eo enixius apud ſanctiſſimam Dei genitricem Virginem Mariam, rerum noſtrarum omnium ſemper auſpicem, ducem, ac moderatricem, precibus contendimus: ut hæc apud eum qui
(g) *Sap. 10.* aperit os mutorum, (*g*) & linguas infantium facit eſſe diſertas, quique dat omnibus affluenter, & plus quam petimus, inſtanter exoret: ut verbis, ſcriptis, ac maxime omnium vitæ moribus veritatem profitentes, atteſtantes, & prædicantes, lingua, calamo, animique virtutibus ipſum laudemus, confiteamur, ac celebremus; cui eſt in Trinitate perfecta laus, virtus, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

In appendice tomi II. Annalium hæc Baronius adjecit. At te non deſpicimus, Lector qui a Catholica religione procul abhorres, neque inſectamur jurgiis, conviciis laceſſimus, vel appetimus contumeliis: nulla enim animi perturbatione commoti ſumus in homines, cum mendacia inſectamur. Sed humaniſſime tecum agimus: at plane rem tibi potius, ipſam inquam veritatem intelligas adverſari, quam hominem. Agemus inquam tecum liberaliſſime: uſque adeo, ut omni indulgentia & animi demiſſione non vereamus te ipſum, ſi tamen veritatis tantum es cupidus, accurate iſthæc noſtra legentem, æquum arbitram conſtituere. Juſtæ namque cauſæ confiſi, tantum tibi concedimus, at non dedignemur tuam quoque de rerum veritate in re tanta tunc ſubire judicium, cum (quod æquiſſimam judicem decet) tranquilla ratio mente integra atque ſincera, omni animi perturbatione ſemota, depoſitiſque privatis affectibus, in neutram partem inclinans, ſublimiori throno in mediam collocato conſideat. Si talem te judicem præſtas, te

ipſum

Digitized by Google

ipſum mente turbatum ad te ipſum puto mentis obtutu cuncta exactius diſquirentem libentiſſime provocamus. Ingens ſane vis humanæ inſidet rationi, ſi tamen nullis adſtricta compedibus, in omnibus libera libere agere permittatur. Ac quidem ex cauſa majores noſtri ſumma freti fiducia veritatis, ubi adverſus obſtinatiſſimos hæreticos agendi ſeſe occaſio obtulit, cum illi omne judicium Eccleſiaſticum declinarent atque contemnerent, eo indulgentiæ adacti ſunt, ut non recuſarint Gentilium quoque hominum experiri judicium, eorumdemque ſententiam expectare. Hiſce judicibus Judæi (*a*) de Samaritis pugnaciſſime altercantibus tandem victoriam retulere. Ethnico (*b*) quoque philoſopho arbitro ex conſenſu delecto, cujus ſtandum eſſet judicio, Origenes quinque perditiſſimos hæreticos ſuperavit, ipſumque judicem ad fidem Chriſtianam capeſſendam induxit. Sed & ſanctiſſimus Epiſcopus (*c*) in Meſopotamia Archelaus, coram Gentilibus adhibitis ex conſenſu judicibus, Manetem hæreſiarcham nefandiſſimum confutavit. Sunt & alia de his exempla, quibus appareat, eos qui veritate pollerent, nullius recuſaſſe judicium, vel refugiſſe ſententiam, nec eorum quidem qui Domini auctoritate viderentur eſſe damnati, ipſo dicente (*d*): *Qui non credit, jam judicatus eſt*. Sed & nos liberalius videmur tecum agere, qui te ipſum, cum ad rectæ rationis compoſitus fueris ordinem, arbitrum non refugimus: certiſſimi plane redditi atque ſecuri, adjudicaturum te nobis cauſam, atque nobiſcum pariter conſeſſurum, ſi amantiſſima æqui ratio libenter audiat veritatem: quod cupimus nobis laborum ſit præmium; ut te ipſum tandem ſic a te ipſo recte judicante juſtiſſime condemnatum, abſolutum erroribus videamus.

Faxit Deus, ut aliquando tibi recte ſentienti hilares occurrentes, amplectamur, exoſculemurque te jam fratrem noſtrum (*e*) ſugentem ubera matris noſtræ. At vero cum modo, ſummo cordis dolore, non liceat te, prohibente Apoſtolo (*f*) ſalutare, nec dicere ſaltem, Ave: nemo tamen prohibet, quin tibi ſalutem plurimam cupientes, eam ut Deus impertiat, enixis precibus concedamus.

(a) *Joſeph. Antiq. lib. 13. c. 6.*
(b) *Orig. Dialog.*
(c) *Epiph. hæreſ. 66.*
(d) *Joan. 3.*
(e) *Cant. 8.*
(f) *Joan. 3.*

Typographus Lectori.

Eminentissimus Annalium parens ſingulis Operis ſui voluminibus ſingulas, quin & binas interdùm ad viros principes epiſtolas nuncupatorias præmiſerat. Cum vero conſtitutus ab eo voluminum ordo ſervari hic minime potuerit; opportunum cenſui, omnes illas epiſtolas, & ſi quæ alia illis adjunguntur, in hunc locum ſimul referre, ne quid tanti Viri vel ad eum pertinens in hac noſtra editione deſideretur. Eodem conſilio carmina, quæ leguntur in capite quorumdam tomorum in Baronii laudem, omnia ſimul poſt epiſtolas digeſſi.

SANCTISSIMO
AC BEATISSIMO PATRI
ET D. N. SIXTO QUINTO
PONTIFICI MAXIMO

CÆSAR BARONIUS CONGREGATIONIS
Oratorii Presbyter ſempiternam felicitatem.

Quod a Beato Apoſtolo Paulo in rem maximi momenti aliquando dictum eſt: Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus; id ego, Pater Beatiſſime, in Annalibus meis Eccleſiaſticis conficiendis plane ſum expertus. Neque enim deliberate ac conſulto tantum opus ante annos circiter triginta aggreſſus ſum; nec meis viribus fretus, quas nullas aut perexiguas eſſe intelligebam, ad univerſam hiſtoriam Eccleſiaſticam maximis difficultatibus involutam explicandam acceſſi; qui id ab initio ne cogitare quidem auſus eſſem: ſed Deo ipſo, a quo omne datum optimum deſcendit, ita diſponente, ac paulatim, me propemodum inſcio, incrementum dante, ex parvulo ſemine non parva arbor eſt exorta.

Ex tomo primo Annalium. 1. Cor. 3.

Nota eſt Sanctitati veſtræ vetus conſuetudo Oratorii noſtri; in quo ſingulis diebus, pomeridianis horis, panis verbi Dei ſic parvulis frangitur, ut non illo ſublimi dicendi genere, quod in ſacris concionibus adhiberi ſolet, ſed aliquanto ſubmiſſiore, ac magis familiari, verum ad permovendos audientium animos (ut diuturno experimento comprobatum eſt) valde accommodato, res continuo, quaſi ex æquo loco, cum unoquoque agi videatur. Quam ob cauſam inter alia ex variis diverſiſque ſanctorum Patrum ſcriptis ad mores optimos inſtituendos accepta, Sanctorum vitæ, & Eccleſiaſtica geſta narrantur: quod ad virtutis & pietatis ſtudium in auditorum animis excitandum, exempla magnam vim habeant. Cum ergo ea de cauſa res geſtas Eccleſiæ, atque Vitas Sanctorum legerem, cœpi illius auctoritate & hortatu, qui mihi & cæteris fratribus meis parentis loco eſt in Chriſto præfectus, in ea lectione paulo accuratius ac diligentius verſari; eodemque ſuaſore atque impulſore, ad veteres Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores agnoſcendos examinandoſque animum penitus appuli. Cumque, delectatione ipſa jam trahente, longius pergerem, multaque excerperem & notarem, ſuiſque locis reponerem ac diſtribuerem; ſenſim ac paulatim factum eſt, ut magnam rerum copiam tanquam in aliquam cellam penuariam una congeſſerim, præſertim contra Novatores noſtri temporis, pro ſacrarum traditionum antiquitate, ac S. Romanæ Catholicæ Eccleſiæ poteſtate. Sicque cum jam ſex luſtris ipſa Eccleſiaſtica hiſtoria fuerit a me ſepties ordine temporum repetita; accidit, ut amicorum cohortatione, & mea ſponte de Annalibus Eccleſiaſticis pertexendis ſerio cogitarem.

Deo igitur bene juvante, e portu ſolvens, cum in quamdam immenſam maris altitudinem invectus eſſem; ad multiplices, permagnas, ac pene inexplicabiles difficultates penitus ſuperandas præcipue in temporum ſerie diſtinguenda, & chronologia recte conſtituenda (quæ in omni antiqua hiſtoria in primis obſcura eſt & difficilis) multo labore, magno ſtudio, & diligentia opus fuit. Non enim ſatis erat in hoc genere eos Hiſtoricos legere, qui ad manum ſunt; ſed omnia Patrum monimenta pervolvere, ſcriptos codices in bibliothecis ſervatos, latentem rerum notitiam apud exteros etiam ſcriptores ſæpenumero perveſtigare, neceſſarium fuit: verum ad omnia ſuis ponderibus expendenda, judicii trutinam adhiberi oportuit; cum nihil periculoſius ſit in hiſtoria, quam cuivis ſcribenti de quacumque re fidem habere. Nec vero, Pater Sancte, hæc a me propterea dicuntur, quod me omnia perlegiſſe jactem, aut id alios de me exiſtimare velim: ſed potius, quod ob ſummam rerum difficultatem, ſi quæ minus feliciter fuerim aſſecutus, mihi ab æquis judicibus ignoſci cupiam. Ego quidem quid profecerim, aut omnino an operæpretium in ſcribendo fecerim, haud ſatis compertum habeo: nam cui timorem non incutit illa S. Ambroſii ſententia, de ſuis ipſius ſcriptis ſibi adeo parum fidentis, atque hæc ad Sabinum ſcribentis? Unumquemque fallunt ſua ſcripta, & auctorem prætereunt: atque ut filii etiam deformes delectant, ſic etiam ſcriptorem indecores ſermones ſui palpant. Cæterum illud certo ſcio, me impigre laboraſſe: aut verius, non ego id operatus, ſed, cui innitor, gratia Dei mecum. Verum quicquid ſit, hæc alii judicabunt: Tuque in primis, Beatiſſime Pater, cujus & ſingularis doctrina, & acerrimum eſt judicium. Jam enim in tuo nomine primum Annalium noſtrorum volumen e tua nobili Typographia Vaticana prodit, quam nuper nullis parcens ſumptibus inſtituiſti: ut pro tua paſtorali ſollicitudine, hac quoque in re, communi Eccleſiæ utilitati optime conſuleres, ſacris videlicet, ſanctorumque Patrum libris emendatiſſime imprimendis. Etſi enim timide admodum tam erudito ſæculo lucubrationes has meas in lucem emittebam, eaſque diutius intra domeſticos parietes comprimendas cenſebam: me tamen optimi & de me optime meriti Cardinalis Antonii Carafæ Bibliothecarii Apoſtolici auctoritas impulit, ut hoc tanquam æs alienum aliquando diſſolvere inciperem.

Ambr. lib. 6. Epiſt. 40.

Tibi igitur, Pater Sanctiſſime, Sacerdos Dei ſummo has laborum meorum tenues primitias affero: tibi, inquam, Chriſti Domini noſtri Vicario, & Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, veluti viventi Petro, ac per ipſum Chriſto, grati animi conſecro monumentum. Et perinde ac olim Jacob, ut a patre primam benedictionem poſſet facilius promereri, Rebeccæ matris conſilio & induſtria e grege ſumptum cibum illi paratum attulit: ita pariter ego non e ſaltibus inviis, lociſque ſilveſtribus, piis omnibus inacceſſis, ſed acceptum ex ovili Dominico, & ex ſanctæ matris Eccleſiæ ſementia præparatum, quo potiſſimum ſertum eſt Sanctitatem tuam libentiſſime veſci, edulium offero (volumina quippe in cibum etiam divinitus impartiri ſolita, divinæ Scripturæ monſtrant exempla) appoſiteque verba illius uſurpans, quem imitandum ſuſcepi, dicam, tua fretus humanitate, confidenter: Surge Pater, & comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. Primam, inquam, illam, Sanctiſſime Pater, benedictionem expeto, quæ æterna ſemperque manens hæreditas impartitur: quam & Fidelibus omnibus Petrus exoptat; nimirum ut ea-

Geneſ. 26. 27. 1. Petr. 3.

Ieſum hæreditatem benedictione poſſideant: cujus virtute pariter mihi hic majora conanti favor divinus adſpiret; quo & cætera, quæ pars voluminum, ſingula annis ſingulis (quod eſt in animo) ad pedes Sanctitatis tuæ impreſſa deferam. Benedic una mecum & ſervis tuis, fratribus meis, qui pro te aſſidue orant, & in vinea magni Patris familias, quæ tibi credita eſt, pro viribus laborant. Deus interea te, Pater Sanctiſſime, incolumem ſervet; ut ad magna, quæ tam brevi Pontificatus tui ſpatio egiſti, majora addas; & præclara multa, quæ inchoaſti, quæque ſemper moliris & meditaris, ad Dei gloriam & Eccleſiæ utilitatem feliciſſime abſolvas.

ANTONIO CARAFÆ

S. R. E. TT. SS. JOANNIS ET PAULI

PRESBYTERO CARD. AMPLISSIMO BIBLIOTHECARIO APOSTOLICO

CÆSAR BARONIUS felicitatem.

TUA graviſſima auctoritate permotus, Cardinalis Ampliſſime, tuiſque cohortationibus confirmatus, in lucem emitto primum Annalium noſtrorum Eccleſiaſticorum volumen, cujus editionem in diem ex die, nec ſine cauſa (ut arbitror) differebam. Non enim ignoro quam difficile ſit id pro rei dignitate præſtare, quod libri indice ſum pollicitus; quamque arduum ſit, viris doctis, & veteris hiſtoriæ peritis, quibus ætas noſtra abundat, in hoc ſcriptionis genere cumulate ſatisfacere. Tuum vero in primis peracre judicium perhorreſco, qui ad multiplicem doctrinam, qua præclare excultus es, magnam quoque totius Eccleſiaſticæ antiquitatis notitiam adjunxiſti. Sed me tua ſingularis recreat humanitas: teque, ſi minus expectationem tuam explevero, tuoque exemplo cæteros eruditos homines, ſi, quod omni ſtudio ſecutus ſum, minime aſſecutus fuero, imbecillitati meæ veniam daturos ſpero. Quod ſi hoc qualecumque tandem eſt opus, laborioſum certe & multarum vigiliarum, aliquid adjumenti ad ædificationem templi Dei, quod eſt Eccleſia ſancta Catholica, attuliſſe videbitur; primum quidem Deo optimo bonorum omnium auctori gratiæ agendæ erunt, deinde etiam tibi, qui jam pridem ſtudiorum meorum patrocinio peramanter ſuſcepto, ſedulitatem & induſtriam meam excitaſti, omnique officiorum genere perpetuo ſublevaſti. Suſcipe igitur, Cardinalis Illuſtriſſime, veteris clientis librum in fidem & tutelam tuam, ut hæc prima Annalium noſtrorum pars in aliorum manus, te patrono, commendatior perveniat; dum ſecundam non ita multos poſt menſes, ſi Deo placuerit, imprimendam paramus, ac perpolimus. Interea Deum oro, ut quod agis, diu agas; & de Eccleſia, de ſacris ſtudiis, de viris eruditis & piis, tu pietate & eruditione excellens, ſemper optime merearis.

DE

Digitized by Google

DE TRANSLATIONE ANNALIUM IN LINGUAM ITALICAM.

ADMODUM ILLUSTRI AC REVERENDISSIMO

F. FRANCISCO PANICAROLÆ

EPISCOPO ASTENSI, ET COMITI

CÆSAR BARONIUS S. P.

Sicut perpetuo obruenda eſſe ſilentio impie dicta, nec in aures populi nativo ſermone fundendas illas blaſphemias, exemplo admonemur divinæ Scripturæ, dum prudentiſſimi Hebræorum cohibere conati ſunt blaſphemos Syros, ne lingua loquerentur Hebraica; ita e contra præconia veritatis omnium nationum debere ſermone proferri, divinus Spiritus impertiendo Fidelibus diverſarum dona linguarum, reddidit manifeſtum. Hæc tu ipſe conſiderans, ampliſſime Præſul, Chriſtianæ eloquentiæ decus, cum Romæ populum pro concione doceres, non ſatis tibi viſum coram frequentiſſimo cœtu ſummis laudibus noſtros Annales efferre; ſed & quo eos in omnium animos penitius inſinuares, ut ex illis omnes æque proficerent, in Italicum idioma reddendos eos conſilium iniſti: explorataque noſtra voluntate, & facultate conceſſa, mox inſtar Prophetæ, linguam in calamum ſcribæ velociter ſcribentis convertens, primum Annalium tomum compendioſa tranſlatione linguæ maternæ, dicto citius, reddidiſti; cæteriſque id ipſum in aliis linguis præſtandi, viam aperuiſti. Verum urgens neceſſitas a cœptis te invitum avulſit; ipſo inquam juſſu Pontificis, qui Legato a Latere lateri te conſultorem adjunxit. Sed accidit plane feliciter, ut tunc areſcentes Galliæ ſiccitate, irrigui Verbi Dei e tuo pectore copioſe manante, vireſcere cœperint atque floreſcere. Cum & primaria ipſa Pariſiorum civitas, infracti roboris Catholicæ fidei & Chriſtianæ conſtantiæ dignum exemplum, longiori obſidione vallata, ærumnoſaque fame confecta, te concionante, ſæpe experimento didicit, quod auditu ex divinis Scripturis acceperat, non in ſolo pane vivere hominem, ſed omni verbo quod procedit de ore Dei: expertaque pariter eſt, Fidelium arma non eſſe carnalia, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum; dum tu ibidem ampliſſimum patefaceres horreum Verbi Dei, & divinæ Scripturæ armamentarium reſeraveris, quorum altero paſceres eſurientes, altero vero armares ad pugnam. Sed tandem, licet ſero, intelligens impius ille Benadad fruſtra opppugnari civitatem quæ Eliſeum ſecum haberet, ſpe vane concepta eluſus ſolvit obſidionem. Cum jam feliciter confecto negotio, redeuntem te auctum coronis hilaris tua recepit Eccleſia, detinuitque tui cupida arctius, adeo ut nec ſiverit vel oculos ad externa convertere. Vixque demum te obtinuiſſe, tuis litteris ſignificaſti, ut cœptas in Annalibus lucubrationes proſequereris: quo magnopere gaviſus ſum nuncio, Deoque immenſas gratias egi, qui dedit hanc ſollicitudinem in corde Titi. Perge feliciter, opuſque inchoatum abſolve, quod omnes exoptant, expetunt, atque expectant: hac enim ſibi via probe conſultum exiſtimant; cum quem longe abſentem audire concionantem non liceat, dum ſcripta legunt, cumulatius id ipſum ſe aſſecutos intelligant: quod in audiendo non hora unius brevi ſpatio coarctentur, nec baſilica, licet ampliſſima, anguſtiis ex confluentium auditorum compreſſione urgeantur, ſed qualibet hora & loco, die noctuque, quoties libuerit, pro pulpito librum, & pro concione habeant lectionem: Sicque fiat, ut licet munere paſtorali cathedra inſideas ſemper Aſtenſi, adſis tamen ubique omnibus jugiter profuturus. Vale digniſſime Præſul tui Baronii memor, quem ſanctis tuis ad Deum precibus jugiter fove.

Tomo I. Annalium editionis Vallicellianæ præfixæ.

MARCI FUGGERI

BARONIS IN KIRCHBERG ET WEISSENHORN

RODULPHO CÆS. AUGUSTO

A CONSILIIS

Epiſtola ad Auctorem

DE TRANSLATIONE ANNALIUM IN LINGUAM GERMANICAM

Admodum Rever. D. CÆSARI BARONIO Congregationis Oratorii Presbytero Amico Chariſſimo S. P.

Laborem meum intertendo primo tomo tuorum Annalium in linguam paternam tibi probari, perlubenter ex tua accepi epiſtola XV. Kal. Decemb. ad me data: quem ſane laborem inter multas occupationes, quibus quotidie premor aut laudis aut ambitionis ergo, quarum nunquam fui cupidus, in me ſuſcepi, ſed propter communem Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem, Expertus enim ſum, multa in Eccleſia noſtra Catholica Romana a multis improbari, quorum fundamenta & prima principia ſi haberent cognita, proculdubio æquiores ſe nobis judices exhiberent, Cum ergo in primum tomum tuorum Annalium incidiſſem, ſtatim intellexi me id inventurum, quod tantopere deſiderabam, nempe veram & ſolidam narrationem rerum Eccleſiaſticarum, ex qua prima principia & incrementa multis poſſent innoteſcere. Nam licet multi hiſtorias ſcripſerint Eccleſiaſticas: animadverti tamen multos erroribus implicitos minus dextre, aliquos autem negligentiores in chronographia minus vere, aliquos vero ita obſcure ſcripſiſſe, ut quid velint, a paucis intelligatur. In tuis autem Annalibus nihil horum invenitur: omnia ſunt dextre & maxima obſervatione temporum vere & dilucide ſcripta,

ut

Digitized by Google

ut nihil amplius in illis deſiderari poſſit. Qua re ita ſum permotus, & in eam ſpem erectus, quod dubitare non auſim, me magnam utilitatem multis, qui præter patriam linguam nullam callent, allaturum ad antiquitatem Eccleſiaſticam cognoſcendam. Aggreſſus igitur ſum animo magno primum tomum interpretari, in eoque hactenus laboravi ſedulo. Sed hic labor meus plane erit irritus, ſi tu manum tuam non porrexeris. Nam ex præfixa Epiſtola Summi Pontificis in editionem primi tomi, ſatis intellexi, nemini licere tuos Annalium tomos alieno idiomate in lucem emittere abſque tua permiſſu. Peto igitur ut pro tua humanitate ſtudium ac benevolentiam tuam mihi hac in parte deferas, concedaſque ut GERMANIA *noſtra virtutibus ac laboribus tuis per me fruatur & gaudeat. Ego Deum Optimum Maximum precabor, ut tibi & ætatem & gratiam largiatur, quo omnes tomos, ſicut incœpiſti, perficias: magnum enim Reſpublica Chriſtiana acciperet detrimentum, ſi tantum opus permaneret imperfectum. mea vero imbecillitati opem feras, ut unum aut alterum tomum (ſi anni plures non permiſerint) cum utilitate multorum perficiam. Bene vale. Auguſtæ, 26. die Decembris, Anno Domini M. D. LXXXIX.*

Tuus addictiſſimus,

Marcus Fuggerus.

Admodum Illuſtri ac Generoſo Domino

D. MARCO FUGGERO BARONI IN KIRGHBERG ET WEISSENHORN

RODULFO CÆS. AUGUSTO

A CONSILIIS S. P.

SUMMO, *vir clariſſime, fuerat mihi pretio redimendum, ut amplitudo tua dignaretur accipere, quod amantiſſimis litteris a me ſibi poſtulas impertiri. Quid enim gratius atque jucundius, quidve honorificentius accidere potuiſſet, quam ut noſtri Annales Eccleſiaſtici in Germanicam linguam germane atque fideliter verterentur, a tali tantoque potiſſimum viro, cujus pura atque ſincera omnibuſque ſpectata religio eſſet (nam tuo vigilantiſſimo ſtudio & conſpicuo vitæ exemplo Catholici in officio continentur, & in hæreſes lapſi ad Eccleſiam revocantur) cujus quoque munificentia eruditi quique proficiunt, & bonæ litteræ penes Catholicos in Germania coaleſcunt, quorum lucubrationibus ab eiſdem tibi dicatis Bibliotheca illa tua æmula Philadelphiæ illuſtratur. Talem igitur de Annalibus a me editis & edendis a te præberi, ne mente quidem concipere mihi fas eſſe videbatur, nedum ſperare: ut plane intelligam id te divino aggreſſum eſſe conſilio. Quis enim ducat in animum, hominem curis innumeris preſſum, laboribus aſſiduis fatigatum ac ſenio inſuper prægravatum, adeo laborioſam provinciam ſuſcepiſſe: niſi divinus Spiritus ſuaſiſſet, imperaſſet, ac vehementiori quoque impetu compuliſſet? Etenim vel legiſſe tantum Annalium tomos, haud mediocris laboris videri poterat eſſe negotium: eos vero ſæpius attente perlegere, accuratius atque ſolertius perſcrutari, & in aliud inſuper idioma transferre; neque tantum ſententias ex ſententiis, ſed dum licet, verba etiam verbis reddere: opus quidem ejuſdem eſſe Spiritus, cujus quoque muneris eſt interpretari ſermones, omnes intelligent. Studueram (probe noſti) ſuſceptum laborem aliqua ſaltem ex parte minuere, cum ſuperioribus meis datis ad te litteris ſuaderem, ut prætermiſſis quibuſdam prolixioribus quæſtionibus, licet ad hiſtoricam facultatem ac veritatem maxime pertinentibus, aliiſque nonnullis quæ rudis lector eſſet haud facile percepturus, ex eis Epitomen potius Germanica lingua conficeres: ſed redditis ad me litteris, id fieri renuiſti; ac plane exhorruiſti; perinde quaſi religio eſſet ex illis vel apicem unum excidere; ſic in omnibus fidelis & accurati muneris perfuncturus interpretis. Quo quidem officio illuſtratum olim Marci nomen in eo qui Evangeliſta, & Petri pariter prædicatur Interpres, ut in te quoque feliciter propagetur, ſancte pieque æmulatus eſſe videris. Dum enim res a Petro, Petrique ſucceſſoribus, ejuſdemque Petri nomine in Eccleſia Catholica geſtas potiſſimum interpretaris: quodammodo & tu Petro acceſſiſſe putaris Interpres. Sed & de te illud Pauli de Marco ad Timotheum uſurpare liceat: Aſſume Marcum, & adduc tecum; eſt mihi utilis in miniſterio. Hæc Paulus cum eſſet Romæ (ut ait) ſolus cum Luca Apoſtolorum Acta ſcribente; non ſatis ſibi eſſe Lucam exiſtimans ſine Marco, ſed tunc bene conſultum, ſi Marcum ſibi Lucæque conjungat. Opportune ſane Lucæ in ſacra hiſtoria laboranti Marcus inhæſit, eidem profuturus ac Paulo. Perutilis plane Apoſtolo in miniſterio Marcus noſter, qui ejus exemplo ingemiſcens ac deplorans aſſidue cladem ſuorum gentilium, æſtuanſque pro illorum ſalute immenſo charitatis ardore, omnia perveſtigat, ſedulo que ſemper ſtudio collaborans, nihil prorſus omni ex parte intentatum relinquit, ut immaniſſimæ ex hæreſi inflictæ cladi proſpicere valeat, atque mederi. Deſideriorum ſane vir, qui Danielis inſtar, inter captivos liber, & in obſcuriſſimis tenebris fulgore Catholicæ religionis elucens, populi tui acerbiſſime perferens captivitatem, in priſtinam eam libertatem vindicare deſideras, & in antiquum patrium ſolum, in Catholicam inquam Eccleſiam, poſtliminio reſtituere. Annuat votis Deus, ut merearis inſtar Abrahæ, Pater dici recte credentium, & occinat tibi propheticum illud: Quieſcat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis: quia eſt merces operi tuo, & ſpes noviſſimis tuis: revertentur filii ad terminos ſuos. Has demum, optime Marce, quas expoſtulas a me, accipe litteras, conceſſionis teſtes, amoris pignus, & mei erga te ſtudii indices: quæ in ſecundo hoc Annalium tomo excuſæ, veluti publico in archivo repoſitæ, perſpicuæ omnibus, tibique integræ conſerventur. Vale: tibique ſtrenue laboranti pro fide Catholica, & pro Germanis tuis egregiam operam navanti præſto ſit Deus: cujus potentia, ad ſubeundos labores renovetur ut aquilæ juventus tua.*

Admodum Illuſtris D. tuæ

Servus obſequentiſſimus

Cæſar Baronius.

STA-

STANISLAI CARNCOVII

ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS METROPOLITANI REGNI POLONIÆ

Epiſtola ad Auctorem.

DE TRANSLATIONE ANNALIUM in linguam Polonam.

ADMODUM REVERENDE IN CHRISTO PATER nobis chariſſime & obſervandiſſime,

OFFICIUM fraternæ charitatis, qua Chriſtianæ fidei religionisque communione colligamur, hoc a me (licet tibi de facie non ſim notus) jure quodam ſuo poſtulat, ut tibi commune in Chriſtianam Rempublicam abs te profectum bonum gratuler, Annales nempe Eccleſiaſticos nuper abs te editos; gaudiumque meum non vulgare, quo ſum ex hoc laborum tuorum fructu animo affectus, apud te exprimam. Cum enim primum atque alterum eorum Annalium volumen avide perlegiſſem (ſera enim in manus meas pervenerunt) egi tantas, quantas animus meus capere potuit, Deo bonorum omnium auctori gratias, qui in neceſſariis Eccleſiæ ſuæ providit opportuno tempore, tibique non modo mentem & voluntatem indidit ad opus arduum, difficile, propeque immenſi laboris, in quo annos (ut ſcribis) triginta deſudaſti, ſuſcipiendum, ſed etiam vires facultatemque præſtitit ad perficiendum. Tuum vero pectus plenum pietatis & amoris in Deum plenum omnis doctrinæ ac ſcientiæ, abſens, abſentis tamquam præſentis, dum libros evolverem cupidiſſime ſum exoſculatus, atque incredibili tui ſtudio incenſus. Natura enim ipſa optima duce, cupide ferimur in eorum amorem, qui inſigni una aliqua virtute excellunt: in eorum vero qui pluribus, cupidius: qui autem non modo pleni ipſi ſunt cæleſtibus iſtis divinisque dotibus, ſed & alios iiſdem locupletare ſolent, hos uti vaſa divini Spiritus, ejusque donorum a Deo electa, omnium maxime ſuſpicimus & veneramur, rapimurque ſummo & admirabili eorum amore. Jampridem ego de te multa a noſtris hominibus, qui te in noſtram gentem ſuaviter effuſum narrabant, non magna cum voluptate audiveram, perſpexeramque emendato Martyrologio tuam pietatem, & ſtudium Dei gloriæ propagandæ, ejusque Eccleſiæ ornandæ. Sed cum Annalium volumen primum, ac poſtea alterum in manus noſtras veniſſet, hæc mihi in te tanto illuſtriora viſa ſunt, quanto eſt vaſtius pelagus non modo ingreſſus, ſed prope emenſus. Ac repetenti quidem mihi memoria divinæ bonitatis conſuetudinem, quam in Eccleſiæ iſtius militantis regimine ab ipſis ejus incunabulis retinet, videntur ſemper novis morbis nova remedia fuiſſe ſubminiſtrata. Ita (ut recentiora, & quæ ſub aſpectum noſtrum venerunt, tantum attingam) cum Lutherus hæreſis ſuæ virus effundere cœpiſſet, quo maxima Europæ pars infecta fuit, quodque ſectas innumeras inter ſe admodum diſſectas peperit: excitatus fuit clariſſimus Societatis JESU ordo, qui cum aliis pro Eccleſia laborantibus, hac peſtifera lue mortalium animos liberaret: ex qua cum alii plurimi viri Dei ſpiritu pleni, omnique genere ſcientiæ ac doctrinæ inſtructi, tamquam ex equo Trojano prodierunt, tum nuper Robertus Belarminus prodiit, quem ea inexpugnabilem adverſus hæreſim turrim, editis in lucem diſceptationibus de fidei noſtræ controverſiis, extruxiſſe ſcribis. Item cum Centuriatores figmentis mendaciisque ſuis, hiſtoriis Eccleſiaſticis tenebras offudiſſent: te potiſſimum elegit Dominus, qui tenebras iſtas depelleres, lumenque clariſſimum Orbi univerſo afferres: totumque Eccleſiaſticum ædificium, tecta nimirum, parietes, & fundamenta, atque adeo Hierarchiam ipſam, non modo vallo, muroque inexpugnabili, hiſtoria nimirum veritatis, cingeres & munires, ſed etiam armatura adverſus hæreſes, dum controverſas quæſtiones doctiſſime pertractas & explicas, cumulate inſtrueres. Oſtendiſti igitur, uti optimus artifex, anguſtiſſimi ædificii, militantis nimirum Eccleſiæ origines, pugnas, victorias, trophæa, & incrementa: oſtendiſti perpetuam & non interruptam Romanorum Pontificum a Petro Apoſtolorum principe ſucceſſionem: oſtendiſti denique ſumma noſtræ fidei firmamenta, utpote, traditiones Apoſtolicas, fidei dogmata, Petri in Eccleſia primatum, SS. Romanæ Eccleſiæ majeſtatem, Conciliorum auctoritatem, vetuſtiſſimorumque ſanctorum Patrum de divinis Scripturis ſenſum: quibus omnibus Catholica fides magnopere firmatur, omnisque impietas & hæreticorum figmenta ita deficiunt, ſicut deficit fumus, & ſicut fluit cera a facie ignis, ſic illa quoque peribunt & evaneſcent. Jam ſi tuæ narrationis modum, genusque dicendi, quo ego magnopere delector, deprædicem; principium facilius quam finem inveniam: atque ipſe fortaſſe, quamlibet veriſſima ſcriberem, aſſentari me tibi putares. Sed vere tibi a me dictum velim credas, admirari me in hoc immenſo opere magnarum variarumque rerum in te ſcientiam, multarum linguarum peritiam, hiſtoriarum tam ſacrarum quam profanarum cognitionem, accuratamque & exactam antiquitatis inveſtigationem, ſive ex veterum lectione, ſive ex numiſmatibus, ſive denique ex vetuſtiſſimis arcuum triumphalium, columnarum, porticuum, templorum, aliarumque vetuſtiſſimarum ædium inſcriptionibus: quæ omnia ita hiſtoriæ tuæ accomodas, ut manifeſtum ſit, neceſſarias eas res unicuique fuiſſe ad texendum tantum opus. Igitur tam magna & ampla talenti tibi crediti lucra atque proventus; bonorumque omnium ſtudia, qui pro tua incolumitate mecum una Deum optimum maximum precantur, ex animo gratulor. Et ut alia omnia, quæ reſtant, volumina, quæ te facturum edituramque promittis, quam citiſſime nobis prodas, ad JESU Chriſti gloriam ex animo opto, atque abs te maximum in modum peto: operamque tibi meam & facultates omnes, tanta quanta ſunt, ad eam rem polliceor & defero. Et, ſi poteris, curabo, ut in Collegio Patrum Societatis JESU Caliſſi, nuper a me fundato & erecto, in linguam noſtram Annales iſti transferantur; ut tu veluti civis Polonus, de univerſa Republica Eccleſiaſtica optime meritus, noſtro nobiſcum idiomate loquaris. Data ex Arce noſtra Lovicien. V. Menſis Auguſti, Anno Domini M. D. XCII.

Rev. P. V.

Studioſiſs. amicus & frater

Staniſlaus Carncovius Dei gratia Archiepiſcopus Gneſnen.
Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, Primusque Princeps.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D.

STANISLAO CARNCOVIO

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI

LEGATO NATO, REGNI POLONIÆ PRIMATI, PRIMOQUE PRINCIPI S. P.

Litterarum tuarum ipſa dumtaxat inſpectione, Præſul ampliſſime, magna admiratione affectus ſum, ubi eas a viro tanto datas ad me novi, nempe ab Archiepiſcopo Gneſnenſe, Legato, Poloniæ totius Primate, primoque Principe, natalibus præfecturiſque adeo nobilitato, & quod cæteris præſtat, ob res præclare geſtas, egregia vitæ meritis ſumma gloria inſignito: qui regalis ſacerdotii functione, & ſacerdotalis principatus miniſterio, ſacerdotem ſimul agens & principem, principem hominem in utroque ſis facile conſummatus; dum Archiepiſcopi ſedulam vigilantiam, Legati ſolertem fidumque miniſterium, Primatis præcipuam diligentiam, ac denique Principis robur indefeſſum, invictumque animum in omnibus quam abſolutiſſime exhibes; adeo ut Perditiſſimis hiſce deploratiſque temporibus, maxime Dei beneficio, tuis quatuor hiſce muneribus factus ſis plurimis cauſa ſalutis, ut de te Propheticum illud occinere jure liceat: Quadriga tua ſalvatio: itemque ſanctis verbis acclamare: Currus Iſrael & auriga ejus: qui & una ſimul quadripertito munere, quatuor munia expleas perſonarum Moyſis, Aaron, Hur, atque Joſue, ſicque inſtar quatuor ſacres uni, dum quorum perſonam geris, eorumdem quatuor virtutes reddas, efficiaque perſolvas. Ad hæc, inquam, adeo admiranda, ipſo primo tuarum litterarum intuitu immenſo fulgore præſtrictis oculis pallens obſtupui: verum ipſas perlegens, mox excuſſo pallore, erubeſcere cœpi, ubi inſpexi immenſas, quas mihi laudes aggeras exaggeraſque dicendi facundia, cum me illis longe imparem ac prorſus immeritum eſſe ſentirem. Sed cave, ne exactius cuncta ſcrutatus, invenias (quod eſt in fabulis) pro virgine cervam, vel ſi ex divinis Scripturis petatur exemplum, conſpicias pellitum pro Davide ſimulacrum; ſuffundariſque ipſe rubore, dum ab illa imagine abhorrere me ſenſeris, quam finxeras tibi animo, atque ſtylo formaveras. Sed eſt plane, ut hoc quoque nomine immortales tibi gratias agam; quod probe intelligam, vehementem amoris vim, quo me proſequeris, haud patientem anguſtis arctari limitibus, redundantia quadam in plures laudationum rivos erupiſſe, fluxiſſeque magno impetu in flumina beneficentiæ, cum adeo liberaliter non ſolum operam tuam ſpondeas, ſed & facultates, tanta quanta ſunt, ut ais, ſponte offeras. Verum liceat illud Apoſtolicum uſurpare: Quæro vos, non veſtra. In his enim quæ opus ſunt, ſatis abunde ſuppeditat mihi Romani Pontificis Clementis munificentia. Cæterum quod ad tuam amplitudinem ſpectat: plus quam ſatis abs te meis rebus conſultum erit, ſi me inter clientes tuos annumeres; ſi vero & inter amicos, ſummam adjicies gratiæ cumulum generoſo animo tuo dignum. Quod autem a me exigis, impertiri tibi licentiam, ut Annales noſtri in Polonorum linguam vertantur, ipſoque Polono effectum, cum Polonis communi idiomate loquar, tam id exiſtimes ad expugnandos hæreticos haud leviter profuturum: imitari plane viſus es mihi fidei patrem Abraham, qui ad debellandos quinque Reges; ſatis ſibi putavit armare vernaculos; & ſequi Davidem, qui regiis neglectis armis ruſticis telis eſt progreſſus ad pugnam: quippe qui probe noverit, nova bella Dominum elegiſſe, in quo qui eſt infirmior, ille potentior habeatur. Accurro igitur ſumma alacritate tanto claſſico excitatus ad bellum, tibique ut tibi ſtrenuo ac pugnandi perito, ut armiger Jonathæ. Annuat votis Deus, ut tuos labores ac ſtudia, divina aſpirante potentia, læta victoria conſequatur: concedatque mihi Evangelica promiſſione, ut qui lingua locuturus ſum nova, ſerpentes pariter tollam. Sciant velim Poloni mei, omnia noſtra patere ipſis: nec id quidem recens, ſed jampridem iiſdem noſtros oppigneratos eſſe labores, cum olim Romæ jaciebantur Polonorum Collegii fundamenta. Sed quod ille plane viſus eſt ad exprimendas vires amoris noſtri erga Polonos anguſtus palæſtræ locus; ecce vocati in latum campum læti progredimur, non paucis tantum, ſed univerſæ provinciæ profuturi, ſub tanto ductore fortes, licet vires noſtras pertenues formidemus. Quod vero per viros religioſiſſimos, eoſdemque eruditos ac maxime pios, affirmas noſtros Annales fore reddendos linguæ Polonæ: nihil hoc potuit nunciari gratius atque jucundius. Si enim Doctor Gentium Paulus, adventu Titi, quo utebatur interprete, magno affectus eſt gaudio: quanta ego debeo geſtire lætitia, tot ſimul nactus Apoſtolicos viros interpretes? Porro hujus adeo gratæ petitionis tuas ipſas litteras teſtes, futuras poſteris perpetuum monumentum, noſtri qui ſub prælo eſt quarti Annalium tomi frontiſpicio perſpicue cunctis affigendas curabimus, vocalem titulum, & ſemper loquentem inſcriptionem, prægrandibus ſignatam notis ſummæ tuæ erga me benevolentiæ. Quin & has noſtras eiſdem ſubjicemus litteras, quæ pro finibus eorumdem Annalium veluti janitores excubent, patentes indices non conceſſionis ſolum, ſed & mei erga amplitudinem tuam ſtudii & obſervantiæ: quæ itidem cunctis ingredientibus notum faciant, & quæ intus ſunt, & omnia denique noſtra noſtros expoſita eſſe Polonis, ipſis dicata, ipſorum ſemper inſervitura commodis: Quibus bene precamur, ut cœpimus acceptam vos a majoribus Catholicam fidem integram illibatamque ſervare, utpote digito Dei ſcriptam, cum innumeris ipſe eam miraculis confirmarit: agnoſcantque paſtorem ſuum, ſanctorum Antiſtitum legitimum ſucceſſorem, veræque fidei & paternarum traditionum hæredem, earumdemque acerrimum defenſorem. Cujus Apoſtolatus vos ipſi credentes (quos appello) ſignaculis in Domino, qui ab eo paſtorali ſtudio revocati eſtis ad caulas: & cum eſſetis oves errantes jam converſi fuiſtis ad paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum; quod pro magno miraculo ſit poſteris commendandum: cum, ut taceam alia multa, in ampliſſima civitate, ubi duos Catholicos vix fuerat reperiri, ægre totidem nunc hæreticos numerari contingat. ut hac ex parte ſit Magno illi Thaumaturgo Gregorio comparandus, ne temere dicere videar præferendus; nam ille & plures numero Chriſtianos reperit; diemque obiens, totidem Gentiles, nempe ſeptemdecim poſt ſe reliquit.

At tu ipſe, validum Eccleſiæ Catholicæ propugnaculum, vale: tibique jam ætate longævo concedat Deus, ut inſtar ſanctiſſimi Simeonis antequam ex hac vita recedas exoptatum, diuque expectatum plenam videas redemptionem Iſrael, univerſum inquam Polonorum populum fide Catholica reſtitutam. Romæ prid. Kal. Octobr. M. D. XCII.

Illuſtriſſime ac Reverendiſs. D. V.

Servus addictiſſimus Cæſar Baronius.

SIXTUS PAPA V.

DILECTO FILIO CÆSARI BARONIO SORANO PRESBYTERO CONGREGATIONIS ORATORII NUNCUPATÆ.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum dilectus filius noſter Antonius tt. SS. Joannis & Pauli presbyter Cardinalis Caraffa nuncupatus Bibliothecarius Apoſtolicus nobis retulerit, a te primum Annalium Eccleſiaſticorum volumen editum, aliaque propediem edenda eſſe, opus non minus docte quam fideliter a te ſcriptum, & ad totius antiquitatis Eccleſiaſticæ notitiam comparandam valde utile: quibus minirum non tantum res geſtæ exacte per annos ſingulos recenſentur, & quæ de his oborta ſunt controverſiæ eluciduntur, ſed etiam ipſi Apoſtolicarum traditionum fontes puriſſimi aperiuntur, atque hæreticorum mendacia confutantur: Nos qui eruditorum omnium fovere ſolemus ingenia: cum tuam in primis induſtriam, & egregiam pro Catholica Eccleſia navatam operam magnopere in Domino commendemus: Cupientes, ut iidem a te editi, vel edendi Annales Eccleſiaſtici ad integram rerum veritatem cuſtodiendam ſerventur penitus incorrupti, & quam diligentiſſime fieri poteſt, typis excudantur: ac demum ne a quoquam ſeu negligentia, ſeu malitia, mendis deformari, aut aliter etiam forſan titulo mutato vel forma, mutari, corrumpi, vel depravari poſſint: MOTU PROPRIO & certa noſtra ſcientia, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, præſertim librorum impreſſoribus, ac Bibliopolis, quovis nomine nuncupatis, tum in urbe, & illius diſtrictu, ac ſtatu & ditione temporali nobis & S. R. E. mediate, vel immediate ſubjecta, ſub quingentorum ducatorum auri Cameræ Apoſtolicæ ipſo applicandorum, nec non amiſſionis librorum atque typorum; quam etiam per totam Italiam & extra eam ubivis gentium, & locorum conſtitutis, ſub Excommunicationis majoris latæ ſententiæ pœnis ipſo abſque alia declaratione incurrendis; Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium interdicimus & inhibemus, ne per decem annos a Data præſentium computandos, Primum Tomum Annalium a te editum, & alios ſingulos a te edendos totidem annorum ſpatio ab uniuſcujuſque eorum editione numerando, abſque tua licentia imprimere, aliove titulo, vel forma quovis prætextu mutatos, vel alio quocumque idiomate verſos edere, vel ſic editos vendere ſeu venales tenere audeant, vel præſumant. MANDANTES univerſis, & ſingulis, venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & aliis locorum ordinariis, eorumque Vicariis ſeu officialibus in ſpiritualibus, generalibus ac in dicto noſtro ſtatu Eccleſiaſtico Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Poteſtatibus, & aliis officialibus: ut quando & quoties per te, vel tuo nomine fuerint requiſiti, præmiſſa contra inobedientes exequantur, & obſervari faciant, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ac ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſvis perſonis quomodolibet conceſſis, & confirmatis. Quibus omnibus, illorum tenores, ac ſi ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut præſentium litterarum exemplis etiam in ipſis voluminibus impreſſis eadem ubique fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris. Die XXVI. Junii M. D. LXXXVIII. Pontificatus noſtri Anno quarto.

Tho. Thom. Gualtherius.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI

ET D. N. SIXTO QVINTO

PONTIFICI MAXIMO

CÆSAR BARONIUS Congregationis Oratorii Presbyter ſempiternam felicitatem.

Antiquiſſimæ ac nobiliſſimæ gentes tanti momenti eſſe intellexerunt, BEATISSIME PATER majorum res geſtas perpetuæ memoriæ commendare, ut ad hujuſmodi opus, veluti ſacroſanctum, non omnes paſſim quantumlibet eruditos ac probos, ſed præſtantiores duntaxat & ſacros viros admiſerint. Etenim apud Ægyptios atque Chaldæos (ut Joſephus auctor eſt) ex longiſſimis olim temporibus ejuſmodi circa conſcriptiones rerum geſtarum diligentia fuit, ut id muneris ſacerdotibus tantum injunxerint. Id quoque non minori, verum etiam potiori induſtria ab antiquioribus Judæis idem tradit eſſe curatum, apud quos eamdem conſcribendæ hiſtoriæ functionem Pontifices ſolummodo atque Prophetæ explere ſolebant. Sed & Romani ab ipſo Urbis exordio id ipſum accuratiſſime præſtiterunt: nam ſcribendorum Annalium facultatem penes ſe Pontifices retinebant: ut plane appareat, nonniſi impellente numine, tot gentes adeo inter ſe diverſas locorumque intervallo diſtantes, perinde ac populum unum, uni ſubditum Domino, eidem veluti præſcripta ſibi divinitus legi obtemperantes, in unam eamdemque ea de re ſententiam conveniſſe. Quod igitur a tot gentibus ſolertiſſima fuerat procuratum induſtria, in Eccleſia Chriſti nequaquam fuit oſcitanter a majoribus prætermiſſum atque neglectum: nam ab ipſis propemodum Eccleſiæ Romanæ cunabulis, ſummus Chriſtianæ religionis Antiſtes ſanctus Clemens ſeptem elegit Notarios, qui in idem opus ſtrenue ac diligenter incumberent: quibus poſtea totidem additi ſunt Subdiaconi cognitores. Quæ omnia diligentiſſime ſcripta atque recognita, a Romano Pontifice, ſingula pariter exactiſſime diſquirente, in publicis Eccleſiæ Tabulariis condebantur. Sed hæc ipſa tam accurato ſtudio comparata, fide publica obſignata, ſummaque dili-

[Ex tomo II. Annalium.]

[Joſeph. contra Appionem lib. 1.]

[Rom. Pont. in Clemente.]

[Rom. Pont. in Fabiano.]

[Rom. Pont. in Anthero.]

diligentia cuſtodita (proh dolor!) in ſæviſſimo atque vaſtiſſimo illo Chriſtiani Orbis incendio, face
publica, Diocletiani Imperatoris edicto ubique promulgato ſumma jactura maximoq. totius Eccleſiæ de-
trimento, ſimpe omnis abſque delectu una cum ſacris divinæ Scripturæ libris concremata fuere; adeo
ut vix pauca quædam, veluti tenues ex buſto reliquiæ, ſuperfuerint. Ad hæc igitur colligenda, aliaq.
omnis aliis immenſa pene aggerum mole obruta, & alta oblivione ſepulta, e ruderibus in lucem de-
nuo vendicanda, omnis ſemper noſtra ſolertia (longa jam in opus ætate contrita) ſummo ſtudio ar-
que induſtria laboravit: Hæc, inquam, Sanctitas tua, ſatis ſibi cognita atque probata, Vaticanæ
quoque excudenda fore prelis, appoſito ſacro chirographo, ſua auctoritate mandavit. Editus itaque jam
primus Annalium tomus, tua benedictione inſigniter roboratus ſummaq. tua gratia præclare admodum
illuſtratus, atque litteris Apoſtolicis egregie communitus, mirifico eruditorum applauſu ubique ſuſceptus
eſt; quod adgratulantes non pauci ſuis humaniſſime datis ad me ſæpe litteris ſignificarunt. Sed ecce,
quem tua pariter benedictione feliciter auſpicati ſumus, ſecundum Annalium tomum. idem divina
Deut. 28. gratia abſolutus Beatitudini tuæ itidem ſe offert benedicendus: ut ſic (quod in divinis benedictionibus
eſt) ſit benedictus egrediens & ingrediens, domiq. ac foris benedictionibus repleatur. Novi plane, SAN-
CTISSIME PATER (liceat quod verum eſt, libere profiteri) novi, inquam, quanta vis Apoſtolicis
benedictionibus inſit: quippe quibus mox divinus favor adſpirat; earumdemq. virtute (quod in me ſum
expertus) quæ arida terra eſt, aquis exundet; & quæ ſterilis, frugum ubertate lætetur: adeo ut ex
divina illius quoque benedictionis præſcripto apprehendat tritura vindemiam, & vindemia occupet
Levit. 26. ſumma ubertate ſementem. Nam needum quidem abſoluto primo Annalium tomo, in editione ſecunda
fuit laborandum, eodemq. nec penitus conſummato, tertius tomus importune ſe manibus ingerit ex-
ſcribendus, elimandus pariter & excudendus. Quare cum nullus prorſus a laboribus ſibi invicem ſucceden-
tibus, immo & ſeſe arctantibus ac comprimentibus, detur reſpirandi locus; excuſatione, veniaq. dignum me
exiſtimet Sanctitas tua, ſi, quod pridem pollicitus eram, ſingulis annis ſingulos tomos edere, præſcriptum
terminum excedere videar. Non enim temporis æque ac ſumptuum, quos ad perficiendum opus ſatis eſſe ſpe-
Luc. 14. bam, ratio recte ſubduci potuit: ſiquidem, quod compertum ſatis habui, res maximi ponderis haud poſſunt cur-
riculi velocitate moveri, vel trochleæ unius volubilitate ſuſtolli; ſed (quod videmus in obeliſcis tuo
juſſu nuper erectis) permultis opus eſt machinis, ut vel lento moveri gradu, ac ſenſim erigi, ſupraq.
baſes valeant recta linea collocari. Dabo tamen operam, ut pollicitum tempus haud longius prætergre-
diar: nam nec ſi vellem, differre liceret, viris eruditis litterarum me ſuarum ſtimulis undique im-
pellentibus: ſed & ipſa ætas ad ſenium vergens, opus maturare, magnopere perſuadet. Succumbe-
Philip. 1. rent plane oneri graviſſimo vires impares: ſed videlicet tantam fiduciam de Apoſtolica benedictione con-
1. Petr. 5. cipio: quam, licet indignus ſubmiſſe tamen animo vehementer depoſco: Qua copioſe a tua Beatitu-
dine impertita, idem qui cœpit in nobis opus bonum, ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque. Vale
Rom. 16. BEATISSIME PATER. Deus autem pacis conterat ſathanam velociter ſub pedibus tuis.

FEDERICO BORROMÆO

S. R. E. DIACONO CARDINALI AMPLISSIMO

CÆSAR BARONIUS Felicitatem.

MAgno quidem & gravi damno tunc, Cardinalis ampliſſime, affecta eſt Eccleſia Dei, cum
Carolus Borromæus Cardinalis S. Praxedis (cujus pia dignaq. memoria in benedictione eſt)
non tam immatura ſibi, quam bonis omnibus acerba morte ex hoc exilio ærumnoſo ad cæ-
leſtem patriam commigravit. In eo enim adeo divinæ gratiæ ſplendor eluxit, ut ipſum om-
nes alterum Ambroſium non immerito prædicarent. At qui ſublimium ſuarum virtutum
ſumma potentia omnium animos ſibi devinxit, me ipſum arctioribus charitatis vinculis obligavit, ut
eum omni genere obſervantiæ, ſtudii, atque officii colere, celebrare, ac frequentare ſtatuerim, deſtina-
verimq. has meas lucubrationes, licet tenues, ſi quando darentur in lucem, eidem in primis offerre,
magnum inde fulgorem conſecuturas, ſi illuſtrata ejus nominis gloria ederentur. Id præterea ut fece-
rim, compellebat, & quaſi jure debitum exigebat immenſus ejus amor, quo me collegaſq. fratres
meos proſequebatur, reſq. noſtras auctoritate & patrocinio confovebat. Eo autem ad æterna præmia
(ut pie credimus) evocato, ſane dolebam, quaſi abrupto filo, ſpem mei deſiderii concidiſſe: ſed Dei
providentia, qui graviora damna ſarcire, & dolorem bonorum non parum lenire, atque demortui ſe-
Deut. 25. men in fratre ſuperſtite excitare ſtatuit, te nobis dedit, & ipſum in te reddidit, ſic meum jacturam
duplici emolumento compenſans; cum liceat hæc noſtra ejus jam viventis in cælis clariori atque cele-
briori memoria inſignire, necnon tuo tanto nomine conſignare. Siquidem ratio videtur exigere, ut quæ
illi elaborata erant, tibi jure optimo perſolvantur, qui illius etſi minus mortalium & caducorum
bonorum, quæ jampridem cum æterni, auſu ſancto, commutaverat, virtutum tamen relictus es locu-
pletiſſimus hæres; id quidem moribus tuis, velut teſtamenti veris tabulis, aperte teſtantibus. Non
aſſentor, Deus ſcit: tacuiſſemq. libentius, niſi hæc tibi jam currenti urgentia fore calcaria judicarem,
ferremq. Deo rem gratam facturum: nam prophetico oraculo declaratur, ea illi placere, qui timen-
Pſalm. 24. tes Dominum laudibus celebrant. Ex ſententia plane ei accidit, ut ſummo labore atque induſtria,
divina adſpirante gratia, partas divitias ſpirituales in te transferret, atque fœcundo germine felici-
ter propagaret. Id namque ſemper fuerat meditatus (quod & ſedulo curabat officio) ut te puerum,
inſtar puriſſimæ ceræ ſuis compoſitum manibus formaret in virum etiam ex parte perfectum. Sed dum
ad abſolutum omnibus numeris virtutis exemplar te ſtuduit conformare, ſuam in te expreſſit imagi-
nem: quam quidem cum ex iiſdem lineamentis eamdem ferme eſſe omnes intelligant, gaudent i-
pſum in te conſpicere redivivum, & in tua adoleſcentia reflorescere. Hanc attentius proxime ſpectans
Sanctiſſimus Dominus noſter SIXTUS QUINTUS Pontifex Maximus, ut eamdem ipſiſſimam in omni-
bus redderet, qui eantum deeſſe videbantur, colores appoſuit; cum te exornans purpura, creavit S.
R. E. Diaconum Cardinalem: id ſummis votis expetente populo Chriſtiano, idq. divino Spiritu (li-
bero dicerim) imperante. Quam felix, quam fauſtum nomen Cardinalis Borromæi Fidelium auribus
tunc reſtitutum reſonuit, cum tu, qui ille ipſe moribus videbaris, dignitatis etiam gradu idem eſ-
ſes, ac nomine pariter diceretis! Quamobrem ad ſummam illam ſpem concipiendam multum te intuen-
tium animos erigis, ut, qui inſtar Eliſæi in Eliæ pallio, ampliſſimæ illius dignitatis es inſignia
conſecutus, duplicis quoque ejus ſpiritus hæres fias. Id ut feliciter aſſequaris, cum omnes exoptent,
4. Reg. 2. ego in primis ſummo expeto deſiderio: qui cum illum in te maxime veneror, te ita ipſe plurimum
dilige

dilige; dumq. tuum in te contemplor, te complector; & magnopere colo, cum ipſum recolo. Sic igitur oppignoratus illius ſumma virtutis meritis has meas lucubrationes jure tibi rependo easq. offero, quibus ſcio te plurimum delectari. Accubanti namque tibi menſa illi, quam opipare divina Sapientia præparavit, voratisq. jam avido pectore Theologicæ diſciplinæ Scholaſticis facultatibus, hauſtoq. cratere, Proverb.9.
quem Hebraicis miſcuit tibi latebris: adhuc nondum eſuriens eadem apparata regia nova infert fercula ex occiſis tauris illis atque altilibus Evangelicis. Præſtat enim hac preſens tomus ſecundus Annalium, quo excitatæ ab Imperatoribus Ethnicis immanes perſecutiones in Eccleſiam continentur, Matt.22.
martyrumq. tædæ, immo victoriæ atque triumphi glorioſiſſimi deſcribuntur: ſed & innumera hæreticorum certamina, deq. illorum ſuperata perfidia trophæa præclara narrantur. Ex quibus etiam eadem Sapientia ſic ludens in Orbe terrarum, cum leones ovibus ſuperat, & columbis ſerpentes exagitat, perjucunda tibi nobilis dignaq. convivia exhibet arromata. His fruere & delectare. Vale, viveq. feliciter ſemper Catholicæ Eccleſiæ profuturus. Proverb.8.

PIO AC VERITATIS STUDIOSO LECTORI

CÆSAR BARONIUS.

ARgumenti quidem ratio poſtularet, pie Lector, ut aggreſſurum te ſecundi tomi Annalium lectionem, de noſtro inſtituto pluribus moneremus: niſi æquum eſſet exiſtimare, te eumdem haud imparatum atque adeo obiter auſpicaturum: ſed potius (quod rerum ordo ac temporum a te exigit) decurſo eorumdem Annalium primo tomo, quæ in ejus exordio præfati ſumus, tibi perſpecta, eadem ad reliquorum cognitionem ſatis eſſe. Non enim iſta in plures tomos facta partitio, eſt argumenti diverſitatis indicium, ſed temporum potius diſcriminatio quædam, & unius operis opportuna facta in plura volumina ſectio. Cum igitur unum idemq. librorum omnium ſit argumentum: unum ſatis fuerit in ipſius primi tomi Annalium fronte totius ſtructura propoſuiſſe tibi ſemel exemplar; ut non ſit neceſſe eadem cum faſtidio ſæpe repetere, & cum moleſtia crebrius inculcare. Cæterum his a te recte percognitis, illius tamen noſtri inſtituti te oportet frequentius meminiſſe; nos haud eſſe pollicitos (quod eadis fortaſſe Lector optaſſet) ſimplicem tantum rerum geſtarum abſque aliqua exquiſita indagatione veritatis (quam hiſtorica narratio potiſſimum efflagitare videtur) curſu recto ac ſine vorticibus quæſtionum placideq. fluentem orationem: ſed (quod certo ſciremus eruditiſſimos viros vehementer expetere) ſpopondiſſe pro viribus elucidationem locorum difficilium, quibus Eccleſiaſtica abundat hiſtoria; enodationem quoque perplexitatum, quibus eadem omni ex parte implicata paſſimq. obvoluta conſpicitur. Quo quidem nomine devincimur jam nobis animos doctiſſimorum virorum, qui, datis ad nos litteris, id ingenue profeſſi ſunt. Sed & exigente noſtri ſæculi ſtatu infeliciſſime, quo unum illud omninoq. maximum in eo apparuit ſtudium hæreticorum & tota propenſior, ut antiquos terminos a Sanctis Apoſtolis eorumq. ſucceſſoribus conſtitutos omnino convellerent: oportuit nos Apoſtolicas traditiones, perinde ac baſes quaſdam Eccleſiaſticarum rerum geſtarum, firmiter collocaſſe, ac ſolidius ſtabiliſſe. Quibus ſemel jactis quaſi totius ædificij ab initio fundamentis, quæ ſuper ea impoſita moles exurgit, gratiorem atque jucundiorem jam tibi ſui repræſentabit aſpectum. De cujus quoque ſtructura, dum legendo conſectaris noſtra veſtigia, tecum interdum familiariſſime colloqui, & prout ſe occaſio obtulerit, de pluribus admonere, haud moleſtum erit. Illud demum tibi in omnibus perſuadeas, nos tuos progreſſus magnopere deſiderare: & quo magis magiſq. proficias, in hoc conſilium omne noſtrum invigilare, excubare induſtriam, atque laborare ingenium, certo ſcias. Quintiam tibi & eruditorum fratrum noſtrorum ſtudium ſolertiſſimum pollicemur, qui eoſdem noſtros Annales redigent in epitomen, ex iiſdemq. ſeorſum Vitas Romanorum Pontificum in tui gratiam atque commodum jam colligere parant. Vale.

Hic ſubjecit Author appendicem ad lectorem acatholicum, quæ cum in editione Vallicellana præfationi generali addita ſit; omittendam hic ad evitandam moleſtam repetitionem judico.

PHILIPPO II.

HISPANIARUM REGI CATHOLICO POTENTISSIMO

ET INVICTISSIMO

CÆSAR BARONIUS Congregationis Oratorii Presbyter ſempiternam felicitatem.

QUID Deo, quid Principibus debeatur, Apoſtolorum Princeps brevi illa ſententia definivit: Deum timete, Regem honorificate. Qui vero inter Deum atque Regem medij intercedunt Sacerdotes, duplici dignos honore Paulus Apoſtolus judicavit. His ego legibus parens, ante omnes ſummo totius Chriſtianæ religionis Antiſtiti duplex munus, nempe primum & ſecundum Annalium Tomos obtuli: Hic vero tertius ex Conſtantini Magni magnis rebus geſtis contextus, tibi, PHILIPPE Regum maxime, de induſtria (quod Samuel dixit) ſervatus eſt, Regium plane munus, ex Regiis depromptum theſauris, Rege maximo pio dignum: Regum namque eſt Annales legere, quos ex eorum lectione magnos conſtat feciſſe progreſſus, animumque ad res magnas inchoandas & perficiendas erexiſſe; cujus rei etſi complura ſuppetere poſſent exempla; unum vel alterum ex ſacris litteris adduxiſſe, contenti erimus. Certe ex Annalium lectione potentiſſimus ille Rex Aſſuerus, quid virtuti, quid ſceleri deberetur, accepit; ſummoque juſtitiæ libramento, ſuum cuique tribuens, periclitantem ſub gladio Dei populum liberavit, atque ſuperbiſſimum Aman infami ſupplicio condemnavit. Sed & Darius Rex una Annalium inſpectione pietatem didicit, cum ex Cyri Regis, præſcripto non ſolum adverſarios Judæorum ædificantium Dei templum cohibuit, verum etiam immenſæ molis opus ſuis ſumptibus abſolvendum, & ſacrificia immolanda, ut dignum erat Regia munificentia, curavit; novitque Deum timere quem & Judæorum precibus opportet ſibi eſſe placatum.

Ex Tomo III. Annalium.
1. Petr. 2.
1. Tim. 5.
1. Reg. 9.
Eſther 6.
1. Eſdr 6.

Quod igitur Regem decet accipere, atque congruit a ſacerdote tibi ortu & origine ſubdito impertiri. Non enim animis ſacerdotium ab illa penſitatione tributi, qua ſcilicet Reges poſſint effici ſan-

Matth. 17. *ditiores; perſolventibus alitis cenſum, ex quo ditiores reddantur. Docuit nos Dominus, quodnam ſacerdotes pendere debeant Regibus tributum, ſtaterem nempe, eumdemque in ore piſcis inventum, quem & juſſu Domini Petrus hamo piſcatus eſſet, quatuor drachmarum pretii nummum. Quibus ſymbolicis formulis, veluti hieroglyphicis characteribus, una fides Catholica quatuor Evangeliis conſignata oreque Apoſtolico prædicata oſtenditur.*

Quod quidem tributi genus a me Ampliſſimæ Majeſtati tuæ, non ut indigenti perſolvitur, utpote biſce divitiis largiter affluenti, ex eiſque univerſum Novum Orbem (quod plane eſt valde admirandum) ubertim locupletanti; ſed quod religio pietaſque tua id jure ſuo quodammodo exigat; & obſequium, ſtudium, obſervantiaque in te mea hoc ipſum poſtulare omnino videatur. Quamobrem quod mearum partium eſt, emperatum divina lege tributum infero in magnum illud tuæ pietatis Ærarium, perſolvens ſtaterem illum in ore illius piſcis inventum, quem Chriſtus ipſe ſalutari ſigno, miro quodam ratione de ſalo piſcatus, oſtenſo nimirum cælitus Cruce, velut hamo, vincendi ſpe, dulci captum eſca, e fluctibus impietatis ad littus eductum Eccleſiæ pertraxit ad fidem: magnus ſane piſcis, in cujus ore ſtater inventus tot poſteros ditavit Imperatores. Penditur hic ipſe a me tibi, dum quæ ab eodem Conſtantino in fide emperſonda, tuenda, illuſtranda, amplificanda, & ad exteros longe lateque propaganda geſta ſunt, annis ſingulis, tertio hoc Annalium Tomo, ſumma fide potiſſimum exhibentur.

Accipe ergo grato animo, quod pio affectu perſolvitur, ſacerdotale tributum, ſtaterem ſacrum, numiſma nobile, imagine Cæſaris inſignitum, tibi tamquam Cæſari debitum a Cæſare exhibitum, Regique Catholico jure penſum; quod & præclaro fidei ſigno, fulmifera Crucis vexillo, extat impreſſum: illud vero tunc locupletius exhibendum, cum ex ſuſcepto ſemel munere, res a te pie ſanctèque geſtæ annis ſingulis, iiſdem Annalibus ſuo quoque tempore feliciter intexentur, quas poſteri Reges ſint admiraturi, utinam & imitaturi; cum de te longe plura atque majora vere narrata eſſe comperient, quam, ut Xenophon in Cyro effinxit, neque de Chriſtianis Principibus multa abhinc retro ſæcula conſpexere. Vale, Rex inclyte, Chriſtianorum Regum maximum decus & ornamentum: teque ardentiſſimo ſtudio Catholicam fidem ſtrenue protegentem, ac latiſſime propagantem, diu ſuperſtitem Deus conſervet incolumem; atque demum immortalis quoque gloriæ corona fulgentiſſima auctum, in conſortium Regni cæleſtis accipiat.

AUGUSTINO CUSANO

S. R. E. PRESBYTERO CARD. AMPLISSIMO

CÆSAR BARONIUS FELICITATEM.

Exigit officium quod æquitas imperat, atque in primis ratio perſuadet, Cardinalis Ampliſſime, ut Annales noſtri tandem, licet ſero, de acceptis beneficiis gratias relaturi, te conveniant; quos adhuc in cunabulis poſitos benevolentia foviſti, munificentiaque lactaſti. Cum enim magno Dei conſilio negotiis illis domeſtica te quietis amantem, vel invitum, Romam pertraxerint; quamvis pateret tibi, ſi voluiſſes, perampla ad habitandum palatia; tu tamen Auguſtinus, Hieronymi gloriæ æmulus, illis omnino ſpretis, ad Bethlehem divertiſti ad noſtras, inquam, ſub titulo Deiparæ Virginis humiles ædes. ubi biennio commoratus, cum primum oculos in meas lucubrationes adhuc plane informes & rudes conjeciſſi, illarum amore captus, ad eas excolendas, & ocyus abſolvendas, opem ſedulo contuliſti. Liceat mihi, quod
Matt. 10. Luc. 12. *in angulo geſtum eſt prædicare, auctoritate Domini, ſuper tecta: necnon de te illud Apoſtolo magnum gloriæ præconium uſurpare: nullus mihi communicavit in ratione dati & accepti, niſi tu*
Philip. 4. *ſolus.*

Atqui quamvis magna ſint hæc & qualibet gratiarum actione majora videri poſſint, minima tamen apparent, ſi conferantur cum uberrimo illo ceterarum virtutum tuarum promptuario, tuis nobis millibus patefacto, cum ex eo quid ſeniores in te mirarentur imitarenturq. juniores, copioſiſſime invenirent: quippe cum te ipſum in omnibus exhiberes abſolutiſſimum virtutum exemplar, nec illud quidem recens efformatum, ſed longiore uſu jam ante probatum: Cujus cum natura ipſa, rerum magiſtra, prima quadam lineamenta duxiſſet probitatis, eaque adeo nota, ut te domo primo egredientem cum adoleſcentulum ſuſcepiſſet florentiſſima Italiæ Academia Juris prudentia imbuendum; admirantibus ferme omnibus pro miraculo, ſeniorem te ipſum, magiſtrumque natum invenerint: accedens inſuper præcellens manus artificis Caroli Borromæi Cardinalis S. Praxedis, patriæ tuæ Archiepiſcopi digna memoria, numeris omnibus abſolutum reddidit.

Ita quidem in te olim a pueritia, ſummus ille rerum opifex Deus Optimus Maximus ſtatuenda in Templo ſancto ſuo ingentis columnæ jecit fundamenta virtutum; magnamque dejuper molem erigens, cunctantem te, detrectantemque, nec niſi ſpirituali obſequentem imperio, ad ampliſſimorum magiſtratuum vocavit honeſtiſſimam functionem, atque demum elegit S. R. E. Diaconum Cardinalem, auxitque presbyteratu. Quo tanto dignatus honore, quamvis intus ob præſtantem illum animi tui humilitatem ſub purpura duplo palleas, foris tamen præ oculis omnium maxima reſplendes claritudine, atque illa quidem non tam ex dignitatis ſplendore, quam ex virtutum radiis longe lateque fulgentibus comparata. Quo nomine cum boni omnes Deo ſe plurimum debere fateantur, quod te tanta ſæculi hujus pravorum morum offuſa caligine, latentem lucernam ſub modio, extulit ſuper candelabrum lucentem omnibus; ego in primis, qui eo amplius tam magnis bonis fruor, quo diuturna conſuetudine tibi propius accedo, Deo me magis devinctum eſſe profiteor; tibique cum ob virtutum præclara merita, tum ob collata tua in me plurima beneficia, obſtrictum quam maxime.

Quorum gratia, cum Tomi hujus oblatio, leviſſima compenſatio videatur, finge tibi, quot in eo ſunt chartæ quot verſus, dictiones, ſyllabæ, litteræ, ac denique apices, tot eſſe ora clamantia, jugiterque dicentia: Gratias tibi referimus immortales, cujus munere conluximus, ut e latebris in apertam lucem prodiremur. Nec nos modo id ipſum ingenue profiteri æquum fuerit, ſed & univerſam Oratorii Congregationem, matrem noſtram: cui per te, nimirum opera tua, pio ſane ac ſaluberrimo conſilio, te, inquam, promotore, te auctore, incomparabilis theſaurus ille obvenit, Sanctorum videlicet martyrum Papiæ & Mauri corporum pignus duplex a Sixto V. Pontifice Maximo

ad

ad æternam rei memoriam ipſi dono datam. Quamobrem quantum præclara iſta tam ſinceri tamq. eximii tui erga nos amoris monumenta excreverint, tantumdem noſtra in te obſervantia debitaque gratitudinis ſubinde augebitur cumulus; & tanta demum utrinque fiet acceſſio, quantam venturorum deinceps ſæculorum nulla umquam debere poſſit oblivio. Vale.

PIO AC VERITATIS STUDIOSO LECTORI

CÆSAR BARONIUS S.

ECCE tertium tibi, Lector, exhibemus noſtrorum Annalium Tomum, quem te avidius expetiiſſe, expectaſſeque ſcimus; utpote qui probe noveris difficillimas in eo pertractandas eſſe quæſtiones, perplexitateſque pene inſolubiles enodandas: ut & jure exiſtimare potueris, haud ita liberam usque ſecuram, ut in ceteris, eſſe progreſſuram orationem dubiarum rerum trepidatione cunctantem. Ita ſane. At illud certe quidem nos te præterit, a labore improbo vinci omnia, ſi præſertim divinus favor aſpiret, cui potiſſimum inniti conſuevimus.

Quid autem in hoc Tomo elaborando vigilans noſtrum ſtudium tibi præſtiterit, judicabis tu ipſe, cum magno otio cuncta perlegeris: non enim te volumus tantummodo eorumdem Annalium inſpectorem, ſed curioſiſſimum exploratorem, & (quod magis expetimus) proficuum tibi, aliiſque fructuoſum eſſe lectorem. Hujus namque rei gratia ejuſmodi ſuſcepimus laboris immenſi provinciam; nimirum, ut, excurrendo ab exordio Chriſti Regni in præſentem usque diem minorum ſingulorum periodos, unam eamdemque ſemper fuiſſe intelligas Catholicam fidem, perſeveraſſeque jugiter unam Eccleſiam, viciſſitudine tamen rerum & temporum agitatam. Ut enim catenam unam conficiunt connexi mutuis annuli; ita anni annis conjuncti pluribus annorum circulis unum idemque opus perficiunt, atque unam tibi eamdemque ſemper exiſtentem repræſentant Eccleſiam: quo quidem pia mente, veritatis ſolummodo cupida, nihil accidere gratius, nihilque poteſt eſſe jucundius; dum Chriſtianam fidem, quam credit, eamdem ab ipſo Eccleſiæ exordio cunctis ſæculis traditam, illibate ſervatam, ſancteque cuſtoditam conſiderat.

Sed & doceant te, (qui ſcopus hiſtoriæ eſt) majorum facta prudentiam, illam videlicet, quæ divini Rom. 8.
Spiritus eſt, atque pacem, ex ſententia Apoſtoli, vitamque conciliat: admoneantq. te pariter, ut devites hanc longe contrariam fatuam illam ſæculi prudentiam, tetro mortis nomine definitam, a fi- Baruch. 3.
liis Agar, reprobis ſcilicet omnibus, tantopere perquiſitam. Hæc quidem perfacile aſſequeris, cum totum hunc Annalium curſum (qui, ſicut omne tempus die ac nocte, contrariarum rerum viciſſitudine volvitur & interpolatur) attente contemplans; quid bonum, quidve ſit malum, intelliges; qui item lucis, quive filii ſint tenebrarum, addiſces; qui denique regia gradiantur via, quive non recto pede incedant ad Evangelii veritatem, vel claudicent in utramque partem, plane cognoſcere. Sunt enim e proh dolor! & Eccleſiæ filii, & fidei Catholicæ profeſſores, qui, etſi Babylonicæ fornacis ignem impietate ſuccenſum cavent, fumo tamen non carent, dum inconſulte nimis Eccleſiaſticam auctoritatem deprimunt atque contemnunt, quam recentiores hæretici penitus convellere atque proſternere ſatagunt: cum par eſſet, hoc potiſſimum tempore, quo ea ab adverſariis impugnatur, a filiis Eccleſiæ defendi, erigi, atque firmari; ipſamque imitari naturam, quæ tunc aſſurgit vehementiori conatu, cum contrariis laceſſitur; legeque Spiritus tunc ardentioribus animis repugnare, cum acerbiora adverſariorum certamina ingruunt. Nam in Chriſti fidelibus tunc Eccleſia fortior ſemper apparuit, cum gravioribus fuit præliis appetita.

At quid hoc perditiſſimo tempore? Cum enim Dominus dicat: Qui non colligit mecum, diſpergit; & Luc. 11.
qui non eſt mecum, contra me eſt: cujuſnam, quæſo, ordinis hi cenſendi erunt, & in quorum redigendi claſſem; qui hac ex parte, etſi non cum adverſariis, pro adverſariis tamen eo modo dimicare noſcuntur? Tu ipſe dicas, quid ſentias. Sed hæc hactenus. Provoco te in omnibus ad ipſorum Annalium lectionem, in quibus expreſſam qualibet tempore habes cum fidei Chriſtianæ veritate, eam quæ ex Deo eſt, & a Sanctis receptam, probatamque uſu prudentiam. Has, Lector, lege ex Annalibus fontibus, iiſdemque fruere, atque vale.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI

ET D. N. CLEMENTI VIII. PONTIF. MAXIMO

CÆSAR BARONIUS CONGREGATIONIS Oratorii Presbyter ſempiternam felicitatem.

DIVINO plane nutu factum eſſe videtur, Beatiſſime Pater, ut qui tempore Sixti Quinti ſan- Ex Tomo
ctæ memoriæ Pontificis Maximi Annales noſtri in lucem prodire cœperunt, eorumdem Tomus IV.
quartus, quarto tibi ejuſdem in ſede Pontificia ſucceſſori jure debitus perſolvatur. Et quidem Annalium.
dem inſpicies feliciſſimus, afferens ſecum ſua tractatione quatuor illos Orientalis Eccleſiæ
vertices, ſanctiſſimos Epiſcopos atque Doctores, Magnum Athanaſium, Baſilium itidem Magnum, Gregorium, Theologum ſummum, & Joannem eloquentia maximum cognomento Chryſoſtomum; eamque iis adducens quatuor Occidentalis Eccleſiæ culmina, fidei columnas, luminaria magna, Orbis miracula, Hilarium, Hieronymum, Ambroſium, & Auguſtinum; tantorum Patrum corona cingens thronum tuum, ipſis quoque Angelis venerandum. Præclaris igitur hiſce comitibus animoſior offert ſeſe ſa- Geneſ. 27.
cro conſpectui tuo quartus hic mihi genitus partus; tibi vero primogenitus, expetens ut primogenitus
a te benedici, nec non quarto loco nato filio impertitam a Jacob benedictionem accipere; ſed nimirum Geneſ. 49.
utiliùs tua Sanctitas ad declinandam invidiam, duas haſce benedictiones una illa compenſabit, quæ cæleſtia eademque perennia tribuuntur. Hanc ut conſequi merear, oro cupioque; tidem apud te exiſtant tanti proceres interceſſores: quos iſta tua erga me beneficentia tibi concilians, aliiſque demerens officiis, magna ab eis exigere poteris beneficia, habiturus eos tibi jugiter aſſiſtentes in rebus difficillimis conſultores, conſolatores in adverſis, in adverſarios propugnatores, & adjutores in paſtorali onere ſuſtinendo; tantoque vallatus agmine beatorum, omnia bene cœpta feliciorbus ſucceſſibus proſequaris ut

Eccle-

Eccleſia gaudium impleatur. Quæ quidem poſt innumerabiles clades, poſtque tot Romanorum Pontificum brevi temporis ſpatio funera, ad electionem tuam divinitus inſpiratam reſpirans tandem, lugubria Iſ. 61. veſtimenta depoſuit, accipiens a Domino, ſecundum divinum oraculum, oleum gaudii pro luctu, pro cinere coronam, & pro ſpiritu mœroris pallium laudis; ad ſpem quoque majorem erecta, ut in te, quod ſequitur impleatur; nimirum, deſerta a ſæculo ædifices, ruinas antiquas erigas, & diſſipatas civitates inſtaures, ipſas nempe Eccleſias ad fidem reſtituas jam ab impietate proſtratas. Majore vero perfunditur gaudio, cum tanta erigenda molis jacta jam videat fundamenta, & optata diu ſurgere mœnia a terra, erigi quas ſuper baſes ſuas ingentes columnas, dum ad ſummos honores optimos quoſque provehis. Accedit ad lætitiæ cumulum, quod aſpiciat diu exterrem reſtitui Eccleſiaſticam diſciplinam, vigilare moram cenſuram, reviviſcere ſui obſervantia leges, ſacroſque canones peſſum iterum floreſcere, cohiberi improborum audaciam, poſtliminio revocari exulem probitatem, ſacrarumque rerum ſcientiam excoli vehementius.

Ingens plane ſe hic aperiret curriculum orationi meæ, ſi vellem eam per ampliſſimum campum virtutum tuarum laxatis quaſi habenis immittere; ſed illas ut contraham, facit perpetua atque admirabilis modeſtia tua, qua ſoles laudes exiſtimare jacula, & hoſtes credere laudatores. Sed quando hoc mihi nulla ratione conceditur; reliquum eſt, ut (ſecundum illud Apoſtoli: Sive excedimus, Deo; 2. Cor. 5. ſive ſobrii ſumus, vobis) quoniam cogitur oratio per tuas laudes tranſilire jejuna; eamdem incitatam ſemel, ſinam effuſo curſu prorumpere in laudes Dei, & uberes gratiarum actiones, in quibus nullam timere poſſit invidiam, nec ſuſpicionem adulationis incurrere, cum & impellatur religione, atque urgeatur ex debito. Etenim quis impie & ingrate animis tot tantaque Dei dona tibi pro ſalute omnium attributa duxerit eſſe obvolvenda ſilentio, & iniqua oblivionis veluti nube obſcuranda, ac non potius pro illis Deo optimo maximo omnium bonorum auctori immortales immenſaſque grates & agendas & habendas eſſe cenſuerit? cum vel ab ipſis incunabulis ſua providentia (ut uno Propheta ſententia cuncta Deut. 32. complectar) te circumduxerit & docuerit, & cuſtodierit ut pupillam oculi ſui; parentem illum in primis tribuens, maximum noſtri ſæculi decus; qui cum ſapientia polleret ac rerum ſcientia, duobus hiſce alis te ſicut aquila provocans ad volandum pullum ſuum, docuit ſuo ductu ima deſpicere, ac ſublimia petere quam celerrimo volatu. Sed, cito nimis altius ſe efferens, & ſeſe in cæleſtibus abdens, ab oculis ſubductus eſt tuis; verum reliquit tibi, quem ſequereris ducem prævium, morum magiſtrum, virtutum vivum exemplar, Joannem clariſſimæ memoriæ germanum fratrem tuum, magnum illum S. R. E. Cardinalem quavis laude majorem; qui providum agens aurigam credita ſibi quadriga, quatuor fratres ſumma concordia moderatus, dignos Apoſtolicæ Sedis dignos obſequiis mancipavit, te vero præcipua propenſiore cura atque ſolertiore induſtria, veluti præſenti futurorum ad perfectiorem imaginem probitatis excoluit, ad hoc a Deo tandiu cæli civis agere permiſſus in terris, donec ſuſceptum opus abſolveret: Qui ex hac vita recedens, ampliſſimi te patrimonii reliquit hæredem, ſapientiæ ſcilicet ipſius ſibi a Deo commiſſæ, in te poſtea pleno atque integro transfundendo; quæ individua tibi ſemper ſocia jungeretur & comes, conſeſſura tecum in eminentioribus Eccleſiæ tribunalibus, progreſſura pariter ad remotiores provincias in Romanæ Eccleſiæ beatiſſimis functionibus, conciliatura tibi Reges & Principes, ac cuncta denique dextere confectura; qua item duce, tandem tu, quaſi alter David, fratrum tuorum natu minimus, Maximus Pontifex eveherere; ut merito gratias Deo referens, illud ipſe ejuſdem Davidis uſurpare poſſis: Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti Pſalm. 72. me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Cum igitur pro his donis a Deo tibi communi hominum bono conceſſis divinæ bonitati ab omnibus ſint gratiæ agendæ; mihi certe id potiſſimum incumbit ex munere, quod in te Clemente Deus optimus maximus ſummum illum Clementem Petri Apoſtoli ſucceſſorem mihi præſtitit redivivum, cum eumdem quem refers nomine, præferas exemplo, inſiſtenſque tanti prædeceſſoris veſtigiis, ſicut ille ad ſcribendas res geſtas Notarios ſeptem delegit, ita tua ſanctitas æque ſciens tantam haud negligendam eſſe provinciam (quam S. Auguſtinus expendens, magna fiducia di- Aug. de vera relig. c. 7. xit, Chriſtianæ religionis ſectandæ eſſe caput hiſtoriam) ad proſequendos inceptos Annales Pontificia munificentia opus urgere non ceſſat. Quo quidem nomine maximas Deo Patri luminum gratias agere debeo, qui ad lucubrationum mearum lucem, tantam lucernam ſub modio ſuper candelabrum conſtituit, illudque meis chartis perobſcuris admovit, quo tanto fulgore illuſtrata ſplendeſcerent: Ad cujus lumen elucubratum quartum hunc eorumdem Annalium tomum tibi ipſi, ut Chriſti Vicario, tuis advolutus pedibus, libens do, dono, dicoque. Tu vero, Summe Sacerdos (quod ſacri muneris eſt) oblatum Levit. 23. manipulum ad Deum eleva, ut conſecretur, ut ſic in eo reliqua meſſis benedicatur. Vale, Beatiſſime pater, teque in omnibus viis tuis Dominus feliciter antecedat.

OCTAVIO PARAVICINO

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI AMPLISSIMO

CÆSAR BARONIUS FELICITATEM.

RECTE ſane atque ordine, Cardinalis ampliſſime, antiquo jure ſancitum eſt, ut cederet terræ arbor, in qua primum emiſit planta radices. Qua ratione jus aliquod tibi quæſitum eſſe in noſtris Annalibus vindicandis, æque conſentio; etenim quos modo vides in arborem excreviſſe, olim extitit puſillus ſurculus in tuo ſolo plantatus, cum apud te degerem adoleſcens. Verum cum tempus adſit, ut & tu exigas, & ego reddam fructus ex arbore; Levit. 9. ecce quartum affero Annalium tomum. In cujus oblatione intelligas velim, ex hac parte nihil eſſe, quod queri poſſis, eos qui ante euſos acceperunt, tibi eſſe prælatos; cum divina lege conſtet, quarti anni arborum fructus eſſe omnium præſtantiſſimos, dignoſque ſolos haberi qui Deo dicentur, inſerventurque divino conſpectui: Ut hanc etiam ob cauſam, cum exhibeam potiora, cunctationem hanc non ingrati animi, ſed propenſioris ſtudii indicem eſſe ſentias: cum alioquin recorderis te puerum olim decerpſiſſe eorumdem tenella manu primitias, dum in candidum illum cupidumque diſcendi animum tuum res geſtas ſanctorum Patrum quotidianis ſermonibus inſtillarem, quas in noſtri Oratorii auditorio mira venuſtate atque lepore, magna audientium voluptate ac plauſu conſueviſti annis pluribus recitare, admirantibus cunctis in puerili ætate ſenilem in dicendo majeſtatem atque facundiam, junctamque cum ſimplicitate prudentiam: Talibus namque tantiſque primordiis tua meruit pueritia conſervari; cum & non unius Chironis manus, ſed certatim pluſium ſanctiſſimorum virorum ſedulitas, ſumma induſtria, & aſſidua ſolicitudo, longo tempore ad pulcherrimum virtutis exemplar te componere atque efformare ſtu-

Digitized by Google

ſeduxerint. At cum adolevit ætas majore incrementis propagata virtutum; optime accidit, ut antequam conjicere poſſet in te oculos Ægyptia petulans; virgo illa caſtiſſima non habens maculam neque rugam, Dei Eccleſia te ſuis prævenerit opatis amplexibus, arctoque amoris nodo devinxerit, cum ſacris ordinibus obligavit; aſtrinxerit vero tenacius, cum ut primum per ætatem licuit, te ſibi adjunxit in ſponſum ſpiritualium fœdere nuptiarum; cujus ſacri connubii pronubum eſſe voluit magnum illum Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, S. R. E. Cardinalem digna memoria, Carolum Borromæum. Geneſ. 39.

Cum vero iis eo functione tibi ipſi, & ei qui te ſummo initiaverunt ſacerdotio, cumulate reſponderes, & muneris omnibus ſatisfaceres; quod exiguus palæſtræ locus ad experimentum virtutum viſus ſit una Alexandrina Eccleſia; Sixtus Quintus ſanctæ memoriæ Pontifex Maximus ad latiorem te campum perduxit, & difficiliora certamina præparavit, cum ad Helvetios Nuntium miſit, comprovincialiumque Eccleſiarum Apoſtolicam viſitationem adjunxit. Quæ autem hic mihi facta, & quanta tui cum laude, quæ a te utroque in munere extiterunt, recenſenda eſſent, niſi ſcirem me epiſtolam ſcribere, & non annalium texere? Quid demum? Agentem tanquam Abraham in Montane, operi inſtantem, atque laboribus inſudantem, ex inopinato quæſivit te tui inſcius diu purpura, non tu illam; ornavit te, quæ ipſa tuis virtutibus ornaretur, cum religioſa memoria Gregorius Papa XIV. cooptavit te in ſacrum Senatum, allegens in numerum S. R. E. Cardinalium. Talem vero cum te hoc tempore conveniant, inveniantque Annales noſtri, quanta nos putas geſtire lætitia? qua etiam gratior atque jucundior afficitur memoria teſtium. Etenim totius vita tua in hanc uſque diem tranſacta periodo quamdam mihi imaginem repræſentas Jacob ob pacem voluntarie exulantis, atque tandem ad propria cum conjugibus & liberis magna cum gloria revertentis, cum te ſponte ob tranquillitatem extorrem, duplicis dignitatis ſplendore conſpicuum; Deo reduce, recepimus; in quarum altera Liæ fœcunditatem, in altera Rachelis pulchritudinem contemplemur. Hæc cuncta adeo grandia Dei beneficia haud otioſe ob oculos ponere, & in mentem tibi revocare putavimus, ſcriptiſque noſtris omnibus teſtata relinquere, quæ ſcias plures magnarum rerum tibi auctores immutuere, Deum in primis atque homines, addam etiam & te ipſum; etenim nemo abs te importunius exiget, quam exiſtimatio ipſa tua tecum a pueritia parta, in dieſque incrementis majoribus aucta, cui non ſatis ſit præſtare communia, cum ſingularia quadam atque adeo mirifica poſtulet; licet de exactione ſecura, non quærit de fide tua dubitans fidejuſſorem. Ceterum quod meatum partium reliquum eſt, eam penitus abſolutum, quod non verbis, ſed rebus mihi tecum tranſigendum ſit. Age jure tuo uſque tua vendica tibi mea cuncta; nihil enim juſtius contingere poterit, quam ſi quæ Cæſaris labore parantur, debeantur Octavio auguſtiora conanti. Vale.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI

ET D. N. CLEMENTI VIII. PONTIF. MAXIMO.

CÆSAR BARONIUS CONGREGATIONIS Oratorii Presbyter ſempiternam felicitatem.

Quos confecimus, te Pontifice, BEATISSIME PATER, Annalium Tomos, ut tibi debitos, ſponte perſolvimus: obtulimus nuper quartum, offerimus ecce quintum; eoque libentius, quo ſcimus te & priorem grato animo accepiſſe, & ſub tanta licet mole curarum (quod vix credere quiſquam valeat) furtivis horis crebrius perlegiſſe. Ex Tomo V. Annalium.

Si placuit ille, fortaſſe hic non minus gratus accedet; quippe qui ſeu ſanctiſſimorum Romanorum Pontificum rerum præclare geſtarum fulgore reſplendeat, Anaſtaſii nimirum, Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Cæleſtini, ac denique Sixti, quos omnes, ut Deo acceptos, & poſt obitum inter Sanctos adſcriptos, florenti rediviva memoria annis ſingulis celebrare Eccleſia conſuevit: Qui cum in omnibus digna ſucceſſoribus imitanda exempla reliquerunt, tum in eo maxime altitudinem animi oſtenderunt cum inſigni pietate conjunctam, quod Dei Eccleſiam undique hæreticorum agminibus circumſeptam, piratarum inſtar amicos ſimulantium, & ſe in eam obtrudentium, admirabili quadam prudentia illibatam divinitus conſervarunt.

Videre namque eſt eum qui primus occurrit, laudatiſſimum Anaſtaſium circumacta & undique exagitata proditione Origeniſtarum periclitanti fidei præſto eſſe, dum illius ſimplicitati illudentes Epiſcopi, nempe Siricii; qui de ſui ingenii (ut ſanctus inquit Hieronymus) cæteros æſtimabat, ſeſe in Eccleſiam, oblata Catholicæ fidei confeſſione Pontifici, ſubdole immiſiſſent. At quales re vera eſſent, a ſe perſpicue demonſtratos, penituſque detectos, idem Anaſtaſius mox anathematis illata ſententia, profligavit; præclare admodum ſucceſſoribus relinquens teſtatum, hæreticorum pœnitentiam quantumlibet Catholica aſſertione fidei declaratam, & chirographo conſignatum, haud feſtinus ſuſcipiendam eſſe, ſed ſuſpenſa lance judicii, prudentiore conſilio, longioreque examine diſquirendam. Hier. epiſt. 26.

Hic plane admonitus ejus in Pontificatu ſucceſſor Innocentius, abſolutum licet in Concilio Palæſtino Pelagium ſuas damnantem hæreſes, & fidem Catholicam profitentem, Synodalibus quantumlibet litteris commendatum ac probatum Catholicum, non ſolum recipere detrectavit, ſed penitus reſpuit, imo & ſeveriori cenſura doloſum hominem ſubjicere voluit, atque excommunicationis ſententia condemnare, admonentibus magna illa magiſtro Catholicæ Eccleſiæ Auguſtino & reliquis Africanis Epiſcopis, atque clamantibus, omnia ab eodem veterator hæreſiarcha proditorie ac veteratorie agi: Quin & tanto vehementius exclamarunt poſtea, crebriſque litteris fatigarunt, dicam, & exagitarunt Zoſimum ſucceſſorem Innocentii, cum perlatum eſt, Pelagium eumdem, ejuſque collegam Cæleſtium, oblata pœnitentia cum recta fidei confeſſione libello, ad audientiam (etſi citra communionem) admiſſos & eorum cauſam ad Romanæ Eccleſiæ judicium revocatam: quos tamen inventos fallaces & fraudulentos idem Pontifex iterata damnationis ſententia perculit.

Par exemplum a Sixto Pontifice editum reperitur, dum ovina pelle contectus ſe intulit lupus in Urbem (Julianum dico Pelagianorum ſigniferum cæteris omnibus Catholicæ Eccleſiæ magis infeſtum) & ut ſedem, de qua fuerat ante dejectus, recipere poſſet, ſimulata fide Catholica & ficta pœnitentia ipſum Pontificem decipere conatus eſt.

Sed

Sed quo minus admitteretur, nec ulla ratione audiretur, Magnus ille Leo tunc Archidiaconus, ejus paulo poſt in Pontificia ſede ſucceſſor, ſummo animi vigore interceſſit; magno plauſo excipiente populo atque lætitia proſequente dignum verſipellis hominis abſque auditione repulſam.

Hæc eſt plane veteris obſervantiæ arte conſtricta ſibulis Romanæ Eccleſiæ diſciplina, ſacris ſancita legibus, exemplis pluribus edita, & a ſanctis patribus cuſtodita, ut non pateat facilis aditus hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus, qui ſimulationis & fraudis vehementi ſuſpicione laborant.

Photius in Biblioth. *At longe ſeverior hoc tempore (quod hic ipſo exhibet Tomus) extitit de his Eccleſiaſtica Orientalis Eccleſiæ conſtitutio, cum in ſacro Epiſcoporum Concilio, Patrum omnium rogata ſententia, canon ſancitus eſt, idemque munitus ſubſcriptione Epiſcoporum omnium, potiſſimum vero Siſinni Conſtantinopolitani & Theodoti Antiocheni clariſſimorum Antiſtitum ſuper cæteros eminentium, ne Maſſaliani hæretici ſæpe recepti, & ſæpe relapſi, ſic crebro ludificantes Eccleſiæ Catholicæ majeſtatem, ulterius amplius reciperentur, etiam ſi millies pœnitentiæ libellos offerrent; quod ſcilicet cuncta illi agerent ſimulate. Sola namque ſimulatio uberem perennemque divinæ miſericordiæ fontem exiccat:*
Act. 5. 8. *quam præ cæteris criminibus inſectati ſunt Apoſtoli, eorumdemque Princeps Petrus primo ultus eſt, in Simonem magum ſententiam damnationis intorquens, atque in Ananiam & Saphiram Apoſtolicæ ſeveritatis diſtrictum gladium repentino impetu vibrans.*

Tertul. de Pudicit. *Cæterum nunquam deſpexit, neque deſperavit aliquando lapſorum Eccleſia Romana ſalutem; nec invidet pia mater vita periclitantium filiorum, neque perditione morientium delectatur, quæ, publicis etiam affixis olim edictis, delinquentes invitare conſuevit ad veniam, ſimul & illicere ad pœnitentiam imagine ob oculos ponere paſtoris ſuper humeros ovem geſtantis, quas in ſacris calicibus exculpere ſolerat, vel pingere.*

Veruntamen cum omnibus vere pœnitentibus ſinum aperit, & obviam manus extendit, non temere ut ſine delectu omnes accedentes accipere conſuevit, quos prius inſtruunt vere præconis jugiter
Matth. 3. *illud inclamat; Facite fructum dignum pœnitentiæ: & Apoſtolico tonitruo ſemper intonat: Ma-*
2. Petr. 1. *gis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: opera illa exi-*
1. Tim. 1. *gens, quæ progrediantur (ut ait Apoſtolus) de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta: quibus ſi careant qui pœnitentiæ ad eam ſe accedere profitentur, manus ipſa retrahat, & ſinum contrahat.*

Examinanda illa Gelaſius doctiſſimus Romanorum Pontificum, ſcribens ad Euphemium Conſtantinopolitanum Epiſcopum: Quomodo, inquit, de corde puro, ſi hæreticorum fuerint participatione polluta? Quomodo de conſcientia bona, ſi malorum fuerint confuſione permixta? Quomodo de fide non ficta, ſi fuerint iniata cum perfidis? eadem rurſus repetit idem Pontifex & inculcat, ut rem magis ſuaderet, ſcribens ad Anaſtaſium Imperatorem.

Sic igitur ſemper ab antiqua Romanæ Eccleſiæ diſciplina alienum fuit, ut inexploratis lapſis indulgentiæ pacem occurrat. Quiſnam enim in his pertractandis ejuſdem mos olim extiterit, ipſa Romani Cleri digna elogia manifeſtant, cum ſine Pontifice licet, ceſſante diu ſede poſt decoratum
Apud Cyp. epiſt. 30. 31. *nobili martyrio Fabianum, ingruentem lapſorum turbam & pulſantem inſtantius Eccleſiæ fores, atque ut admitterentur in communionem urgentem repulit, quod id tentaſſent non præmiſſa longioris temporis conciliatrice divinæ gratiæ pœnitentia. id quidem epiſtolis ad ſanctum Cyprianum, mirificum illum Carthaginenſem Epiſcopum, datis, his primum verbis iidem profeſſi ſunt: Mirati ſumus ad hoc uſque proſilire voluiſſe, ut tam urgenter, & tam immature atque acerbo tempore, in tam ingenti & immenſo crimine atque delicto pacem ſibi non tam peterent, quam vindicarent, immo jam & in cælis habere ſe dicerent: ut rurſum: Abſit (inquiunt) ab Eccleſia Romana, vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere; & nervos ſeveritatis, everſa fidei majeſtate, diſſolvere: ut cum adhuc non tantum jaceant, ſed & cadant, everſorum fratrum ruina properata nimis remedia communicationum atque non profutura præſtentur, & nova per miſericordiam falſam vulnera veteribus tranſgreſſionis vulneribus imprimantur, ut miſeris ad everſionem majorem eripiatur & pœnitentia) quam ſcilicet præmittere tenerentur tamquam fidejuſſorem & obſidem pacis Eccleſiæ impetrandæ. Quod ſi ea præſtiterunt ea nobili Eccleſiæ corpore perpetuo ſubaravente divino Spiritu vivida atque vocalia membra; quid viſibile caput, Romanum Pontificem ipſi Chriſto conjunctum, & Chriſti ore loquentem, præſtiturum fore crederemus? Sed de his haſtenus; haud enim patitur inſtituti ratio diutius immorari: ſatis namque eſt, deguſtanda propinaſſe perpauca ex multis, quæ præſens hic Tomus includit, foriſque tamquam ſigna in fronte operis poſuiſſe, & impoſuiſſe poſtibus de ſuperata ſopens irrepente clanculum hæreticorum perfidia trophæa præclara ſanctiſſimorum Pontificum: quorum veſtigiis te fortiter firmiterque inſiſtere, Eccleſia univerſa lætatur.*

Jam vero (quod reliquum eſt) ſanctis tuis, PATER BEATISSIME, *pedibus advolutus, poſt duos oblatos Annalium Tomos ampliſſimam benedictionem illam expeto, quam poſt duos allatos ad patrem Jacob filios Ephraim & Manaſſen, ab eodem ſanctiſſimo Patriarcha ipſius filius Joſeph eſt feliciter conſecutus. Cuſtodiat te quam diutiſſime Deus incolumem & defendat, qui turbulentiſſimo hoc tempore Eccleſiæ ſuæ inſcrutabili ſua providentia voluit te eſſe præfectum.*

RELIGIOSISSIMO AC SERENISSIMO PRINCIPI

GUILLIELMO COMITI

PALATINO RHENI UTRIUSQUE BAVARIÆ DUCI

CÆSAR BARONIUS Felicitatem.

CONſuevimus, Sereniſſime Princeps, in ſingulis fermo Annalium tomis poſt Summum Pontificem epiſtola nuncupare aliquem ex inhærentibus ipſi presbyteris ſive diaconis Cardinalibus. Quoniam vero ſicuti Moyſi non ſacerdotes tantum atque Levitæ, ſed & Joſue potentiſſimus dux exercitus aſſiſtere conſuevit; ita & te religione pollentem, Magnum Ducem utriuſque Bavariæ intime inhærere ſacræ totius religionis Antiſtiti, certo ſcimus; hac epiſtola inſigne nomen tuum proſequi meritam partiam eſſe duxi. In te enim, inſtar Joſue, pergrande illud divino munere miraculum editum quodammodo inſtaurari videtur temporibus noſtris, qui Sol ſtare jubetur, & probe-

prohibetur penitus deorſum ad occaſum labi; cum, inquam, abſque terra obice nocte Sole illuſtrior Catholica fides ſuper populum tibi ſubjectum ſemper lucens firma, immobiliſque nutu Dei ſit juſſa conſiſtere, quæ aliis finitimis provinciis, dilabens in Occidentem, tenebroſa poſt ſe noctis relinquit horrorem: Qua in re etiam Ægypto noſcuntur renovata prodigia, dum atra denſaque obvolutis illic ubique caligine, dumtaxat in nova Geſſen, Bavaria ipſa tua, veri Iſraelitæ jucundiſſima luce perfruuntur, veritatis Sole in meridie radiis claritatis & charitatis fulgos jugiter affulgente; ut impietatis frigus non ſentiant, & glaciei perfidiæ ſint expertes, atque uberrimo proventu ſpiritualium frugum perpetuo potiantur autumno.

His quidem omnibus tu ipſe abundans & affluens, Romanam Eccleſiam in primis regia locupletaſti munificentia, cum ſacras Memorias ſanctorum Martyrum præclaris monumentis inſigniter illuſtraſti: addidiſti vero ad ſummum decorem lucis operibus filios lucis, cum abs te genitos Sereniſſimos Principes, regia ornamenta familiæ, abſolutiſſima virtutum omnium exemplaria, ad Apoſtolicam ſedem miſiſti, viſuros, & religioſo veneraturos officio in ea ſedentem vice Chriſti CLEMENTEM recens creatum Pontificem Maximum in quibus ſingulis tua auguſta eluxit imago. Ita plane ad menſuram bonam, ex Evangelii præſcripto, appoſuiſti confertam, coagitatam, atque ſupereffluentem. Bona quidem illa menſura fuit, quam boni Principes præſtare conſueverunt, cum Martyrum monumenta inſigniter exornaſti. At vero cum honorificentiſſimam legationem ad ipſum CLEMENTEM Summum Pontificem miſſam majorem exiſtimaſti, quam ut credi deberet clariſſimis viris tibi ſubjectis, ſed ea tantummodo dignos putaſti ſublimes Duces, ipſos Principes filios tuos, cariſſima pignora, nempe Philippum Ducem eundemque Reverendiſſimum Epiſcopum Ratiſponenſem, inſtar Timothei Apoſtolico munere decorantem honeſtiſſimam juventutem, ſimulque germanum ipſius fratrem Ferdinandum Ducem & Præfectum ampliſſimæ dignitatis, clariorem vero integerrima probitate; plane confertam menſuram addidiſti, atque coagitatam appoſuiſti: Tunc vero ſupereffluentem, aucto cumulo, ſuperinfudiſti, cum poſt paucos menſes ipſum primogenitum tuum, Sereniſſimum Principem Maximilianum Regio Apparatu miſiſti, accepturum a Sanctiſſimo Patriarcha, more majorum, benedictionem primogenito debitam.

Qui igitur tot tantiſque Chriſtianam religionem officiis excolit, & tam amplis Chriſti Vicarium, ſucceſſorem Petri, iſtis præſertim temporibus, frequentat obſequiis, Romanamque Eccleſiam muneribus auget: par eſt ut eum omnes Fideles ament, colant, venerentur, omnique ſtudio proſequantur. Quo quidem nomine ego ipſe (quod reverentia monet, ratio ſuadet, poſtulat magnitudo tuorum meritorum, implorat virtus, religio denique exigit) omnem exhibens tuæ Amplitudini obſervantiam, cultum præſtans, impendens obſequium, pendens tributum, perſolvens debitum, quintum offero Annalium tomum: in cujus fronte, velut in Atrio exculpta columna, hæc de te memoria conſpicietur erecta, poſteris fidem factura, myſticam Dei Arcam diu exulem, apud te divertentem, religioſiſſime eſſe ſuſceptam ac reverentiſſime aſſervatam; & typicum Davidem cum ſuis profugum abs te honorificentiſſime habitum, conſecuturo ob digna merita una cum domo tua benedictionem a Domino impertitam Obededom, & in ſucceſſoribus divinam promiſſionem Chriſti teſtamento firmatam veris filiis Berzellai. Vale Princeps maxime pie, teque Deus una cum Sereniſſimis Principibus filiis tuis ſua dextera jugiter protegat atque conſervet.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI

ET D. N. CLEMENTI VIII. PONTIF. MAXIMO

CÆSAR BARONIUS CONGREGATIONIS
Oratorii Presbyter ſempiternam felicitatem.

CUM ſacra tractantur, BEATISSIME PATER, haud ſatis eſſe cuilibet homini, præſtantiſſimi licet ingenii, propriis niti viribus, certo illo declaratur exemplo, dum ad mechanica etiam elaboranda, fabro, eſſi rerum divini cultus opifici, tanta hæc divinitus eſſe impertita, Moyſes affirmat (a): Implevit, inquit, Beſeleel Dominus Spiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia, & omni doctrina ad excogitandum & faciendum opus in auro, & argento, & ære, ſculpendiſque lapidibus, & opere carpentario: quicquid fabre adinveniri poteſt, dedit in corde ejus: Sed & adjecit (b), ut ita divino Spiritu bene confectum opus non ante ſacro eſſet uſui mancipandum, quam ab ipſo Moyſe fuiſſet cognitum & benedictum. Quæ quidem omnia cum ipſi, qui licet Deo ſacranda, fabrilia tamen tractabat, divinitus dari decuerit: quanto eadem majori cumulo expetenda erunt ab eo, cui elucidanda rerum Eccleſiaſticarum veritatis onus incumbit? nempe ut Spiritu veritatis ſemper afflatus, veritate undique conſtans opus abſolvat, atque illud ipſum demum antequam publice edat, ei, qui Eccleſiæ præeſt, univerſali Pontifici offerat cognoſcendum atque benedicendum.

Ex Tomo VI. Annalium.
(a) Exod. 35.
(b) Exod. 39.

Hujus autem vetuſtiſſimi Eccleſiæ moris, & ab Apoſtolis ipſis egreſſa traditione pleraque manent ubique impreſſa veſtigia, in primiſque Doctoris Gentium, magnifica illa quidem: Etenim ut acceptum divinitus (quod ipſe (c) teſtatur) Evangelium univerſa probaretur Eccleſia, ne in vacuum cucurriſſet; ad hoc ipſum ut cognoſceretur a Petro, Hieroſolymam venit, atque apud eum diebus quindecim manſit. Cujus Apoſtolici inſtituti memores qui poſt Apoſtolos vixerunt in Eccleſia ſacrarum rerum ſcriptores, quos elucubrabant commentarios, eoſdem cognoſcendos ac comprobandos mittere conſuevisse ad Eccleſiæ Romanæ Pontificem, præter alia quæ præceſſerunt exempla, præſens tomus id indicat factum a Sanctis Turibio Epiſcopo Aſturicenſi, ac Cæſario Arelatenſi, inſuper ab Honorato atque Gennadio Maſſilienſibus: quæ enim iſti adverſus Priſcillianiſtas ſive Pelagianos hæreticos conſcripſere, eadem ad Leonem Magnum, ejuſque ſucceſſores Felicem atque Gelaſium probanda miſere. Sed cum unus idemque mos eſſet univerſæ Eccleſiæ, quod Occidentales feciſſe diximus, id ipſum eodem tempore ab Orientalibus præſtitum, certum eſt: etenim primarius totius Orientis Eccleſiæ Orthodoxus Antiſtes (Joannem dico Alexandrinum Epiſcopum) elaboratum a ſe adverſus Pelagianos Apologeticum examinandum illum miſit ad Gelaſium Romanum Pontificem: Qui Apoſtolica, qua cæteris omnibus in Eccleſia Catholica emineret auctoritate, non de adhuc viventium tantum ſcriptis judicium protulit, ſed Pontificia majeſtate arbiter ſedens, quotquot ab Apoſtolorum temporibus edita eſſent de Chriſtiana religione volumina, ad cenſuram Eccleſiaſticam revocavit; eaque cuncta exacte perveſtigans, acute diſquirens, atque examinans accurate, tamquam ut (d) Dominus, mundum ſegregavit ab immundo, & pretioſum ſeparavit a vili; tanta ſibi jure ven-

(c) Galat. 1.
(d) Hier. 15.

vendicant legitimus Chriſti Vicarius, clavis Davidis (a) certus hæres; Cui Catholica veritati qui ad-
(a) Apoc. 3. verſatur, Dei ordinationi reſiſtit; diſpergereque convincitur, qui cum illo non colligit; ſed & tam-
quam fur (b) arguitur atque latro, qui aliunde & non per oſtium intrat, ab eo dumtaxat ape-
(b) Jo. 10. riendum, qui ſcientiæ clavem hæreditario jure poſſidet.

His ego admonitus, SANCTISSIME PATER, in primis quo debiliores ſentio mei in-
genii eſſe vires, eo enixius ſemper ſtudui divinum auxilium implorare, ut quæ Deus ſponte re-
rum ſacrarum fabro conceſſit, eadem rerum Eccleſiaſticarum ſcriptori expoſcenti non deneget; In-
de vero ſummo labore partas meas omnes lucubrationes (qualeſcumque illæ ſint) antequam edan-
tur, more majorum, Romanæ Eccleſiæ cenſuræ ſeveriſſimæ ſubjicere conſuevi; eaſdemque probatas,
Apoſtolica benedictione veluti divino quodam ſigillo conſignandas offerre, ut duplici munimento ſe-
curæ, nullo umquam poſſint adverſantium labefactari conatu cum certum ſit (c), nulla vi ven-
(c) Matth. 17. torum, vel imbrium impetu diſjici poſſe ædificium illud, quod conſtat ſupra firmam petram ha-
bere ſolidum fundamentum.

Accipe igitur, poſt quartum & quintum, adhuc ſextum hunc Annalium tomum, quem tua
auctoritate recognitum atque probatum, Pontificia benedictione locupletes. Ex eo quidem in ærum-
noſis hiſce atque deploratis temporibus, quibus ſancta Eccleſia immenſis motibus jugiter agitatur,
atque concutitur; haud mediocrem conſolationem divina providentia, qua ſuam Eccleſiam modera-
tur, haurire poſſis, cum illa deploratiſſima tempora repræſentet, quibus inter alia illud etiam
accidit infeliciſſimum, quod nullus omnino toto orbe Chriſtiano Catholicus Princeps extaret, ſed
cuncti Reges & Imperatores hæreſibus tenerentur implicati, & cum Italia, ipſa Roma, Roma-
naque Eccleſia ſub Gothico & Ariano gladio ingemiſcerent; quando ex inſperato ſuſcitat ſibi Deus
hominem ſecundum cor ſuum inſtar David, ſervum fidelem, Regem Francorum, religionis Ca-
tholicæ profeſſorem atque acerrimum defenſorem, Chriſtianiſſimum Clodoveum: Qui e Gentilium ſu-
perſtitione converſus, illud ipſum quod accepit ab Eccleſia Catholica Evangelium, in Francos
omnes qui aderant, & in poſteros feliciter propagavit; atque demum proxime moriturus, inſigni
pietatis exemplo, ipſum quod ſciret unicum eſſe totius Eccleſiæ viſibile caput, corona regia redi-
miret, mittens ad Apoſtolorum Principis Petri Confeſſionem perſuaſione Sancti Remigii Francorum
Apoſtoli coronam auream gemmis ornatam.

Dona vero Regum non ſolum pretioſa, ſed myſtica quoque eſſe ſolere, teſtificatione etiam Evan-
gelica (d) admonemur, Cujuſmodi Clodovei fuiſſe munus, eventa probarunt; eo enim obſequio
(d) Matth. 2. viſus eſt dans coronam, oppignoraſſe regnum ipſum in Eccleſia Romana præſidium (coronam enim il-
lam, regnum nominatum fuiſſe, qui res geſtas Francorum ſunt proſecuti, teſtantur (e)) eoque mu-
(e) Hincmar. in vita S. Remigii. nere illud Deo donare voluiſſe, atque perpetuo ſtabilire: dum enim ſupra Petram, Petrique Con-
feſſionem regni coronam poſuit, regnum ſuum ſtabili fundamento firmavit, ut rerum multiplices
exitus declararunt.

Etenim collapſis, everſiſque penitus cæteris barbarie qui invaſerunt Romanum Imperium, Go-
this, Vvandalis, Suevis, Alanis, Erulis, Hunnis, & Longobardis, ſola corona Francorum Apo-
ſtolica protectione ſecura, conſtans, firmaque permanſit, majoribus in dies acceſſionibus aucta atque
ſplendoribus illuſtrata; tunc tantum viſa nutare, obſcurari, & ultimum diſcrimen adduci, cum
ab hæretica labefactata perfidia, Apoſtolico eſt præſidio deſtituta: Inde dumtaxat (ſero licet eiſ-
dem intelligentibus Francis) ipſa conſecutura remedium, ſi eo, unde excidit, revocetur, ad ipſam
videlicet immobilem Petram, Apoſtolicamque Confeſſionem, atque denuo ſuper illius capitis verticem
honorifice collocetur, ubi primum a primo Chriſtianiſſimo Rege Francorum poſita, mira claritudi-
dine ſemper toto terrarum Orbe refulſit.

Id unum cum optent Catholici omnes, petantque Fideles, ad idque ſemper ſuſpiret &
anhelet mœrens in cinerem ſedens omni deſtituta ſolatio Eccleſia Gallicana: tu ipſe, BEATISSI-
ME PATER, aſſiduis a Deo precibus vehementius poſcis, expoſciſque potentius indeſinentibus la-
crymis, atque efflagitas repetitis quotidie ſacrificiis, immenſo rurſum Francos dolore parturiens,
donec, ut prius, efformetur Chriſtus in eis. Annuet vota Deus, & ex optato placatus aſpiret,
ut quod omnes cupiunt, alterum tibi excitet Clodoveum, cujus ope diu depreſſum conſurgat Fran-
corum regnum, & ut olim, florentiſſimum rurſum appareat; ſicque meliorum viciſſitudine rerum,
(f) Iſ. 61. ſecundum prædictionem illam Propheticam (f), pro cinere coronam accipiat, oleum gaudii pro lu-
ctu, pro ſpiritu mœroris pallium laudis: ut rurſum vocetur in eo fortes juſtitiæ, plantatio Domi-
ni ad glorificandum. ædificet deſerta a ſæculo, erigat ruinas antiquas, civitates diſſipatas inſtauret;
& qui alieni facti erant, reverſi conſiſtant, tecumque paſcant gregem tuum: Hæc tantæ ſecum af-
ferat a Deo præſtandæ benedictiones, qui modo Sanctitati tuæ tomus ille benedicendus offertur: ut
lætetur in Domino, vivatque feliciter ſemper Catholica Eccleſia profuturus.

PETRO ALDOBRANDINO

S. R. E. DIACONO CARD. AMPLISSIMO

CÆSAR BARONIUS Felicitatem.

EXigit a me, Cardinalis ampliſſime, priſtinæ conſuetudinis uſus, ſimulque præſtans tua digni-
tas admonet, ut ſextum hunc Annalium tomum Summo Pontifici oblatum, ejuſque benedictio-
ne ſignatum tibi primum tradam, qui eidem ſacro miniſterio functione proxime ades, &
ſanguinis neceſſitudine conjunctior hæres, atque laborum participatione una conjungeris: idque
eo libentius, quod ſcirem veterum diaconorum exemplo, & inter alios ejus cujus tu nomen,
& munus geris, Petri S. Gregorii Papæ diaconi, ejuſdem ordinis Dei miniſtros non in ſacris tan-
tum, ſed in re etiam literaria Romanis Pontificibus aſtitiſſe, ſi quando ab ingruentium negotiorum
turba vacare liceret. Quid enim gratius & honeſtius, atque homine Eccleſiaſtico dignius, quam ſi de
Eccleſiæ antiquitatibus diſſerat, ſecundum illud Eccleſiaſtici (g): Sapientiam omnium antiquorum ex-
(g) Eccl. 39. quiret ſapiens? Exemplo igitur Petri diaconi S. Gregorium pie interrogantis, & argute quærentis,
elicientiſque e ſapientiæ promptuario per dialogiſmum divina reſponſa, Patrem cum interrogas, dicet
tibi, & Patruum dum interpellas, annuntiabit tibi; ſicque ut cui miniſterio aſſiſtes, ipſe magiſterio
tibi proſit; hæcque verſa vice modo Clemens Petrum Eccleſiaſticis ſaltem inſtituit, cum olim a Petro
Clemens iiſdem fuerit eruditus. Cui quidem, & eo nihil fuit antiquius, quam ut te a puero optime
mor-

morbus inſtitueret, & veluti in puriſſima cera, in optima indole omnium virtutum imagines efformaret. quod quam feliciſſime ſit aſſecutus, teſtes nos omnes ſumus, qui novella planta primitias deguſtavimus toto illo anni curriculo, nobis autumno perpetuo, quo te apud nos reliquit idem patruus tunc S. R. E. Cardinalis cum honorificentiſſima legationis munere a Sixto Pontifice in Poloniam mitteretur.

Si igitur tanta luce adoleſcentiæ tuæ matutina crepuſcula micuerunt; qualem decet juventutis expectare meridiem, cum præſertim fulgor tantæ acceſſerit dignitatis? Quo nomine magna plane abs te diacono Paulus Apoſtolus (a), præſcribens legem diaconis, exigit; & jure quidem: noſti enim quæ [(a) 1. Timo. 3.] de his tradat martyr Ignatius ſcribens ad Trallianos: Quid ſunt, diaconi, niſi imitatores Angelicarum virtutum, Deo miniſtrantes miniſterium purum, & immaculatum, ut S. Stephanus B. Jacobo, Timotheus, & Linus Paulo, Anacletus, & Clemens Petro? Cum vero tanta hæc a quibuslibet etiam minorum Eccleſiarum diaconis requirantur: qualia præſtanda putas a diacono primariæ totius Orbis Eccleſiæ? Satis eſt illis, ſi ad illuſtrandas ſuas quibus miniſtrant, privatas Eccleſias, poſiti ſint ſupra candelabra ardentes lucernæ: ad illuminandam autem illam, quæ ſua amplitudine continet omnes quotquot ſunt in Orbe Fideles plane convenit eſſe Solem: unde merito, & ſummo illo gloriæ titulo iidem decorantur, ut etiam Illuſtriſſimi nominentur.

Ad hæc tanta præſtanda cum multa ſuadeant atque provocent, domeſtica te tamen exempla compellunt, Joannes in primis patrui tui S. R. E. Digniſſimi Cardinalis in quo tanquam in antiqua probitatis vivo reddito exemplari virtutes omnes una cum doctrina incomparabili miro decore fulſere; inſuper & ejus germani, tui vero inſtitutoris, & promotoris Hippolyti, iiſdem plane virtutum, atque ſcientiæ, ſed longe majoris dignitatis, nempe Pontificatus maximi inſignibus exornati: cujus merita ſi ea divini judicis compenſatione perpendas; cum ſervus bonus atque fidelis ſit ille quem Dominus ſuper multa conſtituit, plane optimus, & fideliſſimus habendus eſt ipſe ſuper omnia bona ſua a Domino conſtitutus. Horum tu conſectare veſtigia: quæ cum cœlum verſus eſſe directa, & longioribus ſemper ſpatiis (ut feſtinantium eſſe ſolent) leviter humi preſſa vides; tibi magis magiſque in dies velocius currendum eſſe, ut ea aſſequaris, intelligis: Hanc a ſene tui amantiſſimo vivo munere etiam admonitionem accipere grato animo, ne recuſes, Vale.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI

ET D. N. CLEMENTI VIII. PONTIF. MAXIMO

CÆSAR BARONIUS S.R.E. CARDINALIS TIT. SS. Martyrum Nerei & Achilles ſempiternam felicitatem.

Perſolvo & ad pedes Sanctitatis tuæ, Beatiſſime Pater, ſeptimum Annalium noſtrorum tomum defero, ſed tardius quam ſolebam: vix enim tandem aliquando emergere licuit ex multarum difficultatum velut ſpinetis, quibus explicandis diu multumque laboravi. His acceſſit, quod hoc tomo preſſiſſimum narrentur multiplices Romanæ Eccleſiæ ærumnæ, nimirum exilia & acres indigniſſima Summorum Pontificum a ſeditioſis hominibus profecta, qui ſicut empte, ita & ambitioſe in Sedem ſe Pontificiam intruſerunt, nec minus, ſed multo etiam magis ab illorum Principum temeritate & audacia, qui ſuos limites tranſilire, & ad ea quæ ipſis conceſſa non eſſent, manus admovere non dubitarunt; quibus incommodis acceſſerunt hæreticorum & ſchiſmaticorum adverſus Eccleſiam Catholicam machinationes & doli ac venationes aſſiduæ. His igitur luctuoſis narrationibus pertexendis ſtylus noſter etiam retardatus atque defatigatus eſt. [Ex Tomo VII. Annalium.]

Sed quoniam in illis quoque voluminibus, quæ hactenus a nobis ſunt edita, complura ejuſdem generis argumenta, aut certe non valde diſſimilia acciderunt: vereor ne parum idonea hujus dilatæ editionis excuſatio a me afferri videatur. Quare ut vere & libere dicam, honores & dignitates coacervatæ, quibus brevi tempore immeritum me & nihil tale cogitantem cumulaſti, accincto & expedite currenti, tanquam laxæ nimis & lacinioſæ veſtes impedimento fuere partim ipſa rei natura, partim novitate.

Primum enim me Notarium tuum & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ creaſti ex primo ordine eorum qui Numerarii dicuntur: cujus ſane dignitatis indumenta etſi inſtituto noſtro non plane aliena viderentur, quod tamen eſſent incongrua voluntati, impedimento potius quam tegumento fuere; & oneri, quam honori. Ubi vero ampliſſimæ dignitatis laxiora fuſioraque ornamenta purpura addidiſti, curſus noſter nova vitæ nexibus implicatus, jam multo magis eſt retardatus, adeo ut mihi non ſecus ac David (b) acciderit, dum regiis indutus armis incedere non valeret eo quod (ut ipſe dicebat) [(b) 1. Reg. 17.] conſuetudinem non haberet, qua eo magis ipſe carebam, quo longius aberam a propoſito: ſtatueram enim, votiſque nuncupatis & iteratis ſæpe firmaveram (teſtis eſt Deus) in privato illo ſimplicique vitæ genere optime inſtituto & hactenus feliciter ducto bene præcinctum mundi contemptu & expeditum uſque ad obitum permanere, una cum Job illa decantans (c): In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies: Quæ diminutione eorum quæ deorſum ſunt foliorum, procera extollitur ſalum verſus dulcibus fecunda fructibus. [(c) Job. 29.]

Illud inſuper Sapientis (d) aſſiduo mente volvens: Exiguo conceditur miſericordia, potentes [(d) Sap. 6.] autem potenter tormenta patientur: & quod Dominus comminatus eſt (e) judicium ſubituros [(e) Marc. 12. Luc. 20.] fore gravius atque durius, majoremque condemnationem accepturos, qui primas indigne cathedras occupant; libentius me, ſicut & tutius, intra domeſticos parietes continebam: perterrebat namque me multo magis illa, quam videre meditabar, manus (f) hominis contra candelabrum in pariete publico, in ipſo Eccleſiæ albo ſcribentis, ſtateram & pondera præferentis, quibus expendendi eſſent [(f) Dan. 5.] omnes ad Cardinalatus dignitatem aſſumendi: altam illam, inquam, S. Bernardi (g) ad Eugenium Papam ſcriptam conſiderationem ob oculos omnium poſitam una cum recti judicii ſtatera & ponderibus Sanctuarii: quibus ſi quis appenſus inveniatur minus habens, ut adulterinus procul ejiciatur ac reprobetur. [(g) Bernard. ad Eugen. lib. 4.]

Ea quidem tam multa dum quis prudens perlegit, atque adeo magna, miraque & difficilia, arduaque conſiderat, eadémque plurima numero & diverſa recenſet, ac mente ſcrutatur eminentem ſublimémque omnibus abſolutam numeris ſanctitudinem vitæ, quam exigit durus exactor ab eo qui eligendus eſt Cardinalis; neceſſe eſt, ut timore perterritus, propria conſcius imbecillitatis,

deſpondens animum (quod nonniſi cum ſummo ſalutis æternæ diſcrimine adeo celſa petantur) omnino reſiliat, penitaſque refugiat, atque etiam precibus periculum redimat, illaque Loth verba proferat (a): Non poſſum in monte ſalvari; ne forte apprehendat me malum, & moriar. Eſt civitas hæc juxta, ad quam poſſum fugere, parva, & ſalvabor in ea; quam jure dixerim privatæ vitæ confugiam. Iſta quidem prudens: ſed vir inſipiens (b) non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc: jure enim congemuit Gregorius Theologus (c), quorumdam hominum inſipientium ignorantia factum eſſe, ut quæ ardua & ærumnoſa, vallata periculis atque moleſtiis Eccleſiaſticæ dignitas ſit, eadem luce, ampla, ac plane regia & ſingularis, plenaque voluptatibus judicetur. At non ita ſapiens cuncta dijudicans; addenſque ſcientiam, addit dolorem: cum pluribus novit exemplis, iſtiuſmodi faſce omnes ſanctiſſimos viros nimium prægravatos & curvatos eſſe pondere, quo portant (d) Orbem; atque robuſtiſſimos licet (e) gemuiſſe gigantes ſub aquis.

Iſta, inquam, conſiderans, non eſt quod queri poſſis, Pater ſanctiſſime, quod Sanctitati tuæ ipſe adeo videor reluctatus: ſed ſi liceret, eſſet mihi jure expoſtulandum, quod cum a prædeceſſoribus tuis, qui me a privatæ vitæ portu abſtrahere non ſemel voluerunt, tamen quam deprecatus iſte obtinuerim honorum immunitatem; a te vero, a quo magis amari ſentio, nequaquam potuerim impetrare: ſed quo mei amantiorem (venia petita dixerim) eo violentiorem expertus ſim, tum per tuos ſeorſum abreptus, cubiculo clauſus, utique tandem ut auderer, multum rogans, admiſſus ante conſpectum tuum Angelis reverendum, poſt meam defenſionem, abs te reſponſum illud unum tantum acceperim, quo robuſta voce diram anathematis protuliſti ſententiam, ſi amplius reſiſterem, & aſſi penitus nequieſcerem. Quem non terruiſſet, ac non penitus dejeciſſet atque proſtraſſet talis erumpens e cœlo repente tanto fragore tonitrus, fulmen æternæ damnationis explodens?

Ita ſubactus, etſi manus dedi, non æque animum: ſi enim licuiſſet, retraxiſſem illas, ſicuti Zara (f) olim, dum e materno utero progreſſurus, ubi ſe alteru manu vinctam coccino ſenſit, primigenia non curans, eum retrahens, eumdem repetiit uterum malle ſe non naſci ſignificans, quam vinctum purpura progredi. Sed ſicut natura tandem ille ceſſit imperio, qui ſupra naturam quiddam admiratione dignum viſus fuerat operatus; ita & ego legibus Chriſti obtemperans coactus, tamquam abortivus ſum projectus (g) ex utero, illo videlicet, in quo ſemel conceptus ſpiritu, cœperam formari in virum perfectum, nec exire donec transferrer ad tumulum (h) ne oculus me videret. Materuam jure dixerim uterum domum illam, in qua poſt conceptionem illam meam coaleſcere cum fratribus meis, diemque extremum claudere abſque aliqua lucis uſura, fulgore videlicet cujuſlibet dignitatis, in mentis firmo propoſito erat, ne illud audirem infauſtum (i): Quare miſero data eſt lux? Lux enim (inquit S. Gregorius k) miſeris datur, cum & tolerare honoris munera compelluntur. Cum ergo tanti etiam Patris ſententia una iſa miſer bonum ex collatis honoribus cenſeatur, pro hujuſmodi muneribus glorīabor.

Quod ſi gloriari licet (dicam cum Apoſtolo l) libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti: propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis: Utpote quæ ſint vera ſigna divinæ vocationis, ejuſdem Pauli ita ſtylo formata (m): Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Quæ omnia humanæ imbecillitatis ſigna notis ampliſſimis in me expreſſa cognoſcens, ſi voluero pro hujuſmodi gloriari, non ero inſipiens. Quo etiam ſenſu licebit & illud ejuſdem Apoſtoli appoſite uſurpare (n): De cætero nemo mihi moleſtus ſit. Stigmata enim Domini mei Jeſu Chriſti in corpore meo porto, illa inquam a Paulo eo modo imbecillitatis notis deſcripta, veluti indices divinæ vocationis characteribus Apoſtolicis exarata; quibus impreſſus & inſignitus magis exulto, Deo gratias agens, quod nihil in his ſit quod humana induſtria ſibi tribuat, ſed totum ſibi vindicet divina providentia, ad hoc munus tua, Clemens, clementia abundantiam.

Cujus rei gratia, magna eſt mihi porro de patrocinio divino fiducia, eoque major, quo fidejuſſores videor nactus Apoſtolos ſuis ſcriptis id ipſum pollicitos: nam Paulus (o): Qui cœpit (inquit) in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu. Ac rurſum (p): Fidelis eſt qui vocavit vos, qui etiam faciet. Addidit vero & Petrus (q): Qui vocavit nos, ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque. Quod non pro me tantum, ſed æquum eſt id ipſum ſentire pro omnibus aliis quos una ſimul ampliſſima dignitate donans in ſacrum Cardinalium collegium cooptaſti.

Tu enim eoſdem quos conceperas divino ſpiritu, diu mentis utero continens, ſimul ipſos pariter peperiſti: Tu, inquam, qui nihil inconſulto numine aggredi, & annuente proſequi atque perficere conſueveris: Tu ipſe, a quo nulla actio præceps, ſed aſſiduitate precum & conſiderationis maturitate decocta procedat, ut ſapiens architectus, videris ſuper illas ſexdecim baſes argenteas, quas Beſeleel (r) divino ſpiritu plenus ſtatuit ad tabernaculi angulos muniendos & exornandos, totidem modo deſuper erigere voluiſſe columnas. Quæ nomine cum ex toto Orbe Catholico gratiarum tibi inſinuent actiones: quas ego digne rependam, quod me longe immeritum una cum iis ad tantam ſublimaveris dignitatem, & ad tam ſublime faſtigium honoris licet indignum evexeris? infimum aſſumpſeris in eminens illud collegium Apoſtolicum; infirmam vero ſtatueris in templo columnam; obſcuram licet, lucens tamen & ardens erexeris ſupra ſacroſanctam altare candelabrum; vilem eundemque lapidem in Rationali collocaveris cum expolitis lapidibus pretioſis; annexuerisque debilem Eccleſiæ ſanctæ cardinibus illis, ſuper quos quæ ſunt in terra cœloque vertuntur? Iſta tanta conſiderans, longe me imparem eſſe ſentio, ut digne pro collato munere ſatisfaciam.

Augenda vero & eo quoque ex parte multiplicanda ſunt magis gratiarum actiones, quod ad menſuram bonam & confertam, coagitatam etiam & ſuperfluentem adjeceris: hic enim me cum alterum me, meum unanimem ad eumdem ampliſſimi honoris gradum extuliſti, quodammodo provexiſſe videris: dum ſcilicet Archiepiſcopum Avenionenſem allegeris Cardinalem, Apoſtolicum virum, formam antiquæ probitatis, cui a ſpiritualibus incunabulis fuiſſe nexibus individuæ charitatis obſtrictum glorior, fratremque meum vere eſſe germanum exulto, ambos nimirum eodem parente, viro illo plane divino Philippo Nerio ſecundum ſpiritum generatos, ejuſdemque ſuxiſſe ubera matris, licet ipſe primogeniti prærogativa præcedat, atque multo magis meritis antecellat, cum in ipſo virtutum progreſſu ejus reſpectu ego quaſi pedes (ut vetus proverbium habet) ad Lydium currum extiterim: adeo ut vix licuerit oculis conſequi ipſum ardua ultaque virtutum petentem, nedum æquis paſſibus aſſectari: ut ſolatium ſit, ejus ſaltem impreſſa relicta veſtigia ſequi, uſque inſiſtere in reliquo qui ſupereſt vitæ curſu jam ad terminum prolabente.

Ad

(a) Geneſ. 19.
(b) Pſ. 91.
(c) Greg. Nazianz. orat. ad patr.
(d) Job 9.
(e) Job. 26.
(f) Geneſ. 38.
(g) Pſ. 21.
(h) Job. 10.
(i) Job. 3.
(k) Greg. Moral. lib. 5. c. 2.
(l) 2. Cor. 12.
(m) 1. Cor. 1.
(n) Gal. 6.
(o) Philip. 1.
(p) 1. Teſſal. 5.
(q) 1. Petr. 5.
(r) Exod. 26. & 36.

Ad multiplicem rurſus gratiarum actionem ex tanta beneficiorum redundantia in chartis noſtris veluti in alveo jugiter fluxuram, illam haud mediocrem adjicimus ex eo beneficio ſimul addito, quo voluiſti eſſe bene conſultum futura Annalium ſcriptioni: adeo ut quos ad dignitatem promoveris, non amoveris ab inſtituto; neque cum vocaveris, revocaveris a cœpto ſcribendi munere, ſed opus urgens, quod exoptes ad finem perduci; cui ut ſolicitius vacem, vacare me velis ab ingruentibus negotiis meliori parte diei, quam ab interventoribus liberam eſſe jubeas, & Annalibus integre cuſtoditam.

Cujus tui gratia & hic ipſe tomus, qui ſeptimus nobis naſcitur partus, & poſtremus timebat fœcunda claudere matris uterum, tibi latus occurrit oblatus, ita jam de fratrum futura propagatione ſecurus (quantum tamen in humanis rebus ſecuritas eſſe poſſit) exultans pariter, quod & tua benignitate progreditur ſanctorum Martyrum titulo glorioſus, incedens ſtipatus tantis cœleſtis curiæ Senatoribus, ſeptus nempe altero latere Nereo, altero Achilleo Petri diſcipulis, decoris triumphalibus palmis atque coronis, quos datos in itinere comites, ſuos etiam cupit eſſe patronos, atque perpetuos apud Deum interceſſores.

Finem vero dicendi facturus, Pater ſanctiſſime, audi, rogo, quæ adhuc animi nequeam ſuperaddere. Ad tantum honoris verticem ſublimatus, tibique ipſi ut magna aquila luſtranti Orbem pullus inexpertus imbelliſque, abs te peto duci, doceri, atque juvari. Tu recta doceas cœlum verſus, ne declinans ad dexteram ſive ſiniſtram, vel proſperis unquam alliciar, vel deprimar adverſis: Doceas pariter quæ ſurſum ſunt ſapere, non quæ ſuper terram, oculoſque ad Solem illum juſtitiæ fixos tenere, neque deorſum ad ea quæ ſunt mundi habere reſpectum: Juveſque adminiculo alarum tuarum, imponens debilem ſuper humeros fortitudinis tuæ, quibus Orbem quoque ſuſtentas: ut ita a terra ſublimes divina petentes (ſecundum quod ait Apoſtolus (a) revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformemur a claritate in claritatem, tamquam a Domini ſpiritu; e profecto videlicet claritudinis purpura ad ſtolas illas candentes, dealbatas (b) in ſanguine Agni: ſicque per aſcenſum purpureum illum perveniamus ad reclinatorium (c) aureum, beatam illam requiem, ubi Deus cum Sanctis ſuis in æternum regnat.

(a) 1. Cor. 3.
(b) Apoc. 7.
(c) Cant. 3.

Demum vero, Summe Sacerdos, oblatum ſeptimum hunc Annalium tomum, novæ primitias dignitatis, veteris vero agriculturæ fructus, tua benedictione dignum redde divino conſpectu: ut cum per eum Deo ipſi, cui in primis offertur, ſit gratus, gratia divina concilietur auctori. Vale, Beatiſſime Pater, teque mente recta gradientem in omnibus viis tuis Deus cuſtodiat ſemper.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI

ET D. N. CLEMENTI VIII. PONTIF. MÁXIMO

CESAR BARONIUS S. R. E. CARDINALIS. TIT. SS. Martyrum Nerei & Achillei, ſempiternam felicitatem.

NON eadem celeritate, BEATISSIME PATER, qua cœptus eſt cudi, octavum Annalium tomum proſequi licuit & abſolvere. etenim quæ vel cogitare nec potuiſſem, impedimenta interceſſere. Siquidem importuno repente excitati claſſico, e prælo ad prælium evocati, una cum ſacro Collegio longe diverſas ab inſtituto ſubire curas coacti ſumus ex imminenti bello, quod diſſimulari, aut evitari non potuit: legitima enim præcedente cauſa non modo juſtum, ſed & neceſſarium judicatum fuit: quod & ſanctificatum (d) ſacerdotalibuſque tubis, more majorum (e) indictum eſt, cum in ſacro illo Quirinali Patrum conſeſſu, quot ſunt ea de re dictæ ſententiæ, tot audita ſunt tubæ, immo tonitrua atque vibrata cœlitus fulmina, in promptu omnes habentes (quod monet Apoſtolus (f) omnem ulciſci inobedientiam.

Ex Tomo VIII. Annalium.
(d) Hier. 6. Joel. 3.
(e) Num. 10.
(f) 2. Cor. 10.

Quis unquam ex nobis æquo animo paſſurus eſſet, antiquam Petri hæreditatem invadi? Renuit penitus Naboth (g) paternam tradere hæreditatem Regi, eam æqua licet compenſatione poſcenti, dicens: Propitius ſit mihi Deus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. Elegens lapidibus magis obrui quam pecuniis. Quod egregie factum meruit ſanctorum Patrum præconiis celebrari; quin & S. Ambroſius (h) voluit illud etiam imitari, cum in Romanum Imperatorem Eccleſiam invadentem, ita eſt ſacerdotali libertate locutus. Abſit a me, ut tradam Patrum hæreditatem, hoc eſt hæreditatem Dionyſii, qui in exilio in cauſa fidei defunctus eſt, & hæreditatem Euſtorgii confeſſoris, hæreditatem Myroclis, & omnium retro Epiſcoporum. Reſpondi quod ſacerdotis eſt: quod Imperatoris eſt, faciat Imperator. Paratus eram & ipſe pati, quod Naboth, ſi fuiſſet ille, quod Achab.

(g) 3. Reg. 21.
(h) Ambroſ. in Auxent.

At quomodo non magis ſolers ac promptus vindex deberet exurgere (ut fecit) Petri ſucceſſor, Chriſti Vicarius, ut Chriſti ſimul & Petri atque omnium prædeceſſorum Pontificum antiquitus oblatam, recens ablatam vindicaret hæreditatem? Quomodo non vel ejuſdem Petri accenderetur exemplo, qui non ob occupatum ampliſſimum patrimonium, ſed ob nummulos quoſdam de vendito agro fraude retentos, in Ananiam (i) atque Saphiram ſeverus ultor exurgens, eoſdem mox quot verbis, tot ultricibus jaculis confoſſos, mortuos proſtravit in terram?

(i) Act. 5.

Exurrexit ipſa Sanctitas tua, ut debuit duplicibus potius armis, quibus tamen terrorem incuteret potius quam feriret; non ſanguinem, ſed ſalutem ſitiens animarum, debellare tantum ſtudens iniquitatem, ſubigere culpam, ſuperare peccatum, atque fugare diſcordiam, vindicare vero juſtitiam, eamque ſolutis compedibus reddere liberam, ut ſuum unicuique libere redderet. Quod ut praſtaret, omnem in primis fiduciam in Eccleſiæ precibus atque lacrymis collocavit, probe ſciens, ſanctos (k) per fidem viciſſe regna, armorum vero, ſi ſola ſint, inutilem eſſe uſum, nec ſatis digna quibus victoria adſcribatur. nam & apud antiquos Romanos illud loco proverbii eſſe uſurpatum, auctor eſt Varro (l): Romani ſedendo vincunt. Apud Chriſtianos vero illa frequentiori uſu recepta paræmia: Eccleſia lucrymis ſuperat adverſarios, ſecundum illud Apoſtoli (m): Cum infirmor, tunc fortior ſum. In quam ſententiam idem dicit (n): Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed Deo potentia ad deſtructionem munitionum. Quod plane eventa, quæ vidimus, perſpicue declararunt.

(k) Hebr. 11.
(l) Varro de re ruſt.
(m) 2. Cor. 12.
(n) 2. Cor. 10.

Accidit quaſi miraculum a Deo (ut libenter utar divinæ Scripturæ (o) verbis ut Ferraria, ferrea plane civitas ſine ferro fuerit expugnata, ipſo totum id agente, qui dixit (p): Ego ante te ibo, glorioſos terræ humiliabo, portas æreas conteram, vectes ferreos confringam. Ut plane idem qui Petro (q) aperuit portam ferream, Ferrariæ portam Petri patefecerit ſucceſſori. Grande opus, ac plane divinum, ſecundum Davidicum illud (r): Quis, inquit, deducet me in civitatem munitam? Nonne tu Deus?

(o) 2. Reg. 14.
(p) Iſ. 45.
(q) Act. 12.
(r) Pſ. 59.

Cujus

Cujus facti magnitudine ſuperatus, mentis quodam exceſſu præ admiratione captus, cum admirante Propheta clamare compellor (a): Quis audivit unquam tale? Quis vidit huic ſimile? Antequam veniret partus ejus, peperit maſculum: Cum videlicet nullis præcedentibus doloribus partus, quibus in bello ex cædibus, rapinis, incendiis, aliiſque innumeris malis vix tandem pari victoria conſuevit; admirabili Dei manu obſtetricante (b), eadem læta atque jucunda omnique ex parte perfecta ſit parta victoria; adeo ut etenim qui viſus eſt vinci, vinceret, & de ſuperata a ſe injuſtitia, ſumma gloria triumpharit.

(a) Iſa. 66.
(b) Job. 26.

Sed quid amplius? (excuſet ſi longius exultans noſtra fræni excurrit oratio) quaſi tanta hæc parva atque exigua eſſent: idem benignus Dominus, qui (ut ait Apoſtolus (c)) multiplicat ſemen noſtrum, & auget incrementa frugum juſtitiæ noſtræ; ex copioſe fuſa ab Eccleſia lacrymarum ſemente (ſecundum illud Davidicum (d): Qui ſeminat in lachrymis in exultatione metet) auxit mirum in modum, eodem anno, publica proventus hilaritatis, cumulavitque acervos frugum lætitiæ, tum ob multiplices adverſus Turcas obtentas victorias, tum etiam ob maximum donum illud quod optari tantum, ſperari vix quidem aliquando potuiſſet, cum ſancita eſt pax perpetua inter Chriſtianos potentiſſimos Reges immortali atque implacabili odio inter ſe hactenus dimicantes; quo nomine juges ſunt Deo ab univerſo Chriſtiano Orbe gratiæ perſolvendæ.

(c) 2. Cor. 9.
(d) Pſ. 125.

Sed habenis jam oratio coercenda, atque tandem, ſi fas liceat, eo unde digreſſa eſt, revocanda, ad excuſationem videlicet de tardiori editione octavi hujus Annalium tomi, non tam tui cauſa inſtitutam, qui omnia melius noſti, quam eorum qui me debitorem meo ſcripto conveniunt, quo promiſerim, annis ſingulis ſingulos tomos edere. Juſtam meam excuſationem ipſi accipiant, auditum ſupplici rogatione verbis Evangelici debitoris dicentis (e): Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. De his vero quæ tuæ debeo Sanctitati, quod adeo magna ſint, ut nulla ſpes ſit quovis tempore, vel quibuſvis officiis a me poſſe diſſolvi, venia mihi prorſus roganda eſt; ita tamen, ut ſignum aliquod memoris & grati animi ſit interdum præſtandum.

(e) Matth. 18.

Cujus rei gratia, ob verum in me collatum honorificum Bibliothecarii Apoſtolicæ ſedis munus, ei tenuem donum offero, Librum ſcilicet, veluti fructum perceptum ex latifundio, quod excolendum accepi, primitias (f) ipſas debitas ſacerdoti, qui eas primum offerat Deo omnium bonorum auctori, deinde vero in ſuum convertat uſum, parans ex iis lautiſſimam ſibi menſam, ex rebus præclare geſtis ſanctiſſimorum prædeceſſorum Pontificum, præſertim vero ejus qui in limine primus occurrit magni Gregorii, atque Martini prærogativa martyrii ter Maximi nuncupandi, quibus veſcens æquè vero opiparæ, & de reliquiis diſpertiendis in populos cumulet Apoſtolicos cophinos fragmentorum.

(f) Num. 9.

Accipiat igitur Sanctitas tua a me oblatum, Clemens Octave, octavo anno tui Pontificatus, Octavum hunc Annalium tomum eodem myſtico numero, ita Deo diſponente, tertium repetito feliciter conſignatum. Repende Apoſtolicam benedictionem: qua roboratus reliquos etiam tomos annis ſingulis pro numero reliquorum annorum longævæ tuæ increſcentis ætatis poſſim abſolvere, & Sanctitati tuæ pari numero, tributi ratione perſolvere. Vale Beatiſſime Pater, teque Deus anivet a Eccleſia ſemper proſuturum conſervet.

CÆSARIS BARONII

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS

Tit. SS. Martyrum Nerei, & Achillei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Bibliothecarii,

Pro Annalibus Eccleſiaſticis

BEATO PATRI PHILIPPO NERIO

CONGREGATIONIS ORATORII FUNDATORI
Gratiarum actio.

Quod de his quæ ſpectant ad Eccleſiaſticorum Annalium ſcriptionis primam originem atque progreſſum, vix parva hactenus attingere licuit; ut involviſſe obſcuritate potius ea, quam explicaſſe viſi fuerimus, eo quod adhuc ſuperſtes is eſſet, de quo dicendum erat, qui non ſolum ſuarum laudum eſſet contemptor, ſed acerrimus hoſtis: eo jam ad ſuperos evecto, ipſis quibus detinebatur compedibus oratio libera, ſecura per latum campum acceptorum ab ipſo beneficiorum excurrat.

Eſt enim majorum noſtrorum jucunda memoria, a quibus tamquam ex uberrimo fonte innumera, nobis bona copioſe fluxere. Sed & eſt proficua ipſa Patrum noſtrorum, ſanctorum virorum recordatio, quod admoneat nos non debere ab eorum virtutibus eſſe degeneres, ſecundum divinum illud oraculum (g): Attendite ad petram unde exciſi eſtis, & ad cavernam laci, de qua præciſi eſtis: attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos. Verum quæ jucunda atque proficua, eadem eſt & neceſſaria commemoratio eorumdem, a quibus ſumma & maxima beneficia conſecuti, ne eu ſilentio vel oblivione turpiter redarguamur ingrati.

(g) Iſ. 51.

Sane quidem, generatim cuncta quæ filiis proſpere, feliciterque obveniunt, ea accepta ferenda eſſe parentibus, ſæpe divinis litteris admonemur, potiſſimum vero illa a magno Patriarcha Jacob (h) impertita Joſeph benedictione, qua, inter alia, iſta divinitus dicta narrantur: Sedit in forti arcus ejus, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Jacob; inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael. Cum igitur cuncta proſpera Joſeph potentis manui Jacob adſcribantur, qui non ſolum abeſſet quam longiſſime, ſed jam eum deploraſſet mortuum, planxiſſetque occiſum; quid nobis de Patre illo dicendum, qui in omnibus præſens & adjutor exiſtens, in primis Apoſtolico ſpiritu (i) nos ſæpe parturiit, & ab ipſa adoleſcentia ejuſdem ſpiritus fræno coercuit, cohibuitque a lubrico juvenilis ætatis procurrentis ad malum; atque reddidit indomitum pullum divinis legibus obſequentem, ſuper quem & Chriſtum (k) ſeceris conſidere?

(h) Geneſ. 49.
(i) Galat. 4.
(k) Matt. 21.

At cum nos multiplici nomine ipſi longe plurimum debeamus: de hoc modo, quæ ſpectant ad Annalium, quam habemus præ manibus ſcriptionem, extet ei tamquam inſtituta omnis lucubrationis noſtræ auctori; iſta ſemper vivens, ſemper loquens Gratiarum actio monumentis perpetuis con-

conſignata. Æquum eſt enim, & animi humiliter de ſe ac modeſte ſentientis per quem profece-
rit, profiteri; iniquum vero & arrogans ſuis viribus plus ſatis adſcribere. Qui enim magis
quam par erat ſibi tribuit atque dixit (a): in fortitudine manus meæ feci, & in ſapientia (a) Iſ. 10.
mea intellexi, acerbum illud accepit a Deo altore reſponſum: Numquid gloriabitur ſecuris co-
ntra eum qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum a quo trahitur? Meaque addita eſt
comminationi vindicta, quam & ille quoque infelix (b) expertus eſt, qui eadem de cauſa, e (b) Dan. 4.
regio ſolio dejectus, inter beſtias exulavit.

Quamobrem quod mortales omnes æterna Sapientia Chriſtus ipſe Redemptor noſter edocuit,
cum de Patre ad Philippum ſic locutus eſt, dicens (c): Pater in me manens, ipſe facit opera; (c) Joan.
de Patre Philippo & nos ingenue profiteamur: non quod gloriemur in homine & non in Deo, 14.
ſed ut per quem tanta beneficia largitus eſt Deus, Dei operatorem hominem demonſtremus; ſic-
que ut Deo, ita & hominibus grati ſimus. Ipſe enim divino quodam impulſu Spiritus iſta facienda
præcepit, non ſecus ac Moyſes qui quod vidit (d) Tabernaculi exemplar in monte faciendum illud (d) Exod.
indixit opifici. Ejuſdem namque Patris noſtri iteratis ſæpius juſſionibus, ſumus nos tantum opus 25.
aggreſſi, inviti licet ac renitentes, propriiſque diffiſi viribus: ſuſcepimus tamen, tamquam divi-
no parentes imperio, quo quidem ipſe adeo opus urgebat, ut ſi quando nos tantæ molis pondere
ſuperati, deſiſteremus a cœptis, ſtimulis acerrima reprehenſionis impelleret.

Exæſtuans tu quidem (ad te enim, Pater, orationem converto) exæſtuans, inquam, zelo
Eccleſiæ laborantis: ubi mente illa tua divino perfuſa lumine, ac prophetico (dicere liceat) afflatu
ſpiritu vidiſſe, e portis inferis in Eccleſiæ detrimentum progreſſas eſſe Centurias ſatanæ; ex ad-
verſo conſurgens pro domo Iſrael præliaturus prælia Domini, non majori vel pari ſaltem numero
militum compenſato certamine, decernendum putaſti: ſed probe ſciens, quod quæ (e) infirma mun- (e) 1. Cor.
di ſunt, eligit Deus, ut confundat fortia; puerum tuum, fratrum minimum, & hebetioris in- 1.
genii delegiſti, quem unum, eumdemque inermem tot objiceres armatis hoſtibus. Et aliud agere ſi-
mulans, non latum campum ad prælium ſed ad experiendas vires anguſtum ornaſti locum palæſtra,
ipſum videlicet ſacrum Oratorium Sancti Hieronymi, ubi inter quotidianas de rebus divinis col-
lationes, illud a nobis ſymbolum exegiſſe, quo res geſtas Eccleſiæ in medium afferremus. Quod
tua juſſione ſemel captum, ad triginta annorum ſpatium eſt feliciter propagatum, ipſa integra rerum
geſtarum ſeries, dicendo, jam ſepties in Oratorio repetita.

Aſtabas jugiter operi, urgens præſentia, inſtabas verbis, durus ſemper (ignoſcat ſi hoc di-
xero) diurni penſi exiſtens exactor, adeo ut peccatum putares, ſi interdum ad alia enarranda di-
vertiſſem, dum nec minimum quidem ab inſtituto deflectere paterere. Sæpe vero & in eo hu-
mani aliquid paſſus ſum, fateor, cum nondum intelligens rem ipſam occulte ubi te apud Deum
precibus conſice, meas ipſe metiens vires, quererer, mecum ferme agi tyrannice, quod non ſolum
aliquis non jungeretur ex fratribus, qui ad collaborandum eidem ſubjiceret collum jugo; ſed mul-
tiplicato labore, nec datis paleis (f), multiplex opera exigeretur; cum inquam & adhuc alii (f) Exod.
ad ſuſceptum munus negotiorum faſces imponerentur, cura videlicet animarum, publicum de ſugge- 5.
ſtu miniſterium verbi Dei, præfectura domeſtica, præter alia quampluruma, quæ inopinate & im-
portune moleſtiores quotidie ingererent interventores.

Adeo ut tu vel iſta ſciens, vel fieri ab aliis patiens, nihil minus velle videreris, quam quod
plurimum velles. In quo quidem viſus es imitatus Eliam (g), dum congreſſus cum ſacerdotibus (g) 3. Reg.
Baal, eos expugnaturus per ignem cælitus implorandum, qui propoſitam victimam inflammaret atque 18.
conſumeret, in contrarium uſus, eamdem quatuor aquæ hydriis tertio voluit affluenter aſpergi,
quo magis ſumma Dei potentia innoteſceret.

At vero alia ex parte cum prompto animo idem tu ipſe ad præſtandum auxilium precibus
tuis manum fortiſſime admoviſſe (h), viſus es ſecutus Heliſæum, qui manum ſuam Regis ma- (h) 4. Reg.
nui ſuperimponens in emiſſione ſagittæ, fecit eum eſſe ſtatim Syriæ percuſſorem. Quo pariter ſym- 13.
bolo tu meum agens, manui meæ debili tuam validiſſimam jungens, obtuſum ſtylum in ſagit-
tam ſalutis Domini, contra inſultantes Aſſyrios convertiſti. Quod ſicut verum, ita pulchrum ac
jucundum eſt mihi de te publice profiteri.

Pugnaſti, tu quidem; ſed aliena manu, uſitato more tuo, qui cum admiranda operari con-
ſueveris, mirandus tamen numquam volueris apparere, nihil tam ſolicite cavens, quam ne quid
de te magnifice decerneretur, operimento ſtultitiæ ſæpe operiens ſapientiam, juxta pervulgatum illud
& celebratum, menteque tua infixum penitus Apoſtolicum paradoxum (i): Qui vult ſapiens eſſe, (i) 1. Cor.
ſtultus fiat. Ita quidem ut nullis compedibus blandientis ſæculi teneretis, exemplo David (k) ad 3.
tempus ora mutantis, magna dona ſpiritus occultares, quæ ſunt infirmitates humanæ foris oſten- (k) 1. Reg.
tans; ſcireſque ſecundum Apoſtolum (l), abundare & penuriam pati, ut cum ipſo dicere poſſes (m): 21.
Sive mente excedimus, Deo; ſive ſobrii ſumus vobis: atque exemplo cognominis tui Philippi (n) (l) Philip.
diaconi, pro ratione temporis, vel inhærens hominibus, ipſorum ſaluti conſulens, vel magno impe- 4.
tu ſpiritus venienti vela panderes. (m) 2. Cor.

Sed quam tu vivens in Chriſti ærarium gloriam copioſiſſime intuliſti, poſt migrationem ex 5.
hac vita, multo multiplici fœnore, ipſe rependit. Siquidem ubi Lagunculu (o) terrea fracta eſt, (n) Act. 8.
quæ latebat intus ſua claritate refulgens lampas apparuit: & quæ abſconſa erat ſub modio lucerna 8.
ardens & lucens ſuper æternitatis altum candelabrum exaltata, perſpicua facta eſt miraculorum (o) Judic.
fulgore coruſcans. 7.

Tunc enim & quæ vivens ediderat, ſed occultaverat, mirifica ſigna, ſunt cognita, & alia
quampluruma recens edita patuerunt. Splendet vile licet adhuc, utpote temporarium, ſepulcrum
tuum votivis tabellis, & ex pretioſo metallo ſignis affixis, tuorum miraculorum indicibus, qui-
bus magis quam pretioſorum marmorum cruſtis, vel Ægyptiis pyramidibus & obeliſcis effulget,
majus decoris in dies accipiens incrementum ab iis, qui nova beneficia conſecuti, inferunt nova
ſigna.

Detur & mihi locus (vos fratres appello, qui pia ac nobili corona ejus cingitis monumentum)
ut hæc mea gratiarum actio, tametſi acceptis beneficiis longe impar, eidem adhæreſcat affixa ſepul-
cro, ita tamen, ut per orbem terrarum, quocumque iidem feruntur Annales, excurrat. Mobilis
ſit ipſa atque vocalis ſculpta columna, quæ amplis notis ipſum prædicet Annalium primum aucto-
rem & architectum; ut ſi quem ex iis mortales fructum ceperint, ipſi in primis omnes gratias
agant. Stet, inquam, mea iſta profeſſio velut indelebile eidem ſepulcro inditum epitaphium, cupiens
& ego ipſe eidem inhærere viva tabula, quæ formata penicillo ipſius precum, integram referat ejus
ſanctitatis imaginem.

Age-

Age jam Pater (te ſurſum tamquam præſentem alloquor, dum eum videt, qui præſens ubique adeſt) age inquam, fave operi tuo; & ut tibi in omnibus victoria adſcribatur (quod Joab
(a) 2. Reg. 12. *ſcripſit ad David a) veni & quod reliquum eſt, conſice prælium; cœleſtem deſuper tuis precibus move militiam, ut debellatis tandem penitus hoſtibus, triumphale carmen Debora (b) concina-*
(b) Jud. 5. *mus: De cœlo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine ſuo adverſus Siſaram pugnaverunt. Me vero filium tuum, quem degens in terris aſſiduo fovisti præſidio vigilantia cuſtodiſti, conſilio gubernaſti, patientia tolerasti, vivens in cœlo fortioribus protege patrociniis: ampliora mihi creſcant de tua jam perfecta & in omnibus conſummata charitate ſubſidia. Sed*
(c) Greg. Naz. in laud. Baſ. *& quod a Baſilio ſe Gregorius (c) Theologus conſecutum affirmat, ut eum etiam poſt obitum habuerit monitorem: hoc nobis abundantius præſta; ut te ipſo adhuc exiſtente vitæ meæ moderante habenas, quod reliquum eſt labilis hujus currentis ſenectutis, inoffenſo pede procurram, perveniamque tandem poſt labores bene perfunctos ad beatam illam requiem, qua tu modo frueris in Patre & Filio & Spiritu ſancto, quibus in unitate perfecta ſemper ſit laus, honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.*

HENRICO IV.

FRANCORUM ET NAVARRÆ REGI CHRISTIANISSIMO

CÆSAR BARONIUS S. R. E. CARDINALIS

Bibliothecarius ſempiternam felicitatem.

Ex Tomo IX. Annalium. Prov. 25. 11.

*A*bſoluto poſt auctos labores nono Annalium tomo, ſincera mea erga Majeſtatem Tuam obſervantia exigit, Chriſtianiſſime Princeps, quod & ratio poſtulat, atque commonet argumentum, ut ipſum tibi offeram. Ad hanc enim uſque diem ejuſmodi mei officii exhibitio conſulto eſt dilata, ut opportuniore factum tempore, eam gratiorem acciperes. Nam quod in ſacris proverbiis eſt: Sermo opportunus eſt optimus, &, ut mala aurea in lectis argenteis qui loquitur verbum in tempore ſuo. Equidem expectavimus, ut exoptato occurreremus in via hac glorioſiſſimis illis Francorum Principibus, Regibus, & Imperatoribus, quibus nobilitatus atque locupletatus eſt mundus, Pipinis, Carolis & Ludovicis, ut ex ipſorum rebus fortiter, ſancte, pieque geſtis fieret convenientior tomi hujus oblatio tibi Regi fortiſſimo ac Chriſtianiſſimo, proprio ipſorum hæredi ac legitimo ſucceſſori.

Hi ſunt, quos nobiliſſima Francorum genti ſancta Romana Eccleſia magno gaudio peperit Reges & Imperatores, filios primogenitos, per quos e barbarorum inſultibus vindicaretur in libertatem. Hi ſunt illi monſtrorum domitores, atque religionis ſtabiles cuſtodes, præcipue vero Sanctæ Romanæ Eccleſiæ potentiſſimi, ſicut & promptiſſimi defenſores, qui & hunc ipſum ſummo gloriæ titulum poſteris ſuis publicis tabulis reliquere teſtatum, atque plurimo ſanguine conſignatum.

Hi revera ſunt qui effuſa munificentia (quod admiratur orbis) ditarunt Eccleſias, maxime vero Romanam, in quam veluti ſacrum gazophylacium non ſolum immenſos contulere theſauros oblationibus frequentatis, ſed amplas etiam intulere provincias ſive ab hoſtibus vindicatas, ſive proprias; ſummum lucrum, ſummamque gloriam æſtimantes, quavis impenſa, quovis labore ſanctæ Romanæ Eccleſiæ utilitati ſapienter proſpicere, ſtrenueque conſulere neceſſitati. Quod ingentis fidei opus ſæpius iteratum Deus reſpiciens & gratum habens, adeo cumulatis beneficiis compenſavit, ut omnibus innotuerit, idem eſſe de ſancta Petri Sede bene mereri, quod a Deo ad bene diſponendum, conſervandum, propagandum, ſtabiliendumque Regnum beneficia ampliſſima promereri.

Nec vero minus grata habuit idem Deus humilia erga Romanos Pontifices eorumdem Regum obſequia, ſed & multiplicato fœnore compenſavit. Dum enim iidem quamvis præcelſa majeſtate ſublimes, pro immenſo religionis amore humili quoque ſervitio Chriſti Vicarios, Petri Apoſtolorum principis ſucceſſores ſæpius publice coluerunt: Deus, qui ea cuncta ut ea ſe collata accipiebat in Pontificibus ipſis; cum ſit pollicitus, quod omnis, qui ſe humiliat exaltabitur, ſublimiora faſtigia extulit Francorum potentiam, & altiori culmine ſublevavit, atque firmavit thronum eorumdem regia majeſtate: adeo ut deficientibus penitus cæteris externarum gentium Regnis, quæ invaſerunt Romanum Imperium, Hunnorum, Herulorum, Gothorum, Alanorum, Vvandalorum & Longobardorum, unum
Matth. 23. tantum Francorum Regnum fecerit eſſe amplum atque perpetuum; eo quod iidem delecti ſibi Reges non terrena tantum potentia, qua reliquæ gentes non fuere minores, ſed & ſpiritualibus uſi ſunt armis
2. Cor. 10. illis non omnibus cognitis de quibus Apoſtolus, Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia ſed Deo potentia, ideoque vinci neſcia, & quæ vincant omnia.

Iſta continet, conſervatque inſtar armamentarii volumen hoc antiquorum Regum Francorum duplicis generis arma victricia, ſigno ſanctæ Crucis impreſſa, quæ ut ſuum robur & munimentum, velluti propria ſibi vendicat ſancta Romana Eccleſia. Enimvero ſicut arma David aſſervabantur in templo, eademque ſummi ſacerdotis arbitrio, cauſa urgente maxima, ſumebatur (ut factum eſt per Jojadam ſummum Pontificem adverſus impiam Athaliam, ad deſtructionem invaleſcentis tyrannidis, &
4. Reg. 11. extinctionem exardeſcentis impietatis) ita iſta in Eccleſia cuſtodita manſerunt, Romanis Pontificis monitu, hortatuque movenda adverſus ejuſdem Eccleſiæ ſanctæ perſecutores: Quos cum multos, diverſoſque diverſis temporibus jugiter paſſa ſit, nullos præ cæteris ſenſit, ſentitque impiis præſentis ſæculi Novatoribus, qui dum Catholicam Eccleſiam canino dente proſcindunt, iiſdem glorioſiſſimos Principes, fœdis maculis calumnioſe deturpare ſunt auſi.

His (pro nefas) male olens iſtius optimo odore Chriſti fragrantia: nec mirum id quod Chriſti
2. Cor. 2. bonus odor aliis, ſecundum Apoſtolum, ſit odor mortis ad mortem, aliis autem odor vitæ ad vitam;
Joan. 12. Hi enim cum Juda unguenti in Chriſti caput effuſionem inſumant, dum cuncta eorumdem Chriſtianiſſimorum Regum Francorum erga Romanam Eccleſiam obſequia, officia & beneficia, ſimul cum ipſis omni laude digniſſimis reprehendunt, inſectanturque conviciis atque blaſphemiis; ita muſcæ morien-
Eccleſ. 10. tes, omni ex parte viliſſima, conata ſunt, ſed fruſtra perdere pretioſiſſimi odorem unguenti. At quomodo iſti tantis Principibus parcant, qui in Deum ipſum & Sanctos ejus inventi ſunt contumelioſi atque blaſphemi? Fuerunt iſti a nobis eadem ſcriptione ut inſani redarguendi, & confutandi: quo nomine etiam fore Majeſtati tuæ gratum hunc ipſum Annalium Tomum exiſtimamus, cum non ſolum ab iſtorum calumniis veritate hiſtorica defendantur, ſed & demonſtrentur iidem Francorum Principes

lau-

laudatiſſimi, & qui tum Chriſtiana religione, tum bellica fortitudine probentur nulli fuiſſe ſecundi; immo quæ pro excellenti virtute in multis fuerint primos eſſe ſecundos.

Tu ergo ab his non degener, nec animi magnitudine impar, vinci religione non ſinas, ſuperari virtute ne patiaris. Non deſunt duplicis generis hoſtes, de quorum victoria cumulatos gloria titulos, & auguſtiores pares tibi triumphos. Siquidem altera ex parte doloſa arte hæretici irrepunt, altera vero gladio imperioſo Turca graſſantur, ambo licet vultu diſſimiles, impetate pares, Chriſti Eccleſiæ perduelles, & antiqua gloria Francorum infenſi. Hanc obſcurare penitus nituntur illi, dum felices olim Gallias ejuſmodi monſtrorum (ut ſanctus Hieronymus ait) expertes, fœtidas, voraceſque modo pati cogunt Harpyas, Hieron. in Vig.

> Triſtius haud illis monſtrum, nec ſævior ulla
> Peſtis, & ira deum ſtygiis ſeſe extulit undis. Æn. 3.

Quæ vultu virgineo, recti nempe ſpecie fallunt, cunctaque fœdant atque profundant; Iſti vero dira tyrannide occupant Loca ſancta, omneque premunt Orientale quondam acquiſitum a Francis Imperium. In illos ut leges, Rex inclyte, in iſtos ut arma convertas, clamat ad te magna fiducia mater Eccleſia, bene conſcia, ſe bono Chriſtianæ religionis peperiſſe leonem, cujus vel rugitu tantum (ſi velit) perterrefacti ſileant illi; iſti vero profecti per Francos iuſſum ſui occaſum Imperii, aut tibi cedant, aut raſi deficiant:

Cum autem in his proſande verſaremur inopinate accidit, ut communi omnium lætitia vulgaretur, Mediceam virginem Auſtriacum germen, Italiæ ornamentum Mariam inter omnes a Deo delectam moribus Chriſtianiſſimam Chriſtianiſſimo tibi Regi ſancto matrimonio jungi. Quamobrem quod Regi pro dedicatione parabam, modo eodem jam ſponſæ etiam exhibeo pro ſponſalibus ſertis. Sit ergo volumen iſtud veluti liliis contexta corona: qua tu Rex invictiſſime, ſacrum verticem chriſmate ſancto perfuſum jam exornas, præ cæteris decoras appareas atque conſpicuus: Nam quid iſtis floribus pulchrius, quorum ſpecie tua corona veſtitur, cum ſententia Domini, nec Salomon in omni gloria ſua veſtitus ſit, ut unum ex liliis agri? Flores dico majorum tuorum inſignes virtute. Quibus jam tuam mentem exornans ſemper vernantibus, numquam marceſcentibus, ſuavemq. odorem ubique ſpirantibus, ubi jam & tu, ut majores tui, bene olere cupiſti ſanctiſſimo Patri tuo, ut illi benedictionem præcipuam ab eo et felicitatem conſecutus, cujus merito tibi omnia proſpera cedant. Matth. 6. Geneſ. 27.

Sit etiam idem volumen non pro corona tantum, ſed loco Epithalamii nuptialis, eo quod argumento non diſpar, licet dicendi genere ſit diverſum, cum ut in eo, majorum egregie facta narrentur. Quæ etiam, ut Epithalamio illo ſacro vocantur filiæ Sion videre Regem pacificum die deſponſationis ſuæ diademate coronatum: ita nos majores tuos, inclyta illa Francorum lumina, ne dicam numina, vocamus ſacris nuptiis iſtis adeſſe præſentes, ſecumque a Deo obtenta largiter ad vos ergalia dona ferre. At ne quid tam pio deſit officio: Sit nuptiis his (acclamando precamur cœlites omnes) pro Auſpice Chriſtus, loco pronuba Dei Genitrix, & Angeli, Sanctique omnes pro paranymphis, qui faveant bene cœptis, eaſdem ſacras nuptias copioſa ſanctaque prole fœcundent; ut quos nos vobis exhibemus in chartis, vos nobis mox reddatis in filiis Pipinos, Carolos, & Ludovicos. Vivite unanimes jugali ſocietate felices; prole feliciores, & ſpe æterna gloria feliciſſimi. Amen. Cant. 3.

RUDOLPHO II.

ROMANORUM IMPERATORI ELECTO

Semper Auguſto.

CÆSAR BARONIUS S. R. E. CARDINALIS
Bibliothecarius ſempiternam felicitatem.

ADMIRARI *quidem jure poterunt multi, Invictiſſime* CÆSAR, *ſed damnare juſte nemo, cum facti perceperit rationem, quod ſalutatis a nobis, noſtriſque donatis Annalibus jam duobus Chriſtianæ religionis præcoribus Regibus, tuam Majeſtatem Principibus omnibus dignitate præſtantem præterierimus hactenus inſalutatam, ac reliquerimus indonatam.* Ex Tomo X. Annalium.

Haud enim id effecit iniqua diſcretio, aut oblivioſa ſocordia, contumaxve contemptus, ſed fuit tarditas iſta opportunioris temporis expectatio, ut eſſet feliciores oblatio, atque digniori dignior fieret exhibitio. Quemadmodum enim Samuel excepturus menſa electum a Deo primum Hebræorum Regem Saulem, armum illi ſeorſum ſervandum curavit, quem apponeret recumbenti (ſymbolicum fortitudinis ferculum, quo & apud Homerum Agamemnon Rex Ajacem præ cæteris honoravit) Ita & nos tibi electo Imperatori non communia quæque & manibus obvia duximus offerenda, ſed conſulto hunc ipſum decimum Annalium tomum: idque multiplici ratione. 1. Reg. 4. Iliad. 7.

Etenim cum Tomus iſte optatas contineat primitias Imperii Germanorum: tibi in primis debuit reſervari, qui ejuſdem Imperii moderaris habenas. Se namque habet triumphalis curru inſtar vehere primum Germanorum Imperatorem, victorem, triumphatorem ſemper Auguſtum Ottonem Magnum, quem ad tam ſublime faſtigium non violenta tyrannis, neque jura propinquitatis, ſed Apoſtolicæ ſedis, ipſius ſancta Romana Eccleſia ſublimavit auctoritas, qua ipſe propagavit & ſucceſſores.

Hic pariter habet, ex quo etiam tibi ratio ſit dignus offerri, quomodo ab ipſo Romano Pontifice, tanquam a ſapientiſſimo Architecto, poſt jacta tanta molis ſolida fundamenta, illud ipſum Imperium fuerit ſtabilitum, atque in perpetuum confirmatum, dum inſtar Sapientiæ domus ſeptem ſuffulta columnis, totidem ad perennem Imperii firmitatem, conſtituit perpetuos Electores. Quæ tanta cum haud dubia luce, ſed toto cœlo patentia idem Tomus inſpicienda cunctis exhibeat: plane qui iſta non viderint, penitus cæci vel videre noluerint, rebelles luminis arguantur ter miſeri Novatores. Quibus Germania ipſa ita a matre ſua ſancta Romana Eccleſia, per quam accepit & fidem, infulis Imperatoriis redimita, laureis Auguſtalibus coronata, fibula perennitatis innixis, compta procedens, ſua dum glorioſa exhibet ſpectanda cunabula, bene conſcia veritatis, haud ingrata ingratis filiis illud divinum canticum jugiter recinat; Attendite ad Petram unde exciſi eſtis. Prov. 9. Iſ. 51

Amplius vero cum idem Tomus Bohemorum & Hungarorum, quibus veſtrum dominatur Imperium, converſionem ad Chriſtianam religionem contineat; cum indomiti hactenus populi Chriſti jugo ſuaviſſimo fera colla ſubdentes, redditi manſueti, tuo Imperio parere didicerint, ut tibi jure debitus, offerendum ſe offert. Effert autem ſe magis numeri prærogativa, dignumque veſtro conſpectu ſe judicat, quod cum ſit jure naturæ diſpoſitum, ut decima quæque maxima ſint, eademque ob ſui excellentiam Decumana conſueverint nuncupari; idem uti Decimus, ita maximus, maximum omnium Chriſtianorum Principum te petat Imperatorem.

Quæ præter alia plurima a Divinitate tibi dona conceſſa, quibus univerſus Chriſtianus orbis te merito veneretur: ex eo potiſſimum nobis colendus es, quod inter tantas undique effuſas hæreſum tenebras, claro Fidei Catholicæ nitore fulgens, vere Filius Primogenitus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cognoſcaris, cujus ab ubere pendeas ſicut ab ore. Quæ ipſa pro ſe, tuique Imperii ſalute ſollicita, ſua prodiga lac benigna præbeat hauriendum & ſanguinem, dum ejus ſanctiſſimus Pontifex CLEMENS Octavus, non pro facultate tantum, ſed ultra vires, ſupra modum, annis ferme ſingulis non deſierit veſtræ Majeſtati ſive auxiliariis copiis, ſive pecuniis ſubvenire, ut adverſus audaciſſimos ac potentiſſimos Chriſtiani nominis hoſtes idem veſtrum defenderetis atque propagaretis Imperium. Quibus bene uſa veſtra Majeſtas, pluribus annis tantum belli pondus fortiter ſuſtinens, de ſuperatis ſæpe hoſtibus eorumque munitiſſimis munitionibus expugnatis, innumeras, eaſdemque immortales conciliavit ſibi coronas, perpetuoſque triumphos: proxime vero de expugnata Albaregali Hungarici Regni urbe celeberrima, tribuſque mox Turcarum exercitibus profligatis, eorumque tribus Ducibus cæſis, prælatiora tibi debeant omnes Chriſtiani trophæa. Quo nomine & a nobis Epiniciorum loco eumdem accipias tibi debitum Annalium tomum. At quod congruum, opportunum, & dignum Majeſtati tuæ munus offertur, idemque haud inutile debet exiſtimari, ſed multiplici ratione proficuum, ex cujus lectione haud mediocre ſit Imperator conſecuturus emolumentum, rerum ſiquidem geſtarum vera notitia, gerendarum via
Jerem. 6. *ſecurior aperitur, ſecundum quod monet divinum oraculum, dicens:* State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris. *Docens pariter in quam immenſa mala inciderint iſta non audientes Principes una cum populo. Quod probe ſciens Baſilius Imperator, dum inſtrueret filium ſuum Leonem, quem relicturus eſſet Imperii ſucceſſorem, inter alia ſaluberrima documenta, quæ veluti teſtamentariis tabulis eidem tradidit obſervanda:* Evolvere *(inquit)* numquam ceſſes hiſtorias veterum; *plura hic ſubnectens de ſumma, quam ex ejuſmodi lectione Imperator maxime dignus eſſet conſecuturus, utilitate. Ille autem accuratiſſimus paternorum cuſtos mandatorum adeo profecit ex iis, ut Sapientis adeptus cognomentum, magno juſtitiæ libramento diu habenas ſit moderatus Imperii.*

Accipiat igitur Majeſtas veſtra grato animo, quem prompto exhibemus affectu præfatum Annalium tomum, offerentes pariter & cum eo cuncta quæ victor hoſtes viſibiles & inviſibiles ſuperans, hic regnet felix in terra, inde vero beatus in cælo. Vale.

SIGISMUNDO III.

REGI POLONIÆ MAGNO DUCI

Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque necnon Svecorum, Gothorum, Vvandalorumque hæreditario Regi.

CÆSAR BARONIUS

TIT. SS. MARTYRUM NEREI, ET ACHILLEI Presbyter Cardinalis S. R. E. Bibliothecarius ſempiternam felicitatem.

Ex Tomo XI. Annalium.

MAGNUS ille vertex Apoſtolorum, Chriſti Vicarius, legiſlator Eccleſiæ Petrus inter alias, quas ſanciebat leges populo Chriſtiano ſervandas, quid ipſi regibus deberent, brevi iſta ſententia patefecit. REGEM HONORIFICATE. *Quod ſi tunc a ſuis, quibus ſcribebat, & ſervanda præſcribebat, voluit ei, qui imperabat homini impio, dæmonum cultori, Chriſtianis infenſiſſimo, honoris obſervantiam nihilominus exhiberi: quanto id majori cum fœnore a poſteris in* CHRISTUM *credentibus exacturus eſſet pro Chriſtianis Regibus optimeque de Chriſtiana Religione merentibus? Propterea & nos,* SERENISSIME PRINCEPS, *ut noſtri inſtituti aperiam rationem, conſuevimus honoris cauſa, qui ex præſcripto Apoſtolicæ legis debetur Regibus, poſt Eccleſiæ Romanæ Pontifices, quibus primitiæ jure debentur, Annalium Tomos primariis Chriſtianæ Religionis Principibus orthodoxis ſua cuique epiſtola dedicare, abſque ordine tamen & prærogativa eminentioris excellentiæ, prout rerum geſtarum diverſa occaſio poſtularit. Qua ratione factum, ut quæ prima fuerat compellanda Cæſarea Majeſtas, ipſam Decimo Annalium Tomo opportunius eo officio coluerimus. Cui cum tu, ſicut Regno domicilio vicinior es, ita rerum geſtarum argumentis proxime jungaris: reſalutatum te præterire, non licuit: quem ut debito Regibus honoremus obſequio, ipſe Petrus exigit, qui ſuper ſuas leges invigilat. Cum vero ad hæc illud inſuper accedat, quod ejus ſucceſſor ſanctiſſimus Dominus noſter* CLEMENS *Papa Octavus, tui amantiſſimus, ac pariter ſtudioſiſſimus, hoc ipſum ut facerem, habere ſe gratum oſtenderit: plane effecit, ut majori fiducia ad id præſtandum aſſurgam, occurramque liberius, haud quaquam veriturus, ne minus tibi placeat, quod ſentias tanti Pontificis voluntate munus impendi.*

At vero, quanto majus nobis ex hac Pontificis ſuaſione pondus additum gaudemus, tanto cohibenda magis erit oratio, ne quid leve, aut ſolutum promat incauta, neve leniter adulationis attingat, ſi liberior per latiſſimum tuarum laudum campum ſinatur excurrere: ſed potius moderationis fræno correcta, intra terminos pareat ſe continens, non niſi quæ modeſta, ac ſobria, eademque ſeria ſibi eſſe conceſſa noverit, atque hæc ipſa conſtringat fibula brevitatis. Quod niſi fieret, diffiueret gravitas epiſtolaris in panegyrim, nuncupatio in encomium ſolveretur: digredienſque oratio ab inſtituto, redderetur auribus tuis ipſa moleſtior, jam hic audiendis jugiter ad nauſeam uſque exſatiatis. Si hoc enim ſimul ingrederetur, ubi ſubſiſteret? quonam duceret illud laudandi exuberans argumentum, cum tu unus inter tot Principes Chriſtianos virtutum merito dignus haberis conſilio & ſen-

tem-

tentia optimatum, qui præeſſe deberet Regno Poloniæ, multarum acceſſione provinciarum ampliſſimo? vel quoniam eam veluti torrente violentus abriperet copia affluens rerum in Regno abs te præclare geſtarum, atque illud potiſſimum (ut reliqua prætermittam, quæ quamvis grandia, magnoque digna Rege, minima tamen hujus comparatione ſunt viſa) quod cum Fidem Catholicam depreſſam admodum & afflictam, ac prope modum aceſcentem inveneris: eam modo erectam, & illuſtratam, ſuo jam decore viventem, & mitere florentem magna omnium admiratione reddideris? Ita ut qui terram denſis vepribus impietatis horrentem, hæreſum ſpinetis incultam, atque in truculentiorum belluarum luſtra pene converſam excolendam acceperas: hanc tua cultura, divina aſpirante gratia, frugiferam & amœnam, tanquam alterum manu Dei conſitum effeceris Paradiſum, ex quo & latos tu ipſe fructus vitæ decerpas, & alii flores, quibus immortales contexant tibi coronas. Quod & ſi qui adhuc ibi aliquot remanſerunt infelices cardui, convertantur tandem (quod ſperamus) in lilia: quantis iſta erunt digna præconiis? quibus laudibus attollenda, atque encomiis toto Orbe Chriſtiano, longe lateque tubis eloquentiæ perſonantibus, celebranda?

Quo nomine ipſa, quæ paſſa eſt invita compedes in laudando, libera ſaltem in hortando ſiat oratio; quæ licet currenti poſſit videri ſuperflua, haud tamen deſiderio impellentis exiſtimari debet otioſa, & quæ ne audiatur, excludi; cum præſertim, ut ſit efficax, ſumat ſibi vires ex Pontificia intentione. Perge magnanime Princeps, perge inquam, piiſſime Rex, Regem Deo charum imitare, qui dixit: Nonne qui oderant te, Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi. De quibus rurſum: Perſequar inimicos meos & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant, & cadant ſubtus pedes meos. Felix caſus, quo peccator, dum cadit a culpa, erigitur ad ſalutem, ſurgit ad vitam, exaltatur ad gloriam. Hanc utique ſumas licet de impietate vindictam, deque impiis Dei hoſtibus ultionem; quæ ipſis etiam exoptanda ſit, atque expetenda, ſi modo ſuæ ſalutis aliquam rationem aut ſenſum habeant. De hujuſmodi victoriis tibi ab Eccleſia in terra trophæa, & a Deo in cœlo opto triumphos. Perge, iterum dico, ac perfice glorioſum, quod aggreſſus es, opus; præliare hæc prælia Domini; qui te præcedet, quem ſequaris ducem. Angelos habebis commilitones, & auxiliares copias Martyres & Sanctos omnes. Jam ſonſeci Eccleſia Catholica ſuffragia primum, & qui ei præeſt ſummus Antiſtes, ad hæc præſtanda, Apoſtolicam benedictionem impertit. Aſpirat CHRISTUS, cujus & nomine exhibetur, qui tibi non modo tyrannum hæreticum, ſed ipſum etiam Principem infidelem injuſtum Orientalis Imperii poſſeſſorem juſtis armis ſubjiciat; Regnum denique tuum ſic propaget, ut tranſgrediens anguſtos terminos terræ divini tandem Regni conſortio ſuperes cœli cardines, & fines contingas æternitatis, cum Deo in perpetuum regnaturus.

Ut demum promamus, quod Majeſtati tuæ, honoris cauſa, debitum munus offerimus; ecce exhibemus Undecimum Annalium Tomum totius vitæ noſtræ laborem: quem enim concepit adoleſcentia, formavit juventus, firmavit conſilio firmior ætas; eum modo peperit ultima ſenectus. Qui in lucem feliciter editus, ac pene vagitus infantium, unà cum ſeſtivus accidat Majeſtati, unum te nuncupet Regem, licet infans, ſcriptis tamen ipſe vocalis; quibus tanquam faſciis involutus, in volumen ſe exhibeat perlegendum. Erit ejus tota lectio haud inutilis, opinor, nec prorſus ingrata: delectabit vero ipſa magis dulci memoria rerum antiquarum Poloniæ, ubi quibus veterum Regum ſervata Chriſtiana Religio plurimum commendetur, populoque optime culta Fides Catholica prædicetur: aperiatur pariter memorandis atque admirandis exemplis eum Regum, quam populi erga ſanctam Romanam Eccleſiam, a qua Evangelium acceperant, ardens, & flagrans ſtudium atque obſervantia: qua illi & provinciam primum ipſam Apoſtolicæ Sedi penſitatione cenſus annui fecerint ſua ſponte vectigalem; & iſti ob idem Regnum poſtea jam collapſum, ſed ejuſdem ſanctæ Sedis beneficio reſtitutum gratitudinis ergo, capitatione perpetua ſeſe conſtituerint eidem Romanæ Eccleſiæ tributarios. Hæc tanta cum inter alia in eo omni fide teſtata reperies: recentiores plane Scriptores eadem parum æquos prætereuntes ſe redargues. Sed & quod his omnibus præſtat, cum triumphum contingat martyris purpuram ſacerdotis, ſuo ipſius illuſtratam ſanguine, martyrium, inquam, ſanctiſſimi Staniſlai Cracovienſis Epiſcopi, quem abs te ſcimus propenſiore ſtudio coli, & ut ab omnibus Catholicæ Eccleſiæ Chriſti fidelibus officio publico Pontificia auctoritate colatur, tua cura perfectum: quin alacriore illum animo ſuſcepturus ſis, minime diffido. Grato igitur & placido vultu accipe tot decoris meliſ inſignitum volumen: quod Apoſtolica lege debitum, a Domino Apoſtolico perſuaſum, ab Apoſtolicæ Sedis Presbytero Cardinali beneficentiæ cauſa tuæ Majeſtati Apoſtolicum manus exolvitur.

Vale, Regnaque feliciter.

Romæ v. Kal. Decembris. Anno Salutis MDCIV.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI ET D. N.

PAULO QUINTO

PONTIFICI MAXIMO

CÆSAR BARONIUS S. R. E. Presbytero Cardinali Tit. SS. Martyrum Nerei, & Achillei, Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius, ſempiternam felicitatem.

Ex Tomo XII. Annalium.

EN tandem, Beatiſſime Pater, duodecimum Tomum Annalium Eccleſiaſticorum, quem tibi Principi Sacerdotum, ceu tertias ac noviſſimas frugum noſtrarum primitias ex lege repræſento, Neque enim mihi fas fuit in hoc longo & laborioſo duodecim voluminum, totidemque non menſium, ſed ſæculorum magni anni curriculo, non (a) ter in conſpectu Domini, coram ejus Sacerdote, ac manibus vacuis apparere. Primum itaque Xyſto P. prædeceſſori tuo binos Tomos, primitiva operis noſtri, velut recentium ſpicarum (b) manipulum ineuntis ſacri anni auſpiciis conſecrandum obtulimus. Deinde Clementi VIII. in medio ſtadii curſu, cum per Eccleſiaſtica hiſtoriæ campos ſegetem uberrimam per ſummos laborum æſtus divina favente aura colligeremus, alterius oblationis, quæ (c) poſt meſſem præcipiebatur, haud immemores, non duos tantum codices,

(a) Exod. 23.
(b) Levit 23.
(c) Exod. 23.

ſed quinque, hoc eſt, pro duobus primitiarum panibus quinos dedicavimus. Reſtabant, quas Sanctitati
(a) Exod. 23. & 34. Tuæ nunc exhibeo, poſtremæ omnium frugum, primitiæ, (a) in exitu anni ſolvendæ, quando cuncta conduntur. Nam ut collectos jam & conditos in hoc volumine ſtudiorum noſtrorum fructus augurer, nec ultra laborum ſpem intendam, facit ætas annis gravis, & afflicta ac penè proſtrata valetudo, quæ velociter tabernaculi mei depoſitionem non vana præſagitione denuntiat. Suſcipe igitur,
(b) Ezech. 45. ſumme Sacerdos, quam jure tibi vindices univerſarum frugum noſtrarum non (b) ſexageſimam, aut alias, aut quadrageſimam, ſed duodecimam partem: Tomum, inquam, duodecimum Annalium noſtrorum. Qui ſi lentius fortaſſe, ac longiore, quam alii ſolebant intervallo, in lucem exire videatur, tarditatis veniam non injuſtam, opinor, multiplicium morarum excuſatione promeretur, tum quia nos à ſcribendo non ſemel nec mediocriter remorata eſt illa, quam dixi gravior ætas, & fœcunda morborum ſenectus, quæ tot uno partu & tanta incommoda nobis effudit, ut verum expertus ſim
(c) Nazianz. carm. in morbum. (c) Gregorii noſtri querelam fuiſſe, cum diceret:

——— jam premor ipſe ſenecta,
Quæ gravior Siculis dicitur eſſe jugis.

tum quia opere perfecto, cum ad editionem accingeremur, ſuborta repente quæ Apoſtolicam Sedem inceſſeret, emergentium fluctuum tempeſtate, alio nos tantiſper, ut in eadem poſitos navi, curæ cogitationeſque traxerunt: tam denique quòd Appendicem de more aggreſſis, dum ex racemorum ubertate opulentior nitro vindemia confluxit, prolixiore aliquanto ſed non injucundo, ut ſperamus, nec inutili actuario, latius excurrendum & comperendinandum fuit. Ita factum, ut volumen in ipſis propemodum electionis tuæ ſolemnibus abſolutum, Tibique jam inde, quod perorando teſtati ſumus, oppigneratum, vix nunc demum evoluto biennii ſpatio exſolvere, fideque nexum liberare licuerit. Sed hoc nobis, Beatiſſime Pater, ex hac ipſa cunctatione oblatum eſt commodi: quod qui tum quando ad ſummi Pontificatus apicem evectus es, ſi promiſſum munus ſtatim obtuliſſemus præter ſpem & vota nihil habebamus, nunc poſtquam in hoc biennii tui decurſu ſpes noſtras firmavit eventus, & votis facta ſucceſſerunt, eſt quod Deo immortali ſummas gratias agamus; qui maximas & ſingulares iſtas virtutes tuas, quæ Te jam olim hominum judicio, & præſcriptione Apoſtolico throno deſtinabant, atque in eodem poſtea divina prorſus & admiranda vocatione collocarunt, ex ſuprema Eccleſiæ ſpecula ſplendidiſſimis facibus emicare, orbique univerſo irradiare videamus. Et locus erat profectò, ut de his paulo fuſius aliqua, liberiuſque diceremus; niſi nos non tam quæſita aſſentationis ſuſpicio, quæ in veris ſinceriſque laudibus ſui ſecura eſt, quam immenſa, quæ cæteras laudes tuas ornat modeſtia, pudoriſque tui ratio prohiberet. Horum igitur omnium, ſed indulgentiſſimæ in primis lenitatis, benignitatiſque tuæ fiducia, quaſi blando arridentis patris vultu, illectus, ſecurior ad pedes tuos adrepit tenellus hic ultimus fœtus noſter; & quâ poteſt voce rogat, ut ſe, ac ſecum reliquam majorum natu fratrum familiam, parentis ſolatio brevi carituram, in tutelam tuam recipias, ope adjuves, auctoritate & patrocinio tueare. Omnes Te patronum advocant: omnes tibi commendo: ſed hunc minimum præcipuè, qui lucem nunc primum aſpicit, nomini tuo mancipatum, numero atque ordine Benjamin noſtrum, effœto patri ut in ſenectute
(d) Geneſ. 35. genitum, ita non ſine dolore natum. Qui ut (d) dexteræ filius juxta nomen evadat, ſanctiſſima dextera tua benedictionem ſupplex implorat; ſed eximiam, ſed ſingularem, & quæ in parentem ipſum redundet. Cujus ſcilicet beneficio ad illius dexteram cujus vices in terris geris, inter lucis filios aliquando cenſeatur. Ita & tu Beatiſſime Pater, Pauli Apo-
(e) Philipp. 3. ſtoli, (e) de tribu Benjamin, Deo gratiſſime, ut nomen, ſic robur & ſpiritum ſortiare. Ita Te parvulus hic noſter vates fauſta inaugurationis tuæ exordia ſortitus, inter lætas jam expertæ moderationis gratulationes editus perpetuo feliciſſimi & pacatiſſimi Pontificatus ſucceſſibus gaudentem diutiſſime proſequatur. Romæ, nono Kalend. Junii. M. DCVII.

AUCTORIS AD LECTOREM

SUPREMA CONTESTATIO.

Tomo XII Annalium ab eo præſcripta.

IN vitæ hujus limine conſtitutus, & futuram mortem jam propius recogitans, oro te atque obteſtor, Chriſtiane Lector, quicumque cum Romana Catholica Eccleſia communicas, ſi quem umquam ex his Annalibus noſtris ad tuam, aliorumve ædificationem fructum capies, primum ut Deo Opt. Max. bonorum omnium largitori acceptum feras: deinde hanc mihi vigiliarum, lucubrationumque, quas tua cauſa tot annos libens pertuli, gratiam rependas, ut animæ meæ, cum ex hac vita exceſſero, benè precari, ac opem ferre ne graveris, tum cæteris ſuffragiis, quæ defunctis impertiri in Eccleſia mos eſt, tum maxime ſacroſancti & ſalutaris Miſſæ ſacrificii oblatione. Hanc à te, inquam, vicem peto, Tibi vero tribuat Deus, ut piè ſemper vivas, & ſupernis benedictionibus repleare.

Carmina Vatum inſignium in laudem Operis Baroniani Annalium voluminibus præfixa.

IN

CÆSARIS BARONII

ANNALES ECCLESIASTICOS

LÆVINI TORRENTIJ

EPISCOPI ANTUERPIENSIS

Elegia.

NON Cyrum hic ſilvis educimus, atque Quirinum,
Expoſitos fata quos aluere feræ,
In ſpes imperii magnas, ſeu Solis ad ortum,
Seu qua ſe feſſis condit anhelus equis.
Nec narrare juvat captas tum civibus urbes,
Erutaque hoſtili mœnia celſa manu,
Aut Trojæ cineres, & nil niſi nomen Athenas,
Thebaſve, atque aliis oppida vaſta locis,
Proſtrataſque acies, & fœda cruoribus arva,
Aut tinctum rivis ſanguineis Oceanum,
Lintea cum tabulæque inhumataque corpora fluctu
Jactantur miſeris per freta falſa modis.
Non ita fert animus, nec tanti eſt gloria, creſcat
Cædibus auditis cædis ut ater amor.
Scilicet exemplo peccat qui talia narrat,
Quodque alios docuit, perpetrat ipſe nefas.
Qui legit Æaciden, ut nil non arroget armis,
Æacidæ ſimilis, qua pote, ſævus erit.
Unus Pellæo juveni cur non ſatis Orbis?
Audierat plures, ambiit, interiit.
Æqualis huic votis, Cæſar Romanus: nec impar
Exitus; imperii terminus urna fuit.
Quid tamen, Octavi, te non deterruit: hoſtes
Viciſti, patriam ſed pereunte, tuos.
Sic igitur toto Mars ſævit impius Orbe,
Bella ferens cunctis accumulata malis.
Nam quis tunc Regum vitam non traxit in armis,
Quis non hanc cælo crediderit eſſe viam?
Tanquam ſi ſolio propior Jovis hæreat alto,
Qui plures Orco miſerit inferias.
O cæcas hominum mentes, & inania veri
Pectora! qui lucem fingimus in tenebris,
Luctamurque umbris, pretiumque imponere rebus
Spernimus; hinc ſtultos fallit ineptus amor,
Fallimur & votis; nec ſunt tam ſomnia vana,
Quam ſpes nos vanis ludit imaginibus.
Non res humanæ, perituraque regna beatos
Efficiunt, nec quas colligit Indus opes,
Non aurum, & lapides, nec rubri concha profundi,
Aut Tyriis ardens purpura cocta ſocis,
Nec vires, aut forma fugax, & gratia linguæ,
Ac cultum variis artibus ingenium,
Aut aliud terris communi ſorte creatum.
Orta etenim pereunt, & male fulta cadunt.
Trans Lunæ Soliſque vias ſuper ætheris ignes
Quærendum eſt ſummum, ſi has tua cura, bonum.
Hoc ipſum DEUS eſt, ſolus verumque bonumque,
Certaque ad æternam ſemita lætitiam:
Quo ſine nec virtus, nec honor, nec gratia fluxis
Rebus ineſt, quibus & nomen & eſſe dedit,
Tunc cum principio ſic omnia fecit, ut uni
Parerent homini cætera, at ipſe Deo.
Quid facis, infelix? parent tibi cætera; tu cur
Detrectas, contra nec pudet ire Deum?
Ecquid erat vetita non tollere ab arbore poma?
Quo guſtum recrees eſt aliunde tuum:

Eſt

Eſt & quæ ſatiet oculos, quocumque moveris,
En viola, & variis lilia mixta roſis.
Ipſa tuo gaudens natura applaudit honori,
Inque tuum ſolers comitur obſequium.
Fortunate nimis, ſi nil quæſiveris extra
Auctorem: tibi namque omnia ſolus erit.
Serpentem mulier, tuque hanc uxorius audis.
Turpe aliis Dominum poſthabuiſſe ſuum.
Nudus, inops, longi condemnatuſque laboris,
I, fuge: quæ ſtabas gratia fortis abeſt:
Gratia divini ſemper manſura favoris,
Manſiſſet ſemper ſi tua certa fides.
Peccaſti miſer, at peccati pœna fuit mors;
Quæ ſibi jure tuum vindicat atra caput,
Vindicat & ſtirpem, neque enim mortalibus ortos
Fas eſt non ſimili conditione mori:
Ut neque fas ſceleſtas animas aſcendere Olympo;
Depreſſa Stygiis excipiuntur aquis.
O quam difficile eſt talem diſſolvere nexum!
Pone ſcelus ſceleri mox gravis ultor adeſt.
Sed quænam afflictis ſuperant ſolatia? Tantis,
Sola Dei bonitas eſt medicina malis.
Diſtite juſtitiam numenque timere: ſed una
Diſcenda eſt bonitas, unde oriatur amor.
Unius ut noxam luimus ſub judice juſto,
Sic bonus & patiens attulit unus opem;
Unus, at idem alias qui tam lethalia caret,
Convenit hunc hominem, nec minus eſſe Deum;
Eſſe Deum, ne impar ſit majeſtate parenti,
Eſſe hominem, ut poſſit morte piare nefas,
Filius, æterni vis & Genitoris imago,
Æternum cælo cum Genitore manens.
Virginis in gremium matris ſe condidit: illic
Auctus, & hinc certo tempore natus homo;
Natus homo Deus ille Deus Servator JESUS,
Ut faciat, captos quos habet, eſſe Deos.
Quem tu, Baroni Cæſar, doctiſſime, felix
Ingenii, ſacra conditor hiſtoriæ,
Deſcribens late Regem, dominumque, patremque
(Non qui fata malis bella cruentus amet,
Expilet ſocios, Patres, plebemque tributis
Vexet, ut effuſas mox malo perdat opes:
Sed lenis placiduſque, & nil niſi lene jubendo,
Pacata populos qui ditione regat,
Moribus & exemplo doceat nos dura ferendo
Vincere, & objectis non trepidare malis,
Nec corpus præferre animæ, ſanctumque pudorem
Spernere, quo ſpreto proſilit omne nefas)
Hiſtoricos inter tanto caput altius efferς,
Quotquot habet Latium, Græcia quotquot habet,
Seu domitos narrent Medos, ſeu Punica fata,
Pyrrhumque, & belli fulmina Scipiadas;
Quanto ſplendidius lucent vaga ſidera, quam quæ
Accenſa eſt noſtris parva lucerna foris.
Macte igitur virtute, juvet te incumbere chartis;
Tam bene dum cœptum perficiatur opus.
Grandis adhuc ſuperat via, ſed tu perge: laboris
Qui tibi principium eſt, hic quoque finis erit.

IN

CAESARIS BARONII
ANNALES ECCLESIASTICOS
JOHANNIS BOCHII
URBI ANTUERPIENSI A SECRETIS
Elegia.

QUI moles operum, miracula vana, coloſſos,
Qui ſtupet artifici marmora ſecta manu,
Miratus veterum ſpirantia fruſta laborem,
Quæ videt, aut penitus qui periiſſe legit;
Quæ vel Erechthæis ceciderunt ſigna ruinis,
Roma, vel in cineres verſa fuere tuos:
Deſinat exemplis contendere non minus orbis
Noſter ob ingenii munera nomen habet.
Si qua fuit quondam titulis ornata ſuperbis
Machina, ſeu rara nobilis arte labor:

Rar-

Barbara ſi liquidas operum faſtigia nubes,
Et mare ſi pretium vicit, & uſta manus:
Imperioſa dies eadem ſubvertit, & ira
Martis, & ipſa ſuas non tulit orbis opes.
Nos aliud decus, & fatis melioribus ortum,
In lucem fructu commodiore damus:
Quod ſeries ævi inſtabilis, nec lubrica rerum
Fluxarum rapidis ſubruet aura Notis.
Æternum dat Cæſar opus, gaudete, Quirites,
Illius imperium conditur arte novum.
Si vacat Annales ſacros, & ſcripta Baroni,
Unum pro cunctis volvere, lector, opus:
Quicquid & Aeneadæ ſtruxerunt, quicquid Achivi,
Seu qua Memnonius ſurgit Eous equis:
Vel qua fera tepet radiis Hyperionis unda,
Dum lavat Heſperio fervida plauſtra ſalo:
Omnia Cæſareo cedant inventa labori,
Veris falſa, ſacris vana, vetuſta novo.
Pyramidum Pharii celebrantur ſaxa Canopi,
Buſtaque montanis æmula facta jugis.
Scire petis noſtro ſpectanda volumine rupes
Quæ ſit, & extructum vertice quod ſit opus?
Illa eſt qua fidei poſuit fundamina Chriſtus
Auctor, inacceſſa ſervat & arce gregem.
Hic ſcopulus vires immobilis haret ad omnes,
Impia quas hominum turba, vel Orcus habet.
Alta Semiramis Babilonis mœnia ſileant,
Femineaſque minas urbis ad aſtra ferant:
Nos murum incolimus, nec propugnacula, quorum
Idem opifex, idem eſt angulus, ipſe Deus.
Cares & immodicos taceant impendia luctus,
Et Mauſolei culmina celſa rogi:
Noſter habet vitam tumulus, mors ipſa ſepulta eſt,
Hac cæli reſerat fontibus acta viam.
Eleumque Jovem, toties quo præſide parta eſt
Gloria, Phidiacum Græca jactet ebur:
Rectorem immenſi nos declaramus Olympi,
Qui cælo & terris imperat, atque mari.
Priſca fides Triviæ Latonia templa Dianæ
Laudet, & intacta virginitate deam:
At nos, Virgo, tuis, genitrix, advolvimur aris,
Quæ meruiſti utero claudere ſola Deum.
Nota fuit timidæ conſpecta lampade nautis
Inſula, Phœbeæ mole ſuperba Rhodos:
Hic fidei portus, fax relligionis avitæ;
Nulla eſt, præterita qua ſtatione, ſalus.
Miramur Libycis ſpectacula ſtructa columnis,
Magnaque Romanis amphitheatra foris:
Emptus ut ad eadem pretioſa ſortes arena,
Et data commutet vulnera morte pugil:
Aut cavea medio Getulis advena ſilvis
Sæviat in miſeros bellua dente reos.
Talia delectant ſi quem certamina, noſtris
Non minus inveniet teſtia facta libris:
Non meritis, nec ſorte pari: nam præmia victos
Per tormenta, cruces, funera, certa manent.
Hoc gregis electi ſedes amœna beatæ
Pignore, nato Deo, te duce, turba petit.
Si ſpectare juvat, valeant antiqua, theatro
Cæſaris humana ſcena ſalutis erit.
Noſtra docent vitæ meliores pulpita normam,
Fabula laſcivos nil niſi priſca ſales.
Quæque fuit magni quondam victoria Circi,
A victo nobis eſt fuga, meta Deus.
Et veteres memorat victrix ſi Roma triumphos,
Majus habet laudis pagina noſtra decus.
Hoſtis erat mundus, mors hoſtis, & arbiter atræ
Noctis in humanum ſumpſerat arma genus.
Ipſe pater ſummo deſcendit ab æthere tandem,
Et tulit ipſe ſuo ſanguine victor opem.
Et ſecum devicta trahens aliena, trophæum
In cruce conſtituit corporis ipſe ſui.
Dulces exuvias, ſpes omnis, & unica mundi
Proſperitas, cæli gloria, pacis iter.
Conciliatque Deum credentibus, & ſua reddit
Munera præteritis uberiora malis.
Romanoque vices patri, claveſque reliquit,
Et populi curam juſſit habere ſui.

Hoc

Hoc opus, auſteri ſuſceptus origine prima
Hic labor eſt, regni ſcribere geſta ſacri,
Clavigeramque ratem, nullis quæ fracta procellis
Durat, & adverſo turbine vela facit:
Bella, neces, animoſque virum, ſuperata ferenda
Monſtra: fidem tanta condere molis erat,
I, nunc, Imperii luxum contemne prioris,
Cæſaris auſpiciis reddita, Roma, tibi.

CÆSARI BARONIO SORANO.

VIRO OPTIMO, DOCTISSIMO AMICISSIMO,

Conſalvus Ponce de Leon Hiſpalenſis.

QUid potuit madidum ſacrato ſanguine ferrum,
Tela fera, flamma, ſpicula, ſaxa, cruces?
Obruta quid tenebris, multiſque oppreſſa ſepulchris,
Invidia Gentis, NOMINIS acta pii!
Ecce renaſcuntur tempus victura perenne,
Qua ſurgit lucet, qua requieſcit honos,
CÆSARIS id præſtat calamus, præſtantior enſe
Cæſareo: hic vitam ſuſtulit, ille dedit.

EIDEM.

TErtia jam longi tibi pars exhauſta laboris
Verſatur manibus, volitatque per ora virorum;
Quam ſeſe late Romana gloria Sedis
In ſuperas ſublata tuis Annalibus auras
Explicat, & terras tecum pervadit in omnes:
Quam bene, BARONI, Magno digeſta PHILIPPO
Magni facta dicis & tempora Conſtantini.
Ille exoptatam naſcenti Eccleſiæ pacem
Retulit acceptam: validis innititur hujus
Viribus in ſenium vergens, viridique juventa
Robore, & in melius reparato ſplendet honore.

FRANCISCI BENCII

E SOCIETATE JESU

AD TOMUM QUARTUM ANNALIUM ECCLESIASTICORUM R. P. CÆSARIS BARONII.

QUIS tibi tam validas, CÆSAR doctiſſime, vires
Sufficit, & tantis cumulat pia pectora donis,
Ut, quoties novus annus init, novus exeat a te
Fructus, & in meſſem pariter nova gramina creſcant?
Unde tibi tam lætus ager? quis temperat auras,
Et tempeſtivæ pluviæ diſcriminat aſtu,
Maturis ne forte calor, neu frigora deſint
Frugibus, at primum jacto de ſemine terra
Spem ſegetis cupida arripiens ſub viſcera condit?
Tertius ingenii partus ſe fuderat ante,
Et ſæclo attulerat miranti gaudia, quartum
Surgit opus, quinto affecte; dein ordine ſextum
Inſtat; ut ea arte ſint talia penſa quot annis,
Qualia non annis alius queat omnibus, uno
Non valeant animo conjunctis viribus omnes.
Nunc adeo fecunda boni, fecundaque mentis
Lingua effert arcana ſua: mox pagina ſollers
Excipit, ut nullo celebrentur fine per orbem,
Non ope humana hoc, CÆSAR; majore magiſtro?
Res agitur: Deus ipſe animos vireſque ſecundas
Subjicit, afflata Matris; tu namque vocare
Hanc ſolitus, dubiiſque tuis expoſcere rebus
A qua principium, cui deſinis. Ergo age, quando
Jamdudum Annales, quos & labor annuus æquat,
Cum fructu aſſiduo commendat plurimus uſus:
Illam etiam ſupplex ora, tibi proroget ævum,
Omnia dum poſſis annorum evolvere facta.
Ipſe ſuo labor æternum ſe ſponte propagat:
CÆSARIS Annales ut nulla obliterat ætas,
Dum referent ſeſe volventia ſæcla per annos.

TARUSII TARUSII POLITIANI

CONGREGATIONIS ORATORII COLLEGÆ IN ANNALES ECCLESIASTICOS *CÆSARIS BARONII.*

Heroicum.

DUM, *quæ multiplici nobis longinqua vetuſtas*
Obruit annorum mole, ut premit æmula nocte,
Faſtaque, doctrinaſque Patrum, moreſque, manuſque;
SORANE, ad lucem, ac ſuperas revocata ſub auras,
Victuris mandas in poſtera ſæcula chartis
Quantum illi decus in terris peperere cruore,
Et quantum peperere ſuis ingentibus auſis,
Per te jam tandem nobis decus omne reſurgit.
Aude etiam majora; juvant ſuperi alta volantem.
Fors erit illa dies, cum toto Aquilone remenſo
Annales, ducente Deo, glacialibus omnem
Pectoribus labem eripiant, tenebraſque reſolvant,
Et læta Chriſti campis mala gramina adurant:
Ac veluti quondam Solymum clangore tubarum
Mœnia contremuere fera Ierichuntis, & alte
In te ſacra ruens, in ſe ſacra ipſa ſepulta eſt:
Non ſecus hæreſeos feralia culmina molis,
Te magnis reſonante tubis decora alta parentum,
Supremum concuſſa gemant, barathrumque ſub ipſum
Prona ruant, ſcelerumque ſuo dent limine pœnas.
Maxime terrarum cuſtos, Pater optime CLEMENS,
Hoc magnum tibi ſurgit opus, da candida dexter
Sydera, da felix, quando te Cælicolum Rex
Auxilium fidei tantum miſeratus aviſa,
Jeſſæidiſque inſtar turris conceſſit in hoſtes.
Namque ſerenatis Stygiis Aquilone procellis,
Ipſe tibi Cæſar referens ex hoſte trophæum,
Exuvias, atque arma virum, roburque, decuſque
Davidica veluti turri ſuſpendet ab alta,
Mille inter pharetraſque graves, clypeoſque nitentes,
Sydereis monumenta ducum pendentia tectis,
Æternumque tibi votum immortale ſacrabit.

IN CÆSARIS BARONII

ANNALIUM ECCLESASTICORUM TOMUM SEXTUM *JOSEPHI CASTALIONIS*

Carmen.

A*USA fuit quoties Chriſti convellere firmam*
Turba fidem longe monſtris immanior Orci,
Faſcibus & quoties ſocialibus effera Regum,
Aut Arri infremuit rabies, aut dira libido
Neſtorii, Eutycheoſque, Tomo quem ponere ſexto
Cura tibi Heſperiæ BARONI gloria noſtræ:
Ne pars infanda ſuccumberet optima ſecta,
Quæ Deus oppoſuit Sanctorum robora Patrum?
Cecropiis, Latiiſque viri nova fulmina terris
Emicuere pio præſtantes pectore & ore,
Per quos & ſcelus extinctum, & pax reddita terris.
Tartareis rurſus labro educta cavernis
Innumeras populis hac tempeſtate per Orbem
Ingeſſit clades, ac merſit funere regna.
Hinc opifex rerum tibi mentem in tempore tali
Injecit, dextramque ſtylo munivit acuto,
Quo furiale malum ſuperis in Tartara ab oris

Concideret, miſeriſque ſalus mortalibus eſſet.
Annales hinc ire ſacros ab origine prima
Chriſtiadum in lucem pretioſa volumina gaudet;
Augeris pulchra librorum prole quotannis,
Et longum ſcriptis profers tibi nomen in ævum.
Acta Patrum, moreſque notas, rituſque vetuſtos,
Reſque alta penitus merſas caligine pandis,
Impiaque in ſuperos bacchantum dicta retundis:
Totque unus ſeriem ſæclorum evolvere longam
Pergis, opuſque inſtans immenſum fervens urges.
Tantus amor cultus, Romanaque ſacra tueri,
Et majeſtatem Romani extollere Patris.
Humani cuſtos generis quæ gaudia CLEMENS
Percipit ut novit Clodoveo Rege ſubiiſſe
Dulce jugum Chriſti Celtas: nam ſperat eoſdem
Ad gregis aſſuetum redituros ſepta Latini,
Facturoſque jubet quodcunque Eccleſia mater
Unica, quæ ſanctis moderatur legibus Orbem:
Quod precibus, lacrymiſque Deum, votiſque fatigans
Orat perque diem, perque alta ſilentia noctis
Sollicitus, pereat commiſſi ne quid ovilis.
Acrius exhauſta tui pars magna laboris
Trans Alpes, atque Oceani trans littora currit,
Oraque pervolitat variorum multa virorum,
In patrium libros ſermonem vertere geſtit
Quoſque tuos, munuſque ſuis popularibus aureum
Tradere, cæleſtiſque elementa infundere vitæ
Sunt mores ſcriptis ſimiles, ſunt conſona dictis
Facta tuis, auges ſacris altaria donis,
Exoras pro teque Deum, populoque fideli,
Inque hominum flagrant uſus tua pectora amore.
Te Pater omnipotens, cujus moliris honori
Tanta, ſinat longis incœpta abſolvere chartis,
In terriſque diu ſpecimen te ſoſpite recti
Eſſe velit, tantiſque frui virtutibus Orbem.

IN

ANNALES ECCLESIASTICOS

Epigramma.

ALOYSII VALMARANÆ VICENTINI

Societatis JESU Profeſſoris.

FErt, fluvium tranans, ſua Commentaria CÆSAR,
Nec, ſua ne pereant, ipſe perire timet:
Tu tamen Annales committis, cautior illo,
Non tibi, ſed PETRI, *dum furit unda, rati*
Quid ſi iterum tumidis PETRUS *titubaret in undis?*
Hos mihi crede, ſua mallet abire manu.

SCHE-

SCHEMA ANNALIUM

Per ſingula Annalium volumina a Baronio diſtributum.

PRimus Annalium Tomus complectitur annos centum, nimirum ab Adventu Domini uſque ad Trajani Imperii exordium,

Secundus Annalium Tomus incipit ab exordio Traiani Imperatoris, & perducitur uſque ad Imperium Conſtantini: complectitur annos ducentos quinque, ſextum ex parte tantum attingit,

Tertius Annalium Tomus incipit ab Imperio Conſtantini Magni, perduciturq. uſque ad Conſtantii ejus filii obitum: complectitur annos quinquagintaquinque, ſextum, ex parte tantum attingit.

Quartus Annalium Tomus incipit a Juliano Apoſtata Imperatore, perduciturque uſque ad obitum Theodoſii Auguſti: continet annos trigintaquatuor.

Quintus Annalium Tomus incipit ab exordio Imperii Arcadii & Honorii Auguſtorum, anno Domini trecenteſimo nonageſimo quinto, uſque ad quadringenteſimum quadrageſimum: continet annos quadragintaquinque: ita diſpoſitus, ut commode Sextus Tomus a S. Leone Magno Pontifice Maximo incboetur.

Sextus Annalium Tomus incipit ab anno Domini quadringenteſimo quadrageſimo, perduciturque uſque ad annum quingenteſimum duodevigeſimum, ut Septimus inchoatur ab Imperio Juſtini Senioris: complectitur annos ſeptuaginta octo.

Septimus Annalium Tomus incipiens ab anno Domini quingenteſimo decimooctavo perducitur uſque ad annum quingenteſimum nonageſimum, nempe ab anno primo Juſtini Senioris uſque ad quintum Mauritii Auguſti: complectitur annos ſeptuagintatres.

Octavus Annalium Tomus incipiens ab anno Domini quingenteſimo nonageſimo, pertendens uſque ad ſeptingenteſimum decimumquartum: Complectitur annos centum vigintiquatuor, nempe a Gregorio Magno Romano Pontifice uſque ad Gregorium Secundum.

Nonus Annalium Tomus incipiens ab anno Redemptoris Septingenteſimo decimoquarto, perducitur uſque ad annum octingenteſimum quadrageſimum ſecundum, quo & orta hoc ſeculo in Oriente, debellata eſt penitus Iconoclaſtea, ut plane qui Tomum hunc Panopliam dixerit adverſus impios Iconoclaſtas, veritatis ſcopum attinget: Continet annos centum viginti octo.

Decimus Annalium Tomus ab anno Redemptoris octingenteſimo quadrageſimotertio exordium ſumens, ad annum ſo milleſimum incluſive extendit: Comprehendit annos centum quinquagintaocto.

Undecimus Annalium Tomus ab anno Redemptoris milleſimoprimo exordium ſumens, ad annum ſo milleſimum conteſimum excluſive extendit, continens annos nonagintanovem.

Duodecimus hic Annalium Tomus incipit ab anno Domini milleſimo centeſimo, & perducitur uſque ad annum milleſimum centeſimum nonageſimum octavum, nempe ab anno primo Paſchalis Papæ ſecundi, ad ultimum Cœleſtini tertii, continens annos nonaginta octo.

CUM in tribus prioribus tomis editionis Vallicellanæ, quem nos exprimendam hic aſſumpſimus, nonnulla Baronius adjacerit & emendaverit, earumque mutationum indiculum Vallicellanæ illius editionis voluminibus ſubdiderit; eoſdem indiculos ne quid deſit in editione noſtra hic damus.

I N D E X

PRÆCIPUARUM RERUM IN PRIMO TOMO ADDITARUM.

DE templo Pacis ſolvitur obiectio. Pag. 4. num. XII. ab bis verbis. *nec eſt quod*. uſque ad *Qui quod dicunt*.

De Sime nis cæcitate commeotum refellitur. Pag. 14. num. XL. ab his verbis. *Porro commentum*. oſque ad *Verum*.

De Lazari ætate. Pag 558 num. IV. ab his verbis. *Sed quid?* uſqua ad *Quod autem*.

Da forma crucis. Pag. 146. num. XCIV. ab his verbis. *Sed enim*. uſque ad *Sed ad*.

De vino myrrhato ſolvuntur obiectiones. Pag. 247. num. XCIX. ab his verbis. *Ad hæc inſuper*. uſque ad *Magna conſideratione*. Pag. 570. num. CVI.

De modo crucifigendi apod Antiquos. Pag. 252. num. CXIV. ab his verbis. *Id quidem*. uſque ad finem Paginæ.

De funeribus Judæorum. Pag. 218 n. CCCIV. ab bis verbia. *Apud Rabbi*. uſqne ad *Caterum*.

Obiectio & ejus ſolutio de tempore convarſionis S Pauli. Pag. 234. num II. ab his verbis. *Sed huic*. uſque ad. *Quod ad Pauli*. Pag. 236.

De nomine Pauli elucidatio. Pag 238 num. XII. ab his verbis. *Quod vobis*. uſque ad *Sed de his ſatis*.

De Philone Hebræo, an fuerit aliquando Chriſtianus, & defecerit a Chriſtianitate ad Judaiſmum. Pag. 280. n. XXXVI. ab his verbis. *Sermons tamen*, uſque ad *Caterum*.

De priori epiſtola Petri, quod data ſit ad Hæbræos. Pag. 324. num. XX. ab his verbia. *Cum hæc* uſque ad *Quod enim*. Pag. 323.

Unde uſus deoſculandi tabellam ex oſculo pacis. Pag. 316. num. XXVI. ab his verbis. *Nam ut* uſque ad *Quod vero &c*. Pag. 327. n. XXVI. ab hia verbis. *Ait autem* uſque ad *Et hactenus*.

De homilia nomine Athanaſii de Aſſumptione Virginis objectiones. Pag. 349. num. XXI. ab his verbis. *Quæ quidem*. uſque ad *Demum ut*. Pag. 350.

De perveaſia traditionibus Rabbinorum. Pag. 389 num. VIII. ab his varbis. *Sed & quod illi uſque* ad *Caterum qua*.

De ſignis annulorum. Pag. 456. oum. LIII. ab his verbis. *Caterum* oſque ad *Cum Paulus*.

De locis in Ecclesia diſtinctis dexteræ & ſiniſtræ. Pag. 461. num. CXXVII. ab his verbis. *In Eccleſia quoque*, uſque ad *Sed ad hæc*.

De nomine Epiſcopi alucidatio. Pag. 493. num. VIII. ab his vesbis *& Sanctus Auguſtinus*, uſque ad *Caterum*.

De panis fractionis & decuſſationis antiquo uſu. Pag. 512. num. LXIV. ab his verbis. *Quod autem* uſqua ad *Cum igitur*. Pag. 514.

De ſitus templorum veteri uſu. Pag. 518. n. CV. ab bis verbis. *Iisdem Lucianus*. uſque ad *Qui igitur*.

De raſione capitis diverſis ex cauſa apud diverſos. Pag. 536. num. CXXVI. ab his verbis. *Erat enim* uſque ad *Sed jam*.

De navium Alexandrinorum differentia ab aliis. Pag. 556. num. IV. ab his verbis. Porro quod Apoſtolus. Uſque ad *Quod vero*.

De Jacobo aliqua ex traditionibos Hebræorum. Pag. 591. num. VIII. ab his verbis. *Sed hic omnibus*. uſque ad *Reliquit Jacobus*. Pag. 592.

De prærogativa Alexandainæ Civitatis. Pag. 600. oum. XIII. ab his verbis. *Merito igitur*. uſque ad *Merito*.

Quom do Chriſtiani ſub Nerone urerentur in uſum nocturni luminis. Pag. 603. oum. IV. ab hia verbis. *Sed quomodo*. uſque ad *Subdit autem*. Pag. 604.

De Cornelio Senecione, & ejus obitu. Pag. 607. num. XIV. ab bis verbis. *Hic vero obser*. Uſque ad *Hoc item*. Pag. 608

De martyrio S. Andreæ prætermiſſa. Pag. 641. num. XXXIV. ab his verbis. *Poſtquam autem* uſque ad *Verum enim vero*.

De martyribus in Tuſcis ſub Nerone paſſis. Pag. 649. oum. XLIV ab his verbis. *At non longe*. Uſque ad *At non Roma*.

Elucidatio difficultatis ex Joſephi textu da dia Paſchatis anni excidii Hieroſolymæ. Pag. 667. num. II. ab bis verbia. *Sed antequam*. uſque ad *Qui intus*. Pag. 668.

Nomiſmata de Judæa capta, & alluſio ad Threnos Hieremiæ. Pag 679. num. I. ab his verbis. *Quorum ſubiecimus*. uſque ad *Adhuc viſitur*.

Cur Domitianus dici voloit filius Palladis. Pag. 716. num. I. ab his verbis. *Sed cur filius*. uſque ad *Sed hæc*.

De Apocalypſi Joannis an in canone Nicæno facta ſit mentio. Pag. 741. num. VII. ab bis verbis. *Ex quibus inducimur*. uſque ad *In his omnibus*.

Nummus Nervæ de tributo Jodaico ſublato: & explicatur palmæ hieroglyphicum. Pag. 750. num. XII. ab hia verbis. *Prout hic ex nummo*. uſque ad *Sed quod*. Pag. 752.

IN SECUNDO TOMO.

NUmmus Trajani Imp. da victo Decebalo, & ponte ſupea Danubium locatu. Pag. 34. num. I. ab his verbis. *Porro hæc*.

De columnæ cochlide: quo anno ſit cœpta, & quo abſoluta: numiſma Trajani de es. Pag. 58. num. I. ab bia verbis. *Quum hoc anno*.

Ejuſdem Trajani numiſma de Arabis acquiſita: item aliud numiſma ejuſdem de alimentis Italiæ diſtributis. Pag. 71. num. I. ab his verbis, *& Arabicum*. uſqua ad *Magno profecto*.

Hadriani Imperatoria numiſma de ejus adoptione una cum Conſulatu & Tribunitia poteſtate. Pag. 83. num. II. ab bia verbis. *Certe quidem* uſque ad finem Anni.

Ejuſdem Hadriani numiſma de ejus adventu in Italiam; item aliud de condonatis debitis Romania Civibus, Seſterties novies mille abolitia. Pag. 88. num. III.

Imagines Baſilidianorum cujuſmodi eſſent; earum una formis expreſſa elucidatur; & da nomine Abraſax. Pag. 92. num. XII. ab bia ver-

Digitized by Google

verbis. *Sed ad hæc*. uſque ad *Rurſum vero*. Pag. 93.
Hadriani numiſma cum titulo Reſtitutoris Orbis terrarum. Pag. 125. num. IX.
Cur Hadrianus locavit effigiem porci ſuper portam Aeliæ civitatis a ſe extructæ, elucidatio; & nummus cum porca & porcellis. Pag. 135. num. III. ab his verbis. *Verum licet*. uſque ad *Cæterum*.
Numiſma Antonini Pii de ejus Tribunitia poteſtate una cum Conſulatu. Pag. 147. n. I. ab his verbis. *Hoc autem anno*. uſque ad *Hoc ipſo*. Pag. 148.
De Gregorii XIII. munificentia in pauperes. Pag. 278. num. X. ab his verbis. *Verum*. uſque ad *At ad hæc*.
De conſtantia Chriſtianorum clariore reddita ex calumniis Gentilium. Pag. 309. n. XXVIII. ab his verbis. *Cedant*. uſque ad *Quorum religionem*.
Quod exemplar divinæ Scripturæ non apud unum tantum Eſdram remanſerit. Pag. 323. num. XVI. ab his verbis. *Hos licet*. uſque ad *Sed quod*.
Numiſma Severi Imperatoris de donativo militibus tributo. Pag. 387. num. II.
De abrenunciatione ſpectaculorum fieri ſolita a Fidelibus in baptiſmo. Pag. 397. n. XXXVI. ab his verbis. *Certe quidem*. uſque ad *Porro*.
De Plautiani Chriſtianorum perſecutoris nomine abolito in inſcriptionibus lapidum. Pag. 451. num. II. ab his verbis. *Quin etiam*: uſque ad *Hic finis*.
Numiſma Severi de ludis Sæcularibus ſub ipſo celebratis. Pag. 452.
Elucidatio loci Tertulliani lib. de pall. c. 2. & numiſma ſeveri cum conjuge ac duobus filiis Augg. cum inſcriptione Publicæ concordiæ, & Perpetuæ felicitatis. Pag. 417. num. I. ab his verbis. *Hoc plane*. uſque ad *Principes*. Pag. 419.
Numiſmata Severi & Antonini de indulgentia in Carthaginenſes. Pag. 419. num. III. ab his verbis. *Quibus idem*. uſque ad *Hic itaque*.
Antonini Elagabali numiſmata, quibus probatur germana lectio ejus nominis. Pag. 355. num. III. ab his verbis. *Licet autem*. uſque ad *Quantum*. Pag. 436.
De Hiſtoria Julii Africani. Pag. 463. num. II. ab his verbis. *Quod vero*. uſque ad *Quod autem*. Pag. 464.
De Urbis milleſimo nomiſmata Philipporum Imp. ponuntur, & elucidantur. Pag. 559. num. IV. ab his verbis. *Sed nonniſi*. uſque ad *Notatur*. Pag. 560.

IN TERTIO TOMO.

S. Laurentius an fuerit Hiſpanus. Pag. 93. num. VIII. ab his verbis. *Forte*. uſque ad *Quod vero*.
De antiquo uſu Chriſtianorum ſe invicem ſalutandi bene precando feſtos dies. Pag. 135. num. XIV. ab his verbis. *Primum omnium*. uſque ad *Quæ de martyribus*.
De fine peſtis decennalis, & Porphyrii querela de cultu Chriſti. Pag. 233. num. XV. ab his verbis. *Clauditur*. uſque ad finem anni.
De Plotini philoſophi obitu infelici. Pag. 273. ab initio Anni uſque ad finem.
De lapſu Marcellini Papæ. Pag. 330. n. XCVII. ab his verbis. *Ad hæc*. uſque ad *An vero*. & num. XCVIII. ad *Certe quidem*. uſque. *Quod ſi*: & pag. 331 num. CI. ab his verbis. *Hæc quoad*. uſque ad *Hæc vero*.
De Concilio Sinveſſano. Pag. 362. num. C. ab his verbis. *Quæ quidem*. uſque ad *Quonam pacto*. & a verbis. *Hæc quidem*. ejuſdem Pag. n. n. CII. uſque ad *Hoc ipſo*. P. 364.
De Maxentio, quod non ſit habitus filius Maximiani, ſed ejus gener fuerit; Numiſma ipſius id probans. Pag. 419. num. XXIII. ab his verbis. *Sed quod*. uſque ad *Cum autem*. Pag. 320.
Numiſma Conſtantini cum Marte. Pag. 438.
Imago togata, ſeu potius ſacra induta veſte, hoc ſignum  dextera tenens, ſub antiqua ſepulcrali inſcriptione reperta, formis expreſſa. Pag. 507.
De Cruce, quæ apparuit Conſtantino; & forma Labari cum Cruce & Chriſti nomine, ibid. a verbis. *Verum*. uſque ad *Adhuc inſuper*. Pag. 508.
Numiſma Majoriani Auguſti cum Chriſti nomine  in clypeo. Pag. 510. a verbis *De eodem* uſque ad finem. Pag.
Auctoris ſententia de Indictionibus. Pag. 534. num. CVI. ab his verbis. *Adiciam*. uſque ad *Hoc eodem*. Pag. 535.
Adiecta ad elucidationem loci epiſtolæ Innocentii de fermento benedicto. Pag. 555. n. LIV. ab his verbis. *Sic igitur*. uſque ad *Jam vero*.
De origine Epiſcopatus Byzantii, contra Nicephorum. Pag. 300. num. XCVI. ab his verbis. *Sed ipſe Nicephorus*. uſque ad *Quod vero*.

IN QUARTO TOMO.

ADdita ad defenſionem & elucidationem numiſmatis Criſpi Cæſaris cum imagine Salvatoris. Pag. 34. num. XIV. ab his verbis. *Sed ſicuti*. uſque ad *Dubitandi*. & Pag. 35. num. XVI. ab his verbis *licet ambos*. uſque ad *Criſpum*.
Forma ſigni quadratorum laterum *Aliquo* in ſtructura parietum veteris baſilicæ S. Petri in Vaticano repertorum. Pag. 50. num. LXII. ab his verbis. *Exhibuerat*. uſque ad *Sed antequam*.
Quod ſiniſtra pars ſit habita dignior dextera. Pag. 107. num. LVIII. ab his verbis. *Id quidem*. uſque ad *Hæc igitur*.
Inſcriptiones de Helena matre Conſtantini. Pag. 183. num. LXIV. ab his verbis. *In eadem*. uſque ad *At de*.
Numiſma Conſtantii Cæſaris de concordia militum, cum duobus Labaris Cruce & Chriſti nomine inſignitis. Pag. 300. num. XIII. ab his verbis. *De concordia*. uſque ad *Ac non multo*.
De Symbolo Antiocheno a Catholicis edito. Pag. 373. num. XXVI. ab his verbis. *Diverſum*. uſque ad *Porro*.
De Julio Firmico Materno, qui ſcripſit librum de Matheſi, quod diverſus ſit ab auctore libri adverſus errores profanæ religionis. Pag. 536. num. I. ab his verbis. *Eſt mentio*. uſque ad *Extitit*.
De mendaciis Actorum Gaudentii Epiſcopi Ariminenſis. Pag. 641. num. LX. ab his verbis. *Sed hæc*. uſque ad *Cæteri*.

AP-

S. GREGORII NAZIANZENI
AD NICOBOLUM
DE HISTORIA LEGENDA

Elogium.

PRæclarum eſt mentem hiſtoriarum cognitione inſtructam ac refertam habere. Hiſtoria enim congiobata quædam & coacervata ſapientia eſt, hominumque multorum mens in unum collecta.

Digitized by Google

APPARATUS
AD ANNALES
ECCLESIASTICOS
De Adventu Filii Dei.

I. De Eccleſiæ antiquitate.

ECCLESIAM, cujas geſta narrati ſumus, eſſe omnium plane antiquiſſimam, adeo verum eſt, ut ſine fidei jactura in dubium revocari non liceat. Ejus namque fundamentum primarium, cui cætera omnia cohæreant & innitantur, non eſt aliud, niſi Chriſtus Jeſus Dei Filius, non in tempore creatus, ſed a Patre ante omnia tempora genitus, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, ſine quo nihil factum eſt, ac per quem facta ſunt omnia. *Cum autem venit plenitudo temporis* (ut ait Apoſtolus *a*) *miſit Deus ipſum Filium ſuum factum ex muliere*: qui divinæ naturæ aſſociavit humanam, tantoque fœdere utramque naturam hypoſtatica unione conjunxit, ut nec inferiorem (ut ait S. Leo *b*) conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio. Quocirca hic eſt Agnus *ab origine mundi* (ut habetur in Apocalypſi *c*) *occiſus*, qui ſui ſanguinis effuſione, & qui ante fuerant homines, & qui poſt futuri erant, ablueret, ſecumque perduceret in gloriam cæleſtem: principium & finis (*d*): æterna Sapientia, quæ (*e*) *attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*: lapis (*f*) angularis, qui cæleſtia pariter atque terrena, præterita, præſentia, & futura, una eademque ſuimetipſius compagine conglutinata ſolidaret: ut merito Apoſtolus dicat (*g*): *Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula*: & in confeſſo ſit apud omnes Patres, quotquot unquam fuerint ab exordio mundi, nonniſi a Chriſto, & per Chriſtum ſalutem conſecutos.

(*a*) Galat. 4.
(*b*) Leo ep. 10.
(*c*) Apoc. 13.
(*d*) Apoc. 1. 22.
(*e*) Sap. 8.
(*f*) Job. 38. Iſai. 28. Epheſ. 2. 1. Petr. 2.
(*g*) Hebr. 13.

II. Jure itaque cenſuit graviſſimus doctor Juſtinus (*h*) martyr, Chriſtianos eſſe nominandos, quotquot e Gentibus, licet adventum Chriſti præceſſerint, ratione μετὰ λόγου (dixit ille ſermone Græco) vixerant. In quam ſententiam ſic Auguſtinus (*i*): *Hic demonſtratus eſt antiquis ſanctis, ut ita ipſi per fidem futuræ paſſionis ejus, ſicut nos per fidem præteritæ, ſalvi fierent*. Et alibi (*k*): *Ab initio generis humani, alias occultius, alias evidentius, ſicut congruebat temporibus, dominus viſus eſt; nec prophetare deſtitit; nec qui in eum crederent, defuerunt: ut ſciamus* (*l*), *etiam antiquos juſtos, quicumque eſſe potuerunt, nonniſi per eamdem fidem liberatos, per quam liberamur & nos, fide ſcilicet incarnationis Chriſti, quæ illis prænuntiabatur, ſicut a nobis facta annunciatur: eademque* (*m*) *fides eſt noſtra, & illorum; quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum*. Hæc Auguſtinus; qui ſatis eleganti ſimilitudine depingens alibi (*n*) quod affirmamus: *Ejus, inquit, Eccleſiæ membra erant etiam illi ſancti, quamvis in hac vita fuerint antequam ſecundum carnem Chriſtus Dominus naſceretur. Ipſe enim unigenitus Dei Filius, Verbum Patris, æquale & coæternum Patri, per quod facta ſunt omnia, homo propter nos factus eſt, ut totius Eccleſiæ, tamquam totius corporis, caput eſſet. Sed ſicut totus homo, dum naſcitur, etiam ſi manum in naſcendo præmittat, tamen univerſo corpori ſub capite conjuncta & compacta eſt: quemadmodum etiam nonnulli ex ipſis Patriarchis, ad hujus ipſius rei ſignum, manu præmiſſa nati ſunt: ita omnes ſancti, qui ante Domini noſtri Jeſu Chriſti*

(*h*) Juſtin. oration. ad Antonin.
(*i*) Aug. lib. 10. confeſſ. c. 43.
(*k*) Aug. ad Deo grat. Ep. 49. quæſt. 2. in fin.
(*l*) Aug. Epiſt. 89. contra Pelag.
(*m*) Idem ad Optat. de Orig. anim. ep. 157.
(*n*) Aug. de cat. rud. c. 19.

ſti nativitatem in terris fuerunt, quamvis ante nati ſunt, tamen univerſo corpori, cujus ille caput eſt, ſub capite cohæſerunt. Hucuſque Auguſtinus, qui ſæpius idem verbis aliis alibi (*a*) ſcriptum reliquit. In quam ſententiam plurima dixere Græcorum vetuſti ſcriptores, Origines (*b*), Euſebius (*c*), Gregorius Nazianzenus (*d*) & alii.

III. Nos autem, quamvis una ſit ab initio mundi Chriſti Eccleſia, tamen ſuperiora illa & antiquiſſima relinquentes, ſcriptis noſtris ea tantum complectemur, quæ contigerunt ex quo Chriſtus, qui invenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Jacob puero ſuo & Iſrael dilecto ſuo, e cælo in terras eſt dilapſus, & poſt hæc viſus eſt, & cum hominibus (ut ait (*e*) vates ille) converſatus eſt. Opportunum ſane tempus: defecerat enim (quod erat in ſacris oraculis *f*) de tribu Juda & domo David regium ſceptrum, atque ducatus, non in Sedechia (quod Julianus dicebat *g*) ſed in Aſſamonæis, poſtquam rerum ſumma apud Hebræos redacta eſt ad Herodem. Tribus enim Juda in Babylonem, quod ſciunt omnes hiſtoriæ ſacræ periti, in ſervitutem cum ſanguine regio fuit adducta; deinde poſt annos ſeptuaginta in Palæſtinam poſtliminio reſtituta: cum primum, Joſepho (*h*) teſte, eadem provincia dici Judæa cœpit; quique Hebræi vel Iſraelitæ prius nominabantur, Judæi deinde ſunt appellati. Zerobabel enim, & qui poſt eum Judæos gubernarunt (ut tradit Cyrillus (*i*) ex tribu Juda, ex ſtirpe David omnes uſque ad Herodem Idumæum fuerunt: quod & Hieronymus (*k*) teſtatur, licet alibi aliquando aliter dixerit. Sed hæc ſunt dilucidius explicanda.

(*a*) Libro de patien. cap. 21. item de civit. Dei l. 10. c. 25. & li. 18. ca. 42. Contr. Epiſt. Pelag. li. 3. cap. 4.
(*b*) Orig. tom. 2. comment. in Ioan. & contr. Celſ. libr. 9.
(*c*) Euſeb. de præpar. Evang. & hiſt. l. 1. c. 3.
(*d*) Greg. Nazianz. orat. de Mach.
(*e*) Baruc. 3.
(*f*) Gen. 49.
(*g*) Julian. Apoſt. apud Cyri. Alex. cont. Jul. li. 8.
Hebræi quando vocati Judæi.
(*h*) Joſeph. antiq. lib. 11. c. 5.
(*i*) Cyril. l. 8. cont. Jul.
(*k*) Hier. in Soph. c. 1. & in Ezec. c. 2.

IV. Quod enim ad Zerobabel & complures ſucceſſores ejus pertinet; nulla eſt dubitatio ex David ſtirpe fuiſſe progenitos, id tam veteri (*l*) quam novo (*m*) Teſtamento ſæpe teſtantibus: Aſſamonæos autem, penes quos fuit ſumma rerum uſque ad Herodem, conſtat fuiſſe ex genere ſacerdotali, tribu Levitica, ex filiis (ut habet liber primus Machabæorum (*n*) Jojarib: ſic enim legendum eſt loco Joarim: nam Joſephus (*o*) Aſſamonæum dicit ſacerdotem fuiſſe ex vice Jojarib: quæ quidem inter viginti quattuor vices ſacerdotales principem locum tenuit (*p*) Sacerdotum namque ſucceſſiones ab Aaron uſque ad ſua tempora, non Hieroſolymis tantum, ſed ubicumque gentium Judæi eſſent, ſcriptis ſemper eorum nominibus in publicis tabulis, teſtatur ſæpe Joſephus (*q*) eſſe legitime conſervatas, nec aliquando labefactatas, vel aliqua ratione mutatas. Ut igitur ſceptrum Judæ in tribu Juda uſque ad Herodem Idumæum permanſiſſe dicatur, inde accidit, quod Aſſamonæi, qui erant ex tribu Levitica, fœdere nuptiarum (quod licitum fuiſſe, Philo Judæus in libro, quem ſcripſit de Monarchia, teſtatur) tribui Judæ, ipſique familiæ David conjuncti eſſent. Sicque factum eſt, ut horum conjunctione ſacerdotium ſimul & regnum pariter jungerentur, perſeveraritque ſceptrum Judæ in Aſſamonæis in linea feminina uſque ad Herodem. Aſſamonæos enim ex materno genere fuiſſe ex tribu Juda, nulla eſt dubitatio, Rabbinis etiam id teſtantibus: nullo enim alio jure tribui Leviticæ licitum fuiſſet una cum ſacerdotio abſque tyrannidis labe adſciſcere ſibi regnum.

(*l*) Paral. c. 3. 3. Eſdr. c. 5.
(*m*) Mat. 1. Luc. 3.
(*n*) 1. Mac. 3.
(*o*) Joſeph. antiq. li. 12. c. 8.
Tranſlatum Regnum ad Aſſamonæos.
(*p*) 1. Paral. cap. 24.
(*q*) Joſeph. antiq. lib. 20. cap. 8. & contra Apion. li. 1.

Videas ejuſmodi conjunctionis occaſione nomina quoque facta eſſe communia, quæ peculiaria alteriuſque tribus eſſe ſolerent, ut nomen Judæ, nomen Levi, Mathathiæ, & aliorum in genealogia Salvatoris, quam texuit Lucas, eſſe ſæpius repetita; ipſoſque Aſſamonæos, licet eſſent ex tribu Levitica, nominatos tamen eſſe viros Juda ob ſceptrum Judæ ex materno genere ſibi junctum. In libro enim Machabæorum primo (*r*) hæc leguntur de illis qui male pugnarunt: *Ipſi non erant de ſemine illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael: & viri Juda magnificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſrael.* Porro viros Juda, qui ex tribu Juda prognati eſſent, divina Scriptura dicere conſuevit, ſed Aſſamonæos intellexit ob genus Juda ac ejus ſceptrum illi debitum ſibi conjunctum; licet alii velint a Juda Machabæo dictos, non a tribu. Sed hac in re contentioſum funem minime trahimus: quamvis ſciamus nobis favere Vulgatæ lectionem, qua legitur, Viri Juda, non Judæ, vel, Vir Judas. Haud enim adeo portentoſum, ut illi dici voluerint Viri Juda, cum Hebræi omnes (ut nuper diximus) ſoluta captivitate, maluerint dici Judæi.

(*r*) 1. Mach. cap. 5.

V. Quod igitur Hieronymus atque Cyrillus ſceptrum Juda in tribu Juda & familia David uſque ad Herodem Idumæum perſeveraſſe dixere, nonniſi de materno genere eſt intelligendum: ut de multis quoque aliis regnis accidiſſe videmus, cum deficientibus maſculis domus regiæ, per feminas, regni ſucceſſio una cum nomine perſeveret. Licet aliquando ſenſerimus ex paterno etiam genere Machabæos ex tribu Juda deſcendere: ſecus tamen ſenſimus in editione Plantiniana, & ſecunda Romana, antequam ſua cuderet, qui illa redarguit: quod proculdubio non feciſſet, ſi poſteriores noſtras editiones inſpexiſſet. Sed ceſſaſſe viſum eſt penitus ſceptrum Judæ, cum Herodes Idumæus, Gentilis homo, poſtea proſelytus, Judæorum regnum capeſſivit, quod tranſmiſit ad Archelaum, ac deinde ad Herodem Antipam, qui ex alienigena femina geniti ſunt, nempe (ut auctor eſt Joſephus *ſ*) ex Malthace Samaritide. Cum hæc autem apud Judæos omnes æque eſſent in confeſſo, defeciſ-

Tribus Juda qua ratione regnaſſe dicitur uſque ad Herodem.
(*ſ*) Joſep. antiq. li. 17. c. 1. & de bello Jud. li. 1. c. 18.

fe

by Google

ſe nimirum ſceptrum de tribu Juda, quo ſublato, Chriſtus venturus eſſet: complures ea occaſione arrepta, adulandi ſtudio, ipſum Herodem Chriſtum eſſe dixere, conflatumque non eſt nomen ea ſecta, ut iidem Herodiani dicerentur; ſicque Jeſum, qui vere Chriſtus erat, ſpernentes, Herodem eidem prætulere. Unde quoque accidit, ut poſteri Judæorum, quod poſt Herodem Idumæum, Archelaum, Herodem Antipam, nulla ex parte Judæi tribui inhærentes, regnaſſe viderent Agrippam Ariſtobuli filium, qui ab Herode genitus erat ex Mariamne Hyrcani Aſſamonæi Pontificis nepte, ex eademque ſtirpe Reges ad Veſpaſianum Imperatorem uſque perſeveraſſe: quaſi ad illud etiam tempus permanſiſſet ſceptrum Judæ, occaſione qua diximus ſobolis Mariamnes: ipſi eidem Veſpaſiano (ut ſuo loco dicemus) quæ de Chriſto prænunciata fuerant, tribuerent, cum & complures pſeudoprophetæ conſurgerent, ſe Chriſtum eſſe dicentes. Sed quis horum omnium fuerit vere Chriſtus, etſi non alia; tamen eventus facile demonſtravit. Nam ſi non Herodes, neque Veſpaſianus potuit eſſe Chriſtus: qui vere prædictus fuerat Chriſtus, Jeſus fuit. Numquam ante, perinde ac in adventu Chriſti, defecerat ſceptrum Judæ: nam etſi Judæi alias in captivitatem redacti, regnare deſierint, numquam tamen aliquis ſuffectus eſt alienigena Rex, qui in Judæa regnaverit, niſi cum Herodes Idumæus regnum obtinuit. Verum qua ratione ad Herodem rerum Judaicarum ſumma poteſtas pervenerit, id nobis eſt explicandum.

VI. De Herodis Regni Exordio. Conſtat (a), poſt Judæam a Pompejo Magno debellatam, populoque Romano redditam vectigalem, & ex parte in formam provinciæ redactam, ac per Scaurum primum, deinde Gabinium (b) adminiſtratam: poſt etiam expilatum templum a Craſſo (c), cladenque maximam a Caſſio (d) invectam, & a Cajo Cæſare (e) rurſus imperatum tributum, atque aliam a Caſſio depopulationem miſerrime factam: poſt denique M. Antonii adminiſtrationem, digladiantibus inter ſe odio pertinaciſſimo Aſſamonæis, ad extremum Olympiade (f) centeſima octuageſima quarta, Domitio Calvino iterum & Aſinio Pollione Coſſ. Herodem Antipatris filium idumæum proſelytum ex S. C. Romæ regnum Judæorum (ut tradit Joſephus) accepiſſe. [1] Quando poſt hæc

(a) Joſep. antiq. l. 14. cap. 8.
(b) Ibid. cap. 10.
(c) Ibid. c. 12.
(d) Ibid. cap. 11.
(e) Ibid. c. 17.
(f) Idem lib. 14. c. 26.

Antigonus Aſſamonæus, qui favore Parthorum ejecto Hyrcano, ultimus Rex Judæorum principatum invaſerat, bello victus cum eſſet, non tantum (quod idem ſcribit Joſephus g) in eum ſecuri animadverti juſſit, ſed (ut auctor eſt Dio Caſſius h) eidem cruci alligato ac fuſtibus cæſo Antonius caput truncari mandavit. Hic ultimus fuit Regum Judæorum, in quo & deſiit Judæorum principatus: nam licet poſt ejus occubitum, adhuc qui fuerat pulſus, in humanis eſſet Hyrcanus; tamen redactus in ordinem, moderante Herode habenas regni, ejuſdem dolo ſublatus eſt. Quocirca cum fuiſſet ereptum tribui Juda regium ſceptrum, per feminas in alios ac denique in ipſos Aſſamonæos delatum; nihil ſupererat, niſi ut is mitteretur, ex antiquorum prædictionibus, qui cælitus dilapſus in Iſrael regnaret, Gentes regeret; regnumque Judaicum, quod acto in crucem Antigono fuerat extinctum, per crucem, quam ſubiret, reſtitueret, & amplioribus ſpatiis propagaret.

(g) Joſeph. lib. 15. c. 9.
(h) Dio hiſtor. Rom. lib. 49.

Verum enimvero non modo regnum, ſed & legitima ſummi ſacerdotii inſtitutio per hæc tempora defecerat. E familia namque Aſſamonæorum fuit ad alios tranſlatum: nam Hyrcanus (i) quidem Pontifex Maximus ab eodem Herode necatus eſt; cui cum ſubſtituiſſet Ariſtobulum (k) gentis ejuſdem, mox & hunc interfici juſſit; & Ananelum quemdam ignobilem Judæum Babylone accerſitum (quem, vivente adhuc Hyrcano, Pontificem delegerat, & paulo poſt gradu moverat) extulit rurſus ad tantam dignitatem. Poſt hunc, nonnullos alios, nulla habita divinarum legum ratione, vel quod magnam pecuniarum vim loco pretii offerrent, vel quod plurimum gratia apud ipſum poſſent, pro libito ſuffecit, atque dimovit. Sunt harum rerum teſtes locupletiſſimi Joſephus (l), Euſebius (m), Hieronymus (n), & alii plerique. Nec his contentus Herodes, inſigne (o) pontificium nobiliſſimum, ſtolam ſcilicet ſacerdotalem, ut ſibi jus omne & ornamentum ſummi ſacerdotii prorſus arrogaret, & in poteſtatem ſuam redigeret, in loco muniriſſimo cuſtodiri juſſit. Regno itaque ac ſacerdotio Judæorum collapſo & funditus everſo, quid aliud reſtabat, niſi ut Sanctus ſanctorum ungeretur (p)? Poſtremo, quod omnium maximum exiſtimari debet: ipſa rectorum dogmatum ſincera doctrina, pluri- VII.

(i) Joſeph. antiq. l. 15. cap. 9.
(k) Joſeph. lib. 15. antiq. c. 3.
Pontificatus e domo Levi ſublatus.
(l) Joſeph. antiq. lib. 20. c. 8.
(m) Euſeb. hiſtor. lib. 1. cap. 6.
(n) Hier. in Dan. c. 9.
(o) Joſeph. antiq. lib. 18. cap. 7.
(p) Dan. 9.

NOTÆ [1] Quando poſt hæc Antigonus &c. Dionis verba lib. XLIX. pag. 425. de ſupplicio Antigoni hæc ſunt: *Antonius Herodi cuidam regno Judæorum conceſſo Antigonum cruci* σαυρῷ *alligatum [quo ſupplicio nullus unquam rex a Romanis erat affectus] flagris cecidit, ac deinde jugulavit. Id factum Claudio & Norbano Coſſ.* nempe A. V. 716. Juſtus Lipſius in notis ad Librum III. cap. III. de cruce exiſtimat, vocem σαυρῷ non de *cruce*, ſed de *palo* intelligendam eſſe, quo Antigonus ſolemni Romanis more alligatus fuerit, & tum ſecuri percuſſus. Quod Joſephus lib. XVI. Antiq. Cap. I. habeat: *Antonius Antigonum Judæum, Antiochiam perductum ſecuri percutit, & viſus eſt primus Romanorum ſecuri ſubjeciſſe regem;* quod & Plutarchus in Antonio confirmat.

mis undique erroribus erumpentibus, fere penitus erat obſcurata; ita ut Judæi pene omnes altiſſima caligine involverentur, neque ſatis quid verum foret, dignoſcere ac dijudicare poſſent: quod quale foret, bene erit breviter, ut inſtituti argumenti ratio poſtulat, attigiſſe.

VIII.

(a) Joſeph. antiq. l. 18. cap. 2. De bello Jud. lib. 2. c. 7.

De ſectis Judæorum.

Tres præcipuæ his temporibus (ut auctor eſt Joſephus a) apud Hebræos ſectæ vigebant, Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſenorum: quibus & duæ aliæ acceſſerunt poſtremo inſtitutæ, Galilæorum, atque Herodianorum [1]. His, ut cuique in animo erat, quamplurimi e Judæis adhærebant. Sed cum maxime inter ſe diſſiderent, in cauſa erant, ut animi illorum qui veritatem quærebant, innumeris quæſtionibus impliciti detinerentur. Et de Phariſæis quidem quæ ſcripta reliquerit Hieronymus (b), paucis attingemus.

(b) Hier. in Iſai c. 8.

Teſtatur enim, quod non multo ante adventum Chriſti, exorti ſunt in Judæa Sammai & Hillel; ex his Scribæ, & Phariſæi: horum poſteri duas illas familias conſtituerunt, quæ (ut recte veteres interpretes exiſtimarunt) Chriſtum non receperunt, & cæteris ruinæ fuerunt. Sammai merito diſſipator, ex interpretatione nominis, vocatur; & Hillel profanus, quod per traditiones, & δευτερώσεις ſuas, legis præcepta diſſipaverint, atque maculaverint. Horum ſcholam primus accepit Achibas, poſt eum Meir, tertio loco Joannan, inde Eliezer, poſt quem Delphon, cui ſucceſſit Joſeph Galilæus, atque ultimo loco uſque ad cladem Hieroſolymorum per Titum illatam Joſue. Ex his qui Legi interpretandæ navabant operam, Scribæ dicebantur, cæteri communi nomine Phariſæi. Omnes autem ſuperſtitionibus cum pertinacia inhærentes, obdurantes ſe contra veritatem (ut eſt Evangelicus ſermo c) *cæci facti ſunt, & duces cæcorum*. Erant horum hæc dogmata a veritate devia. Fato hi (d) cuncta tribuebant: animarum judicia ſub terra fieri affirmabant: tranſanimationem Pythagoræam (e) hoc temperamento aſtruebant, ut ſolas bonorum tranſire in alia corpora, malorum autem animas interminato ſupplicio cruciandas, aſſererent. Hæc de illis Gentilis ipſorum, & ipſe Phariſæus ſecta, Joſephus (f). Suppetunt de his & ex Evangelio teſtimonia, dum in Chriſtum quidam ipſorum putantes tranſmeaſſe animam Eliæ (g), alii Hieremiæ, alii vero Joannis Baptiſtæ, dicebant illum eſſe Eliam, vel Hieremiam, vel Joannem Baptiſtam, ſive alium quempiam ex Prophetis. Aſtronomiæ quoque cultui eoſdem vehementer fuiſſe addictos, in iiſque Græcorum vanitates eſſe ſectatos, auctor eſt Epiphanius (h). Inſuper iidem vitioſa interpretatione Legem corrupiſſe, Chriſti Domini noſtri teſtimonio ſæpius convincuntur. Sed non eſt de his modo dicendum per ſingula.

(c) Mat. 23.
(d) Joſeph. antiq. li. 18. cap. 2. de bello Judaic. li. 2. cap. 7.
(e) Epiph. in Panar. lib. 1. c. 16.
(f) Joſep. de bell. Jud. lib. 2. c. 7.
(g) Matt. 14 Marc. 8. Luc. 9.
(h) Epiph. in Pan. lib. 1. c. 16.

IX.

De Phariſæorum inſtitutis.

Porro quod ad vitæ ſtatum pertinet, nundinaria quadam ſanctitate ſic animos omnium ſibi conciliabant, ut quod ipſi dicerent, vel facerent, jus faſque ab omnibus eſſe crederetur. Unde hæc de iis Joſephus (i): *Tanta eſt eorum auctoritas apud populum, ut etiam ſi Regi obloquerentur, aut Pontifici, fidem tamen vulgus eis habeat*; & alibi (k): *Genus hominum aſtutum, arrogans, & interdum Regibus quoque infeſtum, ut eos etiam aperte impugnare non vereantur*. Hæc ille. Vita (l) autem ab illis ſic erat inſtituta, ut eorum victus ſimplex eſſet, nulliſque mollitus deliciis. Dehinc ipſorum tyrocinia ſi quis attendat, quid dignum equidem vehementi admiratione inveniret: deſcriptum illud habes ab Epiphanio (m) his verbis: *Quidam enim ipſorum, cum ſe exercebant, præſcribebant decennium, aut octennium, aut quadriennium virginitatis & continentiæ: & frequentius orantes, crebrius certamen hoc aggrediebantur, ut ne videlicet corporale quid eis accederet, aut clandeſtine per ſomnia triſtis corporis defluxio contingeret. Et alii ex ipſis aſſeres ſibi ipſis parabant dodrantis tantum latitudine, & in his ſe ad veſperam locabant, ut ſi quis dormiſſet, in pavimentum decideret, & rurſum excitaretur ad orationem, per hoc quod vigilantem vitam haberent, quantum fieri poſſet. alii lapillos ex aquis collectos ſibi ipſis ſternebant, ut dum his pungerentur, non in profundum ſomnum deferrentur, ſed vigilantiam ſibi ipſis parare cogerentur. Alii ſpinas pro ſtrato habebant ob eamdem cauſam. Jejunabant bis in ſabbato, ſecunda & quinta die; decimabant decimationes; dabant primitias, trigeſimas, & quinquageſimas; ſacrificia & vota exactiſſime exolvebant*. In prædicto

(i) Joſe. antiq. lib. 13. cap. 18.
(k) Joſeph. antiq. lib. 17. c. 3.
(l) Joſep. antiq. lib. 18. cap. 2.
(m) Epiph. li. 1. Panar. c. 16.

NOTÆ [1] A*tque Herodianorum* &c. Herodiani memoriam Herodis ſub Nerone adhuc colebant, & quotannis ejus natalem celebraſſe putavit vetus Perſii Scholiaſtes in Satyr. V. vers.

.. At cum
Herodis venere dies ...

Baronius hæc intelligenda cenſuit, quod fecit & Philaſtrius hæres. cap. XXVIII. de Herode Agrippa; qua in re Baronium Caſaubonus criminatur, ſed vide quid in Caſaubonum diſputaverit Andreas Eudæmon Defens. Baronii lib. II. cap. X.

De Sectis Judæorum, de quibus infra Baronius, late egerunt Nicolaus Serarius ſocietatis Jeſu; & Caſauboni in Baronium criminationes diluit Julius Cæſar, Bulengerus in Diatribis contra eundem Caſaubonum,

by Google

dicto vero Scribarum habitu progrediebantur, per amicula, & alios ornatus, ac muliebria pallia, in latis crepides & calceamentorum ligulis procedentes (a). Nam fimbrias ac prætextus quoſdam in quatuor alis amiculi unuſquiſque babebat ex ipſo ſtamine illigatos, quo tempore continentiæ agebant, aut virginitatem exercebant: ſinguli enim determinatum caſtitatis aut continentiæ tempus habebant; & hæc ipſorum exemplaria erant ad declarandum hominibus ſuam profeſſionem, ut nemo contingeret ſcilicet ſanctificatos. Dicebantur (b) autem Phariſæi, eo quod ſeparati eſſent ab aliis, propter ſpontaneam ſuperfluam religionem apud ipſos receptam. Hæc Epiphanius.

(a) Epiph. eod. lib. 1. cap. 15.

(b) Epiph. lib. 1. Panar. c. 16.

X. Phariſæorum hypocriſis.

Per hæc, inquit Joſephus, *magnam ſibi Phariſæi auctoritatem paraverunt apud populum; & quicquid ad ſolemnes precationes & cultum divinum attinet, juxta horum interpretationem & præſcriptum ſolet fieri: tantum habent a civitatibus ſapientiæ, temperantiæ, & vitæ honeſtioris teſtimonium.* Hæc de his ille. Cum autem ejuſmodi ſanctitatis ſpeciem extrinſecus præfeferrent, & ad decipiendos homines compoſitam larvam induerent: quales intus eſſent, qui novit corda hominum, egregiæ quibuſdam quaſi coloribus depinxit, com air (c): *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, & hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia: ſic & vos foris quidem paretis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate.* Et quod hæc habet inferius: *Serpentes genimina viperarum, quo modo fugietis a judicio gehennæ?*

(c) Matt. 23.

XI. De Sadducæis.

Nou his certe meliores erant Sadducæi qui longe deteriora dogmata, quam Phariſæi, ſectabantur: ſiquidem (ut referunt Acta Apoſtolorum d) dicebant non eſſe reſurrectionem mortuorum, neque Angelum, neque Spiritum; cum alioqui Phariſæi e contrario hæc tenerent & faterentur. His turpiora multo Joſephus (e) iiſdem tribuit, dum eos de animarum immortalitate delira quædam tradidiſſe, animaſque una cum corporibus ſimul & eodem tempore extingui putaſſe teſtatur. In reliquis cum Samaritis idem ſenſiſſe, niſi tantum quod Hieroſolymis agentes, una cum Judæis ſacrificarent, confirmat Epiphanius (f) qui eoſdem a Saddoc ſacerdote nomen accepiſſe, ſed a præceptoris ſui doctrina defeciſſe, narrat. Ad hæc, hos inter ſe feris moribus diſſerepaſſe, & erga cæteros illiberales & inhumanos fuiſſe, quam ob cauſam averſatum eos populum, & Phariſæis potius obedientem fuiſſe, Joſephus (g) tradit, additque ejus ſectæ fuiſſe paucos, ſed fere dignitate præcipuos. In hos æque ac in Phariſæos Joannes Baptiſta invectus eſt his verbis (h): *Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere a ventura ira?*

(d) Act. 23.

(e) Joſeph. antiq. li. 18. c. 2.

(f) Epiph. l. 1. Panar. c. 14.

(g) Joſep. de bel. Jud. lib. 2. c. 7. in fin. & Ant. l. 18. cap. 2.

(h) Mat. 3.

XII. De Eſſenis.

Qui tertio loco recenſentur Eſſeni, a cæteris omnibus ſchiſmate erant diviſi qui (i) nec ſacrificarent in templo, quod (ut dicebant) ſanctioribus uterentur cærimoniis. Cæterum vitæ moribus fuiſſe conſpicuos, omnes uno ore fatentur. Sed de illorum vitæ inſtitutione, accomodatiori loco agemus inferius. Quod ad dogmata ſpectat, quorum cauſa præſens ſuſceptus eſt ſermo, Epiphanius (k) eoſdem inter Samaritas adnumerat, quos in quatuor ſectas fuiſſe diſtinctos affirmat. Quinam vero fuerint Samaritæ, nemo in divinis verſatus Scripturis ignorat. Hi ſunt, qui cum diviſi eſſent a Judæis, non templum, non ſacrificia, vel cærimonias communes cum illis habebant; cumque quinque tantum Moyſis libros reciperent, Prophetas ac cætera divinæ Scripturæ volumina negligentes rejiciebant, non credentes reſurrectionem mortuorum, negantes & Spiritum ſanctum: hæc & his plura Epiphanius (l) in Panario. Præterea horum (quod in quatuor ſectas eſſent diſtincti) alios tradit fuiſſe Eſſenos, quos diximus; alios Sebæos (m), qui cum in omnibus cum illis conſentirent, tamen quod tranſpoſuiſſent tempora ſolennium feſtivitatum, a cæteris ſunt ſegregati. Gortheni tertio loco poſiti, his adverſantes, diverſam ab illis dierum feſtorum rationem habuerunt, Eſſenis potius in hoc adhærentes.

(i) Joſeph. antiq. l. 18. c. 2.

(k) Epip. Panar. l. 1. t. 10.

Samaritanorum Sectæ diverſæ.

(l) Epiph. in Panar. l. 1. c. 9.

(m) Epiph. eodem lib. c. 11.

XIII. Doſithei ſuperſtitioſiſſimi.

Quartum genus erat Samaritanorum, qui Doſithei (n) ſunt nominari, a dictis omnibus differentes, reſurrectionem mortuorum profitentes, ſuperſtitioſa tamen nonnulla ad novum vitæ genus inſtituendum accommodarunt: ſiquidem ab animatis abſtinebant; inſuper, quod ſcribit Origenes (o) in Periarchon, adeo ſuperſtitioſe colebant ſabbatum, ut quo quiſque eorum habitu, loco, ſitu, die ſabbati inventus fuiſſet, ſive ſtans, ſedenſve, intus vel foris, eo loco eademque poſitione ea die uſque ad veſperam permaneret. Sunt haud ingratum fore exiſtimamus ex quo in hæc de ſabbati ſuperſtitioſa obſervatione ſemel incidimus, ſi quod ſcribit Syneſius ad Evoptiam de navigatione ſua hic opportune recenſuerimus: *Cum,* inquit, *exorta tempeſtate, peracta eſſet dies paraſceves, & veſpere decidente Sole, Judæi qui nautæ erant, ſabbatum inchoarent: qui clavum tenebat, mox ut Solem reliquiſſe terram conjectavit, relicto clavo, proſtravit ſe, ſeque cuique calcandum exhibuit. Rati autem navigantes id ex deſperatione eum feciſſe, omnes conſternabantur: cum autem cauſam accepiſſent, quidam gladio evaginato necem eidem intendebant, ut in opus incumberet: ille vero immobilis librum legebat legis, nec minus quam Machabæus aliquis mortem comminatam contemnebat: ſicque tota nocte, cum ſequenti die, uſque ad dimidium noctis, ſedit Judæus otioſus; tunc*

(n) Epiph. lib. 1. Panar. c. 13.

(o) Orig. Periar. li. 4.

vero ſponte ſurrexit, & clavum emiſſum recepit. Hucuſque Syneſius. Sed jam omiſſa repetamus. Eoſdem Doſitheos præ cæteris Prophetas repudiaſſe, Tertullianus (*a*) refert; monogamos fuiſſe, & nonnullos ex bis virginitatem ſervaſſe, Epiphanius tradit (*b*), qui & de Doſitheo eorum auctore hiſtoriam quamdam narrat. Sed hactenus de Samaritis.

(*a*) *Tert. de præſcr. & Hier. contr. Luciferianos.*
(*b*) *Ubi ſupra c. 13.*

XIV. Hemerobaptiſtæ. Non prætereundum genus hominum illud, qui a Phariſæis aliqua, aliqua vero a Sadducæis mutuati, monſtrum quoddam conflarunt. Hi etenim ſimul cum Phariſæis cætera ſentientes, cum Sadducæis mortuorum reſurrectionem negabant. Præter hæc autem præcipuum hæc ſecta habebat, quod vere, autumno, hieme, & æſtate, qui illi eſſent addicti, quotidie baptizarentur; rati nimirum hominem non poſſe vivere, niſi quis ſingulis diebus in aqua mergeretur, atque ita ablueretur, ac proinde ſanctificaretur; quos eam ob cauſam Hemerobaptiſtas eſſe appellatos, Epiphanius (*c*) docet: qui & his addit Nazaræos, qui nec ſacrificia, nec libros Moyſi cum cæteris haberent communia, abſtinerentque ab animatis, velut immundis.

(*c*) *Epip. in Panar. l. 1. c. 17. & 18.*

XV. De Herodianis. His proximos dicit (*d*) eſſe Oſſenos: ac noviſſimo loco ponit Herodianos, quorum hæreſis temporibus regnantis Herodis eſt exorta, ipſumque dicebant eſſe Chriſtum: quod ſcilicet ſecundum divinum oraculum, cum defeciſſet penitus ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, ipſe ille eſſe videretur qui mittendus erat, eo quod ex S. C. Rex Judæorum fuiſſet declaratus. Horum gregales fuerunt qui una cum Phariſæis (*e*) conſpirarunt contra Chriſtum, & cavilloſam de tributo perſolvendo Cæſari (*f*) propoſuerunt quæſtionem. De ſecta vero Galilæorum, quæ tempore cenſus eſt exorta, ſuo loco opportunius dicemus inferius. Prædictas hæreſes Tertullianus (*g*) brevi compendio recenſens, hæc ait: *Taceo Judaiſmi hæreticos: Doſitheum, inquam, Samaritanum, qui primus auſus eſt Prophetas, quaſi non in Spiritu ſancto locutos, repudiare. Taceo Sadducæos, qui ex hujus erroris radice ſurgentes, auſi ſunt ad hanc hæreſim etiam reſurrectionem carnis negare. Prætermitto Phariſæos, qui additamenta quædam Legi aſtruendo, a Judæis diviſi ſunt: unde etiam hoc accipere ipſum, quod habent, nomen digni fuerunt: Cum his etiam Herodianos, qui Chriſtum Herodem eſſe dixerunt.* Atque his Tertulliani ſimilia fere Hieronymus (*h*).

(*d*) *Eod. l. c. 19. & 20.*
(*e*) *Marc. 3.*
(*f*) *Matt. 22. Marc. 12.*
(*g*) *Tert. de Præſcr. c. 45.*
(*h*) *Hier. contr. Luciferian.*

XVI. Hic erat ſtatus rerum Judaicarum, & quidem perditiſſimus ac profligatiſſimus omnium: quippe e loco motis atque collapſis firmiſſimis columnis illis divina operatione ſtatutis, Regno, Sacerdotio, atque Lege, ſtatus Judæorum illis ſubnixus ingenti eſt fragore proſtratus; quem poſſe erigere, atque in integrum reſtituere, non erat hominis opus, ſed tantum divinæ virtutis atque potentiæ. Quod ſe facturum Deus per Amos (*i*) Prophetam olim pollicitus eſt, dicens: *In die illa ſuſcitabo tabernaculum David, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum ejus; & ea quæ corruerant, inſtaurabo, & reædificabo eum ſicut in diebus antiquis, ut poſſideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eo quod invocatum ſit nomen meum ſuper eos, dicit Dominus hæc faciens.* Id quidem Deum impleſſe per Filium ſuum, quem ad hoc miſit in mundum, Jacobus (*k*) Apoſtolus in illo ſacroſancto Apoſtolorum conventu pro concione egregie profeſſus eſt. In tam acerba rerum Judaicarum jactura (quod prædixerat Iſaias *l*) ſicut perpaucæ ſpicæ poſt meſſem, vel poſt vindemiam eſſe ſolet racemus, aut duæ vel tres, quæ poſt excuſſam oleam in ſummitate rami olivæ remanent; ita fere cunctis in errorem adductis, vix exiguus numerus illorum remanſerat, qui ſacramentum veræ religionis, quod a ſanctis Patriarchis ac Prophetis acceperant, retinerent atque ſervarent. Puſillus plane grex juſtorum, redemptionem Iſraei expectantium: inter quos ætate majores Simeon Juſtus, Anna vidua, Zacharias ſacerdos, Elizabeth ejus conjux, & qui remanſerant ex ſtirpe David, Joſeph, atque Maria, & ſi qui alii divinæ legis cultores & amantes, in veritate periclitarent, avidiuſque illum cuperent, qui collapſum Regnum, Sacerdotium, atque Legem ipſe Rex, & Sacerdos, atque Legifer Emmanuel reſtitueret: & (quod olim Iſaias (*m*) locutus) idem Dominus Judex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter ipſe ſalvaret nos.

(*i*) *Amos 9.*
(*k*) *Act. 15.*
(*l*) *Iſaia 17.*
(*m*) *Iſaia 33.*

XVII. De ſtatu Gentilium. Quod ſi lumen, quod in mundo erat, tenebræ factæ ſunt (ſecundum Evangelicam (*n*) ad hanc rem accommodatam loquimur analogiam) ipſæ tenebræ quantæ erant? Si ipſa, inquam, *Judæa*, ubi *notus erat Deus* (*o*) & *Iſrael*, ubi *magnum nomen ejus*, tanta erat obvoluta caligine: quid putandum de Gentibus, quæ Deum ignorantes, in idolis pravos colebant dæmones? Talibus enim ducibus, iiſdemque hoſtibus, quænam poſſet infelix homo bona capeſſere, vel mala vitare? Jam & collapſæ erant, quæ apud Gentes fuerant optimis legibus inſtitutæ Reſpublicæ: & ipſa Romanorum, qui egregiis animi virtutibus ſibi ſubegerant Orbem, relicta illa antiqua recte vivendi conſuetudine, plus cæteris omnium vitiorum genera ſectabatur, eiſdemque velut cœnoſo gurgite obruta mergebatur; id enim ſcriptores eorum ſæpius exclamantes conquerebantur: unde & in hanc ſententiam Auguſtinus (*p*): *Ecce*, inquit, *Romana Reſpubl. (quod non ego primus dico, ſed auctores eorum, unde hoc mer-*

(*n*) *Matth. 6.*
(*o*) *Pſal. 75.*
(*p*) *Aug. de Civit. Dei l. 2. c. 19.*

cede

cede didicimus, tanto ante dixerunt Chriſti adventum) paulatim mutata, & ex pulcherrima atque optima, peſſima atque flagitioſiſſima facta eſt, &c. Quid memorem cæteras nationes? multiplicium deorum in unaquaque provincia ſuperſtitioſiſſimum cultum, ferales Gentium ritus, portentoſas populorum inolitas ubique conſuetudines, turpiſſimos hominum mores cuncta labefactantes, ipſaque jura naturæ violantes? Bene ergo, ac peropportuno tempore a Deo conſultum eſt, ut unigenitum Filium, per quem cuncta creaverat, in mundum mitteret, ut omnia reſtauraret ac ſtabiliret, ipſaque Via, Veritas, & Vita, a recto tramite devios, fidei religione ac morum compoſitione revocaret ad viam; cunctoſque per veritatem errores auferens, iter aperiret ad vitam.

XVIII. Filii Dei Adventus Judæis & Gentilibus prænunciatus.

Quapropter cum cælitus ad ſalutem utriuſque populi, Judæi atque Gentilis, a Patre Filius mittendus eſſet in terram: quo totius humani generis reciperetur conſenſu, conſilium Dei fuit, ut longe ante ejus adventum, tantæ rei ſacramentum Judæis atque Gentilibus innoteſceret: Illis quidem multifariam (quod ait Paulus *a*) multiſque modis loquens patribus in prophetis, hæc prædixit, ac figuris adumbravit: Gentiles autem: quod a veritate veri cultus procul abeſſent, nec facile externæ religionis hominibus admoverent aures, per ſuos ipſorum vates, de his quæ ventura erant, voluit præmoneri. Erant hi (*b*) Mercurius Triſmegiſtus, Hydaſpes, atque Sibyllæ, ſic dictæ a Dei conſiliis denunciandis, quaſi Θεοβούλαι, decem numero, ut ajunt, omnes virgines; quibus ob virginitatis inſigne meritum divinationem eſſe conceſſam, Hieronymus (*c*) exiſtimavit: quam & ob cauſam eas appellare Patres (*d*) conſueverunt Propheriſſas Gentilium; quibus & tantum tribuit Heraclitus (*e*), ut eas non humanitus, ſed divinitus apparuiſſe putarit.

(*a*) *Hebr.* 1.
(*b*) *Lact. li.* 1. *c.* 6.
(*c*) *Hier. cont. Jovin. l.* 1.
(*d*) *Theop. Antioc. ad Autol. l.* 2.
(*e*) *Clem. Alex. Str. l.* 1.

XIX. Patres uſi Sibyllarum teſtimoniis.

Uſi ſunt crebro ſancti Patres, ad convincendos errores Gentilium, Sibyllarum oraculis: quamobrem Gentiles ipſi (ut auctor eſt Origenes *f*) Chriſtianos, Sibylliſtas nominabant. Memoria ſane dignum, quod de Paulo Apoſtolo ſcribit Clemens Alexandrinus (*g*) his verbis: *Quo modo Deus Judæos ſalvos eſſe voluit, dans eis Prophetas; ita etiam Græcorum ſpectatiſſimos propria ſua lingua exercitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam, a vulgo ſecrevit. Præter Petri prædicationem, declaravit Paulus Apoſtolus dicens: Libros quoque Græcos ſumite, agnoſcite Sibyllam, quo modo unum Deum ſignificet, & ea quæ ſunt futura: Hydaſpem ſumite, & legite, & invenietis Dei filium multo clarius & apertius eſſe ſcriptum, & quemadmodum adverſus Chriſtum multi Reges inſtruerent aciem, qui eum habeant odio, & eos qui nomen ejus geſtant, & ejus fideles, & adventum, & tolerantiam.* Hæc cum recitet Clemens antiquus Theologus ex Paulo; non utique ex Epiſtolis ejus, ſed ex concionibus ad populos habitis, quarum nonnulla verba in audientium aures ſic eſſe illapſa putandum eſt, ut nunquam ea deleverit oblivio. Quid ni Paulus ex Græcorum libris aliquando teſtimonium petendum putarit, cum & Græcos poetas citare conſueverit, & prudenti conſilio cum concionaretur Athenis in Areopago (*h*), aræ titulum ad ſui argumenti rationem accommodarit?

(*f*) *Orig. cont. Celſ. li.* 5.
(*g*) *Clem. Alex. Str. lib.* 6.
(*h*) *Act.* 17.

XX. Pœna mortis Decreta legentibus Libros Sibyllinos.

Quam præterea frequentes fuerint Chriſtiani in legendis libris Sibyllinis, quantamve ad convincendos Gentiles ex iis vim & auctoritatem ſibi comparare ſtuduerint, ex eo facile poteſt intelligi, quod pœna mortis ab eorum lectione eos abſterreri legibus oportuerit: quod his verbis Juſtinus (*i*) martyr teſtatur, cum ait: *Opera autem, & inſtinctu malorum dæmonum, mortis ſupplicium adverſus librorum Hydaſpis & Sibyllæ aut Prophetarum lectores conſtitutum eſt; ut per timorem homines ab illis, quominus ſcripta ea legentes, rerum bonarum notitiam percipiant, ſed in ſervitute eorum retineantur, abſterrerentur: quod quidem efficere, & ad finem ſuum perducere nequiverunt. Non enim abſque timore tantum hujuſmodi ſcripta legimus; verum etiam vobis ad inſpiciendum quæ in eis traduntur, ut videtis, offerimus, grata acceptaque omnibus fore ſcientes. Atque hoc etiam ſi paucis perſuaſerimus, maximum tamen inde feremus lucrum: nam, ut boni agricolæ, amplam a Domino capiemus mercedem.* Hæc Juſtinus. Non fuiſſe autem ſecurum Chriſtianis Sibyllinos libros legere atque ſervari, ex his quæ Valerianus Imper. (*k*) ad Senatum reſcripſit, cognoſci perſpicue poteſt: *Miror*, inquit, *vos, patres ſancti, tamdia de aperiendis libris Sibyllinis dubitaſſe, perinde quaſi in Chriſtianorum Eccleſia, & non in templo omnium deorum tractaretis.* Hæc ille.

(*i*) *Juſt. mart. in orat. ad Ant. Pium.*
(*k*) *Apud Flav. Vopiſc. in Valer. Imp.*

XXI. Sibyll. Carmina quæſita.

Admiramur magnopere quidem conſilium Dei, qui ſic Gentibus, quæ Deum ignorarent, proſpexit, ut non Sibyllina tantum carmina in eorum manus venire, ſed eadem conflagrata, diligenti inveſtigatione ac publica alibi legatione perquiri, conquiſita examinari, ac denique examinata, ſpuriis quæ eorum judicio ſunt inventa, rejectis, probari, eademque probata cuſtodiri voluerit: hæcque omnia ante Chriſti adventum: tum ut quæ adverſus eos Chriſtiani adducere poſſent in teſtimonium, haberent; tum etiam ut ea citantes, & ex libris ipſorum teſtimonium petentes, nullo impoſturæ ſuſpicione moveri jure poſſent. Siquidem carmina illa Sibyllina temporibus Tarquinii Superbi Romam allata,

Syl-

Syllanis temporibus, cremato Capitolio, Olympiadæ (ut numerat Dionyſius *a*) centeſima quinquageſima tertia, Scipione (*b*) & Norbano Coſſ. ab Urbe condita anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo, conflagrarunt. Poſt annos vero ſeptem, Capitolio reſtituto, ſub Conſulatu Curionis (ut teſtatur Lactantius *c*) ex S. C. tres Legati, P. Gabinius, M. Octacilius, & L. Valerius, Erythras miſſi ſunt, qui carmina Sibyllina conquiſita Romam portarent; qui ſcriptos a privatis verſus circa mille Romam detulerunt: atque hæc Lactantius ex Varrone.

(a) Dion. Halic. hiſt. Rom. lib. 4.
(b) Caſſiod. in chron.
(c) Lact. lib. 1. c. 6.

XXII. *Sibyll. Carmina ſæpe recognita.* Porro non Erythris modo, ſed in aliis etiam Orbis provinciis ab iiſdem eſſe quæſita, ac Romam delata, auctor eſt Tacitus (*d*); addiique eadem juſſu Augusti Imperatoris fuiſſe recognita, atque purgata: quod, quantum ex Dione (*e*) colligitur, contigit ſub Conſulatu Cornelii Lentuli & Marcellini, anno ab Urbe condita ſeptingenteſimo trigeſimo ſexto: *quando*, inquit Tacitus (*f*), *ſanxit Auguſtus quem intra diem ad Prætorem Urbanum ferrentur, neque habere privatim liceret. Quod a majoribus quoque decretum erat, poſt exuſtum ſociali bello Capitolium quæſitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam & Italicas colonias carminibus Sibyllæ, ſeu una, ſeu plures fuere; dateque ſacerdotibus negotio, quantum humana ope potuiſſent, vera diſcernere.* Hucuſque Tacitus. Suetonius (*g*) etiam de eadem per Auguſtum facta cognitione & expurgatione hæc dilucidius: *Poſtquam vero pontificatum maximum, quem numquam vivo Lepido auferre ſuſtinuerat, mortuo demum ſuſcepit: quicquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, ſupra duo millia contracta undique crematvit; ac ſolos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito; condiditque duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi.* Hæc Suetonius.

(d) Tacit. lib. 3. Annal.
(e) Dio hiſt. Rom. lib. 54.
(f) Tacit. lib. 3. Annal.
(g) Suet. in Oct. Aug. c. 31.

XXIII. Hæc itaque tam diligenti ſtudio ab Ethnicis Deus curari voluit, ut cum ad eos redarguendos citarentur a noſtris carmina Sibyllina, nulla (ut diximus) poſſet jure objici impoſturæ calumnia; licet neque adeo illis parcerent: unde in eos Lactantius (*h*). *His* inquit, *teſtimoniis quidam revicti, ſolent eo confugere, ut dicant, non illa eſſe carmina Sybillina, ſed a noſtris ficta atque compoſita; quod profecto non putabit, qui Ciceronem, Varronemque legerit, alioſque veteres, qui Erythræam Sibyllam, cæteraſque commemorant, ex quarum libris iſta exempla proferimus; qui auctores obierunt, antequam Chriſtus ſecundum carnem naſceretur.* Hæc Lactantius. Quod ſpectat ad Cumanæ Sibyllæ carmina: quod Dionyſius (*i*) quem citavimus, Solinus (*k*) Plinius (*l*), & alii dicunt, eadem una cum Capitolio conflagraſſe: non ſic accipias, ut ea penitus interierint, nec illorum remanſerit aliquod exſcriptum exemplar. Conſtat (*m*) enim, etſi non ab alio, certe ab Attilio Dumviro ea fuiſſe exſcripta privatim, eumdemque eam ob cauſam inſutum in culeum fuiſſe mari injectum. Equidem Lactantius (*n*) expreſſe teſtatur, Cumanæ Sibyllæ carmina ſuis etiam temporibus extitiſſe, eademque recondita, non ab alio, quam a Quindecimviris inſpici conſueviſſe. Certe non aliunde Cicero (*o*) de Rege venturo Sibyllinum recitat vaticinium, ejuſque interpretationem, quod alites homines ſalvi eſſe non poſſent, niſi eumdem Regem exciperent, ac licet ipſe Reipubl. ſtudioſiſſimus illud ut humanum inventum ad invadendam Rempublicam deteſtetur; quodque ejus rei certum tempus non fuiſſet definitum, eam ad decipiendum dicat adhibitam eſſe latebram obſcuritatis: tamen ipſa adeſſe tempora, ex iiſdem carminibus ore multorum jactari ſolitum; manifeſtum facit. Siquidem Lentulus (*p*) ex iiſdem Sibyllinis carminibus regnum ſibi adſciſcere conatus, Catilinæ ſe junxit: eodemque prætextu (*q*) M. Antonius in Lupercalibus Cæſari coronam Regis impoſuit. Hæc enim jam eſſe præ foribus, ex iiſdem Sibyllinis carminibus cecinit Maro (*r*); ſed neſcius myſteriorum, quæ de Chriſto ex Virgine naſcituro prædicta erant, tribuit magna adulatione Salonino filio Pollionis, ſed de Verbi Incarnatione ea eſſe intelligenda, Conſtantinus Imp. (*s*) adverſus Gentes egregie pro concione diſputavit. Potuit idem Maro ab Hebræis etiam de his aliqua accepiſſe: nam Herodes Rex Judæorum cum Romam venit, ſæpe eodem Pollione (ut ſcribit Joſephus *t*) utebatur hoſpite, Virgilii amiciſſimo.

(h) Lact. li. 4. c. 15.
Cumanæ Sibyllæ carmina haud extincta.
(i) Dion. Halic. li. 4.
(k) Solin. in Polyhiſtor. c. 8.
(l) Plin. lib. 13. c. 13.
(m) Dion. Halic. l. 4. Valerius Max. li. 1. c. 1. 13.
(n) Lact. lib. 1. c. 6.
(o) Cic. de divin. lib. 2.
(p) Luc. Flor. lib. 4. c. 1.
(q) Cic. Philip. 2.
Vaticinia de Chriſto venturo.
(r) Virg. eclo. 4.
(s) Conſt. orat. ad ſanct. cœtum c. 20.
(t) Joſeph. antiq. l. 15. cap. 12.

XXIV. Sic etiam & quod de Chriſto antiquitus prædictum fuerat, ex Judæa venturum Regem, qui ſumma rerum potiretur, rerum ignari ſcriptores (*u*) Veſpaſiano Auguſto eſſe tribuendum putarunt, quod Judæos domuiſſet, atque ex Judæa in Urbem triumphans una cum Tito veniſſet. Id enim Tacitus (*x*) his verbis narrat: *Pluribus perſuaſio inerat, antiquis ſacerdotum litteris contineri, eo ipſo tempore fore, ut valeſceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur: quæ ambages Veſpaſianum ac Titum prædixerant.* Hæc ille. Et Suetonius (*y*): *Percrebuerat*, inquit, *Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu poſtea patuit, prædictum, Judæi ad ſe trahentes, rebellarunt, &c.* Ad hæc etiam de Rege naſcituro ſpectant ea quæ recitat idem Suetonius (*z*) in hæc verba: *Auctor eſt Julius Marathus, ante paucos menſes quam naſceretur Octavius, prodigium Romæ factum publice, quo denun-*

(u) Joſep. de bello Jud. lib. 7. c. 12.
(x) Tacit. Annal. l. 21.
(y) Suet. in Veſpaſ. c. 4.
Oracula male tributa Imperatoribus.
(z) Suet. in Oct. Aug. c. 94.

cia-

Digitized by Google

(a) Dio Rom. hiſt. lib. 37.

(b) Suet. in Oct. c. 5.

tinbatur, Regem populo Romano Naturam parturire: Senatum exterritum cenſuiſſe, ne quis illo anno genitus educaretur. Hæc Suetonius. Quodnam vero fuerit illud prodigium, ſeu prodigia, Dio (a) his verbis narrat: *In Capitolio multæ ſtatuæ de cælo tactæ, liquefactaque fluxerant; dejectaque erant tum alia ſimulacra, tum Jovis columnæ inſiſtens. Praterea imago lupæ cum Remo ac Romulo conſecrata ceciderat: litteræ etiam in columnis, in quibus leges ſcribebantur, confuſa atque oblitterata erant*. Hæc Dio anno ab Urbe condita ſexcenteſimo nonageſimo. Sequenti autem, ſub Conſulatu M. Antonii & Ciceronis (ut tradit Suetonius (b) natus eſt Auguſtus. Jam vero hæc & alia omnia Gentiles, quod neſcirent divinæ diſpenſationis myſterium, Chriſtum Regem venturum, qui idololatriam peſſumdaret atque deſtrueret, ac novas leges præſcriberet, in alium quemvis ſenſum trahentes, interpretabantur.

XXV. Oraculum Delphicum mutum redditum.

(c) Cicer. lib. 2. de divinat.

(d) Arnob. advers. Gent. li. 3.

(e) Suet. in Oct. ca. 94. c. 70. c. 29.

(f) Nic. hiſt. l. 1. c. 17. Suid. in hiſtor. verb. Auguſtus. Cedrenus in comp. hiſt.

Proxime autem ante dicta tempora, illuſtriſſimum, illud, totoque Orbe celeberrimum Apollinis Delphici oraculum occluſum erat, nec ultra uſitata reſponſa dabat, horreſcente dæmone, ut qui optime noſſe poterat mala ſua annunciari non tantum per oracula Sibyllina, ſed & Prophetarum prædictionibus: de quo perbelle hæc Ethnicus orator (c) *Sed*, inquit, *quod caput eſt: cur iſto modo jam oracula Delphis non eduntur, non modo noſtra ætate, ſed jam diu, jam ut nihil poſſit eſſe contemptius? Hoc loco cum urgentur, evanuiſſe aiunt vetuſtate vim loci ejus, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet. De vino aut ſalſamento putes loqui, quæ evaneſcunt vetuſtate*. Hæc Cicero: cui ſi audientes Gentiles fuiſſent, de falſitate ac vanitate deorum (dicam cum Arnobio (d) perorata cauſa fuiſſet. Sed quænam eſſet cauſa tanti ſilentii Apollinis obmuteſcentis, idem Ipſe, licet invitus, aliquando effari coactus eſt. Cum enim Auguſtus Apollinis ſtudioſiſſimus (e) ut qui crederetur Apolline genitus, quique in cœna illa, quæ δωδεκάθεος vulgo dicebatur, pro Apolline ornatus ſolebat accumbere, qui & templum in Palatio erexerat, eidem ſacrificaſſet hecatombem; hæc tandem ab eo reſponſa, ut ferunt (f), elicuit:

Me puer Hebræus divos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abſcedito noſtris.

XXVI. Chriſtus quomodo innotuiſſe Auguſto potuit.

Ad hæc addunt, Auguſtum Romam reverſum, aram in Capitolio erexiſſe hac inſcriptione notatam: ARA PRIMOGENITI DEI. hæc Nicephorus, ac Suidas, quibus cæteri fidem adhibuerunt. Putatur hic ille eſſe locus in Capitolio, e regione rupis Tarpejæ, ubi nobiliſſimum templum antiquitus erat Jovis Capitolini: ſed eo proſtrato, eodem in loco erecta eſt baſilica in memoriam Dei genitricis Mariæ, atque dicta ex cauſa, ARA CÆLI, titulo nuncupata, vel quod ajunt, Dei genitricem Mariam infantem in ulnis habentem, monente Sibylla, ſublimem in aere ab eodem Auguſto illic eſſe conſpectam. Quod tamen ita velim intelligant, qui ei rei majorem fidem adhibendam putant, quam his quæ ex Græcis auctoribus recenſuimus: non quod Sibylla aliqua Auguſti temporibus, quæ illum hæc docuerit, ſuperſtes fuerit: ſiquidem Cumæa, quæ noviſſima omnium fuiſſe traditur, quinquageſima Olimpiade (auctore Solino g) vixit, temporibuſque Tarquinii Regis Romæ fuit: ſed ſic accipiendum, ut ea ipſa Auguſtus a Sibylla, hoc eſt, Sibyllinis carminibus, quæ Sibyllæ nomine citari a majoribus conſueverunt, acceperit; non autem a Sibylla, quaſi adhuc vivente vate, quæ diximus, ei oſtenſa fuerint. Auguſtum namque multum fuiſſe in cognoſcendis, ſcrutandis, expurgandiſque carminibus Sibyllinis; quæ proxime diximus, ſatis ſuperque oſtendunt.

(g) Solin. Poly. hiſt. cap. 8.

XXVII. Signa viſa de Chriſti adventu.

(h) Iſaia 45.

(i) Oroſ. hiſt. lib. 6. c. 18.

Sunt & alia complura, quæ Auguſti Imperatoris temporibus cum accidiſſent, ejuſdem Imperatoris cauſa eſſe facta, Romanarum rerum ſcriptores exiſtimarunt: quæ tamen rerum noſtrarum nobilis hiſtoricus Paulus Oroſius, fuiſſe Chriſti adventus præſagia, ac futurorum bonorum prænuncia, atteſtatur. Sed haud adeo novum, mirumve erit, ſi quæ in Auguſto contigerunt, eadem Chriſti adventus præmonſtrandi cauſa obveniſſe dixerimus: quippe qui ſciamus omnes, eumdem Chriſtum in Cyro Rege Perſarum fuiſſe expreſſum; ut de illo dixerit Dominus: (h) *Aſſimilavi te, & non cognoviſti me*. Si enim ad ſolvendum jugum Judaicæ captivitatis, & populum illum in libertatem vindicandum, atque ad templum reſtituendum Cyrus merito ſubiit perſonam Chriſti: quid inquam, novum aut mirandum, ſi multa quæ in Auguſto vel ſub Auguſto ſunt facta, Chriſti adventum, cum ad redimendum genus humanum, & Eccleſiam excitandam, & erigendam, & cæleſte regnum impartiendum advenit, velut ſignis quibuſdam expreſſerint? Sed ſingula recenſeamus. *Hoc*, inquit Oroſius (i) *commemoraſſe ideo par fuit, ut per omnia venturi Chriſti gratia præparatum Cæſaris Imperium comprobetur. Nam cum primum, Cajo Cæſare avunculo ſuo interfecto, ex Apollonia rediens. Urbem ingrederetur: hora circiter tertia, repente liquido ac puro ſereno circulus ad ſpeciem cæleſtis arcus orbem Solis ambiit: quaſi unum eum ac potiſſimum in hoc mundo, ſolumque clariſſimum in Orbe monſtraret; cujus tempore venturus eſſet,*

qui

qui ipſum Solem ſolus, mundumque totum & feciſſet & regeret. Hæc Oroſius de circulo ambiente Solem a Suetonio (*a*) mutatus. Scribunt eandem Seneca (*b*) Plinius (*c*), Dio, (*d*), & alii. Atque hæc ſub Conſulatu Antonii; anno ab Urbe condita ſeptingenteſimo decimo contigerunt.

(*a*) *Suet. in Oct. c.* 95.
(*b*) *Senec. lib.* 1. *natur. quaeſt. c.* 2.

XXVIII. Alia oſtenſa prodigia.

Addit inſuper Dio, ſequenti anno, Hircio & Panſa Coſſ. viſum Solem intra tres circulos effulgere, quorum unum corona ſpicarum ignita circumdaret: quæ tamen futuri Triumviratus cauſa fuiſſe demonſtrata putavit. Ipſo primo anno Triumviratus, Lepido & Planco Coſſ. tres Soles eſſe viſos, poſt Plinium (*e*), idem Dio (*f*) teſtatur. Anno vero tertio (ut teſtis eſt Euſebius *g*) Romæ e taberna meritoria Tranſtiberim oleum e terra erupit, fluxitque toto die ſine intermiſſione. *Quo ſigno*, inquit Oroſius (*h*) *quid evidentius, quam in diebus Cæſaris toto Orbe regnantis futura Chriſti nativitas declarata eſt? Chriſtus enim unctus interpretatur. Itaque cum eo tempore, quo Cæſari perpetua Tribunicia poteſtas decreta eſt, Romæ fons olei per totum diem defluxit; ſub principatu Cæſaris, Romanoque Imperio per totum diem, hoc eſt, per omne Romani tempus Imperii, Chriſtum, & ex eo Chriſtianos, id eſt unctum, & ex eo unctos, de meritoria taberna, hoc eſt, de hoſpitali largaque Eccleſia affluenter atque inceſſabiliter proceſſuros, &c.* Hæc Oroſius. Meruit locus ille nobiliſſima memoria illuſtrari, Eccleſia nimirum ampliſſima Dei genitricis titulo a Calliſto Pontifice, prima omnium, quarum extet memoria, olim erecta.

(*c*) *Plin. nat. hiſt. libr.* 2. *c.* 28.
(*d*) *Dio hiſt. Rom. li.* 45.
(*e*) *Plin. nat. hiſt. lib.* 2. *c.* 31.
(*f*) *Dio hiſt. Rom. li.* 47.
(*g*) *Euſeb. in chron.*
(*h*) *Oroſ. hiſt. li.* 6. *c.* 20.

XXIX. Judæi Romæ Tranſtiberim habitabant.

Habitabant Auguſti tempore qui erant Romæ Judæi Tranſtiberim (ut auctor eſt Philo (*i*) permiſſi jure majorum vivere: quod & Ethnici ſcriptores teſtantur; unde unus (*k*) ex ipſorum poetis Judæum hominem, Tranſtiberinum ambulatorem, appellat, cum ait:

Hoc quod Tranſtiberinus ambulator,
Qui pallentia ſulphurata fractis
Permutat vitreis.

(*i*) *Philo lib. de leg. ad Cajum.*
(*k*) *Mart. epigr. li.* 1. *in Caelium.*

Sed quamvis viles atque abjecti eſſent: tamen quoniam ex Judæis ſalus ventura erat, regio, ubi degerent, en meruit miraculo illuſtrari. Addit idem Oroſius (*l*) alia id genus multa, quæ ab Auguſto facta, ad ea quæ per Chriſtum eſſent facienda deducit: ut de tabulis debitorum ærarii exuſtis (*m*), de Jano clauſo (*n*) deque Auguſti nomine illi indito octavo Idus Januarii, quo die Chriſtus a Magis colitur Rex Judæorum, vel a Patre & Spiritu ſancto accepit in Jordane de divinitate teſtimonium: ſed in his non immoramur. Corrigendi tamen ex his quæ diximus, ſunt illi, qui inconſulte nimis ea ipſa accidiſſe putarunt ipſo Chriſti Domini noſtri natali die.

(*l*) *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 20. *c.* 22.
(*m*) *Suet. in Oct. c.* 32.
(*n*) *Ibid. c.* 22.

XXX. De Chriſti genealogia.

Venturus itaque in mundum Dei Filius, Verbum Patris, cujus generatio inenarrabilis (*o*), ex genere Abrahæ, ex tribu Juda, & ſtirpe David [1] (quod ante promiſerat, ac ſanctiſſimis viris Deo dignis ſæpius revelaverat) ut ex diſpoſitione divini conſilii fuerat ordinatum, delegit humanam carnem aſſumere, & ſimilis nobis per omnia, abſque peccato, homo fieri. Cujus genealogiam ſummatim (*p*) potius quam gradatim per continuatam ſucceſſionum omnium ſeriem deſcripſerunt Evangeliſtæ, Matthæus (*q*) & Lucas (*r*), ſed diverſo ordine. Unde S. Auguſtinus in hanc ſententiam hæc ait: (*ſ*) *Ideo numerus generationum in Matthæo & Luca diverſus eſt, quia uterque ſub diverſa Chriſti perſona diverſam texit genealogiam. Matthæus quidem, quia regiam in Chriſto perſonam inſtituerat inſinuare, naturales Chriſti ex Regibus Judæorum generationes numerat. Lucas vero ſacerdotalem in Chriſto perſonam oſtendere volens, generationes adoptiones Chriſti percurrit.* Hæc ille pluribus: eadem ante ipſum Hilarius (*t*), & poſtea Julianus Toletanus (*u*), & alii. Cujus rei illud eſt argumentum, quod Matthæus per Salomonem, Lucas vero per Nathan ejuſdem Chriſti genealogiam deſcribit: ſicque admirabili quadam conſenſione, utriuſque unctionis myſterium, regni ſcilicet ac ſacerdotii, in una eademque perſona Chriſti, qui regnum acciperet & ſacerdotium, ac regale ſacerdotium, inſtitueret, ſimul jungerent.

(*o*) *Iſai.* 53.
(*p*) *Epiph. in compend.*
(*q*) *Matt.* 1.
(*r*) *Luc.* 3.
(*ſ*) *Aug. de conſenſu Evang. lib.* 2. *c.* 3. 4.
(*t*) *Hilar. can.* 1. *in Evang. Matth.*
(*u*) *Jul. contr. Jud. lib.* 3.

XXXI. Chriſtus ex ſtirpe Davidica.

Quod pertinet ad Davidicam ſtirpem; ex ea progenitam eſſe ſanctiſſimam Dei genitricem Mariam, apud omnes Catholicos in confeſſo eſt, id Prophetis (*x*), Angelis (*y*), Evangeliſtis (*z*) teſtantibus, id ipſum denique Judæis impiis confitentibus. Cum enim Chriſtum ſecundum carnem eſſe filium David, ipſumque ex beatiſſima Deipara humanam carnem ſumpſiſſe, omnes quotquot unquam fuerunt Catholici ſint profeſſi; plane & eamdem ex Davidico ſtemmate eſſe progenitam, neceſſe eſt affirmare. Confirmant ſtabiliuntque hac etiam ratione hoc idem Evangeliſtæ, dum texentes Chriſti genealogiam, Joſeph virum Mariæ e regia Davidis ſtirpe originem ducere demonſtrant.

Cum

(*x*) *Iſai.* 9. *Pſ.* 86. 131. *Hier.* 33. *& alii.*
(*y*) *Matt.* 1. *Luc. c.* 1.
(*z*) *Matt. c.* 1. *Luc.* 13. *Matt.* 21. *Marc.* 11.

NOTÆ

[1] EX *tribu Juda & ſtirpe David &c.* Innumeri de genealogia Chriſti Domini ſcripſere, nos eorum aliquos, qui jure cæteris inſigniores nobis videntur, indigitabimus, nempe Jacobum Salianum, Petavium in Animadverſionibus ad Epiphanium pag. 10. Petrum Poſſinum in Diallactico Theogenealogico, poſt primam Græcorum Patrum in Matthæum Catenam, & Bollandiano ſocios tom. III. Actorum menſis Martii, pag. 9. & ſequentibus, & in Propylæo pag. 31. & ſequentibus.

Cum certum exploratumque habeatur, nec feminæ alterius tribus virum, nec viro alterius tribus feminam ſibi matrimonio jungere licuiſſe, id jubente divina Scriptura (*a*), atque dicente: *Nubant quibus volunt tantum ut ſuæ tribus hominibus; ne commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſrael de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione ſua: & cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient, ut hereditas permaneat in familiis, nec ſibi miſceantur tribus, ſed ita maneant, ut a Deo ſeparatæ ſunt.* Hæc lex divina. Deducentes itaque Evangeliſtæ genus Joſeph ex David perinde eſt, ac ſi ea eodem principio Mariæ proſapiam derivarent. Sed cur non potius Mariæ quam Joſeph genealogias deſcripſerint: ea ſuppetit certa ratio, quod cum genealogiæ deſcriberentur in publicis chartis; virorum, & non mulierum ſeries texebatur: id cum innumeri fere ſanctorum Patrum affirment; ex Joſepho (*b*) Judæo hiſtorico, in his quæ ſcripſit adverſus Apionem, parvo negotio confirmatur, dum ait: *Mittunt enim Hieroſolymam conſcribentes a patre nomen nuptæ, & antiquorum progenitorum, &c.* Hæc ille de antiquis libris agens, in quibus genealogias conſcriptas Hieroſolymis ſumma diligentia aſſervabant. Atque de his ſatis, quæ ad progeniem David facere videbantur.

(*a*) *Numer. ult.*

(*b*) *Joſeph. cont. Apion. l. 1.*

XXXII. Jam autem quod ad ſtirpem ſacerdotalem attinet: communis eſt ſanctorum Patrum conſenſus, Dei genitricem Mariam eo genere natam: cognatione quoque tunc temporis conjunctam fuiſſe generi ſacerdotali liquet teſtificatione Lucæ (*c*) Evangeliſtæ, Angelo apud eum ita loquente Mariæ: *Ecce Elizabeth cognata tua*, &c. Cujus vero ſtirpis illa eſſet, quæ cognata Mariæ dicitur, antea idem Evangeliſta declarat, cum dicit: Uxor illius, *nempe Zachariæ*, de filiabus Aaron. Licet cognatæ nomen genericum apud Hebræos fuerit, ſecundum illud Apoſtoli de Judæis loquentis (*d*): Qui ſunt cognati mei ſecundum carnem; juxta quem ſenſum ſcio S. Ambroſ. (*e*) ejus fuiſſe ſententiæ, ut dixerit beatam Elizabeth æque ac Mariam Deiparam de Tribu Juda progenitam: qui quidem etſi in cæteris, utpote excellens doctrina ac pietate Pater, divini inſtar oraculi mihi habendus ſit; in hoc tamen ei minime inhærendum, neque e communi omnium tum Latinorum, tum etiam Græcorum ſenſu & conſenſu eſſe recedendum putavi: cum præſertim allata ab eo ratio de civitate Juda, nimirum quod cum dicat idem S. Evangeliſta eam habitaſſe in civitate Juda, ex hoc inferri debeat, fuiſſe de tribu Juda, non adeo ſolida & firma ſit; cum conſtet ex divina Scriptura (*f*), Leviticæ tribui quadraginta octo civitates non ſeorſum poſitas, ſed inter alias tribus collocatas divina fuiſſe voluntate tributas: & illam ipſam civitatem Juda, de qua eſt ſermo, in qua Zacharias cum Elizabeth habitabat, extitiſſe unam ex illis civitatibus ſacerdotalibus, dictam nomine Chebron, in Montanis Judeæ, ſuo loco inferius demonſtratur. Dicimus ergo cum S. Auguſtino (*g*) id ſæpe teſtante & adverſus hæreticos validius inculcante, & cum reliquis Latinis atque Græcis Doctoribus, Elizabeth fuiſſe ex tribu Levitica, cujus cognatione cum Dei genitrice, Salvatorem noſtrum ſicut ex tribu Juda, ita ex Levitica, & ſicuti ex regie ſtirpe, ita ex genere ſacerdotali deſcendere. Ex quibus intelligas admiſceri ſolitam ſtirpem regiam cum genere ſacerdotali. Nec eſt quod quis objiciat de tribubus non miſcendis ea divina lege ſuperius recitata. Nam primo dicimus peculiariter ſacerdotali tribui eſſe conceſſum (*h*), ut cum regia ſtirpe poſſet inire nuptias: in exemplum adducentes Aaron (*i*), qui de tribu Juda Elizabeth filiam Aminadab, ſororem illius Naaſon, qui tribus Judæ tunc princeps & duxerat, accepit: addunt & de Jojada Pontifice maximo (*k*), qui filiam Joram Regis Judæ, ſororem Ochoziæ, nomine Joſabeth, duxit in uxorem. His Patres omnes qui hæc tractant, ne laboremus ſingulos enumerare, aſſentiuntur.

Ex genere etiam Sacerdotali Chriſtus.

(*c*) *Luc. 1.*

(*d*) *Rom. 9.*

(*e*) *Amb. in Luc. c. 3.*

(*f*) *Joſ. 21.*

(*g*) *Aug. in Jud. q. li. 7. 9. 77. De conſenſ. Evang. l. 2. c. 3. lib. oct. q. 9. 61.*

(*h*) *Epiph. hæreſ. 78. & alii eum ſecuti.*

(*i*) *Exod. 6.*

(*k*) *2. Paral. 22.*

XXXIII. At his addimus, quæ de connubiis ſacerdotum ſcribit Philo (*l*) Judæus vir diſertiſſimus, qui res Judaicas præ cæteris calluit: in libro enim, quem ſcripſit de Monarchia, hæc ait, loquens de ſummo Pontifice: *Quin & de genere futurarum uxorum diligenter præſcribitur, ut Pontifex ſpondeatur non ſolum virgo, ſed ſacerdotalis generis, ut ſponſus ſponſaque gentiles ſint, & quodammodo conſanguinei, quo magis per totam vitam moribus conveniant. Cæteris conceditur, ut quamvis ipſi ſacerdotes ſint, poſſint tamen ducere non ſacerdotum filias: ſive quod levè ſit hoc piaculum, ſive quod non expediat plebem in totum ſubmoverè a ſacerdotum affinitatibus. Ideo licitum eſt ſacerdotibus hujuſmodi connubium, ut cognationi proximum: nam generi loco filiorum ſunt ſoceris, & hi loco parentum ſunt generis.* Hæc de conjugio & cura procreandi liberos Philo, ſecundum eam quæ ſuo tempore vigebat apud Judæos conſuetudinem. Porro Chriſti ſæculo vixiſſe Philonem, ex ſuis ipſius ſcriptis liquido apparet. Ex his igitur cum demonſtratum ſit, excepto ſummo Pontifice, cui incundum eſſet conjugium cum ſtirpe ſua reliquis ſacerdotibus licuiſſe uxorem ducere ex cæteris tribubus: quantumlibet de Zacharia conſtet (*m*), ex filiabus Aaron accepiſſe uxorem Elizabeth: non tamen dicimus fuiſſe ſummum Pontificem, ſed potius unum ex ſacerdotibus de vice Abia: quam quidem ſententiam paulo inferius firmiſſimis probatam at-

(*l*) *Philo l. 2. de Monarchia.*

De connubiis Sacerdotalibus.

(*m*) *Luc. 1.*

atteſtatamque rationibus oſtendemus.

XXXIV. De nomine Heli dubitatio.

Sed quod ad Chriſti genealogiam per Evangeliſtas monumentis & litteris commiſſam ſpectat; non eſt quod quis adeo miretur, ſi quem Matthæus nominat Jacob, parentem Joſeph, Lucas eumdem appellet Heli. Vetus dubitatio, & antiqua eſt iſta quæſtio, de qua Africanus Theologorum antiquiſſimus æque ac diſertiſſimus, in epiſtola, quam ſcripſit ad Ariſtidem (*a*), longam de Chriſti genealogie diſputationem inſerens, hæc habet in fine: *Uterini*, inquit, *erant fratres Heli & Jacob: Heli abſque prole decedente, Jacob illi ſemen ſuſcitavit, & genuit Joſeph, qui natura filius ejus erat, lege vero Heli: ita utriuſque filius erat Joſeph.* Hæc Africanus: cui Hieronymus (*b*) ac cæteri antiquorum Patrum miro conſenſione adſtipulati ſunt; quibus & nos magis tribuimus, quam recentioribus (*c*) quibuſdam, qui Heli eumdem putant eſſe & Joachim dictum, ac patrem Virginis Mariæ, ſocerum Joſeph, patremque ejus, quod (ſicut diximus ex Philone) generi loco filiorum haberentur: quamvis liber inſcriptus, Philo de Temporibus, teſtetur, penes Aſſyrios & Ægyptios Heli, Heliachim, & Joachim eſſe ſynonyma. Iſta ſunt, quæ de Chriſti genealogie ad veritatem hiſtoricam pertinere exiſtimamus: cætera interpretibus relinquentes, memores inſtituti, nos non horum, ſed hiſtoricorum fungi munere.

(*a*) *Apud Euſeb. hiſt. lib. 1. c. 9.*

(*b*) *Hier. in Matth. 1. & alii.*

(*c*) *Lucid. de emendat. temp. & alii eum ſecuti.*

XXXV. De Chriſti genealogia mendacia refelluntur.

Ex his dictis refelluntur, quæ impius Julianus Apoſtata (*d*) in Chriſtum tam falſo, quam impudenter effutiit, ipſum non eſſe ex tribu Juda progenitum; & quæ ejuſdem impietatis farinæ Fauſtus Manichæus (*e*) delirans dixit, Dei genitricem Mariam ex tribu Levi originem ducere. Sed neque illud omittendum, olim Gnoſticos (quod & proxime dicturi ſumus) portentoſam librum quemdam confinxiſſe de ſtirpe Mariæ: in quos ſummo jure acerrime S. Epiphanius (*f*) invehitur. Ad hæc inſuper dicimus, Judæos rebus Chriſtianorum infenſiſſimos de Chriſti genealogia multa ſolitos aſſe garrire; cujus rei exemplum Hieronymus (*g*) narrat his verbis: *Audivi ego quemdam de Hebræis, qui ſe Romæ in Chriſtum crediſſe ſimulabat, de genealogiis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ ſcripta ſunt in Matthæo & Luca, facere quæſtionem: quod videlicet a Salomone uſque ad Joſeph, nec numero ſibi, nec vocabulorum æqualitate conſentiunt: qui cum corda ſimplicium perverſiſſet, quaſi ex adytis & oraculo deferebat quaſdam, ut ſibi videbatur, ſolutiones, &c.*

(*d*) *Apud Cyrill. Alex. lib. 1. contr. Jul.*

(*e*) *Apud Aug. contr. Fauſtum l. 23. c. 9.*

(*f*) *Epiph. hæreſ. 26*

(*g*) *Hier. commentar. in epiſt. ad Tit. lib. 1. cap. 3.*

XXXVI. De Theodoſii Judæi impoſtura.

Sed parva ſunt hæc, ſi cum cæteris conferantur, quæ Theodoſius Judæorum princeps temporibus Juſtiniani Imperatoris, de ſacerdotum genealogia, & Chriſti ſacerdotio effinxit, multoſque decepit. Quam quidem impoſturam a Suida (*h*) recitatam, ac nimis temere comprobatam, cum ab omnibus impugnetur, contineatque aperta mendacia Evangelicæ veritati palam obviantia, confutare omittimus. Unum tantum evertemus fundamentum, ſuper quo tota fabula innititur, dum viginti duos tantum ſacerdotes in templo miniſtraſſe hiſtoria tradit: nam Joſephus (*i*) Judæus, qui illis fere vixit temporibus, de numero ſacerdotum longe aliter ſenſit ac teſtatur: nimirum vigintiquatuor fuiſſe ſacerdotum vices, quarum ſingulæ habebant hominum pluſquam quinque millia, qui ſtatis diebus miniſtrarent in templo. Sane quidem ad ſeptingentos ſacerdotes miniſtrare quotidie in templo ſolitos eſſe cædendo victimas, inſuper & ingentem fuiſſe multitudinem offerentium libamina, tradit Ariſteas in hiſtoria quam ſcripſit de Septuagintaduobus interpretibus. Verum quod ſpectat ad prædictam fabulam; non fuit novum inventum prædicti Theodoſii, quod ſcribit de obſtetrice Deiparæ virginitatis exploratrice. Nam Clemens Alexandrinus ſeptimo Stromatum teſtatur hæc eadem a quibuſdam ſuo tempore jactari: ſed hæc ex apocryphorum inſomniis.

(*h*) *Suid. in hiſtor. verb. Jeſus Chriſtus.*

(*i*) *Joſeph. libr. 2. contra Appion. & in vita ſua in princip.*

XXXVII.

Quomodo autem codices de genealogiis Judæorum conſcripti, Herodis Regis juſſu periclitati ſint, Euſebius (*k*) hunc in modum rem geſtam conſcribit: *Cum*, inquit, *familiæ, non Hebræorum ſolum, verum etiam eorum qui uſque ad proſelytos genus ſuum referebant, ut ad Achior Amanitem, & Ruth Moabitidem, qui ex Egypto elapſi, commiſcebantur cum Iſraelitis, ad illud tempus ſcriptis proditæ, in tabulariis ſervarentur: Herodes, quoniam illorum ſtirpem nihil ad ſe pertinere, nihilque ad ſuam dignitatem illuſtrandam afferre adjumenti animadvertebat, ſuæ ignobilitatis & obſcuri generis conſcientia exagitatus, annales illos de genere & familiarum antiquitate incendit: arbitratus ſe nobilem viſum iri, cum nemo ſuum genus ex publicis illis monumentis depromptum, ad Patriarchas, vel ad proſelytos, vel ad eos qui γειώραι, id eſt, terræ incolæ, qui cum Iſraelitis permiſcebantur, vocati ſunt, omnino poſſet reducere. Erant tamen nonnulli antiquitatis replicandæ ſtudioſi, qui nomina avitæ ſtirpis vel tenentes memoria, vel ex ſcriptis annalibus promentes, privatim ſibi indices eorum conſciebant: magnopereque propterea gloriabantur quod ipſorum nobilitas ita foret ad poſteritatem reſervata. Inter quos erant, tum qui propter generis cognationem, quo Chriſto Salvatori conjungebantur, ex Domini tribu & familia orte, δεσπόσυνοι nuncupati ſunt: tum qui ex Nazaris & Cochaba Judæorum pagis prognati, in reliquas Judææ partes commearunt; iſtamque genealogiam a nobis ſu-*

(*k*) *Euſeb. lib. 1. c. 7.*

pra

Digitized by Google

pra commemoratam, ab Evangeliſtis conſcriptam, partim ex libro annalium, ſive dierum, ſumentes, partim complectentes memoria, aperte, quoad poterant, explanarunt, &c. Hæc Euſebius: quibus plane contraria, quod ſaltem ad genus ſpectat ſacerdotale, ſcribit Joſephus (*a*), dum agens contra Apionem, inviolatas duorum millium annorum apud Judæos remanere ſacerdotum genealogias, eaſdemque ex antiquis libris iterum novas eſſe deſcriptas dicit. Sane quidem, quod pertinet ad genus David, magna inceſſit Domitianum Imperatorem libido, ut de ea ſtirpe, ſi qui ſupereſſent, mandaret inquiri, ut omnes e medio tolleret, quod verus fama eſſet, ex eo genere naſciturum Regem, qui cunctis gentibus dominaretur. Scribit hæc Hegeſippus (*b*), & nos de his ſuo loco pluribus acturi ſumus inferius. Jam cætera, quæ præceſſerunt Chriſti Salvatoris adventum, ex inſtituto proſequamur, atque in primis de Dei genitricis parentibus, ejuſdemque cælo terraque celeberrimo natali.

(a) Joſeph. lib. 1. contra Apionem.

(b) Apud Euſeb. lib. 3. cap. 15.

XXXVIII. De ſanctiſſimæ Dei Genitricis parentibus.

Satis ſibi eſſe putarunt Evangeliſtæ, quod promiſſum patribus antiquitus erat, Dei Filium unigenitum ex genere Abrahæ, ex tribu Juda, progenie David, atque ex ipſa ſanctiſſima Virgine Maria, ſecundum inſcrutabile divinum conſilium, humanam ſibi ſumpſiſſe carnem, teſtatum relinquere, ad ipſius Chriſti facta, cujus cauſa opus ſuſceperant, enarranda, tantum intenti. Cæterum non adeo obſcura remanſit de Mariæ parentibus hiſtoria, quam tum ſcriptis, tum etiam traditionibus conſignatam fuiſſe, auctor eſt Epiphanius (*c*), dum ait. *Tametſi enim hiſtoria Mariæ, & traditiones habent, quod dictum eſt patri ipſius Joachim in deſerto: Uxor tua concepit: tamen non quod ſine conjugio hoc factum, neque ſine ſemine viri, &c.* Porro integra ipſa hiſtoria excidiſſe videtur, ex eaque tantummodo hinc inde ſparſa remanſiſſe fragmenta: quæ etſi deeſſent, ſatis eſſe deberet piis hominibus ipſa traditio, cujus idem meminit Epiphanius. *Quod enim*, inquit Auguſtinus (*d*), *univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt: nonniſi Apoſtolica auctoritate traditum, rectiſſime creditur.* Quod igitur Orientalis, quod Occidentalis ſemper prædicavit Eccleſia, in dubium uſque adeo revocare, ſummæ eſſe dementiæ, non eſt qui non ſatis intelligat.

(c) Epiph. advers. Collyrid. hæreſ. 79.

(d) Aug. de bapt. contr. Donatiſ. lib. 4. c. 24.

XXXIX. Refelluntur commenticia de genere S. Mariæ.

Nos interim ſpuriis, quæ de parentibus ſanctiſſimæ Deiparæ aliquando fuere ſcripta, rejectis, quæ de vera hiſtoria ſuperſunt fragmenta colligentes, ac ea ſimul jungentes, ut licuerit, contexemus. Execrandum (quod diximus) de ſtirpe Mariæ olim a Gnoſticis, ſceleſtiſſimis omnium hæreticorum, fuiſſe excogitatum figmentum, Epiphanius (*e*) adverſus ipſos agens, teſtis eſt, dum his utitur verbis: *Stirpem quoque Mariæ, librum quemdam eſſe dicunt, in quo horrenda quædam ac perniciaſa exprimentes referunt, &c.* Moxque ſubdit fabulam ex eodem libro petitam, de homine formam aſini habente, qui Zachariæ in templo thus adolenti apparuit. Ejuſdem quoque argumenti de Mariæ ortu a Seleuco Manichæo inſana ac deliraquædam eſſe commenta, incertus auctor, (*f*) licet Hieronymus hactenus exiſtimatus fuerit, ejuſque nomine opus illud editum reperiatur, affirmat, ac jure quidem. Non enim aliunde Fauſtus (*g*), & ipſe Manichæus, ſuos quos ſcripſit, mutuatus videtur errores de Maria Virgine, quod fuerit ex Levitica ſtirpe, quam a Seleuco conſodali, egregio mendaciorum concinnatore, qui & de Apoſtolorum rebus veritati pugnantia multa habuit: nominat vero eum S. Auguſtinus (*h*) Leucium, quem procul rejicit. Ejuſdem generis & exiſtimationis habentur, quæ ex pſeudoevangelio Jacobo attributo leguntur, quæ a noſtris chartis procul repellimus. Proferunt etiam nonnulli (*i*) ex antiquo Rabbino, nomine Hæccados, ſummæ apud Judæos auctoritatis viro, hiſtoriam quamdam de parentibus Virginis, ejuſque natali, prophetice ſcriptam ad quemdam Antoninum Romanum Conſulem: ſed cum ante Chriſti adventum nullus ejus nominis reperiatur Conſul Faſtis adſcriptus; eam eſſe commenticiam, facile exiſtimamus, ſicut & alia id genus, quæ referre omittimus.

(e) Epiph. advers. Gnoſt. hæreſ. 26.

(f) Apud Hier. tom. 9. lib. de Nat. S. Mariæ.

(g) Apud Aug. contra Fauſt. lib. 23. c. 9.

(h) Aug. lib. de fide contr. Manich. c. 38.

(i) Galatin. lib. revelat. arcan. & alii eum ſecuti.

XL. Magna quidem & per omnia admiranda, quæ nec verbis ſatis digne perſequi alii poſſint, præceſſiſſe natalem Dei genitricis Mariæ, non puto adeo anguſti pectoris & emotæ mentis reperiri hominem, qui non intelligat; ſi mente revolvat, atque animo expendat, tot tantaque ſervis Dei ante ipſorum ortum impartita divinitus privilegia. Quis enim apud ſe repetens, quæ Sampſonis, Samuelis, Hieremiæ, & Joannis Baptiſtæ natalitia præceſſerunt, mox non firmiter credat, non tantum illis non caruiſſe Dei genitricem Mariam, ſed longe amplioribus, auguſtioribuſque ornatam, auctamque eſſe muneribus? ac quis abjecte nimis, atque adeo humiliter de Deo ſentiens, eum plura atque majora largitum eſſe ſervis quam matri, & amico ſponſi quam ſponſæ, mente captus dixerit? Sed jam quid de his a Patribus ſcriptum reperiatur, adducamus in medium.

XLI. De Sancta Anna Matre S. Mariæ.

De S. Anna, Dei genitricis matre, ejuſque ſororibus earumdemque ſobole, hæc Hippolytus (*h*) martyr: *Tres fuere ſorores Bethlehemiticæ, filiæ Mathan ſacerdotis, & Mariæ conjugis ejus, ſub Cleopatra & Caſopare Perſæ regno, ante Herodis Antipatris filii regnum: prima Maria, ſecunda Sobe, tertia Anna,*

(h) Apud Niceph. li. 2. c. 3.

næ, nomen erat. Nupſit prima in Bethlehem Maria, & peperit Salomen obſtetricem: Nupſit quoque ſecunda itidem in Bethlehem, Sobe, & genuit Elizabeth: Nupſit poſtremo & tertia Anna in terra Galilææ, & protulit Mariam Dei genitricem, ex qua nobis natus eſt Chriſtus. Hæc Hyppolytus. Ex his & aliis refellitur illorum ſententia, qui dixerunt S. Annam tertio nuptam, & ſingulas ex ſingulis viris genuiſſe filias; vel eorum, qui conati ſunt aſſerere, ex eodem viro Joachim tres peperiſſe filias, nulla alia adducti ratione, niſi quod in Evangelio (*a*) mentio habeatur de ejuſdem Dei genitricis ſorore Maria Cleophæ; eamdemque putarunt progenitam Salome, cujus meminit Marcus (*b*) Sed cum de his alii aliter ſenſerint, penes prudentem lectorem ſit judicium. Nam ſi, cum in divinis Scripturis ſorores nominatas invenerint, velint hi germanas intelligere, in portentoſos eos labi errores neceſſe eſt; cum apud Matthæum (*c*), & Marcum (*d*), Chriſti ſorores & fratres nominentur, dicentibus concivibus ſuis: *Nonne & ſorores ejus apud nos ſunt?* Quas quidem nullus umquam Catholicus ex Deipara Virgine natas, ut horrendum nefas, vel cogitare præſumpſerit. Porro fratrum & ſororum nomine, ſæpe in divinis Scripturis cognatos & propinquos intelligi, apertiſſimum eſt: nec enim quis dixerit eſſe mentitum Abraham, cum Saram uxorem ſororis nomine nuncupavit. Univiram vero fuiſſe Annam, nec poſt obduratam ſterilitatem, ex voto conceptam, repromiſſione obtentum, ſusceptamque in ſenectute filium, alios noviſſe partus, tam veteres quam recentiores Orthodoxi Patres ſunt profeſſi.

(*a*) Joan. 19.
(*b*) Matt. 15.
(*c*) Matt. 13.
(*d*) Marc. 6.

XLII. Sed et ad rem redeamus: præter illa quæ de S. Annæ genere ex Hippolyto recitavimus, Germanus Epiſcopus Conſtantinopolitanus hæc de ejus ſtirpe ſummatim colligens, eam natam eſſe dicit ex genere ſacerdotali, tribu Aaronica, radice prophetica, & regia David & Salomonis, & eorum qui deinceps fuere. Quod ad Joachim ejus viri ſpectat genealogiam, S. Joannes Damaſcenus (*e*) his verbis eam nobis teſtatum reliquit: *Ex ſtirpe David, Levi genuit Melchi & Pantheren: Panther autem genuit Barpantheren; nam ita vocabatur: Barpanther rurſum genuit Joachim: Joachim denique genuit ſanctam Dei genitricem.* Hæc quo ad ſtirpem Joachim. At Epiphanius (*f*) Jacob cognominatum fuiſſe Pantheren, genitum patre Panthere, & ex prædicto Jacob genitum Joſeph eſſe vult. Iterum autem Joannes Damaſcenus addit hæc de genere Joſeph: *Rurſus ex ſtirpe Salomonis filii David, ex uxore ſua Mathan genuit Jacob. Mortuo autem Mathan, Melchi ex tribu Nathan, filius Levi, ac frater Pantheris uxorem ipſius Mathan, quæ etiam Jacobi mater erat, ſibi matrimonio copulavit, atque ex ea genuit Heli. Ita uterini fratres erant Jacob & Heli, ille nimirum ex tribu Salomonis, hic ex tribu Nathan oriundus. Porro Heli, qui ex tribu Nathan erat, nullis liberis ſuſceptis e vita migravit: ea de cauſa Jacob ipſius frater ſemen excitavit, ac Joſeph progenuit. Joſeph quidem natura filius Jacob erat a Salomone oriundus: legis autem ratione patrem habebat Heli, ex Nathan provenientem. Quæ cum ita ſint, Joachim ſelectiſſimam illam, ac ſummis laudibus dignam mulierem Annam matrimonio ſibi copulavit. Verum quemadmodum priſca illa Anna cum ſterilitatis morbo laboraret, per orationem ac promiſſionem Samuelem procreavit; eo modo hæc etiam per obſecrationem & promiſſionem Dei genitricem a Deo accepit; ut ne hic quidem cuiquam ex illuſtribus matronis cederet. Itaque gratia (nam & id ſonat Annæ vocabulum) Dominam parit; id enim Mariæ nomine ſignificatur.* Hæc Damaſcenus.

De Joachim Annæ marito.
(*e*) Joan. Damaſc. de fide Orthod. lib. 4. c. 15.
(*f*) Epiph. hæreſ. 78. adverſ. Antidicomar.

XLIII. Sed melius ac dilucidius Epiphanius (*g*), qui claruit temporibus Conſtantii Imperatoris: agens quippe adverſus Collyridianos hæreticos, qui Dei genitricem Mariam humanæ naturæ prorſus expertem, ac divinæ tantum participem fuiſſe dicebant, ad illos convincendos hæc ait: *Genita eſt ab Anna: & ex Joachim donata eſt Annæ: quæ & per preces & omnem diligentiam, ſecundum promiſſionem patri ac matri data eſt: non tamen aliter genita præter humanam naturam, ſed ſicut omnes, ex ſemine viri, & utero mulieris. Tametſi enim hiſtoria Mariæ traditiones habent, quod dictum eſt patri ipſius Joachim in deſerto: uxor tua concepit: tamen non quod ſine conjugio hoc factum, neque ſine ſemine viri, ſed futurum Angelus miſſus prævaticinatus eſt, ut ne qua hæſitatio fieret propter id quod in veritate factum eſt, & jam ex Deo ordinatum, & juſto promiſſum.* Hæc Epiphanius Judaicarum rerum antiquarum accuratiſſimus inveſtigator, probatuſque aſſertor.

(*g*) Epiph. hæreſ. 9. adverſ. Collyrid.
Progenies Mariæ.

XLIV. Gregorius vero Nyſſenus (*h*), qui licet ætate junior, eodem tamen ſæculo claruit, rem geſtam hiſce deſcribit: *Audivi, inquit, arcanam & occultam quamdam hiſtoriam; tales de ea prodentem narrationes. Inſignis quidam in illa exacta ſecundum legem vivendi ratione, & nobilis propter ſummam virtutem pater Virginis erat: ſed expers ſobolis conſeneſcebat, propterea quod conjux ejus ad liberorum procreationem apta non eſſet: habebatur autem matribus a lege quidam honor, cujus honoris ſteriles participes non erant. Imitatur igitur hæc quoque ea, quæ de matre Samuelis narrantur; & Sanctum ſanctorum ingreſſa, ſupplicat Deo, ne legum beneficio privetur, quæ nihil in legem peccaſſet, ſed ut mater fieret, ac Deo, quod gigneretur, conſecraret: confir-*

(*h*) Greg. Nyſſ. orat. in nat. Domini.
De eadem S. Anna.

Digitized by Google

firmate autem nutu divino, donum quod petiit accepit. Cum autem nata eſſet puella, nomen quidem impoſuit ei Mariam, ut etiam per nomen impoſitum, divinitus datum munus ſignificaretur. Hæc de his, quæ ad natale Virginis ſpectant Nyſſenus: de cæteris autem quæ ſubdit, agemus inferius: eadem cæteri Patres, qui de ea tractationem inſtituerunt. Nec innititur inſcriptioni illi, quæ Hactenus Hieronymi (*a*) nomine ad Cromatium & Heliodorum ſcripta vulgata eſt: nam licet in ea complura veritate conſtantia conſcripta reperiantur, quæ a dictis auctoribus ſibi vendicent auctoritatem & fidem; tamen non tantum eam Hieronymi non eſſe diximus, ſed auctoris plane ut ignoti, ſic prorſus imperiti, qui in ea condenda & conſcribenda non novit aperta vitare mendacia, dum ait illis temporibus, quibus ea acciderunt, fuiſſe Iſachar ſummum Pontificem: cum clarius ipſa luce habeatur notum, tunc temporis poſt Hyrcanum Ananelo ab Herode traditum Pontificium, inde Ariſtobulo, & iterum Ananelo, Jeſu Fabeti poſt eum, inde Simoni, Anano poſtea, ac demum cæteris, quos per ſucceſſionem Joſephus (*b*) ſingulatim recenſet; inter quos, uſque ad cladem Hieroſolymorum per Titum illatam, nullus ejus nominis reperitur inſtitutus Pontifex.

(*a*) *Apud Hier. t. 9.*

(*b*) *Joſeph. ant. l. 15. 16. 17. & de bel. Jud. l. 1. & ſeq.*

XLV. Sed ad Epiphanium redeamus, qui unus inſtar omnium nobis eſt: hic in luculenta oratione illa, quam habuit de laudibus Mariæ Virginis (*c*), hæc de ejus parentibus atque natali: *Hujus*, ait, *parentes fuerunt Joachim & Anna, qui quidem in vita ſua Deo placuerunt, atque etiam fructum hujuſmodi germinarunt, ſanctam Virginem Mariam, templum ſimul & matrem Dei. Joachim porro, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palam ſacrificium laudis offerebant. Joachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum ſit templum Domini, nempe Virgo. Anna rurſum ſimiliter gratia interpretatur, propterea quod Joachim & Anna gratiam acceperant, ut accedentibus precibus, talem fructum germinarent, ſanctam Virginem adepti: Joachim ſiquidem precabatur in monte, Anna in horto ſuo. Anna vero gravida effecta, cælum & thronum Cherubicum peperit ſanctam puellam Mariam. Illa enim reperitur eſſe cælum, templum, & thronus: quia Mariam interpretari ſolemus Dominam, &c.* Plura id genus habet Joannes Damaſcenus, Andreas Cretenſis, Germanus Epiſcopus, & alii recentiores. Sed in his, ad rerum geſtarum ſeriem enarrandam intenti, non immoramur.

(*c*) *Extat. tom. 7. Biblioth. ſanct. a Mar. collect.*

XLVI. Verum antea monemus, ne alicui inferat ſcrupulum, ſi Auguſtinus (*d*) agens contra Fauſtum Manichæum, excipiat non eſſe canonicum librum illum, quem in teſtimonium adducebat de Joachim, quod eſſet ex tribu Levi ſacerdos, & non ex tribu Juda: nam illum plane diverſum eſſe ab his, quæ de eodem ſunt ſuperius enarrata, liquido conſtat. Sed audiamus verba ipſius: *Quod de generatione Mariæ Fauſtus poſuit, quod patrem habuerit ex tribu Levi ſacerdotem quemdam nomine Joachim: quia canonicum non eſt, non me conſtringit: ſed etiam ſi hoc crederem, ipſum potius Joachim dicerem aliquo modo ad David ſanguinem pertinuiſſe, & aliquo modo ex tribu Juda in tribum Levi fuiſſe adoptatum, &c.* Hæc & alia ibi Auguſtinus, excipiens de libro non canonico, ut ſic eludat Fauſti argumentationem, ne aliquo modo cogeretur aſſerere non ex David, ſed tribu *Levi* deſcendiſſe Mariam, quod ille amens nitebatur aſtruere. Jam vero reliquum eſt, ut cognitis his quæ præceſſerunt natalem Dei genitricis Mariæ; quo potiſſimum ipſa nata ſit anno, certis quibus licet argumentis inveſtigemus.

(*d*) *Aug. contra Fauſt. lib. 23. c. 8.*

XLVII. Si fidem adhibendam eſſe putamus Nicephoro (*e*) dum ex Evodio Epiſcopo Antiocheno Apoſtolorum ſucceſſore fragmentum, quod recitat, ſe accepiſſe dicit ex ejus epiſtola quadam, cui titulus, *Lumen*, inſcribebatur: perfacile erit annum natalis Dei genitricis Faſti adſcribere: quippe qui teſtetur anno decimo quinto ſuæ ætatis eam Chriſtum Dominum peperiſſe. Reddam ipſa verba, quæ Evodii eſſe dicit: *Tremula*, inquit, *cum eſſet, in templum præſentata, ibi in Sanctis ſanctorum traduxit annos undecim: deinde vero ſacerdotum manibus Joſeph ad cuſtodiam eſt tradita; apud quem cum menſes peregiſſet quatuor, ab Angelo lætum illud accepit nuncium. Peperit autem hujus mundo lucem, annum agens quintumdecimum, vigeſima quinta die menſis Decembris.* Hæc Evodius apud Nicephorum. Quod quidem ſcriptum alicui antiquorum innotuiſſe, nondum reperimus. Veruntamen ut ab hac ſententia non recedamus, tum aliorum auctoritas, tum ratio perſuadet. Neminem veterum adhuc invenimus, qui aliam de ætate Virginis, cum peperit Chriſtum, ſententiam ſit affirmare conatus. Suadet, inquam, hæc ratio: quod vigebat tunc ea apud Judæos conſuetudo, cum filiæ ipſorum adultæ eſſent, eas nuptui tradere, vertebaturque ignominiæ, ſi quis aliter faceret, & poſtquam adulta eſſet, expectaret ut eſſet ſuperadulta. In quam ſententiam Paulus Apoſtolus (*f*): *Si quis* inquit, *turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quod ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri; quod vult, faciat.*

(*e*) *Niceph. hiſt. l. 2. c. 3.*

De S. Maria in templo præſentata.

(*f*) *1. Cor. 7.*

XLVIII. Ex his igitur dicere neceſſe eſt, inciſſe ſacratiſſimum diem natalem Dei genitricis Mariæ ſub Conſulatu Furnii Nepotis & Junii Silani, anno ab Urbe condita ſeptingenteſimo trigeſimo ſeptimo, (*g*) Auguſti Imper. a Triumviratu vigeſimo ſexto, Olympiade centeſima nonageſima (*h*), anno tertio: nam Chriſtum

(*g*) *Secundum ſupput. Dion.*

(*h*) *Secundum ſupput. Euſeb. aliter Joſeph.*

ſtum Dominum natum eſſe ſub Conſulatu Lentuli & Meſſalini, ſuo loco demonſtrabimus. Ac ſubinde refelluntur (a), qui poſt ſequentem annum, ſub Conſulatu Livii & Piſonis, eam ortam eſſe tradunt. Natam ferunt Nazareth: eamdemque trimulam, quod parentes voverant, in templum allatam, ac Deo oblatam; undecim illic egiſſe annos, iidem, quos jam retulimus, auctores teſtantur, nimirum Evodius (b), Gregorius Nyſſenus (c), Joannes Damaſcenus (d), Germanus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, (e), Andreas Cretenſis (f), Georgius Epiſcopus Nicomediæ (g), & alii (h), a quibus nullum Orthodoxorum diſſenſiſſe hactenus, ſed novatoribus tantum noſtri temporis diſplicuiſſe, cognovimus. Sed æqua lance primum cuncta expendamus, videamuſque ſi quid ſit impedimento, quo minus hæc vera eſſe poſſint.

(a) Mar. Sco. in chron. & alii eum ſecuti.
(b) Evodius apud Niceph. hiſt. lib. 2. c. 3.
(c) Greg. Nyſſ. orat. de S. Chriſti nat.
(d) Joan. Dam. de Orthod. fid. l. 4. 15.
(e) Ger. ſerm. de præſen.
(f) Andreas Creten. ſer. de S. Deipara.

XLIX. Redemptio libera.

Satis ſcimus, lege divina (i) tam de maſculis quam de feminis Deo dicatis, votoque promiſſis, ſtatutam eſſe redemptionem, quot per annos ſingulos quiſque ſiclos perſolveret ſacerdotibus. Porro hujuſmodi redemptionem fuiſſe liberam, & ex arbitrio voventis, ſi vellet potius in templo ſervire Deo, quam annuam pecuniam ſolvere, ſatis Samuelis (k) exemplum demonſtrat, qui a tenerrima ætate miniſtravit in templo, nullo a parentibus perſoluto pretio redemptionis. Cum itaque divina lex nemini voventi redimendi neceſſitatem impoſuerit; voventis arbitrio, vel in templo miniſtrare, vel cenſum perſolvere, relictum eſſe, manifeſte apparet, ex quibus inferimus, neceſſe fuiſſe locum in templo eſſe, ubi feminæ, quæ ſe Deo voverant, abſque aliqua nota vel labe ſuſpicionis ſimul agerent.

(g) Georgius ſer. de præſent.
(h) Cedr. in comp. hiſt. & alii recent. hiſtorici.
(i) Levit. 27.
(k) 1. Reg. 2.

L. De templi ſtructura.

Porro & qui ſtructuram templi conſiderat, diverſoria ad hoc opus valde accommodata in eo fuiſſe animadvertet. Nam (quod exacte deſcribit Joſephus l) Salomon in circuitu templi conſtruxit in primis in inferiori loco triginta cellas, quæ inter ſe conſtipatæ externe parietes templi fulciebant, erantque inter ſe perviæ, & patebant ſingulæ in longum viginti quinque cubitos, ac totidem in latum, & viginti cubitis attollebantur. Super has alia ſeries cellarum erat extructa, ſuper quas rurſus aliæ, omnes inter ſe numero & amplitudine pares, ita ut conjunctæ inferius æquarent ædificium altitudine; nam ſuperius non erat circumædificatum; fuerunt autem omnes cedro contectæ, erantque omnes ſimul numero nonaginta. Hæc vero etſi de templo a Salomone conſtructo ſcribat Joſephus: tamen quod ſub Zorobabel fuit reſtitutum, etſi prioris templi non æquaret altitudinem, nihilominus ad inſtar illius eſſe conſtructum, docent (m) divinæ litteræ: ac illud demum quod ab Herode Rege fuit excitatum, æqualis priori illi altitudinis & amplitudinis fuiſſe, ejuſdem Joſephi (n) teſtimonio comprobatur. In his ergo, quas diximus, nonaginta ampliſſimis cellis, non ſolum feminas Deo voti cauſa oblatas, ſed alias inſuper diverſi ordinis perſonas ſeparatim degere potuiſſe nullum puto rationis participem dubitare.

(l) Joſeph. antiq. lib. 8. cap. 2.
(m) 1. Eſdr. 3.
(n) Joſeph. libr. 15. antiq. ca. 14. & De bello Jud. lib. 6. c. 6.

LI.

At vero nullatenus placet, quod nonnulli putarunt, locum illum in interiori templo, muro diſcretum, quo feminæ, tam indigenæ, quam peregrinæ, orationis cauſa conveniebant, fuiſſe ipſarum habitationem: nam ex his quæ idem ſcribit Joſephus (o), liquido conſtat, locum illum precum officio fuiſſe tantummodo adſcriptum, dum hæc ait de interiori templo, a quo alienigenæ excludebantur: *Neceſſario namque proprius locus religionis cauſa mulieribus deſtinatus, muro diſcernebatur: altera quoque porta opus fuiſſe videbatur. Contra primam vero ſecreta erat, ex aliis regionibus una porta meridiana, & una ſeptentrionalis, quibus ad mulieres intro ibatur: per alias enim tranſire ad mulieres non licebat: ſed nec ſuam portam, interjecto muro, tranſgredi licebat: patebat enim locus ille pariter indigenis & hoſpitibus feminis, religionis cauſa venientibus.* Hæc Joſephus. At quomodo diximus illic feminas habitaſſe, & quæ ſunt neceſſaria ad victum ibidem ſibi paraſſe, cum illuc nec vas inferre, nec comedere fas fuiſſe, idem Joſephus (p) ſcribens contra Apionem teſtetur? Erat ergo locus ille intra templum orationis cauſa diſcretus, & non habitationis, ſicut & Origenes (q) de virginibus teſtatur, ſeorſum a nuptis in templo orare conſueviſſe; eoque accedere ſolitam Dei genitricem Mariam, etiam poſtquam peperit Chriſtum affirmat: cui adſtipulatur Cyrillus Alexandrinus (r), agens adverſus Anthropomorphitas, & alii (s), ſed nihil ad rem noſtram, qui de loco habitationis, & non orationis, in præſentia agimus.

(o) Joſeph. de bello Jud. lib. 6. c. 6.
Locus orationis feminarum in templo.
(p) Joſeph. contra Apion. li. 2.
(q) Orig. in Mat. tract. 26.
(r) Cyril. adver. Anthrop. c. 17.
(s) Theop. in Mat. c. 23. & recentiores.

LII. In Eccleſia diſtinctæ feminæ a viris.

Perſeveravit aliquandiu & in Eccleſia laudabilis uſus, ut ſeorſum a viris feminæ convenirent in Eccleſia, nec non ſeorſum ab aliis virgines orantes conſiſterent. Habes id in primis egregie expreſſum a Philone de Eſſenis, ſeu (quod mavult Hieronymus) de Chriſtianis apud Alexandriam habitantibus; hæc dilucidius apud Clementem (t), Gregorium Nazianzenum (u), & Ambroſium (x). Sed nec adeo facile admittimus, quod Origenes, ac cæteri præfati auctores teſtantur, Dei genitricem Mariam poſt contractas nuptias, in templo ſeorſum a nuptis orare voluiſſe cum virginibus; ſed de his alias pluribus, cum agemus inferius de nece Zachariæ. Atque ut unde digreſſi ſumus, eodem revertamur: jam ſatis monſtratum eſt ſuperius, in exteriori parte templi exædificatas fuiſſe ampliſ-

(t) Clem. conſtit. lib. 2. cap. 61.
(u) Greg. Naz. in ſomnio de Anaſtaſia.
(x) Ambr. ad virg. lapſam. c. 6.

Digitized by Google

pliſſimas cellas ad habitationem aptas & accomodatas; ut jam nulla de ea re poſſit oriri quæſtio. Quod ergo reliquum eſt, videamus an exemplo aliquo & auctoritate divinarum Scripturarum oſtendi poſſit, in aliqua templi parte habitaſſe aliquando feminas.

LIII. Quod in primis occurrit: Joſaba (a) filia Regis Joram clam ſubtraxit e gladio Athaliæ in necem filiorum Ochoziæ debacchantis, Joas filium dicti Regis; quem una cum nutrice in templum adductum, ibidem per ſex annorum ſpatium enutrivit, quouſque palam factum perduxit ad regnum. Inſuper habetur in Exodo (b), a Moyſe factum labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi. Qui illum locum ſunt interpretati (c), fuiſſe dicunt mulieres, quæ ſæculi pompæ atque deliciis renunciantes, ſeſe una cum ſuis rebus, his præſertim quæ eſſent peccatorum illecebræ, miniſteriis Domini mancipantes, aſſiduis intentæ precibus excubarent ad oſtium tabernaculi: quod quidem pietatis officium, extructo poſtmodum templo, non tantum non ceſſaſſe, ſed magnifice auctum, par eſt credere. Ex harum numero fuiſſe Annam Propheteſſam, filiam Phanuel, exiſtimant; de qua ſcribit Lucas (d) Evangeliſta, quod annos octoginta quatuor nata, jam vidua ab adoleſcentia ſua, cum vixiſſet cum marito ſeptem tantum annis, vacans precibus die ac nocte, non diſcedebat de templo. Mentio habetur & in libris Machabæorum (e) de recluſis virginibus in templo, quæ procurrebant ad Oniam ſummum Pontificem. De his S. Ambroſius (f), cum de virginibus agit, his verbis meminit: *Etiam templo Hieroſolymis fuiſſe legimus virgines deputatas. Sed quid Apoſtolus dicit? Hæc in figura contingebant illis, ut eſſent judicia futurorum: figura enim in paucis eſt vita in pluribus.* Hæc Ambroſius. Ex his omnibus tam ex divinis Scripturis, quam ex ſanctis Patribus depromptis veritatis oraculis, ſatis clarum redditur atque perſpectum, non tantum quicquam obſtare, quo minus ea quæ dicti auctores de præſentatione & manſione Dei genitricis in templo dixere, ſint vera, ſed eidem hiſtoriæ omnia ſummopere ſuffragari, eandemque firmias ſtabilire. At quoniam in his diutius immorari, inſtituti ratio non patitur; ſemel cœptam de Dei genitrice Maria proſequamur hiſtoriam.

(a) 4. Reg. 11.

(b) Exod. 38.

(c) Collegit omnes Caniſ. lib. 2. de Maria Deip. c. 11.

Habitatio feminarum in templo.

(d) Luc. 2.

(e) Mach. l. 2. c. 3.

(f) Ambr. lib. 1. de virg.

LIV. Cum jam ætatis annum attigiſſet decimum quintum; de maritando eam, inter ſacerdotes initur conſilium. Qui enim Deo devoti erant homines, nubebant ſtaturo tempore, ut de Samuele & ipſo in templo oblato ſcimus contigiſſe: certum enim exploratumque habetur, ipſum uxorem duxiſſe, ac liberos ſuſcepiſſe. Deligitur in maritum Virginis vir juſtus Joſeph, ejus contribulis, ex ſtirpe David oriundus, ſed opificio faber. Neque enim ad pecuniam, neque ad honores inſpicere, ſed ad genus per antiquam lineam ductum atque probatum, in contrahendis nuptiis penes Judæos fuiſſe conſuetudinem, teſtatur Joſephus (g), cum agit de matrimoniis ſacerdotum: ut non mireris, ſi viro fabrilis artis, ſacerdotum conſilio, quorum eſſet officium, de his quæ ſemel Deo eſſent oblata, diſponere, nuptui traditam audias. Sed hæc cum agerent illi, divina tamen providentia mariti nomine fidiſſimus cuſtos & teſtis Mariæ virginitatis integerrimus parabatur. Rem geſtam iidem qui ſupra citati (h) auctores enarrant.

S. Maria Virgo deſponſatur.

(g) Joſeph. cont. Apion. li. 1.

(h) Greg. Nyſſ. orat. de ſancta Chriſti nativ. & alii.

LV. Sic autem deſponſata Virgo parentibus redditur, qui eam domum reducant, & quæ ad futuras nuptias ſunt neceſſaria præparent. Erant ſponſalia ejuſmodi apud Hebræos non minoris momenti, quam ipſæ nuptiæ, ut auctor eſt Philo (i): ſiquidem in ſolemni amicorum conventu mariti uxoriſque nomina ſcribebantur in tabulis; & ſi quid ſponſa in domo paterna manens deliquiſſet, æque plectebatur ac nupta, ut lapidibus obrueretur, ſi adulterii rea inventa eſſet. Quænam vero, cum interim Maria deſponſata maneret in domo paterna, contigerint, Lucas (k) Evangeliſta his verbis recenſet: *Menſe autem ſexto miſſus eſt Gabriel Angelus a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David: & nomen virginis, Maria: & ingreſſus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inveniſti gratiam apud Dominum: ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.*

(i) Philo lib. de ſpecial. legib.

(k) Luc. 1. Annunciatio S. Mariæ.

LVI. Sed antequam cætera proſequamur, aliquid de voto virginitatis ab eadem ſanctiſſima Virgine Deo nuncupato, quod ad inſtitutum ſpectare arbitremur, afferamus in medium. Cum enim illa de futura prole concipienda accepto nuncio excipiat de ſui corporis integritate; dicens: *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* ne præter ſententiam eam fuiſſe reſponſionem, & eluſionem potius, quam juſtam exceptionem (quod omnino abſit) dicere cogamur: nam de virginitate ſer-

De voto virginitatis ab ea nuncupato.

ſervanda votum emiſiſſe, fateri neceſſe eſt. Quid enim? *Ecce concipies*, ait Angelus: *Virum non cognoſco*, illa reſpondet, nihil certe ad rem: nam poſt hæc cognoſcere potuiſſet, ac concipere (quod dictum erat) in utero. Verum enimvero quam maxime opportune, ſe non cognoſcere virum, excepit: quod impoſſibile exiſtimaret, ſemel Deo devota virginitate, ſe virum aliquando cognituram: alioquin nulla fuiſſet in ea admirandi, vel ſciſcitandi levis ſaltem occaſio, quin promiſſis ab Angelo acquieſceret. In hanc ſententiam S. Auguſtinus, aſſertor nuncupati voti virginitatis Mariæ, hæc ait:

(a) Aug. lib. de ſanct. Virg. c. 4.

(a) *Ipſa quoque virginitas ejus ideo gratior & acceptior; quia non eam conceptus Chriſtus viro violaturo, quam conſervaret ipſe, præripuit, ſed priuſquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit: Quomodo, inquit, fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? quod profecto non diceret, niſi Deo virginem ſe ante voviſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro juſto non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa jam voverat. Quamquam, etiam ſi hoc ſolum dixiſſet; Quomodo fiet iſtud: nec addidiſſet; Quoniam virum non cognoſco: non quæſiſſet utique, promiſſum ſibi filium quomodo femina paritura eſſet, ſi concubitura nupſiſſet. Poterat & juberi virgo permanere, in qua Dei filius formam ſervi congruenti miraculo acciperet: ſed exemplo ſanctis futura virginibus, ne putaretur ſola virgo eſſe debuiſſe, quæ prolem etiam ſine concubitu concipere meruiſſet, virginitatem Deo dicavit, cum adhuc quid eſſet conceptura neſciret: ut in terreno mortalique corpore cæleſtis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto, amore eligendi, non neceſſitate ſerviendi. Itaque Chriſtus naſcendo de virgine, quæ, antequam ſciret quis de illa eſſet naſciturus, virgo ſtatuerat permanere: virginitatem ſanctam approbare maluit, quam imperare: ac ſic etiam in ea femina, in qua formam ſervi accepit, virginitatem eſſe liberam voluit.* Hæc Auguſtinus, Latinorum Eccleſiæ doctorum facile princeps, quem & cæteri complures ſunt ſecuti.

LVII.

(b) Greg. Nyſſ. orat. de Chriſti nativitat.

De voto virginitatis S. Mariæ ſententia Patrum.

E Græcis nobiliſſimus Theologorum Gregorius Nyſſenus (b) eadem conſtanter affirmat, cum ait: *Si Maria liberorum cauſa ducta fuiſſet a Joſeph; quomodo parituram Angelo prænunciante, ſe rem novam & alienam audire præ ſe tuliſſet, cum ipſa quoque ſeſe adſtrinxiſſet naturæ legi, ut aliquando mater eſſet? Verum quia carnem Deo conſecratam, tamquam ſanctum aliquod oblatum munus oportebat intactam integramque præſtare: idcirco, licet, inquit, Angelus ſis, licet de cælo venias, licet, id quod oſtendis, naturam ſuperet humanam; tamen me virum cognoſcere nefas eſt: Quomodo ſine viro mater ero? Joſeph enim ſponſum novi, ſed virum non cognoſco.* Hæc ille, cui cæteri Græcorum, qui de ea re egerunt, ſunt adſtipulati. At non patitur ratio inſtituti, ut ſingulorum hic verba recenſeam: ſed ſatis viſum, tam e Latinis quam e Græcis teſtatam veritatem inſinuaſſe; a qua ſcio neminem diſſentire, niſi ſtolidiſſimorum hæreticorum factionem & ſatellitium, qui ad impugnanda ſacra vota virginitatis & continentiæ, egregiam diabolo navant operam. Ex quorum ſocietate debuit puduiſſe novum interpretem, qui oblatæ Deo Mariæ virginitati repugnat; exhorruiſſe vero magis, dum in tota ſemper Eccleſia omnium Orthodoxorum prædicatam ſummis præconiis Dei Genitricis virginitatem adeo contemptibilem, reddidit, ut non modo cujuſlibet ſanctimonialis Deo oblata eſſet præferenda virginitas (quod dictu nefas) Mariæ virginitati; ſed conjugatas ipſi (quod cogitatu execrabile) anteponendas, dicente Sancto Auguſtino

(c) Aug. de Virg. c. 11.

(c) *nec nos hic in virginibus prædicamus quod virgines ſunt, ſed quod Deo dicatæ pia continentia virgines: nam (quod non temere dixerim) felicior mihi videtur mulier nupta, quam virgo nuptura, &c.* Faceſſant iſta ab auditu Orthodoxorum deliramenta, Helvidio magis digna, quam Catholico tractatore. Teneat quem tenuit ſemper primarium & omnium eminentiſſimum in Eccleſia locum Mariæ Virginitas, Angelis reverenda, & Deo, cui oblata, ſuper omnes acceptiſſima. Sanctiſſimæ igitur noſtræ Virgini in perpetuæ virginitatis Deo dicandæ propoſito primæ ſunt deferendæ; cujus exemplo fœcunda ſemper virginum gemina in Eccleſia pullularunt: quod prophetico ſpiritu ante tot ſæcula prævidens David, dixerat: *Adducentur Regi virgines poſt eam, proximæ ejus adducentur tibi in lætitia & exultatione.* Præcinuit tympaniſtria noſtra canticum illud (d), quod

(d) Apoc. 14.

nonniſi virgines concinere poſſunt, quod ſubinde nobiliſſima illa agmina virginum centum quadraginta quatuor millium ſuccinuerunt.

LVIII.

At ſi quis roget, quonam tempore auguſtiſſima Virgo atque ſanctiſſima, voto nuncupato, perpetuam virginitatem Domino conſecraverit? Ut hæc inveſtigemus, prius videndum eſt, quid de voto puellæ, antequam fuerit deſponſata, vel poſtea, lex divina ſanciverit. Locutus Deus per Moyſen (e), hæc de puellari voto populo ſervanda mandavit:

(e) Num. 30.

De tempore emiſſi voti.

Mulier ſi quippiam voverit, & ſe conſtrinxerit juramento, quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate adhuc puellari: ſi cognoverit pater votum quod pollicita eſt, & juramentum quod obligavit animam ſuam, & tacuerit; voti rea erit: quicquid pollicita eſt & juravit, opere complebit. Sin autem ſta-

tim

Google

tim ut audierit, contradixerit pater: & vota & juramenta irrita erunt, nec obnoxia tenebitur ſponſioni, eo quod contradixerit pater. Si autem maritum habuerit, & voverit aliquid, & ſemel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento: quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit reddetque quodcumque promiſerit. Sin autem audiens ſtatim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes ejus, verbaque quibus obligaverit animam ſuam; propitius erit ei Dominus. Hæc divina ſanctio de puellæ voto antequam nubat, vel nuptæ adhuc in domo parentum permanentis: nam de ea quæ eſt in domo viri, ibidem paulo poſt eadem lex definivit. His viſis, haud putamus a veritatis via quampiam aberrare, ſi dixerit ſanctiſſimam Virginem, antequam fuerit deſponſata Joſeph, parentibus ſcientibus, nec diſſentientibus, votum virginitatis nuncupaſſe: conceperant namque illi maximam de puellæ ſanctitatu expectationem. Hæc autem (ſi credimus Cedreno, (a) qui undecimo anno ætatis Virginis parentes ex hac luce ſuberactos teſtatur, licet de re tam antiqua haud libenter recenti auctori hæc ſine teſte affirmanti aſſenſum præbeamus) ante parentum obitum contigiſſe oportuit. Adveniente vero ætatis nubilis tempore, quid de ipſa quæ ſe voto virginitatis perpetuæ Deo conſecraſſet, agendum eſſet, opus erat conſulto. Magni certe pretii fuiſſe apud eos virginitatem, jam ſuperius, cum egimus de Phariſæis, ſatis diximus. Laudabantur (b) in hac parte apud eos Eſſeni, qui ducentes vitam ſine uxore, perpetuæ ſe continentiæ manciparent.

(a) *Cedr. in comp. hiſt.*

(b) *Joſeph. de bello Jud. lib. 2. c. 7.*

LIX. Divinum conſilium de Virgine deſponſanda.

(c) *Greg. orat. de ſancta Ch. Nativ.*

Quid autem non ſine divino conſilio de Virgine ſtatutum eſſet, Gregorius Nyſſenus (c) his verbis recitat: *Cum puella creviſſet, & adulta eſſet; ſacerdotes conſilium agitare, ne quid de ſacro illo corpore ſtatuentes in Deum peccarent, cœperunt. Nam ſubjugare eam legi naturæ, & addicere quaſi ſervam, ſi quis eam in matrimonium duceret, res longe abſurdiſſima, minimeque decora videbatur. Sacrilegum enim prorſus exiſtimabatur, ſi homo jus ac poteſtatem in donarium, quod Deo conſecratum & dedicatum eſſet, haberet: quoniam legibus ſancitum & conſtitutum eſt, ut vir poteſtatem habeat in uxorem: at autem intra templum una cum ſacerdotibus mulier verſaretur, & in ſanctis conſpiceretur, neque conſuetum, neque uſitatum erat, & ſimul gravitas & honeſtas rei non aderat. Deliberantibus igitur eis ſuper hac re, divinitus incidit conſilium, ut darent eam cuidam viro nomine deſponſationis, is autem ad cuſtodiendam virginitatem, ejus eſſet idoneus. Inventus eſt igitur Joſeph talis, qualem ratio conſilii requirebat, ex eadem cum Virgine familia & tribu: iſque de conſilio ſacerdotum ſibi puellam deſpondit; conjunctio autem non altra ſponſalia progrediebatur.* Hæc Gregorius.

LX.

(d) *Epiph. in Panar. hæreſ. 78. adverſus Antidicomar. & in Ancorato fuſius.*

Joſeph Maritus datus ob cuſtodiam.

His ſententia Epiphanius (d) ſcripſit, cum ait: *Primum enim, quando Virgo tradebatur, ipſi Joſeph, ſortibus cogentibus ipſam ad hoc venire; non tradita eſt ipſi ad conjunctionem (ſi verum dicere oportet) quoniam viduus erat: ſed propter legem quidem vir ipſius vocatus eſt. Juxta conſequentiam vero, ex Judæorum traditione oſtenditur, quod non conjunctionis gratia ipſi tradebatur Virgo, ſed quo conſervaretur in teſtimonium futurorum, quod non ſpuria diſpenſatio adventus in carne acceſſit, ſed quæ teſtimonia haberet in veritate, extra ſemen viri in Spiritu ſancto diſpenſata in veritate.* Hæc ille. Sed quod affirmat viduum fuiſſe Joſeph, exactiorem requirit indaginem. Cum itaque iidem dicant, ex ſacerdotum conſilio, divino confirmante aſſenſu datum Joſeph ſponſum Virgini, non ad opus conjugii, ſed potiſſimum ob virginitatis cuſtodiam, & non prolis cauſa; votum Deo factum de ea conſervanda, ſatis affirmare videntur. Fuit tamen de Mariæ voto aliorum ſententia, nimirum beatiſſimam Virginem, poſtquam eſt deſponſata, votum virginitatis, quod animo diu conceperat, ſponſo aſſentiente, verbis expreſſiſſe. *Horum* auctor eſt ſanctus Thomas (e) quem compiures ſunt ſecuti. Perfacile fuit id ſuaderi homini juſto, ab illa præſertim, quæ & Deum ipſum (ſi ita licet dicere) in ſuum traxit obſequium. Quid ni præſtaret hoc juſtus, quod Phariſæi ad præſcriptum tempus, & Eſſeni in perpetuum ea ætate obſervabant?

(e) *Tom. 3. par. qu. 28. art. 4.*

LXI. De S. Joſeph. ſtatu.

Jam vero reliquum eſt, antequam cœptam hiſtoriam ulterius proſequamur, de ſancti Joſeph ſanctiſſimæ Virginis ſponſi ſtatu differere; viduus ne fuerit, an cælibem vitam uſque ad Mariæ deſponſationem duxerit, ſicque ſemper virgo permanſerit. Antiqua eſt hæc quæſtio, quæ & utriuſque partis graviſſimos habuit aſſertores. Invaluit olim nonnullorum antiquorum Patrum opinio, illos qui in Evangelio fratres Domini dicti inveniuntur, Judam, Thadæum, Simonem, Joſeph, & Jacobum Minorem nominatum, ex Joſeph, & uxore quam longe ante ſponſalia Virginis duxerat, eſſe ſuſceptos. *Habuit*, inquit Epiphanius (f), *hic Joſeph primam ſuam uxorem ex tribu Juda, & peperit hæc ipſi liberos numero ſex, quatuor maſculos, & duas femellas, quemadmodum Evangelium ſecundum Matthæum, & ſecundum Marcum declaraverunt.* Hæc Epiphanius, exiſtimans nimirum omnes quos fratres, vel ſorores Domini Evangeliſtæ nominant, eſſe ex Joſeph, ex prima, quam putat habuiſſe, uxore progenitos. Qui huic opinioni adhæſerunt, recenſentur compiures antiquorum Patrum, ac in primis Hippolytus Portuenſis (g), qui ait, Joſeph ex uxore ſua

(f) *Epiph. hæreſ. 78. adverſus Antidicomar.*

(g) *Apud Niceph. l. 2. cap. 3.*

Salome genuiſſe quatuor maſculos, Jacobum, Simonem, Judam, & Joſeph; duas itidem feminas, Eſther, & Thamar: teſtatur de filiis Joſeph etiam Origenes (a), Euſebius (b), idem qui ſupra Epiphanius (c) ſæpius, Gregorius Niſſenus (d), Joannes Chryſoſtomus (e), & alii (f) Græcorum, Latinorum autem Hilarius (g) & Ambroſius (h).

(a) Orig. in Matt. 13.
(b) Euſeb. hiſt. lib. 2. c. 1.
(c) Epiph. hæreſ. 28. 51. 78. & in Ancorato.

LXII. Joſeph cœlebs, non viduus.

Quo autem fundamento innitantur hi qui in hanc ſententiam abierunt, & e quo fonte iſta hauſerint, Origenes (i) teſtatur his verbis: *Fratres autem Jeſu putabant nonnulli eſſe ex traditione Hebræorum, ſumpta occaſione ex Evangelio, quod titulum habet, juxta Petrum, aut ex libro Jacobi, filios Joſeph ex priore uxore, quæ conjunxerat ipſi, antequam duceret Mariam.* Hæc ille. Hieronymus (k) adverſus hos qui ex apocryphis iſtæc hauſerunt, declamans, hæc ait: *Quidam fratres Domini de alia uxore Joſeph filios ſuſpicantur, ſequentes deliramenta apocryphorum, & a quadam Escha muliercula confingentes. Nos autem (ſicut in libro, quem contra Helvidium ſcripſimus, continetur) fratres Domini, non filios Joſeph, ſed conſobrinos Salvatoris, Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini, quæ eſſe dicitur mater Jacobi Minoris, & Joſeph, & Judæ, quos in alio loco Evangelii fratres Domini legimus appellatos. Fratres autem conſobrinos dici omnis ſcriptura demonſtrat.* Hæc Hieronymus, ac docte quidem. Quæ enim vel Petri aut Jacobi nomine ferebantur pſeudoevangelia, a Leucio, ſeu Seleucio quodam fuiſſe conficta, teſtatur Innocentius (l) Papa. De his & Gelaſius (m): *Evangelium*, inquit, *nomine Petri apocryphum: Evangelium nomine Jacobi Minoris apocryphum.*

(d) Greg. Nyſſ. hom. de Reſurr. Chriſti oration. 2.
(e) Chryſ. hom. de annun. Virg.
(f) Theoph. in Matth. ca. 27. Euthym. in Matt. c. 2.
(g) Hilar. in Matt. c. 1.
(h) Ambr. in epiſ. ad Galat. c. 1.
(i) Orig. ubi ſupra in Matt. 13.
(k) Hier. in Mat. 12. in fin.
(l) Innoc. Ep. 3. ad Exuperium.

LXIII. Joſeph ſemper Virgo.

Fuit igitur de his aliorum magis probabilis ac recepta ſententia, Joſeph non bigamum, nec aliud ante ſanctiſſimam Virginem iniiſſe conjugium: hujus fortiſſimus adſtipulator, ſeu potius auctor Hieronymus (n) adverſus Helvidium infamem hæreſiarcham pugnans, hæc ait: *Tu dicis Mariam, Virginem non permanſiſſe: ego mihi plus vendico, etiam ipſum Joſeph virginem fuiſſe per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius naſceretur. Si enim in virum ſanctum fornicatio non cadit, & aliam eum uxorem habuiſſe non ſcribitur; Mariæ autem, quam putatur eſſe habuiſſe, cuſtos potius fuit, quam maritus: relinquitur eum virginem manſiſſe cum Maria, qui pater Domini meruit appellari.* Hæc ille. In eamdem ſententiam etiam Auguſtinus (o): *Habe*, inquit, *Joſeph cum Maria conjuge tua communem virginitatem membrorum: quia de Virginis membris virtus naſcitur Angelorum. Sit Maria ſponſa Chriſti in carne ſua, virginitate ſervata: ſis autem & tu pater Chriſti, cura caſtitatis, & honorificentia virginitatis; ut de virgineis membris genitricis, ſæculis Chriſtianis nulla ſit zelotypia.* Idem & paulo poſt: *Gaude itaque Joſeph, nimiumque congaude virginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti virginalem affectum poſſidere conjugis: quia per meritum virginitatis ita ſeparatus es a concubitu uxoris, ut pater diceris Salvatoris.* Conſentit & his Theodoretus, (p) dum ait: *Vocatur quidem Jacobus frater Domini, ſed non erat natura; ſed nec fuit Joſephi filius, ut quidam exiſtimarunt, ex priori matrimonio natus; ſed erat quidem Cleophæ filius, Domini enim conſobrinus.* Huic ſententiæ cæteri omnes (q), qui poſtea vixerunt, Latinorum Orthodoxi ſcriptores conſenſerunt: adeo ut Petrus Damiani, ſuorum temporum ſcriptor nobiliſſimus, dicat magna fiducia, Eccleſiæ fidem in eo eſſe, ut non modo Deipara, verum etiam putativus pater atque nutricius virgo habeatur. Certe quidem, quantum probabilibus conjecturis agere licet; quomodo non homini virgini Deus virginem, ex qua carnem ſuſcepturus erat, tradidiſſet, ſi factus homo, ex hoc mundo migraturus ad Patrem, eandem jam ſeneſcentem nonniſi virgini commendavit?

(m) Gelaſius Conc. Rom. tit. de ſcrip. Apocr.
(n) Hier. in Helvid. prope fin.
(o) Aug. ſer. 14. in Nat. Dom.
(p) Theod. in epiſt. ad Galat. c. 1. in fin.
(q) Beda, Albinus Flac. Bern. Anſ. Ruper. Th. Gerſon. & alii recentiores, & Lipom. ubertus in ſch. propoſita hom. Chryſ. de Annunciat. Petr. Dam. epiſt. 11. cap. 4. ad Nicol. Rom. Pontif. His ſimilia Gerſ. ſermon. de Nat. Mariæ.

LXIV. Fratres Domini a quo geniti.

Quod autem ad hiſtoricam veritatem ſpectat: totius hujus quæſtionis cardo in eo vertitur, ut efficaci demonſtretur ratione, illos, qui in Evangelio dicti ſunt fratres Domini, alterius potius eſſe filios, nec ad Joſeph ullatenus pertinere. Sane quidem uſitatam in divinis Scripturis eſſe conſuetudinem, quiſque curioſus inveſtigator facile intelliget, ut nomini proprio filii, nomen etiam proprium patris ſubjungatur; ut cum dicimus Jacobum Zebedæi, filium ipſius Zebedæi intelligamus. Ex qua quidem regula, mille exemplis in Scriptura teſtata illud infertur, quod qui dicti ſunt fratres Domini, non alium habuerunt patrem, quam eum, cujus eſſe dicuntur. Unde Jacobus & ipſe dictus frater Domini, cum Jacobus Alphæi ab Evangeliſtis (r) nominatus habeatur; eum utique non alio quam Alphæo patre genitum, jure diacerimus. An vero eodem parente procreati ſint cæteri, qui & fratres Domini a Matthæo (ſ) dicuntur, dum ait: *Fratres ejus Jacobus, & Joſeph, & Simon, & Judas, & ſorores ejus, nonne omnes apud nos ſunt?* de Joſeph nulla eſt dubitatio, fuiſſe germanum Jacobi, teſtantibus id Evangeliſtis. De cæteris autem haud facile his conſenſerimus, qui putant hos omnes fuiſſe germanos, iiſdemque parentibus natos, nulla alia de cauſa, niſi quod ſimul ſint nominati. Sed eadem ratione, quod dum nominantur Jacobus minor & Joſeph filii Mariæ uxoris Alphæi, ut modo dicemus prætermittuntur vero Simon & Judas; eos aliis parentibus eſſe genitos, credere ſuademur. Sed quibuſnam parentibus exorti ſint Simon & Judas, dicemus inferius. Cum igitur ex

(r) Matt. 10. Marc. 3. Luc. 6. Act. 1.
(ſ) Matt. 13.

nu-

Digitized by Google

nuper dictis probe noverimus, quis fuerit pater Jacobi minoris & Joſeph: reſtat ut de eorumdem matre, quænam exiterit, inquiramus, ac demum de cæteris qui dicti ſunt fratres Domini, inveſtigemus.

LXV. Quod ad Jacobi & Joſeph matrem ſpectat: eam dictam eſſe Mariam, Evangelicus (a) ſermo teſtatur, dum ait: *Erant autem & mulieres a longe aſpicientes, inter quas erant Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Joſeph mater & Salome.* Quænam autem fuerit iſta Salome, Matthæus (b) declarat, ſic eumdem ſermonem retexens: *Erant ibi mulieres multæ a longe, inter quas Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Joſeph mater, & mater filiorum Zebedæi.* Ecce tibi, quam Marcus Salomen nominat, eam matrem filiorum Zebedæi Matthæus appellat. Ex quibus errare convincuntur, qui dixerunt Salomen uxorem fuiſſe Joſeph, ſponſi Virginis, & ex ea dictos ſuſcepiſſe liberos. Sicut etiam erroris argui neceſſe eſt eos, qui ipſam Mariam Jacobi matrem & Joſeph, eſſe dixerunt uxorem ejuſdem Joſeph Mariæ ſponſi. Nam ſi vivebat illa adhuc tempore paſſionis Chriſti, abſurdum illud, auribuſque piorum omnium moleſtiſſimum dicere opus eſſet, eumdem Joſeph eodem tempore duas habuiſſe uxores, nempe Mariam Jacobi matrem, & ſanctiſſimam Dei genitricem; quod vel cogitare, animus horret.

(a) *Marc. 15.*
(b) *Mat. 27.*
De Salome.

LXVI. Ex eo vero quod dictum eſt; Mariam, cujus Matthæus & Marcus meminerunt, eorumdem auctoritate conſtare, fuiſſe matrem Jacobi minoris, eamdemque Alphæi uxorem, a quo idem Jacobus nomen accepit, ut diceretur Alphæi: ſuboritur dubitatio, num eadem una ſit cum ea quam Joannes (c) Mariam Cleophæ nominat. Hieronymus (d) poſt multa de his diſputata, ſic concludens ait: *Reſtat concluſio, ut Maria iſta, quæ Jacobi minoris ſcribitur mater, fuerit uxor Alphæi, & ſoror Mariæ matris Domini: quam Mariam Cleophæ Joannes Evangeliſta cognominat, ſive a patre, ſive a gentilitate familiæ, aut quacumque alia ex cauſa ei nomen imponens. Si autem inde tibi alia atque alia videtur, quod alia dicatur Maria Jacobi minoris mater, & hic Maria Cleophæ: diſce Scripturæ conſuetudinem, eumdem hominem diverſis nominibus nuncupari.* Hæc Hieronymus. Theophilactus (e) etiam tradit, dictam Mariam Cleophæ ſic nuncupatam, quod fuerit filia Cleophæ, eademque uxor Alphæi. Dixerunt alii, Mariam Cleophæ ſic eſſe dictam, quod fuerit Cleophæ uxor, ſolitaſque uxores Judæorum a viris ſuis cognominari; eademque ratione Gregorium Nyſſenum (f) eodem uti argumento, cum probare intendit, Mariam ſororem Moyſi fuiſſe virginem, quod ſemper frattum, & non viri nomine nuncupetur, dictaque reperiatur Maria ſoror Moyſi & Aaron. At hæc irrita erunt, ſi credimus Joſepho Judæo (g) Judaicarum antiquitatum diſertiſſimo; cujus auctoritate exploratum habetur Mariam ſororem Moyſi virum habuiſſe Ur, qui orantis Moyſis manus ſuſtinebat, ex eoque filium ſuſcepiſſe, nomine Beſelehel, cujus frequens & clara eſt in divinis Scripturis mentio. Non autem omnia expreſſa eſſe in ſacris litteris, & ſæpe ab aliis eſſe dicta quæ in illis ſilentur, haud difficulter eruditus quiſque concedet.

(c) *Joan. 19.*
(d) *Hier. contr. Helvid.*
De ſorore S. Mariæ Virginis.
(e) *Theophil. in Matth. cap. 27.*
(f) *Greg. Nyſ. lib. de virg. c. 9.*
(g) *Joſeph. antiq. lib. 3. cap. 2. & 4.*

LXVII. Verum quod ſpectat ad Mariam Cleophæ: eam non filiam Cleophæ, ſed uxorem fuiſſe putamus: miſſiſque cæteris, in his omnibus inhæremus, ut par eſt, Hegeſippo (h), omnium antiquiſſimo, ac proximo Apoſtolorum temporibus, qui ait Cleopham fratrem fuiſſe Joſeph, eoque genitum Simonem, ſeu dicere velimus Simeonem, qui Jacobo minori in ſede Hieroſolymitana ſucceſſit: cujus dum meminit (i), & non dicit eos fuiſſe inter ſe germanos; facile inducor, ut opiner diverſos prorſus fuiſſe Cleophen & Alphæum, diſtinctaſque eſſe inter ſe Mariam Cleophæ, & Mariam quæ ab iiſdem Evangeliſtis mater dicitur Jacobi minoris & Joſeph; eamdemque Mariam Cleophæ (ut habet Joannes) ſororem fuiſſe ſanctiſſimæ Virginis, non germanam ex Anna genitam, ut ſuperius dictum eſt, ſed conſobrinam ex ſorore vel fratre patris vel matris genitam. Nec eſt quod quis poſſit arguere, eamdem eſſe Mariam Jacobi, & Joſeph matrem cum Maria Cleophæ; quaſi, quod plerumque accidit, Joannes expreſſerit, quod cæteri Evangeliſtæ tacuerint: nam diverſus prorſus eſt eorumdem ſermonum contextus, dum Matthæus (k) & Marcus (l) Mariam matrem Jacobi & Joſeph a longe ſtantem cum cæteris mulieribus tradunt: Joannes (m) vero de Maria Cleophæ habens ſermonem, eamdem cum Maria Virgine juxta crucem manentem conſtituit. Hæc ſentiens, puto Hieronymus (n), haud ſatis in priori permanſit ſententia, ut eadem fuerit Maria mater Jacobi cum Maria Cleophæ. Sed quid ait in fine diſputationis? *Verum*, inquit, *in hac parte contentioſum finem non traho: alia fuerit Maria Cleophæ, alia Maria Jacobi & Joſeph, &c.*

(h) *Apud Euſeb. hiſt. lib. 3. c. 10. & 26.*
(i) *Euſeb. hiſt. lib. 2. cap. 1.*
Fratres Domini ex diverſis matribus.
(k) *Matth. 27.*
(l) *Mar. 15.*
(m) *Jan. 19.*
(n) *Hier. contr. Helvid.*

LXVIII. His igitur de S. Joſeph ſanctiſſimæ Virginis ſponſi virginitate ſtabilitis; jam reliquam de Verbi incarnatione ex Evangelio hiſtoriam proſequamur. Cæleſtis nuncius (o) Gabriel Angelus, ut trepidantem Virginem magis magiſque firmaret, ſicque aſſenſum ejus eliceret: quod *non impoſſibile*, ut ait, *apud Deum omne verbum*, recens de Elizabeth ejus cognatæ exemplum, ad confirmandam tanti ſacramenti veritatem adducens, ait: *Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic men-*

(o) *Luc. 1.*

menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis. Hæc autem de conceptione Joannis a Gabriele inculcata, quomodo ſe habuerint, Idem divinus hiſtoricus Lucas Evangeliſta perpetuæ ſcripturæ monumentis commendavit. Nos autem tem. vulgatam, omniumque ore verſatam, ſuperfluum ducimus hic deſcribere; ſatis eſſe putantes, ejuſdem tempus inſinuare ſecundum a nobis inferius initam rationem. Anno igitur ab Urbe condita ſeptingenteſimo quinquageſimo, Coſſ. Sabino & Ruſo, Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ anno primo, Auguſti Imp. a Triumviratu inito anno trigeſimo nono, octavo Kalendas Octobris, poſt æquinoctium, ſolemnis jejunii tempore (*a*), Joannes Baptiſta eſt in utero materno conceptus; cum ejus pater Zacharias ſacerdos de vice Abia, in templo adolens incenſum, de ejuſdem conceptione, Angelo admonente, divinum accepiſſet oraculum.

Joannes Baptiſtæ conceptionis tempus.

(*a*) *Chryſ. in Luc. 1.*

LXIX. Quod autem ad Zachariam ſpectat: ea in primis videtur enodanda quæſtio, An ipſe re vera fuerit ſummus ſacerdos, ſicut a compluribus ſummæ auctoritatis doctoribus (*b*) communi velut quadam conſenſione affirmatum eſſe ſcimus. Inviti ad hæc diſquirenda trahimur, nec aliqua perciti altercandi libidine, ſed quod ex ratione inſtituti, pro veritate elucidanda adverſus quoſcumque obniti, cum oporteat, neceſſitate quadam inveniamur adſtricti. Qui de ſummo Zachariæ ſacerdotio ſententiam ſectati ſunt, ea potiſſimum ratione id ſuadere ſunt conati, quod (ut dicit Lucas Evangeliſta) ipſo ad adolendum incenſum in templum ingreſſo, populus ſtaret foris expectans; rati nimirum Zachariam adiiſſe ipſa intima templi adyta, Sancta ſanctorum, quæ ſemel tantum in anno ipſum ſolummodo ſummum Pontificem penetrare fas eſſet, His reſpondet & tempus, quod decima die menſis ſeptimi ſummus ſacerdos lege divina (*c*) in Sancta ſanctorum ingredi juberetur: quo etiam menſe Zachariam de conceptione Joannis ab Angelo eſſe præmonitum, ea quæ ſuperius diximus, facile monſtrant. Hæc ſunt quæ de ſummo ſacerdotio Zachariæ apud quamplurimos certam fidem ſibi vendicarunt.

De Sacerdotio Zachariæ.

(*b*) *Aug. in Joan. tract. 49. Ambr. in Luc. 1. Beda in Luc. 1. Euth. in Luc. 1.*

(*c*) *Lev. 25. 23. Num. 29.*

LXX. Quam vero hæc ſint levia, & quam facillime redarguantur, ea quæ dicturi ſumus aperta luce ſignificabunt. In primis enim in ipſo Luca (*d*), qui hæc ſcribit, dicendi morem attendamus oportet: nam cum ipſe de ſummo Pontifice agit, non Sacerdotem ſimpliciter, ſed Principem ſacerdotum nominare conſuevit (*e*); cum alioqui de Zacharia longum texens ſermonem, eumdem tantummodo Sacerdotem appellet. Sed quid inſuper addit? quod dum fungeretur munere vicis ſuæ, forte, obtigit, ut incenſum poneret. Porro functionem ſummi Pontificis, ipſi tantummodo debitam, ſorti fuiſſe ſubjectam quis dixerit; cum ea ſolum ſorte conſuevit definiri, quæ multos haberent ſimul competitores? Sane quidem, ſicut unicum erat ſacerdotium ſummum, ita neceſſe eſt nonniſi ad unum ſpectare potuiſſe ejuſdem ſacerdotii functionem. Hanc inextricabilis argumentationis rationem vitare conatus Beda (*f*), illud affert, ut ſortem cujus meminit Lucas, non ad incenſum referri velit, ſed ad ipſam ſummi ſacerdotii inſtitutionem: ſed nullo modo hanc interpretationem verbis Evangeliſtæ convenire, perfacile quiſque judicabit. Reddam ipſius Evangeliſtæ verba, quo hæc manifeſtiora reddantur: *Factum eſt*, inquit, *cum ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundum conſuetudinem ſacerdotii, ſorte exiit ut incenſum poneret ingreſſus in templum Domini*, &c. Sunt hæc adeo clara, ut nulla videantur interpretatione opus habere.

(*d*) *Luc. 1.*

(*e*) *Act. 23.*

(*f*) *Beda in Luc. 1.*

LXXI. Verum quo omnis de ſorte ſacerdotii tergiverſatio convincatur; dicimus, nullum certe exemplum, neque in divinis Scripturis, neque apud profanos hiſtoricos, qui res Hebræorum ſunt proſecuti, inveniri, quo vel ſaltem ſemel ad hæc tempora ſorte collatum fuiſſe ſummum ſacerdotium dici poſſit: neque certe perditiſſimis Herodis Regis temporibus, quibus, ut diximus, ſacerdotium venale erat, ſummum ſacerdotem ſorte delectum fuiſſe aliquando reperitur. Semel tantum nefas contra legem præſumptum fuit (quod Joſephus (*g*) vehementer deplorat, qui omnium ſacerdotum inſtitutiones, uſque ad cladem Hieroſolymitanam per Titum illatam, recenſet) quando Veſpaſiano Judæam cum exercitu affligente, ea factio Judæorum, quæ dicebatur Zelotum, cæteris prævalens, vi publica depoſito redactoque in ordinem Anania ſummo Pontifice, ſucceſſorem ſorte delegit, quæ obtigit homini ruſtico, Phani nomine, cunctis deriſioni expoſito.

(*g*) *Joſeph. de bel. Jud. lib. 4. c. 5.*

LXXII. His de ſorte ſacerdotii confutatis, jam reliquum eſt, ut de ingreſſu Zachariæ in templum ad adolendum incenſum, & populo foris expectantem, unde de ſummo ejus ſacerdotio falſa dimanavit opinio, elucidemus hiſtoriam. Philo Judæus (*h*) qui hoc ſæculo vixit, & hæc de quibus agimus, ob oculos habuit, ſcribens de templi altaribus ac ſacerdotalibus functionibus, ait: *Teſtatur lex jubendo poni duo altaria, materia, loco, uſque differentia. Alterum enim e ſaxis collectitiis impolitis extruitur in atrio juxta templi veſtibulum, ad immolandas victimas: alterum vero aureum ſitum eſt poſt primum velum in penetralibus, nemini perſpicuum, niſi ſacerdotibus functionis ſuæ tempore caſtitatem ſervantibus, quod factum eſt adolendis odoribus*. Hæc Philo de duobus altaribus, quorum alterum in atrio poſitum erat extra primum velum, alterum intra idem velum locatum. Porro primum

(*h*) *Philo li. de vict. offerent.*

De templo & locis ejus diſtinctis.

velum

velum nominat reſpectu ſecundi, quod S. Paulus (*a*) *ſecundum velamentum* appellat; intra quod erat tabernaculum, quod dicitur, *Sancta ſanctorum*; divina vero Scriptura (*b*) utrumque appellat interius velum & exterius: Idem vero Apoſtolus primum quod dicimus velum & ſecundum, nominat *primum & ſecundum tabernaculum*, ſicque ait: *Tabernaculum enim factum eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quæ dicitur Sancta. Poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta ſanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti, & alia. His ita compoſitis, in priori quidem tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes ſacrificiorum officia conſummantes, in ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex.* Hæc Paulus. Ex quibus illud manifeſtum redditur, populum non tantum a ſecundo tabernaculo, quod erat *Sancta ſanctorum*, ſed a primo, in quod tantummodo intrabant ſacerdotes, fuiſſe ſecluſum; nam (quod ait Philo) nemini erat perſpicuum, niſi ſacerdotibus, nec illis ſemper, niſi functionis ſuæ tempore. Unde dum de populo ait Lucas, quod omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi; haud dubium liquet eſſe intelligendum, extra primum velum ipſam conſtitiſſe, Zachariam autem intra ipſum velum ad incenſum adolendum ingreſſum.

(*a*) *Hebr.* 9.

(*b*) *Levit.* 21. *Exod.* 35. 40.

LXXIII. Hæc inſuper manifeſtiora redduntur ex his quæ de templo ejuſque partium uſu, populi ac ſacerdotum ſedibus diſtinctis & officiis in hunc modum Joſephus (*c*) deſcribit: *Templum quatuor porticus habuit in circuitu, & harum ſingulæ propriam ſecundum legem habuere cuſtodiam. In exteriorem itaque ingredi licentia fuit omnibus, etiam alienigenis; mulieres tantum menſtruatæ tranſire prohibebantur. In ſecundam vero porticum cuncti Judæi ingrediebantur, eorumque conjuges, cum eſſent ab omni pollutione mundæ. In tertiam maſculi Judæorum mundi exiſtentes, atque purificati. In quartam autem ſacerdotes, ſtolis induti ſacerdotalibus. In adytum vero ſoli Principes ſacerdotum, propria ſtola circumamicti.* Hæc Joſephus: quæ & alibi (*d*) fuſius explicat, cum templum deſcribit: ubi agens de primo tabernaculo, illic menſam, candelabrum, & thuribulum habens tredecim odorum ſuffitum, poſita refert. Neque quis exiſtimet unum tantum fuiſſe thuribulum aureum in templo, quod Paulus (*e*) ponit in ſecundo tabernaculo, quod dicitur *Sancta ſanctorum*.

(*c*) *Joſeph. cont. Apion. lib.* 2.

Templi & officiorum deſcriptio.

(*d*) *Joſeph. de bello Jud. lib.* 6. *c.* 6.

(*e*) *Hebr.* 9.

LXXIV. Plura enim fuiſſe thuribula in templo, eaque aurea, divina Scriptura (*f*) pluribus in locis teſtatur: dicebaturque *altare thymiamatis*, quod erat in primo tabernaculo, intra primum velum: illudque ipſum Lucas (*g*) nominat *altare incenſi*, a cujus dextera viſus eſt Angelus Zachariæ. Adolebatur in eo incenſum, inquit Philo (*h*), ſummo mane, antequam foris hoſtiæ immolarentur, cum lucernæ componerentur; & veſpere, quando, ut ait Scriptura (*i*), eædem collocarentur. Porro cum eſſent omnium ſacerdotum vices vigintiquatuor, olim forte ductæ, illa quæ erat Abiæ, ordine numerabatur octava. Attamen non mediocre inter eas fuiſſe diſcrimen, licet ejuſdem muneris eſſent, teſtatur Joſephus; (*k*) qui adeo auctum eſſet ſacerdotum numerum refert, ut cujuſque vicis eſſent pluſquam quinque millia: cumque ad invicem ſibi ſingulæ vices ſtatutis temporibus ad miniſterium ſacrarum functionum ſuccederent, ſortiebantur inter ſe, qui in exteriori altari in cædendis victimis miniſtrarent, quiſve intra velum incenſum adoleret: at non ſacerdotes tantum, ſed & inferioris ordinis miniſtri ipſi per vices ſuccedentes (quod ſcribit Philo *l*) ſortiebantur miniſteria. Ex dicta igitur occaſione Zacharias ſacerdos ſortito ſacram incenſi adolendi peregit functionem.

(*f*) *Ex* 25. 37. 3. *Reg.* 7. 1. *Paral. c.* 28. *Exod.* 30. 37.

(*g*) *Luc.* 1. De XXIV. vicibus.

(*h*) *Philo lib. de vi. offerend.*

(*i*) *Exod.* 30. 1. *Paral. cap.* 24.

(*k*) *Joſeph. in Vita ſua in princip. & cont. Apion. lib.* 2. *Philo libr. de Monarc.*

(*l*) *Philo de ſacerd. honorib.*

LXXV. Etſi ex his omnibus ſatis ſuperque appareat Zachariam ſacerdotem ſolummodo, & non ſummum Pontificem extitiſſe: ne quis tamen remaneat dubitandi locus; ad eam rem confirmandam ſatis ſufficere exiſtimamus, quod Zacharias minime adſcriptus reperiatur inter ſummos Pontifices, qui illis vixere temporibus, quorum catalogus integer, & nulla ex parte corruptus hactenus extat, quem Joſephus (*m*) exacte contexuit una cum hiſtoriis Judæorum; habitaque cujuſque ſucceſſionis ratione, anno quo hæc contigerunt Zachariæ, Matthias Theophili Pontificatum geſſiſſe reperitur, qui Simoni ſucceſſit; ab Aaron quidem uſque ad Phani, qui intruſus eſt a Zelotis, tempore Veſpaſiani Auguſti, ad duorum millium annorum ſpatium ſervatas eſſe inviolatas publiciſque monumentis conſignatas ſucceſſiones Judæorum Pontificum, idem Joſephus (*n*) adverſus Apionem agens, apertiſſime tradit, dum ait: *Indicium vero integritatis hoc maximum eſt: quia Pontifices apud nos a duobus millibus annis denominati filii a patre conſcripti ſunt &c.* Porro eaſdem tabulas ex antiquis litteris novas ſæpe eſſe reſtitutas & exemplaribus auctas, teſtatur; adeo ut nec tempore cujuſvis cladis acceptæ, eædem ſucceſſiones aliquo modo deperdi potuerint. Hactenus de Zachariæ inferioris ordinis ſacerdotio, quo quidem magis illuſtratur, quam ſummo Pontificatu, quippe qui his temporibus ab Herode contra jus faſque ex animi ſententia in immeritos conferri conſueviſſet: præſtatque magis Zachariam Dei ſacerdotem, quam arbitrio Herodis Pontificem dici.

Zacharias ordinis minoris ſacerdos.

(*m*) *Joſeph. antiq. lib.* 20. *c.* 8. *& de bello Jud. l.* 1. *& ſeq. ſparſim. Collegit eos Niceph. hiſt. l.* 1. *c.* 14. *& Niceph. Epiſc. Conſtantin. in Chron.*

(*n*) *Joſeph. adver. Apion. l.* 2.

LXXVI. Jam vero, unde digreſſa eſt, ad Gabrie-

Digitized by Google

De verbi incarnatione.

brielis nuncium de ſublimi, ac per omnia inſcrutabili Verbi incarnationis myſterio, revertatur oratio. Cum ille omnia non humanitus, ſed divinitus eſſe perficienda, ſanctiſſimam Virginem monuiſſet, ac exemplo cognatæ ſterilis Elizabeth eamdem certiorem reddidiſſet, ac firmaſſet: illa haud cunctata, mira animi ſubmiſſione præbens ſuæ voluntatis aſſenſum, hæc

(a) Luc. 1.

ait (a): *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Moxque ſic dilapſum eſt Verbum in uterum Virginis, ut ex ea carnem aſſumens, quod ſemper fuiſſet, eſſe non deſineret; unitaque ſibi indiviſe & inconfuſe humanæ naturæ ſubſtantia, in una eademque perſona ex duabus naturis unus Chriſtus, idemque perfectus Deus, atque perfectus homo, in utero virgineo formaretur. Novum plane miraculum, atque adeo inuſitatum,

(b) Hier. 31.

ut (quod olim prædixerat Hieremias b) mulier circumdaret virum: ſiquidem uno eodemque momento conceptus eſt Chriſtus, perfectus Deus & homo. Contigerunt hæc Coſſ. Cornelio Lentulo & Valerio Meſſallino, Auguſti Imp. anno ab inito per menſes fere quatuor Triumviratu, quadrageſimo, octavo Kalen. Aprilis, eadem die qua primus homo formatus eſt Adam.

LXXVII.

(c) Luc. 1.

His peractis, ſanctiſſima Virgo *exurgens*, (c) *abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Juda, & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Elizabeth*. Nemo, quamtumvis ſibi videatur ſapiens, inſtar Juliani atque Porphyrii, divinum hiſtoricum S. Lucam Evangeliſtam redarguat obſcitantiæ, quod nomen civitatis, quam incolebat Zacharias, ad quam ſanctiſſima Virgo feſtinans acceſſit, non exprimat: nam ſatis expreſſit, dum civita-

De civitate Juda in montanis.

tem Juda in montanis poſitam, ibique Zachariam habitare ſcribit: ſicque ob eam cauſam civitatem ſacerdotalem fuiſſe demonſtrans; quænam eſſet, cum de nulla alia ambiguitas poſſit oriri, antonomaſtice ſignat. Sed ut hæc clariora reddantur, altius neceſſe eſt hiſtoriæ principium petamus. Diviſit ex inſtituto Moyſis Jo-

(d) Joſue. 21.

ſue (d) tribui Leviticæ filiis Aaron quadragintaocto civitates ad habitandum, eaſdemque non ſimul poſitas, ſed quod a ceteris tribubus eſſent acceptæ e diverſis Palæſtinæ locis, ubi ſingulæ degerent, ab invicem longioribus interdum ſpatiis ſeparatas. Cum itaque eaſdem civitates ſortirentur; prima, quæ egreſſa eſt ſorte, data eſt familiæ Caath Levitici generis ex filiis Aaron, civitas e tribu Juda, quæ Cariatharbe, aliter vero Hebron, ſive Chebron eſt nominata, poſita (ut eadem divina Scriptura teſtatur) in monte Juda, in qua quidem regione nulla alia erat civitas ſacerdotalis.

LXXVIII.

Quanto nobilior ceteris Palæſtinæ urbibus, Hieroſolymis exceptis, eſſet hæc civitas, tum ob ſui antiquitatem, tum etiam ob egregia rerum geſtarum monumenta; quandoquidem ibi habitavit Abraham, unctus eſt David, ibique celeberrima erant ſepulcra Patriarcharum;

De Chebron civitate ſacerdotali.

poſt divinam Scripturam teſtatur & Joſephus (e) hiſtoricus, qui hæc de ejus antiquitate refert: *Chebron ſeptem annis eſt antiquius, quam urbs Ægypti Tanis*.

(e) Joſeph. antiq. l. 3. c. 1.

Et alibi (f) hæc pluribus: *Chebron autem indigenæ ferunt non ejus terræ modo civitatibus, verum etiam Ægypti Memphi antiquiorem: denique bis mille & trecenti ejus connumerantur anni: hoc autem narrant Abraham quoque parentis Judæorum fuiſſe domicilium, poſteaquam Meſopotamiæ ſedes reliquit; ejuſque poſteris hinc ad Ægyptum eſſe profectos: quorum nunc etiam monumenta extant in eadem civitate peroptimo marmore liberaliter fabricata. Cernitur autem ſexto ab oppido ſtadio arbor maxima terebinthus, eamque memorant ab initio mundi creati nunc uſque durare*. Hæc Joſephus.

(f) Joſephus de bello Jud. l. 5. c. 7.

De eadem civitate Hieronymus (g) his verbis: *Aſcendit Chebron, hæc eſt Curiatharbe, id eſt oppidum virorum quatuor, Abraham, Iſaac, Jacob, & Adam magni, quem ibi conditum, juxta librum Jeſu Nave, Hebræi autumant, licet plerique Caleb quartum putent, cujus ex latere memoria monſtratur*.

(g) Hier. epiſt. 27.

Et alibi idem auctor: (h) *Eſt quercus Mambre juxta Chebron, in qua uſque ad ætatem infantiæ meæ & Conſtantii Regis Imperium, terebinthus monſtratur pervetus, & annos magnitudine indicans, ſub qua habitavit Abraham: miro enim cultu ab Ethnicis habita eſt, & velut quodam inſigni nomine conſecrata*. Hæc Hieronymus.

(h) Hier. de locis Hebraicis.

LXXIX.

(i) Apud Bed. de locis ſanctis c. 9.

Qui vero regionis illius loca deſcripſerunt (i) vigintiduobus milliaribus Chebron ab Hieroſolymis diſtare teſtaotur. Quomodo autem idem locus, quod ibi fuiſſet quercus Mambre, ubi tres viſi ſunt Abrahæ Angeli, qui unum adoravit, ſumma veneratione a Chriſtianis, Judæis, pariterque Gentilibus haberetur, Sozomenus (k) pluribus ſcribit. Sed de his nos ſuo loco deinceps agemus.

(k) Sozom. hiſt. l. 2. c. 3.

Jam ex dictis ſatisfactum putamus de prætermiſſo nomine civitatis: nimirum non incuriæ hiſtorici eſſe tribuendum: cum, quod diximus, ſufficienter eam nominaſſe videatur. Etenim cum dicat Zachariæ in illa ſedem fuiſſe, conſtat ſacerdotalem fuiſſe civitatem: cum vero adjiciat (l) in montanis Juda ſitam, Chebron neceſſario ſignificatam eſſe apparet.

Lucas functus munere exacti hiſtorici.

(l) Luc. 1.

Unde & certum eſt, errare illos, qui per civitatem Juda in montanis poſitam, putant Hietoſolymam eſſe intelligendam: nam non eſt annumerata inter civitates ſacerdotales apud Joſuu (m) Hieruſalem, quæ potius regia erat civitas, quo tantum tempore vicis ſuæ ſacerdotes, qui in ſuis habitabant civitatibus, accedere conſueverunt.

(m) Joſue. 20.

Burchardus (n) autem in deſcriptione Terræ ſanctæ, domum Zachariæ ſic ponit in montanis Judææ, ut tamen ab

(n) Burch. par. 1. c. 7. ſ. 68.

Digitized by Google

ab Hebron, ſeu Chebron, novem leucis diſtare, eamdemque non in civitate, ſed in campeſtribus ſitam dicat: at certe auctore Luca Evangeliſta, intra civitatem Juda poſitam fuiſſe Zachariæ domum, non in campeſtribus, conſtat. Quæ autem (ut ad rem redeamus) ibi ea ſalutatione ſunt facta, nempe quod infans in utero Elizabeth exultavit, ſimulque ſanctificatus eſt de Mariæ cantico, ſpirituque prophetico, Joannis natali, atque Zachariæ recepta loquela, & gratiarum actione, exacte S. Lucas deſcribit; ut non ſit opus aliquid addere, vel verbis aliis recenſere. At de his hactenus: jam reliqua proſequamur.

LXXX. De facta deſcriptione a Quirino.

His enarratis, mox ſubdit Evangeliſta; *Factum eſt autem in diebus illis, exiit edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſide Syriæ Cyrino: & ibant omnes, ut profiterentur, ſinguli in ſuam civitatem. Aſcendit autem & Joſeph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ erat Bethlehem, eo quod eſſet de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante.* Hæc Lucas (*a*). At quoniam, etſi non interpretis hiſtoriographi certe fungimur munere; noſtri eſſe putamus officii, ut hæc ipſa multis perplexa nodis & obvoluta obſcuritatibus enodemus, ac quantum vires ſuppetant, elucidemus. Magna ſane urgenſque eſt objectio illa, quæ ex Juſephi Judæi hiſtoria (*b*) exoritur, qua dicitur, deſcriptionem factam ſub Quirino Præſide, non Herodis tempore quo ponitur ab Evangeliſta, immo nec ſub regno ejus filii Archelai; ſed poſt illum exactum, novem ſaltem annis ab Herodis interitu contigiſſe. Mirati ſumus vehementer Euſebium (*c*), ad confirmandam Evangelicam veritatem de cenſu acto ſub Quirino, citaſſe dictum auctorem, quem in his quæ ad tempus ſpectant, contradicere certum eſt; uſque adeo, ut illius aſſertione hiſtoriam a Luca conſcriptam in dubium revocari ſit neceſſe.

(*a*) Luc. 2.

Joſephus redarguitur.

(*b*) Joſeph antiq. lib. 17. c. ult. & l. 18. c. 9. De bel. Jud. l. 2. c. 7.

(*c*) Euſeb. hiſt. ar. l. 1. c. 5.

LXXXI. Novatorum veſania exploditur.

Sed mirum in modum obſtupuimus ad novatorum veſaniam, dum Joſepho Judæo plus tribuunt, quam Evangelio a Luca conſcripto: quippe qui adeo irrefragabilem eſſe ducant illius hiſtoriam, ut potius quam velint Joſephum erraſſe, dicere non erubeſcant, textum Evangelii alteratum, vel potius adulteratum, eaque verba quibus dicitur: *Hæc deſcriptio facta eſt a Præſide Syriæ Cyrino:* non eſſe Evangeliſtæ, ſed alicujus otioſi hæc ſcribentis in margine, eademque inde irrepſiſſe in textum. Sed doceant, velim, quando ſine iiſdem verbis a Patribus idem textus citatus alicubi reperiatur, vel ſi quis Græcus aut Latinus codex inveniatur antiquus, in quo ea verba deſiderentur. At cum (ut & nunc habet textus) ſemper a temporibus Apoſtolorum, æque in omnibus Chriſtiani orbis Eccleſiis ea verba in Evangelio ſint lecta; quæ tanta temeritas & impudentia, ut ea velint expungi? Inepta prorſus eſt illa reſponſio, qua dicitur, eo tempore quod ſcribit Lucas, promulgatum eſſe edictum de Orbis deſcriptione; ſed ob ingruentia bella, quibus Palæſtina vexata eſt, poſt decimumquartum annum cenſus exactionem eſſe dilatum. Digna riſu potius quam confutatione ſententia: cum conſtet his temporibus nullo gravi externo bello vexatam fuiſſe Palæſtinam, regnante Herode, & Archelao poſt ipſum: ſed ex ipſius Evangelii etiam refellitur verbis; quibus dicitur, quod *ibant omnes, ut profiterentur, ſinguli in civitatem ſuam;* nec aliud erat ipſa profeſſio, quam cenſus ſolutio, ut docet Juriſconſultus (*d*).

(*d*) Lib. 1. & ſeqq. ff. de cenſib.

LXXXII. Joſephi hiſtoria infima collata cum Evangelio.

Verum quid tam magnum, tam novum & inſolitum, immo quid tam verum & frequens, quam ſi dixerimus Joſephum eſſe hallucinatum? Quid, inquam, tam magnum? cum certe, etſi nulla ſubeſſet ratio eum erroris arguendi, Evangeliſtæ quidem auctoritas ſatis ſuperque ſit ad quantumlibet teſtatam & obſignatam, probatamque ejus opinionem infringendam. Sed hæc apud Chriſtianos: quid ſi de his agendum eſſet cum Gentilibus, qui non obediunt nec credunt Evangelio? certe nec in re tanta eorumdem arbitrium ſubterfugerem. Quis enim, licet Ethnicus, veri tamen amator & æquus judex, cum de veritate hiſtoriæ quæritur, non majorem putet eſſe adhibendam fidem illi qui propinquior illis temporibus fuerit, cujus fides adeo ſincera probetur, ut numquam erraſſe reperiri poſſit; quique vitæ integritate ſic polleat, & veritatem colat, ut pro ea millies, ſi liceret, vitam profundere non recuſet? Sane quidem his omnibus & mille aliis partibus Lucas Evangeliſta Joſepho hiſtorico præſtat, & maxime antecellit. Sed quid amplius? Non eſt opus ut modo ex Ethnicis æquum judicem interpellem; cum diu ante hæc judicarit perditiſſimus ille Chriſtianorum hoſtis Julianus Apoſtata (*e*), dum Lucæ citat teſtimonium de deſcripto Chriſto una cum Maria & Joſeph ſub Quirino. Sed miſſis his, ad rem propoſitam redeamus.

(*e*) Apud. Cyril. Alex. lib. 6. contr. Jul.

LXXXIII. Quid, inquam, tam novum & inuſitatum, ut Joſephum in his erraſſe dixerimus; cum & alias ſæpe eumdem in diverſos lapſum eſſe errores, nemo non dixerit? Ad quod, ne longe petita ab his adducamus exempla, accipe illud in primis, quod ipſe in locis citatis de Antiquitatibus Judæorum (*f*) profitetur: poſt exactum Archelaum e regno, Quirinum eſſe miſſum in Syriam ac Judæum populum cenſuiſſe, idque incidiſſe dicit (*g*) in annum trigeſimum ſeptimum poſt de-

(*f*) Joſeph. antiq. lib. 17. cap. ult. & lib. 8. cap. 1.

(*g*) Joſeph. antiq. lib. 18. c. 3.

Alius Joſephi error.

(a) Dio lib. 50.

devictum a Cæſare Auguſto in Actiaca pugna M. Antonium. Verum ſi hæc ad exactam temporum rationem referas, falſa eſſe proculdubio invenies: nam ſi numeres annos qui intercurrunt ab Actiaca pugna, quæ contigit Auguſto tertium & Meſſala Coſſ. (a) annos eſſe quadraginta colliges. Dum etiam in locis nuper citatis meminit de ejuſdem Quirini Conſulatu, quaſi de re admodum recenti, Faſtos Conſulares eum ignoraſſe certum eſt: nam Quirinum una cum Æmiliano collega ante annos vigintiduos Conſulatum geſſiſſe, eſt exploratiſſimum.

LXXXIV.

(b) Matth. 2.

Joſephi enormes panduntur errores.

(c) Joſeph. antiq. lib. 15. cap. 13. & lib. 17. cap. 7.

In quam præterea abſurda & portentoſa mendacia incidat neceſſe eſt, qui de annis Herodis regis inconſulte nimis Joſepho fidem adhibendam putarit: ex ſe ipſo quiſque poterit perfacile intelligere, dum obitum Herodis ipſe recenſet biennium ante Chriſtum natum: adeo ut ea ratione non tantum quæ S. Lucas de Herode ſcribit, ſed & quæ Matthæus (b) narrat, ſi Joſepho demus aures, fide careant (quod nefas eſt dicto) neceſſe ſit. Verum eumdem auctorem in annis regni Herodis computandis eſſe mirum in modum hallucinatum, adeo ut novem annos numerare prætermiſerit, ex ſuis ipſius ſcriptis aperta luce paulo inferius, cum agemus de tempore natalis Chriſti aperiemus; ut nullus de ea re (ni fallimur) dubitandi locus relictus videatur. Quanta eſt inſuper in eodem auctore inconſtantia, dum anno decimoſexto Herodis Regis, Varum fuiſſe Præſidem Syriæ tradit (c); poſtea vero ait, eum ſucceſſiſſe Sentio Saturnino, anno ante ipſius Herodis obitum; cum inter utrumque temporis ſpatium anni intercurrant ſaltem viginti? nec eſt quod poſſit dici, eumdem Varum iterum eo miſſum, cum nec ipſe Joſephus, nec alii id teſtentur. Hæc dicta ſint adverſus eos qui tanti faciunt ejuſdem hiſtorici teſtimonium, ut ejus cauſa Evangelicam veritatem non vereantur impudenter nimis adducere in controverſiam, & dubii judicii lance ſuſpendere. Verum quo eadem ipſa Evangelica veritas ſua firmitate ſubſiſtens, manifeſtior habeatur, operæpretium duximus ſucceſſionem Syriæ Præſidum ex antiquis probatiſque hiſtoricis comparatam, a tempore regni Herodis, uſque ad Auguſti Imperatoris obitum, hic intexere; qua etiam non Joſephus tantum, ſed alii, qui eamdem aliter confixerunt erroris redarguantur.

LXXXV. De Judææ Præſidibus.

(d) Joſeph. lib. 14. c. 27.

(e) Dio lib. 49.

Cum decretum eſſet ex Senatuſconſulto Judæorum regnum Herodi, & illud invaſiſſet Antigonus (d): ab Antonio res Orientales adminiſtrante Cajus Soſius Syriæ Præſes creatus eſt: id quidem ipſe Joſephus & Dio (e) teſtantur. *Contigit* (ut idem Dio tradit) *Soſii præfectura ſub Conſulatu Claudii & Norbani, anno ab Urbe condita ſeptingenteſimo decimo ſeptimo. Soſio eſt ſubrogatus Q. Didius quem auctore Dione* (f) *conſtat præfuiſſe Syriæ ſaltem uſque ad tempus Actiacæ pugnæ, quæ facta eſt anno ab Urbe condita ſeptingenteſimo vigeſimoquarto, quando eodem auctore liquet Auguſtum parta victoria veniſſe in Syriam. Huic eſt ſuffectus Meſſala*, cujus & Dio (g) meminit: *hic præfuiſſe videtur uſque ad annum ab Urbe condita ſeptingenteſimum trigeſimum primum, quando M. Agrippa tam Syriæ, quam toti Orienti præficitur; qui* (ut idem teſtatus Dio (h)) *eſt revocatus anno ab Urbe condita ſeptingenteſimo trigeſimo tertio, quo ipſe Auguſtus in Syriam profectus reperitur* (i) *ubi manſit ſaltem triennii temporis ſpatio; nam ſub Conſulatu Sentii Saturnini adhuc agebat in Oriente, componens res provinciarum*, ut teſtatur Vellejus Paterculus, *circumferens*, ut ait, *orbi terrarum præſentia ſua pacis ſuæ bona. Anno vero urbis ſeptingenteſimo trigeſimo octavo, iterum illo rediit, ac tenuit uſque ad annum ſeptingenteſimum quadrageſimum primum.* Hæc ex Dione (k); cui conſentit Joſephus (l), dum ait Agrippam præfuiſſe Orienti annis decem; putamus tamen dilatum magiſtratum Agrippæ uſque in ſequentem annum Urbis ſeptingenteſimum quadrageſimum ſecundum, quo anno Conſulatum geſſit una cum Valerio Meſſala Quirinus: quo perfuncto magiſtratu, eumdem Quirinum eſſe miſſum in Syriam Præſidem, ſatis annuere videtur Tacitus, (m) dum agens de ejus funere, poſt conſulatum mox debellaſſe, inquit, per Ciliciam caſtella Hemonadenſium, ac ſic inſignia meruiſſe triumphi.

(f) Dio hiſt. Rom. lib. 51.

(g) Dio eod. lib. 51.

(h) Dio hiſt. Rom. lib. 53.

(i) Idem lib. 54.

(k) Dio ibidem.

(l) Joſeph. antiq. l. 10. c. 6. in fin.

(m) Tacit. l. 3. Ann.

LXXXVI. Succeſſio præſidum Syriæ.

(n) Joſeph. antiq. lib. 16. cap. 13. & ſeq.

(o) Luc. 2.

(p) Dio hiſtor. Rom. l. 55. & Vellejus hiſt. Rom.

At dubium non eſt, illos conſueviſſe in provinciis bella gerere, qui illis præeſſent Proconſules, ſive Præſides: nec ulla dubitatio eſt, ſub provincia Syriæ Ciliciam eſſe redactam: quibus rationibus fateri opus eſt, Quirinum in Syriam Præſidem miſſum eſſe poſt ſuum Conſulatum, anno ab Urbe condita ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio. Poſt ipſum vero ſubrogatos putamus, quos ſcribit Joſephus, (n) Sentium Saturninum, & Volumnium; quorum præfecturam diuturniorem fuiſſe, idem auctor teſtatur. Anno vero ab Urbe condita ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo præficitur Syriæ, totique Orienti C. Cæſar, Auguſti filius adoptivus: quo defuncto, nullus alius ſubrogatus reperitur, niſi qui ab Evangeliſta, (o) recenſetur, idem qui ſupra Quirinus, idemque dictus Cyrinus; quem præfectum tunc Syriæ, ea quæ de eodem Quirino citato loco ſcribit Tacitus, perſuadent, dum ait, proficiſcenti dicto C. Cæſari ad bellum Armenicum, quando diximus ex Dione (p) & Vellejo Paterculo, Syriæ ſimul & totius Orientis illi creditam præfecturam; datum inſuper fuiſſe eidem adhuc adoleſcentulo necdum vigeſimum annum agenti rectoſem

rem eumdem P. Sulpitium Quirinum. Illo vero (ut ex Dione diximus) in provincia defuncto, cum nullus alius ſubſtituitur legatus, Quirinum remanſiſſe Syriæ Præſidem, nulla debet eſſe dubitatio. Hic autem habuit ſucceſſorem Quintilium Varum, quem eodem auctore (*a*) conſtat manſiſſe in eo magiſtratu uſque ad Conſulatum Sulpitii Camerini, & Poppæi Sabini, anno Chriſti Redemptoris noſtri undecimo. Cui non Quirinus, ut Joſephus habet, ſed M. Ambivius eſt ſubrogatus; niſi velimus dicere, eumdem Quirinum adhuc tertio in Syriam Præſidem miſſum. Ambivio autem eſt ſuffectus Annius Rufus, cujus tempore (ut idem Joſephus (*b*) teſtatur) Octavianus Auguſtus mortuus eſt: hactenus de ſucceſſione Præſidum Syriæ.

(*a*) *Dio l.* 56.

(*b*) *Joſeph. antiq. l.* 18. *c.* 3.

LXXXVII. Judæi ſæpe cenſi.

Quod autem ſpectat ad cenſum per Quirinum in Judæa actum: ſi ad hiſtoricam veritatem indagandam ipſius Lucæ verba penſemus, cognoſcemus non ſemel tantum, ſed iterum actum eſſe ſub eodem Præſide cenſum. Sic enim ait: *Hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſide Syriæ Cyrino, &c.* Quod primam dixit; nemo prudens intelliget, tunc primum cenſos fuiſſe Judæos, atque redactos ſub tributo, factoſque Populo Romano vectigales. Siquidem longe antea, ſub Conſulatu Ciceronis & Antonii, Pompejus eos domuit, & tributum ab eis exegit: idque ipſe Cicero (*c*) in primis teſtatur; id Joſephus (*d*) & alii (*e*). Neque id ſemel factum eſt: nam eumdem Pompejum (ut auctor eſt Cæſar *f*) tempore belli civilis a Regibus, Dynaſtis & Tetrarchis Aſiæ totius & Syriæ, ſub qua continebatur & Palæſtina, conſtat ingentes pecunias corraſiſſe: quin etiam auctore Dione (*g*) ſcimus, & Gabinium Syriæ Præſidem tributum Judæis imperaſſe: hoc ipſum & Caſſium & cæteros factitaſſe, qui poſt ſucceſſerunt Præſides Syriæ, certum eſt; ac viginti novem annis Judæos Romanis tributa pependiſſe, antequam Antipater, Herodis pater, Judææ procurator a Romanis institueretur, nec poſtea umquam ceſſaſſe, tradit Epiphanius (*h*). Nec, licet ea provincia a Romanis Herodi ac cæteris Regibus conceſſa eſſet, deſiit tamen aliquando tributum ſolvere: quod ex Evangelio etiam teſtatum habemus, cujus auctoritate compertum eſt, eoſdem Judæos tempore Herodis Regis Roman. Imperatori cenſum perſolviſſe; perſeveraſſeque uſque ad Veſpaſiani tempora, ejuſdem penſitationem, omnes (*i*) æque affirmant.

(*c*) *Cic. orat. pro Flacco.*
(*d*) *Joſ. antiq. l.* 14. *c.* 8. *in fin.*
(*e*) *Amm. l.* 14. *Aug. de Civit. Dei l.* 18. *c.* 45. *Hier. in Dan. c.* 9.
(*f*) *Cæſar in com. de bello civil.* 3. *& Joſ. antiq. l.* 14. *c.* 17.
(*g*) *Dio hiſt. Rom. l.* 39.
(*h*) *Epiph. in Panar. hæreſ.* 51.
(*i*) *Epiph. hæreſ.* 51. *Joſeph. antiq. & de bello Jud. & alii.*

LXXXVIII. Diuturniores Syriæ Præſides.

Quod igitur ab Evangeliſta ea deſcriptio a Quirino prima facta dicitur: non ſic (ut vidimus) eſt accipiendum, ut tunc primum Judæi fuerint deſcripti atque cenſi: ſed primam dixerit reſpectu ſecundæ ſub eodem Præſide factæ, more Romano, quolibet luſtro cenſendo populum. Nec quis ſubinde exiſtimet impoſſibile, ut tam diuturno tempore Quirinus fuerit in provincia. Nam & Quintilium Varum longo majori annorum numero eamdem adminiſtraſſe, Joſephus (*k*) teſtatur. Ruſumque ſub Tiberio Auguſto Valerium Gratum in eadem functione undecim annos exegiſſe, Pilatum annos decem (ut de cæteris taceam) idem auctor affirmat (*l*). Sed nec id dici patitur Joſephus, dum ſcribit (*m*), his temporibus Varum Præſidem Syriæ, & Sabinum procuratorem Judææ præfuiſſe, & uſque ad finem regni Archelai in eo munere perdurafſe: niſi dixerimus eodem tempore tres fuiſſe in magiſtratu, Varum, Quirinum, & Sabinum, ſicut nuper ante hos totidem eaſdem adminiſtrabant provincias, Sentius Saturninus, Volumnius, & Pedanius, nam ait (*n*): Præſederunt autem rectores, quibus a Cæſare ſcriptum fuerat, Saturninus & Pedanius Legati, & cum his Volumnius procurator. Horum duo, primus & ultimus, alibi ab eodem auctore (*o*) ſunt Præſides Syriæ appellati; ſed verius eſt, ut paulo inferius demonſtrabimus, Joſephum erraſſe: qui enim ſemel ab his quæ ſunt temporis deviat, in alios ſimul errores adduci neceſſe eſt: prætermiſſis enim ab eo novem annis regni Herodis, portentoſos inde neceſſe eſſe ſequi errores manifeſtum eſt.

(*k*) *Colligitur ex Joſeph. numerando tempus ingreſſus & egreſſus.*
(*l*) *Joſeph. antiq. l.* 18. *c.* 3. *& eod. c.* 3.
(*m*) *Joſeph. antiq. l.* 18. *c.* 12. *de bel. Jud. l.* 2. *c.* 1.
(*n*) *Joſeph. de bello Jud. l.* 1. *c.* 17.
(*o*) *Joſeph. antiq. l.* 16. *c.* 23.

Sed Tertullianum (*p*) interim audiamus. Agens ipſe pro veritate carnis Chriſti adverſus Marcionem, hæc ait: *Sed & cenſus conſtat actos ſub Auguſto, nunc in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus inquirere potuiſſent.* Hæc ille. Sed quid eſt, quod dicit, *nunc*? quid inſuper, *quod per Sentium Saturninum* ait *cenſus exactos*? Sed jungamus his, quæ rurſus de eodem cenſu inferius habet his verbis (*q*): *Nemo facile ignorari de genere potuiſſet, vel de recentibus Auguſtianis cenſibus adhuc tunc fortaſſe pendentibus.* Hæc Tertullianus: ſcabroſus plane locus, nec facile ſuperandus. Minime enim placet quod dicitur (*r*), Quirinum per Sentium Saturninum egiſſe cenſum in Judæa: nam qui fuerint Saturnini collegæ in adminiſtratione provinciæ, jam nuper vidimus. Rurſus præfectura Saturnini nullo pacto ad Chriſti tempora potuit perveniſſe; cum poſt eum, uſque ad Quirinum, præfuiſſe illic ad multos annos Quintilius Varus dicatur. Nec puto dicendum, Quirinum Præſidem ad exigendum cenſum uſum fuiſſe adminiſtro eodem Varo, quem conſtat ampliſſima Conſulatus dignitate, non, ut Quirinus, ſemel tantum, ſed ſecundo auctum (*s*); primum una cum collega Veſpillo, ſecundo una cum Ælio Cato: indignumque prorſus haberi, ut Varus fuerit Quirini miniſter.

LXXXIX. De cenſu ſub Saturnino.

(*p*) *Tert. adv. Marc. l.* 4. *c.* 19.
(*q*) *Idem eod. c.* 36.
(*r*) *Pamel. ibi not.* 276.
(*s*) *Faſt. Conſ. Panvin. ex Dione & aliis collect.*

XC.

Sed de his acturis, illud in primis videndum eſt: Cur dum agit Tertullianus de cenſu, in quo deſcriptus eſt Chriſtus, non potius Evangelii auctoritate di-

Digitized by Google

dicat a Præſide Syriæ Quirino fuiſſe exactum? Agebat ille adverſus hæreſiarcham, qui non recipiebat Evangeliſtam de Chriſti carne loquentem (*a*): unde non adeo mirandum, ſi poſthabito Evangelio Lucæ, cui (ut jam dixi) non credebat, provocat ad Romani archivi cenſuum antiquas tabulas. Sed cur potius (forte quiſpiam ſciſcitabitur) actum dicit per Saturninum, quam per Quirinum? Siſte, quæſo, parumper & attende: nam in auctore qui eſt in eloquendo (ut & docte quidem Lactantius (*b*) refert) parum facilis, minus comptus, & multum obſcurus, non tantum ipſius orationis periodi atque ſententiæ, ſed ſingula verba, ac dictiones, ſunt omni ſtudio examinanda. Quid enim quod cum de eodem cenſu agit, diverſo admodum utitur loquendi genere? Dum enim Saturnini interponit perſonam, ſic ait: *Cenſus conſtat actos nunc in Judæa per Sentium Saturninum*. Cum vero de Saturnino tacet, mutans ſtylum, his utitur verbis: *Nemo facile ignorare de genere potuiſſet, vel de recentibus Auguſtianis cenſibus adhuc tunc fortaſſe pendentibus*. Quorſum hic dicit, *tunc?* illic vero, *nunc?* quodque hic ait, *Adhuc fortaſſe pendentibus*, inibi vero *Conſtat exactos?*

(*a*) *Tert. l. de carne Chriſti.*

(*b*) *Lact. l. 5. c. 1.*

Tertullianı locus difficillimus elucidatur.

XCI. Mea quidem ſententia, quam volens libenſque eruditorum quorumcumque cenſuræ ſubjicio, Tertullianus cum non ſatis exploratum haberet ex Luca Evangeliſta de Chriſto nato, cum Joſeph & Maria venirent in Bethlehem: an ante abſolutam deſcriptionem natus, atque ſic deſcriptus fuerit, nec ne: ut in re dubia, illis utitur verbis: *Adhuc tunc fortaſſe pendentibus*. Porro ne ob eam cauſam eluderetur tota illa argumentatio, de probanda ex parentibus in cenſu deſcriptis veritate Chriſti carnis; argute ad cenſum ſequenti luſtro peractum, in quo neceſſe fuit tam Chriſtum, quam qui dicebantur pater & mater ejus, deſcribi, provocat Marcionem: eoque ſenſu accipienda illa verba: *Actos nunc per Sentium Saturninum*: ac ſi diceret, exactos poſtea. Contigit enim ſequens luſtrum, quo (ut diximus) more Romano cenſus agebatur, ſub Conſulatu ejuſdem Sentii Saturnini & Ælii Cati (*c*), poſt annos quinque a Chriſto nato, ſecundum quod ipſe numerat Chriſti annos. Nam cum ipſe dicat agens adverſus Judæos, ſupervixiſſe Auguſtum annos quindecim, ex quo natus eſt Chriſtus; ſane quidem Conſulatum Sentii Saturnini incidere in annum quintum Chriſti, certum eſt. Sicque quod dicit cenſus actos nunc in Judæa per Sentium Saturninum, idem eſt, ac ſi diceret, cenſus actos poſtea in Judæa ſub Conſulatu Sentii Saturnini: Conſulum enim nominibus ſolitas cenſus cujuſlibet tabulas notari nullus eſt qui neſciat. Nec quidem in Tertulliano magis propriam locutionem excultioremque dictionem requirendam eſſe, qui ejus lectioni eſt aſſuetus, haud difficulter judicabit. Nec mirabitur, ſi quod ſub Saturnino Conſule factum eſt, per eundem actum dixerit.

(*c*) *Faſti Panvinii ex Dione.*

Non erat adeo levis in Tertulliano (*d*) dubitandi occaſio, an in tabulas cenſus Quirini Chriſtus relatus eſſet: quippe qui in primis neſciret, an ante clauſas cenſus tabulas fuiſſet natus: verum etſi certum habuiſſet natum eſſe; tamen ante dies octo, cum nondum illi eſſet inditum nomen, quod (ut teſtatur Evangeliſta *e*) poſt circumciſionem accepit, impoſſibile erat in tabulas cenſus inſerri, in quibus cujuſque profitentis ſcriberetur nomen. Conſtat enim jure antiquo Romanorum (*f*) omnes cujuſque ætatis & ſexus, quantumlibet infantes, cenſeri ſolitos; itemque & Juriſconſultum poſtea reſpondiſſe, eum, qui poſt deſcriptionem natus infans eſſet, ante tamen quam eadem deſcriptio abſoluta eſſet, in ipſas cenſus tabulas adſcribendum: ſcimus tamen, non tantum (ut diximus) apud Judæos ante octavum diem, quo nomen indebatur infanti, id fieri minus licuiſſe, ſed nec apud ipſos Gentiles quidem; quippe qui (ut habet Feſtus Pompejus *g*) feminæ die octavo, maſculo autem die nono (qui dicebantur luſtrici dies) nomen imponere conſueverant. At licet de his Tertullianus jure dubitare potuiſſet: tamen pendente adhuc cenſus deſcriptione ſub Quirino, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum eſſe natum, circumciſum, atque deſcriptum, Patres omnes pari conſenſione confirmare videntur. Circumciſum ipſum eodem loco, quo natus eſt, auctor eſt Epiphanius (*h*): Juſtinus (*i*) martyr ſub Quirino deſcriptum fuiſſe profitetur: Id apud Cyrillum (*k*) Julianus Apoſtata; id Oroſius, dum ait: *Romano cenſui, ſtatim ut natus eſt, adſcriptus eſt, dicendus atque civis Romanus cenſus Romani profeſſione*. Hæc ille jure antiquo Romanorum (*l*) quo ex deſcriptione in chartis cenſuum quis argueretur civis eſſe Romanus: qua etiam ratione omnes, qui in orbe Romano ſunt, inquit Juriſconſultus (*m*), cives Romani dici poſſunt, quod cenſu Romano deſcriptus ſit univerſus Orbis. XCII.

(*d*) *Ter. adv. Jud. c. 8.*

(*e*) *Luc. 2.*

(*f*) *Dion. Hal. l. 4. l. ætate ff. de cenſib.*

(*g*) *Feſt. Pomp. in verb. luſtrici*

(*h*) *Epiph. l. 1. c. ult.*

(*i*) *Juſt. mat. ad Ant. Pium.*

Chriſtus deſcriptus ſub Quirino.

(*k*) *Cyril. in Jul. l. 6.*

(*l*) *Nota Sig. ex Livio Cic. & aliis l. 1. c. 14. de urb. antiq. Rom.*

(*m*) *l. in orbe ff. de ſtat. ho.*

Quod vero ad deſcriptionem infantium pertinet, poſtea conceſſa eſt immunitas provinciæ Syriæ, ſub qua & Judæa cenſebatur, ut nonniſi puberes adſcriberentur in tabulis cenſuum, & qui non illam attigiſſent ætatem, haberentur immunes, prout & Juriſconſultus (*n*) de his agens teſtatur. Sed (ut jam nonnihil intermiſſa repetamus) quod diximus deſcriptionem per Quirinum factam, fuiſſe luſtralem, & quolibet quinquennio repeti ſolitam; ſic accipiendum eſſe proponimus, ut luſtralis cenſus quolibet quin- XCIII.

(*n*) *l. forma ff. de cenſib.*

queu-

quennio agi ſolitus, Auguſti illo edicto, cujus meminit Evangeliſta, auctus fuerit, magnumque acceperit incrementum. Sæpe namque cenſus deſcriptionis mutatam uſſe formam, qui Livium & Dionyſium legerit, facile intelliget. Porro perſeveraſſe in futurum luſtralis cenſus exactionem uſque ad Veſpaſiani Imper. temporu, Cenſorinus (*a*) fidem facit: ſed Tertullianus (*b*) in libro de Pallio, ſuis adhuc temporibus cenſus ſcribi ſolitos teſtatur, eum ait: *Deo tot Auguſtis in unum favente, quot cenſus tranſcripti, quot populi propaginati?* Caſſiodorus (*c*) de Orbis deſcriptione ab Auguſti edicto imperata eam affert cauſam, quod *cum ob bella civilia immenſis univerſus Orbis afflictatus cladibus eſſet, ipſaque rerum dominia haberentur incerta atque confuſa: his proſpicere curans Auguſtus Romanum orbem agris diviſit, cenſumque deſcribi voluit, ut poſſeſſio ſua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum ſuſceperat quantitate ſolvenda.* Hæc ibi. Illa adhuc uffertur cauſa, quam Suidas ſic (*d*) ſcribit: *Cæſar Auguſtus monarcha viros viginti probatiſſimæ vitæ delectos in omnes provincias miſit, per quos & homines & opes deſcripſit, edixitque ut juſtam inde in ærarium partem inferrent. Hæc deſcriptio prima facta eſt; cum hi, qui eum antecesserunt, quid non poſſeſſoribus eriperent? ut locupletibus publico eſſent crimini divitiæ.*

Qualis cenſus ſub quo Chriſtus deſcriptus.

(*a*) Cenſ. de die nat. c.15.

(*b*) Tertul. de Pal. c. 1.

(*c*) Caſſiod. Var. l.3. ep. 52.

Cenſus Auguſti ratio.

(*d*) Suid. hiſt. ver. ἀπογραφή.

XCIV. Quod vero ad numerum cenſorum ſpectat idem, inferius cum de Auguſto agit, hæc ait: *Hunc cum viſum eſſet numerare omnes Romani Imperii incolas, ut ſciret quanta eſſet multitudo; reperit myriades quatuor centum decem mille, & tredecim viros.* Sed corrigendus mendoſus textus, ut dicat, *quater centum*. Alia inſuper redditur hujus cenſus ratio (*e*); quod cum Auguſtus vectigalia omnia provinciarum ſuſtuliſſet, tributa ordinariu inſtituit, alia in agros, alia in capita; itaque cenſum in toto Imperii Romani orbe indixit, ut capitum fortunarumque ſummam, quæ in Imperio eſſet, cognoſceret. Verum præter luſtralem cenſum, ob exhauſtum nimis civilibus bellis ærarium, alias ſæpius idem Auguſtus tributum imperavit: ac primum (ut ſcribit Dio *f*) Marcio & Sabino Coſſ. anno ab Urbe condita ſeptingenteſimo decimo quinto, novu vectigaliu excogitavit, eſtque illu ipſe annus quartus Triumviratus, quo & ab Æra, numeri nota, in Hiſpaniis cœpti ſunt anni numerari. Ruſus etiam ipſo ſextum Conſule unu cum Agrippa, cenſus nomine pecuniam exegit (*g*). Sub Conſolatu inſuper Poppæi Sabini & Sulpitii Camerini, invidioſam illam de caducis hæreditatibus legem, Poppæi nomine, ferendam curavit (*h*). Quid dicam de collatione vigeſimæ imperata? Quid de

(*e*) Sigon. de jur. antiq. Ital. l.1.c.21.

Plures cenſus exacti ab Auguſto

(*f*) Dio hiſt Rom. l.48.

(*g*) Dio l. 53. in pri.

(*h*) Tacit. l.3. Annal. Plin in pa. neg. & alii.

cenſo Senatu, quando tam ingens eſt exacta pecunia, ut multi ſponte a Senatu abierint? Quid inſuper de cenſu per Italiam exigi juſſo? Meminit de his omnibus Dio (*i*). De cenſu etiam tribus Galliis ab eodem imperato agit Florus (*k*).

(*i*) Dio l.54.55.& 56.

(*k*) Flor.in Epito.Liv.

XCV. Jam vero admirati fortaſſe aliquis poſſet, ac perinde quærere: Quid eſt, quod nullus Ethnicorum hiſtoricorum, qui res Romanorum ſunt proſecuti, de tam celebri deſcriptione ac nobiliſſimo cenſu aliquando meminerit? Cæterum haud adeo admirandum eſſe cognoſcet, qui nobiliſſimorum præſtantiſſimorumque hiſtoricorum monumenta, illorum præſertim temporum, quibus hæc contigerunt, excidiſſe conſideret. De Livio ſciunt omnes: de Dione & Tacito, qui res Romanorum per annos ſingulos diligenti cura ſtudioque conſcripſerunt, quid dicam in promptu eſt: nimirum Dionis hiſtoriam a Conſulatu Antiſtii & Balbi uſque ad Conſulatum Meſſalæ & Cinnæ, nempe per decem annorum ſpatium, quinque ante Chriſtum natum, totidem poſt, e commentariis ſublatam, omnino periiſſe. Taciti vero Annales incipere ab Imperio Tiberii Cæſaris, omnes ſciunt. Suetonius, qui teſtat, ſic ſcripſit Vitas Romanorum Imperatorum, ut nullum ſibi præſcripſerit ſervandi temporis ordinem: quamobrem multa prætermiſiſſe, collatione facta illorum, qui in ſcribendo per Conſules res geſtas cujuſque anni memoriæ commendarunt, perfacile convinci poteſt.

XCVI. Certe rem tam patentem & claram, ex ipſis Romanis archivis, in quibus cujuſque cenſus tabulæ aſſervabantur, quas noſtri citare conſueverunt, certam, teſtatam, obſignatamque ſibi fidem publicam vendicaſſe, certum eſt: adeo ut non Celſi, non Porphyrii, non denique Juliani, vel ſi qui alii Chriſtianæ fidei extiterunt acerrimi oppugnatores, negare ſint auſi; niſi tantum cæteris omnibus impudentiores, quos diximus, noſtri ſæculi novatores: *qui*, quod ait Judas Apoſtolus, *quæcunque ignorant, blaſphemant; quæcunque autem norunt, in his corrumpuntur.* Ecce quam libere (*l*) Juſtinus martyr publica defenſione Chriſtianæ fidei apud Antoninum Pium, ejuſque filios Cæſares, ipſumque Senatum, nec non populum Romanum agens, de deſcriptione cenſus ſub Quirino his meminit verbis: *Vicus*, inquit, *quidam eſt Bethlehem in regione Judæorum, triginta quinque ſtadiis Hieroſolymis diſtans: ubi natus eſt Chriſtus Jeſus: quemadmodum & ex deſcriptionibus cenſus actis, quæ ſub Quirino primo veſtro in Judæa procuratore ſunt confectæ, intelligere poteſtis.* Rurſus & Tertullianus (*m*) de iiſdem deſcriptionis tabulis hæc contra Marcionem rejicientem Evangelium: *De cenſu*, inquit, *Auguſti, quem teſtem fidiſſimam Dominicæ nativitatis Romana ar-*

Chriſti ſub Quirino cœpta deſcriptio.

(*l*) Juſt. mart. orat. ad Ant. Pium.

(*m*) Tert. cont. Mar. l.4. c.7.

biva cuſtodiunt. Non tantum itaque Evangelica veritate, ſed & publica fide Romani archivi, illis temporibus probata obſignataque erat hiſtoria de Chriſto a Quirino in tabulis cenſus ſcripto. Meminit ejuſdem Quirini Suetonius (*a*) eamque hominem fuiſſe prædivitem teſtatur: hunc & uſque ad Tiberii Imperatoris annum ſeptimum ſupervixiſſe, aſſerit Tacitus (*b*), qui ejus natales, res geſtas, ac funus compendio ſcribit.

(*a*) *Suet. in Tiberio c.49.*

(*b*) *Taci. l.3. Ann.*

XCVII. Deſcriptio Geometrica Auguſti.

His de facta ab Auguſto Orbis deſcriptione narratis, prætériiſſe nolumus aliam ab hac diverſam, ſed quæ huic haud parum conferret, ab eodem Auguſto abſolutam Orbis deſcriptionem, nempe geometricam: quæ nimiram ad Romani Imperii cenſendas provincias, loca, atque perſonas, maxime conduceret. Hanc a Julio Cæſare inchoatam Auguſtus abſolvit: ſed quo ordine & tempore, Æthicus rem geſtam deſcribens, ſic demonſtrat: *Itaque Julius Cæſar biſſextiles rationis inventor, divinis humaniſque rebus ſingulariter inſtructus, cum Conſulatus ſui faſces erigeret, ex Senatuſconſulto cenſuit omnem Orbem jam Romani nominis admetiri per prudentiſſimos viros, & omni philoſophiæ munere decoratos. Ergo a Julio Cæſare & M. Antonio Coſſ. Orbis terrarum metiri cœpit: id eſt, a Conſulatu ſupraſcripto, uſque ad Conſulatum Auguſti tertium, & * Craſſi, annis * vigintiuno, menſibus quinque, diebus novem a Zenodoro omnis Oriens dimenſus eſt ſic, ut inferius demonſtratur. A Conſulatu item Julii Cæſaris & M. Antonii, uſque ad Conſulatum Auguſti decimum, annis * viginstinovem, menſibus octo, diebus decem a Teodoto Septentrionalis pars dimenſa eſt, ut evidenter oſtenditur. A Conſulatu ſimiliter Julii Cæſaris, uſque ad Conſulatum * Saturnini & Cinnæ, a Polycleto Meridiana pars dimenſa eſt annis triginta duobus, menſe uno, diebus decem, ſicut definita monſtratur. At ſic omnis Orbis terræ intra annos trigintaduos a dimenſoribus peragratus eſt, & de omni ejus continentia perlatum eſt ad Senatum.* Hucuſque auctor.

* al Corvini.
* al xx.
* al xx.
* al Meſſalæ & Quirini.

XCVIII. Deſcriptio univerſalis.

Abſoluta ſunt hæc utque perfectu ante Chriſtum natum anno decimo, ſecundum præſcriptum annorum numerum, licet in prænotatis Coſſ. error ineſſe appareat. Ex his factam eſt ut dimenſis atque diſtinctis Romani Imperii provinciarum, civitatum, ac locoram limitibus, facilior aditus pateret tum ad hanc de qua agimus, tum ad alias Romani Orbis per cenſum deſcriptiones faciendas. Meminiſſe viſus eſt (*c*) Plinius ejuſdem deſcriptionis, dum ſe in deſcribenda Italia ſequi profitetur eam quæ eſt ab Auguſto facta deſcriptio. Idemque dum hæc alibi (*d*) ait: *In divo quoque Auguſto, quem univerſa mortalitas in hac cenſura nuncupat*, nempe eam, quam Veſpaſianus & Titus recens egerunt, de qua idem (*e*) inferius meminit: ſignificare videtur, in quolibet repetito in Orbe Romano luſtris ſingulis cenſu, mentionem Auguſti fieri, quod primus omniam univerſum Orbem Romano ſubjectum Imperio cenſuiſſet. At de cenſibus ſatis.

(*c*) *Plin. l.3.c.5.*

(*d*) *Libr. 7.c.45.*

(*e*) *Libr. 7. c.49.*

XCIX. De anno quo natus eſt Chriſtus.

Quibus vero Conſulibus, qua Olympiade, quoto inſuper Auguſti Imperii anno, ſimul & Herodis Regis, potiſſimum hæc ſit facta deſcriptio, quo etiam & natus Redemptor noſter Dominus Jeſus Chriſtus perhibeatur, reliquam eſt ut perquam ſtudioſe inveſtigemus. Hæc baſis quædam ac fundamentum Annalium eſto. Perſpecto etenim vero, quo Chriſtus natus eſt anno, cæteri qui ab eo dinumerantur, veri certique ſupputabuntur. Quod ſi quem in hoc primo anno errare contigerit, in ſingulis alias errare, quiſquis fuerit, licet invitus, cogetur; quod multis, licet non mediocriter eruditis, accidiſſe vidimus. Quapropter omni ſtudio ac diligentia videndum nobis eſt, ut certus annus, quo natus eſt Chriſtus, firmiter teſtatus habeatur, in quo velut cardine quodam tempora futura volvantur.

C.

In eo itaque perveſtigando, certior ille modus eſt habitus, quo per Coſſ. & Olympiadas tempora diſquiri conſueverunt. Unde in hanc ſententiam Auguſtinus (*f*): *Per Olympiadas, & Conſulum nomina, multa ſæpe quæruntur a nobis; & ignorantia Conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coegit errare.* Ergo quod ad Conſules ſpectat, quibus natus eſt Jeſus: tres: eædemque diverſæ reperiuntur fuiſſe antiquorum ſententiæ; quarum primæ auctor eſt Epiphanius, ſecundæ Caſſiodorus, tertiæ vero eſt Severus aſſertor. Teſtatur Epiphanius (*g*) natum eſſe Dominum Jeſum humani generis Salvatorem Auguſto decimumtertium & Silvano Coſſ. Caſſiodorus (*h*) natalem Domini, Cornelii Lentuli & Valerii Meſſalæ ſeu Meſſalini Conſulatu conſignat, præcedentis ſcilicet anni Coſs. Severus (*i*) autem neutri horum conſentiens, annum anticipans, natum Chriſtum dicit Sabino & Ruffino Coſſ. Nos vero harum trium duabus extremis rejectis, quaſi regiam viam gradientes, medium ſequimur.

(*f*) *Aug. de doct. Chriſt. l. 2. c.28.*

Quibus Coſſ. natus ſit Chriſtus.

(*g*) *Epiph. in Panar. hæreſ. 51.*

(*h*) *Caſſiod. in Chron.*

(*i*) *Sever. hiſtor. l.2.*

CI.

Scimus in his deſudaſſe diſertorum virorum ingenia; & eum qui inter recentiores de Faſtis Conſularibus fuſius diſputavit (*k*), ejus fuiſſe ſententiæ, ut, quod ſenſit Epiphanius, natus fuerit Dominus Auguſto & Silvano Coſſ. in quam & nos alias pedibus iveramus. Re tamen ipſa accuratius perveſtigata, Caſſiodoro potius acquieſcimus, a quo nec revera diſſenſiſſe videtur Epiphanius, niſi quod dum ipſe de die natalis Chriſti eſt ſecutus Ægyptios, qui ſexta Januarii Chriſtum natum eſſe dicebant (*l*), non oportuit ſub dictis Coſs. Lentulo & Meſ-

ſa-

(*k*) *Panv. in comm. Faſt. l. 2.*

(*l*) *Chryſ. homil. in Luc. c 2. in Nativ. Domin. & Caſſian. collat. 10. c.2.*

Digitized by Google

ſalino, ſed ſub dictis ſequentis anni Coſſ. Auguſto & Silvano, natalem Domini conſtituere. Quod ſi ipſe æque cum Latinis & Græcis, natum Dominum exiſtimaſſet vigeſima quinta Decembris, ſub iiſdem Coſſ. natalem Chriſti utique collocaſſet: nam ejus (*a*) ſententia eſt, ut paſſus ſit Chriſtus anno trigeſimo tertio per tres menſes inchoato: nec quantumlibet dicat Dominum natum quadrageſimo ſecundo Auguſti, ab ea ſententia diſcrepare videtur, ut paulo inferius ſuo loco dicemus. Illud inſuper, ut Caſſiodorum ſequamur, maxime perſuadet, quod homo Romanus, litterarum omni genere excultiſſimus, & in his apprime verſatus; ut qui non tantum Conſulares Faſtos, ſed & de computo Paſchali libellum conſcripſit, magna adhibita conſideratione; nec aliter quam Romana profiteretur Eccleſia, ſub dictis Coſſ. Chriſti natalem poſuiſſe videatur. Secutus eſt Caſſiodori ſententiam Marianus Scotus, qui ante quingentos annos claruit chronographus nobiliſſimus; eamdemque noviſſime Cuſpinianus pariter eſt ſecutus in ſuis ad Caſſiodorum commentariis.

(*a*) *Epiph. hæreſ. 51.*

CII. Qua Olympiade natus ſit Chriſtus.

Hæc igitur eſſe vera certaque in ipſa etiam ſupputatione Olympiadum certius demonſtrabimus. Natus eſt enim Dominus Olympiade centeſima nonageſima quarta, anno ipſius ſecundo. Id ſentit Euſebius, dum in Chronico deſcriptionem factam a Præſide Syriæ Quirino (quo anno, ut dictum eſt, & Chriſtus eſt natus) ſub eodem anno ſecundo Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ ponit: errore tamen librariorum factum eſt, ut natalis Domini, ſequenti anno, nempe tertio ejuſdem Olympiadis, poſitus habeatur: cum toto cœlo appareat, tam deſcriptionem a Quirino factam, quam natalem Domini uno eodemque anno recenſenda fuiſſe. Sed hæc clariora redduntur, ſi quæ idem auctor alibi ſcripſit (*b*), accuratius expendantur. Cum enim dicat, annum decimum quintum Tiberii Imp. non incidiſſe in annum quartum Olympiadis ducenteſimæ primæ, quod etiam in Chronico profitetur; idemque affirmet (*c*) eam annum fuiſſe ætatis Chriſti trigeſimam: ab eo tempore ſuperiores Olympiadas numerans, proculdubio inveniens natum Dominum dicta Olympiade centeſima nonageſima quarta, anno ſecundo. Nam cum ſeptem interſint plenæ Olympiades, & duo reliqui ſint anni nuper dictæ Olympiadis: ſeptenario quater revoluto, ſuperque additis illis duobus annis, trigeſimus Chriſti ætatis impletur annus. Cum igitur Conſules a Caſſiodoro poſiti, Conſulatum iniiſſe reperiantur dicta Olympiade, anno ſecundo; fateri neceſſe eſt, ſub dictis Coſſ. eodemque anno ſecundo Olympiadis Dominum eſſe natum.

(*b*) *Euſeb. de præpar. Evang. l. 10. c. 3.*

(*c*) *Idem in Chron. & l. 1. c. 10.*

CIII. Quoto anno Aug. Imp. Chriſtus ſit natus.

Quo inſuper anno Imperii Octaviani Auguſti Chriſtus ſit natus, cum alii ab aliis diverſam inierint rationem in annis ejus Imperii ſupputandis, diverſarum etiam ſententiarum auctores fuerunt; dum alii quadrageſimo ſecundo, alii vero quadrageſimo primo, rurſumque alii vigeſimo octavo ejuſdem Octaviani Imperii anno ipſum Dominum natum eſſe dixere. Quod vero idem Euſebius (*d*) Chriſti nativitatem incidiſſe dicat in annum quadrageſimum ſecundum Auguſti Imp. conſtat cœpiſſe numerare annos Auguſti a nece Caji Julii Cæſaris: a quo tempore deducendo annos quadragintaduos, natalis Chriſti in Olympiadem centeſimam nonageſimam quartam & annum ipſius ſecundum (ut diximus) incidiſſe dicendus eſt. Sed advertendum in eo illud, quod licet Euſebius (*e*) eodem anno, quo occiſus eſt Cæſar, Octaviani ponat ingreſſum, idque anno primo Olympiadis centeſimæ octogeſimæ quartæ, tamen errore librariorum factum, ut primus Auguſti annus anno ſecundo dictæ Olympiadis poſitus habeatur. Quotquot igitur antiqui ſcriptores Chriſtum natum anno quadrageſimo ſecundo Auguſti dixerant, a nece C. Julii Cæſaris annos numerare cœpiſſe videntur. Reperies Ethnicos antiquiores auctores ab eo tempore annos ejuſdem Imperatoris numerare ſolitos eſſe, & inprimis Horatium (*f*) his verſibus:

(*d*) *Idem l. 1. c. 5.*

(*e*) *Euſeb. in Chron.*

—— Nam tibi quo die
Portus Alexandrea ſupplex,
Et vacuam patefacit aulam:
Fortuna luſtro proſpera tertio
Belli ſecundos reddidit exitus,
Laudemque & optatum peractis
Imperii decus arrogavit.

(*f*) *Horat. l. 4. Oda 14.*

CIV. Numerati Auguſti anni a nece Cæſ.

Cum itaque luſtro tertio Imperii ea potitum victoria, & Alexandriam cepiſſe dicat; ipſum a nece Cæſaris annos Auguſti numerare, ſatis apparet. Alexandriam enim non eodem anno quo Actiaca pugna eſt victus Antonius, ſed ſequenti, ſexto Kal. Aprilis eſſe debellatam, notatur in Faſtis. Tacitus etiam, ſive alius auctor dialogi de Oratoribus, nonniſi a nece Cæſaris numerat Auguſti annos, dum imperaſſe annos quinquaginta & octo teſtatur. Joſephus (*g*) quoque cum dicat eumdem regnaſſe annis quinquaginta ſeptem, ſex menſibus, & amplius diebus duobus, & ipſum a morte Cæſaris annos illius Imperii numerare cœpiſſe, certiſſimum eſt. Cum ergo vetuſtiores, & qui ceteris auctoritate præſtarent auctores, a nece Cæſaris Auguſti annos numerandos deduxiſſent; complures noſtrorum eamdem ineuntes numeri rationem, more majorum, natum dixerunt Chriſtum Dominum anno quadrageſimo ſecundo Auguſti Imperatoris: eſt idem quoque annus Lentulo & Meſſalino Conſulibus in Faſtis adſcriptus: fuerunt hi poſt Euſebium, Epiphanius (*h*), Chryſoſtomus (*i*). Oroſius

(*g*) *Joſeph. antiq. l. 18. c. 3.*

(*h*) *Epiph. hæreſ. 51.*

(*i*) *Chryſ. hom. Græce ſcripta de Induct.*

(a) Oroſ. l.1.c.1.& 7. (b) Beda de ſex ætat. (c) Alb. Flac. de dividis offic. (d) Rom. Mart. 25. Decembr. (e) Apud Cicer. ep. ad Brut.

ſius (a), Beda (b), & alii (c); quod & ipſa S. R. Eccleſia in ſuo Martyrologio (d) profitetur. Porro non ea tantum ratione quia hæres inſtitutus a Cæſare illi ſucceſſit Octavius: ſed quoniam ſuprema ac maxima omnium poteſtas eidem ex S. C. cum eum armavit in Antonium, collata eſt; ab eo tempore inchoari viſum eſt ejus Imperium. Habes id egregie teſtatum ex Bruti (e) litteris ad Ciceronem, dum de ornato & aucto Octavio ſumma Imperii poteſtate conqueritur, dicens: *Itaque timeo de Conſulatu, ne Cæſar tuus altius ſe aſcendiſſe putet decretis, tuis, quam inde, ſi Conſul factus ſit, deſcenſurum:* & alia plura id genus. Quæ etiam idem auctor refricat, cum in Antonium agit undecima Philippica, appellatque illud Imperium extraordinarium: quod cum duci qui viciſſet, daretur nomen victoriæ, acclamareturque a militibus Imperator, ipſi Octavio fuerint hæc ante pugnam collata.

CV. Qui numerarunt annos Aug. a Triumviratu.

Rurſus vero alii reperiuntur numeraſſe Auguſti tempus ab anno ſequenti a nece Cæſaris, quo Hircio & Panſa Conſulibus in bello deſideratis, idem Octavius Conſulatum invaſit decimoquarto Kal. Septembris, ut Tacitus & Dio teſtantur, dum ajunt, Auguſtum illum diem habuiſſe ſupremum, quo primum inierat Conſulatum: Quo item anno, ante quintum Kal. Decembris, cum Lepido & Antonio fœdus iniens, Triumviratum inſtituit, quod ex antiquis lapidibus tabuliſque Panvinius (f) teſtatum prodidit. His ita ſe habentibus, complures, qui numerarunt annos Imperii Auguſti ab arrepto Conſulatu, & Triumviratu proxime nondum per menſem inito, cum idem Octavius annum ætatis ageret vigeſimum; natum dixerunt Chriſtum Dominum anno quadrageſimo primo ejuſdem Imperatoris Auguſti, quo Lentulus & Meſſalinus Conſules erant: porro non aliam eos iniiſſe rationem annorum Auguſti, exploratiſſimum eſt, cum nulla ſubeſſet cauſa, ut a ſequenti anno, vel reliquis, annum primum illius Imperii auſpicari potuiſſent. Fuerunt autem ex antiquis auctoribus, qui natum Dominum dixerunt anno quadrageſimo primo Auguſti: ut Irenæus (g), Tertullianus (h) (licet hic memoria lapſus, a morte Cleopatræ eos deducat) Hieronymus (i), & alii recentiores qui omnes ſecundum aſſertam nuper rationem, Chriſtum natum eſſe ſub præfatis Conſulibus Lentulo & Meſſalino, nobiſcum æque conſentiunt. Non prætermittimus, alia adhuc habita ratione annorum Auguſti, alios dixiſſe Dominum natum anno vigeſimo octavo ejuſdem Imperii, fuerunt hi Clemens (k) Alexandrinus & Euſebius (l), qui quidem putarunt tot intercedere annos ab Actiaca pugna uſque ad natalem Domini: nam Euſebius in Chronico debellatos ab Auguſto Antonium & Cleopatram ponit Olympiade centeſima octogeſima ſeptima, anno tertio; a quo numerare incipiens dictos annos vigintiocto, æque confirmat natum Dominum Olympiade centeſima nonageſima quarta, anno ſecundo, dictis Coſſ. Lentulo & Meſſalino: cum tamen, auctore Dione & aliis, reperiatur contigiſſe ea victoria (m) anno ab Urbe condita ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, quarto Nonas Septembris, Auguſto tertium & Meſſala Coſſ. dictæ Olympiadis anno ſecundo.

(f) Panvin. com. in 2. lib. Faſt.

(g) Iren. adv. hæreſ. li. 3. c. 25. (h) Tertull. cont. Jud. (i) Hieron. in Iſa. c. 2. in Dan ca. 9. (k) Clement. Alexandr. ſtrom. li 1 (l) Euſeb. hiſt. lib. 1. cap. 5.

(m) Dio l. 50. & 51.

CVI. Annus natalis Chriſti deductus a tempore Baptiſmi.

Sic igitur dicta Caſſiodori ſententia omnium auctorum atteſtatione firmata atque ſtabilita habeatur: quæ potiſſimum Lucæ Evangeliſtæ (n) teſtimonio ſolidatur, dum baptiſmum Chriſti contigiſſe narrat *anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæſaris: quando*, inquit, *ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, &c.* Quorum verborum cum multiplex ſenſus (o) a Patribus afferatur; quis potior ſit, & quis omnium maxime præferendus & eligendus, accurate perſcrutemur. Fuit Epiphanii (p) ſententia, Chriſtum baptiſmi tempore ſic dictum ab Evangeliſta fuiſſe quaſi triginta annorum, ut exactis vigintinovem annis, ac menſibus decem, duobus menſibus minor fuerit ætate annorum triginta; hæc ille ea ratione, quod baptizatum fuiſſe Dominum exiſtimarit ad ſextum Idus Novembris. Favet huic opinioni Cornelius Janſenius (q), vigilantiſſimus ſacrarum litterarum interpres. Sed communior illa videtur antiquorum Patrum ſententia, aſſerentium Chriſtum Dominum eo anno, quo eſt baptiſmate initiatus, iniiſſe annum trigeſimum, cui omnes ſunt aſſtipulati, qui Chriſtum paſſum exiſtimarunt ipſo ætatis ſuæ anno trigeſimo, ut Tertullianus (r), Africanus (s), Lactantius (t), & alii; ſed primum auctorem ſanctum Ignatium conſtituunt, quod ipſe ſcribens ad Trallianos, dicat Chriſtum triginta annos agentem baptizatum eſſe a Joanne: cui ſententia cum nonnulli ex recentioribus faveant, noviſſime R. P. Benedictus (u) Pererius, vir ſacris litteris nobiliter imbutus, & eas apprime callens, eamdem confirmavit.

(n) Luc. 3. (o) Conſule Cornelium Janſen. Concord. Evang. (p) Epiph. hæreſ. 51.

(q) Cornel. Janſen. eod. lib.

Ætas Chriſti cum Baptizatur.

(r) Tertull. cont. Jud. (s) Afric. apud Hier. in Daniel. cap. 9. (t) Lactan. lib. 4. c. 10. (u) Ben. Perer. com. in Daniel. lib. 10. q. 6.

CVII. Tempus Chriſti baptiſmi.

Tertia opinio fuit aſſerentium Chriſtum baptizatum eſſe trigeſimo ſuæ ætatis anno expleto, & trigeſimo primo inchoato, quaſi tunc re vera dici poſſet triginta annorum, cum illos expleſſet: non enim dictionem illam, *quaſi*, numeri diminutionem ſemper importare, nec dubitative ſemper poni, ſed aſſertive, pluribus divinæ Scripturæ locis demonſtrari poteſt. Hujus opinionis primus aſſertor habetur Joannes Chryſoſtomus (x), quem ſequitur Euthymius (y). Complures vero Græcorum idem ſenſiſſe, argumento eſt canon ab illis ſtatutus, quo hæc deſcripta habentur (z): *Si quis triginta ætatis annos non impleverit, nulla modo presbyter ordinetur, etiam ſi valde ſit di-*

(x) Jo. Chryſoſtom. 30. in Matt. (y) Euthym. in Matth. cap. 3. (z) Mart. Brach. lib. can. Græc. cap. 20.

gnus

gunt : quia & ipſe Dominus trigeſimo anno baptizatus eſt, & ſic cœpit docere. Innuentes illi nimirum ad illud Lucæ, quod hoc ordine Græce truducitur : *Erat ipſe Jeſus quaſi annorum triginta, incipiens*. Sicut & Origenes interpunctione diſtinguit illud, *incipiens*, a ſuperioribus ; quaſi Lucas dicere voluerit : Ea ætate erat Dominus, cum cœpit munus ſuum peragere. Rurſus Beda (*a*), Bernardus (*b*), & alii (*c*) complures recentiores eamdem interpretationem ſunt ſecuti : quorum rationes non morabor ſingulas recenſere ; ſed unus mihi ſatis ſuperque atque omnium inſtar Ignatius erit, qui cum vixerit Chriſti tempore, eumque in carne viderit (ut de eo teſtatur Hieronymus (*d*) quo potiſſimum ætatis ſuæ anno Chriſtus fuerit baptizatus, ignoraſſe non potuit : certe fideliorem verioremque Lucæ Evangeliſtæ interpretem Ignatio neminem quis jure diserit, dum quæ de Chriſto ſcripſit, ob oculos habuit.

(a) Beda de rat. temp. cap. 45.
(b) Bern. ſer. 1. de Epiph.
(c) Lirin. Luc. 3. & novaſ. Scal. de emend. temp. lib. 6. cap. 2. prope fin.
(d) Hier. de Scrip. Eccl. cap. 16.

CVIII. Mirati ſumus vehementer locum illum Ignatii Epiſtolæ ad Trallianos ub omnibus qui eam quæſtionem fuſius diſputarunt, vitioſa tranſlatione eſſe citatum, atque in eum ſenſum allegatum, ut ipſe affirmarit, Dominum trigeſimo ſuæ ætatis anno (ut habet vetus ac perperam facta es Græco in Latinum verſio) eſſe baptizatum : ſed recens verſio eademque germana atque ſinceru ſic habet (*e*): *Et expletis tribus annorum decadibus vere baptizatus eſt a Joanne*. Græce autem ſic : *Καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου*. Adverſus igitur tam patens apertumque de ætate Chriſti Ignatii teſtimonium, nemo vel mutire, nedum refragari jure debet, cum præſertim S. R. Eccleſia iſtud ipſum profeſſu videatur in antiquo Rituali, quod Ordinem Romanum uppellat ; ubi cum agitur de Epiphania, hæc verba deſcripta habentur : *Solemnitas hæc Græcis Θεοφάνια, ſive ἐπιφάνια nuncupatur, Latine autem apparitio, ſive oſtenſio, vel manifeſtatio interpretatur. Expletis namque Chriſtus quaſi triginta annorum curriculis, venit in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo*. Hæc Ordo Romanus, quæ etiam recitat Albinus Flaccus (*f*). Quod vero hæc dictio, *quaſi*, non dubitative vel diminutive ſit poſita, velut aliquid deſit de espleto triginta annorum numero, ſed potius affirmative, ut illud Joannis (*g*): *Quaſi unigeniti a Patre*. Et illud Pauli ad Corinthios (*h*) : *In eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Spiritu Domini* : ſatis espreſſe colligitur. Nam niſi Epiphanio conſenſerimus, qui ait Chriſtum baptizatum eſſe ſexto Idus Septembris, a cujus ſententia Romana Eccleſiu ſemper abhorruit : nulla ratio patitur, ut Chriſtus baptizatus ſit ad finem anni trigeſimi : cum conſtet de die baptiſmi, nempe ſexta Januarii, ut antiqui Patres & ipſamet Eccleſia profitentur. Itaque vel oportuit ipſum baptizatum eſſe ipſo initio anni trigeſimi, vel illo expleto, anno ſequenti a Kalendis Januarii per dies ſex inchoato : ſicque Ordinem Rumanum eſſe intelligendum prudens quiſque cognoſcet.

(e) Habetur in to. 2. Biblioth. San.

S. Ignatii ſententia irrefragabilis.

(f) Albin. Flaccus de offic. Eccl. c. 6.
(g) Joan. 1.
(h) 2. Cor. 3.

At vero ſi ex his manifeſtum indubitatumque reddatur (ut profecto redditur) Chriſtum Dominum tempore ſui baptiſmi, anno decimoquinto Imperii Tiberii Cæſaris, jam expleſſe trigeſimum annum & trigeſimum primum inchoaſſe ; equidem ſi cæteros Chriſti annos ad ſuum principium reduceas, plane invenies ipſum natum ſub dictis ſæpe Lentulo & Meſſalino Coſſ. Olympiade, ut dictum eſt, centeſima nonageſima quarta, anno ſecundo ; ſicque firmam ratamque haberi de tempore natalis Domini nuper Caſſiodori recitatam ſententiam, quam in omnibus cum Romana Eccleſia eſſe concordem, vel ſaltem ox eo videre poſſis, dum idem auctor in ſuo Paſchali cyclo, poſt Conſulatum Baſilii vicies ſemel, annos Domini numerat quingentos & ſexagintaduos : qua ratione, per ſingulos annos uſque in hodiernum ſecula numerando, atque in omnibus conſentientem cum Romana Eccleſia eumdem numerum annorum invenies : Quomodo vero in Faſtis Onuphrii Panvinii annus ſuperabundet, ſuo loco inferius facile demonſtrabimus. His igitur examinatis atque diſcuſſis breviter quantum potuimus ; eſto velut γνώμων totius futuri temporis fixus atque firmatus primus Chriſti annus ſub Conſulatu Lentuli & Meſſalini, Olympiade centeſima nonageſimaquarta, anno ſecundo, ab Urbe condita ſecundum Varronianam ab antiquis magis probatam atque receptam ſupputationem, anno ſeptingenteſimo quinquageſimo primo. CIX.

Probata a Rom. Eccleſia chronographia.

Sequimur in annis Urbis Varronem magis, quam alios ſecus ſupputantes, quod rerum antiquarum Varrone doctiorem neminem fuiſſe conſtet, teſtificatione Ciceronis & aliorum omnium eidem abſque dubitatione aliqua primas deferentium ; cum tamen alios aliter ſupputare annos Urbis conſueviſſe certo ſciamus, nec Varronem omnes eſſe ſecutos intelligamus : num Auſonius Gallus, annum ſui Conſulatus Urbis annis conſignans, mille centum decem & octo annos interlapſos teſtatur his verſibus ; CX.

Anni ab urbe condita varii.

Urbis ab æterna deductam Rege Quirino
Annorum ſeriem cum Procule accipies ;
Mille annos, centumq ; & bis fluxiſſe novenos
Conſulis Auſonii nomen adusque leges.

vel cum ait :

Annis undecies centum, conjunge quaternos
Undecies, unamque ſuper trieterida necte :
Hæc erit æternæ ſeries ab origine Romæ.

Quæ

Quæ quidem Auſonii ſupputatio Varroniana minor eſt annis tredecim. Nec arroget ſibi quiſquum ex Olympiadum annis certum poſſe deducere inchoaræ Urbis exordium. Nam quis Varrone in Olympiudum ſupputatione peritior? novit & calluit ipſe eas, nec aliunde quam ex illis unnos Urbis creditur conſignaſſe. Sed quod nec adeo omnino abſque controverſia ſtabilita inveniatur Olympias & annus ejus, quo cœpta eſt Urbs condi, idcirco non eadem omnium ea de re una ſententia. Sed & nec a quo anno incipiendi ſint numerari Urbia anni, an ub excitaria mœniis ejus, vel ante, penes antiquos ana fuit ufferrio. Hæc idcirco dixiſſe voluimus, quo intelligamus haud tuto & certo poſſe Chriſti annos a conditæ Urbis tempore numerari.

CXI. Quo anno Regis Herodis Chriſtus natus.

Licet igitur ex dictis ſatis teſtatus annus, quo indicta deſcriptio, ac natus eſt Chriſtus, tam per Romanos Conſules, quum per Græcorum Olympiadas habeatur: tamen ex conſuetudine ſanctorum Prophetarum, qui ex Chronologia Regum Juda conſueverunt ſignare tempora, & nos, quo potiſſimum anno Herodis Regis Chriſtus ſit natus, perquiremus: etiam ſi rem haud facilem, immo ſatis moleſtam aggrediamur, quam eruditiſſimorum virorum hactenus ingenia & mentes torſiſſe videmus. Nam qui ſibi Joſephum in omnibus ſequendum propoſuerit, ab Evangelica veritate (pro nefas) declinet neceſſe eſt. Et quoniam dicere, illum erraſſe, nec erroris monſtrare cauſam, & veritatem patefacere, parum liberalis & eruditi hominis eſſe videtur: age, in primis quæ idem auctor de annis Herodis Regis ſcriptis mandavit, adducamus in medium.

CXII.

Collatum Herodi regnum Romæ ex Senatuſconſulto, Domitio Calvino & Aſinio Pollione Conſulibus, Olympiade centeſima octogeſimaquarta, Joſephus (*a*) teſtatur, cui & Dio Caſſius (*b*) aſſentitur. Verum Antigono Judæorum regnum invadente, Herodes non eſt eo potitus, niſi eo debellato; quando Marci Antonii ope & voluntate, per Soſium Syriæ Præſidem reſtitutus, liberas regni habenas moderatus eſt: quod factum eſſe M. Agrippa & Caninio Gallo Conſulibus, Olympiade centeſima octogeſimaquinta, idem Joſephus (*c*) affirmat; qui colligens Herodis regni annos, numerat ab inſtitutione facta ex S. C. uſque ad ejus obitum annos trigintaſeptem, a reſtitutione vero per Antonium facta annos trigintaquatuor. Si igitur dictos annos trigintaſeptem Herodis regni numeres per Conſules & Olympiadas ſubſequentes; proculdubio Herodem ante Redemptoris noſtri natalem ex humanis deſiiſſe, certiſſimum eſt, tam ſi illos trigintaſeptem per ſequentes Conſulatus deducas annos, quam ſi per Olympiadas: ſed tunc opus eſt, ut ab anno quarto dictæ Olympiadis, qui eſt & primus ſequentis centeſimæ octogeſimæquintæ, numerare incipias; nullus enim alius unnus Conſulatui ipſorum cohæret. Nam ex ſupputatione Euſebii & Phlegontis, quam omnes ſequuntur, centeſima octogeſima quartu Olympias inchoatur ſub quinto Cæſaris Conſulatu, in fine menſis Junii: ipſo enim initio æſtivalis ſolſtitii Olympiadum unnos numerari ſolitos (*d*), exploratiſſimum eſt: quamobrem idem annus dictorum Conſulum ſex menſes habet centeſimæ octogeſimæquartæ Olympiadis, & totidem octogeſimæquintæ ſequentis. Cum vero teſtetur Joſephus (*e*) Herodem expleſſe annos regni ſui trigintaſeptem, eumdemque obiiſſe prope Paſchale tempus: dicere neceſſe eſt, eum vixiſſe uſque ad dictum Conſulatum Lentuli & Meſſalini, quo natum diximus Chriſtum: ipſo enim expletur annus primus centeſimæ nonageſimæquartæ Olympiadis, quo circa dictum Paſcale feſtum eſt mortuus Herodes, & auſpicatur ejuſdem Olympiadis unnus ſecundus, cujus menſe ſexto natus eſt Dominus: ut ex his videas ſub eodem Conſulatu (ſecundum numerum annorum regni Herodis u Joſepho ſtatutum) circa finem menſis Martii Herodem obiiſſe, & poſt novem menſes vigeſimaquinta Decembris natalem Domini diem contigiſſe. Qui vero natum Chriſtum dicunt anno ſequenti, ſub Conſulatu Auguſti & Silvani; ante annum unum & novem circiter menſes, quam Dominus naſceretur, Herodem vita functum eſſe dicant, neceſſe eſt. Hi (*f*) vero, ut quoquo modo Joſephum cum Evangeliſta concilient, erraſſe in eo Joſephum affirmant, dum numerat ipſe triginta ſeptem illos unnos regni Herodis ab inſtitutione Romæ factu ex S. C. eoſque eſſe numerandos dicunt a Conſulatu M. Agrippæ & Caninii Galli, quo anno occiſo Antigono, eſt potitus regni habenis pacificis, u quo tempore idem numerat tantum triginta quatuor: ſed qua ratione, cujuſve auctoritate id faciant, non ſatis compertum habemus.

(a) Joſeph. antiq. l. 14. c. 26.
(b) Dio hiſt. Rom. l. 49.
(c) Joſeph. antiq. l. 14. c. 28.
De annis Herodis Joſephi ſupputatio.
(d) Vide Panvin. in comment. Faſt. l. 2. de Olymp.
(e) Joſeph. antiq. l. 17. c. 10. & de bello Jud. l. 1. c. 21.
(f) Panv. in Faſt. & alii eum ſecuti.

CXIII. Cæterum Euſebius (*g*) alia ratione u Joſepho longe diverſu numerat Regis Herodis annos, nimirum ab Olympiade centeſima octogeſima ſexta, anno tertio; Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus (*h*) anno quarto ejuſdem: Epiphanius (*i*) etiam dum tradit Dominum noſtrum, natum eſſe anno trigeſimotertio Herodis Regis, Cyrillo potius conſentire videtur. Sed quam hi omnes, ſic numerando Herodis Regis annos, inierint rationem, & quos ſectati ſint auctores, nos certe præterit. Quamobrem attentiori ſtudio, quæ de annis Herodis a Joſepho ſunt ſcripta diſquirenda eſſe cenſemus.

(g) Euſeb. in Chron.
(h) Cyril. catech. 12.
(i) Epiph. hæreſ. 51. & 58.

CXIV. Joſ. malus Chronographus.

Atque in primis illud monendum putamus, eumdem auctorem in his quæ ſunt temporis, ſæpe hallucinatum eſſe; quod tum in Herodis annis, tum in cæteris acci-

diſſe,

diſſe, ſuis locis inferius facile demonſtrabimus. Sed in præſentiarum quod ad annos ejuſdem Herodis ſpectat: cum idem auctor (a) dicat Herodem eo tempore, quo Julius Cæſar, confecto bello Alexandrino, tradidit Antipatro ejus patri Judææ Provinciæ adminiſtrationem, natum annos quindecim fuiſſe: rurſuſque affirmet (b) ipſum vixiſſe uſque ad annum ſuæ ætatis fermè ſeptuageſimum; hac ratione numerando cæteros Herodis annos a Conſulatu Caleni & Vatinii, quo a Cæſare tributa eſt Judæa Antipatro, quando Herodes agebat annum decimumquintum, ipſum vixiſſe uſque ad annum nonum ætatis Chriſti negari non poteſt. Vide, quæſo, quanta ſit in eodem auctore levitas & inconſtantia, & quot labyrinthos & inextricabiles offendere errores, & in eis mergi neceſſe ſit eos, qui de annis Herodis regni tam facile eidem Joſepho acquieſcendum exiſtimant.

(a) Joſeph. antiq. l. 14. c. 17.

(b) Joſeph. antiq. l. 7. c. 8. & de bello Jud. l. 1. c. 22.

CXV. Reliquum eſt igitur, ut aperiamus erroris cauſam, qua ille idem auctor, numerando toties dictos Herodis annos, deceptus eſt. Sicut enim Sole clarius eſſe probatur, quod annos fermè ſeptuaginta Herodem vixiſſe teſtatur, & quod tempore Conſulatus Caleni & Vatinii annos erat natus quindecim: ſic e contra errores lapſus eſt, dum annorum numerum regni ejus incipit numerare a Conſulatu Domitii & Pollionis. Hujus autem erroris inde fluxit occaſio; quod cum in confeſſo eſſet apud omnes, Herodis regni annos trigintaſeptem eſſe adnumeratos; rurſumque certum eſſe, ipſum ex Senatuſconſulto regnum accepiſſe; factum eſt, ut ipſe ad primam inſtitutionem Romæ ſub dictis Conſulibus factam verterit oculos, & ab eo tempore numerare cœperit annos regni ipſius Herodis. Cæterum tunc occupato eodem regno ab Antigono, nondum uſque ad mortem ejus potitus eſt, quando (ut dictum eſt) juſſu opeque Antonii per Soſium Syriæ Præſidem eſt reſtitutus. Porro quoniam in in bello civili contra Octavianum Auguſtum eidem M. Antonio favit; illud demeruiſſe viſus eſt. Quamobrem cum idem Auguſtus, Antonio & Cleopatra devictis, ſummo rerum potitus eſſet: mox idem ipſe Herodes ſuæ culpæ conſcius, ſupplex ad veniam impetrandam, Rhodum ad eumdem illic agentem ſe contulit, depoſitoque diademate, ac precibus fuſis, ab eodem regnum promeruit, quod & decreto Senatuſconſulti fuit eidem ſtabilitum.

Unde error Joſephi oriendatur.

CXVI. Hæc omnia non ab alio, quam ab eodem ipſo Joſepho (c) qui ea pluribus ſcribit, accepimus. Facta ſunt hæc eo ipſo anno, quo idem Auguſtus navali ballo Antonium & Cleopatram debellavit, eodem Auguſto tertium & Meſſala Coſſ. Olympiade (ut diximus) centeſima octogeſima ſeptima, anno ſecundo. Ab eo igitur tempore in publicis monumentis adſcriptum primum annum Herodis regni, ac deinceps cæteros ſequentes eſſe ad numeratos, ea potiſſimum ratione conſtare videtur; quod cum Auguſtus ex Senatuſconſulto reſcidiſſet, irritaque reddidiſſet quæ ab Antonio in imp. perduelle geſta eſſent; non licuit Herodi illos regni ſui numerare annos, quibus regnavit poſtquam illud ab Antonio ſibi reſtitutum accepit, ſed ab eo tempore, quo ab Auguſto ſibi redditum fuit, & ex Senatuſconſulto firmatum. Quid enim non in ejus gratiam Herodes egiſſet, qui quicquid haberet, eidem acceptum ferens, ob id civitates, theatra, templa (ut idem teſtatur Joſephus) ejus nomine dedicaſſet? Hæc itaque cum tam aperta veritate ſubſiſtant: duplici ratione dicimus ab eo tempore numerandos eſſe trigintaſeptem illos Regis Herodis annos: tum ut dictum ſeptuaginta annorum ætatis illius tempus impleatur (aliter idem auctor ſibi contrarius reperitur) tum etiam ob novam regni ejus ab Auguſto ex Senatuſconſulto reſtitutionem tunc jam inſigniter factam.

(c) Joſeph. antiq. l. 15. cap. 10.

Quando cœpti numerari anni Regni Herodis.

CXVII. Eſt igitur in numero primus annus Regni Herodis ſub Auguſto tertium & Meſſala Coſſ. Olympiade centeſima octogeſimaſeptima, anno ſecundo: qua ratione dicimus, Chriſtum Dominum Redemptorem noſtrum natum anno Regni Herodis vigeſimonono inchoato. Ex his itaque luce evidentius & clarius conſtare videtur, cum nonniſi ejuſdem auctoris auctoritate hæc affirmemus, ipſum Joſephum numerando a Conſulatu Domitii & Pollionis annos trigintaſeptem Herodis Regni, novem ſaltem annis ejus obitum anticipaſſe. Unde & portentoſus ille manavit error, ut deſcriptionem a Quirino factam tempore Natalis Domini, poſt novem annos factam eſſe deſcribat: quot enim annis in obitu Herodis erravit, totidem in eadem deſcriptione errasse oportuit: ejuſmodi enim naturæ ſunt errores temporum, ut cum quis a recta linea ſemel exciderit, per devia ſemper ferri, licet invitus, cogatur.

Quoto anno Regni Herodis Chriſtus natus.

CXVIII. Reliquum jam illud tantum eſſet, ut dictum tempus, quo ea deſcriptio facta eſt, & natus eſt Chriſtus, more majorum, Hebraicis Chronologiis etiam conſignemus. Scimus veterrimam hanc eſſe quæſtionem, in qua ſudarint & alſerint tum antiquorum, tum recentiorum ingenia: noviſſime vero, Chriſtum natum eſſe quatermilleſimo vigeſimoſecundo anno ab origine mundi, noſter Petrerias (d) in ſuis eruditis commentariis in Danielem adnotavit. Cæterum ob diverſitatem exemplarium, & quod non eumdem omnes in illis numerandis ſervent methodum & rationem; mirum dictu, quod, quot ſunt capita (ut communi fertur proverbio) totidem de iiſdem ſcriptæ reperiantur ſententiæ. Sedere autem arbitrum: & cujus ſint potiora jura diſquirere,

Quoto anno ab origine mundi Chriſtus natus.

(d) Bened. Perer. in Daniel. lib. 11. q. 3.

rere, & antiquiſſimam omnium quæſtionem lata ſententia definire non eſt præſentis otii, nec noſtrarum virium tantum opus. Illud tamen non omnino prætermittendum videtur, Sanctam Dei Eccleſiam antiquitus conſueviſſe ſupputare annos ab origine mundi, non ſecundum Hebraicam editionem, ſed ſecundum Septuagintaduos interpretes: eſt ejus rei fides apud S. Auguſtinum (a), dum de iiſdem interpretibus hæc ait: *Porro illos in auctoritatem celebriorem ſuſcepit Eccleſia, & credentes Judæorum potius quam iſtos non habere quod verum eſt* (b). Rurſum Julianus Epiſcopus Toletanus, falſo cognominatus Pomerius, hæc in eamdem ſententiam: *Ergo*, inquit, *illa nobis & ſola pro his annis eſt obſervanda auctoritas Septuaginta interpretum, quæ merito omnibus editionibus & translationibus anteferatur, quam etiam hucuſque omnes doctores Eccleſiaſtici tenuerunt, & in hac præcipue annorum ſupputatione ſecuti ſunt.* Hæc ille. Adjicimus & Græci hominis inſigniter eruditi de eadem re teſtimonium, videlicet Anaſtaſii Sinaitæ Epiſcopi Antiocheni (c) æqualis Magno noſtro Gregorio, qui ſic ait: *Sciendum eſt quod aliter computant Hebræi, & aliter Romana Eccleſiæ traditio.* Hæc ille.

(a) *Aug. de Civit. Dei l. 15. c. 11.*
(b) *Jul. cont. Jud. l. 3.*
(c) *Anaſt. Sinait. in Hexam. l. 7.*

CXIX. Variæ ſententiæ de mundi annis

Addamus & hic apte Catalogum antiquorum Patrum, qui licet diverſe inter ſe, ob diverſitatem Græcorum codicum & interpretationem, tamen æque omnes ſecundum Septuaginta interpretes, annos ab origine mundi, uſque ad ortum Chriſti numerare conſueverunt. Incipiam ab antiquiori; ab ipſo, inquam, Theophilo Epiſcopo Antiocheno, qui a mundi principio, uſque ad obitum Lucii Veri, quo tempore ipſe ſedit, intercurriſſe ait annos quinquies mille ſexcentos octogintaquinque. Eamdemque iniiſſe rationem Cyprianus (d) videtur, cum numerat annos ſecundum eoſdem Septuaginta interpretes, atque hæc ait: *Sex millia annorum plane compleantur, ex quo hominem diabolus impugnat*, &c. Clemens Alexandrinus (e) ab Adam uſque ad mortem Commodi annos numerat quinquies mille ſeptingentos octogintaquatuor. Sed quid tamdiu in ſingulis immoror? Hyppolytus (f), Julius Africanus (g), Origenes (h), Euſebius Pamphili (i), Lactantius (k); Epiphanius (l), Hieronymus (m), Philaſtrius (n), Oroſius (o), Auguſtinus (p), duo Anaſtaſii, Sinaita (q), & Nicænus (r), Nicephorus (s), Suidas (t), & alii recentiores complures eadem numeri ratione conſignare conſueverunt Acta Synodica: cujus rei exemplum eſt in ſexta Synodo Oecumenica, ubi a mundi origine uſque ad illud tempus celebrati Concilii, anni numerantur ſex mille centum nonagintanovem. Profitetur & Romana Eccleſia in ſuo Martyrologio, ſe annos ſupputare ſecundum eoſdem interpretes. Verum propter exemplarium diverſitatem, & alias innumeras difficultates, perdifficile eſt veritatem conſequi, dum inemendata de inemendatis ſcribantur, ut teſtatur Hieronymus (u). Sed hoc nomine plurimum debent omnes eruditi, immo & tota Dei Eccleſia Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Antonio Carafæ, S. R. E. Cardinali Bibliothecario, qui multo labore ac ſtudio tandem Græcam Septuaginta duorum interpretum editionem, jam pene antiquatam, in lucem vindicavit, eamdemque Latine redditam, non minori labore emendatam, ac perpolitam edendam curavit: opus plane divinum, ac divinitus inſpiratum: quod a S. D. N. Sixto V. Romano Pontifice merito comprobatum, ac magnopere laudatum, ut Eccleſiæ Catholicæ eſſet uſui, idem ſacro diplomate in fronte ejus affixo cunctis Fidelibus ſignificavit. Sed de his hactenus.

(d) *Cypr. in præf. lib. de exhort. mart.*
(e) *Clem. Alexandr. Strom. l. 1.*
(f) *Hipp. in can. temp.*
(g) *Jul. Afr. ad Ariſt.*
(h) *Orig. in Matt. tract. 29.*
(i) *Euſeb. in Chron. & in fragm. ad Marin.*
(k) *Lact. l. 7. cap. 14.*
(l) *Epiph. hæreſ. 66.*
(m) *Hieron. in Epiſt. ad Tit. c. 1.*
(n) *Phil. hiſt. de hæreſ. cap. 112.*
(o) *Oroſ. lib. 1. c. 1.*
(p) *Aug. de Civit. Dei l. 12. c. 12.*
(q) *Anaſt. Sin. in Hexam. l. 7.*
(r) *Anaſt. Nican. lib. quæſt. q. 92.*
(s) *Niceph. in Chron.*
(t) *Suid. in hiſtor.*
(u) *Hieron. in Epiſt. ad Tit. 1. 3.*

CXX. Quo menſe & die Chriſtus eſt natus.

His igitur, quæ ad annum natalis Domini pertinent, ſtabilitis; ſupereſt, ut de menſe ac die, quibus natus eſt, narrationem inſtituentes, in primis quæ de ea re ab hæreticis vel aliis perperam ſcripta ſunt, refellentes, tandem veritatem ipſam, Patrum auctoritate teſtatam, & Catholicæ Eccleſiæ longo uſu receptam atque probatam in medium adducamus. *Sunt*, (inquit Clemens (x) Alexandrinus) *qui curioſius, natalis Domini non ſolum annum, ſed etiam diem addunt: quem quidem dicunt decimo-octavo anno Auguſti, vigeſimaquinta menſis Pacon eſſe natum; ea eſt apud Latinos decimaquinta menſis Maii. Rurſus etiam quidam*, inquit, *tradunt eum natum eſſe vigeſimaquarta vel vigeſimaquinta menſis Pharmuthi, hoc eſt, vigeſima vel vigeſimaprima Aprilis.* Porro hæc hæretici phanatice, nulla vel ſaltem veriſimili ratione, vel auctoritate nixi, ſed ſicut & alia deliramenta, ex proprii animi ſententia, perciti furore protulere. Fuit de eadem re Ægyptiorum, eorumdemque Orthodoxorum opinio, ut exiſtimarent Chriſtum Dominum natum undecima menſis Tybi, quæ eſt apud Latinos ſexta dies Januarii, qua Epiphaniam Domini Eccleſia celebrare conſuevit (y), cum illi utrumque myſterium eodem die peractum volunt, nimirum Chriſtum natum, ac etiam baptizatum; ſed & eadem die illud inſigne miraculum, vinum ex aqua factum eſſe, Epiphanius (z) auctor eſt, licet ipſe baptiſmum ad aliud tempus referat: at de eo pluribus ſuo loco. Quod autem ad dictam de natali die ſententiam pertinet, idem Epiphanius (a) eamdem conſtanter affirmat, ſed Hieronymus (b) refellit.

(x) *Clem. Alexandr. Strom. l. 1.*
(y) *Caſſian. collat. 10. cap. 2. ex præf. Paſc. Epiſt. Theoph. Epiſcop. Alexand.*
(z) *Epiph. hæreſ. 51.*
(a) *Idem ib.*
(b) *Hieron. in Ezech. c. 1.*

CXXI. Certa ſententia de menſe & die natalis Domini.

Ceterum his omnibus de die natalis Domini rejectis aſſertionibus, tam Latinorum quam Græcorum Eccleſiæ pari conſenſione in eam conveniunt ſententiam, ut Redemptor noſter ſit natus vigeſima quinta menſis Decembris. Nam præter ea quæ habentur apud Clementem

Digitized by Google

(a) Clem. conſt. l. 5. c. 13.
(b) Auguſt. tractat. in Pſalmum 132. prope fin. Oroſ. l. 7. c. 2.
(c) Aug. de Trin. l. 4. c. 4.

tem (a), Auguſtinus (b) ex traditione Eccleſiæ idem affirmat, dum ait: *Joannes natus, ſicut tradit Eccleſia, octavo Kal. Julias cum jam incipiunt minui dies: Dominus autem natus octavo Kalend. Januarias, quando jam incipiunt dies creſcere.* Et alibi (c): *Octavo*, inquit, *Kal. Aprilis conceptus creditur, quo & paſſus: natus autem traditur octavo Kal. Januarias. Ab illo ergo die ad iſtum uſque computati ducenti ſeptuaginta & ſex dies reperiuntur, &c.* Hæc Auguſtinus eadem & cæteri Latinorum. De Græcis vero; non alia ſentire eos Anaſtaſius Nicænus Epiſcopus (d) Græcorumque Menologium, & alia ipſorum antiqua monumenta fidem faciunt.

(d) Anaſt. Nic. Epiſc. l. quæſt. q. 91.

CXXII. De die & hora natalis Domini.

At nec eſt prætermittendum de hebdomadis die, atque (quod majus eſt) hora quibus natus eſt Chriſtus Dominus, dicere. Fuit nonnullorum ſententia, ut eadem die, ipſaque hora, qua primus homo creatus eſt, eadem omnino & ſecundus homo (ſic enim Chriſtum appellat Apoſtolus e) fuerit natus. Hinc ait Heſychius (f): *Natus eſt menſe Decembris, die ſexta, hora tertia diei.* Hæc ille. Anaſtaſius (g) Sinaita eadem die, ſed ad veſperam diei ſextæ: & Anaſtaſius Nicenus (h) eadem, ſed hora diei ſeptima. Verum quod ad diem ſpectat: die Dominico natum eſſe Dominum, in ſexta Synodo Græci profitentur, dum ajunt (i): *In ea die manna in eremo pluit, in eo naſci dignatus eſt, in eo ſtella Magis refulſit, in eo de quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum pavit, in eo baptiſmum in Jordane ſuſcepit, in eo ipſe pius Redemptor humani generis ſponte pro ſalute noſtra a mortuis ſurrexit.* Hæc illi.

(e) 1. Cor. 15.
(f) Heſych. ſer. de Natal. Dom.
(g) Anaſt. Sin. in Hexam. li. 7.
(h) Anaſt. Nic. lib. quæſt. q. 91.
(i) Sex. Syn. cap. 8. to. 3. Conc.

CXXIII. Quod autem pertinet ad ejus diei tempus; Dominum noſtrum noctu eſſe natum, Lucas Evangeliſta (k) non obſcure inſinuare videtur, dum de natali Chriſti locutus, mox ſubdit: *Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.* Id ipſum profitentur Interpretes; id etiam vetus traditio Eccleſiaſtica perſuadet, atque ſacræ noctis illius anniverſariis functionibus docet (l): rurſumque ea parte noctis, quæ de media nocte dicta, ad ſequentem pertinet diem, Chriſtum Dominum natum multi exiſtimant, ſecundum quod prophetice (m) dictum fuerat: *Dum quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus exiliens e cælo, e regalibus ſedibus venit.*

(k) Luc. 2.
(l) Albinus Flac. de divinis offic. cap. 5. & alii.
(m) Sapient. 18.

Licet autem ſupputatio iſta noſtra de nato Chriſto Redemptore ſub Conſulatu Lentuli, & Meſſalini, omni teſtificationum genere (ut audiſti) munita atque roborata hactenus abſque contradictione proceſſerit; idipſum ſentientibus etiam iis qui hoc noſtro ſæculo ex ſupputatione temporum aliquam ſibi gloriam comparatunt (n): adhuc tamen nuper hæc objectio facta eſt: *Si ſub Lentulo & Meſſalino Conſ. natus eſt Chriſtus: ergo annus Julianus milleſimus & ſexcenteſimus non erit Biſextilis.* Ex his deducens, non poſſe diei natum Chriſtum ſub dictis Conſulibus Lentulo & Meſſalino, ſub quibus (ut putavit ipſe) non potuerit incidiſſe Biſſextilis annus. Ut autem demonſtremus ejuſmodi objectionem nullius eſſe momenti, & abhorrere prorſus a veritate, Chronologiam vero a nobis aſſertam, atque multipliciter demonſtratam de nato Chriſto ſub iiſdem Conſulibus Lentulo & Meſſalino etiam hac ex parte conſtare, magis magiſque muniri atque firmari: hæc quæ ſequuntur adiicere compulſi ſumus.

(n) Auctor Contium atque Scaligerum ſignificare videtur, qui eadem ſentiunt cum ipſe.

Sciat igitur Lector, omni ex parte adamuſſim concordare periodos Biſſextiles cum anno, quo natum ponimus Chriſtum ſub Conſulatu Lentuli & Meſſalini. Sicque anno Urbis quo Conſules fuerunt Lentulus & Meſſalinus, biſſextum incidiſſe; ac proinde cum his Conſulibus natus in Annalibus Eccleſiaſticis dicitur Chriſtus, anno biſſextili, ut debuit, ejus ortum re ipſa conſignari, duplici ratione demonſtrari poteſt. Primum ex decurſu ſequentium Conſulatuum, ſi uno quopiam deſignato, in quo Biſſextum fuiſſe conſtet, oſtendamus numerum annorum, qui inter utroſque Conſules interceſſit, ita eſſe comparatum, ut in quaternos abſolute dividi poſſit. Sic enim fiet, ut quemadmodum poſtremus ex hypotheſi eſt biſſextilis, primus ſimiliter biſſextilis, neceſſario comprobetur. Cum igitur ex Ammiano Marcellino (o) certum ſit, Joviano Aug. & Varroniano Cæſ. Coſ. biſſextum fuiſſe, & Conſules hi ut in Annalibus Eccleſiaſticis ex perpetua Faſtorum ſerie probatum eſt, concurrant cum anno Chriſti CCCLXIIII. quem numerum biſſextilem eſſe nemini dubium eſt, cum ex XCI. quaternariis conſurgat: fatendum eſt plane, Lentulo item ac Meſſalino Coſſ. unde numerus ille annorum Chriſti ducitur, Biſſextum fuiſſe; aut docendum, in recenſendis inter utroſque Conſulatibus vitium irrepſiſſe. Sed quoniam hoc ipſum fortaſſe obiendi poſſet ab adverſario, & longum eſſet trecentorum ſexagintaquatuor annorum Conſules retexere, & ſingulos ſtabilire, tametſi accurate in Annalibus id factum eſt: deprehenſis, notatiſque eorum erroribus, qui plures, pauciorеſve numerabant: brevior altera & certior via eſt, qua non ſequentes, ſed præcedentes Conſulatus, qui & pauciores numero, & certi apud omnes ſunt, relegendo, & ad illum uſque annum regrediendo, quo primum institui vel uſurpari Biſſextum cœpit: ex eo ipſo pariter inita quaternariorum ratione colligatur, his noſtris Conſulibus Biſſextum recurriſſe. CXXIV.

(o) Lib. 26. in princ.

Quod ut ordine declaretur, meminiſſe oportet, Julium Cæſarem imitatum Æ- CXXV.

Digitized by Google

(a) Lib. 1. Satur. c. 14. Dio item l. 43. Suet. in Julio.

gyptios, ut Macrobius (*a*) obſervat, dum annum civilem Solis curſui conformare ſtudet, quia Sol CCCLXV. diebus & quadrante Zodiacum luſtrat, totidem dies unno deputaſſe: & ne quadrans deeſſet, ſtatuiſſe, ut quarto quoque anno dies unus qui ex quadrantibus illis conſtabatur, Ægyptiorum more intercalaretur; non quidem Sextili menſe, ut (*b*) illi ſolebant, ſed Februario, ſexto Kalendas Martias, unde Biſſextum eſt appellatum. Hæc autem Cæſare ipſo III. & M. Lepido Coſſ. acta fuiſſe, auctor eſt Cenſorinus (*c*), hoc eſt anno ante Lentulum & Meſſalinum Coſſ. quadrageſimoquarto. Quod ſi anno illo emendationis Julianæ, quem Macrobius confuſionis ultimum vocat, poſt intercalationem dierum ac menſium, quos Cæſar, ut ſuperiorum temporum defectum expleret, interpoſuit, aliud nihil intercalatum fuiſſet, haud dubium, quin ab eo ipſo anno biſſextorum ex Cæſaris inſtitutione ducendum exordium fuiſſet, ita ut primum quarto poſt illum anno, M. Lepido II. L. Planco Coſſ. collocaretur; quo pacto per quadriennia deſcendendo, undecimum Biſſextum non in quadrageſimumquartum, ſed in quadrageſimumquintum a correctione annum, hoc eſt non in Lentulum. & Meſſalinum, ſed in Auguſtum XIII. & Plautium Conſules incidiſſet: quibus ſcilicet Chriſti ortum aſſignat Onuphrius. At res ſecus habuit.

(b) 4. Kal. Sept. Beda de rat. temp. cap. 36.

(c) De die Natal. c. de annis Ro.

CXXVI. Anno enim illo, præter intercalationem dierum integrorum, quadrans etiam diei, ut Solinus (*d*) docet, a Cæſare uſurpatus abjectus (?) — diectas. Quem ut intercalaret, quia ſolus addi non poterat, neceſſe fuit, ut in quartum annum differretur; quoad ſcilicet ex quadrante illo & tribus aliis ſequentium trium annorum dies exurgeret, qui tum demum per Biſſextum intercalaretur. Iſta quidem ita ſe habent, neque alium prorſus in ſenſum trahi poſſunt verba Solini, ut neceſſe ſit hæc ita ſe habere, ut diximus. Ita primum Biſſextum non quinto a correctione anno, ut alioqui futurum dicebamus, ſed quarto (qui præcedenti correctionem anno reſpondebat) ſeu poſt tertii anni circuitum Vibio Panſa, A. Hirtio Coſſ. obſervari juſſit; reliqua deinceps poſt quartum quemque annum ab hoc primo. Quamquam ſacerdotes, penes quos intercalandi cura erat, eo fortaſſe, quod primum Biſſextum poſt tertium annum locatum viderent, errore ducti, & ſequentia ſimiliter poſt tertium quemque uſurparunt: annumque Romanum trigintaſex annorum ſpatio ita depravarunt, ut pro novem diebus duodenos interpoſuerint: quoad Auguſtus, animadverſo tandem errore, ut illum corrigeret, & tres eos dies, qui ſupra numerum accreverant reſecaret, duodecim ſequentes annos ſine Biſſextili intercalatione tranſigi juſſit, C. Cenſorino & Aſinio Gallo Coſſ. ut Solinus idem, Macrobius, & cæteri (*e*) teſtantur.

(d) Poly. hiſt. cap. 3.

CXXVII. Nunc ergo ut paucis concludatur, cum primum ex Cæſaris inſtitutione Biſſextum Panſa, & Hirtio Coſſ. obſervatum fuerit, ut oſtenſum eſt, & annus hic ante Lentulum & Meſſalinum Conſules quadrageſimuſprimus numeretur, ſequitur neceſſario undecimum Biſſextum iiſdem Conſulibus intercalari ex eadem Cæſaris lege debuiſſe; licet re vera intercalatum eo anno non fuerit, propterea quod is quintus erat ex duodecim, quos Auguſtus ad corrigendum ſacerdotum errorem ſine intercalatione tranſigi juſſerat: ac proinde cum CHRISTUS in Annalibus Lentulo & Meſſalino Coſſ. natus aſſeritur, anno Biſſextili natum recte affirmari. Immo ne in alios quidem Conſules referri ejus natalem poſſe, niſi quis velit eum, aut anno non Biſſextili natum dicere, quod abſurdum eſt, cum ex centeſimo quoque anno Chriſti, quo Biſſextum recurrit, liqueat eum, quo natus eſt, biſſextilem quoque fuiſſe; aut certe quarto ante illos Conſules, vel quarto poſt eoſdem anno, id eſt proximo biſſextili natum credere; quod ut nemini haſtenus in mentem venit, ita plurimis, graviſſimiſque patet incommodis. Ex quo errare etiam (*f*) eos liquet, qui cum Chriſti Natale iiſdem quibus nos Conſulibus agnoſcant, primum tamen Biſſextum uno tardius anno, hoc eſt non tertio, ſed quarto Juliano conſtituunt: unde fit, ut Chriſtus non ſit natus anno Biſſextili. Hæc autem omnia ex ſequenti laterculo, qui ſingula oculis ſubjicit, facilius intelligentur: in quo addita etiam eſt ſeries annorum Julianorum qui conſurgunt, ut Cenſorinus ait, ex quarto Cæſaris Conſulatu, quod is primus apud Romanos annus fuerit, qui trecentos ſexagintaquinque dies juxta Julii Cæſaris emendationem complexus ſit: non quod horum obſervatio ad rem noſtram valde faciat, ſed ut eorum deprehendatur error, qui Biſſextiles annos cum Julianis concurrere putarunt: cum primus Biſſextilis, ut videre eſt non primo, ſed tertio Juliano reſpondeat.

(e) Plin. lib. 18. hiſt. nat. c. 25. Suet. Aug. c. 31.

(f) Scaliger ſugillatur de emend. tempo. li. 4. & 6.

CXXVIII. Conſtitutæ igitur a nobis Chronographiæ, ut natus ſit Redemptor humani generis ſub Conſulatu Lentuli, & Meſſalini tam ex ſupputatione Olympiadum, quam Urbis annis, atque numero annorum Imperii Auguſti, in primis vero Evangelica aſſertione probatæ, ut ſuo loco perſpicue demonſtratum eſt, conſenſione veterum Latinorum atque Græcorum initæ, uſuque ab Eccleſia Catholica ubique receptæ, atque noviſſime (ut audiſti) Biſſextilibus rationibus in omnibus conſentaneæ comprobatæ: documenta publica adſtipolantur omnia, nimirum Acta Conciliorum, Decretales epiſtolæ Romanorum Pontificum, Conſtitutiones Principum: & (ut uno verbo dicam)

quæ-

quæque vetera ſive recentia, ſive publica, ſive privata monumenta, ſive inſcripta chartis, aut inciſa lapidibus, in quibus inſit aliqua temporis nota camdem recipere, comprobare, atque confirmare: inferius ſequentibus ſingulis tomis ſæpius demonſtrare continget.

Annorum Urbis conditæ exordium ex A.D. xj. Kalend. Maj. Olympiadum, a Solſtitio æſtivo. Julianorum, ab ineunte Januar. Auguſtanorum ab Idibus Mart. quibus Cæſar interfectus eſt.

ANNI JULIANI.	OLYMPIADES.	ANNI URBIS.	CONSULES.	ANNI AUGUSTI.	Biſſexta, ut obſervari debebant.	Biſſexta, ex errore ſacerdotum,
		707	Q. Calenus. P. Vatinius.			
		708	C. Julius Cæſar III. M. Æmilius Lepidus.			
1		709	C. Julius Cæſar IV. ſine collega.			
2	184	710	C. Julius Cæſar V. M. Antonius.	1		
3		711	C. Vibius Panſa. A. Hirtius.	2	B	1 B
4		712	M. Æmilius Lepidus II. L. Munatius Plancus.	3		
5		713	L. Antonius. P. Servilius Iſauricus.	4		
6	185	714	Cn. Dominitius Calvinus. C. Aſinius Pollio.	5		2 B
7		715	L. Martius Cenſorinus. C. Calviſius Sabinus.	6	B	
8		716	Ap. Claudius Palcher. C. Norbanus Flaccus.	7		
9		717	M. Agrippa. L. Caaialus Gallus.	8		3 B
10	186	718	L. Gellius Publicola. M. Coccejus Nerva.	9		
11		719	L. Cornificius. Sex. Pompejas.	10	B	
12		720	M. Antonius II. L. Scribonius Libo.	11		4 B
13		721	C. Cæſar Octavianus II. L. Volcatius Tullus.	12		
14	187	722	Cn. Domitius Ahenobarb. C. Soſius Nepos.	13		
15		723	C. Cæſar Octavianus III. M. Valerius Meſſala.	14	B	5 B
16		724	C. Cæſar Octavianus IV. M. Licinius Craſſus.	15		
17		725	C. Cæſar Octavianus V. Sex. Apulejus Nepos.	16		
18	188	726	Imp. Cæſar Octavian. VI. M. Agrippa III.	17		6 B

Imp.

Hoc anno intercalari cœpit, non ſequente, qui quartus erat ab emendatione, propter quadrantem diei, de quo Solinus.

19		727	Imp. Cæſar Octav. VII. M. Agrippa III.	18	B	
20		728	Imp. Cæſar Auguſtus VIII. T. Statilius Taurus II.	19		
21		729	Imp. Cæſar Auguſtus IX. M. Junius Silanus.	20		7 B
22	189	730	Imp. Cæſar Auguſtus X. C. Norbanus Flaccus.	21		
23		731	Imp. Cæſar Auguſtus XI. Cn. Calpurnius Piſo.	22	B	
24		732	M. Claudius Marcellus. L. Arruntius.	23		8 B
25		733	M. Lollius. Q. Æmilius Lepidus.	24		
26	190	734	M. Apulejus. P. Silius Nerva.	25		
27		735	C. Sentius Saturninus. Q. Lucretius Veſpillo.	26	B	9 B
28		736	P. Lentulus Marcellinus. Cn. Cornelius Lentulus.	27		
29		737	C. Furnius. C. Junius Silanus.	28		
30	191	738	L. Domitius. P. Cornelius Scipio.	29		10 B
31		739	M. Livius Druſus Libo. L. Calpurnius Piſo.	30	B	
32		740	Cn. Lentulus. M. Licinius Craſſus.	31		
33		741	T. Claudius Nero. P. Quinctilius Varus.	32		11 B
34	192	742	M. Valerius Meſſala. P. Sulpitius Quirinus.	33		
35		743	Paulus Fabius. Q. Ælius Tubero.	34	B	
36		744	Julius Antonius. Q. Fabius Maximus.	35		12 B
37		745	Nero Claudius Druſus. T. Quinctius Criſpinus.	36		
38	193	746	C. Martius Cenſorinus. C. Aſinius Gallus.	37		
39		747	Ti. Claudius Nero II. Cn. Calpurnius Piſo II.	38		1
40		748	D. Lælius Balbus. C. Antiſtius Vetus.	39		2
41		749	Imp. Cæſar Auguſtus XII. L. Cornelius Sulla.	40		3
42	194	750	C. Calviſius Sabinus. L. Paſſienus Rufinus.	41		4

Cenſorino, & Gallo Coſſ. Auguſtus annum correxit, & ſextilem Auguſtum appellavit, Cenſor. Suet. 31.

Hic annus 36. ab Hirtio & Panſa Coſſ. ſive a primo Biſſexto: quo temporis ſpatio anni 12. a Sacerdotibus intercalati, cum novem tantum debuerint. Ideo Auguſtus, ut tres dies reſecaret, duodecim annos ſine intercalatione tranſigi juſſit.
Anni duodecim ſine Biſſextis Auguſti juſſu tranſacti.

L. LEN-

Annus Chriſti Natalis.

43		751	L. LENTULUS. M. MESSALINUS.	42		5	
44		752	Imp. Cæſar Auguſtus XIII. M. Plautius Silvanus.	43		6	
45		753	Coſſus Cornel. Lentulus. L. Calpurnius Piſo Augur.	44		7	
46	195	754	* Imp. Cæſar Auguſt. XIV. L. Æmilius Paulus.	45		8	* C Julius Cæſ. Aug. F.
47		755	P. Vinicius Nepos. P. Alfinius Varus.	46		9	
48		756	L. Ælius Lamia. M. Servilius Geminus.	47		10	
49		757	Sex Ælius Catus. C. Sentius Saturninus.	48		11	Hoc anno Biſſextum reſumptum eſt, primumque omnium legitime obſervatum; & inde cætera ad noſtram ætatem.
50	196	758	L. Valerius Meſſala. Cn. Cornelius Cinna.	49		12	
51		759	M. Æmilius Lepidus. L. Arruntius Nepos.	50	B		

Quod autem anno ſuperiori Græci in Syria editam eſſe prolixam valde diſputationem ſcimus, quæ non tam noſtræ, quam univerſalis Eccleſiæ de annis Chriſti & tempore paſſionis ipſius chronographiæ adverſatur, ea ipſa noſtra confutatione non indiget, quod piorum aures nec audire ſaltem patienter admittant temere præſumtam novitatem, qua primum contra (a) Lucam Evangeliſtam, aſſerentem JESUM Chriſtum Dominum noſtrum baptizatum, cum eſſet quaſi annorum triginta, aſſeritur idem baptizatus anno ejus ætatis triceſimoſecundo inchoato, Cruci vero affixus, eum annum jam ageret ſuæ ætatis trigeſimum ſextum. Par erat, dignumque probatum, eruditumque ſacerdotem horum auctorem non circumferri omni vento doctrinæ, ſed inſiſtere in his omnibus ſanctorum Patrum veſtigiis, & quam reperiſſet concurſu omnium jam hactenus tritam viam, eamdem reddere, (utcumque liceret,) ſuceiſis ſentibus, cultiorem. Quod ſi, ut ſua firmaret, quæque adverſantia uti mendoſa redarguens, pro arbitrio emendavit, & textum inrer legendum aſſerens, vitiatum ſæpe correxit, ut quod conaretur, aſtrueret: quanto licentius pro tuenda totius Chriſtiani orbis ſententia, & confirmanda jam vulgata, ab omnibuſque recepta de Chriſti annis aſſertione id facere licuiſſet? Quæ enim conſuetudine univerſalis Eccleſiæ roborata ſunt, haud convellenda eſſe, docet (b) ſanctus Auguſtinus ad Januarium, ad quem & hæc habet inter alia: (c) *Similiter etiam, ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia, non ſit dubitandum, quin facere debeamus ſcilicet. Nam & hinc, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt* & inferius: *Ipſa quippe mutatio conſuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt*. Nobilia ergo magis laborent ingenia, quomodo quod per mille ac ſexcentos ferme annos oſtenditur in Eccleſia eſſe receptum, conſiſtere poſſit: & ut firmum perſiſtat, quæque adverſantia receptæ jam conſuetudini licite corrigant & emendent. Etenim pari aſtringi nos vinculo obſervare, vel quod divinæ Scripturæ præſcribit auctoritas, ſive quod tota per orbem frequentat Eccleſia ejuſdem (d) ſancti Patris aſſertio eſt manifeſta. Immotantum detuliſſe ſcitur antiquitas eccleſiaſticæ conſuetudini ſub Stephano Papa & martyre, ut licet adverſus eam ſexcentæ e divina Scriptura ſententiæ inſerrentur, coacervarentur adhuc plurimorum jam Orientalium, quam Occidentalium Patrum aſſertiones, neque Conciliorum contraria decreta inducerentur: ipſa tamen conſuetudo victrix ſubſtiterit, eodem ipſi uno patrocinante Stephano Papa (e), licet veritas (ut aſſerebatur a pluribus) videri poſſet eidem adverſari.

At quod nos ex Eccleſiæ conſuetudine CXXX.
dicimus approbatum: Beda, (quod eſt amplius) ex Fide Catholica ſibi vendicat, dicens: *Habet enim [ni fallor] Eccleſiæ Fides, Dominum in carne paulo plus quam trigintatribus annis uſque ad ſua tempora paſſionis vixiſſe*: & paulo poſt: *Sancta ſiquidem Romana, & Apoſtolica Eccleſia hanc ſe Fidem tenere, &*

ipſis

(a) Luc. 3.

(b) Aug. ep. 118. & 119

(c) Idem ep. 118.

(d) Idem ibid.

(e) Idem de bapt. cont. Donat. li. 5. 6. 7. & Vinc. Lerin. adv. heret.

ipſis teſtatur indiculis, quæ ſuis in ceteris annuatim ſcribere ſolet, &c. Porro Catholicam ipſam Sanctam Eccleſiam Theophili Cæſarienſis, & collegarum Epiſcoporum ſententiam minime eſſe ſecutam, quam tu in uſum revocare conaris oſtendit inferius, & ad eludendas quaſcumque, quæ in contrarium adduci poſſent objectiones, mox addit: *Sin vero annum, qualem quærebas, in loco quem putabas, invenire non poteris: vel Chronographorum incuria, vel tuæ potius tarditati culpam adſcribe. Tantum diligentiſſime caveas, ne Chronicorum ſcripta defenſando, intemeratæ legis, vel Evangelii teſtimonium videaris impugnare*, quo videlicet aſſeritur, anno decimoquinto Tiberii JESUM incipientem fieri quaſi triginta annorum, eſſe a Joanne baptizatum, cum tu id aſſeras factum anno ſuæ ætatis trigeſimoſecundo, paſſum vero trigeſimoſexto. Sine igitur, auctoritate id vendicare Victoris: quandoquidem Synodalia Acta illa depravata etiam in aliquo eſſe, tua quoque aſſertione monſtrantur; & Victorem Papam (ut ex ejus diverſis conſtat litteris) ea tantum ejus Synodi Apoſtolica conſenſione firmaſſe apparet, quibus ſtatutum fuit, Paſcha, nequaquam more Judæorum fore in Eccleſia celebrandum. Quæ igitur antiquitus ab Eccleſia Catholica noſcuntur minime in uſum eſſe recepta: tu quæſo, poſt tot ſæcula ne adducas in obſervationem; magis autem eum Beda noſce, hanc eſſe vere fidem totius Eccleſiæ, quam in his etiam ſemel oſtenſam, fore effuſione ſanguinis propugnandam, tu ipſe ingenue id profitentem (*a*) Abulenſem mirifice laudas: ac jure commendas. Quæcumque igitur his averſari noſcuntur, corrigenda eſſe, non dubitandum magis, quam ſi ei, quæ eſt ex fide antiquitati (quod Beda teſtatur) aliquid derogetur.

(*a*) *Annal.* 19.

CXXXI. Jam reliquum eſt, ut omnia quæ dicta ſunt, contrahentes in unum, dicamus, Redemptorem noſtrum Dominum Jeſum Chriſtum ob ſalutem humani generis natum eſſe vigeſima quinta Decembris, C. Cornelio Lentulo & M. Valerio Meſſalino Coſſ. Auguſti Imperatoris ab inito Triumviratu, quadrageſimo primo, a nece Cæſaris quadrageſimo ſecundo, Herodis Regis anno vigeſimo nono inchoato, ab Urbe condita ſeptingenteſimo quinquageſimo primo, Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ anno ſecundo. Quæ autem in ejus natali contigerint, jam aggredimur enarrare. His itaque de Adventu Domini pertractatis atque diſcuſſis, ad ipſos Annales Eccleſiaſticos percenſendos commodior patefactus eſt aditus, ut jam e ſcopuloſis & confragoſis locis enavigaſſe videatur oratio: cui ad immenſum pelagus ſuperandum pandenti vela, ipſa Dei genitrix, cujus divinum puerperium ipſo ingreſſu enarrandum occurrit, divini numinis conciliatrix ſemper aſſiſtat.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
IN APPARATUM BARONII
AD ANNALES ECCLESIASTICOS,

In quo Numeri tantum in margine poſiti indicantur.

A

AAron uxorem de tribu Juda Eliſabeth accepit, XXXII.
Aaronis virga ubi poſita eſſet in tabernaculo, LXXII.
Abdiæ vices quota, LXX.
Abraham Cariatharbæ habitavit, LXXVIII.
Abrahæ tres Angeli ubi viſi, LXXIX.
Abraham uxorem ſororem nominans non eſt mentitus, XLI.
Achibas doctor Pariſæus, VIII.
Achior Amanitis, XXXVII.
Actiaca pugna XL. ante annos, quam deſcriberetur Orbis ab Auguſto, LXXXIII.
Actiaca victoria quando contigit, CV.
Adam formatus eo ipſo die, quo contigit Incarnatio Verbi. LXXVI.
Adoptionis Chriſti generationes, XXX.
Adventus Filii Dei Judæis, & Gentilibus pronunciatus, XVIII.
Adventus Chriſti præſagia Auguſto tributa, XXVII.
Adventus Chriſti tantum defecerat ſceptrum Judæ, V.
Adventus Chriſti opportunum tempus, III.
Ægyptiorum Orthodoxorum opinio de die Natalis Chriſti, CXX.
Ægyptii Chriſtum quando natum dicerent, CI.
Æra numeri nota, quando & ubi ab ea cœpti anni numerari, XCIV.
Ætas Chriſti cum baptizatur, CVI.
Æthicus de geometrica deſcriptione nominatus ab auctore, XCVII.
Africanus Theologus, XXXIV.
M. Agrippa tam Syriæ, quam toti Orienti præfectus, XXXIV. LXXXV. CCLXXXV.
Agrippa Præſes Syriæ, LXXXV.
Alexandria quando debellata, CIV.
Alphæi Jacobus nominatus, LXIV.
Alphæi Maria an eadem una ſit cum Maria Cleophæ, LXVI.
Altare e ſaxis impolitis extructum, LXXII.
Altare incenſi quod, & quando incenſum adolebatur, LXXIV.
Altare aureum in penetralibus, LXXII.
M. Ambivius Syriæ Præſes, LXXXVI.
Ananelus ignobilis Judæus ab Herode ad Pontificiam dignitatem elatus, VII.
Ananias vi publica depoſitus, LXXI.
Ananus Pontifex Maximus, XLIV.
Anaſtaſius Sinaita Epiſcopus Antiochenus, CXVIII.
Andreas Cretenſis, XLV.
Angelus a dextra altaris incenſi, viſus eſt Zachariæ, LXXIV.
Angelos negabant Sadducæi, ſed contra Phariſæi, XI.
Angelus nuncius verbi incarnati, LXXVI.
Animas cum corporibus interire putabant Sadducæi, XI.
Animarum tranſmigratio apud Phariſæos, VIII.
Anna Mater Virginis Mariæ, XLI.
Anna de qua ſtirpe nata, *ibid.*
Annæ Sorores, *ibid.*
Anna gratiam ſignificat, XLII.
Anna unum tantum virum, & unam filiam habuit Mariam, XLI.
Anna ſterilis in ſenectute per orationem concepit Mariam ex Joſeph, *ibid.*
Anna Mater virginis comparata Annæ Matri Samuelis, XLIV.
Anna vidua, XVI.
Anna filia Mathan Sacerdotis, & Mariæ, XLI.
Anna ubi nupſit, *ibid.*
Annam tertio nuptam eſſe dicentium error, *ibid.*
Ex eodem viro tres filias peperiſſe dicentium error, *ibid.*
Anna ex genere Sacerdotali, XLII.
Anna priſca genuit Samuelem per orationem, *ibid.*
Anna propheriſſa in templo habitavit, LIII.
Annalium baſis eſt verus annus nativitatis Chriſti, XCIX.
Anni nativitatis ignoratio fuit multis errandi cauſa in cæteris, XCIX.
Anni in Hiſpanis ab æra numeri nota quando cœpti ſint numerari, XCIV.
Anni Auguſti numerati a nece Cæſaris, CIV.
Anno trigeſimo expleto Chriſtus baptizatur, CVII.
Anni ab Urbe condita varii, CX.
Anni ab origine mundi ex veris Sententiis, CXIX.
Anni per Olympiadas utiliter ſupputantur, C.
Anni ab origine mundi diverſimode ſupputantur, CXVII.
Anni ſecundum ſupputationem ſeptuaginta interpretum, CXVIII.
Anni ſecundum ſupputationem Hebræorum, *ibid.*
Annius Rufus, LXXXVI.
Annorum ſex millia ab origine mundi enumerat Cyprianus, CXIX.
Annorum ab Urbe condita ſupputandi ratio diverſa, CX.
Annorum Regni Herodis ſupputatio quæ falſa, quæ vera, CXII. *& ſeq.*
Annorum calculus ſecundum Romanam Eccleſiam juxta ſeptuaginta duos interpretes, CXVIII.
Annos Chriſti numerare a conditæ Urbis tempore neque tutum neque certum, CX. Ab origine mundi aliter Hæbrei, aliter Romanæ Eccleſiæ traditio ſupputat, CXVIII.
Annos Herodis Joſeph ſupputat, CXII. Regni Herodis quomodo enumerant aliqui, ut Joſephum Evangeliſtæ concilient, CXIII.
Annus quo natus eſt Chriſtus, C.
Annus natalis Domini idem qui & deſcriptionis Quirini, CII.
Annos Conſulatus Lentuli & Meſſalini quotus Imperii Auguſti, CIV. *& ſeq.*
Annus & dies inſtitutionis Triumviratus, CV.
Annus natalis Chriſti deducitur a tempore Baptiſmi, CVI.

Annus ab origine mundi quo natus eſt Chriſtus, CXVIII.
Antropomorphitæ, LI.
Antigonus Aſſmonæus ultimus rex Judæorum, VI. Idem favore Parthorum ejicit Hyrcanum, ibid.
Antigono Aſſamonæo cruci alligato, & faſtibus cæſo Antonius caput truncari mandavit, ibid.
Antigono in crucem acto regnum Judaicum extinctum, VI.
Antigonus regnum Herodis invaſit, LXXXV.
Antipas Herodes ſceptrum Judæ quomodo habuit, VI.
Antipater Herodis pater, LXXXVII.
Antipatris filius proſelytus Herodes Idumæus ex S. C. Romæ regnum Judæorum accepit, VI.
Antiquitas Eccleſiæ, I.
Antonius Rom. Conſul nullus repertus faſtis adſcriptus ante Chriſti adventum, XXXIX.
Antonii acta reſciſſa, CXVI.
M. Antonius Judæam debellavit, VI.
Antonius res Orientales adminiſtrat, LXXXV.
M. Antonius quid in Antigonum Regem Judæorum, VI.
Antonius Caraſa Cardinalis Bibliothecarius Græcam ſeptoaginta duorum interpretum editionem in lucem vindicavit, CXIX.
Apollinis ſtudioſiſſimus Auguſtus quale ab eo reſponſum accepiſſe dicatur, XXV.
Apolline genitus traditur Auguſtus, ibid.
Apollini templum in Palatio ab Auguſto erectum, ibid.
Apollinis Delphici de Chriſto oraculum, XXV.
Apollinis Delphici oraculum obmutuit, ibid.
Apoſtolorum temporibus proximus Hegeſippus, LXVII.
Ara primogeniti Dei ab Auguſto erecta in Capitolio, XXVI.
Ara cœli, ibid.
Arbor terebinthus antiquiſſima, LXXVIII.
Archelaus ab Herode Idumæo patre regnum, cæpit, V.
Archelaus natus ex alienigena Malthaca Samaritide, V.
Archiva Romanorum de Natali Chriſti XC.
Archivum Romanorum, depoſitorium tabularum cenſuum, XCVI.
Ariſtæas & Joſephus de numero Sacerdotum a Theodoſio Judæo differunt, XXXVI. De ſeptuaginta duobus interpretibus, ibid.
Ariſtobolus ab Herode Pontifex factus, mox necatus, VII.
Arrogantia Phariſæorum IX.
Artes Phariſæorum ne profunde dormirent, ibid.
Aſſamonæi ex genere Sacerdotali ex tribu Levitica, IV.
Aſſamonæi fœdere nuptiarum juncti tribui Judæ, & familia David, ibid. Penes ipſos fuit aliquandiu ſumma rerum apud Hebræos III. In ipſis defecit Sceptrum de tribu Juda, cum poſt ipſos regnare cæpit Herodes, ibid.
Aſſamonæorum regnum quamdiu permanſit, IV.
Aſſamonæi e Tribu Levitica ex filiis Jojaridiboa, ibid.
Aſſamonæus Sacerdos ex vice Jojarib. ibid.
Aſſamonæi ex tribu Levitica cur dicti viri Judæ & ubi, ibid.
Aſtronomiæ cultui addicti erant Phariſæi & Scribæ VIII.
Aſtutia Phariſæorum, IX.
Atriſius duumvir in mare projectus, & cur, XXIII.
Auctoritas Phariſæorum apud populum, IX.
Auctoritas ſeptuaginta interpretum retinetur, CXVIII.
Auguſtinus de Sanctis ante Chriſtum natum quid dicat, II.
Auguſti ſtudium circa carmina Sybillina, XXII.
Auguſti quo anno ſit natus Dominus, CIII.
Auguſti Imperii anni numerati a nece Cæſaris, & cur ibid.
Auguſti imperii annorum diverſa ratio, CIII. & ſeq.
Auguſti victoris in Actiaca pugna quo anno, & quo die, CIV.
Auguſti nomen inditum eſt Cæſari VIII. Idus Januarii, XXIX.
Auguſti filius adoptivus C. Cæſar, LXXXVI.
Auguſti mentio ſingulis luſtris fiebat, XCVIII.
Auguſti imperatoria annos a nece Julii Cæſaris numerare cæpit Honoratius, CIII.
Auguſti Imperatoris anno 42. natum Chriſtum qui dixerint, CIV.
Auguſti anni a triumviratu, CV.
Auguſto quomodo Chriſtus per Sybillam innotuiſſe potuit, XXVI.
Auguſto ſuprema, ac maxima omnium poteſtas ex S. C. delata, CIV.
Auguſto Imperium delatum a Cicerone extraordinarium dictum eſt, ibid.
Auguſto Urbem ingreſſo quod ſignum apparuit, XXVII.
Auguſtus Chriſti typus, ſicut & Cyrus Perſarum Rex, ibid.
Auguſtus cenſum impoſuit & cur, XCIV.
Auguſtus cur Orbem deſcribi voluit, XCIII.
Auguſtus nova, & multiplicia invenit vectigalia, XCIV.
Auguſtus Apollinis ſtudioſiſſimus quale ab eo reſponſum accepiſſe dicatur, XXV.
Auguſtus erigit aram Primogeniti Dei, XXVI.
Auguſtus quando natus, XXIV.
Auguſtus pro Apolline ornatus, XXV.
Auguſtus ſacrificavit Apollini hecatombem, Auguſtus de Rege venturo reſponſa tulit, ibidem In Syriam venit, parta victoria, LXXXV.
Auguſtus circumferebat orbi terrarum præſentiæ ſuæ bona, ibid.
Auguſtus quando mortuus, LXXXVI.
Auguſtus quindecim annos ſupervixit a Chriſto nato, XCI.
Auguſtus vectigalia omnia provinciarum ſuſtulit, XCIV.
Auguſtus primum omnium univerſum Orbem Romano ſubjectum Imperio cenſuit, XCVIII.
Auguſtus tributa ordinaria inſtituit, XCIV. Quinquaginta & octo annos imperavit, CIV. Hæres a Cæſare inſtitutus, ibid. In Antonium armatur ibid.
Auguſtus Antonii geſta ex S. C. reſcidit, CXVI.
Auguſtus quomodo monitus a Sybilla, XXVI.
Auguſtus Orbis deſcriptionem geometricam a Julio Cæſare inchoatam abſolvit, XCVII.
Aureum thuribulum in templo Salomonis, LXXII.
Auſonii Galli ſupputatio annorum Urbis, CX.

B

BAbilonem adducta eſt tribus Juda, III.
Baptiſmata ſuperſtitioſa, ac frequentia, XIV.
Baptiſmi Chriſti tempus, CVII.
Baptiſmus Chriſti, CVI.
De Baptiſmo Chriſti Ignatii ſententia, CVIII.
Baſilica Transtiberim ad fontem olei erecta, XXVIII.
Baſis Annalium verus annus a nativitate Chriſti, XCIX.
Barpanther filius Panther genuit Joachim, XLII.
Benedicti Pererii opinio de tempore Baptiſmi Chriſti, CVI.
Bethlehem civitas David, LXXX.
Bethlehem triginta quinque ſtadiis Hieroſolymis diſtans, XCVI.
Bethlehemiticis in ſuburbiis ſpelunca ubi natus Chriſtus, II.
Biſſextilis rationis Cæſar inventor. XCVII.
Burchardus deſcriptor Terræ Sanctæ corrigitur, LXXIX.

Ca-

Digitized by Google

C

CAſth ſamilia Levitici generis, LXXVII.
C. Cæſar Judæi rurſum tributum imperavit, VI.
C. Cæſar Auguſti filius adoptivus, LXXXVI.
C. Cæſar adoptivus ad bellum Armenicum profectus, *ibid.*
C. Cæſar adoptivus in provincia Syriæ defunctus, *ibid.*
Cajus Soſius Syriæ Præſes, LXXXV.
Callixtus Pontifex tabernam meritoriam illuſtravit Eccleſia, XXIX.
Canon græcorum de ætate Presbyteri ordinandi, CVII.
Caput Eccleſiæ Dei filius, II.
Carmina Martialis & Juvenalis de Judæis, XXIX.
Caſſiodori ſententiam de anno, quo Chriſtus natus eſt, cæteris præſtare, CI. Liber de computo Paſchali, *ibid.*
Caſſius tributum Judæis imperavit, LXXXVII.
Caſſius clade & depopulatione Judæos affecit, *ibid.*
Caſtitatem excolebant Phariſæi uſque ad certum tempus, IX.
Cellæ nonaginta in templo Salomonis, L.
Cenſebant Romani populum quolibet luſtro, LXXXVIII.
Cenſendi populi tempus, LXXXVII.
Cenſeri qui ſolerent, & quoto die infantes, XCII.
Cenſus ſub Saturnino, LXXXIX.
Cenſus tabulæ Conſulum nomina notabantur, XCII.
Cenſum ſolvebant omnes cujuſcumque ætatis & ſexus, *ibid.*
Cenſus ſub Quirino bis actus, *ibid.* LXXXVII.
Cenſus ſub Quirino cur Ethnici non meminerint, XCVI.
Cenſus diverſi ab Auguſto imperati, XCIII.
Cenſus luſtralis quolibet quinquennio, *ibid.*
Cenſus deſcriptionis forma ſæpe mutata, *ibid.* XCVI.
Cenſus luſtralis exactio quouſque perſeveraverit, XCIII.
Cenſus Tertulliani temporibus, *ibid.*
Cenſus cauſa viri viginti delecti, & in provincias miſſi ab Auguſto, XCIV.
Cenſus plures ab Auguſto exacti, *ibid.*
Cenſus Senatus ab Auguſto, *ibid.*
Cenſus tribus Galliis imperatus, *ibid.*
Cenſus primi Auguſti cur nullus hiſtoricus meminerit, XCV.
Cenſus tabulæ Romanis archivis aſſervantur, XCVI.
Cenſus ab Auguſto impoſiti ratio multiplex, XCIII.
Chriſti genealogia variæ deſcribitur, XXX. Adventus prophetiis Gentilium obſcure prædictus, XXIII.
Chriſti adventum quæ præceſſerint prodigia, XXXIV.
Chriſti adventus tempus opportunum, III.
De Chriſti die natali diverſæ ſententiæ, CXIX.
Chriſti adventus præſagia Auguſto tributa, XXVII.
Chriſti genealogiam cur diverſo ordine retulerint Matthæus, & Lucas, XXX.
Chriſti ſanguine qui ſint abluti, L.
Chriſti paſſio futura ſalutem dedit, II.
Chriſti incarnationis futuræ fide ſalvi facti ſunt homines, ut præteritæ, II. Ejus Natalis ex libris Sibyllinis notus, XV.
In Chriſti adventu paucorum religio, XVI.
Chriſti adventu tantum defecerat ſceptrum Judæ, V.
Chriſti tempore nondum eractum templum Paneis, XII.
Chriſtiani apud Alexandriam habitantes, LII.
Chriſtiani Sibylliſtæ dicti & cur, XIX.
Chriſtiani vetiti ad lectionem Prophetarum & Sibyllarum pœna mortis, *ibid. & ſeq.*
Chriſtiani qui nominandi, XXVIII.
Chriſtiani idest, uncti, *ibid.*
Chriſtianorum ſtudium in legendis libris Sibyllinis, XX.
In Chriſto, & per Chriſtum ſancti omnes ſalutem conſecuti, L.
Chriſtum quæ ſectæ non receperunt. VIII.
Chriſtus quomodo innotuit Auguſto per Sibyllam, XXVI.
Chriſtus Eccleſiæ fundamentum, L.
Chriſtus idest unctus, XXVIII.
Chriſtus ex ſtirpe Regia genere Sacerdotali, XXX. XXXII. *& ſeqq.*
Chriſtus qui ſit, L.
Chriſtus quoto ab origine mundi anno natus, CXVIII.
Chriſtus quoto anno ab Urbe condita, CX. Et quo Herodis anno, CXVII. CXXIV. Et quo anno Auguſti, CIII. Quo tempore conceptus, LXXVI. CXIX. Quo die natus, LXXVI. CXX. Nocte naſcitur, CXXIII. Quo menſe & die ſit natus, CXX. *& ſeq.* Qua Olympiade, XCIX. CII. Et quibus Conſulibus, C. Ex ſtirpe Davidica, XXXI. Unus ex duobus naturis, eodem momento & perfectus Deus & perfectus homo, LXXV. Deſcribitur in cenſu ſub Quirino, XCVI. Virginem nonniſi Virgini commendavit LXIII.
Chriſtus pendente deſcriptione ſub Quirino natus, circumciſus, deſcriptus, CV.
Chriſtus Eccleſiæ *fundamentum*, L.
Cicero multa vaticinia adducit ex Sibylla Cumana, XXIII.
Cilicia ſub Provincia Syriæ redacta, LXXXVI.
Circulus Solem ambiens viſus Auguſti tempore, XXVII.
Cives Romani qui, XLII.
Civitas nobilior, exceptis Hieroſolymis in Palæſtina quæ, LXXVIII.
Civitas David Bethlem, LXXIX. Juda quæ dicta, LXXVII. Prima obtigit ſorte familiæ Caath, *ibid.*
Civitates diviſæ ad habitandum tribui Leviticæ, *ibid.*
Cleophas frater Joſeph, LXVII.
Collyridiani hæretici de virginis Mariæ natura mentiuntur, XLIII.
Connubia apud Judæos non fiebant niſi inter ejuſdem tribus viros, & mulieres, XXXI. Sacerdotibus tantum licebat uxorem ducere feminam ex alia tribu, XXXIII.
Conſulatus ignoratio quo natus eſt Chriſtus, multis cauſa errandi fuit, XCIX.
Conſulatus ſub quo natus eſt Chriſtus, CI.
Conſulatus Domitiani ſextus cum Octavo Veſpaſiani, XIX.
Continentia perpetua etiam ante Chriſtum ſervata, LXI.
Cornelii Janſenii opinio de tempore Chriſti baptiſmatis, CVI.
Corona, & Circulus ſolem ambiens, XXVII.
Craſſus templum Hieroſolymitanum expilat, VI.
Cyprianus ſex millia annorum ab origine mundi enumerat, CXIX.
Cyrinus Syriæ Præſes deſcriptionem facit, LXXX. Quouſque ſupervixerit, XCVI.
Cyrinus, *Vide.* Quirinus.

D

DAvid unctus eſt Chariatharbe, LXXVIII.
David ſceptrum quando defecit, III.
Dei filius cur homo factus, II. & ſeq.
Dei filii adventus Judæis & Gentilibus prænunciatus, XVIII.
Delphon doctor Phariſæus, VIII.
Deſcribi qui ſolerent in cenſu, XCII. & ſeq.
Deſcriptio quolibet luſtro fiebat, LXXXVIII.
Deſcriptio cenſus facta a Quirino LXXX. LXXXV. & ſeq.
Deſcriptio geometrice Auguſti, XCVII. & a Cæſare inchoata, ibid.
Deſcriptio facta ſub Quirino quo tempore, LXXX. Univerſalis, XCVIII. Quirini prima ſecundam arguit, LXXXVI. Prima quæ & quomodo accipienda, ibid.
Ex Deſcriptione in chartis cenſuum quis arguebatur civis eſſe Romanus, XCII.
Deſcriptione promulgata, Palæſtinam bello vexatam falſo dicitur, LXXXIV.
Deſcriptionem non eſſe factam a Quirino, falſam, LXXX.
Deſcriptionis Orbis tempus, non verum apud Joſephum, LXXXII. Ab Auguſto factæ certa fides, XCIV.
Deſcriptiones cenſus plures, LXXXVI.
Devoti homines Deo, certo tempore olim nubebant, LIV.
Didius Præſes Syriæ, LXXXV.
De Die natali Domini diverſæ ſententiæ, CXX.
Dies luſtrici, XCIII.
Dies natalis Mariæ Virginis quando contigit, XLVIII.
Dionis hiſtoria per decem annos periit, XCV.
Diſſipatorem Sammai ſuntſtai, VIII.
Diſcrimen inter Sacerdotum vices, LXXIV.
Dominica die Chriſtus natus, CXXII.
Domitiani libido inquirendi de ſtirpe David, XXXVII.
Domini feſtatii, XIII.

E

ECcleſia Chriſti ſuis incrementis aucta, L. & ſeq.
Eccleſia qui modo obſervat numerationem annorum mundi, CXV.
Eccleſiæ unum ſemper ab initio corpus, II.
Eccleſiæ membra ante Chriſti adventum, ibid.
Eccleſiæ caput Chriſtus, II.
Eccleſiæ fundamentum primarium, L.
Eccleſiæ antiquitas, L.
Eliezer doctor Phariſæus, VIII.
Eliſabeth filiam Aminadab, XXXII.
Eliſabet conjux Zachariæ, XVI.
Epiphanii ſententia de die natali Domini, C.
Epiphanius contra Gnoſticos, XXXV. De annis Herodis, CXIV.
Epiphanius claruit temporibus Conſtantii Imp. XLIII.
Error dicentium Chriſtum natum menſe Aprili, vel menſe Majo, CXX.
Errores de genere Mariæ virginis confutati, XXXVIII. & ſeq.
Error eorum qui dixerunt Sanctam Annam tertio nuptam, XLIII.
Error Collyridianorum de Maria Virgine XLII. Dicentium Iſachar Summum Pontificem fuiſſe tempore quo nata eſt Virgo Maria, XLIV.
Error eorum qui putant miracula Romæ facta accidiſſe ipſo Chriſti natali die XXIX. Dicentium per civitatem Juda in montanis poſitam Hieroſolymam eſſe intelligendam, LXXIX.
Eſſeni qui, VIII. Sine uxore vitam ducebant, LVIII.
Eſſeni a cæteris ſectis diviſi, XII. Moribus conſpicui, ibid.
Eſther, & Thamar filias fuiſſe Joſephi viri Mariæ falſum, VI.
Evangeliſtæ præſtantiſſimi omnium hiſtoricorum, LXXXII.
Evangelium editum nomine Petri Apocripham, LXII.
Evodius Antiochenus Epiſcopus martyrio coronatur, qua occaſione, XLVII.
Euſebii error de cenſu, LXXX.
Euſebius longe aliter a Joſepho annos Herodis enumerat, CXIV.

F

FAbula de homine formam aſini habentem, XXXIX
Faſti Caſſiodori de tempore Chriſti nati veriores, C. CII. CIX. Panvinii annos uno diſcrepant, CIX.
Fato omnia tribuerunt Phariſæi, VIII.
Fauſti Manichæi liber de Joachim reiicitur, XLVI.
Fauſtus Manichæus mentitur de ſtirpe Virginis, XXXIX.
Feminæ in Eccleſia a viris ſeparatæ, LII.
Feminis cum viris in Eccleſia canere interdictum, ibid.
Feriatio ſuperſtitioſa diei Sabbati, XIII.
Fide incarnationis Chriſti futuræ ſalvi facti ſunt homines, ut præteritæ, II.
Filius Dei cur homo factus, ibid.
Fimbriæ Phariſæorum, IX.
Fons olei Romæ erupit, XXVIII.
Fratres Domini qui putati, LXI.
Fratres Domini a quo geniti, LXIV.
Fratres Domini dicti cur Germani putati, ibid.
Fratres Domini quinam eſſent ex Hieronymo, LXII.

G

GAbinius adminiſtrat Judæam, VI.
Gabinius Syriæ Præſes tributum Judæis imperat, LXXXVII.
Gabrielis Archangeli nuncium, LXXVI.
Γιώρας, XXXVII.
Genealogia Chriſti aliter a Matthæo: aliter a Luca deſcribitur, & cur, XXX.
Genealogia Mariæ Virginis, XXXI. De ſtirpe Mariæ liber ejectus, XXXVI.
Genealogia Chriſti a Judæis ficta, XXXV.
Genealogiarum Judæorum libri periclitati, XXXVII.
Genealogiæ conſcriptæ Hieroſolymis aſſervabantur, XXXI.
Genealogiæ Sacerdotum duorum millium annorum ſervatæ, XXXVII.
Genealogiæ Judæorum virorum tantum nominibus deſcribebantur, XXXI.
Generationes Chriſti naturales, XXX.
Generationes adoptionis Chriſti, ibid.
Generationum numerum in Matthæo & Luca diverſus, ibid.
Genitricis Dei parentes, XXXVIII.
Gentilium ſtatus, & mores teterrimi, XVII.
Gentilium Prophetæ, & Prophetiſſæ, XVIII. & ſeq.
Genus Joſeph viri Mariæ, XLII.
Germanus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, XLI.
Gnoſticorum liber de ſtirpe Mariæ portentiſſimus, XXXV.

Gnoſtici omnium hæreticorum ſceleſtiſſimi, XXXIX.
Gortheni Hæretici, XII.
Gregorius Epiſcopus Nicomediæ, XLVIII.

H

Habitatio feminarum in Templo, LIII.
Hæccadi Rabini antiqui de Parentibus Virginis hiſtoria confutata, XXXIX.
Hæres & ſectæ Judæorum ex Tertulliano, XV.
Hæretici qui confutati de Virgine Maria, LVII.
Hebron civitas antiquiſſima, LXXVIII. Nobilior cæteris Palæſtinæ Urbibus, exceptis Hieroſolymis, *ibid.* Dicta etiam Chebron, & Chariathsabe, *ibid.* Habrahæ domicilium, *ibid.* Quantum diſtet a Hieroſolymis, *ibid.* Adam ibi conditum autumant, LXXIX. Quam incolebat Zacharias, *ibid.* Ab omni gente venerationi habita, *ibid.*
Hegeſippus proximus Apoſtolorum temporibus, LXVII.
Hegeſippus juſte in Joſephum hiſtoricum quædam expoſtulat, XXXIX.
Heli, & Jacob uterini fratres, XXXIV.
Heli, Eliachim & Joachim eſſe Synonyma, XXXV.
Heli nominis dubitatio, XXXIV.
Heli filius Melchi ex uxore Mathan, *ibid.*
Heli pater Joſeph non eſt Joachim pater Virginis, *ibid.*
Helvidius infamis hæreſiarcha, LXIII.
Herodes Idumæus, homo Gentilis, poſtea proſelytus, V.
Herodes Pontificiam dignitatem largitur, & aufert, VII. Romam veniens Pollione utitur Hoſpite, XXIII. Creditus Chriſtus, V. Igni tradidit tabulas genealogiarum Judæorum cur XXXVII.
Herodes favit Antonio contra Octavianum, XI. Rhodum ſe contulit ſupplex ad Auguſtum, CXV. Quomodo Regnum promeruit, *ibid.* Jus ſummi Sacerdotii ſibi arrogavit, VII. Antigonum debellavit, CXII. M. Antonii ope in regnum reſtitutus, *ibid.* Vixit uſque ad annum nonum ætatis Chriſti, *ibid.* Civitates, theatra, templa, Auguſti nomine dedicavit, *ibid.* CXVI.
Herodes omnia agit in gratiam Auguſti, CXVI.
Herodes ſtolam Pontificiam cuſtodiri juſſit, VII.
Herodes Antipas qua ratione regnum in Judæa habuit, V.
Herodes Antipas natus ex alienigena Malthace Samaritide, *ibid.*
Herodes quot annorum fuerit cum pater ejus Judæam accepit regendam CXIV.
Herodis regni exordium, VI.
Herodis Regni anni quo modo ſupputandi, CXVI.
Herodia cum Pollione amicitia, XXIII.
Herodia vitæ anni ex Joſepho, CXIV.
Herodis regni annus primus unde numerandus, CXVI.
Herodis regni quo anno Chriſtus natus, CXVI.
Herodis obitus, CXIII.
Herodis temporibus ſacerdotium venale, LXXI.
Herodiani Hæretici, V.
Herodiani Herodem Chriſtum eſſe dicebant, XV.
Herodianorum gregales contra Chriſtum conſpirant, *ibid.*
Herodum ſtirps perſeveravit uſque ad Veſpaſianum Imperatorem, V.
Hieronymo falſo attributa ſcriptura ad Chromatium & Heliodorum, XLIV.
Hieruſalem urbs regia potius, quam Sacerdotalis, LXXIX.
Hellel & Sammai auctores Scribarum & Phariſæorum paulo ante Chriſtum, VIII.
Hippolitus Martyr de Anna Matre virginis quæ, XLI.
In Hiſpaniis ab æra cœpti ſunt anni numerari quo tempore, XCIV.
Hyrcanus redactus in ordinem, necatus ab Herode, VI.
Hiſtoria de Maria Virgine, XXXVIII.
Hiſtoriæ Ethnicorum magna ex parte mutilatæ, XCV.
Hemonadenſium caſtella debellata, LXXXV.
Horatius numerat annos Auguſti a nece Julii Cæſaris, & cur, CIII.
Hydaſpes Gentilium vates, XVIII.

I

Jacob, & Heli fratres uterini, XLII.
Jacob pater Joſephi viri Mariæ filius Nathan, *ibid.*
Jacob frater Domini conſobrinus filius Cleophæ, LXIV.
Jacobi nomine Pſeudoevangelium refellitur, XXXIX.
Jacobus frater domini vocatus, ſed non Joſephi filius, LXIV. Frater domini vocatus, fuit filius Cleophæ, *ibid.*
Jacobus minor & Joſeph fratres Domini cujus Mariæ filii, *ibid.*
Jeſus natus, circumciſus, & deſcriptus ſub Quirino, XCII. Erat incipiens quaſi annorum triginta: multiplex horum verborum ſenſus, & quis potior, CVI. *& ſeq.*
Jeſus quando, quomodo, & ad quid a patre miſſus, L.
Jeſus agnus ab origine mundi occiſus. L.
Ignatii auctoritas omnibus præferenda circa tempus baptiſmi Chriſti, CVII.
Ignatii epiſtolæ ad Trallianos locus vitioſa tranſlatione citatus, CVIII.
Ignorantia conſulatus quo natus eſt Chriſtus coegit multos errare, XCIX. *& ſeq.*
Incarnatio verbi, LXXVI.
Incarnationis Chriſti futuræ fide ſalvi facti ſunt homines, ut præteritæ, LI.
Incenſum quando adolebatur in Templo, LXXIV.
Infans in cenſus tabulas adſcribebatur natus non abſoluta deſcriptione, XCII.
Infanti nomen quando a Gentilibus imponebatur, *ibid.*
Joachim pater Mariæ Virginis, XLIII.
Joachim genealogia, XXXVIII.
Joachim tres filias genuiſſe, falſum XLI.
Joachim Angelus in deſerto vaticinatus eſt ortum Mariæ, XLIII.
Joachim, Anna, & Maria Trinitati ſacrificium laudis offerebant, XLV.
Joachim interpretatur præparatio domini, *ibid.*
Joachim, Heli, & Heliachim eſſe Synonyma, XXXIV.
Joannes Baptiſta quo tempore in utero conceptus, LXVIII. Quo die natus CXXI.
Joas filius Regis Joram, LIII.
Jojada Pont. Max. filiam Joram Regis Judæ in uxorem duxit, XXXII.
Jojarib inter viginti quatuor Sacerdotales vices principem locum tenuit, XXXIII.
Joſeph Galilæus doctor Phariſæorum, VIII.
Joſeph natura filius Jacob lege vero Heli, XXXIV.
Joſeph ſponſus Mariæ ex Regia ſtirpe David, *ibid.* Vir juſtus in maritum virginis delectus, LIV. Quomodo dicatur nunc filius Jacob, nunc Heli, XXXIV.
Joſeph opificio faber, LIV. Cuſtos & teſtis Mariæ Virginitatis, LX.
Joſeph ſponſum Virginis Mariæ Virginem fuiſſe, LXII. Duas uxores habuiſſe falſum, LX. *& ſeqq.*

Jo-

Joſeph germanus Jacobi, LXIV.
Joſephi hiſtorici errores diverſi, LXXXI. & ſeq. Novem Herodis annos prætermittit, LXXXIV.
Joſephi erroris cauſa in enumerando Herodis annos, CXV.
Joſephi error de Præſidibus Syriæ, LXXXVIII.
Joſephi error de annis regni Herodis convincitur ex ſuis ipſius ſcriptis, CXIII.
Joſephi error de tempore deſcriptionis Quirini, CXVII.
Joſephi error de Vari temporibus, LXXXIV.
Joſephi inconſtantia de tempore Vari Præſidis, XXXIV.
Joſephi error unde oſtenditur, CXVI.
Joſephi inconſtantia, LXXXIV.
Joſepho plus tribuunt Novatores, quam Evangeliſtis, LXXXI.
Joſephus hiſtoricus Flavius dictus refellitur. LXXXIII. & ſeq. Contradicit Evangeliſtæ, LXXX. Ignoravit Faſtos conſulares, LXXXIII, Quomodo numerat annos Herodis, LXXXIV. Novem annis errore lapſus eſt in numero annorum Herodis, ibid.
Joſephus, & Ariſtæas de numero Sacerdotum a Theodoſio Judæo differunt, XXXVI.
Joſue doctor Phariſæorum, VIII.
Iſachar ſummus Pontifex, XLIV.
Judaicarum rerum ſtatus tempore Chriſti, XIV.
Judas apoſtolus cognomento Thaddæus, citatus, XCVI.
Judæ ſceptrum quando defecit, III. Sceptrum in Juda ad Herodem uſque permanſiſſe, quomodo intelligendum, IV. Nomen cur communicatum tribu Levi, V.
Judæa per Scaurum, & Gabinianum adminiſtrata eſt a Pompejo Magno, VI.
Judææ Præſides, LXXXIV. & ſeq.
Judæi quando dicti, III. Quæ olim nomina habuerint, ibid.
Judæi de Chriſti genealogia, XXXV. Romæ habitabant Transtiberim, XXIX. Romanis tributis penderunt viginiinovem annis ante Antipatrum, LXXXVII.
Judæi in nuptiis genna non pecuniam ſpectabant, LIV.
Judæi ſub tributo a Romanis redacti, LXXXVII.
Judæi Sacerdotio ſpoliantur legitimo, VII. A ſinceris dogmatibus deviant, ibid. Permutant ſulphorata vitro, XXIX.
Judæi cito filias nuptui tradebant, XLVII. Quando facti vectigales, LXXXVII.
Judæis ex una tribu in aliam fœdere nuptiarum tranſire licitum, IV.
Judæorum confeſſio de advento Chriſti, V.
Judæorum genealogiæ per virorum ſeriem texebantur, XXXII.
Judæorum conſuetudo a nuptiis contrahendis, LIV.
Judæorum hæreſes extinctæ quomodo, VIII.
Judæorum ſincera doctrina plurimis erroribus obſcurata, VII.
Judæus otioſus in navi ſedit die Sabbati mira ſuperſtitione, XIII.
Judæus Tranſtiberinus ambulator, XXIX.
Julianus Apoſtata quid de Chriſto deſcripto, LXXXII.
Julianus Epiſcopus Toletanus falſo cognominatus Pomerios, CXVIII.
Julius Marathus, XXIV.
Juſtinus martyr quid de deſcriptione cenſus ſub Quirino, LXIX.
Juſtinus martyr de ſanctis ante Chriſtum quid dicat, II.

L

LAbrum eneum factum a Moyſe de ſpeculis mulierum, LIII.
Legati Romanorum miſſi Erythras ad quærenda carmina Sibyllina, II.
Levi ex ſtirpe David genuit Melchi, & Panther, XLII.
Leucius Manichæus, ſive Seleucus Actus Apoſtolorum falſos deſcripſit, LXII.
Lex de caducis hæreditatibus Poppæi nomine, XCIV.
Liber de ſtirpe Mariæ rejectus, XXXV.
Librariorum error circa annum natalis Domini in Euſebio CIII.
Lucæ auctoritas Joſepho præſtat, etiam Ethnicorum arbitrio, LXXXII.
Lumeo titulus epiſtolæ cujuſdam, XLVII.
Luſtralis cenſus uſque ad Veſpaſianum, LXXXVII. XCIII.
Luſtro quolibet Romani populum cenſebant, LXXXVIII.

M

MAlthace uxor Herodis Idumæi, V.
Manna quo die pluit in Eremo, CXXII.
Manus præmiſſa nonnulli patriarchæ nati, II.
Marcus Antonius Judæam debellavit, VI.
Maria Syriaca voce Dominam ſignificat, XLIII.
Maria non ſine conjugio concepta, XLIII. ex repromiſſione, XL. Cælum, Templum, & thronus, XLV.
Maria, quo anno in templo præſentatur, & quandiu ibi manſit, XLVII.
Maria Sacerdotum manibus tradita Joſeph ad cuſtodiam ibid. Cur Angelo reſpondit: Quomodo fiet iſtud? LVI. & ſeqq.
Maria quo anno ſuæ ætatis peperit, XLVII. Virgo nuptui tradita Sacerdotum conſilio, XLIV. Virgo divino conſilio deſponſata, LIX. Quo tempore ab Angelo ſalutatur, LV.
Maria virgo non liberorum cauſa ducta a Joſeph, LVII.
Maria Virgo decimoquinto ſuæ ætatis anno tradita eſt ſacerdotum manibus Joſeph ad cuſtodiam, XLVII.
Maria virgo in templo traduxit annos undecim, ibid.
Maria virgo ubi nata, XLVIII.
Maria Virgo cur in Templum allata, ibid.
Maria Matertera Domini quæ, LXII. Mater Jacobi minoris & Joſeph, & Judæ, ibid.
Maria Virgo parentibus ſcientibus nec contradicentibus votum virginitatis nuncupavit, LVIII. Ubi deſponſata eſt, parentibus redditur, LV. Salutatur ab Angelo in domo paterna, ibid. Abiit in montana, LXXVII.
Maria poſt partum an oraverit in Templo in loco Virginum LI.
Maria virgo nata de ſtirpe Sacerdotali XXXII. ex Davidica ſtirpe progenita XXXI. & Aaronica, III. XXXII.
Maria prima omnium votum virginitatis emiſit, LVII. Et quando, LVIII.
Maria ſine dolore peperit, & abſque obſtetrice, CXIX.
Maria virgo Virgini Joſeph commendata, LXIII.
Maria Jacobi uxor Alphæi, LXVI. Jacobi minoris & Joſeph mater, LXV.
Maria Mater Jacobi & Joſeph longe a cruce ſtetit, LXVI.
Maria Alphæi an eadem ſit cum Maria Cleophæ, ibid.
Maria Cleophæ alia a Maria Jacobi, LXVII.
Maria Cleophæ nuncupata, quod fuerit filia Cleophæ, LXVI.

Ma-

Digitized by Google

Maria Cleophæ cum Maria Virgine juxta crucem ſtetit, LXVII.
Maria Cleophæ conſobrina Mariæ Virginis, LXV.
Maria Cleophæ & Maria Salomæ non ſorores Germanæ, LXVI.
Maria ſoror Moyſi virum habuit, *ibid.*
Mariæ Virginis votum virginitatis, LVI. *& ſeq.* Vox Virgo, & non mutabitur, CXIX.
Mariæ Virginis undecimo anno parentes obierunt, LVIII. De Mariæ voto ſententiæ diverſæ, LIX.
Mariæ Virginis hiſtoria, XXXVIII.
Mariæ parentes, XXXVIII.
De Mariæ ortu Seleuci Manichæi inſana commenta, XXXIX.
Mariæ Sorores cur dictæ XLI.
Mariæ voto Virginitatis conſenſiſſe Joſeph facile eſt credere, LX.
Mariæ quam Joſeph, genealogiæ, cur non potius deſcriptæ, XXXI.
Mariam Virginem virginitatem voviſſe multi teſtantur, XXII.
Mariam Virginem virginitatem voviſſe convincitur, LVI.
Mariam Jacobi matrem & Joſeph fuiſſe uxorem Joſeph Mariæ Sponſi, falſum, LXV. *& ſeq.*
Maro ex Sibylla Cumea quæ acceperit, XXIII.
Maro ab Hebræis aliqua accipere potuit, *ibid.*
Mathan Sacerdotis filiæ Maria, Sobe, & Anna XLI.
Matribus honor habitus, XLIII.
Matrimonio jungere non licebat nec feminæ alterius tribus virum, nec viro alterius tribus feminam, XXXI.
Matthias Theophili Pont. Max. apud Judæos, LXXV.
Meir doctor Phariſæorum, VIII.
Melchi filius Levi frater Pantheris, XLII.
Membra Eccleſiæ ante Chriſti adventum quæ, II.
Memphi urbs Ægypti LXXVIII.
Menologium Græcorum, CLI.
Menſa in templo Hieroſolymitano, LXXII.
Mercurius Triſmegiſtus, XVIII.
Meritoria taberna typus Eccleſiæ, XXVIII.
Meſſala Præſes Syriæ, LXXXV.
Meſſallini Conſulatu naſcitur Chriſtus, C. CIV.
Miniſtri inferioris ordinis in templo ſortiebantur miniſteria, LXXIV.
Romæ facta accidiſſe ipſo Chriſti natali die falſum, XXIX.
Montana Judææ quæ LXXVII.
Mulieres quæ excubabant ad oſtium tabernaculi quales fuerint, LIII.
Mulieres in Eccleſia a viris ſeparatæ, LII.
Multitudo populi foras erat in Templo hora incenſi id eſt extra primum velum, LXXII.
Mundi originis anni CXVIII.

N

NAſon tribus Judæ principes, XXII.
Naſcentes Patriarchæ manus præmiſſa quid ſignificarent, II.
de Natali die Domini diverſæ ſententiæ, CXI. CXVIII.
Natalis Domini tempus, CXX.
Natalis dies Domini quis apud Hæreticos traditus, *ibid.*
Natalis dies Chriſti quis apud omnes Catholicos, CXXII.
Natalis Domini poſt mortem Herodis contingeret ſi Joſephum ſequeremur, CXIII.
Natalis Virginis quibus conſulibus, qua Olympiade contigit, XLVIII.
Nativitas Virginis privilegiis aucta, XXXIX.
Navigans Judæus ſuperſtitioſe clavum ſabbato reliquit, XIII.
Nauta Judæus ſuperſtitioſus, *ibid.*
Nazaræi, qui, XV.
Nazareorum ſecta etritus, *ibid.*
Nocte naſcitur Chriſtus & qua hora, CXXIII.
Nomen quando indebatur infanti a Gentilibus XCII.
Nomina Judæorum quæ fuerint, III.
Nomini proprio filii nomen patris ſubiiciebatur, LXIV.
Norbanus Conſul Romanus, LXXXV.
Novatores plus tribuunt Joſepho, quam Evangelio, LXXXI. Eorum confutatio, *ibid.*
Novatores quæcumque ignorant, blaſphemant, XCVI.
Novatores noſtri ſæculi, *ibid.*
Novatorum veſania de tempore deſcriptionis factæ a Quirino LXXX.
Numeratio annorum mundi quomodo ab Eccleſia obſervata, CXIX.

O

OCtava die nomen imponere, mos fuit Judæorum atque Gentilium, XCII.
Octavius ante pugnam imperator appellatus, CV.
Octavius Conſul anno ætatis ſui vigeſimus, *ibid.*
Oleum a taberna meritoria, XXVIII.
Olympiade qua natus ſit Dominus, CII. CXIII.
Olympiades ad ſupputanda tempora perutiles, CII.
Olympiadum anni unde numerari ſoliti, CX.
Onias ſummus Pontifex LIII.
Onuphrii Panvinii Faſti uno anno diſcrepant a Faſtis Caſſiodori, CLX.
Oraculum Apollinis Delphici quando, & cur occluſum, II.
Orbis ſtatus tempore Chriſti, XVII.
Orbis deſcriptio facta ab Auguſto & ejus cauſæ, XCII. *& ſeq.*
Orbis deſcriptio geometrica cœpta a Julio Cæſare, abſoluta ab Auguſto LXXIX.
Orbis terrarum quando metiri cœpit, *ibid.*
Orbis continentia ad Senatum perlata, *ibid.*
Ordo Romanus quo anno Chriſtum baptizatum profitetur, CVIII.

P

PAlæſtina pacem habuit, Herode, & Archelao regnante, LXXXI.
Palæſtina quando dici Judæa cœpit, III. Sub Syria continebatur, LXXXVII.
Pallium Phariſaicum, X.
Panes propoſitionis, LXXII.
Panther filius Levi genuit Barpantherem, XLII.
Patres uſi Sibyllarum teſtimoniis, XX. *& ſeq.*
Patriarchæ non caput Eccleſiæ ſed membra, II.
Paulus quid de Sybillis, XIX.
Paulus Græcos poetas citare conſuevit, *ibid.*
Petri & Jacobi pſeudoevangelia, LXIV.
Petrus Damiani, LXIII.
Phanuel Pater Annæ propheteſſæ, LIII.
Phariſæi cur ſic dicti, X.
Phariſæi communi nomine dicebantur ſectatores Sammai & Hillel, VIII.
Phariſæi quidam quid de tranſmigratione animarum in Chriſtum, *ibid.*
Phariſæis potius quam Sadducæis populus obediebat, XI.
Phariſæi virginitatem ad tempus excolebant, IX.
Phariſæi bis in Sabbato jejunabant, quibus diebus, IX.
Phariſæorum ſecta, VIII. Origo & auctoritas, *ibid.*

Pha-

Phariſæorum pernicioſa cæcitas, ſuperſtitiones dogmata, VIII. Lava, X. Continentis, & Santitas, VIII. & ſeq. Vita duriſſima, ibid.
Phariſæorum hæreſis de tranſmigratione animarum propagata, VIII. Eorum artes ne profundæ dormirent, IX. Auctores qui, VIII. Fimbriæ, IX.
In Phariſæos Joannes Baptiſta invehitur, XI.
Polycletus meridianam partem dimenſus eſt, XCVII.
Pompejum fecit Judæos vectigales, VI. LXXXVII. Judæam debellavit, ibid.
Pompejus a regibus Aſiæ & Syriæ pecuniam corraſit, LXXXVII.
Pontificatus legitimo Judæi ſpoliantur, VII.
Pontificatus e domo Levi ſublatus, ibid.
Pontificiam ſtolam Herodes in loco munitiſſimo cuſtodiri juſſit, VII.
Pontificis ſummi functio forti num ſubjecta, LXX.
Pontificum ſummorum catalogus apud Joſephum, LXXV.
Pontificis uxor qualis apud Judæos, XXXIII.
Pontificum Judæorum ſeries olim deſcripta, ibid.
Populus a primo & ſecundo tabernaculo ſecluſus, VII.
Populi ac Sacerdotum ſedes in templo, LXXII. & ſeq.
Porphyrius hæreticus, XCVI.
In Porticum Templi exteriorem qui ingrederentur, LXXIV.
In Porticum ſecundam, tertium, quartam qui ingrederentur, LXXIII.
Præſides Provinciarum bella agere conſueviſſe, LXXXVI.
Præſidum Syriæ ſucceſſio, ibid.
Proconſules qui præerant provinciis, in iis bella gerebant, ibid.
Prodigia de Chriſti adventu, XXIV. Romæ de Rege naſcituro, XXIII.
Profanum Hillel ſignificat, VIII.
Profeſſio nihil aliud erat, quam cenſus ſolutio, LXXXI.
Progenies Mariæ Virginis, XLIII.
Prophetæ repudiati a Doſitæis, XIII.
Prophetæ Gentilium, XVIII. & ſeq.
Proſelytus Herodes Idumæus Regnum Judæorum accepit, VI.
Pſeudo-evangelium Jacobo attributum, XXXIX.

Q

Quaſi non ſemper diminutionem, aut dubitationem importat, CVIII.
Quercus Mambre juxta Hebron, LXXIX.
Quintilius varus Præſes Syriæ, LXXXVI.
Quirini Conſulatus, LXXXIX.
A Quirino cenſum bis actum, LXXXVII.
Quirinus Præſes in Syria deſcribit cenſum, LXXX.
Quirinus Præſes in Syria poſt ſuum Conſulatum, LXXXVI. Meruit inſignia triumphi, ibid.
Quomodo remanſit Syriæ Præfectus, LXXXVI. Ejus res geſtæ, XCVI.
Quirinus, Quirinius, Cyrinus, Cyrinius, idem nomen, LXXXVI.

R

Rabbini Phariſæi, & eorum origo, VIII. & ſeq.
Redemptio libera, XLIX.
Regis perſona Chriſti a Matthæo inſinuatur, XXX.
Regium ſceptrum Judæ in quo defecerit, III.
Regni Herodis exordium, VI.
Regnum Judaicum extinctum, acto in crucem Antigono, VI.
Regnum, Sacerdotium, lex, firmiſſimæ columnæ collapſæ apud Judæos, XVI.
Regnum Chriſti conſequitur judicandi poteſtas, V.
Rituale antiquum, vel ordo Romanus, CVIII.
Romæ fons olei erupit, XXVIII.
Romana Reſpublica, & optimi ejus mores collapſi, XVII.
Romana archiva de Natale Chriſti, XC.
Romana Eccleſia Apoſtolica una, XLV.
Romana Eccleſia quid de Chriſti ætate baptiſmi tempore, CVIII.
Romani qui Judæos ſub titulo redegerunt, VI. LXXXVII.
Romani cives qui, XCII.
Romani imperii incolarum cenſæ ſub Auguſto myriades quatercentum decem mille, & tredecim viri, XCIV.
Romanus Orbis qui, XCII.

S

Sabbatum ſuperſtitioſe colebant Doſitæi, XIII.
Sabbatorum ſuperſtitioſe obſervatio quæ, ibid.
Sabinus Judææ Procurator, LXXXVIII.
Sacerdotalis cum regis ſtirpe cognatio, XXXII. & ſeq.
Sacerdotali tribui conceſſum, ut cum regia ſtirpe inirent nuptias, II.
Sacerdos ſummus ſancta ſanctorum ingredi quando debebat, LXX.
Sacerdotes quot in templo miniſtrabant quotidie, XXXVI.
Sacerdotes ſemper introibant in priori tabernaculo LXXII.
Sacerdotes diſponebant de his quæ ſemel Deo eſſent oblata, LIV.
Sacerdotis ſummi cum ſtirpe ſua tantum conjunctio, XXXIII.
Sacerdotium Zachariæ, LXIX.
Sacerdotium ſimul, & Regnum Aſſamonæis junctum, IV.
Sacerdotium & Regnum tempore Chriſti defecerat apud Judæos, VI. & ſeq.
Sacerdotium antiquorum conjugia olim qualia, XXXIII.
Sacerdotum ſingulæ vices quomodo ſortiebantur inter ſe, LXXIV.
Sacerdotum principes ſoli ingrediebantur in aditum Templi, LXXIII.
Sacerdotum pluſquam quinque millis cujuſque vicis LXXIV. Officia, LXXIII. Numerus in templo miniſtrantium, XXXVI. Succeſſiones in publicas tabulas relatæ, IV. Vices viginti quatuor, XXXVI. Vices ſingulæ habebant hominum plus quam quinque millis, ibidem.
Sadducæi cum Samaritis ſentiebant, XI.
Sadducæi a Sadoch Sacerdote dicti, ibid.
Sadducæi qui, VIII.
Sadducæorum dogmata, XI.
Salome obſtetrix, XLI. Quænam fuerit, LXV.
Salome non Joſeph ſed Zebedæi uxor, LXI. Eadem quæ & mater filiorum Zebedæi, LXV.
Samaritæ diſtincti in quatuor ſectas, XII. Quinque tantum Moyſis libros recipiebant, ibid.
Samaritarum ſectæ diverſæ, XII.
Sammai auctor Scribarum & Phariſæorum, VIII.
Samuel ſervire Deo, quam annuam pecuniam ſolvere maluit, XLIX.
Samuel ſororem duxit, ac liberos ſuſcepit, LVI.
Sancta Sanctorum ſemel tantum in anno Summum Pontificem penetrare fas erat, LXIX.
Saturnini Cenſus, XCI.
Scaurus præeſt Judæis, VI.
Sceptrum David quando defecerit, III. Juda quando viſum eſt ceſſaſſe, V.
Scribæ qui dicerentur, VIII.
Scribi & Phariſæi quando exorti, ibidem, Legem

gem vitioſam, interpretatione corruperunt, *ib.*
Sebuæi hæretici, XII.
Secta Phariſæorum, VIII. & *ſeq.* Sadducæorum, XI. Eſſenorum, XII. Herodianorum V. Samaritanorum, XII.
Sectæ Judæorum tres præcipuæ, VIII.
Sectæ, quæ Chriſtum non receperint, VIII.
Seleuci Manichæi de Mariæ ortu delira commenta, XXXIX.
Sentius Saturninus Præſes Syriæ, LXXXVI.
Septuaginta interpretum anni ab origine Mundi, CXIX. Biblia reſtituta, *ibid.*
Series Præſidum Syriæ, LXXXVI.
Series Genealogiæ virorum tantum texebatur, CI.
Sibylla Erythrea, XXIII. Quomodo de Chriſto Auguſtum docuit, XXV.
Sibyllæ Cumanæ carmina haud extincta, XXIII. Monita data Auguſto quæ, XXVI.
Sibyllæ quot, quando, cujus fidei, XIX. Unde dictæ, XVIII. Cur appellatæ Prophetiſſæ Gentilium, *ibid.*
Sibyllis quantum tributum ſit, *ibid.*
Sibyllini libri retenti, cremati ſupra duo millia, XXII. Recenſiti honorifice, *ibid.*
Sibyllinos libros cur Deus voluit ſtudioſe curari, XXIII.
Ex Sibyllis carminibus Lentulus quid, *ibid.* M. Antonius quid, *ibid.*
Sibyllinum Vaticinium de Rege venturo ex Cicerone, *ibid.*
Sibyllina carmina excerpta privatim, *ibid.* Quibus temporibus Romam allata, XXI. Tribuebantur Sibyllæ quaſi viventi, XXVI. Concremata, XXI. Reſtituta, XXIII. Recognita, & examinata, XXII. Ab Auguſto purgata, XXIII. Recitata a Conſtantino, *ibid.*
Sibyllinorum librorum lectio Chriſtianis interdicta, XX.
Sibyllinos libros ſuadet Paulus legi, LI.
Sibylliſtæ Chriſtiani dicti, XIX.
Simeon Jacobo minori in Eccleſia Hieroſolymitana ſucceſſit, LXVII.
Simeon juſtus, XVI.
Simon filius Cleophæ, LXVII.
Sineſius a Judæo ſuperſtitioſo nauta deluſus, XIII.
Sixtus V. Græcam Septuaginta duorum interpretum editionem latine redditam comprobavit, CXIX.
Sobe Bethleemitica ſoror S. Annæ, XLI.
Sabe mater Eliſabeth, *ibid.*
Sol intra tres circulos viſus apparere quibus Coſſ. XXV. Circulo obſignatus, XXVII.
Soles tres viſi Romæ quibus Coſſ. XXVIII.
Sorores Annæ, XLI. Mariæ, *ibid.*
Soſius Syriæ Præſes, LXXXV. CXIII.
Sponſa apud Hebræos delinquens plectebatur ut nupta, LV.
Sponſalia apud Hebræos non minoris momenti, quam ipſæ nuptiæ, LV. In ſponſalibus apud Hebræos, mariti & uxoris nomina deſcribebantur, *ibid.*
Stola Pontificia Judæis ablata, VII.
Stolam Pontificiam Herodes cuſtodire juſſit, *ibid.*
Succeſſio Præſidum Syriæ, LXXXVI.
Suetonius nullum temporis ordinem ſervat, XCV.
Sulphurata vitro rupta jam olim permutare ſoliti Judæi XXIX.
Summum Sacerdotium homini ruſtico Fani nomine obtigiſſe, LXXI.
Summus Sacerdos numquam forte delectus apud Hebræos, niſi ſemper per vim, *ibid.*
Syriæ Præſidum tempora, LXXXVI.
Syriæ conceſſa immunitas, ut nonniſi puberes deſcriberentur, XCIII.

T

TAberna meritoria, figura Eccleſiæ, XXVIII.
Tabernacula duo in Templo Salomonis, LXXII.
Tabernaculum Sancta Sanctorum nemini erat perſpicuum, niſi Sacerdotibus functionis ſuæ tempore, *ibid.* Quæ aſſervaret, *ibid.* Intra ſecundum velum, *ibid.*
Tabulæ teſtamenti, LXXII.
Tacitus mendaciorum loquaciſſimus appellatus tanquam dictio aliquando expletiva, CVIII.
Tanis urbs Ægypti antiquiſſima, LXXVIII.
Templi Hieroſolymitani partium uſus, LXXIII.
Templi ſtructura facta ab Herode firmiſſima, L. Portæ quibus mulieres intrabant, LI.
In Templo locus orationis feminarum, LI. Plura fuiſſe thuribula, LXXIV. Fuiſſe virgines deputatas, LIII. Alius orationis, alius habitationis locus, LI.
In Templo foras erat multitudo populi hora incenſi, id eſt, extra primum velum, LXXII. Virgines a nuptis ſeorſum orare conſueviſſe, LII. Thuribulum aureum non unum tantum, LXXIII. Comedere fas non erat, LI. Feminæ a viris ſegregatæ, XLIX. Locus, ubi feminæ quæ ſe Deo voverant, ſimul agerent, *ibid.* Quot cellæ, L. Loca diſtincta, LXXII. Habitaſſe aliquando feminas, LIII. Duo erant Altaria, LXXII. Quot Sacerdotes miniſtrabant, III.
Templum Salomonis ſub Zorobabel inſtar prioris reſtitutum, L. Ab Herode excitatum, *ibid.* quatuor porticus habuit, LXXIII.
Terebinthus arbor antiquiſſima prope Chebron, LXXVIII.
Tertulliani locus difficilis explicatur, XC. Cur agens de cenſu non utitur Evangelii auctoritate, XCI. Loca ejus explicata, *ibid.*
In Tertulliano magis propria locutio non eſt requirenda, XCI.
Tertullianus de veritate carnis Chriſti adverſus Marcionem, XCII.
Teſtamenti arca, LXXII. Tabulæ, *ibidem.*
Theodoſius Judæorum princeps, XXXVI.
Theodoſii Judæi de Chriſti Sacerdotio impoſtura, *ibid.* Inventum de obſtetrice deiparæ Virginis, *ibid.*
Theodorus Septemtrionalem partem dimenſus eſt, XCVII.
Thuribula plura fuiſſe in Templo, LXXIV.
Tranſanimatio Pytagorea quo temperamento aſtrueretur a Phariſæis & Scribis, VIII.
Tranſtiberim habitabant Judæi, XXIX. Erumpentis olei ſignificatio, XXVIII. Eccleſia Dei genitrici prima omnium erecta, *ibid.*
Romæ fons olei erupit, XVIII.
Tranſtiberinus ambulator Judæus dictus, XXIX.
Tres diverſæ ſententiæ antiquorum ſub quibus Coſſ. natus eſt Chriſtus, XCIX.
Tribui Leviticæ an liceret cum cæteris inire nuptias, XXXII.
Tribus Juda Babylonem adducta, IV. Qua ratione regnaſſe dicitur uſque ad Herodem, V.
Tribus Sacerdotalis cum regia ſtirpe poterat inire nuptias, *ibid.*
Tribus Judæorum matrimonio non miſcebantur, XII.
Tributa ſacerdotibus alacriter pendebantur, non ita Regibus LVII. Sacerdotibus pendenda, perinde ac Regibus, *ibid.* Alia in agros, alia in capita ab Auguſto impoſita, XCIV.
Tributum ſæpe Auguſtus imperavit, *ibid.*
Triumviratus inſtituti tempus, CV.

V

VAlerius gratus, Pilati præceſſor, LXXXVIII.
Vari conſulatus, LXXXIX.
Varrone doctior rerum antiquarum nullus, CX.
Vates Gentilium qui fuerint, XVIII. *& ſeq.*
Vaticinia Gentilium de Chriſto venturo, XXIII. Veſpaſiano Auguſto tributa, XXIV.
Vectigalia ab Auguſto impoſita, XCIV.
Vela duo in Templo Salomonis, LXXII.
Velum primum Templi Sacerdotibus tantum patebat, *ibid.* Primum & ſecundum quid, *ibid.* Sacrum quale, LXXXVIII.
Veneri & Adonidi templum erectum ab Hadriano Imp. ad abolendam præſepis memoriam, V.
Verbi incarnatio quo anno facta, LXXVI.
Verbo unita humana natura indiviſe & inconfuſe, *ibid.*
Verbum in uterum virginis quomodo delapſum, *ibid.*
Verbum carnem aſſumens quod fuit eſſe non deſinens, *ibid.*
Veſpaſianus una cum Tito triumphat, XXIV.
Vices Sacerdotum incentium adolentium, quot numero, LXXIV.
Vices Abiæ quota, *ibid.*
Viam diſciplinæ quis invenit & cui tradita, IV.
Vir in uxorem habet poteſtatem, LIX.
Virga Aaron, LXXII.
Virgilius ex Sibyllinis carminibus futura tribuit Salonino filio Pollionis, XXIII.
Virgines olim recluſæ in Templo. LIII.
Virgines ſeorſum a nuptiis orare ſolitas in Eccleſia, LII.
Virginitatem ad tempus colebant Phariſæi, IX.
Virginitatis votum ab hæreticis impugnatur, LVII.
Virginitatis merito divinationem adeptæ Sibyllæ, XVIII.
Virgo deſponſata in templo parentibus reddebatur, LV.
Virgo Maria virgini commendatur, LXIII.
Viri Juda quinam dicti, IV.
Viri Juda non Judæ legendum, V.
Vitro rupto Sulphurata permutare ſoliti Judæi XXIX.
Vota puellarum irrita, LVIII.
De Voto Virginitatis S. Mariæ Patrum ſententiæ, LVII.
Votum puellare quomodo ſervandum mandavit Deus, LVIII.
Votum Virginitatis impugnatur ab Hæreticis, LVII.
Votum uxoris contradicente viro non tenebar, LVIII.
Ur Mariæ ſororis Moyſi Vir, LXVI.
Ur ſuſtinebat Moyſis orantis manus, *ibid.*
Urna habens manna, LXXII.
Uſus in Eccleſia diu viguit, ut ſeorſum viri a mulieribus, & virgines a nuptiis in Templo orarent, LII.
Uterini fratres Jacob, & Heli, XXXIV.

Z

ZAcharias pater Joannis an ſummus Pontifex, XXXIII. LXIX. LXXV.
Zacharias Sacerdos de vice Abia LXVIII. In qua parte Templi adoleat incenſum de filii conceptione accepit oraculum, LXIX.
Zacharias incenſum ponens fungitur munere vicis ſuæ, *ibid.*
Zacharias erat intra primum velum ad incenſum adolendum, LXXII.
Zacharias Sacerdos ſortito incenſi adolendi functionem perfecit, LXXIV.
Zachariæ Angelus apparuit ſub quo ſummo Pontifice, LXXV.
Zachariæ Sacerdotium, LXIX. LXXII. Civitas Chrebron, LXXIX.
Zachariæ domus fuit in campeſtribus, *ibid.*
Zeloratum Hæbreorum factio, LXXI.

Digitized by Google

INDEX
IN APPARATUM PAGII,

in quo numeri marginales indicantur.

A

Actiaca pugna quo anno, & die habita, CIII. Actiacæ Eræ initium aſſignatur, *ibid.*

Adoleſcens hujus vocis ſignificatio adducitur, LXIII.

Ægyptiaci regni inſtitutio, duratio, finis & Reges adducuntur, XXVI.

Ægyptii annos ſuos a capta per Auguſtum Alexandria numerant, CXIV.

Ætates mundi, earumque duratio recenſentur, VIII. IX. X. XII. XIV. & XXIII.

Agrippa M. Vipſanius Conſul, XCVI. ſemel & iterum annum aperit, CXV. & *ſeq.* Tranſmarinas provincias adminiſtraturus in Syriam Præſes ab Auguſto mittitur, CXI. Quo anno id factum aperitur, CXXII. Eodem tempore quo ipſe Orientem regit, alios ſub ipſo Proconſules fuiſſe, qui particulares provincias gubernarent, oſtenditur, XXII. Tribunitiam poteſtatem in quinquennium accipit, *ibid.* In Syriam iterum mittitur, CXXIV. Tribunitia poteſtate iterum donatur, *ibid.* Moritur, CXXV.

Alexander Magnus Græcorum imperium inſtituit, & quo anno, XXV. Quandiu imperavit, quove anno mortuus ſit, indicatur, *ibid.*

Alexander Jannæus vinculis a Salome matre ſolutus, Rex & Pontifex inſtituitur, fratremque ſibi inſidiantem necat, XLVI. Poſt Regnum viginti & ſeptem annorum moritur, LI.

Alexander Zabina Syris Rex imponitur, XXXVIII. Ab Antiocho Grypo occiditur, XLIII.

Alexandra, quæ & Salome Alexandrum Jannæum filium Regem Judæorum conſtituit, XLVI.

Alexandra Alexandri Jannæi uxor Judæorum Regnum per annos novem adminiſtrat, LI.

Ananelus ſummo Judæorum Pontificatu ab Herode donatur, XCIX.

Annus Confuſionis qua anni parte inceptus, LXIV. Corrigitur, *ibid.*

Annus Julianus primus unde deſumendus, LXV. Prava intercalatione turbatus reſtituitur, LXXIV.

Antigonus ejecto Hyrcano Judæis Rex imponitur LXXVII. Victus ſecuri necatur, XCVIII.

Antiochena Era Auguſtana a pugna Actiaca deſumpta, CIV.

Antiochus Soter in Syriam vocatur, XXXI. Fit Syriæ Rex, *ibid.* XXXII. Hyrcanum bello laceſſit & intra Jeroſolymam obſidet, XXXV.

Antiochus Sidetes de Parthis victor Babyloniam occupat, XXXVI. Ab iiſdem poſtea victus, occiditur, *ibid.*

Antiochus Grypus poſt mortem Seleuci fratris Rex a Cleopatra Syris imponitur, XLI. Ab Antiocho Cyziceno ſolio pulſus illud denuo aſcendit, XLIV.

Antiochus Cyzicenus Grypum fratrem regno deturbat, & Cœleſyria potitur, XLIV. A Seleuco victus interit, XLVII.

Antiochus Euſebes regnat in Syria, XLVIII. Antiochum & Philippum Seleuci fratres in prælio ſuperat, *ibid.* Cum eodem Philippo de univerſo Regno obtinendo decertat, *ibid.* Contra Parthos dimicans occiditur, L.

Antipater Judææ Procurator a Cæſare conſtituitur, LXI.

Antipater Herodis filius Romam proficiſcitur, CXXXVII. Quo anno ea profectio inſtituta, CXLI. Quanto tempore Romæ manſerit, ſtabilitur, *ibid.*

Antonius M. equitum magiſter annum aperit, LXVI. Secundum init Conſulatum CI. Ab Auguſto victus in Ægyptum ſe recipit, CIII. Ibi manus ſibi infert, CXIII.

Argivorum regnum quandonam cœptum, XI.

Ariſtobulus Mariamnæ frater Ananelo adhuc vivente in ſummo Pontificatu ab Herode ſubſtituitur, CI. Ejuſdem Herodis juſſu paulo poſt ſuffocatur, *ibid.*

Ariſtobulus, qui & Judas, Hyrcani filius Pontificatum ſimul, & Principatum Judæorum obtinet, XLV. Primus poſt captivitatem Babylonicam diadema ſibi imponit, *ibid.* Ejus erga matrem & fratres crudelitas annotatur, *ibid.* Antigonum fratrem interficit, & paulo poſt moritur, XLVI.

Ariſtobulus Alexandri Jannæi filius Rex & Pontifex Judæorum, LII.

Aſſyriorum Imperii fundator & epocha adducuntur, XIII. Ejuſdem Imperii deſtructio quando contigerit, ſtabilitur, XVIII.

Auguſtus Cajus Octavius dictus Julio Cæſari ſuccedit, LXVII. Ejus Imperii initium diverſimode a diverſis inchoatum, LXVIII. & *ſeqq.* A Senatu imperium extraordinarium accipit, Conſulque ſuffectus procedit, LXXI. Cum Antonio bellum gerit, LXXVIII. Pacem ſancit, LXXIX. Romam cum eo ovans intrat & quo anno, *ibid.* Faſtis dat nomen, CI. Tertium gerit Conſulatum, CIII. Ad Actium cum Antonio pugnat, eumque vincit, *ibid.* Conſul quartum procedit, CVI. Alexandria in Ægypto potitur, eamque nonaſi ſextili menſe ingreditur, CIX. Quintum aſſumit Conſulatum aramque victoriæ non in Capitolio, ſed in Curia Julia dedicat, CXV. Conſul ſextum procedit, *ibid.* Septimum init Conſulatum, CXVI. Imperium totius orbis ſuſcipit & qua die, CXVII. Auguſti item cognomentum adipiſcitur, ſed non eodem die quo imperium, *ibid.* Conſul octavum nonum & decimum procedit, *ibid.* Undecimum ſumit Conſulatum, CXVIII. Tribunitiam poteſtatem recipit, & quibus menſe ac die, *ibid.* In Syriam anno urbis DCCXXXIV. denuo pergit, & quæ ibi egerit, enarrantur,

tur, CXIX. Vix quinque menſes non vero per triennium in ea permanet; nec ſolus, ſed cum Legatis qui provinciae adminiſtrent, CXXI. Principatum in aliud quinquennium ſibi prorogat, CXXIII. Sæculares Ludos exhibet, CXXIV. Principatus illi de novo a Senatu prorogatus, CXXV. Auguſtus Syriæ Præſes ab anno Urbis DCCXXXIV. ad DCCXXXVIII. Perperam adſtruitur, *ibid.* Annum a Cæſare ordinatum & Sacerdotum negligentia turbatum rurſus ad priſtinam rationem redigit, *ibid.* Jani Templum ter claudit, CXXXVIII. Quandonam tertio clauſerit, in certum, CXXXIX. Duodecimum Conſulatum ſuſcipit, CXL. Decimum tertium init, CLIII.

C

CAjus Julius Cæſar Dictator creatus, poſt dies undecim ſe Conſule declarato Dictaturam abdicat, LVIII. Pompejum ad Palæopharſalum vincit, LIX. Dictaturam, inter alios ſibi a Senatu poſt hanc victoriam delatos honores de novo ſuſcipit, LX. Annum Mathematicorum opera corrigit, LXIV. Conſul quartum procedit, LXV. Quintum init Conſulatum, LXVI. Occiditur, *ibid.* Quanto tempore Monarchiam obtinuerit, examinatur, *ibid.*

Cajus Cæſar Conſul poſt annos quinque a depoſita puerili prætexta ab Auguſto deſignatur CXXX. Inter Syriæ Præſides male numeratur, CXXXI. Quo anno ad bellum Parthicum deſtinatus fuerit aperitur, CLV. Imperium Proconſulare, & ſuæ juventæ moderatorem recipit, CLVI.

Calippus in monarchiæ Aſiaticæ Alexandri memoriam periodum ſuam, LXXVI. Annorum inſtituit, XX.

Captivitatis Judæorum ſub Nabucodneſare initium aſſignatur, XIV. Finis item ejuſdem, XXIV.

Carthago fundatur, XVII.

Cenſum deferre & tributum ſolvere diverſa, CXXVIII.

Cenſus non fiebat ſingulis luſtris in regnis populi Romani amicis, *ibid.*

Chriſtus quo anno ſecundum aliquos natus, CXL. Quo item ſecundum alios & præſertim Baronium, CXLVI. Hæc Baronii opinio multipliciter infirmatur, CLI. & *ſeq.* Fundamentum Baroniani erroris aperitur, CXLIX. Natale Chriſti proprium a Dionyſiano diſtinguendum eſſe, demonſtratur, CXLVII. Hoc in annum biſſextilem incidere, certum; ſed an de proprio idem dici poſſit, incompertum, CXLVIII. Ex Chriſti baptiſmo natalem ejus annum deduci non poſſe evincitur, CL. Eumdem ex anno Urbis DCCLIII. deſumendum non eſſe annotatur, CLVII. Idem ex Caii Cæſaris in Orientem expeditione & ex pace cum Parthis ab eodem ſancita datur intelligi, CLVIII. & *ſeq.*

Cilicia, imperante Auguſto diverſum a Syriaco Præfectum habet, CXXXIV.

Civilis belli Cæſarem inter & Pompejum initium aſſignatur, LVIII.

Cleopatra timens ne ab Auguſto in triumpho ducatur aſpidis morſu perit, CXIII.

Conſulatus iteratus duobus conſequentibus annis Imperatoribus tantum aut Cæſaribus permiſſus, CXVI.

Craſſus a Parthis occiditur & quo anno, LVII.

D

DEmetrius Nicator Syriæ Rex, amiſſo exercitu, in Tryphonis poteſtatem venit, XXX. In regnum reſtituitur, XXXVI. E ſolio dejicitur, XXXIX.

Demetrius Eucærus, Antiochi Grypi quartus filius Damaſci Rex a Ptolemeo Lathuro conſtituitur, XLIX.

E

ERa Chriſtiana a Conſulatu Caji Cæſaris inchoanda, CLX. Varia ſortitur initia, CXLVIII.

Era Hiſpanica, LXXXIV.

Eræ incarnationis duæ diſtinguendæ, CXLVIII.

G

GAzenſibus autonomia datur & quando, LVI. Gazenſium Epocha quo anno ſit inchoanda Numiſmata demonſtrant, *ibid.*

H

HErodes Antipatri filius Galilæam curandam ſuſcipit, LXI. Quot annos tunc natus eſſet, ſtatuitur, LXII. & *ſeq.* Antonium ſibi conciliat, LXXV. Judææ regnum Auguſti & Antonii ope a Senatu recipit, LXXX. Ejuſdem regni epocha duplex adducitur, *ibid.* Utraque ejus epocha ex bello Parthico innoteſcit, LXXXIX. & *ſeq.* Geſta ejus in Palæſtina, dum Antonius Athenis moraretur, recenſentur, LXXXI. Herodes ab Auguſto in regno confirmatur, CVI. Ab ea tamen confirmatione anni regni ejus non deſumendi, CVII. Quæ in contrarium afferunt aliqui rejiciuntur, CVIII. & *ſeq.* Herodes interit, CXLII. Regni ejus & vitæ diuturnitas annotatur, CXLII.

Hillel Babylonius ex ſtirpe Davidica quo tempore floruerit, CII.

Hyrcanus Joannes dictus, Simonis ſummi Sacerdotis filius Judæorum Pontificatum init, XXXIV. Cum Antiocho Sotere bellum gerit, XXXV. Summo Sacerdotio per annos viginti & novem functus moritur, XLV.

Hyrcanus Alexandri Jannæi filius, inter Judæos Pontificatum obtinet, LI. Regnum item eorum adipiſcitur, & quanto tempore regnavit, ſtatuitur, LII.

Hyrcanus a Cæſare Pontifex conſtituitur, LXI. Herodis precibus a Parthis dimittitur, XCIX. Ejuſdem Herodis juſſu trucidatur, CVI.

I

JEroſolyma a Judæis capitur, XXIX. A Romanis item, & quo anno, LIV. Ab Herode expugnatur, & expugnationis annus & tempeſtas adducuntur, XCVI.

Im-

Imperatores non quinto Kalendas Julias, ſed quinto Kalendas cujuſcumque menſis indiſcriminatim Cæſaribus Tribunitiam poteſtatem conferebant, CXVIII.
Joſephus in Chronologia Herodiana accuratus demonſtratur, XCVII. Circa annorum regni Herodis & Archelai exilii conſignationem perperam ſeverius exceptus, XLIII. & *ſeq.*
Iſraelis & Judæ Reges, eorumque duratio, XIV.
Judæa regnante Herode tributum Romanis non pendebat, CXXVIII.
Judæi autonomiam accipiunt, a quo & quo anno, XXVIII. Occiſo Antiocho Sidete nullum regem agnoſcunt, XXXVII.
Judæorum regnum in Herode deſinit, LXXX.

K

Kalendarum dies celebris apud Romanos propter Triumviratus factam tali die inſtitutionem, CXV.

L

Lacedæmoniorum Reſpublica ſaluberrimis legibus a Lycurgo datis celebris, XVIII.
Laodicena Era, Antiochena anno uno poſterior a ſecunda Julii Cæſaris Dictatura inchoanda, LX.
Lollius Conſulatu illuſtratur, CXVIII. Caii Cæſaris in Orientem proficiſcentis moderator conſtituitur, CLVI. In hujus locum hoc in munere P. Sulpicius Quirinus perperam intruſus, *ibid.*
Lucius Cæſar virilem togam induit & quo anno, CLIII.

M

Macedoniæ Regum qui Alexandro Magno ſucceſſerunt, cathalogus exhibetur, XXV. Ejuſdem Regni finis conſignatur, *ibid.*
Maria Virgo naſcitur, CXXIV.
Medorum imperii finis aſſignatur, XIX.

O

Olympiadum auctor & inſtitutionis tempus indicantur, XXI.

P

Pacorus Orodis Parthorum Regis filius a Ventidio occiſus, LXXXV. & XCV.
Parthi Syriam invadunt, & quo anno, LXXVI. A Ventidio vincuntur, LXXXIII. Iterum ab eodem profligantur, LXXXV. Quo anno reportatæ fuerint illæ victoriæ ſtabilitur, LXXXIX. & *ſeq.*
Pedanius Syriam non adminiſtrat cum C. Sentio Saturnino, CXXVI.
Perſarum regni inſtitutio quo anno facta, XIX. Ejuſdem deſtructio, duratio & Reges aſſignantur, *ibid.*
Phariſæi quare & quando in duas partes diſcedunt, CII.
Phaſaelus Antipatri filius Jeroſolymis & circumjacenti regioni Dux conſtituitur, LXI.
Pompeii magni præclare geſta in Aſia narrantur, LIII. Pompejus a Cæſare in Theſſalia vincitur & qua anni parte, LXIX. Ptolemei Ægypti Regis juſſu trucidatur, *ibid.*
Pompejus Pompeii Magni filius cum Triumviris pacem ſancit, LXXXII.
Præſides provinciarum ſub Cæſaribus non ſemper bellis contra hoſtes Romanorum præſunt, CXXXIV.

Q

Quintilius Varus Sentio Saturnino Syriæ Præſidi immediate ſuccedit, CXXXVI. Annus quo tale munus inierit, nummis comprobatur, *ibid.* Herodis mortis tempore & initio Regni Archelai Varum Syriam adminiſtraſſe demonſtrant Nummi, CXLV.
Quirinius vel Cyrinus Faſtis nomen dat, CXXV. In Judæam cum Imperio extraordinario probabiliter mittitur, ut cenſum agat, CXXIX. Quo anno Syriæ primum præfuerit, ſtatuitur, CXLII. & *ſeq.* & CXLV. Expeditio ejuſdem in Homonadenſes, hunc Syriæ præſidem tunc temporis fuiſſe non deſignat, CXXXV.

R

Rheti Vindelici anno quintodecimo poſt captam ab Auguſto Alexandriam debellantur, CXIV.
Roma quo tempore condita, XXII. Illius Regum laterculum exhibetur, *ibid.*

S

Salomonis Templum inchoatur, XIV. Evertitur, XV.
Saturninus Cnejus Sentius dictus annum aperit, CXXIII. Tito Syriæ Præſidi in eadem Præfectura ſuccedit, CXXVI. At in eo magiſtratu nec Volumnium nec Pedanium Collegas habet, *ibid.* An cenſum in Judæa egerit Saturninus inquiritur, CXXVII.
Seleucus Demetrii Nicatoris filius regnat in Syria, XL. A Cleopatra matre Sagitta conſigitur, XLI.
Seleucus Antiochi Grypi filius, patruo bellum infert & vincit, XLVII. Ab Antiocho Euſebete victus, e Syria expellitur, & Mopſueſtiam fuga delatus, concrematur, XLVIII.
Signa in Baroniano Apparatu de Chriſti adventu explicata; ad quem annum pertineant, indicatur, LXX. & LXXII.
Simon, Judæorum ſummus Pontifex Gazam & arcem Jeroſolymitanam expugnat, XXIX. A genero ſuo Ptolemeo occiditur, XXXIV.
Soles tres Chriſti adventum, juxta Baronium, prænuntiantes, quo anno viſi, LXXV.
Soſius ab Antonio poſt Ventidium Syriæ præficitur, LXXXVIII.
Syri bellorum inter Seleucidas geſtorum pertæſi, Tigrani Armeniæ Regi ſe ſubjiciunt, L.
Syriæ Regnum inſtituitur XXVII. Duodecim priorum illius Regum ordo deſcribitur, *ibid.*

Quan-

Quandonam in duo diviſum fuerit, indicatur, XLIV. A Romanis occupatur, LIII.
Syriæ Præſidum ſeries inchoatur, C.
Tyrii regni initium conſignatur, XVII.
Tyriorum Epocha a quo anno deducta ſit oſtenditur, XXXIX.

T

Tiberius Claudius Nero init Conſulatum, CXXIV. Mortuo Agrippa ad rerum ſummam adminiſtrandam ab Auguſto aſſumitur, CXXV. Agrippinam uxorem dimittit, Juliamque Agrippæ viduam, Auguſti juſſu accipit, ibid. Conſul ſecundum procedit CXXIX. Caii & Lucii iram veritus, Rhodum ſe confert, & quo anno, CXXX.
Titius poſt Agrippam Syriam adminiſtrat, CXXIV.
Triumviratus inſtituitur, LXXIII.
Tryphon Syriæ invaſor, a ſubditis odio habitus, XXXI. E regno deturbatus interficitur, XXXIII.

V

Ventidius Parthos vincit, LXXXIII. Hæc victoria quo anno reportata; illiuſque nuntius qua anni tempeſtate ad Antonium fuerit delatus, ſtabilitur, XCI. & ſeqq. Ventidius in Antigonum Judæorum regem movet, LXXXVI. & XCV. Syriæ Præfectura deiicitur, LXXXVI.
Volumnius Syriæ non præeſt, cum Sentius Saturninus eam adminiſtrat, ſed ejus tantum Provinciæ eſt Procurator, CXXVI.

FINIS.

A011469669

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google